REUERENDI PATRIS GAUDENTIJ BONTEMPI, ... PALLADIUM...

Gaudenzio Bontempi

REVERENDI PATRIS

GAUDENTII

BONTEMPI, BRIXIENSIS, ORDINIS CAPUCINORUM Sacræ Theologiæ Professoris.

PALLADIUM THEOLOGICUM,

SEU

TOTA THEOLOGIA SCHOLASTICA.

In septem Tomos distributa.

AD INTIMAM MENTEM D. BONAVENTVRÆ SERAPHICI DOCTORIS.

Cuius eximiæ Doctrinæ raptæ restituuntur, sententiæ impugnatæ propugnantur.

In qua diuinæ Sapientiæ Thesauri, dudum depositi, jam recens effossi, erutique, mundo elucent.

Tomus IV. De Actibus Humanis, Legibus & Gratia.



LVGDVNI,

Sumptibus LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, IOAN. & PETRI ARNAVD.

M. DC. LXXVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

IN OBITV
EXIMIJ, PLANEQVE
SERAPHICI LECTORIS
ADM. R. P. GAVDENTIJ
A BRIXIA CAPVCINI
Brixiensibus solator accedit
F. CYRILLVS A BERGAMO
Ejusdem Ordinis Concionator.

Reuisite jam GAVDENTIVM vestrum Brixienses:
Mortuo ne parentetis,
Quem vix credatis extitisse mortalem.
Adhuc superstes est,
Dum supersunt, quæ Orbis miretur, Virtutis eius, Doctrinæque prodigia.
Viuit in præclarè scriptis;
Vel ipsa potiùs præclarè ejus scripta in ipso vivunt,
Cujus vel ipsi emittunt,
Quem Seraphicæ Doctrinæ calorem,
Quem gloriæ ignem enutriunt,
Generosi Cineres;
Redduntque jam Orbi splendorem, quem sinu fouent.
Eia, agite:
Impatiens tumuli virtus est;
Heroum gloria Sepulchrum nescit.
Abiit, non obiit, GAVDENTIVS vester;
In Galliam scilicèt profectus,
Restituturus Parisiensibus Cathedris BONAVENTVRAM,
Accepturus sibi Regnum in Cœlo.
Hinc tamen etsi ad vos reuerti non sinitur ingens ANIMA,
Chara Deo;

Hinc vobis posthumis in Libris restituitur,
REGI illi CHRISTIANISSIMO acceptissimus.
At vetitum vos adhuc niti video in dolorem;
Et quas prohibendo,
Exsiccare in vobis volui lacrymas, excitaui;
Qui tale Theatrum amisistis,
Qui in tali iactura nullum lucrum agnoscitis.
Condonent vobis Superi
Luctus omnem intemperantiam;
Exlegem fletum.
Iterum tamen parcere vos lacrymis moneo,
Atquè ejus lucris vestram compensare iacturam.
Viuere Christo, eidemque commori
Qui totâ vitâ didicerat,
Eodem, quo ille, & primò viuere cœpit, & vitæ clausit momenta,
Migrare è Mundo, Mense, & Die,
Maximam suæ sortis partem putauit.
Et sanè debuit Seraphicus Homo,
Quo die Almæ Virgini Archangelus Spiritus
Redimendi Mundi Gratiam nuntiauit,
Gaudium Cœlo renunciare redempti.
Et sanè decuit,
Qui iter arduum huius peregrinationis ea æquitate peregit,
Ac qui nunquam Libram desereret,
Vbi solem, Arietis ingressu, nouum ferre mundo Æquinoctium nouit,
Fœnora respuentem huius Tabernaculi
Ire in Domum Æternitatis suæ,
Perpetuæ fælicitatis Æquinoctio sine fœnore fruiturum.
Habetis, fateor, Brixienses,
Luctus argumentum, habetis & Gaudij;
Alterum mors, alterum virtus,
Alterum vestra vota, alterum Functi merita præbent.
Ast magis quid ipsius virtus, quid ipsius merita poscant,
Quàm quid mors, quam quid vota vestra attendentes
Gaudete.
Vnius vitæ dispendio geminam lucratus est GAVDENTIVS,
Nunquam apud Deum in Cœlis,
Aut apud homines in sua Posteritate,
Quam Libris sibi fecit, non Liberis,
Moriturus;
Et tempori vnà superstes, & viuus Æternitati.

Obdormiuit in Domino die 25. Martij, cùm Sol in Zodiaco primos Arietis gradus ascendit.

FACVLTAS

FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

NOS F. Stephanus à Cæsena totius Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum Generalis minister, licèt immeritus, virtute & tenore præsentium concedimus, vt seruatis seruandis, Typis mandetur Opus, cui titulus: PALLADIVM THEOLOGICVM, *seu tota Theologia Scholastica ad mentem D. Bonauenturæ*, à R. P. GAVDENTIO BONTEMPO, ex Prouincia Brixiensi, olim Ordinis nostri Concionatore, & Sacræ Theologiæ Prælectore compositum; & in septem Tomos distributum: Opus quippè ad stateram reuisionis per aliquos Theologos, à nobis deputatos, ita sedulò appensum, & approbatum; vt nihil sit minus habens inuentum, quinimò Seraphicam Doctrinam, præclarè elucidatam, omnium oculis objicere censeatur: In quorum fidem, his, solito nostro sigillo firmatis, manu propria subscripsimus.

Datum Parisiis in Conuentu nostro Assumptionis, die 20. Maij 1674.

Fr. STEPHANVS MINISTER Generalis.

Approbatio Theologorum Ordinis.

COmmissa nobis à Reuerendissimo Patre Stephano à Cæsena, Generali nostro, reuisione Operis, cui Titulus: PALLADIVM THEOLOGICVM, *seu tota Theologia Scholastica ad mentem D. Bonauenturæ, &c.* Testamur, toto hoc Tomo quarto, in varios Tractatus *de Actibus humanis, Legibus, & Gratia*, diuiso, nil nobis occurrisse, quod sacram fidem, vel in minimo temeraret; sanosvè mores offenderet, verùm vbique potius offendimus, quod vtrumque mirificè promoueret, nec vllibi abditos conscientiæ recessus, alta Gratiæ mysteria, abstrusasque Legum Ambages, clariùs elucidari, exponi, & extricari aduertimus. Quare, quod Typis committatur, non minus nostri muneris, quam publicæ esse vtilitatis censemus.

Parisiis in Conuetu nostro Assumptionis, die 8. Martij 1674.

Fr. STEPHANVS GAMACHÆVS Capucinus, olim Serenissimæ Brittanniarum Reginæ Matris à sacris.

Fr. FRANCISCVS COSSIN, Parisinus Capucinus, Lector Theologus.

APPROBATIO.

TRactatus *de Legibus & Gratia*, hoc Quarto Tomo contentos, contentissimus legi, eo mihi munere à R. P. nostro Generali, specialiter demandato: Nec fidei quidquam aduersari prospexi, sed Christianos mores, ad præscriptum legis, & gratiæ æquilibres passim sum demiratus; eo tantùm discrimine, vt si quando lex, morum stateram ab vna parte præmat, illam ab alterâ parte Gratia altiùs eleuet. Quapropter, vt publicæ fiant vtilitatis & juris, prælo quamprimùm premendos indubius adjudico.

Dat. in Conuentu nostrò Abbadiæ, Die 19. Iulij. annò Domini 1669.

F. VICTORINVS DE CEVO, Capucinus Diffinitor, & Sacræ Theologiæ Lector.

APPROBATIO.

ACtus humanos à bilanci ipsorum principio, Lege scilicet & Gratiâ, pendulos & hoc Quarto Tomo, fide manutenente, ad apicem à R. P. GAVDENTIO BONTEMPO Brixiensi, Sacræ Theologiæ Prælectore trutinatos, non semel vidi, R. P. Stephano à Cæsena, Ordinis Minorum Capucinorum Generali Ministro, eam mihi Prouinciam demandante; Et cùm opus opificem vbique exprimat, non est, quod quispiam suspicetur, quin sanam sapidamque doctrinam passim exhibeat, solidamque gratiæ speculationem cum solerti virtutum Praxi, vitiorumque fuga componat. Quamobrem, vt omni prælo, luce, & loco Tomus iste excipiatur dignissimum teneo, sic etenim præter doctrinam, nusquam fidei dissonam, moribusque nullibi dissentientem, Seraphici Doctoris Placitissima dogmata, juxta selectiorem Scholarum methodum digesta, in publicum profundet vsum.

F. ANDRÆAS NVGENTIVS, ab Hybernia Concionator Capucinus, & Missionarius Apostolicus.

APPROBATIO.

EX Commissione R. P. Stephani à Cæsenna Ordinis nostri Capucinorum Generalis vidi tractatum de Gratia à R. P. GAVDENTIO BONTEMPO Brixiensi, Sacræ Theologiæ Lectore meritissimo compositum; huncque legi eò libentiùs, quòd non vulgare opus, sed plane Seraphicum, illud iudicauerim, olimque à viris multis Doctissimis nouerim desideratum, quippè accommodatissimum ad acuenda ingenia circa materias Theologicas Doctrinæ Seraphicæ, tali ordine, stylo tam graui, totque Theologorum placitis, Sanctorumque Patrum testimoniis corroboratas, vt nihil desit, quod desiderari possit. Quare ad communem omnium vtilitatem, opus dignissimum, quod typis detur, censeo; nihil etenim fidei dissonum, moribusue habet repugnans.

Dat. Parisiis in Conuentu nostro Assumptionis, die 7. Ianuarij 1674.

F. HONORATVS AMBIANENSIS, Concionator Capucinus, & Sacræ Theol. Lector.

Summa Priuilegij Regis Christianissimi.

REgis Christianissimi Authoritate Cautum est, ne quis in suo regno, aliisvè locis suæ ditioni subditis, intra decem proximos annos, librum qui sic inscribitur: PALLADIVM THEOLOGICVM, *seu tota Theologia Scholastica &c. Tomus Quartus*, absque LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, IOANNIS, & PETRI ARNAVD, Bibliopolarum Lugdunensium permissu, imprimat, aut diuendat, à die publicationis horum exemplarium. Qui secùs fecerit, pœna indicta, pro vt amplius in Diplomate Regio continetur, mulctabitur. Datum Parisiis. De mandato Regis. Signatum LE NORMANT.

Prima editionis prælum cessauit die primo Nouembris, anno 1676.

INDEX

INDEX
DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM, & Sectionum, quæ in hoc Quarto Tomo,
DE ACTIBVS HVMANIS, LEGIBVS ET GRATIA,
In quinque Tractatus diuiso continentur.

TRACTATVS PRIMVS.
DE ACTIBVS HVMANIS.

DISPVTATIO PRIMA.
De fine Actuum Humanorum in genere.

DISPVTATIO II.
De Beatitudine.

XIII. An

DVBITATIO.

An possit homo Beatus moueri localiter in instanti. pag. 53

DISPVTATIO III.

De Voluntario, & inuoluntario.

DISPVTATIO IV.

De Circumstantiis Humanorum Actuum.

DISPVTATIO V.

Quænam sint volita.

DISPVTATIO VI.

De Motiuo voluntatis.

DISPV

DISPVTATIO VII.

De Fruitione.

DISPVTATIO VIII.

De Intentione.

DISPVTATIO IX.

De Electione.

DISPVTATIO X.

De Consilio.

DISPVTATIO XI.

De Consensu.

DISPVTATIO XII.

De Vsu.

DISPVTATIO XIII.

De Imperio, & Actibus imperatis.

DISPVTATIO XIV.

De Bonitate, & Malitia Actuum Humanorum.

DISPV

Index Disput. Quæst. & Sect.

DISPVTATIO XV.

De Bonitate, & Malitia actus interni.

DISPVTATIO XVI.

De Bonitate, & Malitia actus externi.

DISPVTATIO XVII.

De Conscientia.

DECRETA.

SECTIONES.

Index Disput. Quæſt. & Sect.

DISPVTATIO XVIII.

De actibus Humanis cum brutis communibus

INDEX
TRACTATVS II.
DE HABITIBVS.

DISPVTATIO PRIMA.
De Habitibus in genere.

DISPVTATIO II.
De Virtutibus.

DISPVTATIO III.
De donis Spiritus Sancti.

DISPVTATIO IV.
De Beatitudinibus.

SECTIO VNICA.
De fructibus Spiritus Sancti. pag. 286

DISPVTATIO V.
De Vitiis.

INDEX

INDEX TRACTATVS III. DE PECCATO.

DISPVTATIO PRIMA.

De Peccato in genere.

DVBITATIONES.

DISPVTATIO II.

De Peccato mortali & veniali.

DISPVTATIO III.

De causis Peccatorum.

DISPVTATIO IV.

De Peccato Originali.

DISPVTATIO V.

De effectibus peccatorum.

INDEX

INDEX
DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM, &c.
QVÆ IN TRACTATV IV.
DE LEGIBVS.

DISPVTATIO PRIMA.

De Legibus in genere.

DISPVTATIO II.

De Lege Æterna.

DISPVTATIO III.

De Lege Naturali.

DISPVTATIO IV.

De Iure Gentium.

DISPVTATIO V.

De Lege positiua scripta.

DISPVTATIO VI.

De Lege Humana Ciuili.

DISPVTATIO VII.

De Lege Canonica.

DISPVTATIO VIII.

De Consuetudine.

DISPVTATIO IX.

De Priuilegiis.

DISPV

DISPVTATIO X.

De Lege positiua veteri.

DISPVTATIO XI.

De Lege Noua.

INDEX
DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM, ET DVBITATIONVM.
QVÆ IN TRACTATV V. DE GRATIA CONTINENTVR.

DISPVTATIO PRIMA.
De auxiliis Diuinæ Gratiæ.

DISPVTATIO II.
De Gratia Habituali.

IV. In

DISPVTATIO III.

De justificatione.

DISPVTATIO IV.

De Merito.

XVIII. An

Finis indicis Tomi IV. Primæ Secundæ.

TRACTATVS PRIMVS
PRIMÆ SECVNDÆ THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ:
DE ACTIBVS HVMANIS AD MENTEM. S. BONAVENTVRÆ.

APPARATVS.

ALtissimi Diuinitatem, Fidei tubo optico, diù illæſo quidem, ſed infirmo lumine contemplantes, radiantem Solem intrò peruaſimus; præclaras eſſentiæ perfectiones è tenebris perluſtrauimus, emanantem filij è ſinu Paternæ mentis Splendorem, & ex vtriuſque corde vno Ignem Amoris erumpentem, vnâque circumincesſionum ſpherâ æternis circulationum immobilem gyris, ſe ipſo perfruentem ſuſpeximus: mox immenſo è bonitatis centro ad extrà mirificè influendum diffuſis vndique radiis in mundo prodeuntem ſuſcepimus. Nunc altas Cœlorum machinas, aſſiſtentibus Intelligentiis circumuoluentem; nunc profundam terræ maſſam ſuis libratam ponderibus ſuſtinentem: modo diſcordia elementa in pacis fœdera, communeque omnium domicilium componentem perſpeximus. Et licèt grauitet Terra, leuitetque Aër; licèt ſurſum impatiens euolitet Ignis, defluatque deſuper Aqua: Hæc tamen ad iuſtitiam contemperata, & amicis, ſymbolicisque connexa vinculis, Diuinâ moderante ma-

nu , modò ſurſum defluentia , modò deorſum volitantia ponderauimus ; ſed ſat. Iam compendioſi orbis nobiliorem miremur partem. Ex Oriente Luce orbis apparuit. En Imago Dei in nobis cuſa , cui mundum commendauit. Anima tribus dotata potentiis iam dicat intelligens , iam liberos amores volens exerat ; ſed rectos ; ſed almos. Iam diuinorum beneficiorum memor , quæ ſurſum ſunt ſapiat , ſuſpiciat , & ſuſpiret. Fac me audire vocem tuam. Attendite Humanorum actuum conſonantiam: ſed heu , & diſſonantiam ſuſtinete, Plectrum diuina manus auxiliorum digitis tangat,habitibus induat, & exornet : nos verò, in Di, uinæ legis folio , præceptorum clauibus , ac notis , Deo conſoni, cantemus humanis vocibus laudem.

DE

DE ACTIBVS HVMANIS.

DISPVTATIO I.

De fine Actuum Humanorum in Genere.

ACTVS HVMANI, qui, scilicet ex homine, vt rationalis est, & liber, prodeunt, multa habent adnexa; nempè principium intrinsecum naturæ, quod est liberum arbitrium; de quo *prima parte*. Similiter intrinsecum auxilij, & gratiæ; de qua *hic*. Pariter & principium extrinsecum inducens, nempè Leges; de quibus *in hac parte* differemus. Enim verò, quia omnis actio humana est propter finem, maximè beatitudinis, agunt Theologi primò de fine hominis, maximè Beatitudine.

1 Ex ignoratione FINIS aberrarunt Philosophi veteres in suis operibus, vt habet Aristoteles: 2. *Phys. cap.*8. & 1.*partium*, *cap.*1. & 1. *Met. cap.*3. Ideò ad easdem operationes dirigendas, agam de fine: non tamen Aristoteles mihi ducatum præstabit cæcutiens, ne ambo labamur in foueam erroris.

QVÆSTIO I.

Vtrum Homini conueniat agere propter finem, & an Soli.

D.Bonau. in 2.d.38. art.1.q.1.& D.Th. p.2. q.1.art.1.

CERTVM id est etiam ex fidei 1. Petri 1. *Reportantes finem fidei vestræ.* Psal. 118. *Inclinaui cor meum, &c. propter retributionem.*

2 ASSERENDVM primò, homini conuenire agere propter finem.

Probatur primò ex Aristotele 1. *Ethic. cap.*1. & D. August. 9. *de ciu.cap.*7.

Probatur secundò à D. Thom. Actiones propriæ humanæ sunt, quæ à voluntate liberè fluunt; licèt enim etiam intelligere sit proprium hominis; tamen participat quandam necessitatem, ac determinationem naturalem ab obiecto.

COGNITIO sanè aliqua communis est cæteris irrationalibus. Vnde dicitur actus quidem hominis, non verò propriè Humanus, sicut Voluntarius. Hoc posito.

PROBATVR assertio. Quælibet potentia agit secundùm rationem propriam obiecti; sed obiectum voluntatis est bonum, seu finis: ergo. Hanc rationem habet etiam D. Bonauent. *serm.* 2. *de S. Lucia.*

ASSERO secundò, etiam irrationabilia agere propter finem.

PROBATVR à D. Thom. art.2. Ablata prima causa omnes pereunt, prima autem est finis, ratione cuius agens mouetur ad effectum determinatum: ergo. Quo pacto autem bruta tendant in finem, disseram *disp.*8. *quæst.*4.

QVÆSTIO II.

Vtrum sit Finis præcipuus Hominis FINIS CVI, *an* FINIS QVI.

D.Bonau.in 2.d.38.

NOTA est diuisio hæc FINIS. Est autem *finis Qui*, res illa, quam appeto, vt sanitas: *Finis Cui* est is, cui appetitur; vt ego, cui sanitatem intendo. *Finis qui*, dicitur *Cuius*, quia eius gratia eliguntur media. 3

ARRIAGA 1.*p.s.*2.*disp.*47.*sect.*1. ait. In genere entis, ferè semper finem *Cui* esse nobiliorem; attamen quando amo Deum mihi, vt vltimum finem, dubio procul *finis qui*, id est Deus, est nobilior me, *fine Cui*. Esto eius possessio, sit me ignobilior. At in genere finalizandi, ait, simpliciter meliorem esse finem *Cui*; nam hic amatur amore amicitiæ, & propter se; at *Finis qui* amatur, & concupiscitur alteri, id est fini *Cui*; Ideò enim amo sanitatem Petro, quia Petrum amo; non è contra. Consentiunt alij apud Caspensem *disp.*1.*sect.*1.

SVAREZ *disp.*1.*sect.*6. *num.*7. excipit ab hac regula actum, quo Deum, vt mihi bonum amo: nam tunc magis amatur *finis qui*, id est Deus, quàm ipse homo, qui est *finis Cui*. Absurdum enim clamat per actum bonum honestum supernaturalem plùs amari creaturam, quàm Deum. Itaque non ponit vniuersalem amandi regulam. Si enim bonum, quod amatur, est melius subiecto, tunc plus amatur *finis Qui*: secus, si *finis Qui* sit in se minùs perfectus. Omitto asserentes, solùm finem *Cuius* esse finem, apud Caspensem *disp.cit.* 4

HANC doctrinam Suarij insectatur Arriaga, sed parum validè, est enim doctrina è D.Bonau. solidè hausta à Suarez. 5

Arguit, quia amor spei, non est amor Dei super omnia: ergo non est altior amor respectu ipsius Dei, quàm respectu hominis, si enim esset maior, esset super omnia. Non enim est contra rationem amoris Dei super omnia, quòd simul cum

Deo alia obiecta amentur; dummodò Deus magis ipse ametur, quàm alia.

Respondetur è D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 38. *quæst.* 3. *ad* 2. amorem spei non esse completum in beatitudine præcisè, sed in beatitudine, vt est ad Deum; amat enim sperans beatitudinem, & Deum sibi vt fruibilem; at verò fruitione includitur, vt Deus ipse sit vltimus finis *qui*, & *cui* amatur, ad quem vltimò ordinatur spes. Vide Seraphicum *in* 3. *dist.* 26. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad vltimum*, vbi latè hoc soluit dubium; de quo 2. 2. agendum erit.

6 Assero eum S. Bonau. & Suar. actu supernaturali magis amari finem *qui*, quam finem *cui*.

Probatur à Suarez *loco cit.* argum. S. Bonau. *in* 1. *dist.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. & 3. & *art.* 3. *quæst.* 1. & 2. & *in* 2. *dist.* 38. *quæst.* 3. & alibi sæpè; nam absonum est per actum bonum honestum supernaturalem amari magis creaturam, quàm Deum.

Respondet Ariaga, etiam attritionem minùs detestari peccatum, quàm pœnas inferni, neque tamen attritio est mala; & vnum actum misericordiæ amare creatam bonitatem, non autem Deum; multò magis licitè amare creaturam vt quatuor, & Deum vt duo; dummodò ille actus non exprimat. Pluris æstimo, & magis amo creaturam, quàm Deum. Ratio est, quia vt actus sit bonus, non est necesse, vt habeat obiectum nobilissimum, vel illud summè amet; sufficit enim si bonum aliquod obiectum amet, & illud meliori non præferat.

7 Hæc tamen, è doctrina S. Bonau. *illis locis*, & aliis, eluuntur; quamvis enim virtutes charitate inferiores habeant obiectum inferius Deo, vt vltimo fine, & super omnia formaliter dilecto, attamen omnes sunt virtutes mediæ, quæ ad charitatem, tanquam finem ordinantur, vt latè probat S. Bonauent. *dist.* 38. *secundi quæst.* 2. ac proinde nunquam fit, vt obiecta illa super Deum amentur, sed ad Deum, saltem implicitè. Vnde nunquam dices verè, Attritionem pluris pendere pœnas, quàm Dei offensam, aut actum misericordiæ æstimare, & amare creaturam, non Deum; nam actus misericordiæ fertur in creaturam propter Deum; & actus attritionis detestatur pœnas implicitè includendo Dei offensam: Verùm sat est, eum, qui scalam ascendit, ab vno in alium gradum ascendere ad summum; nunquam tamen, non modò excludet summum; sed neque dicet: hunc gradum eligo, non summum; sed solùm illum respicit, tametsi imperfectum, vt ad summum defert.

8 Fateor, finem in *Quo*, v.g. Deum, & finem *Quo*, nempe, beatitudinem, cōstituere vnum finem, vt docet Hurtad. *disp.* 13. *de anima*, *sect.* 2. §. 8. post Suarez, & D. Thom. quos citat. Idem habet Ruuius 2. *Phys.* *l.* 5. & Arriaga *loc. cit.* & finem *Quo*, non esse nobiliorem homine, vt ait Arriaga *num.* 2. post D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 38. *quæst.* 1. *ad argum.* & *quæst.* 2. *in corpore.* Quomodo verò vnus constituatur finis ex his, dicam infrà *disp.* 2. *quæst.* 7. vbi ostendam, beatitudinem nostram non in visione sola, sed in Deo positam esse. Vnde habebis, vtrumque habere rationem finis, contra Gabr. *in* 2. *d.* 1. *q.* 5. Ocham *in* 2. *quæst.* 3. *art.* 3. Henricum *quodl.* 2. *q.* 1. vt notat Ruuius 2. *Phys. tract.* 5. *q.* 1.

9 Observa, hanc esse diuisionem finis adæquatè in finem *Qui*, & finem *Quo*. Finis *Qui* est id, quod amatur, vt *Deus*, & dicitur obiectiuus: Finis *Quo*, est consecutio illius finis, vt beatifica visio, quæ dicitur finis formalis. Vterque verò habet rationem finis apud Aristot. 2. *Phys. c.* 2. nam vterque est bonus.

Dividitur etiam finis in vltimum, & non vltimum. Non vltimus est, qui in vna serie tantùm esse potest vltimus, tamen habet alios vlteriores, vt sanitas in ordine ciborum, vel medicinarum. Vltimus est, qui ad alium è natura sua non est ordinabilis, vt Deus. Ita D. Bonauent. *in primo loco cit.* & Arriaga *num.* 6. De hoc agendum erit. Sumpta est hæc diuisio ex Aristot. 1. *Eth. c.* 1. & D. Aug. 11. *de Trin. c.* 6. & omnes Scholastici arrident.

QVÆSTIO III.

Vtrum Finis *sit vera causa realis.*

Philosophi, ac Theologi ferè omnes consentiunt in affirmatione, post Aristotelem 10
2. *Phys. cap.* 3. & 2. *Metaph. cap.* 3. Platonem *in Phædone*, Socratem apud eundem. Ita D. Bonau. *in* 2. *dist.* 38. & alij Theologi *ibi*; cæteri verò cum D. Thom. *p.* 2. *quæst.* 1. *art.* 1. & *quæst.* 18. *art.* 6. Caiet. *ad priorem locum D. Thom.* Nazar. Bañes, Zumel. *ibi*, Tolet. 2. *Phys. quæst. vlt.* Colleg. *ibi*, *c.* 7. *q.* 2. *art.* 1. Perer. *lib.* 8. *cap.* 2. 3. & 4. Suar. *disp.* 23. *sect.* 1. *Metaph.* Ruuius 2. *Phys. tract.* 5. *q.* 1. Piccl. 2. *Phys. Digress. de causis*, *de fine.* Farnesius *lib.* 2. *cap.* 5. P. Galitius *lib.* 2. *tract.* 5. *q.* 1. Caspens. *d.* 1. *sect.* 3.

Assero, finem esse veram causam realem.

Probatur ab omnibus. Id, quod est, propter quod agens, non temerè operatur, sed ritè, & 11
rectè suum effectum dirigit; & sine quo agens non ageret, nec effectum consequeretur determinatè, est causa realis. Talis est finis: ergo. Maior probatur: nam si agens, seu efficiens est causa realis: ergo etiam id, quod efficienti dat executionem operis, & effectus, propter quod agit. Nam particula (*Propter*) dicit causalitatem. Minor probatur è definitione finis: *Est id, cuius gratia cætera fiunt*, ex Aristotele passim. In hoc includitur, vt *ametur propter se.* Quare non rectè Suarez *disp.* 23. *sect.* 2. *Metaph.* hoc exprimi petit. Mox verò deducam quid respondeas opponenti. Finis non est principium: ergo nec est causa. Est enim principium in intentione agentis, quæ est causalitas finis. Neque rectè Hurtad. *disp.* 8. *Phys. sect.* 1. negat, finem esse causam, quasi non influat in effectum; influit enim faciendo, vt agens faciat.

QVÆSTIO IV.

Quidnam constituat causam Finalem actu.

De constitutiuo finis in causalitate, seu in actu primo, vel in potentia proxima ad mouen- 12
dum agens, egi 1. *part. tract.* 10. *disp.* 9. *quæst.* 12. vbi probaui, rationem obiectiuam, per quam finis est causa in actu primo, esse appetibilitatem solius boni, & non mali, vel indifferentis. Quod si aliquando feratur in malum, vt malum, erit defectio; non effectio, vt colligit Galitius *lib.* 2. *Phys. tract.* 5. *quæst.* 2. è D. Bonauent. *in* 2. *d.* 7. *p.* 1. *art.* 2. *q.* 2. & 3. *p. in libris de anima*: nondum excusis. Adde Petrum Iuuet. 2. *Phys. cap.* 6. post alios. Iam agendum de actuali causalitate finis, in quo posita sit, ac constituta.

Celebris opinio est, causalitatem finis consi- 13
stere in præmouenda voluntate, non Physicè aliquid voluntati imprimendo; sed solùm exhibendo illi suam bonitatem, atque eam alliciendo quodam-

modo

modo ad amorem ſui, atque proſecutionem, quæ attractio metaphorica dici conſueuit. Ita Conimbricenſes 2.*Phyſ.c.7.q.21.* & alij, quos refert Suar. *ſect.1. n.5.* ac reiicit. Videtur Petri Iuuet.2.*Phyſ.c.6.* Poncij *d.10.Phyſ.n.35.*

Secvnda eſt, finem cauſare imprimendo aliquid,ſaltem intentionale,in voluntate,& in hac impreſſione voluntatis actionem præcedente conſiſtere finalizationem. Videtur D.Thom.*p.2.q.1.art.1.*

14 Tertia opinio eſt,cauſalitatem finis eſſe amorem,& deſiderium, quod imprimit, vt cognitus in operantem,& dicitur tractio.Ita Suar.*d.22.Metaph. ſect.4.*è D.Thom.*q.22.de volunt.art.2.*& *1.cont.Gent. c.75.*Scotus *cit.*à Fauentino *Theor.56.c.2.§.Septimo Scotus,*& *Theor.89.§.Primò poſſet.* Citantur Ocham *in 2.q.3.art.2.* Gabr. *in 2.d.1.q.5.art.1.* & *d.38. q.1. art.1.*Alenſ.*1.p.q.17.memb.3. in corpore*, ſed arbitror eſſe pro quarta ſententia.

Qvarta ſententia eſt, cauſalitatem finis, non eſſe aliquid præcedens ipſam actionem voluntatis, nec aliquid conſequens actionem, ſed eſſe ipſam actionem. Ita D.Th. *p.2.q.1.art.1.* & *q.5.de potentia,art.1.* & *q.22. de verit. art.2.* poſt Auicennam 6. *Metaph.tract.5.c.5.* Albert.Magn.5.*Metaph. tract.1. cap.3.* Alenſ. *1.p.q.17. memb.3.* ſequuntur Heruæus *quodl.2.q.1.*& *q.8.*Soncinas 5.*Metaph. q.2.* Ocham *in 2.q.3.art.2.* Ruuius 2. *Phyſ. tract.5. q.3.* Tanner. *d.1.q.1.dub.1.n.12.* Caſpenſ. *ſect.3.* Maſtr. *q.8.art.3. diſp.7.de anima.*

15 Qvinta opinio eſt,cauſalitatem finis conſiſtere in productione Phyſica amoris,& deſiderij, orta è bonitate ipſius finis concepta,& intentionaliter attrahente ad ſui amorem; & in actione ipſa Phyſica mediorum productiua, orta à voluntate amante finem, & volente media. Ita Arriaga *tom.2.1.p.d.46. ſect.3.ſubſect.1.*

Pater Galitins *lib.2.Phyſ.tract.5.q.2.n.5.* aſſerit.Rationem finis *cuius gratia*, formaliter in eo eſſe conſtitutam,vt ſit bonum conueniens, ſufficiens,& quietans,quod àb agente prætenditur,& ſub ea ratione,vt tale bonum in operatione deſideratur. Itaque videtur eſſe cum tertia opinione. Poſtmodum *q.3.* dicit, hanc motionem finis excitantis deſiderium, ſeu vt deſideratur, eſſe metaphoricam è conſenſu vniuerſali,excepto Octauio Farneſio *in Aſſertionibus ad Paulum V.lib.2.c.5.*vbi negat,eſſe motionem metaphoricam;ſed cauſalitatem finis in eo eſſe poſitam, quòd finis, tanquam immediatum actionis obiectum, terminet, ac ſpecificet ipſam actionem, quatenus huiuſmodi actio tendit in finem vt ſuum obiectum.

16 Advertit verò, motionem veram finis, non eſſe motionem analogicè dictam, ideóque dici metaphoricam; verè enim finis mouet,vt cauſa realis Phyſica; ſed vocari metaphoricam,quia non eſt ratio materialis,ſed potiùs ad ſimilitudinem motionis materialis, non cuiuſcumque, ſed tractionis. Addit verò, finem eatenus mouere, quatenus agens ſeipſum mouet propter finem conſequendum; & operatur propter bonum concupitum, quod bonum illius eſt cauſa operationis.Hanc ergo cauſalitatem ſatiùs exprimi, ait, dicendo: *agens operatur propter finem*,quàm dicendo: *agens mouetur à fine.*

17 Asserit igitur primò; Id,quo finis cauſat,eſſe motionem quandam metaphoricam.Hanc aſſertionem omnibus acceptam ait, quam inſinuare dicit Ariſtot.7.*Phyſ.text.9.*D.Bonau. *in 2. d.38.*ſparſim, & aptè *dub.1.litt.d.1.p.2.* & alibi. Trigoſ. *q.8.art.6. dub.1.concl.1.* D.Thom. *1.p. q.5. art.4.* & aliis locis ſuprà adductis. Caiet. *ibi, & q.78. art.1. circa finem corp.*& *q.82.art.4.*& *p.2.q.1.art.2.*& *q.9.art.1.*Alenſ. *1.p.q.17.memb.3. in corpore*, Fonſeca 5.*Metaph. c.2.* & alios omnes.

Tenior primò exponere loca Seraphici, vt meam aperiam ſententiam. Primò igitur, loco *in 2. diſt.1.p.2.dub.1.* quærit,quo pacto vera ſit propoſitio D.Auguſt. lib.1.de doctrina Chriſt.c.32.tom.3. *Quia bonus eſt Deus, ſumus: & in quantum ſumus, boni ſumus.*

Respondet, cauſam noſtri eſſe abſque dubio agnoſcendam Potentiam,Sapientiam,& Bonitatem; attamen quia cauſa in actu eſt,ex concurſu efficientis cum fine,quia finis mouet efficientem in his inferioribus. Et quoniam voluntas dicit id, quo efficiens iungitur fini in habentibus intellectum; hinc eſt, quòd voluntas eſt cauſa immediata. Quoniam ergo bonum dicit rationem duplicis cauſæ, ſcilicet efficientis,& finis, hinc eſt, quòd bonum eſt ratio, quare voluntas eſt in actu; & ita eſt potiſſima ratio productionis effectuum: Et ideò eſſe noſtrum attribuitur bonitati per modum rationis in cauſando. Vnde prima conſequentia includit hanc: Quia bonus eſt Deus,vult ſe diffundere,vult creaturam producere, & ita, quia ipſe bonus eſt, nos ſumus,& in quantum ſumus, boni ſumus,vt ait D.Aug.ſuprà. 18

Hic non video verbum pro motione metaphorica. Sola enim ea verbula: *Et ideò eſſe noſtrum attribuitur bonitati per modum rationis*; videretur aliquid ſonare, attamen ex condictis vult, ſecundùm rationem, ſignificare duplicem cauſam, quæ ſæpè dicitur ratio faciendi, vt patet. 19

Diſtinctione verò 38.ſecundi,ſolùm *in vltima quæſt. art.1.*inuenio,eum argumentari vnicum finem vltimum,eſſe Deum intentum,& mouentem, ex perfectione amoris mouentis; & perfectione appetibilitatis quietantis, quæ eſt cauſalitas in actu primo,vt dixi *initio quæſtionis.* E contrà verò ex imperfectione amoris mouentis; & boni appetibilis, arguit plures fines malæ voluntatis. Videtur ergo S.Doctor tertiam ſententiam ſequi.

Assero primò, finem non exercere actu ſuam cauſalitatem, exhibendo ſuam bonitatem, & ſic trahendo. 20

Probatvr ab Arriaga *ſect.3. initio*, & Suar. *à n.6.* Cauſa realis, noua actu, habet effectum realem nouum actu; ſed in illo priori,quo finis offert ſuam bonitatem,non habet effectum realem:ergo. Maior patet. Minor probatur. Tum quia poteſt voluntas illi tractioni reſiſtere, & ideò non agere. Tunc ſic: Actio finis eſt cum actione agentis coniuncta; ſed in illo priori(eſto tantùm naturæ)efficiens non agit: ergo. Tum quia impreſſio illa, ſi quæ eſſet admiſſa à ſecunda ſententia, adhuc perfectè non coniungit actu efficiens cum fine ad agendum; ſed ſolùm exhibet ſuam appetibilitatem,& cauſat in actu primo. Hoc eſt argumentum S.Doct.2.*d.38.q.2.lt.in reſolut.*

Probatvr ſecundò contra ſecundam quoque ſententiam. Si finis imprimit aliquid reale nouum (quod oſtendi neceſſarium ad conſtituendam cauſam nouam in actu,) vel hoc imprimit finis in voluntate,vel in ſeipſo: & ſanè prima ſententia nil reale nouum ponit,ſed tantùm eſſe cognitum,quod eſt denominatio extrinſeca, & potentiã obiectiuam ſui, quæ poteſt eſſe tempore præcedens omnem actum voluntatis, vt contingit, quando voluntas non reſpondet,amando eam bonitatem; vel ſuſpendit actum; tunc enim ſequitur, dari cauſam actu ſine effectu. Contra ſecundam verò ſententiam ſic arguo. Id, quod imprimitur voluntati, vel eſt impreſſum à fine, vel à ſeipſa,neutrum eſt verum: 21

ergo. Minor probatur. Talis impressio debet fieri per aliquam actionem, cùm id, quod imprimitur, sit aliquid reale nouum: sed voluntas nullam habuit actionem nouam, cùm talis impressio ponatur prior naturâ omni actu eius: ergo non potest voluntas sibi illud impressisse. Neque est impressum à fine, quia finis non agit; sed est id, propter quod agitur, consideratus in ratione finis: ergo. Ex quo sequitur, sumptam præmotionem illam, non esse causalitatem finis.

22 Assero secundò, nudam actionem non esse causalitatem finis.

Probatur primò ab Arriaga *sect.* 3. Si nuda actio esset causalitas finis, esset determinata ad eum consequendum, sed potest sæpè illa met actio, v.g. ambulatio facta, esse non ob sanitatem, vel alium finem, sed inconsideratè: ergo. Hoc argumentum eruitur è D. Bonau. *loco cit.* vbi arguit, actionem non productam, ex amore, & causalitate finis non manare: etenim amorem requirit necessariò, vt patet, cùm sit primum mouens.

23 Probatur secundò, quia id, quod habet rationem primæ causæ mouentis, debet esse mouens antè alias causas à se motas, sed finis est prima causa mouens efficientes ad opus: ergo habet suam causalitatem antè causalitatem efficientium. Sed efficientium causalitas est actio: ergo causalitas finis est ante actionem.

Respondet Ruuius *n.* 32. prius naturâ actionem procedere à fine, cuius gratia fit, quàm ab agente; vera enim est hæc propositio. Quia finis mouet voluntatem efficientis; efficiens agit. Hoc enim est priùs naturâ esse, vt aliud à se pendeat.

Contrà tamen primò, quia actio formaliter finis est, vt agens agat propter eum, vel ex eius amore, per te. Sed in illo priori naturæ efficiens non agit, per te: ergo hæc non est causalitas finis.

24 Deinde, si nuda actio accipiatur, non est euidenter determinata ad hunc finem, sed potest esse absque præstitutione illius, vel etiam vllius finis.

Assero tertiò, causalitatem finis esse productionem amoris Physicam, efficacem, seu vltimò disponentem, & educentem ab efficiente actionem. Hæc est D. Bonau. sententia, quam sequitur nouissimè Arriaga *loco citato*.

25 Probatur ab Arriaga, ratione S. Doct. *loc. cit.* Illa est causalitas finis, quæ dat fini suum proprium effectum immediatè infallibiliter; sed amor efficax dat fini suum effectum; vt scilicet, agens, agat propter se: ergo.

Obicit sibi Arriaga *subsect.* 2. Idem amor potest esse finis, etiamsi præcesserit alia cognitio diuersa de bonitate finis: at tunc non manet eadem causalitas finis; nam mutatâ cognitione, debet mutari etiam causalitas: ergo causalitas finis non est ipse amor, vel productio illius amoris.

26 Respondet, negando minorem. Nam cognitio est mera applicatio causæ; non verò causa, vnde non necessariò mutatur causalitas præcisè, mutatâ cognitione; actio enim non pendet ab hac numero conditione, sed ab hac numero causa. Vnde potest esse eadem numero calefactio, siue ignis applicetur stupæ, per hanc numero vbicationem, siue per aliam; non verò erit eadem numero calefactio, si ignis mutetur.

27 Ego responderem, negando maiorem; nam cùm finis sit *cuius gratia*, & causet amore sui efficaci, qui sequitur cognitionem; ad cognitionem diuersam sequetur amor diuersus, quamvis enim possit voluntas cognito hoc obiecto, puta pomo optimæ conditionis, illud non amare ob aliam rationem; tamen si ex alio capite diuerso tendat ad prosecutionem illius, alio amore tendet, quia aliunde alio modo voluntas ab intellectu directa, & edocta est, & ita ad diuersam cognitionem, sequetur alius amor. Ita cogitur concedere Arriaga *num.* 14. Addit verò contra Hurtadum, esto è cognitione diuersa oriatur diuersus amor; ex cognitione tamen distincta solo numero, posse eundem numero amorem oriri. Hoc tamen non video, quomodò sit verum. Nam sicut se habet simpliciter diuersum specie, ad simpliciter specie diuersum; sic se habet hoc numero ad illud numero. Sed ad cognitionem specie diuersam per te, sequitur amor diuersus: ergo, &c. & diuersus numero, ad cognitionem numero distinctam. Nec est assignare disparitatem, cùm vtrobique cognitio sit conditio intrinseca, vt dicam *q.* 6. non autem sicut se habent conditiones extrinsecæ actioni, v. g. *hoc vbi* ad ignificationem. 28

Obicies cum prima sententia. Finis operatur sua bonitate; at non operatur efficienter, sed suam bonitatem exhibens trahit, & excitat, vnde voluntas amat finem, & eius amore operatur. 29

Respondetur in illa excitatione constitui finem in actu primo solùm, non in secundo, ob rationes allatas.

Obicies primò cum Ruuio ex Aristot. 1. *de Gener. c.* 7. vbi causalitatem finis explicat per actualem operationem agentis.

Respondetur, vere actionem agentis, vt ab amore finis productam, complere causalitatem eius. 30

Obicies secundò. Actio finis debet esse aliquid reale nouum, sed non potest esse aliquid subsequens actionem, vt patet; quia iam finis operatus est, neque aliquid præcedens actionem, quia nondum est factum aliquid amore finis: ergo est ipsa actio.

Respondetur, consistere in aliquo priori naturâ ipsâ actione; nam tunc efficiens amat finem, & incipit agere amore finis.

QVÆSTIO V.

Vtrum Finis *moueat Voluntatem secundùm esse reale, vel secundùm esse cognitum.*

Qvia finis, vt experimento patet, mouere potest, etiamsi non sit, dummodo possit esse, vel saltem, vt talis apprehendatur. Quæro, an moueat voluntatem, ratione suæ bonitatis; an ratione apprehensionis. 31

Prima opinio est, finem mouere sub ratione formali cogniti. Ita Auicenna *lib.* 6. *Met. cap.* 5. Capreol. *in* 2. *d.* 25. *q.* 1. *art.* 3. *ad argumentum Gregorij*, Soncinas 5. *Met. quæst.* 3. Medina *prima secunda*, *q.* 1. *art.* 1.

Secvnda sententia est dicentium, finem existentem, vel possibilem mouere sua reali bonitate; at verò quando non potest esse, tunc mouere, ratione apprehensionis. Ita aliqui Moderni.

Tertia est, finem semper mouere bonitate reali existente, vel possibili, vel apprehensâ vt possibili; apprehensionem verò esse meram conditionem. Ita D. Thom. 1. *contra gent. c.* 75. & 1. *p. q.* 89. *art.* 1. *ad* 1. Scot. *in* 2. *d.* 25. *q.* 1. Gabr. *in* 2. *d.* 2. *q.* 5. *art.* 1. *notab.* 5. Caiet. *p.* 2. *q.* 1. *art.* 1. & 1. *p. q.* 1. *art.* 4. Ferrar. 1. *cont. gent. c.* 44. Iauell. 5. *Metaph. q.* 15. Sotus 2. *Phys. q.* 3. Tolet. *q.* 14. Perer. *l.* 8. *q.* 4. Fonseca 5. *Metaph. c.* 2. *q.* 11. Conimbr. 2. *Phys. c.* 7. *q.* 23. Suar. *d.* 23. *Metaph. sect.* 8. 32

sect.8. Ruuius 2.*Phys. tract.*5. *q.*5. Galitius 2.*Phys. tract.*5. *q.*4. Arriaga *ibi in Phys.* & *tom.*2. 1.*p. d.*46. *sect.*2.Zanard.5.*Metaph.c.*2. Adducuntur etiam Hurta l.*d.*13.*de anima,sect.*6.Vasq.*p.*2.*d.*2. *cap.*2. *ad primam quæst. S. Thom.* Vtinensis *tract.*1. *quæst.*1. *art* 4. *sect.*2. *de Deo vno,& Trino.* Caspensis *d.*1.*n.*55. Petrus Iuuer.2.*Phys.c.*6. Mastr.*d.*7.*Phys.q.*8.*art.*4. Fauent.*q.*7.*diff.*7.Morisan. *in Eth.d.*7. *dub.*4. Iribar.*de Act.Hum.d.*10.*sect.*4.Auersa *q.*13.*sect.*6.cum D.Bonau.2.*d.*38. *q.penult.* cùm quo assero,finem exercere suam causalitatem realiter vt suprà.

33 . PROBATVR ab Arriaga *loco cit.* Ruuio *n.* 42.& post 43.& aliis è D.Bonau. *argum.* 3. *& ad* 2. Illud habet rationem formalem finis, quod intenditur ab agente, & propter quod agens operatur. Sed agens non operatur ob cognitionem, vel intentionem rei consequendam, sed propter realitatem, quæ dicitur intenta: ergo. Maior probatur, quia id, quod imponit necessitatem mediorum, eorumque electionem, indicat intentionem in finem, & rationem formalem eius. Sed hoc ipsum, quod est intentum, imponit necessitatem: ergo id, quod est intentum, habet rationem finis. Minor probatur, quia agens operatur propter id consequendum, quod non habet, siue sit iam factum, siue faciendum sit; sed apprehensio iam supponitur haberi, sic enim Medicus, & ægrotus habent cognitionem sanitatis, & tamen operantur, vt sanitatem consequantur. Ridiculum est autem dicere, eos operari ob apprehensionem sanitatis.

34 OBIICIES primò, id, quod magis est necessarium ad finalizandum, habet potiùs rationem finis, quàm id, quod non est adeò necessarium: sed cognitio est simpliciter necessaria, vt voluntas moueatur; at bonitas realis non est necessaria, vt patet, nam etiam in res non existentes, imò impossibiles fertur, dummodò apprehendantur possibiles (hoc enim est necessarium ad voluntatem efficacem, licèt etiam in rem cognitam impossibilem valeamus inclinari simplici complacentia.) Ergo &c. Confirmatur, nam res impossibilis nullum aliud esse habet, vel potest habere,quàm in apprehensione.

35 RESPONDET diffusè Ruuius *à num.* 44. finem agere in voluntatem, non adeò materiali modo, sicut efficientes causæ in suos effectus; sed agere prout repræsentatur agenti; & hoc modo est primum in intentione, ac proinde exigit cognitionem tanquam conditionem necessariam (loquendo de propria intentione;) esse verò reale, ait, esse id, ad quod mouetur agens, verbi gratia, ad sanitatem non existentem acquirendam; & quia intentio rei simpliciter non mouet, sed res intenta (quæ aliquando tamen dicitur intentio,) ideo intentio in prosecutione dirigit agens, & illud coniungit cum fine reali, & esse vltimum dicitur in executione. Quod si finis realis non sit possibilis, attamen experimentum luce clarius demonstrat, agens in illum ferri secundùm esse reale obiectiuum, & in ipsam realitatem obiecti tendere (esto decipiatur in apprehendendo, seu iudicando possibile.) Quis enim non videt, ægrotum inscium desperatæ suæ ægritudinis sumere pharmaca, cæteraque media,

36 ob sanitatem realem? Decipimur autem, quia apprehendimus voluntatem agentem, more aliorum efficientium materialium; cùm sit agens intentionali modo mota à fine, qui & mouet eam ad desiderium, amorem, electionem mediorum, vsum eorum, & prosecutionem; & per intentionem, ac realem prosecutionem coniungit eam agentem cum fine, in qua coniunctione terminatur operatio; & hæc quidem terminatio in amplexu, seu consecutione finis realis,non est de essentia, vt patet; quia in prosequendo fine impossibili, operationes reales transactæ sunt, amore finis; ipse verò finis non est adeptus, sed fine suo frustratus est agens. At verò bonitas realis intentionalis, seu realis obiectiua, necessaria est, vt agens agat; neque vnquam ob cognitionem aget, esto ea tanquam conditione indigeat; nunquam enim voluntas appetit aliquid, nisi præcognoscatur à ratione,& non appetit finem,nisi præcurratur à ratione, quæ illum finem ostendat: neque tamen intellectus dat rei impossibili totam realitatem, quam habere potest, sed ei dat modum essendi intentionalem requisitum, tanquam conditionem; quia finis non potest mouere voluntatem, nisi habeat esse intentionale; quantumlibet sit possibilis; imò & actu existens. Hæc doctrina eruitur è Seraphico Doctore *dist.*38. maximè *quæst. penultima.*

QVÆSTIO VI.

An esse cognitum sit conditio necessaria, vt FINIS *causet.*

NATVRALITER quidem necesse esse, vt finis cognoscatur, ad hoc,vt moueat: vidimus cum D.Bonau. *loc.cit.q.*5. & est sententia SS. Aug. 10. *de Trin. cap.*1. *&* 2. vbi ait: *Prorsus incognitum amare nullus potest.* Gregorij *lib.*5. *Moral.cap.*23. & *lib.*23. *cap.*1. Bernardi *l.*12.*de interiori domo,c.*18.*&* 19. & *l.de gratia,& lib.arb.* Anselmi *in Monol. c.*48. Idem sentiunt Scholastici omnes cum Seraphico *in* 2. *dist.*38. & cum D. Thom. 1.*p. q.*82. *art.* 4. & *p.* 2. *q.*3.*art.*4.*ad* 4.& *q.*9.*art.*1. 37

PROBATVR à D.Bonau. *in* 2.*dist.*38.*q.penult.argumentis secundo loco.* Quia voluntas est potentia cæca; ideò eget ratione, veluti oculo dirigente,& lumine intellectus ostendente, & quia est appetitus rationalis; ideò nunquam appetit, nisi ratio ipsa, vel effectus rationis eam præcurrat, quæ finem illum ostendat. Hac ratione vtuntur Moderni apud Ruuium *lib.*2.*Phys.tract.*5.*q.*4. 38

Video, inanimata sine propria cognitione tendere in finem:sed hæc aguntur potiùs, quàm agant; sensibilia verò prærequirunt cognitionem sensitiuam, sic Leo insidias, aranea telas intexit; vt ait D.Bonau.*dist.*38.*& serm.*2.*de D.Ambrosio.*

GEMINA iam oritur difficultas. Altera: An Deo supernè mouente, voluntas nulla præuia intellectione,vel cognitione amet finem, aut alia. Altera: An saltem Diuinâ potentiâ id fieri queat. 39

QVOAD priorem censuêre nonnulli, aliquando id fieri. Adducuntur communiter Vercellensis *in c.*1.*S.Dionysij de Myst.Theol.*Gerson *Alphab.*66. *lit.* O. & *tract.de Myst.Theol.per* 12. *consid.eodem Alphab. litt.T.* vbi refert Henricum de Baliuis, Hugonem de Balma, & Seraphicum, qui ab aliis pro hac sententia allegatur præcipuè à Tannero, & Vasq. infrà allegandis. Citantur quoque Palud. *in* 4. *distinct.*49. *q.*1.*art.*2.Greg.*ibidem,* Ocham *q.*77. *art.*7. *&* 15. Ferrar. 3.*cont.gent.cap.*89.

FABER Fauentinus *in* 4.*d.* 14. *disp.*9. *n.*371. ait, malè à Vasq. intelligi Seraphicum, qui in anima, sic eleuanda,supponit aliquam cognitionem Mysteriorum fidei, & veritati adhærentiam. Hoc ait S. Doct. *opusc. de Myst.Theol.in calce,*vbi quæstionem hanc latiùs discutit. Sed culpa Vasq. hæc est. Pro- 40

ponit quæstionem : An voluntas vnquam operetur sine præuia cognitione. Et pro ea ponit statim Seraphicum *loco cit.* & *in Itinerario* (de quo dubitat cum Tannero : An sit opus D.Bonau. sed frustrà, cum à SS. Sixto V. connumeratum eudatur.) Sic autem refert , id asseri sine intellectione,& obiecti propositione contingere. Mox adducit Gregorium, idem dicentem ; supponentem verò aliquam saltem cognitionem, & hunc pro sua sententia rapit; à S.Doctore verò raptis argumentis ; spoliatum, & saucium dimittit.

41 Grandis exclamas ! Tota illa quæstione S. Bonau. declarat, hos actus supponere non modò fidem, & alias supernas cognitiones, exercitiaque in Dei amore : sed statum viæ illuminatiuæ , & præclaram perfectionem charitatis ; & talem animam sapientissimam. Et concludit, §. *Alius autem modus.* Sed postquam affectus meditando , cogitando se diù exercuit , tunc dimittitur omnis cogitatio, vel meditatio , & solùm per amoris desiderium ad vnitionem dilecti,diu,noctuque aspirans,se erigit,& ibi amoris affectus præcedit cognitionem ; nam illud, quod sentit affectus , intelligit. Vnde Spiritus sanctus tangit supremum affectiuæ apicem , & indicibiliter sine omni cogitatione, vel rationis discretione ad se trahit.

Vbique asserit , ac refricat , id fieri ab anima sapientissima , sed absque actuali cogitatione ; virtute tamen præcedentium meditationum,& cognitionum. Cùr igitur Vasquez,aliique semi-truncam, & mancam S. Bonauent. afferunt sententiam ? Cum Seraphico est S. Dionys. *locis afferendis* , & Commentator insignis Vercellensis , cuius verba refert S. Doct. §. *Item illud.* Similiter Gerson vult tantùm , id fieri nullâ præuiâ cogitatione actuali, vt ipse Vasq. fatetur *cap.*1. non autem absque vllâ omninò cognitione. Hæc autem diuersa sunt. Nam cognitio est habitualis. Acriter sanè primam sententiam defendunt aliqui Scotistæ infrà afferendi, & sanè Scoti nixi fundamentis, vt dicam.

Commvnis autem opinio fert , voluntatem non posse finem actu amare, nisi præuia actuali intellectione, quæ obiectum repræsentet. Ita Thomistæ *p.*1. *q.*9. *art.*1. vbi clamant , à D.Thoma vt certum supponi , etsi ibi solùm de modo naturali loquatur, sicuti & 1.*p.q.*82. *art.*4. Henric. *quodl.*1. *q.*15. Carthus. *in lib.S.Dion.de Myst.Theol. art.*9. & *lib.de contempl.*& *opusc.de laudibus vitæ solit.art.*36. & 37. Tanner.*d.*2. *q.*2. *dub.*2. Azor.*T.*1.*l.*1. *cap.*20. *q.*7.Valentia *d.*2.*q.*4.*p.*1.Vasq.*d.*35.Caspens.*num.*5. *d.*3.*sect.*3.Morand.*tract.*2.*q.*11.Pasqualigo *d.*13.*sect.* 1.Arriaga *d.*6. *de anima* , *sect.*6. Auersa *q.*58. *sect.*7. Hurtad *d.*14.*de anima,sect.*4.Onuphrius *tract.*2.*d.*2. *q.*3.Mastrius cum Belluto *d.*7.*de anima*,*q.*6.Mirum, cùm Scotus concedit, posse omnem formam absolutam à Solo Deo poni , & conseruari , maximè actum amoris. Ex quo deducunt *d.* 3. *de anima*, *sect.*13. cum Vulpe *tom.*1.*p.*2.*d.*14.*art.*3.*n.*12. in via sui Scoti sustinendum , posse actum voluntatis à Deo infundi, nullâ præuiâ cognitione ; atque adeò isti primam sequuntur sententiam. Videat nunc Faber : An rectè eam stultam *n.*166. proclamet.

42 Assero primò , non posse voluntatem amare finem , nulla præcedente cognitione.

Probatvr primò à S. Doct. è D. Aug. *lib.*8. *de Trin.c.*4.& *lib.*10.*c.*1. vbi docet : *Inuisa nos posse diligere ; incognita nequaquam.* Et cum sibi *cap.*1. obiecisset , posse nos desiderare scire incognita ; respondet diuersum omnino esse , nam eo casu non amantur incognita,sed amatur ipsum *scire* agnitum.

Secvndò. In Deo talem videmus connexionem cognitionis, & amoris, vt Deus ipse nequeat amare obiectum , quin supponatur cognitio, vt arguit D.Anselmus *in Monol.cap.*48. Ergo neque anima, quæ in actibus præstantissimi amoris Trinitati Sanctissimæ conformatur , vt proinde dicatur deificata. Antecedens probatur. Nam in Trinitate primò est Pater,summa, Potentissimaque fœcunditas. Deinde Filius sapientia. Tertiò Spiritus Amor, ita vt priùs origine oriatur Verbum,quod est notitia sapientia genita, quàm Amor spiretur. 43

Tertiò Ecclesia militans imitatur triumphantem in tendendo ad Deum : sed spiritus superni hos gradus seruant, vt Cherubim sapientiæ supponatur, Seraphim verò charitati : ergo. Confirmatur. Anima enim per amorem consurgens , nititur beatis spiritibus conformari : at beati priùs vident Deum , quàm diligant ineffabilem illam pulchritudinem. Ergo & in nobis præcedit cogitatio, seu cognitio. Pondera quoque dicendi modum S.Bonauent: his vltimis verbis. 44

Qvartò, gratia non destruit naturam , sed perficit. Sed in anima sic ordinantur potentiæ , vt prior sit cognitiua, quàm appetitiua. Et similis ordo appareat in actibus , quia appetitus est cæcus egens lumine ; ideo enim primò per sensus obiecta percipimus ; mox phantasiamur , atque appetitu sensitiuo concupiscimus ; deinde intellectus considerat , & voluntati proponit bonum amandum. Cùm igitur Deus actus perfectissimos adiuuet vnionis ; & cognitio non noceat , sed conferat ; sequitur, semper cognitionem præmittere.

Qvintò. Si anima consurgens in Deum amore perfectissimo nulla cognitione perlustratur. Sequitur , amorem illum cæcum esse irrationalem , & stultum. 45

Sextò. Non amat voluntas, nisi proprium obiectum, quod est bonum habens rationem finis , & sub ratione formali boni prosequitur , maximè in actibus charitatis perfectis. Ergo debet cognoscere Deum bonum , ne more brutorum tendat appetitu in bonum ; imò ne brutis,cognitione sensitiua præcedente amantibus,sit deterior, ac moueatur, veluti lapis ad centrum. Has , & alias rationes validas affert S.Bonauentura.

Assero secundò , posse voluntatem amare finem, &c. nulla immediata cognitione præuia , vel comitante. Id verò fieri supernè. 46

Probatvr à S.Doctore præclaris S. Dionysij testimoniis.

Primvm est *c.*7. *de diu. nom.* vbi ait : *Est etiam rursus diuina Dei scientia , & notitia, quæ ignoratione hauritur per coniunctionem , quæ mentem omnem superat , quando mens ipsa à rebus omnibus abducta primùm ; deinde etiam seipsam deserens cum splendidissimis radiis coniungitur, atque illinc, & ibi inuestigabili sapientiæ profundo illustratur.*

Secvndvm habetur *c.*1.*de Myst.Theol.* parum à principio : *Tu autem,Timothee charissime,pro maxima Mysteriorum spectaculorum exercitatione, qua vales, prætermitte , & sensus , & mentis actiones , eaque omnia , quæ sub sensum cadunt , & animo cernuntur, & quæ non sunt, & quæ sunt omnia, téque ad eius, qui omnem essentiam, omnemque scientiam superat,coniunctionem, & vnitatem pro virili parte clam exercita.* 47

Tertivm habetur in fine eius capitis , vbi de contemplante sic loquitur : *Tumque demum & ab iis , quæ cernuntur , & ab iis , quæ non cernuntur liberatur , & in verè Mysticam ignorationis caliginem irrepit , in qua omnia cognitionis subsidia deponit, at-* 49

que

que in eo fit, qui penitus tractari, viderique non potest totus eius, qui superat omnia, nec vllius, nec suus, nec alterius; sed ei, qui omninò incognitus est omnis cognitionis cessatione, præstantiori modo coniunctus, atque hoc ipso, quod nihil cognoscit, mentem etiam cognoscendo vincit, & superat.

49 IDEM eo capite, mysticam sapientiam dicit esse irrationabilem, stultam, & amentem, omnis mentis, & rationis, & omnis sapientiæ, & prudentiæ causam. Vocat autem amentem, &c. quia à mentali cogitatione deuiat; stultam verò apud Scholasticos Philosophos, qui approbant intelligentiam, & phantasiationem semper voluntati, vel actui eius inseruire ad amorem, &c. vt notat S. Doctor.

VASQVEZ, & Caspensis ex illis, qui hac in re à S. Doct. & D. Dionysio indocti nominantur, respondent, Areopagitam loqui de modo cognitionis, quam vocat ignorationem, seu per negationem eorum omnium, quæ nouimus, vt cùm dico: Deus non est homo; non Angelus, &c. & ad hanc scientiam hortatur. Subscribunt Tannerus, & Mastrius.

50 HI videntes, si ruminarentur verba S. Dionysij, sapere nostram sententiam; bolum deglutiunt. Obseruo primò cum D. Bonauent. Dionysium excludere omnem considerationem. Ad illam verò negatiuam exigitur actualis consideratio. Quid homo, Angelus, &c. vt ritè negentur de Deo. Benè S. Dionysius monet Timotheum. *Videas, vt nullus indoctorum ista audiat.*

Deinde profitetur S. Dionys. hanc esse supernam in via eleuationem, ad quam aspirare iubet, si Deus gratiam concedat.

PRÆTEREA hanc vocat irrationalem, quia ratione non vtitur, & ideo hortatur, vt sensus derelinquat, consurgat, Deo eleuante: at cognitio de Deo negatiua vtitur rationibus, vt Deo aliqua formaliter attribuantur è creaturis; alia solùm eminenter; prout intrinsecè dicunt, vel non dicunt imperfectionem.

51 PROBATVR secundò à S. Doct. è Psal. 33. *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus*: vbi affectum cogitationi aliquando præcedere monet. Id expertus Seraphicus cum Abbate Vercellensi probat: viri enim perfectissimi, à Deo Patre, lumine perfusi, iam praxi, habituque diuinis assueti, ne dum lumine fidei, & Dei cognitione imbuti, atque habitu charitatis intenso ardentes, Deo excitante ad actus amoris, erumpunt in aspirationes flammigeras, nulla intellectûs actuali operatione præuiâ. Sic enim ego noui aliquos expertos. Hæc verò, cùm supra naturam sint, rationes non exigunt naturales. Aliquas verò congruentias S. Doctor inducit, puta conformitatem animæ, vnitæ

52 Deo, ac ideò deiformis. Sic enim Pater gignit Verbum Sapientiam, & inde spiratur Amor, Donum, & omnium donorum ratio. Ita per hunc, qui nexus est, non incongruè in summis eleuationibus vnimur Sapientiæ, & Patri Fonti. Quòd anima viatrix imitetur triumphantes, ibi autem prima Dei communicatio fit Seraphinis per amorem, qui tamen habituali sapientia dotati sunt. Quòd, cùm vnio animæ cum Deo fiat in portione suprema, rectè fit per amorem diuinum voluntatis, quæ inter animæ potentias, tanquam, Regina, Imperat. Sic enim Deus infinitè distans per condescensionem portioni vnitur sublimiori suæ Imaginis, quam S. Dionysius vocat primò motam à Spiritu sancto immediatè; vt ait S. Bonauent. §. *sed notandum.*

NEQVE verò adeò voluntas pendet ab actuali 53
consideratione, vt virtute præcedentium meditationum igniculi accensi in voluntate non flagrent. Actualis enim consideratio est conditio mera naturalis extrinseca, quæ potest à Deo suppleri per bonitatis iam cognitæ causalitatem, inclinante habitu charitatis.

QVOAD alteram difficultatem; iam authores 54
vtrinque vidimus; atque probauimus, posse fieri absque actuali cogitatione; & hoc non solùm probant nostræ rationes, sed etiam Vasquez pluries concedit, solùm arguens, non posse, etiam per Dei potentiam, ferri voluntatem in incognitum simpliciter. Id contendunt SS. Augustinus, & Anselmus allegati. Id rationes omnes quas è D. Bonau. collegêre aduersarij, demonstrant.

DICO igitur, non posse voluntatem ferri amore in finem absolutè incognitum.

PROBATVR à Vasquez ratione D. Bonau. Actus 55
voluntatis vitales cùm sint, nequeunt infundi omninò ab extrinseco; sed debent ab intrinseco eius procedere, vt velle, & amare dicatur. Debet autem esse ipsa sui actus domina, vt modo sibi essentiali operetur. Quod si obiectum non agnouerit, neque ei à Deo repræsentetur, obsecro qua ratione erit domina amandi? imò quo pacto, cùm sit cæca, feretur in obiectum, puta Deum? sanè nihil amplius haberet dominij, vel volitionis, quam lapis in motu ad centrum; imò ad cœlum. De cætero argumenta pro primo asserto hoc etiam confirmant. Si quid verò prætendit Vasquez suis argumentis, iam soluta iacent ex ipsius confesso. Dum enim proponit quæstionē: An præcedere debeat amorem cognitio; affert Seraphicum dicentem, non necessariò præcedere actualem intellectionem. Quod si adderet, (vt verè S. Doct. asserit) eum exigere præcedentem esto remotam cognitionem, sicuti de Gregorio obseruat *c.* 1. eique subscribit, nihil inter eum, & S. Doctorem esset diffidentiæ.

OBIICIES primò cum aduersis contra secundum 56
assertum, D. August. 3. *de Trin. cap.* 1. vbi ait: *Quis diligit, quod ignorat.* & *lib.* 12. *cap.* 1. *Rem prorsus ignotam amare nemo potest.* Et D. Gregorium *homil.* 36. *in Euang.* vbi amorem rerum supernaturalium ait, esse non posse sine illarum cognitione. Vrgent. Si huiusmodi actus voluntatis esse possent sine cognitione obiecti, maximè in extasi: at extasis supernaturalis; communi PP. consensu, non contingit sine cognitione, vt docet D. August. *in Psal.* 61. loquens dé extasi D. Pauli. D. Chrysost. *homil.* 22. *in Acta*, ad ea verba cap. 10. *Cecidit super eum mentis excessus.* S. Anselmus, & Beda ad illud 2. Cor. 2. *Sine mente excedimus.* Imò Petrus, & Paulus mentionem faciunt eorum, quæ viderunt.

RESPONDET S. Doct. hæc miro modo confirmare 57
primum assertum ad litteram, nec ampliùs probare. Quòd verò in quibusdam extasibus immissis ad erudiendos Apostolos (adde & Adamum) de rebus faciendis comitetur cognitio; non probat vniuersaliter de excessibus ex charitate.

Addit S. Doctor, has vniones cum Deo haurire cognitiones eximias, sed vt effectus.

OBIICIVNT secundò. Quod est actui voluntatis intrinsecum, nequit auferri, aut suppleri. At intrinsecum est illi esse à principio intrinseco cum cognitione; sic definitur 3. *Eth. cap.* 1. ergo. Confirmatur. Ità enim se habet appetitus rationalis ad cognitionem, sicut naturalis ad formam naturalem. At huic intrinsecum est, agere per formam naturalem: ergo & illi per apprehensam.

RESPON

58 Respondetur cum D. Bonau. *locis adductis*, & *in* 2.*d*.38. *q.penult.* id probare primum assertum; Quòd autem voluntas absque actuali consideratione nequeat in Deum ferri, non probat. Idem dico de cæteris oppositis.

Sanè expertus est S. Doctor nostrum assertum, dum Seraphico affectu sursum sæpè raperetur in Deum.

Insulsè verò Caspensis infert, eos id saltem memoriâ aduertisse. Ergo priùs cognouerunt. Nam, vt ait S.Doctor, cognitio oritur vt effectus vnionis.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Finis *sit obiectum adæquatum voluntatis: an etiam media.*

D.Thom.art.1.

PRima opinio est, solùm finem esse obiectum adæquatum voluntatis, non autem media. Ita Thomistæ,& putant esse D.Thomæ,qui ad probandum, hominem agere propter finem, arguit. Vnaquæque potentia agit secundùm modum proprium sui obiecti; obiectum autem voluntatis est finis. Ex quo deducunt, media esse obiectum tantùm per accidens, vel materialiter.

59 Secvnda sententia est, media includi in obiecto voluntatis per se;esto non propter se. Ita Vasq. *d*.1. Arriaga *tom.* 2.*p*.1. *d*.46.*sect*. 4. *n*.29. qui solo modo dicendi discrepant. Ille enim dicit, media esse obiectum voluntatis minùs principale formale: hic verò vocat ea obiectum materiale, quia obiectum materiale non est solùm id,quod propriè non tangitur à se, vt est paries respectu visionis, qui non videtur per se,sed ratione coloris inhærentis;sed extenditur etiam ad id, quod re vera amatur, & cognoscitur pe se; (esto non propter se.) Vnde obiectum materiale diuidit in remotum, seu denominationis, qualis est paries respectu visionis; & proximum, quod verè in se terminat actum, non tamen propter se. Quo sensu creatura, quæ amatur propter Deum, dicitur obiectum materiale charitatis.

Attamen non video, quo pacto sub eodem genere obiecti ponat, *quod est per se*, & *quod est per accidens*; cùm opponantur non minus, quàm *propter se* opponitur ei, quod est *propter aliud*, vt notat D.Bonau.*in* 1.*dist*.1. *dub*.13. Aliquid videtur dicere,arridens Arriagæ *in* 4.*d*.23.*dub*.3. *litt.* sed non arridet.

Hæc est sententia D.Bonau. *in* 2.*d*.1. *p*.2. *art*.2. *q*.1.& *d*.38.*dub*.4.Gregor.*in* 1.*d*.1.*q*.1.*art*.2.D.Thomæ *de verit.quæst*. 22. *art*. 18. *ad* 9. & *q*.23. *art*.3. *ad* 3. Subscribit Caspensis *disp*.1 *sect*.2.

60 Assero cum hac sententia, etiam media esse obiectum voluntatis, minùs tamen principale. Ita D.Bonau. *in* 2. *dist*.1. *loco citato*.

Evidenter probatur ab Arriaga; & Vasq. *locis adductis*, è D. Bonau. *loco mox indicato*. Illud est obiectum voluntatis, quod à voluntate attingitur in se ipso. Sed media sunt huiusmodi: ergo. Minor probatur primò: quia certum est, voluntatem ferri in ea, quæ sunt vtilia, hæcque pertingi, esto ordinentur ad finem principalem; sunt enim bona.

Probatvr secundò à D.Bonau. *in* 1.*d*,1.*art*.3. *q*. 2. *in resol.* Quidquid cognitio repræsentare potest, tanquam bonum, potest ab appetitu amari; sed omne bonum etiam vtile, & delectabile potest sic repræsentari, &c. ergo, &c.

Probatvr tertiò à S.Doctore *dubio illo.* Quando vnum est propter alterum, sunt duo in ratione obiecti,& vnum in ratione ordinis finalizandi; sed media sunt propter finem: ergo sicuti finis est obiectum voluntatis; ita etiam media in ratione finalizandi, & duo obiecta voluntatis. 61

Argumenta aduersariorum solùm probant, media non esse obiectum primarium, & propter se, quippè bonitatem in se quidem habeant, sed ad aliud ordinatam. Et hoc vult D. Thom. 1.*p*. *q*.56. *art*.6.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Finis *exerceat rationem finis, non solùm respectu mediorum, sed etiam respectu sui.*

VAsqvez *disp*. 3. dicit, amorem ipsius finis, non esse effectum illius, sed hunc, respectu eius actûs,solùm se habere,vt obiectum. Idem senserunt Gabr. Gregor. Medina, & alij, quos refert Suar. *sect*.2. Fauet Valentia *q*.1. *puncto* 1.

Opposita tamen sententia, ipsum amorem ait, esse effectum finis. Ita Bonau. loco relato *q*.4. D.Thom.*hic*,Arriaga *Tom*.2. 1.*p*. *d*.46. *sect*.4.& alij recentiores. Tanner. *disp*.1.*quæst*.1.*dub*.1. 62

Assero cum hac sententia, patet è *quæst*. 4. vbi ostendi, amorem finis esse effectum eius; Qua ratione vtitur Arriaga.

Probatvr primò è finis definitione: *Finis est id, cuius gratia*: ergo propter seipsum amatur. Ergo exercet munus suæ causalitatis, quando ipse amatur gratia sui, & non solùm quando eius gratiâ amantur alia. Confirmatur: si enim finis exercet suam causalitatem,dum amantur media in ordine ad ipsum, multò magis quando ipse amatur propter se.

Respondet Vasq. appeti propter se, esse fundamentum causalitatis finis. Nam supposito quòd amatur propter se, consequenter amantur media ad illum. 63

Contrà. Nam definitio explicat essentiam rei,& causalitas actu finis, est de essentia finis: ergo ea ponitur in actu secundo, & exercito.

Probatvr secundò. Quia finis, ex eo quòd trahit voluntatem ad amorem sui, trahit etiam ad amanda media: ergo.

Respondet Vasq.concedendo, finem trahere voluntatem, quatenùs appetitur, & eam impellere ad media eligenda, sed hoc desiderium esse solùm actum primum.

Contrà. Nam per te sunt duo actus:alter,quo finis amatur propter se: alter, vt ob finem eligantur media; posito ergo primo, obtruncetur secundus, iam voluntas amabit in actu secundo finem.

Probatvr tertiò. Voluntas per intentionem, & desiderium fertur in finem per veram actionem, quam rationali modo operatur. Ergo sicut illius actionis datur vera causa efficiens; ita debet dari causa finalis,quæ munus suum erga illam exerceat. 64

Respondet Vasquez,desiderium finis esse operationem animæ rationalis, & habere causam efficientem; negat tamen habere finalem.

Contrà;quia agens ordinatum,non agit nisi propter finem:vnde insanum est dicere,non dari finem, cuiusque

cuiusque actionis ordinatæ. Hoc enim est contra Aristotelem, & omnes sapientes. Ideò sæpè D. Bonau. refricat, Deum, qui est primum agens, esse & vltimum finem,& in actionibus causam efficientem, & operationem tendere, vt fini coniungantur.

65 PROBATVR quartò. Amor Dei in patria, est amor vltimi finis: ergo ille amor est à Dei bonitate, à qua moti agunt beati, amando.

Respondet Vasquez, amorem Dei in patria, non esse circa Deum, vt finalem causam. Debilis sanè responsio. Est enim in Deum, vt bonum quietans. Nam voluntas trahitur à bono.

Respondet Vasquez, hoc dictum concedi; non tamen exercêre causalitatem finis; alioqui etiam bruta agerent propter finem.

VERVM responsio nostra hoc effugium præclusit, dum finis cognitionem necessariam probauimus. Hæc omnia è doctrina S. Bonau. eruuntur *in* 1.*d*.1. & *in* 2.*d*.1.& *d*.38. & aliis locis adductis *quæst*.4.

66 OBIICIT Vasquez; si finis exerceret suam causalitatem, quatenus ipse amatur à voluntate,& non solùm quatenus eligit media; sequeretur etiam bruta agere propter finem formaliter; nam & ipsa feruntur in bonum delectabile: ergo causalitas finis consistit solùm in excitando voluntatem ad media assumenda, eo fine, vt homo solus dicatur agere propter finem propriè.

67 RESPONDETVR; hoc saluati, quia solus homo cognoscit conuenientiam,& inconuenientiam in finè, & mediis,cum propria eorum natura; confertque media, eligit, &c. At bruta solùm materialiter bonitatem appetunt, & eam agnoscunt tantùm materialiter per speciem insensatam, vel sensatam meram,non intellectiuam,iudicando,conferendo,deducendo. Itaque feruntur in obiectum sanè formale; attamen hoc non est ipsa formaliter bonitas, sed materialiter mouens sub ratione boni materialiter; at voluntas mouetur à bono formaliter cognito sub ratione conuenientiæ formalis. Neque est absonum concedere, etiam bruta agere propter finem imperfectè, quando enim Canis, ostenso pane, accurrit; motus ille proculdubio fit propter panem,quem intuetur, in quem stomachus eius verè latrat. Aliis duabus responsionibus soluit argumentum Arriaga *disp*.46. *num*.26.

QVÆTIO IX.

An id solum,ad quod ordinantur omnia media, habeat rationem FINIS.

QVÆSTIO igitur est: An media etiam ipsa,ordinata ad vltimum finem, valeant dici finis; comparata ab alia antecedentia media, v.g. propter sanitatem volo scissionem venæ; propter hanc verò aduoco Chirurgum: An scissio venæ,comparata ad vocationem Chirurgi, sit finis.

68 PRIMA opinio est negatiua. Ita Albert. *tom*.1. *princip*.6.*p*.4. Vasq.*d*.4.*cap*.2. qui hanc quæstionem à se latè Compluti agitatam ait.

SECVNDA est Suarez sententia *d*.4. qui ait: In fine duo considerari, alterum est ratio termini, seu esse id, propter quod aliquid fit: alterum est ratio causæ finalis. Quoad primum, ait, media inter media, habere propriè rationem finis, quia verè dicitur: *Christus venit propter nos homines; & propter nostram salutem*,etiam si hîc non sit vltimus finis,sed vlterius ordinetur ad gloriam Dei. Quoad secundum verò, ait, nullum medium habere rationem finis, quia nullum medium trahit ratione sui,sed ratione finis simpliciter.

TERTIA opinio est Tanneri *d*.1.*q*.1.*dub*.1.media esse propriè finem, non tamen propriissimè, affert verò Greg.& Gabr.2.*d*.38.*q*.*vn*.*art*.1.Ægid.*q*.2.*art*.2.

VERA tamen sententia in re, abactis cauillis,est, fines intermedios habere rationem finis. Ita D.Bonauent. omnibus ferè suprà *allegatis locis*; & *in* 2. *d*.1.*p*.2.*art*.2.*q*.1. & *in* 3.*d*.1.*art*.1.*q*.2.& alibi.D.Th. *ad* 1.*Eth*.*cap*.8. vbi Aristoteles admittit fines intermedios; & 2.*Phys*.*lect*.1.& 3.quem sequuntur Thomistæ, atque Arriaga *d*.46.*tom*.2. *p*.*p*.*n*.29.vbi quæstionem de nomine esse, dicit Caspens. *d*.1. *sect*.1. *num*.14. 69

ASSERO cum hac sententia, rationem finis saluari, in fine etiam intermedio.

PROBATVR primò è D.Bonau. *in* 2.*loc*.*cit*.*arg*.1. 70 *secundo loco*: Id,quod intenditur, habet rationem finis. Sed finis etiam intermedius intenditur: ergo. Maior patet. Nam intentio est finis. Minor probatur, nam creaturæ, v.g. productæ sunt à natura instituta, quæ pro fine suo habet complementum naturæ ipsius,ad quod ordinantur motus, mutationes, &c. vt philosophi clamant; Cùm tamen ipsa natura ad Deum ordinetur, iuxta id Prou. 16. *Vniuersa propter seipsum operatus est Dominus*.

PROBATVR secundò à S. Doctore *in* 3.*loc*.*cit*. è Scripturis indicantibus, finem Incarnationis fuisse humanam redemptionem. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum Vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ioan.3. *Misit Deus filium suum, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* Galat.4. *Propter scelus populi mei percussi eum.* Isa. 53. At certum est, filium Dei necesse etiam ad gloriam suam manifestandam, quæ est vltimus finis omnium Dei operum.

Si quando autem finis dicitur ille, *cuius gratia* cætera fiunt, vt Aristoteles loquitur, de fine principaliter propriissimo id intellige.

QVÆSTIO X.

Vtrum Actus Humani specificentur à FINE.

D.Bonau.in 2.d.38.q.1
D.Thom.p.2.q.1.art.3.

PErgit S.Bonau. cum D. Th. agere: An actus humani sumant speciem à fine. Sed de hoc iterum instituit quæstionem *d*.38. *art*.4. attamen *hîc* sumit finem, prout dicit proprium obiectum voluntatis, quod est bonum; ibi verò loquitur de fine remoto, quem voluntas dat ipsi actioni, sicuti cùm aliquis occidit, vt adulteret, finis proximus, qui dicitur obiectum, est homicidium; at remotus, seu per accidens, quem ei dat voluntas, est adulterium.

SVPPONO humanum actum habere duo. Alterum est, vt sit actio, passio, vel qualitas naturalis; & dicitur in genere entis: Alterum, vt dirigatur à voluntate; & dicitur in genere moris, seu ens morale,ex Aristotele 1. *Ethica*, *cap*.3. & notat Valentia *puncto* 3. 71

ASSERENDVM, actionem humanam sumere completè suam speciem à fine.

PROBATVR primò à Valentia *arg*.1.D.Bonau.*loc*. 72 *cit*.ex illo Matth.6. *Si oculus tuus nequam fuerit: totum corpus tuum tenebrosum erit. Si autem oculus tuus fuerit*

fuerit simplex: totus corpus tuum lucidum erit. Per oculum autem, intentionem intelligunt Patres.

Probatvr secundò à SS. DD. è D. August. *lib.2. de moribus Manichæorum, cap.13. tom.1.* & 12. *de Trinit. cit.* Addit S. Bonauent. etiam authoritatem Boëtij *in Topic.* Cicer. *lib.3. cap.1.* non procul à fine, & Aristotelis.

Probatvr tertiò à D.Th. obiectum voluntatis, à qua venit bonitas moralis, de qua agitur, coincidit cum fine, & ratione sola differt; sed actus ab obiecto specificantur: ergo à fine.

73 Quamvis autem obiectum sit actu posterius, quippe quod per hunc obtineatur; tamen ex intentione Conditoris tales potentiæ conditæ sunt, vt ad tales actus; & hi, vt ad talia obiecta tendere valeant, vt dixi *1.p.tract.9.disp.1.*

Confirmo è D. Bonau. sicut ordinatur generatio naturalis ad formam naturalem in actione naturali: ita actio naturalis voluntatis ad suum obiectum, vt habet rationem finis: Sed generatio naturalis specificatur à forma, quæ producitur: ergo & actio moralis ab obiecto, seu fine, qui intenditur.

74 Laborabo semper, maximè in Moralibus, afferre rationem illam eximiam (suprà dictam) D. Thomæ, quæ cum ratione D. Bonau. est consentanea. Nec mirum, esse consonas vtriusque rationes in scriptis; quorum spiritus fuit vnus in terris: & quamvis ab incunabulis sustinendis Seraphici placitis, me duorum præsenserim; tantæ tamen apud me authoritatis semper extitit Angelicus, vt mallem potiùs in vtriusque obsequium (quantum fas erit) operam impendere; quàm Seraph in Angelum, aut Angelum in Seraph contentiosa disceptatione interpretari.

75 Nota verò, actum eundem, in genere entis, vnius speciei, posse esse plurium, in genere moris, vt notat D.Th. *art.3.* Nam in genere moris attenditur species, ex eo quod à voluntate dirigitur in obiectum, sed potest idem naturâ entitatis actus referri ad plures fines, vt si quis occidat, vt furetur, erit actus in specie homicidij, & furti, vt latè docet D.Bonau. *in 2. d.38.q.4.* Potest etiam actus diuersus in genere entis, esse vnus in genere moris, vt si quis edat carnem suillam; alter verò anserinam in die ieiunij; Sed variatio in genere moris venit à fine addititio: de quo agam *disp.14. q.6.*

QVÆSTIO XI.

Vtrum omnes actiones Humanæ sint propter vltimum Finem.

D. Bonau. d.38. q.1. & 2.
D Th. art.4.

Svppono primò, dari finem vltimum hominis, in quem, iuxta Diuinam Legem, homo tenetur se dirigere. Ita SS. DD. *hic.* Ratio est ipsa Diuina Lex, per Scripturam nobis manifestata.

76 Hvnc autem & philosophi, naturali lumine cognouerunt. Vnde Aristoteles 1. *Eth.cap.2.* Vanum fore, ait, appetitum nostrum, si in infinitum esset processus. Si enim non daretur finis vltimus, oporteret in finibus procedere in infinitum; & ita nunquam quiescere posset illius intentio, qui in finem tendit; neque consultare de eo habendo. Hinc sequitur, quòd neque ordo executionis daretur, qui est à primis ad media; & à mediis ad finem. Hæc est ratio D.Thom. latè profusa à Valentia *puncto* 4. Tannero *d.1.q.1. num.3.* Cùm ergo homo naturaliter operetur vnam rem propter aliam, oportebit inuenire vltimam, in qua quiescat. Idem docent communiter cum Aristot. 2. *Metaph. cap.2.* omnes Philosophi, & Theologi, cum D.August. 8. *de ciuit. cap.8.* & *lib.19. cap.1.* Vide Caiet. Valentiam, Bannez *ad locum cit.* D. Thom. Auersam *quæst.1. sect.1.* Pasqualigum *tom.2.* d.12. *sect.3.* Arriagam, Ouiedum, Salam, apud Morandum *p.2. tract.2. quæst.1.* Caspensem *de Act. Hum. d.1. sect.8.* cum D. Bonau. *hic,* & *in 4. d.1. dub.7.* clariùs *in 2.d.38. quæst.3.*

Svppono secundò, finem præcipuè esse illum, in quem omnia diriguntur, & cuius gratia cætera fiunt, vt habet Aristot. 2. *Phys. t.29.* & 1. *Eth. cap.7.* vbi definiens bonum, ait: *Esse id, cuius gratia cætera aguntur.* Vnde bonum vtile definit, 8. Eth. cap.2. *Esse id, per quod efficitur aliquod bonum.* Vide etiam Vasq. *disp.4.* qui tamen inde, non benè colligit, media non habere etiam rationem finis; vt dixi *quæst.9.* Hic verò finis vltimus est Deus. Probatur; quia solus potest appetitum satiare. Ergo est summum bonum, & finis vltimus. Conueniunt omnes Philosophi, ac Theologi. Vide Salam *tract.1.d.8.sect.1.num.7.* 77

Svppono tertiò, dari finem vltimum è præscriptione voluntatis. Est autem ille, quem sibi quisque ad libitum præstituit, vt lucrum è scientiis. 78

Item suppono, dari finem particularem; & sic victoria est finis militiæ; & sanitas medicinæ, *ex 1. Eth.cap.7.* Dari etiam finem vltimum, quem sibi aliquis potest præfigere in omni actione, promptus omnem alium finem postponere. Ita Aristot. 1. *Eth. cap.1. & 7.* Et quidem in omnibus actionibus necesse est, aliquem finem habere; alioqui vanus esset noster appetitus, nec desideraret, si in infinitum esset abeundum; vt ait Arist. 1. *Eth.cap.2.*

An verò necesse sit, haberi finem postremo modo vltimum singulis actionibus, asserit Caiet. *q.1.art.6.* & ideò vt peruentum fuerit ad vsum rationis, debere, ait, vnumquemque deliberare de vltimo fine, quo semel præfixo, etiam si nihil aliud cogitetur in reliquis actionibus, omnes tamen in illum ordinati ex vi primæ volitionis, nisi posteà expressè eam retractet.

Hanc doctrinam impugnat Vasq. *d.6.cap.1.* Arriaga *d.46. sect.5. subsect.2.* Suarez *d. 3. sect.6.* & alij.

Assero primò cum dicentibus, non omnes actiones esse propter vltimum finem, neque illam à Caietano positam etiam propter vltimum esse. 79

Probatvr à multis allatis Doctoribus, ratione D. Bonau. *d.41.q.3. in corpore, & ad vlt.* Vt aliqua opera sequentia in finem referri dicantur vltimum, anteà volitum, debet talis voluntas aliquo modo necti cum sequentibus operibus; alioqui si ipsa voluntas est interrupta omnino, nullo modo ad ipsa opera pertinebit, aliter nullum verbum esset otiosum; si semel præcessit voluntas referendi omnia in Deum.

Probatvr secundò à D.Bonau. *q.4.* Vt opus ex priori voluntate referatur in finem ipsius voluntatis, voluntas ipsa finis pertinere debet ad tale opus, vt circumstantia eius. Non potest autem tali ratione pertinere, nisi aliquo modo sit causa illius operis, vel proximè; vel remotè; manet autem proximè tantùm, cùm actu est; remotè verò, cùm adest aliqua alia volitio, in virtute primæ manens, vt, cùm 80

volo

volo ire Romam, & hac voluntate quæro equum, & ex voluntate ducendi equum, voco famulum; tunc enim, cùm quæro equum, vel famulum, manet remotè voluntas eundi Romam. Ita Vasquez, sed vestigiis D. Bonau. sistens quoad virtualitatem intentionis.

81 Probatvr tertiò à D. Bonau. *in* 4. *d.*49. *q.*2. *arg.*2. *secundo loco*, ratione, qua vtuntur Vasquez *loco cit.* Arriaga *num.*41. si aliquando constitutus esset hic finis, sequeretur, mortaliter peccantem ordinare culpam illam in Deum; sed hoc est absurdissimum: ergo. Maior probatur. Nam quando aliquis furatur, v. g. vel fornicatur, non statim ponit in his vltimum finem; nec tunc cogitat de alio vltimo fine, ad quem ordinet illum actum malum: ergo ordinabitur in Deum e priori voluntate. Minor probatur: Nam peccatum mortale est, spreto bono incommutabili, rebus commutabilibus adhærere.

Svarez *disp.* 3. *sect.*6. hoc dat Caietano, vt mortaliter peccans operetur propter Deum, non quasi benè operetur; sed, vel quia omnis operatio creata ametur à Deo secundùm suam entitatem, & ideò homo se Deo conformet in ea ponderanda; Vel quia cùm illa actio pendeat à Deo, vult, Deum existere: Vel quia, eâ actione, homo appetit aliquam bonitatem, sicut Deus amat suam, quæ est infinita.

82 Hæc tamen doctrina cauillos petit; sed liquidò patet falsa, seu non roborans Caietanum.

Gabriel & Vasquez vbi suprà volunt, eatenus omnes actiones nostras ordinari ad vltimum finem, qui est beatitudo, quatenus homo omnia appetit sub ratione boni; & ideò aliquam saltem partialem beatitudinem. Quam doctrinam, quòd omnia homo appetat sub ratione boni, laudat Arriaga *num.*44. Verum verò dicendus sit, hac ratione appetere beatitudinem ait, esse quæstionem de nomine; & tandem eam approbat.

83 Assero ergo secundò, necesse esse, vt quando homo primò operatur, intendat propriè aliquem finem vltimum, quem ad alia non dirigat, & dicitur finis vltimus negatiuè, vel implicitè, & interpretatiuè.

84 Probatvr: quia non est abeundum in infinitum in medijs: ergo actio est ad aliquem vltimum finem dirigenda, qui negatiuè sit vltimus, id est non ordinatus ad alium vlteriorem. Quòd verò non semper intendat vltimum finem positiuè; patet; quia non semper homo illum præcognoscit; vt aduertit etiam Morandus: hac distinctione omnis oppositio euertitur.

Assero tertiò, neque eatenus dici posse appeti vltimum finem, id est beatitudinem, quia appetitur aliqua bonitas.

85 Probatvr ad hominem, contra Arriagam. Si id posset admitti; eodem modo posset dici, peccans mortaliter ordinare omnia ad Deum: quia, ille actus aliquam participationem habet Diuinæ bonitatis; est enim eadem ratio, vt patet; sed illud non admittit, dum *num.*44. agit contra doctrinam Suarez: Ergo neque *n.*47. hoc ritè admittit. Ratio eius est optima; quia, quòd ego, dum pecco, velim aliquod bonum, per quod sim fœlix; sicuti alius est fœlix per alia bona, non facit vllo modo, vel etiam impropriè, me operari propter illum alium.

Assero quartò cum D. Bonau. *in* 4. *d.*49. *quæst.*2 Eatenus dicitur voluntas operari ob vltimum finem, quatenus lumine naturali illuminata appetit bonum in genere satians; attamen appetitu elicito

potest decepta ferri in hoc, vel illud bonum imperfectum.

Explicat S. Doctor. Duo sunt, quæ excitant appetitum, nempe conuenientia, & indigentia. Quoniam igitur anima creata est Dei imago, summique ideò boni capax, & in se est deficiens, ideò appetit quidem naturâ suâ beatitatem, sed nequit per se eam consequi.

Est autem duplex appetitus, sicuti duplex est instinctus ad bonum; scilicet generalis, & specialis. Dictamen boni in generali venit à cognitione, seu lumine naturali, & quoad hoc non erratur in intentione beatitatis. Sed dictamen speciale circa tale obiectum beatitatis ostenditur à ratione, deliberante sæpe vsurpatiuè, & occurrit non rarò errari. Sic igitur & appetitus generalis circa beatitatem est rectus; at tendentia in hoc, vel illud existimatum bonum vltimum beans, sæpe est deuia. Appetit auarus beatitatem in vniuersum, quia scit, esse bonum quietans, &c. at voluntas seducta videns sibi oblatum aurum tendit in diuitias, sperans in eis quietem sufficientem. Inde autem arguit sufficiens esse bonum, quia diuitiis sibi copiosis prouidit; sed de hoc agetur *disp.*2. *quæst.*1. 86

Probatvr à D. Bonau. 1. ex Boëtio 3. de consol. prosa 2. *Inserta est mentibus hominum boni vera cupiditas.* Secundò & *ex Arist.* 1. *Eth.* omnia bonum exoptant, non quodcumque, quia datetur processus in infinitum: ergo bonum sufficiens; sed hoc solùm est beatitudo: ergo. 87

Tertio è D. Aug. *lib.*3. *de lib. arb.* vbi ait: *Sic esse beati volumus, vt miseri esse nolimus, nec velle possimus.* Ergo appetimus beatitudinem, sed non deliberatè; alioqui possemus velle oppositum: ergo naturaliter.

Probatvr ratione. Vnumquodque perfectibile naturaliter appetit suam perfectionem. Sed anima humana nata est perfici beatitudine: ergo.

Quòd verò beatitudo non sit vltimus finis voluntatis cuiusque deliberatæ.

Probatvr primò à D. Bonau. *Inuisa*, è D. August. de Trin. lib. 10. cap. 1. *Possumus diligere, incognita nequaquam*, sed multi ignorant beatitudinem veram: ergo. 88

Probatvr secundò. Alioqui nullus vnquam peccaret. Quis enim dicet, iustum, peccantem venialiter, ordinare illud peccatum ad beatitudinem, vel in eo ponere vltimum finem? Ille sanè iustus amat verum finem vltimum, qui est beatitudo. Similiter homo, maximè si doctus sit, peccans mortaliter, certè non vult peccatum, quasi beatitudinem; peccatum enim est, *spreto incommutabili bono, rebus commutabilibus adhærere.* Si dicas, quòd spernit appetitu deliberato, sed appetit naturali. Contrà arguit S. Bonau. quia, quod naturale est, non assuescit in contrarium: ergo nunquam per assuefactionem spernere potest.

Probatvr tertiò à S. Doct. Beatitudo, vel appetitur propter se, vel propter aliud. Si secundum: ergo non appetitur, vt beatitudo; quia illud facit beatum, in quo finis constituitur; sed multi vtuntur fruendis, & fruuntur vtendis: ergo multi sunt, qui beatitudinem non appetunt propter se.

Probatvr quartò à D. Bonau. Si appetitur, aut in ratione boni honesti, aut commodi. Si secundum: ergo cùm appetitus boni commodi sit in animalibus, erit in eis appetitus beatitudinis. Si primum; cùm appetitus honesti non sit in malis: ergo non appetitur à malis. 89

Hinc igitur deducit S. Doctor peccatorem non operari propter vltimum finem, nempe Deum; tametsi

tametsi operetur propter beatitudinem vniuersaliter prætensam, sed deceptus circa particulare obiectum. Ita communiter Theologi. Vasquez *disp.6. cap.3.* Valentia *part.2.quæst.1.puncto 5.* Pasqualigo *tom.1. d. 12. sect.5.* Arriaga *de beatitudine, disput. 49. sect.6. à numero 43.* Ouiedo *part. 2.controu.1. part 2. à numero 14.* Tannerus, Hurtadus apud hos; imò etiam D.Thom. *pr. secundæ, quæst.1. art.2. ad 1.* Morandus *tract.1. quæst.3.* contra Salam *tract.1. d. 8. sect.5. n. 61.* Suarez, *p. secunda, d.3. sect.6. num 5.* Medinam *hic*, *art.6.* & alios è Thomistis, qui dicunt, peccantem, quoad materiale, seu physicum, tendere in Deum.

91 PROBATVR primò, ratione secunda D.Bonauent. *ad oppositum, addito responso*, qua vtuntur cæteri apud Morandum. Homo peccando auertitur à Deo: ergo non operatur propter Deum. Antecedens est omnium, nec aliud resonant Sacræ Paginæ, quàm, peccatum esse auersionem à bono incommutabili.

Consequens probatur: Implicat enim idem operando tendere in Deum, & auerti à Deo. Vide etiam Tannerum *disp.1.q.1. dub.1.* subscribentem.

92 DICES, auerti ratione formalis malitiæ; sed tendere adhuc in Deum. Contrà arguit Morand. *q. 3.* & alij argumento D. Bonauent. suprà, quo vsus est Vasquez. Non potest aliquid esse implicitè intentum, nisi quatenus est adnexum cum aliquo, quod sit intentum explicitè. Hoc autem non euenit in peccato, cuius malitia est contra Deum.

VRGET secundò Morand. *arg. vltimo D.Bonauent. d. 49. loco citato.* Quia eatenus peccans vult illud ens physicum, quatenus habet adnexam delectationem, seu commodum. Ergo non potest esse intentum ob alium finem, quàm ob delectationem &c. Sed delectatio in peccato non est propter Deum: ergò.

Confirmatur: nam materiale peccati dicit ordinem ad malitiam, prout causatur à peccante, licèt, prout est etiam à Deo, non ordinetur ad culpam.

93 Confirmatur secundò, argumento suprà facto S.Doctoris, quo vtitur Morandus, Hiquæus ad Scotum *in 4.d.49. q.1. n.120.* Nam quis dicet: homo Mœchatur propter Deum?

ASSERO vltimò, etiam extra peccatum, non semper hominem operari propter Deum. Ità D. Bonauent. *loco citato.* D.Thom. *ar. 7.* Pasqualigo *sect.4.n.33.* Caspens. *sect.10.* Morandus *quæst.3.* Probatur ratione S.Doctoris *locis adductis*, quia multi ignorant, beatitudinem esse in Deo tantùm; non appetitur autem, quod ignoratur.

QVÆSTIO XII.

Quis sit vltimus FINIS, *ex quo Voluntas est bona.*

D. Bonau. in 2.d.38. q.1.
D Thom.q.19.

NOTANDVM primò, Hominem à Deo necessariò ordinari ad vltimum finem. Ità Suarez *p. secunda sect.1.* & *d.24. Met. sect.1.* post D. Bonauent. *in 2.d.1. art.2. q.1.*

94 PROBATVR à D.Bonauent. ex illo Prou. 16. *Vniuersa propter seipsum operatus est Dominus.* Neque benè reclamat Arriaga *ad q.19.1.p. disp. de Volunt. Dei*, & *tom.1. d.46. sect.6. subsec.1.* ità intelligi locum illum; eatenus dici propter se Deum creasse omnia, quia ipse est causa efficiens omnium. Tunc Sic. Idem necessariò est primum efficiens, & finis vltimus. Sed Deus per te necessariò est primum efficiens: ergo. Hoc est argumentum D.Bonauent. *in 2.d.1. q.1. argumentis primo loco.* Deinde ipse confitetur, τὸ, *propter*, significare, Deum esse primum efficientem: ergo vel abutitur illa particula, quæ non adhibetur vnquam ad efficientem causam formaliter exprimendam, vel mecum necessariò deducit, Deum *his* continuei necessariò esse primum efficiens, quia omnia propter se creauit, vt finem vltimum; vt cum D. August. *lib.1. de d. Ct. Christ. c.11.* colloquatur: *Quia Deus bonus est, nos sumus*; vt habet D.Bonauent. *in 2.dist.1. dub.1. litt.*

PROBATVR deinde à Suarez arg. D.Bonau. *in 2.d.1. art.2. q.1, arg.2.* Id est agentis perfectissimi finis, quod est maximum, ac perfectissimum illius bonum: Sed Deo hoc est eius bonitas: ergo. 95

RESPONDET Arriaga *loco citato*, posse quidem hunc esse finem perfectissimi agentis; at non tenere illum habere.

Contrà; nam, vt arguit D. Bonauent. Maxima perfectio agentis petit operari ob nobilissimum finem, qui dicitur finis essentialiter, quatenus est is, ad quem & propter quem omnia.

RESPONDET Arriaga, negando, maximam perfectionem agentis liberi esse determinatam, & ad perfectissimum finem. Sicut ergo non determinatur, vt efficiens ad producenda meliora, ac proinde ad meliora obiecta. Ità neque determinatur, vt finis. 96

Contrà, nam ratio efficientis Dei satis exprimitur in productione independenti, & ordinatio creaturarum imperfecta eam probat, at ratio finis est talis, vt sit id, cuius gratia essentialiter cætera sint: ergo deordinata erit operatio agentis perfectissimi, si finem essentialiorem contemnat. Ita S. Bonauent.

NOTANDVM secundò, duplicem finem vltimum assignari posse. Alter est finis *Quo*; alter finis *in Quo*. Finis, *Quo* quiescitur, est id, quo voluntas quiescit in summo bono; & quoniam quies in summo bono alia est imperfecta in via; alia perfecta in patria. Ideò finis *Quo* dicitur id, quo anima quiescit, ac satura completur respectiuè. 97

Hanc verò, ait Magister, esse charitatem, sicut enim non quiescit graue in centro, nisi grauitate, sic nec cor in summo bono, nisi dilectione, quæ est pondus animæ iuxta illud D. Aug. *Pondus meum amor meus*; charitas enim respicit summum bonum sub ratione boni, bonum autem sub ratione boni est finis; & ideò rectè intentio finis *Quo* adscribitur charitati. Finis autem *in Quo*, est summum bonum, id est Deus, nemine renuente.

ASSERO, finem, quo voluntas bona fit, esse charitatem. Ita Valentia ad hunc articulum. D. Thom. Arriaga *d.46. sub numero 48.* post D.Bonauent. *hic.* 98

PROBATVR à D. Bonauent. ex Deuter. 6. Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, ex tota anima tua, &c.* vbi Apostolus 1. *Timoth.1.* & *ad Rom. 14.* infert: *Plenitudo ergo legis est dilectio.*

PROBATVR secundò à S. Doct. è Sanctis Patribus, præcipuè D. August. *in Enchir. cap. 121.* & *lib. de doct. Christ.* & aliis locis adductis à Magistro *in 2. d.38.* quem S. Doct. allegat.

PROBATVR

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. Ille est finis vltimus, *Quo*, voluntatis, quo assequitur, & comprehendit summum bonum. Talis est charitas, vt omnes Scripturæ clamant: ergò. Ob hæc, dicit Arriaga, id esse de fide.

99 PROBATVR quartò. Sic se habet voluntas in opere morali, sicut natura in opere naturali; sed natura maximè intendit formam perfectissimam, & vltimum complementum compositi: ergo & voluntas intendit formam perfectissimam, & complementum suum; sed hoc habet per formam perfectissimam charitatis: ergo. Minor probatur: Quia per hanc comprehendimus Deum, in quo est summa fœlicitas, quæ est vltimus finis, vt docet Aristoteles *primo Eth. c.2. & 7.*

ASSERO secundò, finem vltimum, *in Quo*, esse Deum.

100 PROBATVR à D. Bonauent. primò, ex 10. ad Rom. *Finis legis Charitas.* Idem habet D. Bernardus *lib. de diligendo Deo*, & omnes Sancti Patres.

PROBATVR secundò. Ille est finis vltimus, in quo est complementum appetitus, quo solo fruitur voluntas. Talis est Deus: ergo.

Hinc reor Ecclesiam, versiculo hymni (*Te Deum*) dicendo *Æterna fac cum sanctis tuis*, addere (*in*) cùm olim tantùm diceret, *gloria munerari.*

QVÆSTIO XIII.

An possit quis intendere simul duos vltimos FINES.

D. Bonau. d. 38. q. 3. & 4.
D. Th. art. 5.

101 NON quæro: An possit quis intendere duos fines vltimos, non simpliciter; sed in aliquo genere, quorum alterum non ordinet ad alterum, & dicuntur vltimi negatiuè. Certum est enim posse plures intendi, siue per diuersa media, vt, cùm plures mercaturas, vel scientias, alteram ob lucrum: alteram ob declarationem intendo; siue per vnicum medium; vt cum deambulatione intendo sanitatem, & contemplationem.

QVÆSTIO est igitur: An possit aliquis, plures sibi fines vltimos perfectos, optimosque constituere, satiantes completissimè. Quem finem definit Aristoteles primo Eth. cap. 7. *Perfectum igitur quoddam, & sufficiens est Fœlicitas, cum sit verum agendarum omnium finis &c.* Et D. Augustinus 8. de ciuit. cap. 7. *Quæ agimus, & quod non propter aliud; sed propter seipsum appetentes, idque adipiscentes, nihil, quo beati simus, vlterius requirentes.* Et quidem, non repugnare, audet Arriaga *disp. 46. sect. 6. n. 58.* esse probabile.

102 COMMVNIS sententia est, non posse voluntatem duos fines vltimos, modo dicto, intendere. Ità SS. Doct. *hic*, quos sequuntur Caietanus, Conradus, Medina, & alij Thomistæ *ad art. 5. D. Thom.* Vasquez *disp. 5. cap. 3.* Suarez, *hic, disp. 3. sect. 3.* Valentia *disput. 1. quæst. 1. punct. 6.* Arriaga *tract. de Beatitudine, disput. 46. sect. 6. numer. 55.* Caspens. *disp. 1. sect. 9.* Pasqual. *disput. 12. sect. 6.* Tanner. *disput. 1. quæst. 1. dub. 6.* Granado, Lorca, & alij, quos sequitur Ouied. *tract. 2. controu. 1. part. 3.* & Morand. *tract. 1. de fine vltim. quæst. 4.*

ASSERO ergo, non posse duos fines vltimos optimos appeti. 103

PROBATVR à D. Bonauent. *quæst. 3. in corpore*, argumento, quo cæteri nituntur. Quia implicat, aliquod obiectum adæquare appetitum, & tamen dari locum etiam alij obiecto, ad beandum, iuxta id Isaiæ 28. *Angustum est stratum, ità vt alter decidat: & pallium breue vtrumque operire non potest.* Itaque intenderet vnum, vt finem vltimum adæquatum beantem completè, & tamen ab hoc non compleretur; sed alium intenderet.

DICES primò, dato errore intellectus, quod A, & B, sint ambo fines simpliciter vltimi, ambo intensiuè æquales, vt in eis sit ratio completiuè Saturans; tamen extensiuè sunt plures.

Respondetur si obiectum habet rationem finis vltimi simpliciter, non potest appetitus, quin ita omnino adæquari, & compleri, vt non exeat extrà. Sic enim dum satiamur in Deo beante, non potest etiam extensiuè appetitus compleri in creaturâ. 104

DICES secundò. Peccans, finem vltimum ponit in creatura. Igitur peccans duplici obiecto, puta gulæ, & luxuriæ, habebit vltimos fines geminos, escam, & libidinem.

RESPONDETVR, illa duo obiecta esse vltima è præstituto voluntatis, non autem simpliciter vltima completè beantia. Deinde dico, illa duo obiecta constituere vnum finem, idest commodum, vt indicat S. Bonauent. *in 4. dist. 49. p. 1. quæst. 2. arg. vltimo.*

ASSERO secundò, non posse voluntatem rectam duos vltimos fines beantes appetere. 105

PROBATVR à D. Bonauent. *quæst. 3.* primò. Voluntas recta appetit ad regulam diuinæ legis: sed diuina Lex statuit. *Diliges Dominum Deum tuum super omnia.* Deut. 6. ergo. Confirmatur à S. Doct. è Glossa *ad 1. Philip.*

PROBATVR deinde à S. Doct. Appetitus rectus sequitur ordinem naturæ; sed naturaliter, sicuti est vnum principium, ità vnicus est finis, in quo sistitur: ergo. Confirmatur à S. Doct. quia cordi diuiso minatur Deus, tanquam prauo, interitum, Oseæ 10. *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.*

PRO argumentorum solutione, aduertit S. Bonauent. *in corpore*, tripliciter posse aliquem plures sibi fines præstituere. Primò, vt vnus ad alium comparatus, habeat rationem medij. Secundò, vt vnus sit principalis; alius minùs principalis, non ordinatus tamen ad principalem. Tertiò, vt singuli sint adæquati vltimi principales. Dat exemplum. Quando aliquis vadit ad residentiam Canonicatûs, potest concurrere, vt distributiones percipiat; hunc tamen honori Dei subordinat, & hic est possibilis, ac bonus. Secundò, vt eat ad laudandum Deum principaliter; minùs verò principaliter, ob distributiones capescendas, quem tamen non dirigit ad Dei honorem; & hæc est imperfectio, non tamen mortalis; sed qualis describitur à D. August. lib. 10. Confess. cap. 29. *Minus te amat, qui aliquod tecum amat, quod non propter te amat.* Tertiò verò potest esse, vt ponat finem vltimum in illa pecunia, & simul velit honorem Dei; Et hoc est impium, nec potest esse, vt Deum cum 106

pecunia, super omnia, vt tenetur, amet. His distinctionibus omnia soluit argumenta. Quæ vide apud ipsum.

107 Assero tertiò, neque prauam voluntatem posse simul appetere plures fines optimos, seu vltimos.

Probatur à D. Bonauent. *q.* 4. præcipuè quia opposita ratione se habet praua voluntas, à recta voluntate, quæ in vno optimo quiescit; praua verò auertitur ab vnico fine optimo, & distrahitur circa plura bona creata, quæ, quoniam imperfecta, nequeunt complete beare; vnde in pluribus quidem finibus imperfectis quiescit; nullus verò eorum est completus.

108 Nota verò è D.Bonauent. *in* 3. *&* 4. *argumento*, ipsum arguere de mala voluntate, omninò auersâ à charitate, & à Deo; & conuersâ ad plures creaturas, in quibus ponat vltimos fines. Tametsi non inueniat in singulis sufficientiam satietatis, vt ritè aduertit idem S. D. *argument.* 2. atque ob id nequeant dici fines plures vltimi; nam de ratione finis vltimi est, satiare completissimè appetitum. Idem aduertit *in corpore.* Sicut enim ex perfectione amoris cuius est vnire; & ex perfectione obiecti appetibilis, cuius est totum affectum rapere, bonæ voluntati vnificatur finis; ità è regione ex cupiditatum phrenesi, quarum est dissipare, & ex imperfectione appetibilis obiecti, cuius est relinquere appetitum famelicum, plurificantur malæ voluntatis fines vltimi, *verbi gratia*, præstituit sibi superbiam in pompis, & voluptates in sensu.

Respondet Caietanus, hunc esse vnicum finem, quia vtraque ordinantur ad ipsum volentem.

109 Vasquez *ad art. D.Thom.* (cui arridet Arriaga) dicit, hanc esse solutionem nouitiorum: quia non loquimur de fine, *Cui*, sed de fine, *Cuius gratia.* Hæc modestè est responsio Seraphici *in corp.* quòd, licèt sibi vni constituantur illi fines, tamen sunt plures, nec vnificantur ratione subiecti; sed potiùs ratione cupiditatum diuersarum dispersi manent: ergo quia de finibus, *Quorum gratia*, est sermo, ab his numeranda est pluralitas finium.

Melius igitur cum S. Bonauent. *argument.* 2. *& in corpore*, quem sequitur Gregorius de Valentia, hic, hos esse plures fines inadæquatos (S.Doct. dicit insufficientes) ideò vno habito, alium quærit, verbi gratia, obtentâ gloriâ mundi, inhiat voluptatibus, quod si essent fines adæquati, vno

110 adepto, ab aliis quiesceret.

Non longè abest Vasquez dicens, eos esse plures fines negatiuè appetendo plura, non gratia vnius; nec vnum gratia alterius. Quando autem D. Thom. negat posse sibi aliquem præstituere simul plures vltimos fines; loquitur de fine perfectè satiante, id est beatitudine. Idem sentit D.Bonau. sunt enim vtriusque eadem argumenta. In hoc enim insistunt. Finis, qui vltimò intenditur, debet esse completiuus appetitus tendentis in eum: ergo vnicus.

Sicut status est in primo principio, ità etiam in vltimo fine; sed primum principium perfectissimum, est vnum: ergo & finis. Vltimus finis adæquat appetitum, eique superordinatur; sed nemo potest duobus dominis seruire: ergo. Vide SS. Doctores.

QVÆSTIO XIV.

An & quomodo mortaliter peccans, vltimum FINEM *in creatura ponat.*

{D.B.q.4.citata.

Fuit opinio Adriani Papæ, *quodlib.* 70. peccantem non semper sibi vltimum finem constituere in ea creatura, ob quam peccat; sed adhuc posse magis amare Deum, quàm illam creaturam.

Eandem sententiam sequitur Morand. *tract.* 1. *de vltim. fine*, *quæst.*4. Arriaga *tract. de Beat. d.* 46. *sect.* 6. *num.*46. Salas *d.*8. *sect.*3. *num.* 39. Vasquez *disp.*5.*cap.*1.

Opposita verò sententia videtur D. Bonauent. *primo,dist.*1. *art.*1. *quæst.*2 *&* 3. & *in* 2. *dist.* 38. *quæst.*4. & alibi, quem sequuntur D. Thom. *p.*2. *q.* 88. *art.*1. *ad* 4. & *q.*7. *de malo*, *art.*1. *ad* 3. *&* 5.*locis cit.* & cæteri Theologi. Scotus 1.*d.*1.*q.*5. vbi Lichet, Durand. & alij, ex antiquis locis D. Bonauent. citatis. Medina *hic*,*art.*5. Suarez 1. *secunda*,*tract.*5.*d.*2.*sect.*1. Valentia,*d.*1.*q.*1.*p.*6. Ouied. *tract.*1. *controu.* 1. *part.* 4. Pasqualig. *d.* 26. *sect.*4. Auersa, & alij apud adductos, & apud Tanner. *d.*1.*q.*1. *dub.*5. *à numero* 51. 111

Mastrius *d.*6. *q.*6. *art.*1. *n.*157. mentem Seraphici exponit, peccatorem virtualiter, & interpretatiuè ponere suum finem in creatura, quatenus pluris facit pro tunc bonum creatum, quàm Deum; attamen non adhuc constituere vltimum finem in creatura explicitè, quia adhuc amat eam, vt finitam, qui enim furatur, non ordinat se, & omnia sua ad furtum illud.

Sed D. Bonauent. verè in hoc distinguit mortale à veniali, quòd mortale constituit sibi in creatura vltimum finem, quem dicendi modum sequuntur Montesin, *d.*15.*q.*3. Amicus *d.*23.*sect.*2. & alij allegantes S. Doct. 2. *d.* 42. *art.* 2. *q.*1. *&* 2. & idem sentit D. Thom. vt notant Ouiedo, & Mastrius. 112

Non tamen vult S.Bonauent. peccatum veniale nullo modo esse offensam Dei, & in hoc distingui à mortali. Ideò S. Doct. alio termino explicat hanc differentiam, quòd veniale non est contemptus Dei, & offensa grauis, destruens Diuinam amicitiam; attamen est secundùm quid offensa, contra aliquod bonum vtile ad beatitudinem; vt notat argutè Mastrius.

Assero cum hac sententia, peccantem mortaliter Constituere sibi finem vltimum in creaturâ.

Probatur primò à D. Bonauent. *in* 2. *d.* 42. *art.*3. *q.*2. ex illis Scripturis, quæ redarguunt peccatorem, vt auersum ab vltimo fine Deo, & conuersum ad alium oppositum; vt Hier.2. *Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas &c.* 113

Secundo ex illis locis, in quibus exprobratur peccator, vt auersus à Deo; & suadetur, vt conuertatur ad eum. Hæc loca innuit S.Doctor *in* 2.*d.*28. *art.*2.*q.*1.*ad arg.* & *in* 4. *d.*17. *part.*1. *art.*2. *q.*3. *in corpore.*

Innumeri sunt PP. hoc sentientes, vt videre est in Pharetra D. Bonauent. *lib.*3. Vide Valentiam, & Tannerum. Confirmatur *ex loco ad Ephes.* vbi auaritiam 114

ritiam vocat idolorum seruitutem; & Philip. 3. *Quorum Deus venter est.* Idolum autem dicit eum, qui colitur vt Deus, & vltimus finis, vt notat Seraphicus *in 2. d.37. q.3. ad 1.* & *in 2.d.37.dub.1.*

PROBATVR tertiò à S.D. *in primo, d.1. quæst.3. arg.4.* è D.Aug. 10. *de Trin. c.10. & l. 83. qq. q.30.* vbi ait: *Omnem humanam peruersitatem, quæ & vitium vocatur, esse, fruendis vti velle, & frui vtendis.* Sed frui est quiescere, tanquam in vltimo fine: ergo.

115 RESPONDET Adrianus, D.Augustinum loqui de fruitione non propriâ.

Contra. Quia tunc falsò diceret, esse peruersum. Loquitur ergo de fruitione, vt dicit finem vltimum, vt notat S.Bonau. *ibi,* & *in 2.d.38.q.2.arg.3. secundo loco.*

Respondent Morand. & Salas, id solùm dici, peccatorem non referre in Deum, vt vltimum finem, concupitum bonum, quod quia habet cum Deo oppositionem, ideò aliquo modo sortitur rationem vltimi finis, dum à peccatore ponitur loco vltimi finis veri. Et sic respondent alij SS.PP. quasi velint tantùm, peccatorem se subtrahere ab vltimo fine per alium finem oppositum concupitum.

At si ponit finem suum oppositum Deo, quo non est alius finis vlterior, vel vltimo æqualis: ergo ponit in creatura finem vltimum.

116 PROBATVR quartò à D. Bonauent. *ibi q. 4.* & *in 4.d. 49. q. 2. arg.2. secundo loco,* & alibi passim; quia peccator negligens amicitiam Dei auertitur à bono summo vltimo, & conuertitur ad bonum creatum, nec ampliùs habet Deum pro vltimo fine; sed concupitum tantùm appetit: ergo vt finem vltimum; siue eum posteà ad se dirigat, siuè super omnia diligat, & indicat S. Doct. *in fine quæst. 4. d.38.* & post ipsum Scotus *in primo, d. 1.q.5.§. Ex his,* & Caiet. *hic. ar.6.* peccatorem non ipsam peccati materiam habere pro vltimo fine adæquato, sed potiùs seipsum: Ad se namque refert materias peccatorum, quæ proinde non sunt vltimus finis, nisi inadæquatè, & partialiter, seu insufficienter; vt cum S.Bonau. loquar.

117 Respondet Morand. satis esse, si habeat finem vltimum aliquo modo. Vel dicitur, in casu nostro adesse vltimum finem beatitudinis in communi, quæ semper intenditur ab homine in quouis opere; quo Laudetur Deus; sed hæc beatitudo inquiritur, in opere: ergo ibi ponitur finis vltimus.

OBIICIES primò. Potest quis ex Dei zelo peccare mortaliter, vel ex ignorantia, vel ex spe veniæ; vel cogitando etiam aliquando pœnitentiam agere. Sed hic non anteponit creaturam Deo: ergo.

Respondetur, in illis quoque casibus ponere pro tunc vltimum finem in creatura: nam auertitur voluntariè à Deo; & ad creaturam conuertitur.

OBIICIES secundò. Potest aliquis peccare mortaliter propter proximum, nec tamen illum amare plusquam Deum. Antecedens probatur ab Adriano; In casu, quo quis peccaret ob amicum, & tamen ne digitum quidem exponeret discrimini propter eum; & ideò sequitur, posse aliquem peccare propter creaturam, & tamen minùs illam amare, quàm Deum, & seipsum.

118 Respondetur negando Consequens: Est enim discrimen, quod in peccato includitur quidam contemptus Dei, & auersio ab ipso; non tamen contemptus ipsiusmet peccantis, sed potiùs amor. Quare fieri potest, vt, dum quis peccat propter amicum, magis seipsum diligat, quàm amicum; non potest verò fieri, vt quis, dum peccat, magis amet Deum appretiatiuè, quàm creaturam illam,

cuius gratia peccat, vt aduertit etiam Ouiedus, cum Valentia.

Instat Morandus, de ratione finis vltimi est, vt super omnia ametur.

Respondetur, satis super omnia amari, dum præfertur Deo bono infinito.

OBIICIES tertiò. Potest Filius incurrere grauem indignationem parentis propter seruum, & magis tamen amare patrem.

Respondetur, quòd ille Pater non amaretur à filio plus, quoad omnia sicuti nos amare Deum tenemur. 119

OBIICIES quartò. Faciamus, hominem paratum, ad libidinem cum muliere explendam, soluere decem aureos, non viginti; & tamen eos viginti daret amore Dei. Tunc diligit intensiùs Deum, quàm viginti aureos, quos pluris facit, quàm mulierculam.

Respondetur, illum teneri diligere Deum super omnia; hic autem secundùm aliqua tantùm præfert Deum, & in alio postponit.

OBIICIES quintò. Potest aliquis peccare ob aliquam creaturam, & tamen aliam intensiùs amare.

Respondetur primò, semper illam anteponi Deo, quod sufficit, vt in aliqua saltem creatura vltimus finis ponatur. 120

QVÆRES: An peccans venialiter, sibi alienum finem creatum præstituat.

RESPONDETVR negatiuè, licèt enim actu non referat illum actum in Deum; refert tamen habitu: non quasi actus ille venialiter malus, puta mendacium, sit referibilis in finem vltimum; sed quia ille actus stare potest cum habitu charitatis; & peccans, adhuc Deum super omnia æstimat, & diligit, atque ad beatitudinem aspirat; quæ si perderetur illo peccato, numquam ab ipso patraretur. Vide Caiet. *p. secunda, q.24. ar.10.* apud Vasquez *d.5.* Ità tenet, & ferè explicat Arriaga *d.46. sec.6. subsec.1.*

DISPVTATIO II.

De Beatitudine.

AGENTES de fine hominis, finem vltimum attigimus, qui est Beatitudo; de quâ, ea perquiremus, quæ è *disput. 11. 1. part. Tract. Primi,* supersunt.

QVÆSTIO I.

An possit naturaliter demonstrari, posse hominem BEATITVDINEM *consequi.*

D.Bonau. in 4.d. 49. q.2.
D. Th. q.5. art.1.

NOTANDVM primò, non quæri hic: An Visio, & Charitas consummata, in quibus beatitudo vera posita est, & constituta, valeant naturali ratione demonstrari; hoc enim perfectissimè non potest absque lumine fidei, esto rationibus aliquibus probabilibus ostendi queat, vt dixi *1.p.tract.1. disp.11.q.1.* contra Scotum *in 4.dist.49.* asserentem, quem secutus est Vasquez *part.2.disp.21.*

2 Nota secundò, nos *hic* agere de beatitudine perfecta in genere, abstrahendo, à quo obiecto pendeat, quam non accipio pro aggregato omnium bonorum, sicuti deffinitur ex Boetio, à D. Bonau. *in 2.d.4.quæst.1. arg.1. secundo loco.* Sic enim neque antiqui sapientes eam accepêre; alioqui non adeò disceptassent, sustinentes aliqui illam in diuitiis; alij in voluptate constitui, qui propterea non agnoscebant eam in perfectissima operatione; nam alij in pluribus operationibus; alij in carentia doloris; alij in voluptate ipsam reponebant. In quo errat Suarez *p.2. d.4. sect.1.* licèt enim consequenter beatitudo in perfectissima operatione inueniatur; attamen expressum nomen beatitudinis solùm signat bonum illud, quod perfectè hominem satiat, & reddit quietum; vt notat S.Doct. *in 2.d.38 q.2. & 3.* & post eum Arriaga *tom.1.p.p.d.4.sect.1.*

3 Prima opinio est, non dari beatitudinem naturalem. Ita Vasq.*p.2.d.21. cap.2.* ideò infert, illam non posse demonstrari. Idem habet *p.p.d.216.*

Secunda sententia est, dari beatitudinem naturalem. Ita D.Bonau. *hic.* D.Thom. *p.p. quæst.62. art.1.* & *hic*, vbi Thomistæ; Scotus, Durand. 4. *d.49.* Suar. *hic*, *d.4.sect.* 3. & *d.15. sect.1.* Salas *tract.2.d.1.sect.1.*& *d.2.sect.9.* & *d.13.sect.1.* Auersa *quæst.1.sect.4.* Ouied. Medina, aliique, quibus subscribit Morandus *tract.1. de Beatitudine, quæst.6.* Idem censent omnes allegati *tract.1. disp.11.quæst.1.* dicentes, posse demonstrari beatitudinem solùm in genere. Arriaga verò *d.41.* & nonnulli alij non concedunt: sed negant firmè probari posse.

Assero, posse firmiter probari naturalem beatitudinem.

4 Probatur primò à D.Bonau. Id,quod cordibus omnium vnico consensu ad Beatitudinem tendentium, insitum est; sanè id certum est. Sed omnium gentium consensu nobis insitus est appetitus beatitudinis, ex Boëtio *l.3. de consol. prosa 2.* ergo. Hoc argumento nititur Suar. Confirmatur è D.August. *l.4. cont. Iulianum. Neque omnes homines naturali instinctu immortales, & beati esse vellemus, nisi esse possemus.* Certum est enim, appetitum naturalem non esse frustrà: ergo potest impleri. Hoc argumento vtitur etiam Vasquez.

Hinc ruit Arriagæ responsio *num.7.* homines quidem apprehendere beatitudinem aliquam; illam autem possibilem esse non inferri ex ratione; potest enim voluntas appetere id, quod est impossibile, dummodo vt possibile apprehendatur: proponi autem potest possibile ex aliquo errore. Et sanè, exceptis fidelibus, innumeri eam inter bona naturalia collocarunt, ita vt ne cogitauerint de visione Dei: & in hoc errarunt. Omnes enim, excipe lumine fidei imbutos, beatitudinem in Dei visione ignorarunt; *incognita verò diligere nullus potest*, è D.Aug. *de Trin.l.10.cap.1.& 2.*

5 Hoc argumentum iam vidit, soluitque S.Bonau *ad 1.* quòd sicut duplex est instinctus ad bonum in generali, & in speciali; sic & duplex appetitus, seu dictamen boni; in generali venit à cognitione naturali, & quantùm ad hoc, non est error; sed dictamen in speciali huius, vel illius, non est omnino à natura, sed per assumptionem factam à ratione deliberantem, & circa hoc est error. Omnes ergo habent appetitum verum beatitudinis in generali, & habent cognitionem in generali. Omnes enim credunt, quòd beatitudo sit bonum, quod sufficit, & hoc omnes appetunt. In speciali verò, quando dicit. Hoc sufficit ad satiandum, puta honor, voluptas, &c. errat. Dat exemplum eius, qui vult emere aurum, & credit, hoc frustum auricalchi esse aurum. Si ab illo quæras in genere, quid velit emere; respondebit: Volo emere aurum? si quæras, quod frustum vult emere? Respondebit hoc, indicato auricalcho, quod putat aurum. Similiter, si ab auaro quæras: vtrum appetat beatitudinem veram? respondet: maximè. Si quæras quid velit? vtrum Paradisum, vel denarium? Respondet, denarium, quia in eo credit sufficientiam haberi: Si quæras quomodo cognouit in generali? dico,quòd ipsi innata est illa cognitio. Si quæras per quid? Dico,quòd sufficientiam cognouit per indigentiam. Si opponas, quòd priuatio non est via cognoscendi habitum. Respondetur, quòd datur indigentia omnino priuans, & quædam disponens, & inclinans; & hæc est ratio cognoscendi: Vnde si materia necessariò haberet potentiam cognoscendi, cognosceret vtique formam, ad quam inclinatur; sic anima suam sufficientiam cognoscit per indigentiam.

Posset etiam dici, quòd cognitio beatitudinis, & 6
multarum rerum naturalium; vt, puta numeri, naturaliter nobis innata est: Et, si anima dicatur creata, vt tabula rasa; hoc intelligitur tantùm quoad species, quas acquirit per sensus.

Vel dic: Quomodo cognoscit quis charitatem, quam non habet? vt ait S. Bonau. *in 1.d.17.art.1. quæst.3.* Ita & hic. Neque potest is appetitus dici deliberatus: alioqui possim oppositam appetere miseriam; contra D. August. *l.3. de lib. arb.* vt arguit D.Bonau. *argumento tertio.*

Probatur secundò à S.Bonau. *in 1.d.1. art.3. q.1.* 7
in corpore, & *quæst. seq. argumentis primo loco*, ratione, qua vtitur Suarez *loco cit.* & Arriaga *num.9.* vbi eam sufficientem acclamat. Necessariò debet dari aliquis finis vltimus hominis, quo fruendum sit, ad quem operationes hominis, & omnia bona ordinentur; sed ille est beatitudo: ergo possibilis est. Confirmatur. Si enim ille finis est vltimus: ergo obiectum fruitionis satians; quandoquidem nil reliquum manet appetendum: nec potest natura esse inquieta, quando nullius rei ampliùs habet indigentiam, & cùm habet ea, quæ satiant, nec vltrà potest extendi; eam erit beatus. Per hoc soluitur quoddam argumentum Arriagæ.

Dices. Si in habendo vltimo fine sita est beatitudo, sequitur etiam bruta esse beata.

Respondet Suar. è Scoto, beatitudinem esse consecutionem, non cuiuslibet vltimi finis,sed optimi, id est Dei, quod bruta non assequuntur.

Hæc tamen responsio, destruit argumentum 8
ipsum Suarez: Si enim beatitudo præcisè dicit assecutionem optimi finis Dei; iam non poterit demonstrari naturaliter possibilis beatitudo, quæ solùm demonstratur, vt dicit vltimum finem in genere.

Respondetur primò è D.Bonau. *in 2. d.38. art.2. quæst.1.* beatitudinem esse bonum cognitum,& perfectè intentum, sicuti ipsum est bonum perfectum; à brutis autem non intenditur propriè.

Respondetur secundò è D.Bonau.*in 2.d.4.quæst.1. argumentis secundo loco*, & *in corpore*, & *d.19. q.2.* beatitudinem requirere immortalitatem in beato; at brutorum animæ mortales sunt. Addit,quòd homo, sicut solus est capax miseriæ pœnalis, ita prœmij beatitudinis. Ita respondet etiam Arriaga *num.12.*

Probatur tertiò à Scoto, ex parte operationis 9
intellectus. Id, quod est simpliciter perfectio in suo genere, si conuenit inferiori, conuenit & superiori; sed cognitio intuitiua est perfectio simpliciter

citer in genere cognitionis: ergo cùm conueniat sensui, conueniet quoque intellectui. Sed intellectus habet pro obiecto Deum: ergo. Sed beatitudo consistit in visione Dei: ergo cùm demonstretur possibilitas visionis Dei, demonstratur etiam beatitudo perfectissima.

10 Hoc argumentum nimis prætendens, nil probat. Maior enim negari potest. Sic enim auditio est perfectio non minùs simpliciter simplex, quàm visio, quæ est talis secundùm Scotum & tamen conuenit sensui externo, non sensui phantasiæ superiori. Falsa erit etiam circa diuersa obiecta, quorum vnum sit naturale, & accommodatum potentiæ; alterum altioris ordinis, tunc enim satis erit, si valeat circa illud aliquo modo operari, v. g. cognitio abstractiuè (esto intuitiuè possit in aliquod obiectum.) Sic igitur, esto valeat intellectus intueri; non tamen sequitur naturaliter posse intueri Deum. Quod tamen ritè sequitur ex intentione Scoti. Sic culter secabit lignum, etiamsi sit ex ferro imperfecto, numquid verò ex chalybe factus, secabit adamantem?

11 Probatur quartò à Scoto ex parte obiecti. Facultas illa, cuius obiectum adæquatum est communis quædam ratio continens sub se plura singularia, potest operari circa quodlibet illorum: ergo intellectus, cuius obiectum adæquatum est ens, poterit operari circa Deum, qui sub ente continetur: ergo perfectissimo modo cognitione intuitiua operabitur, sicut circa cætera obiecta; & quovsque hoc modo non operetur, non erit perfectus: Posse autem à Deo adiuuari intellectum, vt circa suum obiectum perfectissimè operetur, non est impossibile.

12 Hæc tamen ratio claudicat; nam facultas potest operari circa suum obiectum adæquatum, iuxta suas vires: v. g. oculus circa parietem, intuendo; non autem super illum discurrendo; vel eum intelligendo. Cùm igitur intellectus pro obiecto habeat sanè ens, respicit illud intra suam spheram, extra quam (nisi mutetur in alium,) non videtur posse eleuare à Deo. Oportet ergo probare, obiectum naturale intellectûs esse quodlibet ens, perfectissimo modo cognitum. Neque satis hoc demonstratur ex eo, quòd nulla alia potentia creata feratur circa illud, modo perfectissimo; sufficit enim, si obiectum potentiæ respondeat supremæ, & solus intellectus Diuinus intueatur naturaliter ens Diuinum. Has rationes è D. Bonau. excepit, vt dixi *tract.* 1. *disp.* 11. *quæst.* 1. sed abutitur illis, volens demonstrare, etiam solo lumine naturæ, quod S.Bonau. non vult, vt patet *hic*, vbi scientiam appetitui aptat.

13 E confutatione Scoti rationum liquet, non posse realiter probari demonstratiuè visionem Dei, & amorem, &c. in quibus beatitudo perfectissima consistit.

Confirmatur. Ea mysteria, quæ sunt naturâ suâ supernaturalia, cùm sint supra captum naturæ, non possunt ab intellectu, etiam Angelico, naturaliter demonstrari, ex Vasquez *p. p. d.* 214. *cap.* 3. & hoc non solùm cognitione immediatâ, sed neque abstractiuâ euidenti, & certâ, quoad: An sit; sed visio beata, per Vasq. *loc. cit.* est supernaturalis: ergo non potest naturaliter demonstrari. Hinc Vasquez secum pugnat.

QVÆSTIO II.

An Beatitudo *consistat in aliqua creatura fruenda.*

{D.Thom.q.1.

IN varias abière philosophi de beatitudine sententias, de quibus Varro apud D. Aug. *l.* 13. *de ciu. cap.* 2. qui ait 288. numeratas hac de re opiniones. Lege Aristotelem *l.* 10. *&* 11. *Eth.* Ciceronem *lib. de finibus.* Vide Tanner. *d.* 1. *q.* 2. *dub.* 1.

Possunt verò bona creata ad tria genera reduci. 14
In primo sunt bona externa, quæ intrinsecè non afficiunt; & dicuntur bona fortunæ, vt sunt illa, de quibus D.Thom. *p.* 2. *quæst.* 1. *art.* 4. Divitiæ, Honor, Fama, Potestas.

In his autem solis nullus philosophantium posuit beatitudinem.

In secundo genere sunt bona corporis, vt sanitas, Robur, Voluptas corporis, & Indolentia: & in his aliqui posuère beatitudinem, vt Carneades apud Ciceronem *l.* 5. *de finibus*, & Aristippus apud Lactantium *l.* 3. *de falsa sap.* & multi hoc sensu interpretantur Epicurum, vt D.Aug. *tract. de Epicureis.* In tertio genere sunt bona animæ, sub quo & anima ipsa, & Deus comprehenditur.

Assero primò, bona fortunæ, se solis nequeunt beare.

Probatur validè, quia sunt extrinseca, instabilia, & Sceleratissimis concessa. Et quidem diuitiæ 15
ordinantur ad hominem sustentandum; magnis afflictionibus acquiruntur, conseruantur, & facile deperduntur. Ergo nec voluptatem perfectam habent, nec rationem boni vltimi honesti, sed tantùm vtilis. Sic arguit & D.Bonau. *in Soliloquio.*

Hanc rationem carpunt Arriaga *d.* 48. *sect.* 3. & cum eo Tanner. *ad art.* 1. *quæstionis* 2. D. Thom. quia rectè probat, diuitias quidem non esse finem *Cui*; non autem esse finem *Cuius gratia*, vel *Quo*: alioqui etiam visio Dei excludenda foret à beatitudine; quia etiam illa ordinatur ad hominem, vt ad subiectum, quod perficit.

Attamen non percipiunt rationem S.Doct. Vult 16
enim, ideò illas non esse beatitudinem, quia ordinantur ad alios fines (*Quos.*) Ità diuitiæ naturales destinatæ sunt ad naturam sustendandam, & vitam hominis; artificiales verò ad naturales diuitias emendas; hæ vero ad hominem, vt finem (*Cui*) ordinantur fœlicitandum. Sicut igitur infrà *n.* 18. probat, in bonis corporis non esse beatitudinem; quia corpus ordinatur ad animam; ità *hic* debuit, eandem rationem applicare.

De honore probatur à D. Thom. *art.* 2. ait enim Aristoteles 1. *Eth. cap.* 5. illum esse in honorante; non in honorato, & esse testimonium virtutis, potiùs consequens, quàm faciens beatitudinem, quæ in aliqua potiùs excellentia, quàm in aliquo testimonio eius stat. Sic & D.Bonau. *loco citato.*

Contrà arguit Arriaga. Nam excellentia vix distinguitur ab honore, vel famâ, neque est effectus beatitudinis; sicuti neque fama; sed est potiùs de dotibus, & talentis, quæ laudabilia sunt, & honore prosequenda.

Verùm non percipit rationem S.Doctoris; nam 17
S.Bonau. accipit summum honorem, quasi primum analogatum, sicut & summam famam; hisque refutatis, remanet comprobatum, nec honores de talentis

tis esse obiectum beatitudinis. Honor verò ex beatitudinis excellentia summus dubio procul est, de quo Psal. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus*. Et Sap. 5. *Ecce quomodo computati sunt inter Filios Dei, &c.*

Probatur de fama à D. Thom. *art.* 3. Tum quia est fallax, tum quia est quid consequens virtutem, vel etiam beatitudinem; est enim notitia clara virtutum cum laude. Sic & D. Bonau. *loc. cit.* & *l.* 3. *Pharetra, c.* 34. vbi alias rationes è Patribus affert.

Ex dictis de honore patet, malè impugnari rationem ab Arriaga, qui sic rationem D. Thom. refert: *Fama est de aliquo, vt beatitudinem habente*. Ergo non est beatitudo: Bone Deus! afferat rationem, vt stat: *Fama est fallax notitia consequens bonum, siue sint dotes, & talenta; siue sit beatitudo*. Ergo ipsa beatitudo non sunt ipsa talenta. Accipit verò præ ore beatitudinis famam, tanquam primariam.

18 De Potestate probatur à D. Thom. *art.* 4. Primò, quia potestas habet rationem principij; beatitudo verò rationem finis. Secundò, potestas indifferens est ad bonum, & malum. Beatitudo verò est bonum determinatè. Tertiò, quia beatitudo est satians; at potestas eget etiam sanitate, sapientià, &c.

Contrà arguit Arriaga. Quia potestas est bonum hominibus; quod enim ea abuti valeat homo, oritur ex malo vsu eius, non per se.

Attamen, cùm beatitudo sit bona quies determinata, non debet esse indifferens ad malum, & cùm sit fruitio, non debet esse ad vsum, more aliorum vtibilium, dirigibilis.

19 Assero secundò, beatitudinem non consistere in bonis corporis.

Probatur à D. Thom. *art.* 5. quia corpus ordinatur ad animam: ergo non potest in eo consistere beatitudo. Adde, bona corporis esse brutis communia. Sic & D. Bonau. *locis citatis*.

Assero tertiò, neque in bonis animæ sitam esse beatitudinem.

Probatur. Quia anima, & eius potentiæ sunt subiectum beatitudinis, non tamen obiectum, quia non possunt esse finis sui ipsius; nam sicut non est à se, ita non potest in se conquiescere, vt sæpè repetit D. Bonauent. *in primo, d.* 1. *quæst. vlt.* & *in secundo, d.* 38. *passim*, & alibi, & Suarez *hic, num.* 5.

20 Probatur secundò à D. Bonauent. *in* 4. *d.* 49. *quæst.* 2. *argum.* 4. Perfectibile appetit suam perfectionem, quam à se non habet, nec in se; sed anima appetit beatitudinem: ergo non habet eam in se. Neque aliæ creaturæ valent hominem beare, vt patet.

Probatur de omnibus à D. Thom. *art.* 8. S. Bonauent. *in primo, dist.* 1. *quæst. vlt.* & *in* 2. *d.* 38. *quæst.* 2. & alibi sæpè, quos sequitur Suarez *hic, num.* 7. Arriaga *d.* 47. *sect.* 3. & 4. nam beatitudo est bonum satians adæquansque potentiam; at creaturæ non adæquant, aut satiant potentias animæ; quia quoad intellectum extenditur ad omnia vera; quoad voluntatem ad bonum vniuersale, & non potest sine Deo, qui est summum bonum continens omnia bona, esse beatitudo.

QVÆSTIO III.

An BEATITVDO *naturalis consistat in cognitione, & amore Dei.*

D. Thom. p. 1. q. 3. art. 1. & 6. & 2. 2. q. 120. art. 4.

Commvniter id asserunt cum Aristotele 1. *Eth. cap.* 10. & *lib.* 10. *cap.* 6. & 8. Et D. Thom. 1. 2. *quæst.* 3. *art.* 5. & 6. & *in* 4. *d.* 4. *quæst.* 2. *art.* 1. *quæstiuncula* 4. Et 2. 2. *quæst.* 120. *art.* 4. vt notat Arriaga *d.* 47. *sect.* 5. videtur D. August. *lib.* 19. *de ciuit.*

Attamen alij dicunt, non sufficere contemplationem, & amorem. Ita D. Bonauent. *in* 2. *d.* 23. 21
quæst. vlt. vbi ad beatitudinem naturalem Adæ, alia etiam priuilegia supponit necessaria, idest immortalitatem, carentiam malorum, passionum, &c. Idem asserit *de Angelis, d.* 4. *quæst.* 1. *in corp.* & *alibi*. Sequitur Arriaga *d.* 47. *sect.* 5. Morand. *tract.* 1. *quæst.* 6. vbi refert Suarez *d.* 15. *sect.* 2. Medinam *hic, q.* 3. *art.* 7. Auersam *q.* 1. *sect.* 4. Ouiedum *controu.* 2. *p.* 9. Salam *tract.* 2. *d.* 2. *sect.* 7. qui alios recenset.

Assero primò. In contemplatione, & amore Dei, consistit beatitudo naturalis.

Probatvr à D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 4. 22
argum. 2. *secundo loco, & locis suprà adductis, & alibi*. In eo est beatitudo formalis, quo consequimur summum bonum; sed talis est contemplatio, & charitas: ergo. Hoc idem habet S. Bonauent. *in* 2. *d.* 39. *q.* 2. *in corpore*. Hac ratione vtitur Arriaga *d.* 47. *sect.* 5.

Assero secundò, solam Dei contemplationem, & amorem naturalem non sufficere ad beatitudinem.

Probatvr ab Arriaga *loc. cit.* Quia beatitudo 23
naturalis debet excludere omnia mala; maximè, quæ hominem vehementer affligunt: At multa mala stant cum contemplatione, & amore Dei; vt ægritudines, fames, sitis, &c. ergo. Quæ enim beatitudo in decumbentis podagra, & artetica atiractione?

Consistit igitur in contemplatione, & amore, tanquam positiuo; & in carentia dolorum, tanquam negatiuo: seu tanquam in dispositionibus, vt ait Morandus.

Qværes, quæ cognitio faciat ad beatitudinem huius vitæ?

Respondet Suarez *d.* 7. *sect.* 2. *num.* 4. aliquos 24
docere, esse habitum sapientiæ. Ideò dicitur *Sap.* 1. Sapida scientia. Ita videtur D. Bonauent. passim *in opusc.*

Respondet verò esse fidem. Ita videtur D. August. 1. *de Trin. cap.* 8. iuxta illud 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum, &c.* quod S. August. dicit, esse participationem diuinæ visionis.

Dices. Anima Christi erat beata; & tamen patiebatur: ergo dolores non excludunt beatitudinem.

Respondet Arriaga *num.* 24. Morand. *loc. cit.* 25
& Lugo *de Incarn. d.* 21. *sect.* 2. è D. Bonauent. *in* 3. *d.* 17. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad argum.* hoc fuisse ex diuina dispensatione, sicut & voluptatem maximam haustam ex contemplatione illa, claràque visione Dei, ex qua incredibilem trahebat voluptatem, etiam vt gauderet de pœnis. Vide Seraphicum.

Hæ

Hæc omnia supradicta, etiam *quæst.*2. habet S. Bonauent. passim, vt *serm.*26. qui est *quartus de vno Martyre. Serm.*7. *de SS. Apost. Serm.*2. *de Angelis*, & *Serm.*2. *in festo omnium Sanctorum.* Et in *Itinerario mentis in Deum*, *cap.*1. & *part.*2. *Stimuli Diuini amoris*, *cap.*13. & *lib.*3. *Pharetræ*, *cap.*48. vbi omnes rationes D. Thomæ sunt sparsæ.

26 Addere libet, contemplationem, & amorem Dei reddere beatum moraliter, quia Deo adhærentem, vt sæpè Scriptura acclamat; neque in hac vita posse in his beatitudinem fundari etiam naturalem, cùm sint hæc amissibilia, sed animæ separatæ potiùs adjici.

Addo, principaliùs consistere in amore. Ideò dicitur Psal. 118. *Beati immaculati in via.* Ità etiam D. Bonauent. *de Beatitudinibus*, & cum Suarez, *loco citato, numero* 8. Quid sit obiectum beatitudinis supernaturalis, disputatum est *tract.*2.*q.*11.

QVÆSTIO IV.

An vera Beatitudo *formalis sit aliquid Diuinum.*

D. Bonau. in 3.d.14. q.1.
D. Th. 3.p.q.10.art.1.

Aliqvi dixere, beatitudinem formalem esse ipsum Deum. Ità Ioan. de Ripa, & aliqui Parisienses Doctores, apud Tanner. *quæst.* 2. *dub.* 2. Citatur Henricus à Scoto *in* 4. *dist.* 49. *quæst.*2.

27 Attamen sententia verissima, est negatiua. Ità D. Bonauent. *loco citato*, quem sequuntur Scotus *loco citato*, Soto *ead. dist. quæst.*1. *art.*3. Heruæus *tit. de Beat. quæst.*1. Medina *hic*, qui oppositam sententiam adscribit Henrico, & temeritatis notam ei inurit. Eum tamen excusat Suarez 1. *secundæ*, *d.*6. *sect.*1. qui secundam sententiam defendit cum Arriaga *disp.*48. *sect.*1. & omnibus aliis Theologis.

Assero cum hac sententia. Id, quo mediante cognoscimus, & videmus Deum, non esse Deum.

28 Probatvr primò à D. Bonauent. *loco citato*. Si perfectio formalis, conueniens animæ, est Deus; iam Deus est forma perficiens formaliter animam; sed hoc est absonum dicere: ergo. Probatur sequela; Quia sapientia, & visio Dei est perfectio intellectûs, qua intellectus intelligit formaliter. Probatur Minor, quia Deus est ens perfectissimum, non veniens cum aliquo ad compositionem. Confirmatur; alioqui posset magis dici anima Christi omnipotens omnipotentiâ diuinâ. Sapiens sapientiâ Diuinâ, & ità est Deus. Hoc argumento vtuntur Arriaga *in calce sect.* & *tract. de Incarnat.* ad quem scipsum remittit.

29 Probatvr secundò ratione, qua nititur Suarez, *num.*4. Deus quatenus conseruat animam in suo esse substantiali, intimè est in illa, siue illabitur illi per essentiam, præsentiam, & potentiam suam: ergo præter hanc vnionem non potest alia maior intelligi inter substantiam animæ, & diuinitatem, nisi facta aliqua mutatione, vel in diuinitate, vel in anima; nam, quæ immutata manent, eodem modo perseuerant: ergo non possunt habere maiorem vnionem realem, quàm anteà, nisi facta illa mutatione. Sed talis mutatio non potest esse in Diuinitate immutabili: ergo sit in anima; sed non potest, nisi per aliquem effectum realem fieri: ergo non potest intelligi nouus illapsus Dei in substantia animæ, nisi Deus in illa efficiat nouum aliquem effectum. 30

Confirmatvr: si fieret mutatio per solum illapsum Dei substantialem; omnes æqualiter viderent Deum; non autem aliqui viderent; aliqui non; aliqui magis; aliqui minùs clarè; cùm omnibus æqualiter vniatur: sed aliqui vident: alij non; aliqui clariùs; alij obscuriùs, & non est diuersitas ex parte cogniti: ergo venit ex parte cognoscentis: ergo per aliquod donum vni datum, alij non; vni maius, alteri minus. Hac ratione, tanquam firmissimâ, vtitur Arriaga *numero* 7.

Probatvr tertiò à D. Bonauent. Si vnio animæ cum Deo, substantialiter esset beatitudo, deberet arctissima vnio facere beatum, sed hoc est falsum: ergo. Minor probatur: nam oculus Christi vnitur substantialiter arctissimo vinculo Deitati, neque tamen videt Deum. 31

Probatvr quartò. Id, quod reddit magis, vel minùs aptum ad videndum Deum, debet esse aliquod donum creatum; sed beatitudo facit aliquos magis, aliquos minùs aptos ad videndum; imò & videntes Deum: ergo est aliquod bonum creatum. Hoc argumento viget Arriga.

Vrgeo ideò. Necessarium est lumen gloriæ, vt intellectus eleuetur supernaturaliter ad visionem Dei, è Concilio Viennensi *in Clementina*, *Ad nostram. De hæret.* & vt aliqui clariùs; aliqui minùs clarè videant Deum, iuxta illud Ioan.14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*; & 1. Cor.15. *Stella differt à stella in claritate*; alioqui illa vnio Dei substantialis faceret, vt omnia viderentur æqualiter. Nam si sint quatuor obiecta, & vniantur potentiæ, non poterunt facere; vt potentia eiusdem rationis videat solùm duo; sicuti albedo vt quatuor, vnita subiecto pari in ordine suo, non potest, vt vnum sit album vt duo: alterum vt vnum; vltimum vt quatuor, vt notat Arriaga *loco citato*: ergo id venit ex maiori lumine in vno, quàm in alio. Vnde malè Arriaga *ibi* dicit, necessitatem inductam luminis gloriæ, non facere ad probandum intentum; eò quòd vnio illa intrinseca cum Deo faciat id, ad quod assumitur lumen gloriæ. Neque lumen gloriæ posse dici, exigi vt dispositionem ad eam vnionem. Iam enim (ait) ego ipse vrgebam, per aliquid inæquale, constituendam inæqualitatem. At vnio illa substantialis Dei cum anima non facit inæqualitatem, vt ideò requiras donum inæquale. 32

Pacem habeat, hoc verè est lumen gloriæ definitum à Concilio Viennensi ad visionem; eo modo, quo est, & vt supernaturalis, & vt inæqualis, vt Sancta Fides Catholica exigit. Quomodo enim potest anima claritatem Diuinam intueri; quin ipsa efficiatur clara, & luminosa? vt arguit D. Bonauent. *in corpore*; ac proinde sine illo luminosior quomodo potest esse?

Qvare malè Arriaga dicit *numero* 6. sufficientissimè eleuari animam, per illam vnionem animæ cum Deo intrinsecam. Posse etiam dici, Lumen gloriæ requiri (esto) vt dispositionem ad eam vnionem. Neque ideò ex illo Concilio Viennæ, colligi intentum.

33 Similiter ruunt aliorum effugia, dicentium in hac vnione mutari animam per nouum modum, qui, quò actior est, eò clariùs Deum ostendit, animâ penetrante Diuinitatem.

Contra

Contra enim arguit Suarez *num.*5. è D. Bonauent. *fund.*2. Nam Deus est intimus in essentia animæ, ex vi suæ immensitatis, & actionis, quæ illam conseruat in esse; ità, vt illa mutua præsentia sit summa, quæ concipi potest, nec potest recipere magis, & minùs formaliter in se, sed solùm ratione alicuius effectus. Itaque si vni ostenduntur quatuor gradus, verbi gratia, Diuinæ perfectionis ostensi erunt etiam aliis, vt notat etiam Arriaga.

Neque satis alij faciunt dicendo, illum modum esse nouam vnionem animæ ad Deitatem, sicut in Incarnatione.

34 Contra enim arguo è D. Bonauent. *in corpore*, quem sequitur Suarez. Quæro enim: An illa vnio sit substantialis? an accidentalis? Si primum: ergo ex anima, & Deo, fit vna substantia, vel in natura, vel in persona; non enim alia substantialis vnio potest excogitari cum Deo, in quo est tantùm substantia, & relatio. At vnio naturæ non potest esse, alioqui anima fieret formaliter Deus, quod latè confutat S. Doct. *in* 3. *dist.*1 *q.*1. neque hypostatica dici potest;alioqui anima esset personaliter Deus. At esto ità esset; hæc nil faceret ad claram visionem, vel ad inæqualem plurium visionem, quia vnio ad visionem, est obiecti cognoscibilis, cum potentia cognoscente, vel vt perfectiuæ formæ cum perfectibili; vnitas verò hypostatica esse sine cognitione potest, vt patet in carne Christi, quæ vnita est Verbo, nec tamen videt Deum. Vnde fuit etiam opinio Scoti *in* 3. *dist.*14. *quæst.*1. §. *Ad cælum*, vt refert Marginista Doctoris Seraphici.

35 Dicebat autem Scotus, animam Christi ex vnione hypostatica habere Deum ità præsentem, vt seipsa absque creato aliquo medio posset Deum intueri. Requiritur enim vnio per assimilationem cognoscentis ad cognitum, & ità per aliquam influentiam, quæ animam cognoscentem faciat Deo similem, ac deiformem, & sic per aliquem habitum animam informantem, qui debet aliquid esse creatum; nam increatum non potest esse forma. Si verò dicas, eum modum esse vnionem accidentalem veram physicam; tunc ex anima, & Deo resultaret vnum per accidens, Deo agente rationem formæ accidentalis, quod, vt dixi, est absonum; tum quia Deus non potest esse forma; maximè accidentalis, cùm sit substantia simplicissima, perfectissima; tum quia è substantia, & substantia, neque in creatis ipsis, fit compositum accidentale; sed substantiale; si sint substantiæ immediatè vnitæ; vt autem fiat vnio accidentalis, debet per aliquod accidens vna, alij vniri; vt patet discurrendo per singula, & in exemplo Henrici, de igne in ferro candenti; non enim intelligitur ignis, magis vniri ferro, nisi quia illud afficit suis qualitatibus, vel quia secundùm præsentiam localem, magis peruadit illius poros, quæ non est vnio, sed iuxta-positio.

36 Hinc arbitror, Henricum solùm metaphoricè voluisse inferre vnionem illam,quam ei attribuunt; nam etiam alij, inter quos D. Bonauent. sæpè hoc exemplo ferri candentis vtitur, ad exponendam vnionem intimam Dei cum anima, in Incarnatione, in sanctificatione, in Eucharistia, in Charitate, vt videre est in aureis opusculis Seraphici Doctoris.

Id notat etiam Vasquez *d.*8.*c.*1. Nam Henricus *quodlib.*13. *q.*12. docet, beatitudinem consistere in actibus intellectus, & voluntatis.

Alia argumenta afferam è D. Bonauent. *quæstione sequenti*.

QVÆSTIO V.

An Beatitvdo *sit aliqua nostra operatio.*

{D.B. in 4.d.49.q.1.

Iam vidimus, beatitudinem non esse Deum; videamus itaque quidnam sit.

Primo, aliqui dicuntur asserere, beatitudinem esse relationem. Citantur Aureolus, & Capreolus *in* 4. *dist.* 49. *quæst.*1. & *ibidem* Scotus: sed isti non sentiunt, esse relationem; sed operationem, quatenus reddit animæ Deum præsentem.

Secvndò aliqui dixêre, esse illapsum Dei solius operantis in animam. Ità Nominales aliquot apud Tannerum *n.*15. & Arriagam *d.*48. *sect.*2. qui adducit etiam Heruæum: Vasquez verò *dist.*9. refert etiam Scotum.

Tertiò alij dicunt, tametsi beatitudo possit per illapsum à Deo solo procedere, attamen Deum, velle etiam animam cooperari, sicut & ad meritum. Ità Capreol. Soncinas, Iauellus, Soto, Victoria, & citatur etiam Scotus. Vide Vasquium *capite* 2.

Qvartò alij dixere esse actionem immanentem nostram. Ità D.Thom. *quæst.*3.*art.*2. & Thomistæ, ac Iesuitæ, apud Arriagam *d.*48. *sect.*2. 37

Hi tamen diuisi sunt. Aliqui enim tenentes, actiones immanentes esse qualitates, dicunt, esse beatitudinem formalem, scilicet qualitatem perficientem intrinsecùs beatum,in quarta specie qualitatis; ità, vt sit dispositio, siue actus. Ità plurimi *in* 4.*dist.*49. vbi præcipuè Scotus *quæst.*2. Richard. *art.*1. *quæst.*4. Suppl. Gabr. *quæst.*2. *art.*2. Suarez *disp.*6. *sect.*2. *numero* 8. & alij, qui intellectionem dicunt, esse qualitatem. De quibus *tract.*2. cum de Verbo, *disp.*9.*quæst.*2. *sectionis prima*.

Alij dicunt, esse tantùm Habitum. Tribuitur Henrico *loco citato*.

Vera tamen sententia est, beatitudinem consistere in actu,de prædicamento actionis, cum habitu; seu esse habitum, vt actum. Ità S.Bonauent. *in* 4. *d.*49. *q.*1. *ad vlt.* 38

Assero primò, Beatitudinem consistere in aliquo creato.

Probatvr à D. Bonauent. *loco citato* primò. Omnis forma perfectiua est creata, nam Deus nullius est forma. Talis est beatitudo; ergo.

Secvndo. Id, quod pluribus conuenit, & non omnibus, est bonum creatum. Talis est beatitudo: ergo.

Tertio. Id, quod est generis determinati, & ità est in aliquo, vt sine eo res possit esse, illud est accidens; ac proinde aliquid creatum. Talis est beatitudo: ergo.

Qvarto. Id, quod denominat hominem qualem, & agentem, & est perfectio ipsius, est aliquid productum ab homine,vel in eo receptum.Sed beatitudo est perfectio determinata hominis, ipsum denominans: ergo est aliquid creatum. Hoc argumentum sumpsêre Caietanus, 1.*part. quæst.*2.*art.*3. Tanner. *ibi*. 39

Assero secundò, beatitudinem non esse solum habitum; sed habere etiam actum.

Probatvr

PROBATVR à Suarez, & aliis, authoritate, qua nititur D. Bonauentura, Aristotelis *primo Eth. c.5.7.& 8.* & *lib.10.c.6. & 7*; & *septimo Polit. c.3.* & *lib.primo Magnorum Moral. c.4.* & *lib.2.c.10.* & *12. M. 1. c.6.* quibus locis docet, nec infantes, esse posse beatos in re, seu in actu; sed in spe tantùm, vel in potentia; neque dormientes; imò nec Deum ipsum futurum fuisse beatum, nisi semper actu cognosceret seipsum.

40 PROBATVR ratione à Suarez, sumpta à D. Bonauent. *arg. vlt.* cum responso. Beatitudo, ex Aristotele, debet esse vita perfecta, honestissima, & iucundissima; sed qui est perfectus tantùm in habitu, non habet perfectam vitam, cùm desit vltimum vitæ complementum. Item ex ratione talis status, non habet vitam iucundam, quia habitus sine actu, non affert delectationem; imò cum quocumque habitu potest esse summa tristitia; similiter cum solo habitu est capax bonæ, & malæ operationis; ergo perfectio habitualis, vt sic, non sufficit ad formandam beatitudinem.

41 ASSERO tertiò, requiri etiam habitum ad perfectam operationem.

PROBATVR à D. Bonauent. *ad vlt.* Beatitudo est id, in quo est summa perfectio, sed hæc requirit habitum in actu: ergo.

Respondet Suarez *num.9.* Ad perfectum statum, vtrumque requiri, tamen illa duo comparata, ità se habere, vt habitus comparatus ad actum, se habeat vt potentia ad actum, & ideò actum constituere in vltimo complemento, & perfectionem status. Attamen hoc optimè docet etiam S. Bonauent. in eo argumento. Confirmatur, quia essentia beatitudinis consistit in consecutione vltimi finis, consequimur autem illum, per habitum, vt principium efficiens illum actum; per actum verò, formaliter.

43 OBIICIT Suarez. Posset aliquis à Deo beari, absque infusione habitus: ergo non est necessarius. Confirmatur, quia potentia est magis necessaria, quàm habitus, & tamen in ea non ponitur beatitudo.

RESPONDETVR, Seraphicum loqui de beatitudine, ex ordine, quem tenet nunc; si verò auferretur habitus, deberet aliquid addi loco eius; alioqui beari potest aliquis naturaliter, quod est hæreticum. Illud ergo, in quo fundatur actus, est necessarium; Potentia verò requiritur, vt subiectum, seu vt materia, cuius non est perfectio vltima.

ASSERO quartò, illam operationem, debere esse à nobis.

PROBATVR à D. Bonauent. *in 3.d.14.q.1.arg. allato quæst. præced. quarto loco.* Illa operatio est ab ea causa principali, quæ, vt eam eliciat, eget eleuari ab aliquo instrumento supernaturali; sed beatitudo est operatio, quæ requirit in potentia animæ lumen gloriæ, vt eleuetur ad eam: ergo operatio illius potentiæ. Maior probatur: Nam instrumentum additur causæ principali. Minor est de fide è Concilio Vienn. *Clement. Ad nostram, de hæreticis.*

Ex quo patet, malè Arriagam asserere, hanc authoritatem Concilij, pro hoc asserto, nil facere.

44 Ex his habes, beatitudinem non esse operationem sensitiuam. Est enim perfectissima circa obiectum spiritualissimum, vt docet S. Bonauent. *locis citatis*, & D. Thom. *art.3.*

DICES cum Vega. Deus operatur in nobis, sine nobis, sanctas cogitationes, ex Concilio Arausicano, & D. Augustino.

RESPONDETVR, operari sanè sine nostrô morali concursu; non autem sine physico, & vitali actu; actus enim vitalis debet esse à principio vitæ.

Quidquid dicat Arriaga *d.6. de anima*, vt ostendi *in tract. de anima d.4 sect.4. quæst.5.*

NOTA verò, suppositâ hac veritate, intellectum ad suos actus, se habere actiuè, quod amplè ostendi *loco c. q. 4.* necessarium astrui ad visionem Dei lumen gloriæ, vt fatentur cum Scoto discipuli apud Fabrum *disp.32.cap.3.in 3. sent.*

QVÆSTIO VI.

In qua, vel quibus operationibus constituatur BEATITVDO.

D.B. in 4.d.49.q.4. & 5.
D. Tho. p. secundæ q.3. art.4.

CELEBRIS est hæc quæstio inter Theologos, & latè agitata, tametsi aliqui de solo nomine disceptari clament, vt Arriaga *disp.49.* quod falsum est, vt notat Mastrius *primo, d.6. n.305.*

PRIMA opinio in solo actu intellectus, beatitudinem constituit. Ita D. Thom. *p. secunda, q.3. art.4.& 8.* & *1.p.q.26.art.2.& 3.* & *3.cont.gent.c.25. & 26.* Sequuntur Recentiores communiter, atque Thomistæ omnes. Capreol. & Soto cum D.Thom. *in 4.d.49.q.1.art.1.q.2.* & inclinat Palud. *ibi.* Caiet. Medina, Nazar. *ad loca Sum. D. Thomæ.* Molina *1.p. q.11.d.2.* Vasq. *p. secunda, d.11.c.3.* Becanus *q.3.* Morisan. *d.4.* & *hic, dub.4.* Arriaga *tom.2. tract.2.d.49. sect.7.& 8.* Ouiedo *p.2.tr.1. controu.2.p.7.* Caspens. *tr. de Visione, d.3. sect.7.* Morand. *tr.1. de vltimo fine, q.8.* & apud hunc Estius; probabilemque credit Lusitanus *lib.4.q.7. art.2.n.13.* Sequitur Collegium Conimbricense *in Eth.d.3.q.3.art.2.* Videbitur alicui esse D. Bonau. *lib.7. Compend. Theol. c.6.* Sed ibi non assignat causam adæquatam. Eam tuentur etiam Canus *lib.12. locorum, c. 14.* Tanner. *d.1.q.2. dub.3.*

SECVNDA sententia est, beatitudinem in solo actu voluntatis formaliter consistere, quem dicunt esse actum amicitiæ, non concupiscentiæ, quo summum bonum per seipsum diligitur. Tribuitur Scoto *4. d. 49. q. 3. & 4.* eamque multi Scotistæ tuentur. Sghemma *tit.37. q.1.* Vulpes *t.2. p.2.d.54. art. vlt.* Rada, *p.4. controu. 12. art.4.* Ouandus, & Hiquæus *in 4. d.49. cit.* & alij Scotistæ, & probabilem censet Lusitanus *q.10.* Et sanè Scotus *loc. cit.* §. *Ad quæstionem*, in solo voluntatis actu videtur beatitudinem ponere; attamen in fine ambiguus est: *quæst. 4.* §. *In ista quæst.* videtur problematicus. 45

TERTIA opinio est, beatitudinem in delectatione, & gaudio sitam. Eam Aureolo tribuit Medina *p. secunda, q.4. art. 4.* sed illam apud ipsum non inueni. Eam sequitur Pasqualigo *t. 2. d. 119. sect. 6.*

QVARTA est, consistere in actibus intellectûs, & voluntatis. Ità D. Thom. *q.4. art.8. ad 3.* & alibi, apud Tannerum. D. Bonau. *in 2. d.38.q.1.* & *in 4.d. 49.q.4. & 5.* & *in 3.d.26. art.2.q.3.* Fuitque Hugonis de S.V. *c.7. de Cælest. Hier.* Sequuntur Nominales, Ocham, *primo, d.1.q.2.* Gregor. *ibi.* Aureolus, Albert Magn. Maior, Argét. *in 4.d.49.* Richard. *ar.1. quæst.* 46

quæst.7. Suppl. Gabr. *quæst.2.art.2.* Palud. *quæst.3.* Marsil. *quæst.vlt.* Alensis *3.part. quæst.23. memb.1.* Henric. *quodlib.1.quæst.14.* & *Sum.art.49. quæst.6.* Ægid. *quodlib.3. quæst.vlt.* Vega *lib.7. in Trident. cap.7.* Corduba *primo quæst.42.* Suarez *d.7.sect.2.* Less. *de summo bono cap.4. & 5.* Valentia *part.2. d.1. q.3. puncto 4.* Amicus *t.3. d.2.sect.6.* Henriq. *lib.9. cap.9.* Arriaga *d.49.sect.6.* & 8. qui tamen non hæret; sed titubat cum Valentia. Firmiùs Bouërius noster *tract.1. demonst.3.art.4.* Salas *tr.2. d.12.* Molina *1.p. q.26.* Mastrius *d.6. q.12. n.304.* Bassol. *4.d.49.q.2. art.2.* Poncius *d.19.n.9.* aliique Scotistæ Magistrum sic exponentes. Auersa, & alij apud istos, qui S. Bonauent. etiam allegant; imò & SS. Patres, præcipue D.Augustinum *serm. 53. de temp. & ep.52.* & *lib.de doct.Christ.cap.32.* & B.Amadeum *rapt.4.* Tandem propendit Tannerus, cum aliis.

Hi ferè omnes dicunt tamen, actum amoris esse præcipuum beatitudinis.

Aliqui verò, præter amorem, addunt fruitionem, quibus fauet S. Bonauent. *in 3. loc.cit.* Alij addunt in amissibilitatem, vt Richardus, qui non benè putat, esse actum voluntatis peculiarem.

47 ASSERO cum hac sententia, Beatitudinem sitam esse in operationibus intellectus, & voluntatis.

PROBATVR primò à D. Bonauent. *locis adductis, & in Bibliis pauperum, & l.b.3. Pharetræ, & in Ioannem.*

Scriptura tota clamat, in Visione, & Amore, positam esse beatitudinem.

Quò ad Visionem, Ioann.17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Neque solida est responsio Scoti, cognitionem dici vitam æternam, non quia sit beatitudo; sed quia est vita actualis, & æterna. Extorta sanè expositio, vt notat Suarez *num.6.* hoc enim modo, etiam tristitia damnatorum esset vita æterna. Negari ergo non potest, quin vsitata phrasi Scripturæ, illa voce, quasi per antonomasiam significaretur beatitudo, vt patet *Matth.26. Marci 9. Ad Rom.16.* & eodem loco *Ioan.17.* immediatè ante dixerat Christus. *Pater clarifica Filium tuum, vt filius tuus clarificet te, vt omne quod dedisti ei, det eis in vitam æternam.* Clarum est autem, ibi petere beatitudinem electis; & statim additur. *Hæc est vita æterna.* Ità exponunt D. August. *lib. de spiritu, & litt. cap.37.* & *serm.1. & 2. de tempore.* Origenes *lib.2. in cap.2. ep.ad Rom.* Innocent. III. *lib.5. de Mysterio altaris, cap.8. & 27.* B.Laurent. Iustin. *in fasciculo amoris, cap.16.* S. Ambrosius *lib.5. de fide, cap.7.* Rupert. *lib.12.ad Ioannem,* & D.Bonau. *ibi.*

48 SCIO, de cognitione per fidem exponi à SS. Ambrosio *loco citato*, Hilar. *3. de Trin.* circa medium, & *lib.9.* Cypriano *ad Demetriam*, & *ep.73. ad Iulianum.* Cyrillo *lib.11.in Ioan.cap.16.* August. *tract.105. in Ioan.* & Ruperto *loco cit.*

AT non adeò rectè adaptatur litteraliter; sed potiùs appropriatè. Sic exponitur: Petierat sanè Christus, clarificari per fidem credentium, & subdit rationem: *Vt det eis vitam æternam*, idest beatitudinem. *Hæc est autem vita æterna: vt agnoscant te*, non quasi dicat, vt putat Suarez: Hæc est via ad acquirendam vitam æternam, id est per fidem, & veram cognitionem Christi, qui ideò ponitur spectare ad essentialem cognitionem; cùm alioqui non sit obiectum essentiale visionis.

49 EXTORTA enim est expositio. Sensus est: Clarifica me in fidelibus credentibus, vt vitam æternam, idest beatitudinem consequantur. Iam verò subdit: *Hæc est autem*, quæ particula indicat proximè dictam beatitudinem: *Hæc est autem vita æterna*, idest beatitudo: *Vt cognoscant te, Deum, & quem misisti filium tuum*, vbi non exponitur Iesus Christus homo tantùm, sed filius, qui missus est. In quo etiam errat Suarez. Hoc tamen non asserit, visionem esse adæquatè beatitudinem, sed eam esse fundamentum status beatifici, sicut dici solet in Scriptura; nos iustificari per fidem. Videtur autem nobis, sic discurrere Christus: Postulat clarificari in conuersione multorum ad fidem, vt consequantur vitam æternam. *Hæc est autem vita æterna: vt cognoscant*, id est: Vita æterna fundatur in cognitione, seu visione clara correspondente cognitioni fideli obscuræ fidei, quæ fuit principium acquirendi gratiam, & gloriam ipsam; vt notat D. Bonauent. *in 4. loco citato*, vbi Visionem vocat dotem rationalis partis respondentem merito fidei: Charitatem autem consummatam vocat dotem Concupiscibilis, quæ Deum amauit in vita; Tentionem verò, seu tutam Fruitionem nominat, dotem Irascibilis, quæ nunc erigitur per spem. 50

Secundò, idem astruitur aliis Scripturis, vt prima Ioan.3. *Similes ei erimus: quia videbimus eum, sicuti est*, & Ioan.14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & manifestabo ei me ipsum*, & cap.17. *Pater volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam*, ita hæc exponuntur communiter, & ostendit D. Bonauent. ad ea loca, prima Cor.13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem*, vt notat S. Doct. *in primo d.3.p.1.art.1. q.3. in corpore.* Psal.16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Psal.90. *Et ostendam illi salutare meum.* Matth.18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.*

QVOAD Amorem etiam, tota Scriptura clamat, charitatem, quæ est amor amicitiæ in Deum, esse finem legis, finem Scripturæ, & fœlicitatis complementum, vt notat D. Bonauent. *in 2. loco citato.* Ideò Apost. *1.Corint.13.* ait: *Charitas numquam excidit*, & ideò etiam in patria durat, quia eius munus est vnire cum Deo, vt ait D. Dionys. *cap. 4. de din. nom.* & probat D. Bonauent: *in 3.d. 31.art.3.q.1.& sequentibus.* Ideò iam Apostolus, ibi ait: *Maior horum est charitas*, quia actus charitatis est omnium perfectissimus, vt notat inde S.Doct. *in 2.d.38. q.2.* Dicitur autem maior, non modò in comparatione ad actus fidei, &c. sed etiam visionis; vt fatetur D. Thom. *1. p. q. 108. art.6. ad 3.* & *in 3.d.27.q.1.art.4.* Sic & Matth.25. *Intra in gaudium Domini tui.* 51

PROBATVR à D.Bonauent. *lib.2. Pharetræ, cap. 48.* è D. Augustino *lib. de Moribus Ecclesiæ*, cap.3. *Beatus neque ille dici potest, qui non habet, quod amat, qualecumque sit: neque qui habet, quod amat, si noxium sit: neque qui non amat, quod habet, etiamsi optimum sit.* 52

HINC deducit S. Bonauent. hanc suam conclusionem esse Scripturæ; atque adeò fidei grauiter innixam, vt posset definiri. Definita autem videtur à Benedicto XI. *in Extrauag.* quam referunt Supplem. Gabr. *in 4.d.49. q.2. art.3. dub.3.* Marsil. *q. vlt.* Castro, Arriaga, Suarez, Vasquez, Valentia, & alij, è quibus Vega, & Alphonsus à Toleto dicunt, definitam esse Seraphici sententiam. Ibi sic statuit Pontifex. *Nec non, quòd ex tali visione, & fruitione eorum animæ, quæ iam decesserunt, sunt verè beatæ. Et erunt illorum, qui postea decedent,*

decedent, cùm eandem videbunt essentiam, ipsaque perfruuntur ante generale iudicium. Quid clarius?

53 Ponit enim etiam fruitionem, quæ sequitur amorem, vnde D.August.8. *de ciu. cap.9.* ait. *Nemo beatus est, qui, eo quod amat, non fruitur:* & hæc est adhæsio Deo per charitatem, vt fatetur etiam D.Thom. 2. 2.q.27.*art.6.ad* 3. Ideò in Scriptura, beatitudo, nomine gaudij; exprimitur. Matth.25. *Intra in Gaudium Domini tui.* Idem dicitur Ioan.15. *Vt gaudium vestrum sit plenum:* Et cap. 16. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Et Psal.31. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos, &c.* Idem habet *Luca 2. Apoc.2.*

54 Respondet Suarez *num.15.* Motand.*num.40.* solùm definiri à Papa, animas transire ad beatitudinem ante diem iudicij; aliter verò dici, beari visione, & fruitione; sed hoc non definiri. Idem respondet Vasquez *cap.5.* qui addit; hoc, de quo est quæstio, poni vt certius. Addit, Papam ponere & beatitudinem ad id, quod consequitur. Addit Cano, Pontificem numerare, etiam operationes accidentibus beatitudinis.

Contra; quia Papa eodem tenore definitionis ait, ex tali visione, & fruitione, animæ sunt beatæ. Non ergo id, quod consequitur beatitudinem addit, neque accidentia beatitudinis.

55 Idem sensit Concilium Vien. *in Clement. Ad nostram, de hæret.* vbi definitur. Indigere nos lumine gloriæ ad videndum, & Deo beatè fruendum. Id demonstrat D.Bonau. *in 3.d.14.quæst.1.* & *quæst.3. in corpore.*

Respondet Suar. *loco cit.* ibi solùm definiri, nos egere lumine supernaturali ad beatitudinem, nec posse naturaliter, contra Begardos, & Beguinas.

Video, directè id primò definiri: at hoc etiam statuitur, vel saltem supponitur certum; nam definita supernaturalitate beatitudinis, ac necessitate luminis gloriæ ad actus beatitudinis, necesse fuit etiam definire, qui sint actus beatitudinis; ne hæretici dicerent necessarium lumen ad visionem; non ad fruitionem.

56 Confirmatur è Catechismo Romano, ad ea Symboli verba. *Credo vitam æternam. Solida beatitudo, quam essentialem, communi nomine licet vocare, in eo sita est, vt Deum videamus, eius pulchritudine fruamur, qui est, &c.* Vbi etiam delectatio, videtur poni essentialis beatitudo: Sed de hoc *in calce.*

Confirmatur è S.Dionysio de celesti Hier cap.7. *In his*, ait, *beatitudo constat, cognoscere, & amare bonum.* Idem docet D. August. qui aliquando beatitudinem in intellectu ponit; vt 1.*de Trin.cap.penult.* & *de spiritu, & litt. cap.22.& 57.* Aliquando verò in voluntate; vt *l.1.de doctrina Christ. cap.32. lib.8. de ciu.cap.9.* & *lib.10.confess.cap.21.22.& 23.*

Respondent aduersi, beatitudinem dici in Scriptura, & Patribus, includere etiàm voluntatem, tanquam aliquod complementum, agunt enim de beatitudine omninò completa, etiam quoad accidentalia, nedum quoad essentiam. At Patres, & Catechismus clarè ponunt essentiam beatitudinis, etiam in volitione. Quòd si vera est responsio, non poterimus aliunde venari essentiam beatitudinis, quæ è Scriptura, & Patribus petenda est.

57 Probatur secundò è SS. PP. præcipuè D.August. *lib. de moribus Ecclesiæ, cap.3.* vbi ait: *Beatus autem quantum existimo, nec ille dici potest, qui non habet, quod amat, qualecunque sit: nec qui habet, quod amat, si noxium sit: nec qui non amat, quod habet, etiam si optimum sit. Quartum restat, vt video, vbi beata vita inueniri queat, cum id, quod est hominis optimum, & amatur, & habetur. Quid enim est tibi, quod dicimus frui, nisi præstò habere, quod diligis?* Hoc fundamento nititur Suar. *numero 26.* vbi notat cum D. Bonauent. 4. *loco cit. ad argum.* Patres interdum in visione: interdum in amore, vel fruitione, ponere beatitudinem. Quia hæc connexa sunt, & vnam essentiam beatitudinis constituunt. Et *lib. vlt. de ciuit. Dei, cap.29. Videbimus, laudabimus, amabimus.* Isti sunt actus 58 gloriæ. Quæ loca affert S. Bonau. *in 4. loco cit.* & *lib.2. Pharetræ, cap.48.* Aliis quoque locis, vt *epist.52.* vbi ait: *Vna ibi virtus erit, & id ipsum erit virtus, præmiumque virtutis, quod dicit in sanctis colloquiis homo, qui amat: Mihi autem adhærere Deo bonum est. Hæc illic erit plena, perfectáque sapientia, eademque veraciter vita iam beata.* Idem dè visione dicit 1. *de Trin. cap.89. 10. & 17.* & *concione 2. in Psal.90.* vbi ait: *Visio est tota merces.* Notat tamen S.Bonauent *in 4.loco cit. ad argumenta*, ideo dici *tota merces*, quia isti tres actus sunt coniuncti; vnde, qui perfectè videt; perfectè amat, perfectè fruitur, & ideò in sanctorum verbis: Quod est plurium, attribuitur vni, magis autem visioni, quia in visione distinguitur status patriæ à via; non sic in dilectione, quæ vtrobique est; at visio est solùm in patria; in via autem est credulitas de non visis. Idem habet S. August. *lib. de quantitate animæ, cap.33.* & *l.2.de lib.arb.cap.14.* & *lib.1. Retract.cap.14.*

Idem asserunt alij SS. PP. vt notat D. Bonauent. *loc. cit.* è quibus D. Bernardus *epist.19.* quem 59 refert S.Bonauent. *in 4. loc. cit. argum.5.* & Suarez *num.26.*

Probatur etiam rationibus, necessitas visionis, & amoris ad essentiam beatitudinis.

Quoad visionem probatur à D.Bonau. *in 1. d.1. art.3. quæst.1. argum.3.* & *in 4. loc. cit. in corpore.* Beatitudo est summa delectatio ex coniunctione potentiæ cum obiecto summè delectabili, ac bono, idest Deo. Sed hæc habetur visione: ergo. Maior probatur è communi sensu, & loquendi modo de Beatitudine. Minor probatur: Nam vnaquæque potentia delectatur in coniunctione cum suo proportionato obiecto, sic oculus in videndis pulchris: Auris in audiendis musicis: Olfactus in odorandis suauibus: Gustus in saporibus dulcibus; & Tactus in blandis. Hoc argumento nititur Arriaga *numero 27. & 33.* qui tamen addit, has delectationes, nihil ad voluntatem spectare, & ita etiam voluntate renuente; has delectationes non tolli, vt patet in eo, qui inuitus audit musicam, edit Saccharum, &c.

Hinc verò deducit, idem dicendum de visione 60 Dei, in qua est perfectissima delectatio è coniunctione potentiæ cum obiecto speciosissimo Deo, etiamsi voluntas non amet.

Attamen hoc malè additur. Primò quidem; quia etiam delectatio sensuum è reclamatione voluntatis minuitur: vt patet in Sanctis, qui aliquando inuiti sensuum patiuntur delectationem; & ideò reclamant: ita legitur de B.Francisco Xauerio, qui voluntati sensus renitendo adeò passus est, vt sanguinis globum eruptâ venâ euomuerit. Cùm autem beatitudo sit delectatio perfectissima, & completissima, debet esse etiam consentiente voluntate, ne dum non renuente; & ideò sicuti delectatio sensuum augetur ex reflexa delectatione voluntatis; ità quoque delectatio visionis.

Secvndò, quia sensus ipsi coniunguntur obiecto, ità vt in illa coniunctione materiali, sit eorum perfectio: at coniunctio animæ cum suo obiecto, ratione potentiarum superiorum perficitur in amore rationali: sicuti in quadam materiali li complacentia sensus.

61 Præterea etiam sensus complent suam delectationem amando sensibiliter bonum visum, tactum &c. Id ergo solùm probat, visionem necessariam esse ad essentiam beatitudinis; est enim ea, quâ coniungimur vltimo fini, & assimilamur ei intentionaliter, vt ait Ioannes: *Similes ei erimus: quia videbimus eum, sicuti est.* Et est participatio diuini actus, quo seipsum videndo, Deus in se beatur, & facit præsens obiectum, vt coniunctum cognoscenti, & quodammodo constituit illum in potestate videntis, vt illo possit frui, & satiari: ergo hæc operatio habet rationem consecutionis.

Sic enim & in rebus materialibus, quibus vtendum est, tunc dicimus adipisci aliquam rem, quando ità constituitur in nostra potestate, vt illa vti possimus ad nostrum libitum. Hoc solum pro-

62 bant rationes multæ Thomistarum. Cæteræ autem vel omninò falso fundamento nituntur, quòd intellectio sit perfectissima operatio rationalis naturæ, & nobilior volitione, de quibus egi *in Libris de anima, Tract. de anima rationali, disp. 9. cap. 5. quæst. 2.* vel infrà soluentur, & in eo, quod verum assumunt, admittentur. Tandem similitudines Arriagæ non sunt ad rem: Nam beatitudo est delectatio adæquata continens etiam voluntatem; non sic sensitiua.

Probatvr secundò, quoad Amorem. Supposito actu visionis à D. Bonauent. *in 2. d. 38. q. 2.* ratione, qua vtitur Suarez *num. 27.* Charitas Dei est vltimus finis noster, vel certè innuens essentiam eius; sed finis vltimus est beatitudo eius: ergo. Antecedens probatur primò, ex Paulo 1. *Tim. 1.* vbi dicitur: *Finis præcepti charitas*, & Rom. 14. *Plenitudo legis est dilectio.* Et 1. Cor. dicitur *perfectissima.*

Dices, Apostolum loqui de charitate viæ, quæ est finis omnium aliorum præceptorum.

63 Contra. Nam D. August. *lib. de perfectione iustitiæ*, docet, charitatem patriæ esse finem ad quem ordinatur perfectio charitatis viæ, & qua quiescitur in Deo perfectissime, & consummatè, sic Deus dicitur: *Deus charitas est*, & finis, in quo quiescitur charitate; vt notat D. Bonau. *in corp.* & post eum Suarez *n. 27.* Vnde per charitatem viæ quærimus Deum, vt dicitur 2. Canticorum. *Quæram, quem diligit anima mea*: per charitatem autem patriæ tenebimus illum, vt dicitur Cant. 3. *Tenui eum; nec dimittam.* Ità exposuit testimonium Apostoli D. Augustinus *in Enchir. cap. 121.*

Respondet Morandus, actum amoris esse perfectiorem in genere moris; non in genere naturæ.

64 At contrà: Nam actus, qui in genere naturæ est finis, perfectior est. Talis est actus voluntatis, respectu actus intellectus, vt dicam *argumento quarto.*

Respondet Arriaga *d. 49.* non sequi, aliquid optatibilius esse, quia melius, nam melior est vnio hypostatica cum Verbo, quàm visio Verbi; & tamen hæc optabilior, non illa.

65 At non sumo optabilitatem à perfectione in se, sed à communicatione bonitatis in ordine ad appetitum; melior est sanè vnio hypostatica in hoc genere, quia illi debetur etiam beatitudo; at præcisè non est melior, nec optabilior appetitui rationali, cùm possit communicari etiam bruto, cui nequit deberi beatitudo.

Probatvr tertiò à Mastrio *n. 310.* & Valentia, ratione firmissima. Tunc mens nostra erit verè, & essentialiter beata, cùm summum bonum, quod est Deus, ità assequetur, vt nihil prætereà expetendum relinquatur. Sed non assequetur Deũ, nisi secundùm vnionem, & fruitionem: ergo. Maior probatur. Psalm. 16. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* & Aristoteles *primo Eth. cap. 7.* ait, Fœlicissimum esse sufficiens bonum. Minor probatur, quia non minùs voluntas inquieta est, donec fruatur summo bono, quàm sit intellectus donec videat. Vnde D. August. 8. *de ciuit. cap. 9.* ait: *Nemo beatus est, qui eo quod amat non fruitur.* Fruitio autem est post visionem. Hoc est totum argumentum S. Bonauent. *in corpore*, & *argumentis primo loco.* Per hoc euellitur ratio Arriagæ, & Thomistarum suprà allata, qui ideò nitebatur, solam visionem beare, quia sola dat consecutionem summi boni, ac proinde delectationem, præciso actu voluntatis. Profectò consistit beatitudo in hoc, vt obiectum beatificum attingatur omninò perfectè; at per voluntatem, etiam immediatè attingitur, vt notat Mastrius.

Probatvr quartò à D. Bonauent. *arg. primo*, ad hominem, contra D. Thom. Suarez & Vasquez. 66
Beatitudo consistit in eo, quod est vltimum nostræ perfectionis, vt dicebant ibi *loco relato quæst. præcedenti.* Sed vltimum complens potentiam per vos, est actus, & inter actus, intellectio non est vltima: Nam ordinatur ad dilectionem, & fruitionem: ergo.

Hoc argumentum vidit Suarez *d. 6. sect. 2. n. 9* & respondet, beatitudinem non dici vltimam perfectionem, ordine generationis, seu causalitatis, sed in ratione, & modo actuandi, quia in suo ordine, ità actuat, vt non relinquat potentiam ad vlteriorem actum, quo ipsa reducatur in actum, quomodo omnis actus secundus, est actus vltimus: qui modus actuandi est necessarius beatitudini; Quia necesse est, vt in suo genere habeat rationem vltimi termini; nihilominus, sicut ex essentia, quæ est vltimus actus in genere substantiæ, resultant passiones; ità ex illo actu, qui est essentia beatitudinis, possunt resultare alij actus, qui sunt velut passiones eius.

Contrà tamen. Si tamen beatitudo est vltima 67
perfectio in modo actuandi, vt non relinquat potentiam ad vlteriorem actum, quo ipsa reducatur in actum: ergo cùm visio sit in potentia, & ordinata ad amorem, sicut intellectiones aliæ, iam beatitudo consistet in amore.

Confirmatvr: Nam inter actus subordinatos, vltimus habet rationem magis actus, vt actus; & anteriores habent rationem potentiæ. Quod si per vlteriorem actum excludit omnem actum consequentem, secum pugnat, vel petit principium; nam quando assumit, beatitudinem consistere in vltima perfectione, cùm perfectio vltima sit ea, ad quam reliquæ ex natura sua ordinentur, siue consequatur habitum, siue actum præcedentem, iam est vltima perfectio; & ità respondere, quòd debet esse actus, reducens in actum, antecedentem actum, est ludere, & principium petere ad latibulum. Confirmatur, quia obiectum beatitudinis est bonum, quod non habetur completè per visionem, quæ habet pro obiecto verum, sed per voluntatem, cuius obiectum est bonum, & finis vltimus. Confirmatur;

firmatur; nam in eo consistit beatitudo, quod est desiderabilius; at hoc est amare magis, quàm videre. Ideò optima Charitas, *prima Cor.* 3.

Obiicies primo Ioan. 17. *Hæc est autem vita æterna: vt cognoscant te Deum*, quod de beatitudine exponit D. Augustinus.

68 Respondetvr ex dictis cum D.Bonauent. *ibi*, poni visionem præcipuè; quia per eam distinguitur comprehensor à viatore, & quia visio est principium amoris. Ponitur ergo ratio inadæquata beatitudinis. Ideò Vasquez ingenuè fatetur, hunc locum parui momenti esse pro sententia Thomistarum confirmanda; sicut & testimonia Cyrilli, Irenæi, & Basilij, qui loquuntur inadæquatè, consistere beatitudinem in visione. Sicut etiam D. Augustin. vt patet aliis eius testimoniis, vbi ad beatitudinem requirit amorem, & fruitionem. Et licèt D.Nazianzenus *oratione de grandine* dicat (*in sola*) excludit alios actus, qui non sunt circa Deum, vnde idem ait, ac visio solius Dei, ad quam sequitur fruitio, vt notat Valentia. Sic D. Augustin. cum ait, primo de Trin. cap. penultim. *Visio est tota merces*, comprehendit etiam totum necessariò consequens visionem.

69 Obiicies secundò cum D. Thom. *p. secunda, q.* 1. *art.* 1. *ad* 2. & *q.* 3. *art.* 4. *ad* 2. & 3. *cont. gent. cap.* 26. Vasquez *cap.* 6. & omnibus Thomistis. Actus, qui est assecutio summi boni, non potest esse actus voluntatis. Sed beatitudo est assecutio summi boni: ergo. Minor patet. Maior probatur: Nam primum obiectum voluntatis non potest esse actus voluntatis; sicut nec primum obiectum visibile potest esse visio. Sed assecutio Summi Boni, quod est beatitas essentialis, est primum obiectum voluntatis: ergo.

Respondetvr primò cum Vasquez è D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 38. *quæst.* 2. *in corpore*. Actum esse finem *Quo*: Deum autem finem *Qui*, & ex vtroque fieri vnum finem. Igitur actus voluntatis est obiectum voluntatis, vt *quo* Summum Bonum adipiscimur, id est, Deum, quod non repugnat; alioqui etiam repugnabit, beatitudinem consistere in actu intellectus, quia neque intellectus habet pro obiecto primo suum actum; primus autem actus intellectus est, quo cognoscitur vltimus finis. Satis igitur est, quòd vltimus finis *Qui*, sit primum obiectum appetibile directè à voluntate, neque necesse est, vt assecutio eius sit appetibilis actu à se distincto, sed sufficit appeti, *vt Quo*. Ità etiam Suarez *num.* 16. Nam, dum beatus videt Deum, ipsum amat; & hoc est primum appetibile à voluntate; ille autem amor, dum directè fertur in illud obiectum simul, quasi reflexè fertur in seipsum, & ideò potest esse magis volitus, quàm omnis alius actus voluntatis.

70 Obiicies tertiò cum D.Thom. & Durando *in* 4. *d.* 49. *q.* 1. Appetitus non est propter se, nullus enim appetit propter appetendum, sed ad consequendum id, quod appetit, vt patet discurrendo per omnem appetitum naturalem sensitiuum; atque eadem est ratio de intellectiuo: ergo cùm voluntas sit potentia ad appetendum, & omnis actus eius sit appetitio, non potest esse consecutio, sed ad consecutionem ordinari, seu per consecutionem satiari. Vnde in omni natura, alia est potentia ordinata ad appetendum; alia ad consequendum.

Respondet S.Bonauent. *in* 4. *loc. cit. in corpore*, beatitudinem consistere in coniunctione animæ cum Deo. Et ità dotes assignantur ipsi animæ, vt anima perfectè vniatur, tanquam sponsa, Deo sponso. Hos autem actus, ait, esse tres, id est. Perfectam visionem dari potentiæ Rationali, quæ Deum per fidem quæsiuit. Perfectam dilectionem, seu charitatem, quæ est amor amicitiæ, dari Concupiscibili, quæ imperfectè in via diligebat Dominum; & hoc amore perfectissimo obtinemus bonum amatum, eique vnimur; tametsi amor concupiscentiæ non sufficiat ad bonum concupitum consequendum. Non enim ditatur auarus amando 71
thesauros. Additur verò tertia dos ad comprehensionem, & tentionem boni commodi amati, & concupiti sibi, & hæc datur Irascibili, quæ olim per Spem tanti boni ferebatur in Deum. Itaque obtinet bonum commodum speratum; ità & aliqui cum D. Bonauent. Sic autem voluntas delectatur, Bono obtento.

Per hæc soluitur Durandi instantia, quòd scilicet beatitudo consistit in nostro commodo, vt ait D. Anselmus, & ideò amor amicitiæ præcisus non est beatitudo: Quam instantiam vrgent Thomistæ.

Qvod enim Suarez *loco cit.* & Arriaga *n.* 36. 72
& alij respondent, illum-met amorem amicitiæ esse maximum commodum nostrum, vnde ex amore commodi possumus hunc amorem amicitiæ nobis amare, non satisfacit; quia amor amicitiæ est essentiæ oppositæ, amori concupiscentiæ, neque alter peruagari potest in alterius obiectum. Itaque sicut amor concupiscentiæ, non potest amare rem propter illam præcisè, sed amat propter suum commodum, eo minùs simul idem, quod amat propter se.

Obiicies quartò cum D.Thom. *loc. cit.* Omnis amor voluntatis, vel antecedit consecutionem boni amati, vel subsequitur. Ergo numquam ille potest esse consecutio. Antecedens patet. Quia actus voluntatis, vel est desiderium boni absentis, vel delectatio boni habiti.

Respondet Scotus *loc. cit.* & Suarez *n.* 23. 73
Arriaga *n.* 36. Pasqualigo, & Scotistæ, apud Hiquæum *d.* 49. *q.* 4. *n.* 26. è D.Bonauent. *in* 4. *loc. cit. in corp.* Amorem supponere aliud principium, per quod anima Deo coniungitur, & iam præsens est, & hæc est visio. Itaque voluntas amat, bonum iam ipsum assecuta per coniunctionem præsentialem visionis, per quam se Deus exhibet in possessionem. Fateor igitur, obiectum, visione præsens factum; attamen adeptio talis boni, amore consummatur, & integratur. Vnde non est probata illa assecutio in sola visione esse perfecta.

Addit Arriaga, neque probari, visionem esse inadæquatam beatitudinem; sed solam conditionem, quia nil volitum, quod non præcognitum, atque adeò visionem non ideò requiri, vt sit possessio Dei.

Hoc tamen nimis deprimit visionem, contra 74
fundamenta Arriagæ *numero* 32. vbi visionem, esse assecutionem summi boni boni, & fruitionem, probat; sicuti visio est delectatio oculi; musica auditûs, vt suprà dixi ex ipso Arriaga.

Hoc argumentum D.Thom. non potest satis attollere Morandus. Ideò frustrà, allegato responso à nobis, concuti, ait. Instat igitur primò. Vel amor est consecutio summi boni, vt amor est; vel vt talis amor est: Non primum: Quia potest esse de obiecto absente. Neque secundùm quia non est diuersus ab amore viæ: nam vt dicitur Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit.* Quare si in via non habet rationem

nunquam excidit. Quare si in via non habet rationem consecutionis vltimi finis, neque in patria erit talis.

75 Respondetur è D. Bonauent. *loco citato*, amorem patriæ, esse consecutionem summi boni, vt est talis amor nixus præcedenti qualicunque consecutione intellectiua, quæ simul cum assecutione voluntatis perficit possessionem. Est enim cognitio ad summum possessio inadæquata; eò quòd *nil volitum, quin præcognitum*; sic nequeo frui amico, nisi nouerim. Neque est eadem charitas in via, quæ nititur cognitione ænigmatica, cuius signum est, quòd non inducitur per eam amor necessarius Dei, sicut à cognitione clarâ. Dicitur verò manere claritas ad differentiam fidei, & spei, quia earum obiectum, quoad formale, tollitur; at verò obiectum formale charitatis est Deus dilectus, vt sic: mutatur verò in ordine ad effectum fruitionis, per visionem.

76 Instat secundò; quia voluntas non ideo dicitur consequi alia bona; eò quòd in ea feratur; sic aliquis non consequitur principatum ad se deuolutum, cùm illum amat, eoque fruitur, sed potiùs ea fruitio est effectus consecutionis.

Respondetur, non consequi perfectè aliquem hæreditatem, ob solum ius possessionis, sed quando eam assequitur, atque eâ fruitur, sic enim voluntate bono connectitur vinculo quodam, quæ vnio dici potest detentio, & apprehensio completa obiecti, iam apprehensi ab intellectu in genere intellectiuo, quo intentionaliter tantùm obiecto coniungimur cognoscitiuè, quam apprehensionem supponit quidem tentio cæcæ voluntatis, vt gratis Morando, Motisanoque concedam; at tunc perfectè tenetur, cum voluntas obiecto præsenti coniungitur. Ideò & Sponsa *Cant.* 3. exhibitâ visione Sponsi, subdit:

77 *Tenui eum; nec dimittam*, nempè vinculo charitatis colligatum. Itaque dum aduersarij probant, Deum per visionem possideri, petunt principium; quia nil aliud dicunt, nisi esse cognitioni præsentem, quæ potest esse etiam absentis, vt notant Suarez & Mastrius, cum Scoto, & D. Bonauentura.

Instat tertiò. Si consecutio obiecti non est perfecta, dum videtur: ergo neque visus satis assequitur suum obiectum, dum illud iam videt; neque auditus, dum harmoniam audit. Confirmatur: Dicant quæso aduersi; cur assecutus sum epulum, quod comedo, etiam secluso omni actu voluntatis, & non sum assecutus Deum, quem video?

78 Respondetur, paritatem in hoc stare, vt sicut potentia visiuâ assequitur suum obiectum in genere visionis, cùm videt; ità & intellectiua, dum intelligit, at hoc non est satis ad complendam possessionem perfectam totius animæ, vel Angeli in esse beatifico. Et idem dico de epulo, quod obtinet palatum, dum comedit. Sic & intellectus, dum intelligit clarè: at non adhuc totus Angelus, vel tota anima beatur, sed dum eo bono agnito delectatur, sic & Musicâ, epulo, &c.

Obiicies quintò cum Thomistis. In eo ponenda est beatitudo, in cuius opposito stat summa infœlicitas. Sed summa infœlicitas damnatorum est carentia visionis Dei, ex Theologorum consensu: ergo.

79 Respondet Mastrius *n.* 326. pœnam damni consistere in carentia visionis Dei, quatenus includit necessariam consecutionem amoris beatifici. Explicari verò per carentiam visionis quatenus ab ea incipit, & quia visio est notior. Vide etiam Ouandum 4. *d.* 49. *prop.* 4. *ad* 2. & Angles *de Beat. quæst.* 1. *art.* 1 *diff.* 3.

Obiicies sextò. In eo actu collocanda beatitas, in quo resultant proprietates status beatifici; sed ex visione resultant amor, & fruitio, vt proprietates: ergo.

Respondetur, resultare vt compartes; ad modum quo forma sequitur materiam præparatam ad vnum totum essentiale constituendum.

Obiicies septimò. Beatitudo est propria naturæ intellectualis: ergo conuenit ei secundùm gradum, qui est naturæ intellectiuæ essentialis. Sed hic est visio, non appetitio, quæ etiam brutis conuenit: ergo.

Respondetur, naturam intellectualem constitui etiam, & sanè principaliter, in appetitu rationali voluntatis, quæ est intellectu nobilior, vt dixi *tractat.* 9. qui de Anima, *disput. penultim.* 80

Obiicies octauò. In eo actu ponenda beatitas, qui eleuatur per Lumen gloriæ. Sed hic est intellectus: ergo.

Respondetur, Lumen gloriæ disponere ad visionem, vt formetur beatitudo in charitate consummata, cui ideò datur etiam charitas.

Obiicies nonò. In eo actu consistit beatitudo, quo distinguitur beatus, à non beato; sed hoc est visio: nam quoad charitatem habetur etiam in via: Ergo.

Respondetur, differre beatum à viatore, præcipuè per fruitionem & amorem beatificum, qui in via non repetitur. His responsis Mastrius reliqua soluit. 81

Ex his habes primò, beatitudinem esse actum practicum, quem dixi affectiuum, *tom.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 5. Videtur D. Thom. *art.* 5. vbi ait, beatitudinem consistere principaliter in contemplatione: ergo secundariò est practica. Hunc textum mendosum frustrà dicunt Vasquez *disp.* 10. *cap.* 1. Tanner. *disp.* 1. *quæst.* 2. *dub.* 4. *num.* 43. Morandus, *tract.* 1. *de Beatitudine*, *quæst.* 9. Inueni enim ego illum in textu emendatissimo à Porrecta sic excusum.

Hæc nostra Sententia est etiam Scoti, & Scotistarum, ac Valentiæ *hic*, *p.* 4. §. *Quoad secundam dubitationem.*

Probatur, quia beatitudo consistit in optimo; sed optimus est actus voluntatis, qui est practicus: ergo. Maior est D. Thom. Minor probata extitit *Tract.* 9. qui *de Anima*. 82

Colligo secundò, Thomistas cogi concedere, posse aliquem esse beatum, & non amare Deum; nam in sola visione tota beatitudo apud eos saluatur; amor verò est accidens. Hoc vidit Vasquez *d.* 11. *c.* 10. & est optimum argumentum pro nostra sententia. Absonum est enim dicere, esse beatum, & auersum à Deo. Ideò ipse asserit, huiusmodi per visionem à peccato emundandum. Ex quo ego infero: ergo amor Dei est de intrinseco beatitudinis.

Morandus *numero* 38. dicit, naturaliter non posse fieri, vt quis videat Deum, & illum non amet; sed per Dei potentiam posse manere indifferentem, seu suspensum. At verò cognito summo bono, in quo nulla elucet ratio mali, 83

mali, & nullibi alio bono viso, non potest voluntas non amare.

Obiicies primò cum Scoto. In eo solo sita est, beatitudo, quod habet rationem institutionis vltimi finis. Talis est amor: Minor probatur, quia per amorem vnimur Deo, ex D. August. 10. *de Trin. cap.* 4. D. Thom. *cont. G. cap.* 116. & colligitur ex illo D. Dionysij. *Amor transformat amatum in amantem.* Ideò est vulgatum sermone prouerbium. *Amor intrat, vbi cognitio finis stat.* Confirmatur: Ratio consecutionis boni non consistit in repræsentatione illius; sic amans pecuniam, non ideò eam consequitur, quia habet eam præ oculis: ergo idem de visione Dei. Confirmatur; quia finis, vt finis, id est bonum, ad voluntatem pertinet.

84 Respondetur cum D. Bonauent. *locis adductis*, amorem quidem esse complementum beatitudinis, spectat enim ad essentialem coniunctionem cum vltimo fine, & sub ratione boni; attamen intellectus visione respicit bonum; esto sub ratione hac formali relinquat voluntati, Itaque id solùm probat, beatitatem principaliter in actu voluntatis consistere, & hoc probant tantùm cætera.

85 Obiicies secundò. Ibi est præmium, vbi est meritum, sed hoc est in voluntate: ergo.

Respondetur, esse meritum in voluntate; non est tamen necesse, vt solùm in eo subiecto, à quo est meritum ponatur præmium: nam miles animo decertat, & tamen solum corpus clamyde vestitur, coronâ ornatur. Ità respondet etiam Suarez *num.* 50. Adde, meritum esse etiam in actibus intellectus liberis; vt ait Bassolius.

Hinc certè, qui videret, nec amaret Deum, non esset Beatus, vt notat Vasq. *cap.* 10. *post numerum* 61.

Attamen videntem non amare Deum, impossibile est, vt supponit D. Bonau. *loc. cit. in* 4.

Vasquez vult, per solam visionem, hominem à peccato mortali emundandum, ac dilecturum. Contra: Si necessariò est amaturus, vt sit beatus. Ergo amor est de essentia beatitudinis.

86 Quod verò subdit Vasquez, per solam visionem tollendum peccatum, absque infusione charitatis, & gratiæ, vel absque actu charitatis; non placet; nam vt tollatur peccatum, debet poni aliquid positiuum, tollens deformitatem priuationis, & maculam peccati de condigno, ex ipso Vasquez *numero* 66. Sed talis non est sola: ergo. Confirmatur. Quia peccatum opponitur rectitudini naturali: ergo hæc debet poni, vt tollatur peccatum; hæc autem, vel per actum, vel per habitum poni debet; alioqui dicat; quomodo rectificetur anima sine actu, vel habitu. Neque satis est, denegari dilectionem, quæ consequeretur visionem, vt tollatur debitum habendi aliquid, quo macula aufeeratur.

87 Habes etiam, beatitudinem esse primò in potentiis, & mediatè in essentia. Ità D. Bonau. *in* 4. *d.* 49. *quæst.* 4. & sequitur Fauentinus *in* 3. *d.* 8. *cap.* 1. *num.* 14.

Quoad illud gaudium, de quo *in quæstione*; distinguere oportet. Nam vel est gaudium; quod sit complacentia quædam de bonis, & perfectionibus Dei; ità, vt totum obiectum amatum, sit Deus; hoc pacto non distinguitur ab amore amicitiæ, quo diligitur Deus propter se; quia amare aliquem, est velle ei bonum. Itaque complacere in bono illo Diuino, est velle Deum illud habere, & hoc modo pertinet ad essentiam beatitudinis.

Quoad fruitionem verò, seu voluptatem, quæ est delectio consequens operationes amandi, & videndi Deum, quæ sunt natura sua iucundissimæ; omissâ sententiâ Aureoli suprà adductâ, & confutatâ, quæ totam essentiam beatitudinis, in gaudio illo collocandam opinatur.

Alia opinio est, eam delectationem non spectare ad essentiam beatitatis. Ità D. Thom. *p.* 2. *quæst.* 3. *art.* 4. & *quæst.* 4. *art.* 1. & 2. Scotus *in* 4. *d.* 49. *quæst.* 7. Suarez *d.* 7. *sect.* 1. *num.* 43. & *d.* 9. *sect.* 3. *num.* 3. licet *d.* 7. *sect.* 1. *num.* 35. dicat, sibi olim probabile visum, gaudium illud ad essentiam beatitudinis pertinere. Cum his incedit Arriaga *d.* 49. *sect.* 3. Tannet. *quæst.* 2. *dub.* 3. qui visionem solam, ponit essentiam beatitudinis, pro quo omnes Thomistæ stant; dicit verò, delectationem, esse conditionem, qua visio euadit beatifica. 88

Tertia opinio est, delectationem illam ad essentiam beatitudiuis pertinere. Ità videntur sentire omnes illi, qui dicunt, nullum, etiam per Dei potentiam, posse Deum videre, & non delectari. Geffred. *quodl.* 7. *quæst.* 5. Henricus *quodl.* 1. *quæst.* 1. & *quodl.* 12. *quæst.* 5. Ægid. *quodl.* 5. *quæst.* 6. quam rem dubiam relinquit. Capreol. *in* 1. *d.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4. contra sextam conclusionem, & *in* 4. *d.* 49. *quæst.* 2. *ad* 5. contra primam conclusionem: & alij. Pro hac sententia stat D. Bonauent. *in* 1. *d.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1. & 2. & *locis suprà cit.* & *in Opusculis passim.*

Assero cum hac sententia, delectationem ortam è visione, & amore, ad essentiam beatitudinis spectare.

Probatur primò è Bulla Benedicti XI. *ex Concilio Vien. & Catechismo*, suprà *relatis*, vbi delectationem in fruitione, quam ad beatitudinem essentialiter pertinere dicunt, videntur includere. 89

Respondet Tannerus, fruitionem poni, vt conditionem. Subscribit Morandus.

Contra arguit Arriaga *num.* 21. hanc solutionem violentam esse: Ibi enim fruitio dicitur pars beatitudinis essentialis.

Respondet ipse, solam Dei visionem esse fruitionem pulchritudinis Dei; sicut solus olfactus est fruitio odoris. Hanc tamen doctrinam in eo extrusi, suprà *argumento primo*, quòd delectationem in solo intellectu ponit, & ostendi, esse in voluntatis consensu.

Contra secundò. Vel ista delectatio est operatio ipsa, vel aliquid distinctum, & consequens operationem visionis. Si est ipsa visio. Contra primò: Quia visio est coniunctio intellectualis obiecti cum potentia, quæ quidem à nullo philosopho dicitur delectatio; imò ad potentiam diuersam, id est appetitum, pertinere dicunt. 90

Deinde arguo ad hominem. Quæ possunt naturaliter separari, non sunt vnum sed delectatio à visione, per te, potest separari: ergo. Minor probatur. Ità se habet, per te, declaratio obiecti in visione, sicut delectatio saporis in gustu: Sed potest gustus sentire saporem, & eo non delectari; vt cùm sentit saporem mellis, & tamen stomachatur, od aliquam palati indispositionem: ergo.

Si verò dicas, delectationem esse aliquid consequens visionem ab illa indistinctum: Ergo cùm hæc delectatio per te spectet ad essentiam beatitudinis, iam confiteris, præter visionem, requiri etiam delectationem.

Respondet Suar. delectationem esse amorem, vel quid posterius amore, vt passionem consequentem ad beatitudinem.

91 CONTRA: Quia ex Concilio, & Bulla, ac Catechismo dicitur, spectare ad beatitudinem. Si ergo concedis, esse aliquid consequens amorem, ergo aliquid consequens amorem, quod est delectatio, est de essentia beatitudinis.

Confirmatur: Nam ex Aristotele 10. *Eth. cap. 7.* relato à Suarez, numero 43. *Arbitramur fœlicitate voluptatem admixtam esse oportere.* & cap. 4. dixerat; quòd perficit operationem, vt quidam finis resultans; & communi Sapientum consensu, beatitudo in delectatione beati collocatur complete. Quæ enim beatitudo eius, qui non gaudet? & declaratur: Ponimus (si potest) per Dei potentiam, animam videre Deum, & amare, nec tamen gaudere, sed tristari. (Quod sane fieri posse ait Suarez *locis adductis*,) quæ obsecro beatitudo erit ista?

92 PROBATVR à S. Bonauent. *in primo, d. 1. art. 3. q. 1. arg. 1. secundo loco.* Delectatio est coniunctio conuenientis cum conuenienti, sed in hoc sita est fruitio, & beatitudo: ergo.

PROBATVR à S. Bonauent. *quæst. 2. fundamento. 3.* Id, quod implet appetitum, & satiat, ad beatitudinem facit intrinsecè. Sed Deus, vt bonus nobis, solus satiat appetitum: ergo; sed sub hac ratione spectat ad amorem concupiscentiæ: ergo sub ea ratione ad beatitudinem spectat intrinsecè. Ex quo habes, Deum, vt bonum nobis, & delectabilem, esse obiectum beatitudinis. Quod si dicas, declarationem illam, non posse esse beatitudinem, quia beatitudo respicit Deum.

RESPONDEVR, quòd sicut Spes est virtus Theologica, licèt respiciat Deum amore concupiscentiæ; vt præmium mihi vnitum; Ità & beatitudinem in hac sitam esse. Hoc argumentum vidit Suarez *d. 7. sect. 1. num. 43.* quod sumitur è D. Bonauent. *in 3. d. 26. art. 2. quæst. 1. ad vlt.* & *in 4. loco citato.*

93 Imò arguo è Seraphico *in 4. loc. cit. in corpore.* Ea est beatitudo, quam spe intendimus: Sed spe intendimus Deum, vt nobis delectabilem: ergo.

Respondet Suarez, Verum quidem esse, delectationem illam attingere Deum aliquo modo, tamen hoc ipso, quòd attingit illum, vt adeptum, hoc ipso deficit à ratione consecutionis; tum quia supponit illam; tum quia non est vltimatè propter se: sed propter operationem.

94 Hæc tamen parui momenti sunt; nam & amor attingit Deum, vt adeptum præsentem, & exhibitum vt obiectum beatificum, & tamen, secundùm Suarez, spectat ad beatitudinem; non enim in sola consecutione in fieri stat beatitudo; sed in fruitione boni ipsius. Neque verum est, delectationem omnem, esse propter operationem. Et quidem delectatio illa, quam Suarez supra dicebat, esse amorem amicitiæ in Deum, numquid est propter operationem, cùm nullum finem habere queat præter ipsum Deum? Hæc igitur delectatio, non est ob aliquam operationem, sed benè, ex operatione visionis, & amoris.

QVÆSTIO VII.

An DELECTATIO *in patria sit de Deo viso: An de Visione.*

{ D. Bonau. in 2. d. 38. q. 1.

95 SVPPONO hic primò, delectationem tàm appetitus animalis, quàm rationalis, non esse meram passionem, quâ potentia quiescat, contra Scotum *in 3. d. 15. q. vnica.* Sed esse operationem elicitam à facultate appetente. Ità D. Bonauent. *in 2. d. 20. quæst. 5. ad 2.* licèt à Vasquez adducatur *quæst. 4.*

PROBATVR à Vasquez *d. 14. cap. 2.* primò. Quia per delectationem, & tristitiam possumus mereri, vt contristari ad pœnitentiam *2. Cor. 7.* Sed meritum nunquam est in sola passione: ergo. Secundò, quia requiritur conuersio vitalis potentiæ: ergo est ibi operatio. Sic probatur à Vasquez è D. Bonauent. *loco citato*, quem sequuntur Caietanus, Ferrar. & alij: Vasquez *cap. 2.* estque sententia D. Thomæ.

SVPPONO secundò Amorem, & Delectationem differre: Nam amor est velle bonum alicui *ex 2. Rhet. 3. c. 4.* & ideò hæc voluntas potest esse etiam circa futurum bonum, & circa præsens, & ideò ratio amoris communis est Desiderio, & Delectationi, tanquam genus speciebus, nec ampliùs probat Ariminensis è D. Augustino, apud Vasquez *d. 14.* Estque D. Bonauent. *in 4. d. 49. q. 5.* 96

FVIT opinio Durandi *in primo, d. 1. q. 2.* & *in 4. d. 49. q. 5.* delectationem in patria, non esse de Deo, vt obiecto *Quod*, sed de visione, & immediatè de Deo, vt obiecto *Cui*: & idem dixerat de Spe *in 3. d. 29. q. 2.*

SECVNDA opinio est, delectationem habere pro obiecto Deum solum; visionem autem esse solùm conditionem necessariam. Videtur Caietani 2. 2. q. 17. art. 5. Nominalium, & Scoti *primo, d. 1. q. 1.* & 2. & nonnulli Recentiores subscribunt.

TERTIA sententia media est, delectationem esse de Deo, & de visione, vt vno obiecto adæquato. Ità Conradus in genere, loquens de delectatione, *prima secunda, quæst. 32. art. 1. circa S. D. Thom.* videtur Capreoli, *in primo, d. 1. q. 1. art. 7. concl. 5.* Gregorij *q. 3. art. 1.* Marsilij *in primo, q. 4. art. 2.* Eam tuetur Suarez *p. secunda, d. 9. sect. 3. n. 7.* Tanner. *d. 1. q. 3. dub. 2.* Est D. Bonauent. *in 3. d. 26. art. 2. q. 3.* & *in 4. d. 49. q. 2.* & *in 2. d. 38. q. 2.* quem sequitur Vasquez *disp. 14.* 97

ASSERO cum hac sententia, delectationem haberi de Deo, & ipsius visione, vt sunt vnum obiectum adæquatum.

PROBATVR à D. Bonauent. *in corpore quæstionis adducta, in 3. sent.* argumento, quo vtitur Suarez *numero* 8. & Arriaga *d. 52. sect. 6.* Illud delectat obtentum, quod speramus obtinendum; speramus autem, non solum visionem Dei, sed Deum ipsum, qui est merces nostra magna: ergo. Hac enim ratione, Spes probatur virtus Theologica, vt superat religionem, vt notat Suarez post D. Bonauent. *loco citato.* 98

Rationes verò Durandi friuolæ sunt. Vide Suarez, & Arriaga. Certum est enim, posse nos delectari re, supposito, distinctâ, vt Musicâ, Picturâ, &c.

QVÆSTIO VIII.

Quid sit COMPREHENSIO, *qua dicitur Tentio beatifica.*

{ D. Th. p. secundæ q. 4. art. 3.
{ D. Bon. in 4. d. 49. art. 1. q. 5.

NON loquor de comprehensione; prout opponitur cognitioni imperfectæ; hæc enim in creatum non potest esse ad Deum infinitum, vt ostendi

ostendi *tract.1. d.11. q.26.* Sed prout opponitur inquisitioni viæ; de qua Apostolus: *Sequor, si quo modo comprehendam.*

PRIMA opinio est Paludani, 4.*d.49. q.8.art.3.* eam esse perpetuitatem actus beatifici, & esse tàm in actu intellectus, quàm voluntatis, & requiri ad beatitudinem, eo modo, quo inamissibilitas.

SECVNDÒ, Caietanus ad locum adductum D. Thom. ait, Comprehensionem esse relationem resultantem è præsentia obiecti beatifici.

TERTIA opinio est, esse operationem. Ità Soto *in 4 d.49.q.4. art.2.* Richard. *art.3.q.5.& 7.* D.Bonauent. *art.1.q.5.* & *in 3.d.26.art.2. q.3.* Suarez *d.8. sect.4.numero 5.*

ASSERO cum hac sententia comprehensionem, seu tentionem beatificam esse veram operationem.

PROBATVR à Suarez *loco cit.* ratione D.Bon. Comprehensio beatifica idem est, ac adeptio, tentio, & possessio finis vltimi; sed hæc nominant actionem: ergo. Confirmatur ex illo Apostoli. *Sic currite, vt comprehendatis.*

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *loco citato.* Tentio patriæ respondet inquisitioni, & aspirationi viæ. Sed hæc est per actum Spei: ergo.

Quænam autem operatio sit? Intellectus ne? an Voluntatis? D.Bonauent. dicit, esse actum specialem Voluntatis, vt habet rationem Irascibilis, quo beatus tenebit Deum continuè, & certè arctissimo amplexu; quem actum dicit esse distinctum ab amore, & gaudio, quæ pertinent ad voluntatem, vt habet rationem Concupiscibilis.

101 CONTRA hunc modum arguit Suarez *numero 6.* Primò, quia nec reddit, neque reddere potest explicitè, quisnam actus sit hic, quia circa Deum, vt summum bonum, quomodo à voluntate attingitur, nullus actus voluntatis intelligitur, nisi vel gaudij, vel amoris, supposita præsentia talis obiecti: nam alij actus desiderij, vel spei supponunt absentiam. Deinde vrget, quia nullus potest esse actus Irascibilis circa Deum, quia iam non proponitur, vt bonum arduum consequendum, neque ibi est aliquod malum tali bono contrarium, quod per Irascibilem sit repellendum. Quare (ait) omnes alij Doctores conueniunt, comprehensionem, non esse operationem distinctam ab illa, in qua consistit formalis beatitudo. Vnde Richardus suprà dicit, esse Visionem, & Amorem: Scotus verò, principaliter amorem; quia idem dicendum est de comprehensione & de assecutione.

102 HÆC tamen omnia falsa sunt; & primò quidem S.Doctor supponens, appetitum habere duas vites; idest IRASCIBILEM, & CONCVPISCIBILEM; hæc ad prosequenda: illa dirigitur ad retundenda contraria, quæ bonum reddunt arduum; sicuti eadem securis ex altera parte scindit; ex altera ad instar mallei retundit. Sic autem discurrit: Anima viribus omnibus in via tendit ad Deum per virtutes Theologicas, rationalis quidem per Fidem; Concupiscibilis per Caritatem, Irascibilis per Spem; equum est, vt & in patria hæ potentiatum vires coronentur muneribus respondentibus. Et ità anima detur in gloria, tanquam noua nupta

103 Diuino Agno. Sic igitur Fidei obscuræ merito, quæ intellectum captiuat in obsequium Christi, respondet Visio clara. Concupiscibili, amore tendenti in Deum, respondet Charitas consummata; meritis verò voluntatis, ratione irascibilis; quia in in bonum arduum beatitudinis, & in Deum tendit, firma respondet tentio illius boni, ad quod aspirauit. Et quidem non vult S. Bonauent. Irascibilem tendere in bonum arduum impugnatum, sed vim illam animæ meritum illius tendentiæ habere intentione, quæ non est mera delectatio de bono præsenti, sed secura possessio, & arctus amplexus boni sperati. Voluntas enim tendit sanè in bonum absens per desiderium, per delectationem verò quiescit in bono præsenti; at si illud bonum fuerit iam diù suspiratum, & tunc illud firmiter possessum, delectatio euenit noua. Non est igitur tentio, seu Comprehensio è Seraphici doctrina, ipsa voluptas boni præsentis, sed vult, esse ipsam visionem, & ipsam fruitionem, vt iam adeò suspiratam; nunc autem firmissimè, & securissimè possessam. Vnde B. Agnes id explicans, ait: *Ecce, quod concupiui, iam video: quod speraui, iam teneo: ipsi sum iuncta in cælis, quem in terris posita, totâ virtute dilexi.* Hinc patet malè ab Arriaga *d. 51. sect. 5.* irrideri Seraphicum, quasi dicat, per illam tentionem velle teneri Deum, ne fugiat, vel se abscondat. Nec locum iræ esse. 104

QVÆSTIO IX.

An BEATVS *sit Fide præditus.*

D.Bon. in 3. d.31.art.2.q.1.
D.Thom.3. p.q.7.art.5.& 1. secundæ, q 67.art.3.& 2. 2. q.1.art.4.& 5.

ASSERO negatiuè. Ità communiter Theologi cum SS.DD. 105

PROBATVR à D. Bonauent. primò ex Apost. Heb. 11. *Fides est sperandarum rerum substantia, argumentum non apparentium*: ergo non stat cum clara visione. Confirmat *in corpore, è prima Corinth.13.*

PROBATVR deinde rationibus primo loco validissimis. Præcipua est hæc: Quæ repugnant statui gloriæ, non erunt ibi; sed cognitio per fidem est talis: ergo. Minor probatur ex Apost. *Videmus nunc per speculum in enigmate: tunc autem facie ad faciem.* Cognitio autem clara, & ænigmatica pugnant. Vide Suarez *ad art. cit. D.Thom.3.p.*

ARRIAGA *d.51. sect.1.* non timet admittere in beatis aliquam fidem, seu quoad aliqua; nam Angeli superiores multa reuelant inferioribus. Ea autem non sentiebant Angeli priùs, & poterant scire in attestante per fidem. Attamen ob communem consensum id tandem negat; quia potest illuminatio esse euidenter cognita, vnde nullus fidei locus relinquatur. Vide Seraphicum *loco cit.* 106

QVÆSTIO X.

An in BEATIS *euacuetur Scientia.*

D.Bonau.in 3.d.31.art.2.q.3.
D.Thom.p.secundæ,q.67.

SVPPONO, non manere Theologiam, quæ nititur tota authoritate reuelante obscura; ideò non manente fide, neque manebit Theologia, qualiscumque scientia dicatur. Ità Caiet. ad 13. primæ Cor. *Sine scientia destruetur.* Capreol. *q. 1. Prol. art. 1. ad argumenta*, Aureoli, Durandi, & Scoti, 107

contra primam, & secundam conclus. Medina *q.67. art.2.* Suarez *p. secunda, d.8. sect.1. num.5.* De hoc egi *tract.1. d.1. q.8.* Concedo tamen, manere species Theologiæ, & ità potest recordari Scripturarum. Quæstio ergo est de scientiis naturalibus.

PRIMA opinio negatiua, est Alberti *in 3. dist. 33.*

OPPOSITA sententia est affirmatiua S. Bonauent. & D. Thom. *hic*, & omnium Thomistarum, Paludani, *in 3. quæst.1. art.3.* Durandi *quæst. 7. & d. 33. quæst.4.* Suarez *d.8. sect. 2.* Arriagæ *d. 51. sect. 4.*

108 Distinguit autem S.Bonauent. Habitum, Vsum, & Modum. Quoad primum ait, manere; non quoad secundum. Quoad tertium verò, qui est per inquisitionem, & discursum, ait tollendas scientias.

Suarez verò distinguit Species; & Actus, cum Habitibus, qui illis respondent, sicut & operationes varias, quæ ab illis procedunt.

ASSERO, manere scientias, quoad habitus, in gloria.

109 PROBATVR primò à Suarez *loco citato, arg.D. Bonauent.* quia ex Aristotele: scientia, ac proinde nec species destruuntur, nisi vel ad corruptionem obiecti scibilis, vel ex parte medij, vel ob obliuionem ex parte scientis, ob specierum obliterationem. Sed in patria nullum horum destruetur: ergo. Non primum: Quia obiectum scientiæ est perpetuum; sunt enim scientiæ; quæ sunt veritatis æternæ. Neque medium, vt patet, neque etiam species obliterabuntur, cùm sint spirituales in subiecto spirituali perpetuò incorruptibili, non habentes contrarium.

110 PROBATVR secundò à Suarez, *quarto D.Bonauent. fundamento*, ex conditione illius status. Cur enim aliqua perfectio detrahenda illi statui, si sit independens à via? Confirmatur à D. Bonauent. primò, exemplo Christi, & Angelorum, qui habent has scientias etiam in gloria. Confirmatur secundò, alioqui scientiæ essent inter bona transitoria. Vide S.Bonauenturam.

Hinc deducit S. Doct. *in corpore*, eos, qui ex hac vita decedunt infantes, vel idiotæ, dotari in patria illis scientiis naturalibus; eis verò, qui aliquas habent, addi etiam reliquas. Et hoc ex perfectione illius status, qui est omnium bonorum aggregatione perfectus, vt arguit Suarez è D.Bonauent. *ibi.* Quoad fundamentum bonum acclamat Arriaga *num.24.*

111 Addunt verò Suarez & Arriaga, tolli opiniones; quia imperfectæ cognitiones sunt.

ASSERO secundò, non tolli vsum Habituum.

PROBATVR à S.Doct ratione *in corpore.* Actus est complementum Habituum, si ergo manerent Habitus, nec ad actus inseruirent, iam imperfecti manerent.

ASSERO tertiò, scientias mutari quoad modum.

112 PROBATVR à D.Bonauent. *Scientia destruetur*, quoad id, quod dicit imperfectionis, *ex prima Corinth.* 13. Sed in modo vtendi scientiis imperfectio, per varias inquisitiones discursus, &c. ergo. Confirmatur à D. Bonauent. *arg.vlt. & in corpore*, quo nititur Suarez. Talis enim modus scientiæ repugnat visioni. Hæc enim simplicissima est, abstrahens ab omni discursu. Ergo cognoscit vnico intuitu, quidquid posset per discursum ex ea inferri.

Respondet Arriaga *d. 51. sect. 3. numero* 14. ex cognitione simplicissima, & alia sequenti, posse educi discursum.

ARGVIT ergo, posse beatum discurrere. Potest 113 videre omnipotentiam Dei; non tamen distinctè videre, posse producere Leonem. Hoc verò particulare, potest scire scientiâ naturali, vel experimento, quia vidit Leonem in via. Tunc potest discurrere: *Deus potest quidquid non implicat.* Hoc scit per visionem. *Sed Leo non implicat.* Hoc scit scientia naturali: ergo (potest inferre) *potest producere Leonem.*

HOC sanè exemplum nil probat; quia dum nouit omnipotentiam Dei, scit omnia, maximè ea, quæ vidit. Neque est noua cognitio. Leo non implicat, cùm sit eius creatum. Esse verò posse discursum circa aliqua, dixi 1. *part. tract. 4. disput.2. quæst. 23.*

Addo, neque prophetiam in patria euacuati; potest enim beato reuelari aliquid futurum, sicuti reuelabatur Isaiæ, & reliquis videntibus.

QVÆSTIO XI.

An videns DEVM, *necessariò diligat illum amore amicitia supernaturali.*

D.Bonauent. in 2.d.25. d.2.q.2.& 3.

PAVCIORA de Charitate Beati dicam, quàm de visione, quia charitas est communis etiam Viatori, & ideò agitur *de ea* 22. Est enim substantialiter vna charitas, vt notat Suarez *d.9. sect.1.* modo dicto *quæst.6.* quoad obiectum, vt docet D. Bonauent. *in 4.d.49. q.5. ad 1.*

PRIMA opinio est, Beatum adeò necessariò diligere Deum, vt neque ex potentia Dei absoluta, posset eum non amare. Ità Ægid. *quodlib. 5. q.6.* Henricus *eodem quodl. eadem quæst.*

SECVNDA sententia extremè opposita est, videntem Deum, non diligere Deum necessariò, vel quoad specificationem, vel quoad exercitium; sed posse relinqui, vt Deum odio prosequatur, puta si illi Deus reuelaret, eum inferno mox destinandum. Ità Holcot *in suis determinationibus q.9. art.2. concl.3.* Gabr. *in primo, d.1. q.6. art. 2. concl.3.* & supplementum eius *in 4. d.49. q.2. art.3. dub.5.* 114

NEC longiùs abeunt Scotus *primo, d.3. q.4.* & *in 2. d. 26. q. 2. ad 1.* & *d. 39. q. 1. ad 2.* & *in 4. d.49. q.6.* Ocham *in 4. quæst.vlt. art.3.* D.Thom. *q.22. de verit. art.6.* & *p.secunda, q.10. art.2.* Ouied. *controu.3. q.4.* Mastrius *in primo, d.6. n.277.* & *d.7. animæ, num.145.* & alij apud Granadum *p.2. tract.3. d.1. sect.2.* dicentes, videntem Deum, non ex intrinseca natura visionis, Deum necessariò diligere; sed quadam necessitate extrinseca, ortâ è Diuina assistentia, & prouidentia denegante concursum ad actum commissionis peccati, vel determinante voluntatem beati ad actum oppositum peccato omissionis. Cæterùm è natura visionis liberum esse ad peccandum.

HVIC sententiæ coguntur subscribere quotquot beatitudinem in solo actu visionis constituunt, & actum amoris accidentarium faciunt, quos retuli *q. 6.* Si enim essentia beati in sola visione stat, sanè possunt ex vi beatitatis Deum odisse. Neque eximunt Soto: *4.d.49.q.1. art.4.* Medina, & alij dicentes, tunc non fore beatos. Profectò apud 115

apud vos videns Deum habet beatitati essentialia. Neque dicant, beatitatem esse in visione, vt est causa amoris. Contrà enim vrget, quia ità confitentur beatitatem, non esse nudam visionem, sed includere amorem, & sic fœdera iungunt.

Neque satisfacit Vasquez, aliis reiectis, *d. 11. cap. 10. num.64.* dicens, visionem se solà excludere peccatum, & inducere necessariò amorem Dei intrinsecè. Tunc enim sequitur amorem Dei esse de intrinseco beatitudinis.

Morandus, vt argumentum effugiat, docet *tract. 1. de vlt. fine, q.8. num. 38. & 42.* potentiâ quidem ordinariâ necessariò videntem, esse amantem; tamen posse Diuinâ potentiâ suspendi concursum ad amorem. De hoc infrà agam.

116 Tertia Sententia est, è visione Dei oriri intrinsecè amare Deum. Ità D. Bonauent. *locis adductis*, & *adducendis*. Capreol. *in primo, d.1. quæst.3. art.1.* Durandus 4. *d.48. quæst.2.* & *d.49. quæst.8.* Palud.4. *d.49. quæst.7. num.22.* Maior *d.49. quæst.8.* Caietanus, 1. *part. quæst.82. art.1. & 2.* & *p. secunda, quæst.10. art.2.* Ferrar. 3. *cont. gent. cap.62.* Sotus 4. *loco citato*, & alij Thomistæ, qui hanc conclamant esse sententiam D.Thom. 1. *p. quæst.82. art. 1. & 2.* & *quæst.83. art.4.* & *p. secunda, quæst.5. art.4.* & 3. *cont. gent. 62.* vbi Ferrar. Suar. *d.9. sect.1.* Arriaga *d.52. sect.1.* Vasquez, *d. 18. cap.2.* Tanner. *d. 1. quæst.3. dub.3.* Auersa *quæst.4. sect.2.* Valentia, *quæst.4. p.1.* Faber *primo, d.14. c.3.*

117 Adverte autem, Seraphicum, quem sequitur Scotus, admittere necessitatem immutabilitatis cum libertate; tametsi necessitas coactionis cum libertate implicet, vt dixi *tract. 2. disput. de Spiritu sancto*, & notat Faber 2. *d. 29. num.5.* Quando igitur Scotus dicit, beatum liberè amare Deum, quantum ex parte visionis, loquitur de libertate contingentiæ, non de illa, quæ stat cum necessitate. At D. Bonauent. negat posse beatum, non amare Deum necessitate immutabilitatis obstante.

Assero, videntem Deum, necessariò eum diligere.

118 Probatur primò à D.Bonauent. *quæst.3.* è D. Augustino in Enchir. cap. 105. *Erit homo sic, vt velle malè non possit; nec tamen ideo carebit libero arbitrio*, & infrà: *Neque autem voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati sic esse volumus, vt esse miseri non solùm nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus.* Igitur actus beatificæ dilectionis sunt necessarij.

Probatur secundò à D. Bonauent. argumento, quo vtitur Suarez, *num.14.* sumpta similitudine à Diuina voluntate, quæ ad amorem sui ipsius est necessariò determinata. Idem igitur dicendum de voluntate creata, respectu Dei clarè visi. Probatur Consequentia primò. Quia voluntas Diuina est perfectior omni voluntate creata, & non obstante hac perfectione determinatur ad amandum summum bonum clarè visum, & cum hac retinet libertatem intrinsecam naturæ rationali: ergo idem dicendum de voluntate creata.

119 Probatur Consequentia. Quia si hæc voluntas ponitur libera contingens respectu illius obiecti, vel hoc est ex perfectione, & hoc non, quia Diuina est perfectior, vnde signum est hoc non pertinere ad perfectionem. Vel hoc venit ex imperfectione, & sanè hoc non asserunt aduersi; quia putant hoc esse habere dominium sui actus, quod conuenit voluntati ex perfectione. Deinde nulla est ratio, cur hæc imperfectio tribuatur voluntati creatæ, præsertim supposità in intellectu clarâ visionè Dei, quæ sufficit ex parte intellectus, vt omnem auferat imperfectionem, quæ modum illum operandi posset impedire, & posito in voluntate habitu charitatis, eleuante voluntatem ad diuinum ordinem cum concursu sibi connaturali, & debito. Vnde confirmatur à Suarez è D.Bonauent. *in 2. d.38. p.2.* quia charitas est participatio diuinæ charitatis per essentiam, estque quodammodo eiusdem ordinis. Sicut ergo charitas per essentiam determinata est naturâ sua ad amandum summum bonum, quod est obiectum eius, non modò quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium; ità & charitas participata, est determinata ad amandum idem summum bonum sufficienter propositum, quod etiam respicit vt primarium obiectum. Idem argumentum constituit S.Doct. *Opusc. de 7. Donis. De dono Sap. cap. 11. §. 4. de huius regni conuiuij lege, & charitate, &c.*

Probatur tertiò à S.Doct. *Opusc. citato, §.7. & vlt.* ratione, qua nititur D.Thom. nam Vbi est propositum summum bonum, in quo non est inuenire speciem mali, & extra quod non est bonum aliquod, neque est aliquod impediens voluntatem, non potest ea viso summo bono, non amare. Sed beatus ità se habet: ergo. Quod habeat propositum tale bonum, probat è D.Bernardo *lib. de diligendo Deo, post medium*; & confirmat è prima Cor. 15. *Erit Deus omnia in omnibus*: vbi etiam aduertit, asseri remota omnia impedimenta, quod confirmat è Psalm.22. *Calix meus inebrians, quam præclarus est*, & Psalm. 45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Vide Seraphicum latiùs id prosequentem. 120

Oportuit autem probare, non modò bonitatem obiecti summam, eamque præsentem, sed etiam remota esse omnia impedimenta, vt aduertunt Vasquez, Arriaga, & alij.

Probatur quartò à S. Bonauent. *argumentis primo loco*, & *in corpore*, ex illo primæ Ioan. c.3. *Similes ei erimus: quia videbimus eum sicuti est.* Sic enim videtur Apostolus discurrere: Videns Deum, videt summum esse bonum, & infinitè amabilem, & absorbetur adeò intellectus, vt nullam aliam bonitatem æstimare valeat, & hoc videt perfectissimâ scientiâ, & cognitione actuali, adeoque suauem gustat, vt sicut vehemens sensibile sensum absorbet: (esto lædat per accidens, ratione organi) sic illud pulcherrimum obiectum absorbeat, ac perficiat sine læsione intellectum (vt supponit ex dictis *in primo, d.1. art.3. q.1. ad argumenta*:) imò confortet, corroboretque, nè dispergatur exteriùs; sicut sensus ad obiectum; sed intimè vniat, vnde virtus non dispergatur, sed colligatur, & fortior euadat, ità, vt toto conatu repræsentet Voluntati illud optimum; nec aliud exhibeat comparandum, & in ea visione non minùs, quàm sensus in perfectione sui perfectissimi, & gratissimi obiecti absorbeatur; vt illum Deum dulcissimum cognoscat infinities Torrente voluptatis extinguentem velut scintillam flammas omnes inferni, ità vt si esset etiam ille videns in inferni torturis, non sentiret pœnas præ immensitate dulcedinis; quis non videt hunc, appetitu necessario absorbendum ad Dei amorem, etsi torqueretur ab eodem Deo pœnis inferni vel torquendum se cogitaret, dummodò visione Diuina non priuaretur, vel si priuandum se videret, adhuc illa summa pulchritudine absorptum non posse recedere 121 122

recedere ab eius amore, ac desiderio, atque ab illa summa bonitate, ipsoque Deo; quippè esset rectificata voluntas ab illa cognitione actu, quod iam ostendi, & Dei bonitas agnoscitur odio non digna, ob prædicata intrinseca, neque ob pœnarum inflictionem odio habenda.

Vasquez diceret, trahi amore, quia maius bonum videt; ad hoc autem voluntas necessariò tendit. Quod enim ait Holcot, posse hunc videntem putare, se futurum miserum, si Deum amet, non stat. Quòd etiam ait, posse Deum præcipere ne amet; falsum est; at esto, iam is amat obediens. Malè autem iuberi posse, admittit Arriaga *num.6. & 19.* qui *d.53.sect.2. num.7.* negat posse cum visione Dei stare peccatum, quod in negatione amoris Dei includitur, maximè si auersionem addat, quam verè addit. Hac ratione vtitur is, & ferè Suarez cum D.Bonauent. *de Beatitud.* Fateor, posse suspendi concursum ad amorem; at nequit influere ad odium. Addo, videntem necessariò velle suam beatitatem. Sic D.Thom. *p.2. q.5. art.4.* vbi Conrad. & *4.cont.gent. c.62.* vbi Ferrar. Hic enim amor est maximè consentaneus naturæ nostræ; quia Deus est summum bonum beatorum, in quo nulla ratio mali, vel inconuenientiæ apparere potest, & in carentia eius nulla ratio boni apparere potest; imò, etiamsi Deus non amaretur amore amicitiæ; eo quòd tortor esset futurus; attamen adhuc amore concupiscentiæ amaretur, vt sibi summam delectationem afferret anima. Vnde ait D.August. in Enchirid. vti suprà: *Neque aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, quâ beati sic esse volumus, vt esse miseri non solùm nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus.* Hæc est ratio D.Bonauent. *in 2.d.25. q.1. arg.1. secundò loco*, quam latè prosequitur Suarez *d.9. sect.2. à numero 6.*

125 Probatvr etiam ex dictis *d.2.q.1.* & *tract.1. d.11. q.1.* è D.Bonau. *ibi* adducto. Sicut cognitionem naturalem, sequitur instinctus naturalis; ità cognitionem supernaturalem affectus supernaturalis, & sicut lumen naturale sequitur appetitus naturalis; ità cognitionem adeptam actus elicitus; sed cognitione, seu instinctu naturali necessariò appetimus beatitudinem, & amamus: ergo supposità cognitione supernaturali, necessariò sequitur amor beatitudinis supernaturalis.

Confirmatur: Nam clariorem cognitionem sequitur maior appetitus boni, sed visio est cognitio clarior; quàm lumen naturale, vel scientia adepta: ergo necessariò sequitur maior appetitus boni.

QVÆSTIO XII.

An, & quâ ratione Videntes Devm *sint impeccabiles.*

Error Origenis *lib.1. Periarch. cap. 6. & homil. 15. in Lucam* fuit, voluntates beatorum mutabiles esse ad peccatum.

Veritas tamen Catholica fatetur, in Beatis nullum peccatum esse posse.

126 Probatvr è Sapient.7. *Nihil inquinatum in eam incurrit.* De quo vide S. Bonauent. ad eum locum. Apoc. 21. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium*; vt notat S. Bonauent. in Opusculis *Tom. 1. operum.*

Quæritur ergo, vnde ea impotentia peccandi oriatur.

Prima opinio est beatos ex vi visionis non fieri impeccabiles, sed solùm extrinsecè è prouidentiâ Diuinâ eos præseruante, vel non concurrendo ad peccatum, vel necessitante ad Diuinum amorem. Ità Scotus *in primo, d.1.q.4.* & *in 4. d.43. q.9. & 10.* & *d.49.q.6.* Gabr. *in primo, d.1. q.9.* & *in 2.d.7.q.1.* Ocham *in primo, d.1.q.15.* Gregor. *in primo, d.7. q.2. art.2.* Suppl. Gabr. *in 4. d.19. q.2. art.3. dub.6.* Mastrius *d.6. num.277.* Tanner. *d. 1. q.3. dub.3. num.25.* & alij apud istos.

Vera tamen sententia est, beatos ex vi ipsius visionis intrinsecè fieri impeccabiles. Ità D.Bonauent. *in 2. d. 25. q.2. & 3.* & *in 3. d.12. art. 2. q.1.* D.Thom. *prima secunda, q.4.art.4.* & *1.p.q.62.art.8.* & *3. cont. gent. cap. 62.* & *lib.4. cap.92.* & *q. 22. de verit. art.6.* & *q.2.art.8.* Durand. *in 2. d.7.q.1.* & *d. 23. q.1.* & *in 4. d.49.q.8.* Richard. *in 2. d.7.art.1. q.1.* Maior. *in primo, d.49.q.8.* Palud. *ibi. q.7.art.2.* Sotus *in 4. d.49. q.3. art.4. concl.4.* Capreol. *in primo, d.1. q.1. concl.4.* Victoria apud Medinam *prima secunda, q.4. art.4.* Suar. *d.10.sect.1.* Arriaga *d.53. sect.3.* Morand. *lib.1. de Beatitudine, q.10.* Vasquez *d.18. num.13.* 127

Ex his aliqui dicunt, fieri impeccabilem, quatenus videt in Verbo res, & actiones ad se pertinentes, & omnes circumstantias, quæ possunt voluntatem rectam facere, vel ad malum inclinare. Ità Durand. *loco citato*, & D.Thom. *4. cont. gent.* & Thomistæ. Cæteri verò dicunt, hoc prouenire à Visione, quatenus est summi boni.

Assero primò cum hac sententia, beatum ex vi ipsius visionis reddi impeccabilem.

Probatvr primò à S.Bonauent. *locis adductis, q.6. in argumentis, & in Opusculis passim.* Voluntas ex vi visionis impellitur ad amorem Dei ex aspectu illius pulchritudinis, & ex cognitione infinitæ ipsius bonitatis. Ergo & retrahitur ab omni offensione: Nam amor perfectus retrahit à læsione personæ amatæ. Hac ratione vtuntur Suarez, *loco citato*, Morand. *num.43.* Arriaga *num.7.* Confirmatur ab eis argumento è D.Bonauent. *in 2.d.16. art.2.* Quia si contemplatio adeò hominem eleuat, vt non sentiat, ac proinde à peccatis immunis sit, vt in Moyse; multò magis, visio beatifica id præstabit. *Hoc in Opusculis* latè differit S. Doctor. 128

Probatvr secundò à D.Bonauent. *locis primò adductis in sententia referend.* Impossibile videtur beatum velle amittere illam beatitudinem per peccatum; nec potest proponi illi obiectum id suadens. Hac ratione vtitur Tannerus *loc.cit.*

Assero secundò, non posse per peccatum amitti visionem.

Probatvr à multis. Si peccatum expellit visionem: ergo peccatum est prius naturâ, quàm carentia visionis; atque quamdiù est visio, seu quamdiù non est carentia visionis, non est libertas ad peccandum: ergo non potest homo liberè peccare priùs naturâ, quàm visio expellatur: ergo nec per peccatum potest eam appellare. 129

Contra arguit Arriaga: Nam eodem modo potest argui, gratiam habitualem, non posse expelli naturaliter per peccatum; nam priusquam sit peccatum, est gratia, quæ repugnat esse eum eo: ergo non est libertas in eo priori ad illud ponendum: ergo neque ad expellendam gratiam, quod est error.

Hæc tamen impugnatio est nulla; & dispar ratio. 103

ratio. Nam peccatum, & gratia solùm repugnant moraliter, ità, vt si homo in gratia velit transgredi, sequatur priuatio gratiæ è decreto Dei. At ponamus cum aliis repugnare physicè; attamen adhuc est dispar ratio. Erit enim repugnantia formalis, ità vt ambo simul in eodem subiecto non stent, sed vno adueniente, alterum recedat, non ità tamen, vt gratia antecedenter efficienter excludat efficaciter peccatum, influendo necessitatem in voluntatem, ac tollendo libertatem ad peccandum, sicuti facit visio, quæ vt diximus suprà, & fatetur ipse Arriaga, ratione superiori, & infrà *num*, 17. est prior omni actione libera contingente ad malum. Gratia verò non influit in liberum arbitrium, vt necessitate quadam euitet peccatum, esto illud aliqualiter roboret.

131 Probatvr secundò à S. Doct. *locis adductis*. Quia beata visio naturâ suâ petit conseruari in perpetuum: ergo prius est eius conseruatio, vtpotè necessaria; prius inquam, quàm omnis actus liber ad eam expellendam. Hoc argumento vtitur Arriaga *num*. 17.

132 Assero tertiò, non posse Diuinâ potentiâ videntem Deum, ità relinqui, vt peccet, & eam amittat. Contra Arriagam, qui secum pugnat, & Ouiedum.

Probatvr verò repugnantia in eius dicto. Id, quod est prius naturâ positiuè, non potest à posteriori in eo priori instanti, etiam diuinitus expelli, ex Arriaga *sect*. 3. *sub numero* 16. §. *Alter ergo*. Sed visio est positiuè prius naturâ, quàm libertas ad peccandum ex eodem Arriaga *ibi*. Ergo neque per Dei potentiam, potest expelli à peccato.

133 Respondebit, posse destrui à Deo, attamen, etiamsi titulo absoluti dominij valeat eam annihilare; posse Deum, sic dicere: Volo expectare tuum liberum consensum. Si peccaueris, non eam conseruabo. Et vt possis liberè agere, dabo tibi in hoc instanti prius naturâ, quam quidquam circa visionis conseruationem, & determinationem; cognitionem aliam indifferentem de bonitate, & malitia, cum qua possit peccatum, & eius carentia coniungi.

134 Verum hoc est impedire effectum intrinsecum visionis; & in hæc non pelleretur per peccatum; sed Deo destruente, sicuti si Deus pactum iniret destruere Romam, si ignis Babylonem ardeat. Miror virum hunc adeò tricis quærendis inuolui.

Benè quidem argumento hoc, ait probari, in eodem instanti, quo quis operatur liberè, posse ei dari visionem beatam, intuitu illius operationis liberæ, vt *de Angelis* dixi *tractatu proprio*, *d*.6. *q*.2. cum S. Doct. quem sequitur *ibi*. Arriaga.

Probatvr ergo assertio; quia eo ipso, quòd voluntas videt summum bonum clarè, nec adest aliquod impedimentum, remanet determinata ad illius amorem; vt notant Morandus, Suarez, & alij.

135 Dubitabis: An visio possit stare cum peccato Habituali, saltem per Dei potentiam.

Tannerus *dub*. 5. *n*. 25. putat, visionem naturâ suâ non expellere peccatum habituale.

E regione Vasquez *d*.11. *cap*. 10. neque de potentia absoluta ait, posse stare peccatum habituale cum Visione. Ità etiam Morand. *q*. 10. *in calce*, Pasqualigo *t*.2.*d*.121. *sect*.2.

Arriaga *d*.53. *sect*.5. *n*.23. ait, rem esse dubiam, nec horum argumenta esse solida.

136 Arbitror consequentiùs ad nostra fundamenta primò non posse naturaliter stare peccatum; quin à Visione pellatur. Probatur, quia necessariò conuertit animam perfectissimo amore in Deum, & auertit ab omni displicentia Dei. Est autem Deo maximè displicens, animam in peccato manere, ac proinde non facere quidquid necesse est ad pœnitendum. Ergo in primo instanti conteretur, diliget perfectissimè Deum, & pelletur peccatum. Sed dicis, eo instanti esse peccatum. Dico eodem tolli. Non enim, supposita cognitione, ad actum liberum eget tempore, sicuti in via de Angelis dixi *d*.6.*q*.2. Addo, non probari à Tannero, Visionem non esse formalem sanctitatem.

Deinde visio supponit gratiam naturaliter: Nam datur propter eam, vt notant Suarez, & Arriaga. Inde non benè tamen Vasquez arguit, neque per Dei potentiam posse stare visionem cum peccato, quia ex vi visionis debetur gratia habitualis.

QVÆSTIO XIII.

An virtutes reliquæ maneant in Beato.

D. Bonauent. in 3. d.31. & 33.

Qvoad fidem vidimus illam euacuari in patria. 137

Quoad Spem omnes dicunt, ipsam etiam euacuari, quia, quæ, quis habet, non sperat, vt ait Apostolus.

Quoad Charitatem, communiter tenent Thomistæ, eandem perseuerare hìc, & in superis.

Quoad virtutes Cardinales. Fuit opinio Durandi *in* 3.*d*.33.*q*.4. omnes auferri veniente visione.

Commvnis tamen sententia est eas manere. Ità D. Bonauent. *in* 3.*d*.33.*q*.6. D. Thom. *p*.*secunda*, *q*.67. *art*.6. ex D. August. 14.*de ciu*. *c*.9. Alensis 4.*p*. *quæst*.98.*mem*.3. *art*.3. §.1. qui adducit Augustinum *lib*.6. *Musica*. Idem sentiunt alij, tum *in* 4.*d*.14. tum *in* 3. *d* 33. vbi Richard. *art*.1. *q*.6. Gabr. *q*.1. *art*.3.*dub*.3. Suarez *d*.10.*sect*.2. Arriaga *d*.54.*sect*.2.

Assero primò, in patria non manere Spem. Ità D. Bonauent. *in* 3. *d*.31. *art*.2.*q*.2. 138

Probatvr à S. Doct. præcipuè, quia sicut se habet fides respectu obiecti non visi, ità Spes respectu obiecti non habiti, sed fides ob id euacuatur: ergo & Spes.

Assero secundò, in patria manere charitatem viæ, sed consummatam, seu perfectam.

Probatvr primò à D. Bonauent. *art*.3.*q*.1. ex prima Cor. 13. *Charitas nunquam excidit*.

Probatvr secundò. Cuius actus manent, manet & habitus: sed actus charitatis in patria manent, qui sunt diligere Deum super omnia, ei vniri, assimilari: ergo, &c.

Assero tertiò, manere habitus aliarum virtutum Cardinalium. 139

Probatvr de Iustitia. Sap. 1. *Iustitia est perpetua, & immortalis*.

De omnibus probatur ex Beda adducto *in littera Magistri*, *d*.33.

Probatvr verò tertiò. Quia fuerunt in Christo, qui fuit Comprehensor. Attamen quia Viator etiam erat.

Probatvr vlteriùs *in corpore*. Ea, quæ dicunt perfectionem, seclusis imperfectionibus, possunt esse

esse in patria, sed tales sunt hæ virtutes: ergo. Maior probatur. Quia omnes respiciunt bonum honestum, & inclinant voluntatem ad tale bonum, & de se augent virtutem operandi circa illud; hoc autem totum ad perfectionem spectat. Igitur omnes actus nostri gloriosi erunt fortes, iusti, prudentes, & casti. Itaque Iustitia excludit omnem obliquitatem. Prudentia omnem errorem. Fortitudo omnem molestiam. Temperantia omnem libidinem. Hoc argumento vtitur Suarez, *n.3. & 4.*

140 ADVERTE autem, Virtutes non posse exercere omnes suos actus viæ, nam aliqui dicunt imperfectionem. Pater de Fortitudine, quæ ad pericula occurrit; de Temperantia, quæ in Venereis, & cibis se moderatur. Aliqua tamen miscet Suarez, confutata ab Arriaga.

ASSERO quartò, in patria manere omnes virtutes acquisitas, quoad habitus.

PROBATVR ex dictis suprà.

QVÆSTIO XIV.

An in BEATO *possit esse Tristitia & Dolor.*

ASSERO primò, posse beatum tristitiâ angi. Est certissima apud omnes opinio.

141 PROBATVR à D. Bonauent. *in 3. d.15. art.2. q.2.* Nam Christus fuit beatus in terris, & tamen ait. Matth. 26. *Tristis est anima mea, &c.*

ASSERO secundò, posse beatum pati etiam dolorem.

PROBATVR à D.Bonauent. *in 3. d.16. quæst.1.* nam Christus beatus passus est dolores. Isa.53. *Vidimus eum nouissimum virorum, virum dolorum*, & Psalm. 68. *Ego sum pauper, & dolens.* Doloribus enim satisfecit pro nobis Diuinæ Iustitiæ. Vnde dicitur. *Verè dolores nostros ipse tulit*, Isa. 53.

Quomodo autem se compatiantur dolor, & beatitudo. Videbimus *in 3. p.* Interim vide S. Bonauent. *tota dist.16. tertij sent.*

142 ASSERO tertiò; vi naturali beatitudinem excludere has passiones.

PROBATVR ex Isa. 25. & 35. Apoc. 21. vbi omnes lacrymæ, & dolores promittuntur auferendi in gloria.

DICES Isa. 33. dicitur. *Angeli pacis amarè flebant.*

RESPONDET Arriaga *d.54. sect.1. n.5.* intelligi per aliquam extrinsecam demonstrationem doloris in aliqua apparitione: Vel per ANTROPOSPATON; sicut dicitur *Genes.* 7. Deus: *Tactus dolore cordis.*

Eruitur hæc responsio è D.Bonauent. *in 2.d.12. q.3. ad 2.*

143 OBIICIES secundò. Dolor est perceptio obiecti contrarij: At Beati multa huiusmodi percipiunt, vt videntes Dei offensas, reorum perditionem, mala Ecclesiæ, &c. peccata propria recordati.

RESPONDET Arriaga è D.Bonauent. *loc.cit.* res illas non apprehendi, vt disconuenientes. Nam beati desiderant id, quod iustitiæ, prouidentiæ, & misericordiæ Dei est consonum; & ita cùm cupiant salutem omnium volentium; non crucientur, si nolint. Cùm ament iustitiam Dei, amant etiam, reos puniri à Deo, quem magis amant, quàm parentes, vt ait D.Gregorius, à S.Bonauent. adductus.

QVÆSTIO XV.

Vtrum BEATI *habeant quidquid desiderare valent.*

COMMVNITER dicitur essentialis beatitudo non implere scipsâ præcisè omnem appetitum, seu desiderium beati. Ità S.Doct. *in 4. d.49. p.2.q.1.fund. vlt.* Scotus *ibi*, *q.6. art.1.* qui putat, esse contra D.Thom. sed decipitur, vt notat Caietanus *prima secundæ, q.5. art.4.* vt patet *ibi*, & *in 4. d.49. q.1.art.1. quæstiuncula 4.* Suarez *d.10.sect.3.*

PROBATVR à D.Bonauent. *ibi*, quia anima Beatorum appetit vnionem ad corpus, & tamen est essentialiter beata. Infert tamen, beatitudinem ponere in statu, vt omnibus desideriis beati satisfiat. Probatur à S. Bonauent.*loc.cit.* & Suarez *n.2.* quia beatitudo est aggregatum omnium bonorum, quæ inesse valent beato, & desiderati possunt, quod probat Suarez ex Aristotele *primo Eth. cap.7.* & ex Psalm.16. *Satiabor, &c.* & è D. Augustino 13. *de Trinit. cap. 7.* vbi ait: *In illa beati udine perfecta, quid quid amabitur, aderit: nec desiderabitur, quod non aderit.* 144

SVBDIT verò *numero 5.* Beatitudinem præcisè essentialem non includere satietatem plenam omnium formaliter; sed tantùm radicaliter: quia est fundamentum explendi desideria. Hoc latiùs explicabitur, vbi de fœlicitate corporum, ac sensuum omnium in corporibus agetur. 145

QVÆSTIO XVI.

Quid sint DOTES *in anima beata, & quot.*

D.Bon.d.49.p.1.q.5.
D. Tho. q.4.art.2.

DOTIS nomen, quamuis in genere significet præcellentiam quandam, vt ingenij, &c. attamen *hic*, metaphora sumpta ex matrimonio, vbi Sponsa dotatur; transfertur ad animam beatam, quæ Deo sponsata transit ad thalamum in gloriam ad Diuinos amplexus, vt ostensum est. *Apocal.21.* vt notat Suarez, *d. 11. sect.1.* Arriaga *d.55. sect.1.* Tanner. *d.1. q.3. dub.1.* Vasquez, Valentia, Caietanus, & alij *hac disputatione.* 146

Sunt igitur istæ dotes ornamenta, quibus anima decoratur, vt Deo vniatur. Solet autem quæri, quid sint.

ALIQVI dicunt, esse habitus. Ità D.Thom.*in 4. d.49.q.4.art.2.* & *q.4. art.2.* & Suppl. *q.95. art.2.* & *art.5. q.2.* Richard. *art.3. q.7.* Palud. *art. 8. q.3.* Tanner. *loc.cit.* Arriaga *n.3.* Inclinat Suarez, *n.4.* Tanner. *quæst.3.dist.1.n.5.* 147

ATTAMEN D.Bonauent.*loc.cit.* Soto *q.4.art.3.* (& non reclamat Suarez), dicunt, esse operationes non solitarias, vt putat Arriaga, carpens Seraphicum, eò quòd dos non significet vsum matrimonij, sed diuitias ad matrimonij solatium, vt vestimenta; muæ datæ, & similia. Hæc videtur sententia etiam D. Thom.*1.p. q.12. art.7.ad 1.* & *ad c.6. ad Hebræos, lect.1.* Sententia autem hæc videtur probabilior. Quia dos est perfectio maxima animæ, hæc autem in operationibus, fundatis quidem in Habitibus ponitur.

TRES autem ponuntur communiter dotes à Theo 148

Theologis. S.Bonauent.ponit Visionem, Dilectionem, & Comprehensionem. Vbi notat malè Suar. *num.4.* referre S.Doctorem, quasi non dilectionem, sed delectationem ponat pro dote, quæ sanè est opinio D.Thom. Addit verò, se modum confutasse Seraphici; sed ipsum nos propugnauimus *q.6.* Cum Seraphico est Palud. *4.d.49.q.8. art.3.* qui pro tertiâ probabiliter ponit Fruitionem.

Ait igitur S. Bonauent. quem in hoc alij sequuntur, dotes nominati iuxta meritum virtutum Theologicarum, quæ sunt præcipuè, vt Visio Rationi donetur pro fidei credulitate. Charitas consummata pro charitate viæ detur Concupiscentiæ. Comprehensio verò pro intentione Spei in Deum, Irascibili donetur.

149 Svarez *numero 6.* negat, Gratiam, & Charitatem esse dotes, quia in illis consistit substantiale vinculum desponsationis. Visionem autem includit, quia saltem formaliter differt à vinculo illo, quod in mutuo consensu stat. Arriaga verò ob hanc eandem rationem excludit Visionem, quia est ipsum matrimonium, seu fruitio sponsi. Igitur dotis rationem Lumini gloriæ adscribit: Vasquez autem, & Valentia, Visioni sub diuersis rationibus tribuunt tres dotes.

150 Ego cum D. Bonau. Visionem esse dotem cum his arbitror: Est enim medium, quo sponsa sponso traditur, & in hoc Lumen gloriæ non excludo.

Gratiam verò, & charitatem non excludo; non enim ipsæ sunt consensus; sed diuitiæ, quibus ornata sponsa, sponso traditur; vt dicitur *Apoc. 21.* & in Hymno Dedicationis Ecclesiæ.

O sorte nupta prospera,
Dotata Patris gloria,
Respersa sponsi gratia,
Regina formosissima,
Christo iugata principi.

QVÆSTIO XVII.

An detur aliqua Beatitvdo *accidentalis.*

Commvniter ponuntur aliqua gaudia accidentalia beatitudinis. Sic omnes Theologi, vt notat Suarez *d.11. sect. 2.*

151 Probatvr à D. Bonauent. *in 4. dist. 49. p.2. art.2. quæst.1. in resol.* ex illo Sap.2. *Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ, &c.* Idem habet ad eum locum *Sap.* Et ex illo Lucæ 15. *Gaudium est in cælo super vno peccatore, &c.* probat in *2.d.11.art.2.q.2.* & *in 4. d.47. q.1.* exponit illud Matth.19. *Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim iudicantes, &c.* Sic communiter ab aliis etiam accipitur. His authoritatibus vtitur Suarez *loco citato.*

152 Dicitur verò accidentalis, non quia sit accidens animæ, nam etiam substantialis beatitudo est animæ accidentalis; sed dicitur accidentalis, comparata substantiæ beatitudinis.

Definitvr à multis, esse actus aliquis animæ, qui versatur circa obiectum creatum. Ita D. Thom. *1. p.quæst.95. art.4.*

Propriè igitur beatitudo accidentalis est quæuis perfectio, quæ extra substantiam beatitudinis versatur.

153 Habet verò S.Thom. *p.2.q.95. art.2.* beatitudinem accidentalem, dari in præmium aliarum virtutum à charitate. Essentialem verò ob actus charitatis elicitos, vel imperatos, ità, vt opus Iustitiæ, Prudentiæ, quatenus imperatum à charitate mereatur præmium essentiale; at ratione sui proprij obiecti mereatur accidentale. Sed *in disp. de Merito,* ostendemus oppositum. Nam Scriptura, & Concilia promittunt non tantùm actibus charitatis, sed etiam aliarum virtutum vitam æternam; vt patet è Concilio Trident. *sess.6.* Et est consonum D.Th. *p.secunda, q.114.art.4.* & *2.2.q.104.art.3.* Vnde neque illo primo loco arbitror, aliud voluisse, quàm, præmium essentiale per excellentiam charitatis, quæ est Regina virtutum, dari.

QVÆSTIO XVIII.

De Aureolis, & Fructibus Beatitudinis.

Beatitvdinis præmium solet in Scriptura sacrâ Coronæ nomine dici, *prima Cor.9. Iacobi 1. prima Petri 6.* Illa autem quoad præmium essentiale Aurea dicitur *Apoc.4. & 19.* at præmium accidentale Aureola dicitur ab omnibus ferè Scholasticis *in 4.d.49.* Et primò à D.Bonau. *in 2.d.40. art.2.q.1. ad 1.* & *q.3. ad vlt.* & *in 4. d.24.p.2.dub.1. litt.* præcipuè verò *d. 33. art. 2. q. 3.* vbi hanc vocem ait sumptam ex *25. Exod.* vbi imponitur corona aureola super auream coronam mensæ sacræ, quam per anogogem accommodat beatis, & sumpsit ex Beda *1. de Tabernaculo cap.6.* Corona autem debetur vincentibus. 154 155

Secvndò conueniunt omnes, has aureolas esse tres; Martyrum; Virginum, & Doctorum. Nam de Viriginibus intelligunt Beda, & alij illud Apoc. 14. *Cantabant canticum nouum; & nemo poterat dicere Canticum, &c.* vbi specialis prærogatiua Virginibus tribuitur. De Martyribus intelligunt illud Apoc.7. *Amicti stolis albis.* Et subditur: *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, &c.* & Apoc.12. *Mulier amicta Sole, &c.* De Doctoribus Daniel.12. *Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stella fulgebunt.* Ità exponit D.Hieron. Hæc habet S.D. *locis adductis*, præcipuè *vltimo*, & *in Opusc. Tom.7. de Beatitudine.* 156

Rationem reddit D. Bonauent. *ibi*, & D. Thom. quem sequitur Suarez *disp.11. sect.3.* Arriaga *d.55.sect.2.subsec.1.* Hi tres singulariter vincunt hostes, & triumphant. Nimirùm Martyres Mundum; Virgines Carnem; Doctores Diabolum. Sunt autem gaudia præcipua de illis tribus operibus. Id verò S.Bonauent. *loco vltimo in corp.* notat; sicuti hæc tria opera habent singularem effectum extrà; vt Martyrium, & Virginitas in corpore. Doctrina in proximo; ità extra habituros illos aliquem decorem; coronam verò esse in anima, quæ triumphauit, vt notat cum S. Bonauent. Suarez *numero tertio.* Vt Virginibus sit specialis familiaritas cum Christo: Martyribus singularis approximatio ad eum; & Doctoribus, specialis rerum diuinarum intelligentia. 157

Hæc tamen nimis cauillatur Arriaga *loco adducto.* 158

Addit S. Bonauent. *loco citato*, statui vario graduali continentiæ assignari fructum reddituum maiorem, vel minorem. Ità vt centesimum Virgines; sexagesimum viduæ continentes, trigesimum, qui coniugalem castitatem seruauerunt, obtineant, de quibus *Matth.13.* in parabola seminis Diuini. Hi verò fructus sunt aliqua præmia accidentalia data talibus personis; vel quia per hanc homo quodammodo germinatur spiritualis, similis Angelis in cœlis, vt ait D. Thom. vel aptatur his ob varios gradus personarum, quæ fructus è verbo Dei reddidêre, vt ait D.Bonauentura.

SECVNDO, quia sensus ipsi coniunguntur obiecto, ità vt in illa coniunctione materiali, fit eorum perfectio: at coniunctio animæ cum suo obiecto, ratione potentiarum superiorum perficitur in amore rationali: sicuti in quadam materiali complacentia sensus.

61 PRÆTEREA etiam sensus complent suam delectationem amando sensibiliter bonum visum, tactum &c. Id ergo solùm probat, visionem necessariam esse ad essentiam beatitudinis; est enim ea, quâ coniungimur vltimò fini, & assimilamur ei intentionaliter, vt ait Ioannes: *Similes ei erimus: quia videbimus eum, sicuti est*. Et est participatio diuini actus, quo seipsum videndo, Deus in se beatur, & facit præsens obiectum, vt coniunctum cognoscenti, & quodammodo constituit illum in potestate videntis, vt illo possit frui, & satiari: ergo hæc operatio habet rationem consecutionis.

Sic enim & in rebus materialibus, quibus vtendum est, tunc dicimus adipisci aliquam rem, quando ità constituitur in nostra potestate, vt illa vti possimus ad nostrum libitum. Hoc solum pro-
62 bant rationes multæ Thomistarum. Cæteræ autem vel omninò falso fundamento nituntur, quòd intellectio sit perfectissima operatio rationalis naturæ, & nobilior volitione; de quibus egi *in Libris de anima, Tract. de anima rationali, disp.9.cap.5. quæst.2.* vel infrà soluentur, & in eo, quod verum assumunt, admittentur. Tandem similitudines Arriagæ non sunt ad rem: Nam beatitudo est delectatio adæquata continens etiam voluntatem; non sic sensitiua.

PROBATVR secundò, quoad Amorem. Supposito actu visionis à D. Bonauent. *in 2. d.38. q.2.* ratione, qua vtitur Suarez *num.27.* Charitas Dei est vltimus finis noster, vel certè innuens essentiam eius; sed finis vltimus est beatitudo eius: ergo. Antecedens probatur primò, ex Paulo *1.Tim.1.* vbi dicitur: *Finis præcepti charitas*, & Rom. 14. *Plenitudo legis est dilectio.* Et 1. Cor. dicitur *perfectissima.*

DICES, Apostolum loqui de charitate viæ, quæ est finis omnium aliorum præceptorum.

63 CONTRA. Nam D. August. *lib. de perfectione iustitiæ*, docet, charitatem patriæ esse finem ad quem ordinatur perfectio charitatis viæ, & qua quiescitur in Deo perfectissimè, & consummatè, sic Deus dicitur: *Deus charitas est*, & finis, in quo quiescitur charitate; vt notat D. Bonau. *in corp.* & post eum Suarez *n. 27.* Vnde per charitatem viæ quærimus Deum, vt dicitur 2. Canticorum. *Quæram, quem diligit anima mea*: per charitatem autem patriæ tenebimus illum, vt dicitur Cant. 3. *Tenui eum; nec dimittam.* Ità exposuit testimonium Apostoli D. Augustinus *in Enchir. cap.121.*

Respondet Morandus, actum amoris esse perfectiorem in genere moris; non in genere naturæ.

64 At contrà: Nam actus, qui in genere naturæ est finis, perfectior est. Talis est actus voluntatis, respectu actus intellectus, vt dicam *argumento quarto.*

Respondet Arriaga *d. 49.* non sequi, aliquid optatibilius esse, quia melius, nam melior est vnio hypostatica cum Verbo, quàm visio Verbi; & tamen hæc optabilior, non illa.

65 At non sumo optabilitatem à perfectione in se, sed à communicatione bonitatis in ordine ad appetitum; melior est sanè vnio hypostatica in hoc genere, quia illi debetur etiam beatitudo; at præcisè non est melior, nec optabilior appetitui rationali, cùm possit communicari etiam bruto, cui nequit deberi beatitudo.

PROBATVR tertiò à Mastrio *n.310.* & Valentia, ratione firmissima. Tunc mens nostra erit verè, & essentialiter beata, cùm summum bonum, quod est Deus, ità assequetur, vt nihil prætereà expetendum relinquatur. Sed non assequetur Deũ, nisi secundùm vnionem, & fruitionem: ergo. Maior probatur. Psalm.16. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* & Aristoteles *primo Eth. cap.7.* ait, Fœlicissimum esse sufficiens bonum. Minor probatur, quia non minùs voluntas inquieta est, donec fruatur summo bono, quàm sit intellectus donec videat. Vnde D. August. 8. *de ciuit. cap.9.* ait: *Nemo beatus est, qui eo quod amat non fruitur.* Fruitio autem est post visionem. Hoc est totum argumentum S. Bonauent. *in corpore*, & *argumentis primo loco.* Per hoc euellitur ratio Arriagæ, & Thomistarum suprà allata, qui ideò nitebatur, solam visionem beare, quia sola dat consecutionem summi boni, ac proinde delectationem, præciso actu voluntatis. Profectò consistit beatitudo in hoc, vt obiectum beatificum attingatur omninò perfectè; at per voluntatem, etiam immediatè attingitur, vt notat Mastrius.

PROBATVR quartò à D. Bonauent. *arg. primo*, 66
ad hominem, contra D. Thom. Suarez & Vasquez. Beatitudo consistit in eo, quod est vltimum nostræ perfectionis, vt dicebant ibi *loco relato quæst. præcedenti.* Sed vltimum complens potentiam per vos, est actus, & inter actus, intellectio non est vltima: Nam ordinatur ad dilectionem, & fruitionem: ergo.

Hoc argumentum vidit Suarez *d.6. sect.2. n.9* & respondet, beatitudinem non dici vltimam perfectionem, ordine generationis, seu causalitatis, sed in ratione, & modo actuandi, quia in suo ordine, ità actuat, vt non relinquat potentiam ad vlteriorem actum, quo ipsa reducatur in actum, quomodo omnis actus secundus, est actus vltimus: qui modus actuandi est necessarius beatitudini; Quia necesse est, vt in suo genere habeat rationem vltimi termini; nihilominus, sicut ex essentia, quæ est vltimus actus in genere substantiæ, resultant passiones; ità ex illo actu, qui est essentia beatitudinis, possunt resultare alij actus, qui sunt velut passiones eius.

Contrà tamen. Si tamen beatitudo est vltima 67
perfectio in modo actuandi, vt non relinquat potentiam ad vlteriorem actum, quo ipsa reducatur in actum: ergo cùm visio sit in potentia, & ordinata ad amorem, sicut intellectiones aliæ, iam beatitudo consistet in amore.

CONFIRMATVR: Nam inter actus subordinatos, vltimus habet rationem magis actus, vt actus; & anteriores habent rationem potentiæ. Quod si per vlteriorem actum excludit omnem actum consequentem, secum pugnat, vel petit principium; nam quando assumit, beatitudinem consistere in vltima perfectione, cùm perfectio vltima sit ea, ad quam reliquæ ex natura sua ordinentur, siue consequatur habitum, siue actum præcedentem, iam est vltima perfectio; & ità respondere, quòd debet esse actus, reducens in actum, antecedentem actum, est ludere, & principium petere ad latibulum. Confirmatur, quia obiectum beatitudinis est bonum, quod non habetur completè per visionem, quæ habet pro obiecto verum, sed per voluntatem, cuius obiectum est bonum, & finis vltimus. Confirmatur;

firmatur; nam in eo consistit beatitudo, quod est desiderabilius, at hoc est amare magis, quam videre. Ideò optima Charitas, *prima Cor.* 3.

Obiicies primò Ioan. 17. *Hæc est autem vita æterna: vt cognoscant te Deum*, quod de beatitudine exponit D. Augustinus.

68 Respondetur ex dictis cum D. Bonauent. *ibi*, poni visionem præcipuè; quia per eam distinguitur comprehensor à viatore, & quia visio est principium amoris. Ponitur ergo ratio inadæquata beatitudinis. Ideò Vasquez ingenuè fatetur, huic loco nullius momenti esse pro sententia Thomistarum commendanda; sicut & testimonia Cyrilli, Irenæi, & Basilij, qui loquuntur inadæquatè, consistere beatitudinem in visione. Sicut etiam D. Augustin. vt patet aliis eius testimoniis, vbi ad beatitudinem requirit amorem, & fruitionem. Et licet D. Nazianzenus *oratione de grandine* dicat (*in sola*) excludit alios actus, qui non sunt circa Deum, vnde idem ait, ac visio solius Dei, ad quam sequitur fruitio, vt notat Valentia. Sic D. Augustin. cum ait, primo de Trin. cap. penult. *Visio est tota merces*, comprehendit etiam totum necessariò consequens visionem.

69 Obiicies secundò cum D. Thom. *p. secunda q.* 1. *art* 1. *ad* 2. & *q.* 3. *art.* 4. *ad* 2. & 3. *cont. gent. cap.* 26. Vasquez *cap.* 6. & omnibus Thomistis. Actus, qui est assecutio summi boni, non potest esse actus voluntatis. Sed beatitudo est assecutio summi boni: ergo. Minor patet. Maior probatur: Nam primum obiectum voluntatis non potest esse actus voluntatis; sicut nec primum obiectum visibile potest esse visio. Sed assecutio Summi Boni, quod est beatitas essentialis, est primum obiectum voluntatis: ergo.

Respondetur primò cum Vasquez è D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 38. *quæst.* 2. *in corpore.* Actum esse finem *Quo*; Deum autem finem *Qui*, & ex vtroque fieri vnum finem. Igitur actus voluntatis est obiectum voluntatis, vt *quo* Summum Bonum adipiscimur, id est, Deum, quod non repugnat, alioqui etiam repugnabit, beatitudinem consistere in actu intellectus, quia neque intellectus habet pro obiecto primo suum actum; primus autem actus intellectus est, quo cognoscitur vltimus finis. Satis igitur est, quòd vltimus finis *Qui*, sit primum obiectum appetibile directè à voluntate, neque necesse est, vt assecutio eius sit appetibilis actu à se distincto, sed sufficit appeti, *vt Quo*. Ità etiam Suarez *num.* 16. Nam, cùm beatus videt Deum, ipsum amat; & hoc est primum appetibile à voluntate; ille autem amor, dum directè fertur in illud obiectum simul, quasi reflexè fertur in seipsum, & ideò potest esse magis volitus, quam omnis alius actus voluntatis.

70 Obiicies tertiò cum D. Thom. & Durando *in* 4. *d.* 49. *q.* 1. Appetitus non est propter se, nullus enim apperit propter appetendum, sed ad consequendum id, quod appetit, vt patet discurrendo per omnem appetitum naturalem sensitiuum; atque eadem est ratio de intellectiuo: ergo cùm voluntas sit potentia ad appetendum, & omnis actus eius sit appetitio, non potest esse consecutio, sed ad consecutionem ordinari, seu per consecutionem satiari. Vnde in omni natura, alia est potentia ordinata ad appetendum; alia ad consequendum.

Respondet S. Bonauent. *in* 4. *loc. cit. in corpore*, beatitudinem consistere in coniunctione animæ cum Deo. Et ità dotes assignantur ipsi animæ, vt anima perfectè vniatur, tanquam sponsa, Deo sponso. Hos autem actus, ait, esse tres, id est. Perfectam visionem dari potentiæ Rationali, quæ Deum per fidem quæsiuit. Perfectam dilectionem, seu charitatem, quæ est amor amicitiæ, dari Concupiscibili, quæ imperfectè in via diligebat Dominum; & hoc amore perfectissimo obtinemus bonum amatum, eique vnimur; tametsi amor concupiscentiæ non sufficiat ad bonum concupitum consequendum. Non enim ditatur auarus amando 71
thesauros. Additur verò tertia dos ad comprehensionem, & tentionem boni commodi amati, & concupiti sibi, & hæc datur Irascibili, quæ olim per Spem tanti boni ferebatur in Deum. Itaque obtinet bonum commodum speratum; ità & aliqui cum D. Bonauent. Sic autem voluntas delectatur, Bono obtento.

Per hæc soluitur Durandi instantia, quòd scilicet beatitudo consistit in nostro commodo, vt ait D. Anselmus, & ideò amor amicitiæ præcisus non est beatitudo: Quam instantiam vrgent Thomistæ.

Qvod enim Suarez *loco cit.* & Arriaga *n.* 36. 72
& alij respondent, illum-met amorem amicitiæ esse maximum commodum nostrum, vnde ex amore commodi possumus hunc amorem amicitiæ nobis amare, non satisfacit; quia amor amicitiæ est essentiæ oppositæ, amori concupiscentiæ, neque alter peruagari potest in alterius obiectum. Itaque sicut amor concupiscentiæ, non potest amare rem propter illam præcisè, sed amat propter suum commodum, eo minùs simul idem, quod amat propter se.

Obiicies quartò cum D. Thom. *loc. cit.* Omnis amor voluntatis, vel antecedit consecutionem boni amati, vel subsequitur. Ergo numquam ille potest esse consecutiò. Antecedens patet. Quia actus voluntatis, vel est desiderium boni absentis, vel delectatio boni habiti.

Respondet Scotus *loc. cit.* & Suarez *n.* 23. 73
Arriaga *n.* 36. Pasqualigo, & Scotistæ, apud Hiquæum *d.* 49. *q.* 4. *n.* 26. e D. Bonauent. *in* 4. *loc. cit. in corp.* Amorem supponere aliud principium, per quod anima Deo coniungitur, & iam præsens est, & hæc est visio. Itaque voluntas amat, bonum iam ipsum assecuta per coniunctionem præsentialem visionis, per quam se Deus exhibet in possessionem. Fateor igitur, obiectum, visione præsens factum; attamen adeptio talis boni, amore consummatur, & integratur. Vnde non est probata illa assecutio in sola visione esse perfecta.

Addit Arriaga, neque probari, visionem esse inadæquatam beatitudinem; sed solam conditionem, quia nil volitum, quod non præcognitum, atque adeò visionem non ideò requiri, vt sit possessio Dei.

Hoc tamen nimis deprimit visionem, contra 74
fundamenta Arriagæ *numero* 32. vbi visionem, esse assecutionem summi boni boni, & fruitionem, probat, sicuti visio est delectatio oculi, musica auditûs, vt suprà dixi ex ipso Arriaga.

Hoc argumentum D. Thom. non potest satis attollere Morandus. Ideò frustrà, allegato responso à nobis, concutiait. Instat igitur primò. Vel amor est consecutio summi boni, vt amor est; vel vt talis amor est: Non primum: Quia potest esse de obiecto absente. Neque secundùm quia non est diuersus ab amore viæ: nam vt dicitur Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit.* Quare si in via non habet rationem

nunquam excidit. Quare si in via non habet rationem consecutionis vltimi finis, neque in patria erit talis.

75 RESPONDETVR è D. Bonauent. *loco citato*, amorem patriæ, esse consecutionem summi boni, vt est talis amor nixus præcedenti qualicunque consecutione intellectiua, quæ simul cum assecutione voluntatis perficit possessionem. Est enim cognitio ad summum possessio inadæquata; eò quòd *nil volitum, quin præcognitum*; sic nequeo frui amico, nisi nouerim. Neque est eadem charitas in via, quæ nititur cognitione ænigmatica, cuius signum est, quòd non inducitur per eam amor necessarius Dei, sicut à cognitione clarâ. Dicitur verò manere claritas ad differentiam fidei, & Spei, quia earum obiectum, quoad formale, tollitur; at verò obiectum formale charitatis est Deus dilectus, vt sic: mutatur verò in ordine ad effectum fruitionis, per visionem.

76 INSTAT secundò, quia voluntas non ideo dicitur consequi alia bona; eò quòd in ea fertatur; sic aliquis non consequitur principatum ad se deuolutum, cùm illum amat, eoque fruitur, sed potiùs ea fruitio est effectus consecutionis.

RESPONDETVR, non consequi perfectè aliquem hæreditatem, ob solum ius possessionis, sed quando eam assequitur, atque eâ fruitur, sic enim voluntate bono connectitur vinculo quodam, quæ vnio dici potest detentio, & apprehensio completa obiecti, iam apprehensi ab intellectu in genere intellectiuo, quo intentionaliter tantùm obiecto coniungimur cognoscitiuè, quam apprehensionem suppónit quidem tentio cæcæ voluntatis, vt gratis Morando, Morisanoque concedam; at tunc perfectè tenetur, cum voluntas obiecto præsenti coniungitur. Ideo & Sponsa *Cant.* 3. exhibitâ visione sponsi, subdit:

77 *Tenui eum; nec dimittam*, nempè vinculo charitatis colligatum. Itaque dum aduersarij probant, Deum per visionem possideri, petunt principium; quia nil aliud dicunt, nisi esse cognitioni præsentem, quæ potest esse etiam absentis, vt notant Suarez & Mastrius, cum Scoto, & D. Bonauentura.

INSTAT tertiò. Si consecutio obiecti non est perfecta, dum videtur: ergo neque visus satis assequitur suum obiectum, dum illud iam videt: neque auditus, dum harmoniam audit. Confirmatur: Dicant quæso aduersi; cur assecutus sum epulum, quod comedo, etiam seclusо omni actu voluntatis, & non sum assecutus Deum, quem video?

78 RESPONDETVR, paritatem in hoc stare, vt sicut potentia visiuâ assequitur suum obiectum in genere visionis, cùm videt; ità & intellectiua, dum intelligit, at hoc non est satis ad complendam possessionem perfectam totius animæ, vel Angeli in esse beatifico. Et idem dico de epulo, quod obtinet palatum, dum comedit. Sic & intellectus, dum intelligit clarè: at non adhuc totus Angelus, vel tota anima beatur, sed dum eo bono agnito delectatur, sic & Musicâ, epulo, &c.

OBIICIES quintò cum Thomistis. In eo ponenda est beatitudo, in cuius opposito stat summa infœlicitas. Sed summa infœlicitas damnatorum est carentia visionis Dei, ex Theologorum consensu: ergo.

79 RESPONDET Mastrius *n.* 326. pœnam damni consistere in carentia visionis Dei, quatenus includit necessariam consecutionem amoris beatifici. Explicari verò per carentiam visionis quatenus ab ea incipit, & quia visio est notior. Vide etiam Ouandum 4. *d.* 49. *prop.* 4. *ad* 2. & Angles *de Beat. quæst.* 1. *art.* 1 *diff.* 3.

OBIICIES sextò. In eo actu collocanda beatitas, in quo resultant proprietates status beatifici; sed ex visione resultant amor, & fruitio, vt proprietates: ergo.

RESPONDETVR, resultare vt compartes, ad modum quo forma sequitur materiam præperatam ad vnum totum essentiale constituendum.

OBIICIES septimò. Beatitudo est propria naturæ intellectualis: ergo conuenit ei secundùm gradum, qui est naturæ intellectiuæ essentialis. Sed hic est visio, non appetitio, quæ etiam brutis conuenit: ergo.

RESPONDETVR, naturam intellectualem constitui etiam, & sanè principaliter, in appetitu rationali voluntatis, quæ est intellectu nobilior, vt dixi *tractat.* 9. qui de Anima, *disput. penultim.* 80

OBIICIES octauò. In eo actu ponenda beatitas, qui eleuatur per Lumen gloriæ. Sed hic est intellectus: ergo.

Respondetur, Lumen gloriæ disponere ad visionem, vt formetur beatitudo in charitate consummata, cui ideò datur etiam charitas.

OBIICIES nonò. In eo actu consistit beatitudo, quo distinguitur beatus, à non beato; sed hoc est visio: nam quoad charitatem habetur etiam in via: Ergo.

Respondetur, differre beatum à viatore, præcipuè per fruitionem & amorem beatificum, qui in via non reperitur. His responsis Mastrius reliqua soluit. 81

Ex his habes primò, beatitudinem esse actum practicum, quem dixi affectiuum, *tom.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 5. Videtur D. Thom. *art.* 5. vbi ait, beatitudinem consistere principaliter in contemplatione: ergo secundariò est practica. Hunc textum mendosum frustrà dicunt Vasquez *disp.* 10. *cap.* 1. Tanner. *disp.* 1. *quæst.* 2. *dub.* 4. *num.* 43. Morandus, *tract.* 1. *de Beatitudine, quæst.* 9. Inueni enim ego illum in textu emendatissimo à Porrecta sic excusum.

Hæc nostra SENTENTIA est etiam Scoti, & Scotistarum, ac Valentiæ *hic, p.* 4. §. *Quoad secundam dubitationem.*

PROBATVR, quia beatitudo consistit in optimo; sed optimus est actus voluntatis, qui est practicus: ergo. Maior est D. Thom. Minor probata extitit *Tract.* 9. qui *de Anima.* 82

COLLIGO secundò, Thomistas cogi concedere, posse aliquem esse beatum, & non amare Deum; nam in sola visione tota beatitudo apud eos saluatur; amor verò est accidens. Hoc vidit Vasquez *d.* 11. *c.* 10. & est optimum argumentum pro nostra sententia. Absonum est enim dicere, esse beatum, & auersum à Deo. Ideò ipse asserit, huiusmodi per visionem à peccato emundandum. Ex quo ego infero: ergo amor Dei est de intrinseco beatitudinis.

MORANDVS *numero* 38. dicit, naturaliter non posse fieri, vt quis videat Deum, & illum non amet; sed per Dei potentiam posse manère indifferentem, seu suspensum. At verò cognito summo bono, in quo nulla elucet ratio mali, 83

mali, & nullibi alio bono viso, non potest voluntas non amare.

Obiicies primò cum Scoto. In eo solo sita est, beatitudo, quod habet rationem institutionis vltimi finis. Talis est amor: Minor probatur, quia per amorem vnimur Deo, ex D. August. 10. *de Trin. cap.* 4. D. Thom. *cont. G. cap.* 116. & colligitur ex illo D. Dionysij. *Amor transformat amatum in amantem.* Ideò est vulgatum sermone prouerbium. *Amor intrat, vbi cognitio finis stat.* Confirmatur: Ratio consecutionis boni non consistit in repræsentatione illius; sic amans pecuniam, non ideò eam consequitur, quia habet eam præ oculis: ergo idem de visione Dei. Confirmatur; quia finis, vt finis, id est bonum, ad voluntatem pertinet.

84 Respondetvr cum D. Bonauent. *locis adductis*, amorem quidem esse complementum beatitudinis, spectat enim ad essentialem coniunctionem cum vltimo fine, & sub ratione boni; attamen intellectus visione respicit bonum; esto sub ratione hac formali relinquat voluntati, Itaque id solùm probat, beatitatem principaliter in actu voluntatis consistere, & hoc probant tantùm cætera.

85 Obiicies secundò. Ibi est præmium, vbi est meritum, sed hoc est in voluntate: ergo.

Respondetvr, esse meritum in voluntate; non est tamen necesse, vt solùm in eo subiecto, à quo est meritum ponatur præmium: nam miles animo decertat, & tamen solum corpus clamyde vestitur, coronâ ornatur. Ità respondet etiam Suarez *num.* 50. Adde, meritum esse etiam in actibus intellectus liberis; vt ait Bassolius.

Hinc certè, qui videret, nec amaret Deum, non esset Beatus, vt notat Vasq. *cap.* 10. *post numerum* 61.

Attamen videntem non amare Deum, impossibile est, vt supponit D. Bonau. *loc. cit. in* 4.

Vasqvez vult, per solam visionem, hominem à peccato mortali emundandum, ac dilecturum. Contra: Si necessariò est amaturus, vt sit beatus. Ergo amor est de essentia beatitudinis.

86 Qvod verò subdit Vasquez, per solam visionem tollendum peccatum, absque infusione charitatis, & gratiæ, vel absque actu charitatis; non placet; nam vt tollatur peccatum, debet poni aliquid positiuum, tollens deformitatem priuationis, & maculam peccati de condigno, ex ipso Vasquez *numero* 66. Sed talis non est sola: ergo. Confirmatur. Quia peccatum opponitur rectitudini naturali: ergo hæc debet poni, vt tollatur peccatum; hæc autem, vel per actum, vel per habitum poni debet; alioqui dicat; quomodo rectificetur anima sine actu, vel habitu. Neque satis est, denegari dilectionem, quæ consequeretur visionem, vt tollatur debitum habendi aliquid, quo macula auferatur.

87 Habes etiam, beatitudinem esse primò in potentiis, & mediatè in essentia. Ità D. Bonau. *in* 4. *d.* 49. *quæst.* 4. & sequitur Fauentinus *in* 3. *d.* 8. *cap.* 1. *num.* 14.

Qvoad illud gaudium, de quo *in quæstione*; distinguere oportet. Nam vel est gaudium; quod sit complacentia quædam de bonis, & perfectionibus Dei; ità, vt totum obiectum amatum, sit Deus; hoc pacto non distinguitur ab amore amicitiæ, quo diligitur Deus propter se; quia amare aliquem, est velle ei bonum. Itaque complacere in bono illo Diuino, est velle Deum illud habere, & hoc modo pertinet ad essentiam beatitudinis.

Qvoad fruitionem verò, seu voluptatem, quæ est delectatio consequens operationes amandi, & videndi Deum, quæ sunt natura sua iucundissimæ; omissâ sententiâ Aureoli suprà adductâ, & confutatâ, quæ totam essentiam beatitudinis, in gaudio illo collocandam opinatur.

Alia opinio est, eam delectationem non spectare ad essentiam beatitatis. Ità D. Thom. *p.* 2. *quæst.* 3. *art.* 4. & *quæst.* 4. *art.* 1. & 2. Scotus *in* 4. *d.* 49. *quæst.* 7. Suarez *d.* 7. *sect.* 1. *num.* 43. & *d.* 9. *sect.* 3. *num.* 3. licèt *d.* 7. *sect.* 1. *num.* 35. dicat, sibi olim probabile visum, gaudium illud ad essentiam beatitudinis pertinere. Cum his incedit Arriaga *d.* 49. *sect.* 3. Tanner. *quæst.* 2. *dub.* 3. qui visionem solam, ponit essentiam beatitudinis, pro quo omnes Thomistæ stant; dicit verò, delectationem, esse conditionem, qua visio euadit beatifica. 88

Tertia opinio est, delectationem illam ad essentiam beatitudinis pertinere. Ità videntur sentire omnes illi, qui dicunt, nullum, etiam per Dei potentiam, posse Deum videre, & non delectari. Goffred. *quodl.* 7. *quæst.* 5. Henricus *quodl.* 1. *quæst.* 1. & *quodl.* 12. *quæst.* 5. Ægid. *quodl.* 5. *quæst.* 6. quam rem dubiam relinquit. Capreol. *in* 1. *d.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4. contra sextam conclusionem, & *in* 4. *d.* 49. *quæst.* 2. *ad* 5. contra primam conclusionem: & alij. Pro hac sententia stat D. Bonauent. *in* 1. *d.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1. & 2. & *locis suprà cit.* & *in Opusculis passim.*

Assero cum hac sententia, delectationem ortam è visione, & amore, ad essentiam beatitudinis spectare.

Probatvr primò è Bulla Benedicti XI. *ex Concilio Vien. & Catechismo*, suprà *relatis*, vbi delectationem in fruitione, quam ad beatitudinem essentialiter pertinere dicunt, videntur includere. 89

Respondet Tannarus, fruitionem poni, vt conditionem. Subscribit Morandus.

Contra arguit Arriaga *num.* 21. hanc solutionem violentam esse: Ibi enim fruitio dicitur pars beatitudinis essentialis.

Respondet ipse, solam Dei visionem esse fruitionem pulchritudinis Dei; sicut solus olfactus est fruitio odoris. Hanc tamen doctrinam in eo extrusi, suprà *argumento primo*, quòd delectationem in solo intellectu ponit, & ostendi, esse in voluntatis consensu.

Contra secundò. Vel ista delectatio est operatio ipsa, vel aliquid distinctum, & consequens operationem visionis. Si est ipsa visio. Contra primò: Quia visio est coniunctio intellectualis obiecti cum potentia, quæ quidem à nullo philosopho dicitur delectatio; imò ad potentiam diuersam, id est appetitum, pertinere dicunt. 90

Deinde arguo ad hominem. Quæ possunt naturaliter separari, non sunt vnum sed delectatio à visione, per te, potest separari: ergo. Minor probatur. Ità se habet, per te, declaratio obiecti in visione, sicut delectatio saporis in gustu: Sed potest gustus sentire saporem, & eo non delectari; vt cùm sentit saporem mellis, & tamen stomachatur, od aliquam palati indispositionem: ergo.

Si verò dicas, delectationem esse aliquid consequens visionem ab illa indistinctum: Ergo cùm hæc delectatio per te spectet ad essentiam beatitudinis, iam confiteris, præter visionem, requiri etiam delectationem.

Respondet Suar. delectationem esse amorem, vel quid posterius amore, vt passionem consequentem ad beatitudinem.

ostendi *tract.1. d.11. q.26.* Sed prout oponitur inquisitioni viæ; de qua Apostolus: *Sequor, si quo modo comprehendam.*

PRIMA opinio est Paludani, *4.d.49. q.8.art.3.* eam esse perpetuitatem actus beatifici, & esse tàm in actu intellectus, quàm voluntatis, & requiri ad beatitudinem, eo modo, quo inamissibilitas.

SECVNDÒ, Caietanus ad locum adductum D. Thom. ait, Comprehensionem esse relationem resultantem è præsentia obiecti beatifici.

TERTIA opinio est, esse operationem. Ità Soto *in 4 d.49.q.4. art.2.* Richard. *art.3.q.5.& 7.* D.Bonauent. *art.1.q.5.* & *in 3.d.26.art.2. q.3.* Suarez *d.8. sect.4. numero 5.*

ASSERO cum hac sententia comprehensionem, seu tentionem beatificam esse veram operationem.

PROBATVR à Suarez *loco cit.* ratione D.Bon. Comprehensio beatifica idem est, ac adeptio, tentio, & possessio finis vltimi; sed hæc nominant actionem: ergo. Confirmatur ex illo Apostoli. *Sic currite, vt comprehendatis.*

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *loco citato.* Tentio patriæ respondet inquisitioni, & aspirationi viæ. Sed hæc est per actum Spei: ergo.

Quænam autem operatio sit? Intellectus ne? an Voluntatis? D.Bonauent. dicit, esse actum specialem Voluntatis, vt habet rationem Irascibilis, quo beatus tenebit Deum continuè, & certè arctissimo amplexu; quem actum dicit esse distinctum ab amore, & gaudio, quæ pertinent ad voluntatem, vt habet rationem Concupiscibilis.

101 CONTRA hunc modum arguit Suarez *numero 6.* Primò, quia nec reddit, neque reddere potest explicitè, quisnam actus sit hic, quia circa Deum, vt summum bonum, quomodo à voluntate attingitur, nullus actus voluntatis intelligitur, nisi vel gaudij, vel amoris, supposita præsentia talis obiecti: nam alij actus desiderij, vel spei supponunt absentiam. Deinde vrget, quia nullus potest esse actus Irascibilis circa Deum, quia iam non proponitur, vt bonum arduum consequendum, neque ibi est aliquod malum tali bono contrarium, quod per Irascibilem sit repellendum. Quare (ait) omnes alij Doctores conueniunt, comprehensionem, non esse operationem distinctam ab illa, in qua consistit formalis beatitudo. Vnde Richardus suprà dicit, esse Visionem, & Amorem: Scotus verò, principaliter amorem; quia idem dicendum est de comprehensione & de assecutione.

102 HÆC tamen omnia falsa sunt; & primò quidem S.Doctor supponens, appetitum habere duas vires; idest IRASCIBILEM, & CONCVPISCIBILEM; hæc ad prosequenda: illa dirigitur ad retundenda contraria, quæ bonum reddunt arduum; sicuti eadem securis ex altera parte scindit; ex altera ad instar mallei retundit. Sic autem discurrit: Anima viribus omnibus in via tendit ad Deum per virtutes Theologicas, rationalis quidem per Fidem; Concupiscibilis per Caritatem, Irascibilis per Spem; equum est, vt & in patria hæ potentiarum vires coronentur muneribus respondentibus. Et ità anima detur in gloria, tanquam noua nupta

103 Diuino Agno. Sic igitur Fidei obscuræ merito, quæ intellectum captiuat in obsequium Christi, respondet Visio clara. Concupiscibili, amore tendenti in Deum, respondet Charitas consummata; meritis verò voluntatis, ratione irascibilis; quia in in bonum arduum beatitudinis, & in Deum tendit, firma respondet tentio illius boni, ad quod aspirauit. Et quidem non vult S. Bonauent. Irascibilem tendere in bonum arduum impugnatum, sed vim illam animæ meritum illius tendentiæ habere intentione, quæ non est mera delectatio de bono præsenti, sed secura possessio, & arctus amplexus boni sperati. Voluntas enim tendit sanè in 104
bonum absens per desiderium, per delectationem verò quiescit in bono præsenti; at si illud bonum fuerit iam diù suspitatum, & tunc illud firmiter possessum, delectatio euenit noua. Non est igitur tentio, seu Comprehensio è Seraphici doctrina, ipsa voluptas boni præsentis, sed vult, esse ipsam visionem, & ipsam fruitionem, vt iam adeò suspiratam; nunc autem firmissimè, & securissimè possessam. Vnde B. Agnes id explicans, ait: *Ecce, quod concupiui, iam video: quod speraui, iam teneo: ipsi sum iuncta in cœlis, quem in teris posita, totá virtute dilexi.* Hinc patet malè ab Arriaga *d. 51. sect. 5.* irrideri Seraphicum, quasi dicat, per illam tentionem velle teneri Deum, refugiat, vel se abscondat. Nec locum iræ esse.

QVÆSTIO IX.

An BEATVS *sit Fide præditus.*

D.Bon. in 3. d.31.art.2.q.1.
D.Thom.3. p.q.7.art.3.& 5. secundæ, q 67.art.3.& 2. 2. q.1.art.4.& 5.

ASSERO negatiuè. Ità communiter Theologi cum SS.DD. 105

PROBATVR à D. Bonauent. primò ex Apost. Heb. 11. *Fides est sperandarum rerum substantia, argumentum non apparentium*: ergo non stat cum clara visione. Confirmat *in corpore, è prima Corinth.13.*

PROBATVR deinde rationibus primo loco validissimis. Præcipua est hæc: Quæ repugnant statui gloriæ, non erunt ibi; sed cognitio per fidem est talis: ergo. Minor probatur ex Apost. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Cognitio autem clara, & ænigmatica pugnant. Vide Suarez *ad art. cit. D.Thom.3.p.*

ARRIAGA *d.51. sect.1.* non timet admittere in 106
beatis aliquam fidem, seu quoad aliqua; nam Angeli superiores multa reuelant inferioribus. Ea autem non sentiebant Angeli priùs, & poterant scire in attestante per fidem. Attamen ob communem consensum id tandem negat; quia potest illuminatio esse euidenter cognita, vnde nullus fidei locus relinquatur. Vide Seraphicum *loco cit.*

QVÆSTIO X.

An in BEATIS *euacuetur Scientia.*

D.Bonau.in 3.d.31.art.2.q.3.
D.Thom.p.secundæ,q.67.

SVPPONO, non manere Theologiam, quæ nititur tota authoritate reuelante obscura; ideò 107
non manente fide, neque manebit Theologia, qualiscumque scientia dicatur. Ità Caiet. ad 13. primæ Cor. *Siue scientia destruetur.* Capreol. *q. 1. Prol. art. 1. ad argumenta*, Aureoli, Durandi, & Scoti,

contra

contra primam, & *secundam conclus.* Medina *q.67. art.2.* Suarez *p. secunda,d.8.sect.1. num.5.* De hoc egi *tract.1. d.1.q.8.* Concedo tamen, manere species Theologiæ, & ità potest recordari Scripturarum. Quæstio ergo est de scientiis naturalibus.

PRIMA opinio negatiua, est Alberti *in 3. dist. 33.*

OPPOSITA sententia est affirmatiua S. Bonauent. & D. Thom. *hic*, & omnium Thomistarum, Paludani, *in 3. quæst.1. art.3.* Durandi *quæst. 7. & d. 33. quæst.4.* Suarez *d.8. sect. 2.* Arriagæ *d. 51. sect. 4.*

108 Distinguit autem S.Bonauent. Habitum, Vsum, & Modum. Quoad primum ait, manere; non quoad secundum. Quoad tertium verò, qui est per inquisitionem, & discursum, ait tollendas scientias.

Suarez verò distinguit Species; & Actus, cum Habitibus, qui illis respondent, sicut & operationes varias, quæ ab illis procedunt.

ASSERO, manere scientias, quoad habitus, in gloria.

109 PROBATVR primò à Suarez *loco citato, arg. D. Bonauent.* quia ex Aristotele: scientia, ac proinde nec species destruuntur, nisi vel ad corruptionem obiecti scibilis, vel ex parte medij, vel ob obliuionem ex parte scientis, ob specierum obliterationem. Sed in patria nullum horum destruetur: ergo. Non primum: Quia obiectum scientiæ est perpetuum; sunt enim scientiæ; quæ sunt veritatis æternæ. Neque medium, vt patet, neque etiam species obliterabuntur, cùm sint spirituales in subiecto spirituali perpetuò incorruptibili, non habentes contrarium.

110 PROBATVR secundò à Suarez, *quarto D.Bonauent. fundamento*, ex conditione illius status. Cur enim aliqua perfectio detrahenda illi statui, si sit independens à via? Confirmatur à D. Bonauent. primò, exemplo Christi, & Angelorum, qui habent has scientias etiam in gloria. Confirmatur secundò, alioqui scientiæ essent inter bona transitoria. Vide S.Bonauenturam.

Hinc deducit S. Doct. *in corpore*, eos, qui ex hac vita decedunt infantes, vel idiotæ, dotari in patria illis scientiis naturalibus; eis verò, qui aliquas habent, addi etiam reliquas. Et hoc ex perfectione illius status, qui est omnium bonorum aggregatione perfectus, vt arguit Suarez è D.Bonauent. *ibi.* Quoad fundamentum bonum acclamat Arriaga *num.14.*

111 Addunt verò Suarez & Arriaga, tolli opiniones; quia imperfectæ cognitiones sunt.

ASSERO secundò, non tolli vsum Habituum.

PROBATVR à S.Doct. ratione *in corpore.* Actus est complementum Habituum, si ergo manerent Habitus, nec ad actus inseruirent, iam imperfecti manerent.

ASSERO tertiò, scientias mutari quoad modum.

112 PROBATVR à D.Bonauent. *Scientia destruetur*, quoad id, quod dicit imperfectionis, *ex prima Corinth. 13.* Sed in modo vtendi scientiis imperfectio, per varias inquisitiones discursus, &c. ergo. Confirmatur à D. Bonauent. *arg.vlt. & in corpore*, quo nititur Suarez. Talis enim modus scientiæ repugnat visioni. Hæc enim simplicissima est, abstrahens ab omni discursu. Ergo cognoscit vnico intuitu, quidquid posset per discursum ex ea inferri.

Respondet Arriaga *d. 51. sect. 3. numero 14.* ex cognitione simplicissima, & alia sequenti, posse educi discursum.

ARGVIT ergo, posse beatum discurrere. Potest videre omnipotentiam Dei; non tamen distinctè videre, posse producere Leonem. Hoc verò particularè, potest scire scientiâ naturali, vel experimento, quia vidit Leonem in via. Tunc potest discurrere: *Deus potest quidquid non implicat.* Hoc scit per visionem. *Sed Leo non implicat.* Hoc scit scientia naturali: ergo (potest inferre) *potest producere Leonem.* 113

HOC sanè exemplum nil probat; quia dum nouit omnipotentiam Dei, scit omnia, maximè ea, quæ vidit. Neque est noua cognitio. Leo non implicat, cùm sit ens creatum. Esse verò posse discursum circa aliqua, dixi *1. part. tract. 4. disput.2. quæst. 23.*

Addo, neque prophetiam in patria euacuari; potest enim beato reuelari aliquid futurum, sicuti reuelabatur Isaiæ, & reliquis videntibus.

QVÆSTIO XI.

An videns DEVM, *necessariò diligat illum amore amicitia supernaturali.*

{ D.Bonauent. in 2.d.25 d.2.q.2.& 3.

PAVCIORA de Charitate Beati dicam, quàm de visione, quia charitas est communis etiam Viatori, & ideò agitur *de ea 22.* Est enim substantialiter vna charitas, vt notat Suarez *d.9. sect.1.* modo dicto *quæst.6.* quoad obiectum, vt docet D. Bonauent. *in 4.d.49. q.5. ad 1.*

PRIMA opinio est, Beatum adeò necessariò diligere Deum, vt neque ex potentia Dei absoluta, posset eum non amare. Ità Ægid. *quodlib. 5. q.6.* Henricus *eodem quodl. eadem quæst.*

SECVNDA sententia extremè opposita est, videntem Deum, non diligere Deum necessariò, vel quoad specificationem, vel quoad exercitium; sed posse relinqui, vt Deum odio prosequatur, puta si illi Deus reuelaret, eum inferno mox destinandum. Ità Holcot *in suis determinationibus q.9. art.2. concl.3.* Gabr. *in primo, d.1. q.6. art. 2. concl.3.* & supplementum eius *in 4. d.49.q.2.art.3. dub.5.* 114

NEC longiùs abeunt Scotus *primo, d.3. q.4.* & *in 2. d. 26. q. 1. ad 1.* & *d. 39. q. 1. ad 2.* & *in 4. d.49. q.6.* Ocham *in 4. quæst.vlt. art.3.* D.Thom. *q.22. de verit. art.6.* & *p.secunda, q.10.art.2.* Ouied. *controu.3. q.4.* Mastrius *in primo, d.6. n.277.* & *d.7. anima; num.145.* & alij apud Granadum *p.2.tract.3. d.1. sect.2.* dicentes, videntem Deum, non ex intrinseca natura visionis, Deum necessariò diligere; sed quadam necessitate extrinseca, ortâ è Diuina assistentia, & prouidentia denegante concursum ad actum commissionis peccati, vel determinante voluntatem beati ad actum oppositum peccato omissionis. Cæterùm è natura visionis liberum esse ad peccandum.

HVIC sententiæ coguntur subscribere quotquot beatitudinem in solo actu visionis constituunt, & actum amoris accidentarium faciunt, quos retuli *q. 6.* Si enim essentia beati in sola visione stat, sanè possunt ex vi beatitatis Deum odisse. Neque eximunt Soto: *4.d.49.q.1. art.4.* Medina, & alij dicentes, tunc non fore beatos. Profectò apud 115

apud vos videns Deum habet beatitati essentialia. Neque dicant, beatitatem esse in visione, vt est causa amoris. Contrà enim vrget, quia ità confitentur beatitatem, non esse nudam visionem, sed includere amorem, & sic fœdera iungunt.

Neque satisfacit Vasquez, aliis reiectis, *d.* 11. *cap.* 10. *num.*64. dicens, visionem se solâ excludere peccatum, & inducere necessariò amorem Dei intrinsecè. Tunc enim sequitur amorem Dei esse de intrinseco beatitudinis.

Morandus, vt argumentum effugiat, docet *tract.*1. *de vlt. fine*, *q.*8. *num.* 38. *&* 42. potentiâ quidem ordinariâ necessariò videntem, esse amantem; tamen posse Diuinâ potentiâ suspendi concursum ad amorem. De hoc infrà agam.

116 Tertia Sententia est, è visione Dei oriri intrinsecè amare Deum. Ità D. Bonauent. *locis adductis*, & *adducendis*. Capreol. *in primo*, *d.*1. *quæst.*3. *art.*1. Durandus 4. *d.* 48. *quæst.* 2. & *d.*49. *quæst.*8. Palud. 4. *d.*49. *quæst.*7. *num.*22. Maior *d.*49. *quæst.*8. Caietanus, 1. *part. quæst.*82. *art.*1. *&* 2. & *p. secunda*, *quæst.*10. *art.*2. Ferrar. 3. *cont. gent. cap.*62. Sotus 4. *loco citato*, & alij Thomistæ, qui hanc conclamant esse sententiam D. Thom. 1. *p. quæst.*82. *art.* 1. *&* 2. & *quæst.*83. *art.*4. & *p. secunda*, *quæst.*5. *art.*4. & 3. *cont. gent.* 62. vbi Ferrar. Suar. *d.*9. *sect.*1. Arriaga *d.*52. *sect.*1. Vasquez, *d.* 18. *cap.*2. Tanner. *d.*1. *quæst.*3. *dub.*3. Auersa *quæst.*4. *sect.*2. Valentia, *quæst.*4. *p.* 1. Faber *primo*, *d.*14. *c.*3.

117 Aduerte autem, Seraphicum, quem sequitur Sotus, admittere necessitatem immutabilitatis cum libertate; tametsi necessitas coactionis cum libertate implicet, vt dixi *tract.* 2. *disput. de Spiritu sancto*, & notat Faber 2. *d.* 29. *num.*5. Quando igitur Scotus dicit, beatum liberè amare Deum, quantum ex parte visionis, loquitur de libertate contingentiæ, non de illa, quæ stat cum necessitate. At D. Bonauent. negat posse beatum, non amare Deum necessitate immutabilitatis obstante.

Assero, videntem Deum, necessariò eum diligere.

118 Probatur primò à D. Bonauent. *quæst.*3. è D. Augustino in Enchir. cap. 105. *Erit homo sic, vt velle malè non possit; nec tamen ideo carebit libero arbitrio*, & infrà: *Neque autem voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati sic esse volumus, vt esse miseri non solùm nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus.* Igitur actus beatificæ dilectionis sunt necessarij.

Probatur secundò à D. Bonauent. argumento, quo vtitur Suarez, *num.*14. sumpta similitudine à Diuina voluntate, quæ ad amorem sui ipsius est necessariò determinata. Idem igitur dicendum de voluntate creata, respectu Dei claré visi. Probatur Consequentia primò. Quia voluntas Diuina est perfectior omni voluntate creata, & non obstante hac perfectione determinatur ad amandum summum bonum claré visum, & cum hac retinet libertatem intrinsecam naturæ rationali: ergo idem dicendum de voluntate creata.

119 Probatur Consequentia. Quia si hæc voluntas ponitur libera contingens respectu illius obiecti, vel hoc est ex perfectione, & hoc non, quia Diuina est perfectior, vnde signum est hoc non pertinere ad perfectionem. Vel hoc venit ex imperfectione, & sanè hoc non asserunt aduersi; quia putant hoc esse habere dominium sui actus, quod conuenit voluntati ex perfectione. Deinde nulla est ratio, cur hæc imperfectio tribuatur voluntati creatæ, præsertim suppositâ in intellectu clarâ visione Dei, quæ sufficit ex parte intellectus, vt omnem auferat imperfectionem, quæ modum illum operandi posset impedire, & posito in voluntate habitu charitatis, eleuante voluntatem ad diuinum ordinem cum concursu sibi connaturali, & debito. Vnde confirmatur à Suarez è D. Bonauent. *in* 2. *d.*38. *p.*2. quia charitas est participatio diuinæ charitatis per essentiam, estque quodammodo eiusdem ordinis. Sicut ergo charitas per essentiam determinata est naturâ sua ad amandum summum bonum, quod est obiectum eius, non modò quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium; ità & charitas participata, est determinata ad amandum idem summum bonum sufficienter propositum, quod etiam respicit vt primarium obiectum. Idem argumentum constituit S. Doct. *Opusc. de* 7. *Donis. De dono Sap. cap.* 11. §. 4. *de huius regni conuiuij lege*, *& charitate*, *&c.*

Probatur tertiò à S. Doct. *Opusc. citato*, §.7. *& vlt.* ratione, quâ nititur D. Thom. nam Vbi est propositum summum bonum, in quo non est inuenire speciem mali, & extra quod non est bonum aliquod, neque est aliquod impediens voluntatem, non potest ea viso summo bono, non amare. Sed beatus ità se habet: ergo. Quod habeat propositum tale bonum, probat è D. Bernardo *lib. de diligendo Deo, post medium*; & confirmat è prima Cor. 15. *Erit Deus omnia in omnibus*: vbi etiam aduertit, asseri remota omnia impedimenta, quod confirmat è Psalm. 22. *Calix meus inebrians, quàm præclarus est*, & Psalm. 45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Vide Seraphicum latiùs id prosequentem. 120

Oportuit autem probare, non modò bonitatem obiecti summam, eamque præsentem, sed etiam remota esse omnia impedimenta, vt aduertunt Vasquez, Arriaga, & alij

Probatur quartò à S. Bonauent. *argumentis primo loco*, *& in corpore*, ex illo primæ Ioan. c.3. *Similes ei erimus: quia videbimus eum sicuti est.* Sic enim videtur Apostolus discurrere: Videns Deum, videt summum esse bonum, & infinitè amabilem, & absorbetur adeò intellectus, vt nullam aliam bonitatem æstimare valeat, & hoc videt perfectissimâ scientiâ, & cognitione actuali, adeoque suauem gustat, vt sicut vehemens sensibile sensum absorbet: (esto lædat per accidens, ratione organi) sic illud pulcherrimum obiectum absorbeat, ac perficiat sine læsione intellectum (vt supponit ex dictis *in primo*, *d.*1. *art.* 3. *q.*1. *ad argumenta*:) imò confortet, corroboretque, nè dispergatur exteriùs; sicut sensus ad obiectum; sed intimè vniat, vnde virtus non dispergatur, sed colligatur, & fortior euadat, ità, vt toto conatu repræsentet Voluntati illud optimum; nec aliud exhibeat comparandum, & in ea visione non minùs, quàm sensus in perfectione sui perfectissimi, & gratissimi obiecti absorbeatur; vt illum Deum dulcissimum cognoscat infinities Torrente voluptatis extinguentem velut scintillam flammas omnes inferni, ità vt si esset etiam ille videns in inferni torturis, non sentiret pœnas præ immensitate dulcedinis; quis non videt hunc, appetitu necessario absorbendum ad Dei amorem, etsi torqueretur ab eodem Deo pœnis inferni vel torquendum se cogitaret, dummodò visione Diuina non priuaretur, vel si priuandum se videret, adhuc illa summa pulchritudine absorptum non posse recedere 121 122

recedere ab eius amore, ac desiderio, atque ab illa summa bonitate, ipsoque Deo; quippè esset rectificata voluntas ab illa cognitione actu, quod iam ostendi, & Dei bonitas agnoscitur odio non digna, ob prædicata intrinseca, neque ob pœnarum inflictionem odio habenda.

VASQVEZ diceret, trahi amore, quia maius bonum videt; ad hoc autem voluntas necessariò tendit. Quod enim ait Holcot, posse hunc videntem putare, se futurum miserum, si Deum amet, non stat. Quòd etiam ait, posse Deum præcipere ne amet; falsum est; at esto, iam is amat obediens. Malè autem iuberi posse, admittit Arriaga *num.6. & 19.* qui *d.53.sect.2. num.7.* negat posse cum visione Dei stare peccatum, quod in negatione amoris Dei includitur, maximè si auersionem addat, quam verè addit. Hac ratione vtitur is, & ferè Suarez num D.Bonauent. *de Beatitud.* Fateor, posse suspendi concursum ad amorem; at nequit influere ad odium. Addo, videntem necessariò velle suam beatitatem. Sic D.Thom. *p.2. q.5. art.4.* vbi Conrad. & *4.cont.gent. c.62.* vbi Ferrar. Hic enim amor est maximè consentaneus naturæ nostræ; quia Deus est summum bonum beatorum, in quo nulla ratio mali, vel inconuenientiæ apparere potest, & in carentia eius nulla ratio boni apparere potest; imò, etiamsi Deus non amaretur amore amicitiæ; eo quòd tortor esset futurus; attamen adhuc amore concupiscentiæ amaretur, vt sibi summam delectationem afferret anima. Vnde ait D.August. in Enchirid. vti suprà: *Neque aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, quâ beati sic esse volumus, vt esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus.* Hæc est ratio D.Bonauent. *in 2.d.25. q.1. arg.1. secundò loco*, quam latè prosequitur Suarez *d.9. sect.2. à numero 6.*

125 PROBATVR etiam ex dictis *d.2.q.1.* & *tract.1. d.11. q.1.* è D.Bonau. *ibi* adducto. Sicut cognitionem naturalem, sequitur instinctus naturalis; ità cognitionem supernaturalem affectus supernaturalis, & sicut lumen naturale sequitur appetitus naturalis; ità cognitionem adeptam actu; elicitus; sed cognitione, seu instinctu naturali necessariò appetimus beatitudinem, & amamus: ergo supposità cognitione supernaturali, necessariò sequitur amor beatitudinis supernaturalis.

Confirmatur: Nam clariorem cognitionem sequitur maior appetitus boni, sed visio est cognitio clarior; quàm lumen naturale, vel scientia adepta: ergo necessariò sequitur maior appetitus boni.

QVÆSTIO XII.

An, & qua ratione Videntes DEVM *sint impeccabiles.*

ERROR Origenis *lib.1. Periarch. cap. 6. & homil. 15. in Lucam* fuit, voluntates beatorum mutabiles esse ad peccatum.

VERITAS tamen Catholica fatetur, in Beatis nullum peccatum esse posse.

126 PROBATVR è Sapient.7. *Nihil inquinatum in eam incurrit.* De quo vide S. Bonauent. ad eum locum. Apoc. 21. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium*; vt notat S. Bonauent. in Opusculis *Tom. 1. operum.*

Quæritur ergo, vnde ea impotentia peccandi oriatur.

PRIMA opinio est beatos ex vi visionis non fieri impeccabiles, sed solùm extrinsecè è prouidentiâ Diuinâ eos præseruante, vel non concurrendo ad peccatum, vel necessitante ad Diuinum amorem. Ità Scotus *in primo, d.1.q.4.* & *in 4. d.43. q.9. & 10.* & *d.49.q.6.* Gabr. *in primo, d.1. q.9.* & *in 2.d.7. q.1.* Ocham *in primo, d.1.q.15.* Gregor. *in primo, d.7. q.2. art.2.* Suppl. Gabr. *in 4. d.19. q.2. art.3. dub.6.* Mastrius *d.6.num.277.* Tanner. *d. 1. q.3. dub.3. num.25.* & alij apud istos.

VERA tamen sententia est, beatos ex vi ipsius visionis intrinsecè fieri impeccabiles. Ità D.Bonauent. *in 2. d. 25. q.2. & 3.* & *in 3. d.12. art. 2. q.1.* 127
D.Thom. *prima secunda, q.4.art.4.* & *1.p.q.62.art.8.* & *3. cont. gent. cap. 62.* & *lib.4. cap.92.* & *q. 22. de verit. art.6.* & *q.2.art.8.* Durand. *in 2. d.7.q.1.* & *d. 23. q.1.* & *in 4. d.49.q.8.* Richard. *in 2. d.7.art.1. q.1.* Maior. *in primo, d.49.q.8.* Palud. *ibi. q.7.art.2.* Sotus *in 4. d.49. q.3. art.4. concl.4.* Capreol. *in primo, d.1. q.1. concl.4.* Victoria apud Medinam *prima secunda, q.4. art.4.* Suar. *d.10.sect.1.* Arriaga *d.53. sect.3.* Morand. *lib.1. de Beatitudine, q.10.* Vasquez *d.18. num.15.*

EX his aliqui dicunt, fieri impeccabilem, quatenus videt in Verbo res, & actiones ad se pertinentes, & omnes circumstantias, quæ possunt voluntatem rectam facere, vel ad malum inclinare. Ità Durand. *loco citato*, & D.Thom. *4. cont. gent.* & Thomistæ. Cæteri verò dicunt, hoc prouenire à Visione, quatenus est summi boni.

ASSERO primò cum hac sententia, beatum ex vi ipsius visionis reddi impeccabilem.

PROBATVR primò à S.Bonauent. *locis adductis, q.6. in argumentis, & in Opusculis passim.* Voluntas 128
ex vi visionis impellitur ad amorem Dei ex aspectu illius pulchritudinis, & ex cognitione infinitæ ipsius bonitatis. Ergo & retrahitur ab omni offensione: Nam amor perfectus retrahit à læsione personæ amatæ. Hac ratione vtuntur Suarez, *loco citato*, Morand. *num.43.* Arriaga *num.7.* Confirmatur ab eis argumento è D.Bonauent. *in 2.d.16. art.2.* Quia si contemplatio adeò hominem eleuat, vt non sentiat, ac proinde à peccatis immunis sit, vt in Moyse; multò magis, visio beatifica id præstabit. *Hoc in Opusculis* latè disserit S. Doctor.

PROBATVR secundò à D.Bonauent. *locis primò adductis in sententia referend.* Impossibile videtur beatum velle amittere illam beatitudinem per peccatum; nec potest proponi illi obiectum id suadens. Hac ratione vtitur Tannerus *loc.cit.*

ASSERO secundò, non posse per peccatum amitti visionem.

PROBATVR à multis. Si peccatum expellit visionem: ergo peccatum est prius naturâ, quàm carentia visionis; atque quamdiù est visio, seu quamdiù non est carentia visionis, non est libertas ad peccandum: ergo non potest homo liberè peccare priùs naturâ, quàm visio expellatur: ergo nec per peccatum potest eam appellare. 129

CONTRA arguit Arriaga: Nam eodem modo potest argui; gratiam habitualem, non posse expelli naturaliter per peccatum; nam priusquam sit peccatum, est gratia, quæ repugnat esse cum eo: ergo non est libertas in eo priori ad illud ponendum: ergo neque ad expellendam gratiam, quod est error.

HÆC tamen impugnatio est nulla; & dispar ratio. 103

ratio. Nam peccatum, & gratia solùm repugnant moraliter, ità, vt si homo in gratia velit transgredi, sequatur priuatio gratiæ è decreto Dei. At ponamus cum aliis repugnare physicè; attamen adhuc est dispar ratio. Erit enim repugnantia formalis, ità vt ambo simul in eodem subiecto non stent, sed vno adueniente, alterum recedat, non ità tamen, vt gratia antecedenter efficienter excludat efficaciter peccatum, influendo necessitatem in voluntatem, ac tollendo libertatem ad peccandum, sicuti facit visio, quæ vt diximus suprà, & fatetur ipse Arriaga, ratione superiori, & infrà *num*, 17. est prior omni actione libera contingente ad malum. Gratia verò non influit in liberum arbitrium, vt necessitate quadam euitet peccatum, esto illud aliqualiter roboret.

131 Probatvr secundò à S. Doct. *locis adductis*. Quia beata visio naturâ suâ petit conseruari in perpetuum: ergo prius est eius conseruatio, vtpotè necessaria; prius inquam, quàm omnis actus liber ad eam expellendam. Hoc argumento vtitur Arriaga *num*. 17.

132 Assero tertiò, non posse Diuinâ potentiâ videntem Deum, ità relinqui, vt peccet, & eam amittat. Contra Arriagam, qui secum pugnat, & Ouiedum.

Probatvr verò repugnantia in eius dicto. Id, quod est prius naturâ positiuè, non potest à posteriori in eo priori instanti, etiam diuinitus expelli, ex Arriaga *sect*. 3. *sub numero* 16. §. *Alter ergo*. Sed visio est positiuè prius naturâ, quàm libertas ad peccandum ex eodem Arriaga *ibi*. Ergo neque per Dei potentiam, potest expelli à peccato.

133 Respondebit, posse destrui à Deo, attamen, etiamsi titulo absoluti dominij valeat eam annihilare; posse Deum, sic dicere: Volo expectare tuum liberum consensum. Si peccaueris, non eam conseruabo. Et vt possis liberè agere, dabo tibi in hoc instanti prius naturâ, quam quidquam circa visionis conseruationem, & determinationem; cognitionem aliam indifferentem de bonitate, & malitia, cum qua possit peccatum, & eius carentia coniungi.

134 Verum hoc est impedire effectum intrinsecum visionis; & in hæc non pelletur per peccatum; sed Deo destruente, sicuti si Deus pactum iniret destruere Romam, si ignis Babylonem ardeat. Miror virum hunc adeò tricis quærendis inuolui.

Benè quidem argumento hoc, ait probari, in eodem instanti, quo quis operatur liberè, posse ei dari visionem beatam, intuitu illius operationis liberæ, vt *de Angelis* dixi *tractatu proprio*, *d*. 6. *q*. 2. cum S. Doct. quem sequitur *ibi*. Arriaga.

Probatvr ergo assertio; quia eo ipso, quòd voluntas videt summum bonum clarè, nec adest aliquod impedimentum, remanet determinata ad illius amorem; vt notant Morandus, Suarez, & alij.

135 Dubitabis: An visio possit stare cum peccato Habituali, saltem per Dei potentiam.

Tannerus *dub*. 5. *n*. 25. putat, visionem naturâ suâ non expellere peccatum habituale.

E regione Vasquez *d*. 11. *cap*. 10. neque de potentia absoluta ait, posse stare peccatum habituale cum Visione. Ità etiam Morand. *q*. 10. *in calce*, Pasqualigo *t*. 2. *d*. 121. *sect*. 2.

Arriaga *d*. 53. *sect*. 5. *n*. 23. ait, rem esse dubiam, nec horum argumenta esse solida.

136 Arbitror consequentiùs ad nostra fundamenta primò non posse naturaliter stare peccatum; quin à Visione pellatur. Probatur, quia necessariò conuertit animam perfectissimo amore in Deum, & auertit ab omni displicentia Dei. Est autem Deo maximè displicens, animam in peccato manere, ac proinde non facere quidquid necesse est ad pœnitendum. Ergo in primo instanti conteretur, diliget perfectissimè Deum, & pelletur peccatum. Sed dicis, eo instanti esse peccatum. Dico eodem tolli. Non enim, supposita cognitione, ad actum liberum eget tempore, sicuti in via de Angelis dixi *d*. 6. *q*. 2. Addo, non probari à Tannero, Visionem non esse formalem sanctitatem.

Deinde visio supponit gratiam naturaliter: Nam datur propter eam, vt notant Suarez, & Arriaga. Inde non benè tamen Vasquez arguit, neque per Dei potentiam posse stare visionem cum peccato, quia ex vi visionis debetur gratia habitualis.

QVÆSTIO XIII.

An virtutes reliquæ maneant in Beato.

D. Bonauent. in 3. d. 31. & 33.

Qvoad fidem vidimus illam euacuari in patria. 137

Quoad Spem omnes dicunt, ipsam etiam euacuari, quia, quæ, quis habet, non sperat, vt ait Apostolus.

Quoad Charitatem, communiter tenent Thomistæ, eandem perseuerare hîc, & in superis.

Quoad virtutes Cardinales. Fuit opinio Durandi *in* 3. *d*. 33. *q*. 4. omnes auferri veniente visione.

Commvnis tamen sententia est eas manere. Ità D. Bonauent. *in* 3. *d*. 33. *q*. 6. D. Thom. *p*. *secunda*, *q*. 67. *art*. 6. ex D. August. 14. *de ciu*. *c*. 9. Alensis 4. *p*. *quæst*. 98. *mem*. 3. *art*. 3. §. 1. qui adducit Augustinum *lib*. 6. *Musica*. Idem sentiunt alij, tum *in* 4. *d*. 14. tum *in* 3. *d* 33. vbi Richard, *art*. 1. *q*. 6. Gabr. *q*. 1. *art*. 3. *dub*. 3. Suarez *d*. 10. *sect*. 2. Arriaga *d*. 54. *sect*. 2.

Assero primò, in patria non manere Spem. 138
Ità D. Bonauent. *in* 3. *d*. 31. *art*. 2. *q*. 2.

Probatvr à S. Doct. præcipuè, quia sicut se habet fides respectu obiecti non visi, ità Spes respectu obiecti non habiti, sed fides ob id euacuatur: ergo & Spes.

Assero secundò, in patria manere charitatem viæ, sed consummatam, seu perfectam.

Probatvr primò à D. Bonauent. *art*. 3. *q*. 1. ex prima Cor. 13. *Charitas nunquam excidit*.

Probatvr secundò. Cuius actus manet, manet & habitus: sed actus charitatis in patria manent, qui sunt diligere Deum super omnia, ei vniri, assimilari: ergo, &c.

Assero tertiò, manere habitus aliarum virtutum Cardinalium. 139

Probatvr de Iustitia. Sap. 1. *Iustitia est perpetua, & immortalis*.

De omnibus probatur ex Beda adducto *in littera Magistri*, *d*. 33.

Probatvr verò tertiò. Quia fuerunt in Christo, qui fuit Comprehensor. Attamen quia Viator etiam erat.

Probatvr vlteriùs *in corpore*. Ea, quæ dicunt perfectionem, seclusis imperfectionibus, possunt esse

esse in patria, sed tales sunt hæ virtutes: ergo. Maior probatur. Quia omnes respiciunt bonum honestum, & inclinant voluntatem ad tale bonum, & de se augent virtutem operandi circa illud; hoc autem totum ad perfectionem spectat. Igitur omnes actus nostri gloriosi erunt fortes, iusti, prudentes, & casti. Itaque Iustitia excludit omnem obliquitatem. Prudentia omnem errorem. Fortitudo omnem molestiam. Temperantia omnem libidinem. Hoc argumento vtitur Suarez, *n*.3. & 4.

140 ADVERTE autem, Virtutes non posse exercêre omnes suos actus viæ, nam aliqui dicunt imperfectionem. Patet de Fortitudine, quæ ad pericula occurrit; de Temperantia, quæ in Venereis, & cibis se moderatur. Aliqua tamen miscet Suarez, confutata ab Arriaga.

ASSERO quartò, in patria manere omnes virtutes acquisitas, quoad habitus.

PROBATVR ex dictis suprà.

QVÆSTIO XIV.

An in BEATO *possit esse Tristitia & Dolor.*

ASSERO primò, posse beatum tristitiâ angi. Est certissima apud omnes opinio.

141 PROBATVR à D. Bonauent. *in* 3. *d*.15. *art*.2. *q*.2. Nam Christus fuit beatus in terris, & tamen ait. Matth. 26. *Tristis est anima mea*, *&c.*

ASSERO secundò, posse beatum pati etiam dolorem.

PROBATVR à D.Bonauent. *in* 3. *d*.16. *quæst*.1. nam Christus beatus passus est dolores. Isa.53. *Vidimus eum nouissimum virorum*, *virum dolorum*, & Psalm. 68. *Ego sum pauper*, *& dolens*. Doloribus enim satisfecit pro nobis Diuinæ Iustitiæ. Vnde dicitur. *Verè dolores nostros ipse tulit*. Isa. 53.

Quomodo autem se compatiantur dolor, & beatitudo. Videbimus *in* 3. *p.* Interim vide S. Bonauent. *tota dist*.16. *tertij sent.*

142 ASSERO tertiò; vi naturali beatitudinem excludere has passiones.

PROBATVR ex Isa. 25. & 35. Apoc. 21. vbi omnes lacrymæ, & dolores promittuntur auferendi in gloria.

DICES Isa. 33. dicitur. *Angeli pacis amarè flebant.*

RESPONDET Arriaga *d*.54. *sect*.1. *n*.5. intelligi per aliquam extrinsecam demonstrationem doloris in aliqua apparitione: Vel per ANTROPOSPATON; sicut dicitur *Genes*. 7. Deus: *Tactus dolore cordis*.

Euitur hæc responsio è D.Bonauent. *in* 2.*d*.12. *q*.3. *ad* 2.

143 OBIICIES secundò. Dolor est perceptio obiecti contrarij: At Beati multa huiusmodi percipiunt, vt videntes Dei offensas, reorum perditionem, mala Ecclesiæ, &c. peccata propria recordati.

RESPONDET Arriaga è D.Bonauent. *loc.cit.* res illas non apprehendi, vt disconuenientes. Nam beati desiderant id, quod iustitiæ, prouidentiæ, & misericordiæ Dei est consonum; & ita, cùm cupiant salutem omnium volentium; non crucientur, si nolint. Cùm ament iustitiam Dei, amant etiam, reos puniri à Deo, quem magis amant, quàm parentes, vt ait D.Gregorius, à S.Bonauent. adductus.

QVÆSTIO XV.

Vtrum BEATI *habeant quidquid desiderare valent.*

COMMVNITER, dicitur essentialis beatitudo non implere seipsâ præcisè omnem appetitum, seu desiderium beati. Ità S.Doct. *in* 4. *d*.49. *p*.2.*q*.1.*fund. vlt*. Scotus *ibi*, *q*.6. *art*.1. qui putat, esse contra D.Thom. sed decipitur, vt notat Caietanus *prima secunda*, *q*.5. *art*.4. vt patet *ibi*, & *in* 4. *d*.49. *q*.1.*art*.1. *quæstiuncula* 4. Suarez *d*.10.*sect*.3.

PROBATVR à D.Bonauent. *ibi*, quia anima Beatorum appetit vnionem ad corpus, & tamen est essentialiter beata. Infert tamen, beatitudinem ponère in statu, vt omnibus desideriis beati satisfiat. 144

Probatur à S. Bonauent. *loc.cit.* & Suarez *n*.2. quia beatitudo est aggregatum omnium bonorum, quæ inesse valent beato, & desiderati possunt, quod probat Suarez ex Aristotele *primo Eth. cap*.7. & ex Psalm.16. *Satiabor*, *&c.* & è D. Augustino 13. *de Trinit. cap*. 7. vbi ait: *In illa beatitudine perfecta*, *quid quid amabitur*, *aderit*: *nec desiderabitur*, *quod non aderit.*

SVBDIT verò *numero* 5. Beatitudinem præcisè essentialem non includere satietatem plenam omnium formaliter; sed tantùm radicaliter: quia est fundamentum explendi desideria. Hoc latiùs explicabitur, vbi de fœlicitate corporum, ac sensuum omnium in corporibus agetur. 145

QVÆSTIO XVI.

Quid sint DOTES *in anima beata*, *& quot.*

D.Bon.d.49.p.1.q.5.
D. Tho.q.4.art.2.

DOTIS nomen, quamuis in genere significet præcellentiam quandam, vt ingenij, &c. attamen *hic*, metaphora sumpta ex matrimonio, vbi Sponsa dotatur; transfertur ad animam beatam, quæ Deo sponsata transit ad thalamum in gloriam ad Diuinos amplexus, vt ostensum est. *Apocal*.21. vt notat Suarez, *d*. 11. *sect*.1. Arriaga *d*.55. *sect*.1. Tanner. *d*.1. *q*.3. *dub*.1. Vasquez, Valentia, Caietanus, & alij *hac disputatione*. 146

Sunt igitur istæ dotes ornamenta, quibus anima decoratur, vt Deo vniatur. Solet autem quæri, quid sint.

ALIQVI dicunt, esse habitus. Ità D.Thom.*in* 4. *d*.49.*q*.4.*art*.2. & *q*.4. *art*.2. & Suppl. *q*.95. *art*.2.& *art*.5. *q*.2. Richard. *art*.3. *q*.7. Palud. *art*. 8. *q*.3. Tannet. *loc.cit*. Arriaga *n*.3. Inclinat Suarez, *n*.4. Tanner. *quæst*.3.*dist*.1.*n*.5. 147

ATTAMEN D.Bonauent.*loc.cit.* Soto *q*.4.*art*.3. (& non reclamat Suarez), dicunt, esse operationes non solitarias, vt putat Arriaga, carpens Seraphicum, eò quòd dos non significet vsum matrimonij, sed diuitias ad matrimonij solatium, vt vestimenta, mnæ datæ, & similia. Hæc videtur sententia etiam D. Thom.1.*p*. *q*.12. *art*.7.*ad* 1. & *ad c*.6. *ad Hebræos*, *lect*.1. Sententia autem hæc videtur probabilior. Quia dos est perfectio maxima animæ, hæc autem in operationibus, fundatis quidem in Habitibus ponitur.

TRES autem ponuntur communiter dotes à 148

Theo

Theologis. S.Bonauent.ponit Visionem, Dilectionem, & Comprehensionem. Vbi notat malè Suar. *num.4.* referre S.Doctorem, quasi non delectionem, sed delectationem ponat pro dote, quæ sanè est opinio D.Thom. Addit verò, se modum confutasse Seraphici; sed ipsum nos propugnauimus *q.6.* Cum Seraphico est Palud. *4.d.49.q.8. art.3.* qui pro tertiâ probabiliter ponit Fruitionem.

Ait igitur S. Bonauent. quem in hoc alij sequuntur, dotes nominari iuxta meritum virtutum Theologicarum, quæ sunt præcipuè, vt Visio Rationi donetur pro fidei credulitate. Charitas consummata pro charitate viæ detur Concupiscentiæ. Comprehensio verò pro intentione Spei in Deum, Irascibili donetur.

149 Suarez *numero 6.* negat, Gratiam, & Charitatem esse dotes, quia in illis consistit substantiale vinculum desponsationis. Visionem autem includit, quia saltem formaliter differt à vinculo illo, quod in mutuo consensu stat. Arriaga verò ob hanc eandem rationem excludit Visionem, quia est ipsum matrimonium, seu fruitio sponsi. Igitur dotis rationem Lumini gloriæ adscribit: Vasquez autem, & Valentia, Visioni sub diuersis rationibus tribuunt tres dotes.

150 Ego cum D. Bonau. Visionem esse dotem cum his arbitror: Est enim medium, quo sponsa sponso traditur, & in hoc Lumen gloriæ non excludo.

Gratiam verò, & charitatem non excludo; non enim ipsæ sunt consensus; sed diuitiæ, quibus ornata sponsa, sponso traditur; vt dicitur *Apoc. 21.* & in Hymno Dedicationis Ecclesiæ.

O sorte nupta prospera,
Dotata Patris gloria,
Respersa sponsi gratia,
Regina formosissima,
Christo iugata principi.

QVÆSTIO XVII.

An detur aliqua Beatitvdo *accidentalis.*

Commvniter ponuntur aliqua gaudia accidentalia beatitudinis. Sic omnes Theologi, vt notat Suarez *d.11. sect. 2.*

151 Probatvr à D. Bonauent. *in 4. dist. 49. p.2. art.2. quæst.1. in resol.* ex illo Sap.2. *Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ, &c.* Idem habet ad eum locum *Sap.* Et ex illo Lucæ 15. *Gaudium est in cælo super vno peccatore, &c.* probat in *2.d.11.art.2.q.2.* & *in 4. d.47. q.1.* exponit illud Matth.19. *Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim iudicantes, &c.* Sic communiter ab aliis etiam accipitur. His authoritatibus vtitur Suarez *loco citato.*

152 Dicitur verò accidentalis, non quia sit accidens animæ; nam etiam substantialis beatitudo est animæ accidentalis; sed dicitur accidentalis, comparata substantiæ beatitudinis.

Definitvr à multis, esse actus aliquis animæ, qui versatur circa obiectum creatum. Ita D. Thom. *1. p.quæst.95. art.4.*

Propriè igitur beatitudo accidentalis est quæuis perfectio, quæ extra substantiam beatitudinis versatur.

153 Habet verò S.Thom. *p.2.q.95. art.2.* beatitudinem accidentalem, dati in præmium aliarum virtutum à charitate. Essentialem verò ob actus charitatis elicitos, vel imperatos, ità, vt opus Iustitiæ, Prudentiæ, quatenus imperatum à charitate mereatur præmium essentiale; at ratione sui proprij obiecti mereatur accidentale. Sed *in disp. de Merito,* ostendemus oppositum. Nam Scriptura, & Concilia promittunt non tantùm actibus charitatis, sed etiam aliarum virtutum vitam æternam; vt patet è Concilio Trident. *sess.6.* Et est consonum D.Th. *p.secunda, q.114. art.4.* & *2.2.q.104.art.3.* Vnde neque illo primo loco arbitror, aliud voluisse, quàm, præmium essentiale per excellentiam charitatis; quæ est Regina virtutum, dari.

QVÆSTIO XVIII.

De Aureolis, & Fructibus Beatitudinis.

Beatitvdinis præmium solet in Scriptura sacrâ Coronæ nomine dici, *prima Cor.9. Iacobi 1. prima Petri 6.* Illa autem quoad præmium essentiale Aurea dicitur *Apoc.4. & 19.* at præmium accidentale Aureola dicitur ab omnibus ferè Scholasticis *in 4.d.49.* Et primò à D.Bonau. *in 2.d.40. art.2.q.1. ad 1.* & *q.3. ad vlt.* & *in 4. d.24.p.2.dub.1. litt.* præcipuè verò *d. 33. art. 2. q.3.* vbi hanc vocem ait sumptam ex 25. *Exod.* vbi imponitur corona aureola super auream coronam mensæ sacræ, quam per anogogen accommodat beatis, & sumpsit ex Beda 1. *de Tabernaculo cap.6.* Corona autem debetur vincentibus. 154 155

Secvndò conueniunt omnes, has aureolas esse tres; Martyrum; Virginum, & Doctorum. Nam de Viriginibus intelligunt Beda, & alij illud Apoc. 14. *Cantabant canticum nouum; & nemo poterat dicere Canticum, &c.* vbi specialis prærogatiua Virginibus tribuitur. De Martyribus intelligunt illud Apoc.7. *Amicti stolis albis.* Et subditur: *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, &c.* & Apoc.12. *Mulier amicta Sole, &c.* De Doctoribus Daniel.12. *Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ fulgebunt.* Ità exponit D.Hieron. Hæc habet S.D. *locis adductis,* præcipuè *vltimo,* & *in Opusc. Tom.7. de Beatitudine.* 156

Rationem reddit D. Bonauent. *ibi*, & D. Thom. quem sequitur Suarez *disp.11. sect.3.* Arriaga *d.55.sect.2.subsec.1.* Hi tres singulariter vincunt hostes, & triumphant. Nimirùm Martyres Mundum; Virgines Carnem; Doctores Diabolum. Sunt autem gaudia præcipua de illis tribus operibus. Id verò S.Bonauent. *loco vltimo in corp.* notat; sicuti hæc tria opera habent singularem effectum extrà; vt Martyrium, & Virginitas in corpore. Doctrina in proximo; ità extra habituros illos aliquem decorem; coronam verò esse in anima, quæ triumphauit, vt notat cum S. Bonauent. Suarez *numero tertio.* Vt Virginibus sit specialis familiaritas cum Christo: Martyribus singularis approximatio ad eum; & Doctoribus, specialis rerum diuinarum intelligentia. 157

Hæc tamen nimis cauillatur Arriaga *loco adducto.* 158

Addit S. Bonauent. *loco citato*, statui vario graduali continentiæ assignari fructum reddituum maiorem, vel minorem. Ità vt centesimum Virgines; sexagesimum viduæ continentes, trigesimum, qui coniugalem castitatem seruauerunt, obtineant, de quibus *Matth.13.* in parabola seminis Diuini. Hi verò fructus sunt aliqua præmia accidentalia data talibus personis, vel quia per hanc homo quodammodo germinatur spiritualis, similis Angelis in cœlis, vt ait D. Thom. vel aptatur his ob varios gradus personarum, quæ fructus è verbo Dei reddidêre, vt ait D.Bonauentura.

159 INSTAT Arriaga, hoc esse diuinare. Cur enim etiam ieiunantibus non assignantur tales fructus? Respondet Tanner. è D.Bonauent. *locis adductis*. Quia victoria carnis est excellentior; quò pugna acerbiòr.

Addit S. Doctor, quia in his est varietas statuum; ideò non par est vtrobique ratio.

Contra primum instat. Quia ieiunium est pœna maior, in quo vehementem resistentiam experimur. Deinde saltem est acerbior, quàm castitas vidualis, vel coniugalis, vbi coniux sibi placet. Tertiò quia deberetur saltem vigesimus fructus etiam ieiunanti.

160 HÆC tamen sunt futilia. Nam non est comparanda virginitatis pugna cum extremo discrimine, in quo tenemur ad certamen sub reatu deditionis & damnationis æternæ, quale est præceptum ieiunij pro non impedito, quod Sponneum gustum superat; sed pudicitia tactum, vehementissimum ad venerea, reprimit in quo etiam coniugati percelluntur. Deinde est alia ratio D. Bonauent. quæ non est in ieiunantibus, &c. diuersitas scilicet status. Hæc quidem non sunt Mathematico sextario mensuranda; sed pro quadrante aptanda, Scripturis, quod fateri cogitur Arriaga *subsec.* 2. & Suarez *n.* 5.

161 FATEOR, etiam aliis concedi præmium accidentale. Sic Iudæ Machabæo, ob bella Domini peracta, adscribit Tannerus. Similiter Religiosis attribuit Beda, & Glossa ad ea verba: *Vos, qui reliquistis, &c.*

NOTAT verò S.Bonauent. *ad* 2. aureolam requirere non solùm opus virginitatis seruatæ, sed etiam intentionem seruandæ. Ideò non deberi illi qui volebat nubere; requiritur tamen etiam actus exterior, puta Martyrium. Quòd si dicas acclamari B. Martinum: *Quem, etsi persecutoris gladius non abstulit; Martyrij tamen palmam non amisit.* Respondet S. Doct. intelligi palmam substantialis præmij ex charitate. Sequitur Arriaga *subsec.* 3. *num.* 18.

162 ADDIT S.Bonauent. dandam aureolam Virginibus, vi violatis absque earum culpâ. Vnde dixit B. Lucia: *Si me violari preceperis, meritum duplicabitur mihi ad coronam.* Quomodo verò amittatur virginitas quoad formale in mente; & quoad materiale in corpore, Vide S.Doct. *loco adducto*, & 2.2. *disp. de Virginitate.*

QVOAD Martyres, Arriaga *n.* 20. eos, qui in exilio moriuntur reductiuè solùm esse Martyres, & ideò Ecclesia, non vti pro eis vltimo Responsorio: *Hic est verè Martyr.* Sed: *Domine præuenisti eum in benedictionibus, posuisti in capite eius coronam, &c.* Tales fuere SS. Pontifices Ioannes, Marcellus, & alij *ibi* nominati.

QVOAD Doctores, notat, debere esse non solùm Magistros laureatos, sed sacros ad erudiendos homines ad iustitiam, vt dicitur *Dan.* 12. & de facto debent erudiuisse. Tales sunt etiam Concionatores; Scholastici, Lectores; Scripturistæ; Casuistæ, Addit Arriaga, etiam Confessarios, & bonos Prælatos.

QVÆSTIO XIX.

Vtrum Animæ ante diem Iudicij beatæ sint.

D.Bon.in 4.d.21. p.1.art.3.q.1.

ID negauit Lactantius *lib.* 3. *Diu. Inst. cap.* 21. Solent adduci etiam aliqui Patres, sed perperam, vt ostendit Suarez 3. *p. quæst.* 59. *disp.* 52. Idem sensit Vigilantius apud D. Hieronymum. Tribuitur Græcis quibusdam, & Armenis, quos stultos vocat S. Bonauent. Quem Arbitror, præuidisse stultitiam Caluini, qui insanos vocat Catholicam doctrinam tenentes. Ideò miram eius stultitiam subsannat Bellarminus. Adscribitur & aliis, vt videre est in Guidone Carmel. & Castro, verbo *Armeni*, Bellarmino *lib.* 1. *de cultu Sanctorum cap.* 1. Videtur sequi Tertullianus *lib. de anima cap.* 7. 9.56.& 59. Idem tenet Lutherus in Genes. Caluinus *lib.* 3. *Instit. cap.* 20. §. 20. & 24. & *cap.* 25. §.6. 163

ASSERO animas Sanctorum purgatas, in gloriam ascendere. 164

PROBATVR primò à D. Bonauent. *in* 3 *dist.* 14. *quæst.* 3. *fund.* 1. ex secunda ad Cor. 3. *Nos autem reuelata facie vultum Domini speculantes, &c.*

PROBATVR secundò à Seraphic. Doctore, *lib.* 4 *Compend. Theolog. cap.* 24. ex illo ad Ephes. 4, *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem*; vt dicam 3.*p.d.*41. *quæst.* 1.

PROBATVR tertiò è secunda Corinth. 5. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra dissoluatur, ædificationem ex Deo habemus domum non manu factam in cœlis.*

Idem astruunt SS.PP. Cyprian. *lib. de exhortatione Mart.* Basil. *tractat. de quadraginta Mart.* Nazianzenus *Orat. de Basil.* Leo P. *serm. de S. Laurentio.* Augustin. *de predest. Sanct. cap.* 14. & *lib.* 20. *de ciuit. cap.* 15. & *lib.* 15. *de Trinit. cap.* 23. Gregor. 4. *Dial. cap.* 25. & 4. *Moral. cap.* 27. Hieron. *cont. Vigilant.* & alij apud Vasquez *disput.* 19. *cap.* 12.

PROBATVR præcipuè à D. Bonauent. *loc. cit. in* 4. & *in* 3. *dist.* 22. *quæst.* 6. ex illo Lucæ 22. vbi Christus ait Latroni: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Vbi etiam, adducit D. August. *qui ep.* 57. *ad Dardanum, &* 12. *Genes. ad litt. cap.* 34. id exponit de Visione beatifica, non de aliquo bono materiali, siue terrestri, siue cœlesti Paradisi. Vide etiam Chrysostomum *homil. de Cruce, & Latrone*, Hieronymum *ep.* 3. Hoc testimonio nituntur Moderni. Nec loquitur, vt putat Euthymius de paradiso terrestri, quia petit consortium in regno gloriæ, vt ait Bellarminus *lib.* 1. *de SS.beat.cap.* 3. è *D. Bonauent.* ibi. 165

PROBATVR à S. Doct. Vbi est caput, ibi debent esse & membra, vt habetur in Euang. At Christus, qui est nostrum Caput, de fide ascendit in cœlum: ergo.

Probatur quoque è definitione Benedicti XI. *in Extrauag.* quam referunt Marsil. 4. *quæst.* 13. *art.* 3. Castro, verbo *Beatitudo, heresi* 6. & Innocentius *cap. Maiores*, ac Concilium Franc-Fordiense.

OCHAM verò *in Opere sex dierum*, & Gerson *serm. de Paschate* dicunt, Ioannem XXII. definiuisse 166

definiuisse contrarium. Sed hoc falsum est, vt ait Benedict. XI. in illa Extrauag. vbi ait: Speciali Dei prouidentia raptum, antequam quidquam definiret. Fateor, Ioannem in eam sententiam propensum; sed vt opinionem, ipsamque retractauit ante mortem; vt Ioannes Villanus testatur, se è domo Papæ accepisse talem retractationem per suum fratrem. Vide Vasquez *p. secunda, d.c.* vbi tamen aliquos Patres refert pro ea sententia, qui possunt benigne explicari.

167 Hoc testatur Ecclesia, & in Antiphona Matr. *Gaudent in cœlis animæ Sanctorum;* vt notat S. Bonauent. *in serm. de Martyribus*, & *Orat.* in festo S. Gregorij: *Deus, qui animæ famuli tui Gregorij æternæ beatitudinis præmia contulisti, &c.*

Idem habetur in illis locis *Apocal.* vbi de sanctis regnantibus fit mentio, vt notat Suarez *num.6.* Quæ loca passim in Opusculis refert S. Doct. & *in 4. loco citato*, affert illud Apocal. 6. *Datæ sunt eis singulæ stolæ albæ*, quæ, vt ibi notat S. Bonauent. sunt stolæ gloriæ. Quo testimonio nititur Arriaga *disput. 58. sect.2. subsec.1. loco citato.* Imò id explicant Gregor. *in Psalm Pœnit.* Beda, Haymo, Anselmus *hic*, & D.August. *in festo Sanctorum Innocentium*; sic explicat illud *Apocal.6.*

168 Adducit etiam illud Philipp.1. *Cupio dissolui, & esse cum Christo*: sed Christus de fide est in cœlis: ergo. Probatur Consequens: nam frustrà alioqui esset sanctorum desiderium, vt notat Arriaga, & Bellarm. *loc. cit.*

Probatvr à D.Bonauent. etiam rationibus. Primò, quia charitas est vis inclinans, & sursum eleuans, nisi sit aliquod pondus retardans. Sed animæ purgatæ non habent aliquid retardans, ne statim præmio afficiantur: ergo, &c. Olim enim non erat decens, vt ante Christum alij beatentur. Hanc vnicam rationem esse, asserit Arriaga *numero 10.*

169 Probatvr secundò, quia differre opus mercenarij, est iniustum; si merces promissa est statim. Ideò & *Leuit.19.* dicitur: *Non morabitur opus mercenarij apud te vsque mane.* Sed pœnitentibus merces est vicina, & aliis benè operantibus in nouo testamento gloria promissa est. Matt. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquauit regnum Dei.* Lucæ 16. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis; vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Ioan. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Quæ loca sic exponit etiam in suis Commentariis. Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui*, & aliis etiam locis suprà relatis. Et hoc argumentum validissimum est. Hinc eluditur responsio Arriagæ, qui *loco citato*, hanc rationem temnit; eo quod, licèt gloria sit viæ brauium; tamen Deus habet causam differendi eam. Contra enim est promissio Dei in eodem etiam loco: *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet, &c.* Et pressiùs id probatur suprà allatis testimoniis, & cum hæc pendeant ex Dei voluntate, vt fatetur ipse *num.10.* non video cur ex reuelatione id credat non satis confirmari.

170 Confirmatvr à Diu. Bonauent. vltimò. Quia spes, quæ differtur affligit animam. Si igitur bona, quæ obiectum sunt spei, differrentur ad diem iudicij; cruciarentur crudeliter Sancti absque causâ. Hac ratione vtitur Tannerus *q. 5. dub.4.* Si dicas cum Arriaga, non esse hanc rationem validam, quia Sanctis ante aduentum Christi dilata fuit gloria; nec tamen affligebantur.

Replicat Tannerus, aliam fuisse tunc causam, quia cùm non esset adhuc aperta gloria, non erat pœna, sed conditio status communis.

Instat Arriaga, posse aduersarios idem dicere, nunc esse, scilicet conditionem communem humanæ naturæ, quousque adueniat Generale iudicium; Interim verò soli Principi Christo datam esse gloriam.

Sed hæc cauillatio eluditur. Iam enim osten- 171
di è Scripturis, non esse hanc conditionem naturæ humanæ ex Dei præcepto.

Ruit quoque alia responsio Arriagæ ad hoc secundum argumentum, quia etiam Patribus antiquis dilata est merces.

Contra enim est. Quia non est par ratiò nunc post apertum cœlum, vt ipse fatetur *numero 10.*

Ruit etiam alia eius responsio, Deum non teneri ex iustitia, ad mercedem reddendam more hominum.

Respondetur enim, teneri ex veritate promissionis. Promissionem verò, ostendi è Scripturis.

Obiicies primò *Matth. 20.* Ad vesperam omnibus simul operariis merces datur: ergo in fine Mundi.

Respondet D. Bonauent. *in 4. dist.49.art.1.* 172
quæst.6. Vnum fuisse præmium vnitate connexionis, non autem tempore; cùm dicat, incipiens à nouissimis vsque ad primos, neque aliud solet repræsentari in vna scœnica parabola, nisi factum vnâ die confectum, vt narratio continua reddatur commodè. Dicitur etiam ad vesperam vitæ. Ità respondet Bellarminus *cap.3.* & Arriaga *numero 11.*

Obiicies secundò, *Heb.11.* dicitur de antiquis Patribus, eos non accepisse repromissiones.

Respondet S. Bonauent. in hac quæstione, 173
Apostolum loqui de consummatione gloriæ per resurrectionem, in qua corporibus etiam glorificatis consummabitur gloria.

Secundò respondet, loqui de consummatâ, seu perfectâ gratiâ noui Testamenti, quam ipsi expectauerunt, neque acceperunt, cùm nobis reseruata sit; non enim aliquis eorum ante Christum glorificatus est, & ità expectauerunt vsque ad Christi aduentum, vt eam repromissionem nobiscum cùm Sanctis noui Testamenti acciperent. Ità respondet etiam Bellarm. *loco suprà adducto.* Arriaga *numero* & 11. alij.

Obiiciunt tertiò Apocal. 6. *Vidi sub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei.*

Respondet S. Bonauent. *in 3. dub. 1.* ibi loqui 174
de plenitudine gloriæ quoad resurrectionem, & glorificationem corporum, quam petebant. Idem habet *dist.25. dub.5. litt.* Sic & Arriaga respondet *loc.cit.* Bellarmin. *c.3.* Suarez *num.10.* vbi obseruat cum S. Bonauent. *loco suprà adducto*, iam dudum datas eis stolas albas essentialis beatitudinis tantùm.

Obiicies quartò illud primæ Ioan.3. *Cùm apparuerit, similes ei erimus: quia videbimus eum sicuti est.*

Respondet τὸ *Cùm apparuerit*, non indicare in iudicio, sed cùm manifestabitur post vitam hanc.

Obiicies quintò: Multos Patres relatos à Bellar. *cap.* 1. è quibus S. Bonauent. refert D. August. *in Psal.* 36. vbi ait: *Post vitam istam nondum eris, vbi erunt sancti, quibus dicitur: Venite benedicti Patris mei, &c. nondum ibi non eris; quis nescit? Sed iam poteris esse, vbi illum vlcerosum diues vidit requiescentem.*

176 Respondet D. Bonauent. *in corpore*; & cum eo Bellarm. & alij, plures ex his Patribus, loqui de gloria corporis. Quoad D. Augustinum respondet Bellarminus *capite* 5. D. Augustinum dubitasse aliquando, non de beatitudine, sed de loco. Attamen *l.* 2. *qq. Euang.* quem post Retractationes scripsit, vt patet è *l.* 2. *Retract.* per sinum Abrahæ intelligit secretum patris, ad quod portatus est Christus in Ascensione; de quo dicitur: *Quid statis aspicientes in cælum:* Et hoc modo per sinum Abrahæ intelligitur etiam *in Enchir. capite* 108. *l.* 12. *de ciuit. cap.* 8.

177 & *in Psalm.* 36. vt notat Bellarm. post D. Bonauent. qui ideò aduertit, Glossam illam explicare quantùm ad stolam corporis; non quantùm ad gloriam, vel locum. Certum est enim, quod Christus expoliauit Principatus, & potestates tenebrarum, & ideò Sanctos cum Christo ascendisse in cœlos, sicque ascendere alios iustos expurgatos. Subdit enim Apostolus: *Expolians Principatus, &c. traduxit confidenter palam triumphans in semetipsis.* Vnde ad Ephes. dicit: *Ascendens in altum, captiuam, &c.*

178 Advertit secundò Bellarminus, D. Augustinum existimasse Sanctorum animas videre quidem Deum, sed non ità perfectè, vt videbunt post resurrectionem ob naturale desiderium recipiendi corpus, à quo impediuntur, ne toto conatu ferantur in Deum. Idem, post D. August. docet S. Bonauent. vt videbimus *quæst. seq.* Et idem refert D. Bernardus S. Augustini discipulus, qui *serm.* 3. *de omnibus Sanctis*; se explicat, non deesse Sanctis beatitudinem, sed tantùm secundùm stolam corporis, quâ toto impetu ferantur in Deum, cum nunc intendant etiam ad corpora recipienda. Idem habet *serm.* 1. *de S. Malachia*, & *epist.* 266. & *serm. de obitu Humberti*, & *serm.* 5. *de omnibus Sanctis.*

Soli igitur aliqui remansere Patres alicuius notæ, vt aduertit Bellarminus *cap.* 5. Ideò S. Bonauent. ait, hanc sententiam non esse magnorum virorum.

179 Obiiciunt vltimò. Retributio præmij, & pœnarum erit in die iudicij, vt dicitur Matth. 25. *Venite Benedicti, &c. possidete Regnum. &c.*

Respondet Bellarm. *cap.* 6. Arriaga *loc. cit.* & alij cum D. Bonauent. *ad* 2. In iudicio priuato dari gloriam animæ priuatim, remanere verò iudicium de omnibus publicis ad manifestandum diuinam iustitiam, & consummandam Curiam cœlestem, & Diuinam Magnificentiam ostendendam, & alias ob causas, quas referemus 3. *p.* cùm *de Iudicio.* Disputabimus.

Obiicies adhuc. Corpus fuit animæ socium ad bona opera, & mala, sed corpus non præmiabitur, nec punietur ante diem Iudicij: ergo nec anima.

180 Respondetur, animam esse causam principalem meriti, & demeriti, ideò non fieri iniuriam illi, si punitur ob demerita ante corpus; nec corpori, si gloriâ decoratur ante illud. Alias rationes promittit S. Bonauent. vbi de Iudicio, & resurrectione, vbi etiam nos quasdam offeremus. Idem respondet Bellar. Reliqua, quæ opponuntur, facilè euolant.

QVÆSTIO XX.

An Beatitudo sit maior post resurrectionem.

D. Bonau. in 4. d. 49. p. 2. q. 1.
D. Tho. p. 2. q. 4. art. 5. ad 5.

Svppono, homines etiam in corporibus futuros beatos. Est de fide, vt colligitur è 3. *ad Coloss.* ex 1. *Ioan.* 3. *Danielis* 12. *Ioan.* 5. 1. *ad Thessal.* 4. & notat Suar. *n.* 13. *sect.* 2.

Quoad quæstionem propositam, loquor de beatitudine essentiali. Nam certum est, quoad accidentalem futuram maiorem videndo glorificatum etiam corpus, vt notat Bellarminus post D. Bonauent. *in corpore*; sicuti etiam extensiuè maior. 181

Prima opinio est, beatitudinem in corpore, fore minorem. Ità aliqui apud Arriagam *d.* 58. *sect.* 4.

Secunda opinio est, non esse futuram intensiuè maiorem post resurrectionem, esto extensiuè sit augenda. Ità D. Thom. eamque ferè omnes Scholastici tuentur, vt refert Tanner. *num.* 55. & Arriaga *loc. cit.* Morand *tract.* 1. *quæst.* 11. Suarez *loc. cit.* Valentia *d.* 1. *quæst.* 4. *p.* 2. Vasq. *d.* 19. vbi *cap.* 4. notat malè adduci D. Bonauent. eum sentientibus, animam post resurrectionem fore expeditiorem ad Dei contemplationem; eò quòd à corporis desiderio non distrahatur. Attamen S. Doctor *loc. cit.* ait: Animam teneri desiderio corporis, & ità non videri adeò expeditam, sicut erit, vnita corpori. Ità ritè citatur à Durando, & Paludano. 182

Tertia opinio est, beatitudinem animæ post resurrectionem futuram intensiorem. Ità Magister *d.* 49 vbi D. Thom. *quæst.* 1 *art.* 4. *quæstiuncula* 2. Richard. *art.* 2. *q.* 7. Marsil. *quæst.* 13. *art.* 6. Abulensis *quæst.* 63. *ad* 5. *Matth.* Pro hac stant Suarez, Valentia, Arriaga.

Assero primò; beatitudinem aduentu corporis non minuendam. Hanc multi putant definitam à Benedicto XII. vt refert Ioan. Villanus *l.* 11. *hist.*

Assero secundò: Animam post resurrectionem fore expeditiorem ad beatitudinem. 183

Probatur à D. Bonauent. primò, ex Magistro, qui id asserit.

Secvndò è D. Bernardo *serm.* 3. de Festo omnium Sanctorum. *Anima sancta, quas propria Deus insigniuit imagine, te, id est caro, desiderant, ipsarum sine te compleri lætitia, perfici gloria, consummari beatitudo non potest. Adeò siquidem vrget in eis desiderium hoc naturale, vt nec dum tota earum affectio liberè pergat in Deum, sed contrahatur quodammodo, & rugam faciat, dum inclinantur desiderio sui.*

Probat tertiò è D. August. 12. *de Genes. capite* 35. vbi ait: *Minimè dubitandum est, & raptam hominis à carnis sensibus mentem, & post mortem ipsam, carne deposita, non sic videre posse* 184

posse incommutabilem substantiam, vt Sancti Angeli vident. Idem habet Haymo *in 6. Apoc.*

Probatvr quartò à D. Bonauent. ratione. Id, quod addit bonum summè desiderabile, addit aliquid substantiæ beatitudinis; sed corpus est animæ summè desiderabile: ergo additum, addit de substantia beatitudinis. Probatur Maior, quia beatitudo est aggregatum omnium bonorum desiderabilium. Minor Probatur, quia naturalis ap-
185 petitus est maximus in creatura, vt patet. Videmus enim quàm rapidè lapis ad centrum elabatur, ignis ad Sphœram euolet; aër ad superiora euaporet, ignisque exhalet. Videmus etiam vim, & enixus maximos in terræmotibus, in cuniculis, in canalibus ad præpediendum vacuum. Videmus in animalibus impetus, vt erumpant ad cibos, ad voluptates; at nullus est maior appetitus, quàm essentialis rei; talis est appetitus animæ ad corpus, cuius est forma, & actus substantialis. Cùm ergo per Dei visionem non suppleatur iste appetitus, adhuc magna distractio est ad ipsum. Hoc est argumentum D.Bernardi, & D. Augustini, vt fatetur Bellarminus *cap.*8. finem versus & Arriaga *num.*21. Ideò malè Suarez *num.*5. respondet, fundamentum hoc nullius esse momenti, quia si loquimur de appetitu, vt est pondus naturæ; ille non est actus animæ, nec distrahit illam; si verò de appetitu elicito; hic est ordinatissimus, & ideò nil inde sequitur absurdi.

186 Dico igitur esse innatum, ad quem sequitur elicitus naturaliter, quem non video deordinari, sequendo instinctum ordinatum naturæ benè institutæ, quoad corpus necessariò inclinat, & è Dei atque naturæ institutione ordinat absque deuio; quo fit, vt naturaliter distrahatur, quia *pluribus intentus, minor est ad singula sensus*, sicut & intellectus.

Respondet Bellarminus, *loco citato*, inclinationem ad corpus, non impedire visionem, vel amorem Dei; quia ordinatur ad amorem Dei, tanquam ad finem, sicut amor medicinæ non impedit amorem sanitatis; alioqui Angeli, quando mittuntur ad exteriora, & de illis cogitare coguntur, distraherentur à Visione Dei, & tamen semper vident faciem Patris, &c. Et anima, quando deberet occupari in administrando corpore, distraheretur etiam magis, quàm nunc in appetendo corpus. Adde quòd videtur hoc definitum à
177 Benedicto XII. nam *in Extrauag. Benedictus Deus*, dicit, conseruari visionem Dei, quam habent animæ, à morte corporis vsque ad resurrectionem. & inde vsque in æternum, vbi videtur dicere, eam non crescere, neque minui. Et Ioan. Villanus *lib.* 11. *hist. cap.*19. ait, Benedictum definiisse animarum gloriam non augendam post resurrectionem, nisi extensiuè; ità enim testatur, se audiuisse à Theologis, qui interfuerunt, cùm illud à Pontifice definiretur.

Hæc tamen Commenta nullius sunt ponderis, quamuis enim inclinatio ad corpus ordinatur ad amorem Dei, vt finem moraliter, vt notat D.Bonauent. *ad* 3. attamen naturaliter eâ nos impediri experimur, etiam in vita, dum timore mortis multa, & quidem sine peccato, omittimus. Itaque etiam Christus tristis factus est, & in agonia Quod verò de Angelis dicit, non est ad rem, Angeli enim non habent appetitum naturalem ad ea cor-
188 pora, quorum sunt simpliciter motores. Neque benè infert, animam distrahendam similiter in administrando corpore; quia tunc corpus erit optimæ conditionis, non egens aliqua sollicitudine animæ, quippè quod dotatum erit eximiè, & ab omni necessitate alienum.

Qvoad definitionem verò, quam imaginatur Bellarminus in Bulla illa *Benedictus Deus*; nè verbum quidem id sonat; nam quis non videt, continuari, etiamsi augeatur gloria, sicuti continuatur calefactio, licèt augeatur etiam corpus animalis, &c. De Ioanne autem illo Villano nil addo; quia si aliquid definiisset, pateret in Bulla. Hinc igitur potiùs arguo, Papam ex industria noluisse id asserere, quia falsum est.

Ego quidem verè dicam, Concilium Florentinum *in litteris vnionis*, asserere. *Conuenit inter Græcos, & Latinos, animas ante corporum resurrectionem perpetua fælicitate frui, licèt perfectius postea.* 189

Ex quo etiam eluditur ratio Bellarmini. Nam Concilium dicit, beatitudinem illam, & fore perpetuam, & continuam, & tamen augendam, quod ipse dicebat repugnare.

Arriaga *num.*22. respondet, D.Augustinum secum pugnare, quia supponit, animas illas esse beatas: ergo non esse anxias, & impeditas à conatu in Deum. Deinde cùm animæ sciant, conatus suos esse irritos, quia corpus non habebunt ante resurrectionem, non video (ait) cur non quiescant?

Quod si desiderium sine anxietate hoc causat; tunc non magis impediet visionem, quàm impediet gaudium ipsum de vnione ad corpus ipsum, ne tendat tota in Deum.

Respondetvr, D. Augustinum non pugnare secum; quia beatitudo non excludit anxietatem naturalem ad corpus, cùm ipse Arriaga *d.*54. *sect.*1. admittat cum beatitudine compossibilem etiam Tristitiam, & Dolorem. Miror autem, quo pacto velit Arriaga, animam seipsam reprimere ab actu naturæ ordinatæ, & quamuis sciat, non esse vniendum corpus vsque ad statuta tempora, nil obest, quin expectet, ac illud desideret tempus; neque eadem distractio sequetur ex delectatione vniti corporis; imò habito fine vnionis quiescet; experimur enim, nos sollicitos de re, quam auidè cupimus, habitâ verò eâ, à sollicitudine quiescimus; imò nec de eâ cogitamus. *Quæst.* autem 26. ostendam, animam potiùs hinc magis induendam. 190

Non laudo tamen, quod ait Tanner. augendam beatitudinem tunc; quia anima sentiet operationes beatificas à toto supposito emanare; nam & tunc prodibunt ab anima, & sola denominatio toti competet. 191

Obiicies primò cum Arriaga *n.*25. Beatitudo essentialis est bonum infinitum spirituale, maius, quàm vnio cum corpore. Potiùs in detrimentum quidem animæ illa vnio est, ob quam cogeretur amitti aliquid de visione illa, adeò spirituali.

Respondetvr, quod non ritè infert ad rem; potiùs enim deberet inferre. Ergo vnio nil addit boni, quia minus, additum intensiori, non intendit.

Respondet D. Bonauent. addere intensionem per accidens, ex maiori applicatione animæ, & minori ipsius distractione. Anima enim essentialiter appetit corpus, & eo habito quiescit.

Obiicies secundò cum Suarez *numero* 4. Arriaga *n.*25. Bellarmino *loc. cit.* Post viam non crescunt merita, & merces datur in fine viæ (cum purgatæ fuerint animæ) & beatitudo; est vltimus finis: ergo ex causa morali non potest crescere. 192

Quòd neque physicè crescat probatur. Quia non

non augetur lumen gloriæ : ergo ficut dixisti *disp.*11. *tract.*1. è sola excellentia intellectus non crescere visionem, nisi nouum lumen supernaturale addatur ; ità neque per maiorem applicationem mentis, potest beatitudo essentialis augeri, non aucto lumine, quod, vt suppono, primò agebat toto conatu. Quòd non augeatur lumen probatur. Qui non augetur gratia : ergo neque lumen respondens gratiæ habituali.

193 RESPONDET D.Bonauent. *ad* 2. Habitum supernaturalem verè non intendi, sed non habere primò totam suam operationem, quia concausa, idest, intellectus non agit toto eo concursu respondente virtuti Luminis, ob distractionem appetitus. Itaque datur in fine viæ tota merces, id est Lumen gloriæ, verbi gratia, vt quatuor ad visionem vt quatuor; sed quia requiritur vt concausa, etiam intellectus ; & hic imbecilliùs operatur cum lumine, ideò remissior est visio : Non sequitur igitur, augere gloriam è sola intellectûs perspicacia ; sed ex perfecta cum lumine gloriæ cooperatione. Dabo exemplum. Cùm oculo obiicitur mihi res pulchra, & lux clara est ; sæpè euenit, me aliò distractum non aduertere plenè ad eam ; at cùm ad me reuersus, liber ab ea distractione redditus, clariùs video; ità, vt priùs viderer subobscuriùs intueri rem. Ità etiam in hoc casu, licèt lumen sit ordinis supernaturalis ; tamen comparatio stat in hoc, lumen non habere totum effectum, me illi non cooperante.

194 OBIICIES tertiò, ad probandum, appetitum naturalem non distrahere. Nam D. Bonauent *lib. de diligendo Deo*, ait, loquens de animabus beatis. *Ita inebriabuntur Deo, vt obliuiscantur sui* : ergo si sui obliuiscuntur ; multò magis corporis.

RESPONDETVR primò, posse dici eas sui obliuisci : Quia Deus dat eis aliquid amplius beatitudinis, & pro debito illo gradu, quo priuandæ sunt ex illa appetitûs anxietate, ac distractione; eum verò gradum postea auferri in vnione ad corpus, in qua hinc attentior clariùs intuebitur. Hanc responsionem non improbabilem ait Arriaga, *num.*26.

195 RESPONDET S.Bonauent. eatenus animas illas obliuisci sui, non quia non se diligant, sed quia omnis amor priuatus, qui non referatur in Deum, auferetur ab illa, & sanè etiam corpus appetunt ad gloriam Dei. Dici etiam potest, D.Bernardum loqui de beatis, post resumptam secundam stolam.

QVÆSTIO XXI.

An perpetuitas sit de ratione BEATITVDINIS.

196 SVPPONO primò, beatitudinem fore inamissibilem. Est de fide : *Credo vitam æternam.* Idem habetur Matth. 25. *Ibunt hi in vitam æternam*, & Thessal.4. *Sic semper cum Domino erimus.* Et 1.Petri 1. dicitur incorruptibilis, immarcessibilis corona gloriæ. Ità D.Bonauent. *in* 2.*d.*27. *q.*3. Contra errorem Origenis 2. *Periarch. c.* 5. quem Aug. *hæres.*22. D.Hieronymus *ep.*59. Vide D.Aug. 12.*de ciu.c.*13. *&* 20. Gregorium *lib.*34. *Moral. c.*16.

SVPPONO secundò, gloriam, etiam vt merces est, fore æternam. Colligitur è Concilio Trident. *sess.*6.*can.*32. vbi definitur ; mereri nos vitam æternam. Et 2. Corint. 4. *Momentaneum hoc, & leue nostra tribulationis, æternum pondus gloriæ operatur in cœlis.* Idem habetur *Apoc.*3. *Prima Tim.*6. Id probat latè S.Bonauent. *in* 2.*d.* 27. *quæst.vltima.*

QVÆRITVR ergo : An esse perpetuum conueniat beatitudini ex natura beatitudinis. Non quasi ipsa ex se independenter à Deo sit talis, hoc enim vanum esset, vt notat D.Bonauent. *in* 2. *d.* 19. *q.*1. Sed : An Beatitudo, vt sit talis, requirat perpetuò conseruari à Deo.

HIC communiter Theologi, ac Philosophi, vt notat Ouied. *controuers.* 3. *part.*1. dicunt primò, beatitudinem esse naturâ suâ incorruptibilem, sicuti sunt cœli, anima, &c. Ità S. Bonauent. *in* 2. *d.*19. *q.*1. D. Thom. *p. secunda*, *q.*5. *art.*4. *ad* 1. & *art.*5. *ad* 1. & *in* 2. *d.*2. *q.*1. *art.*5. *ad* 4. Caiet. *ad ea loca Sum. D.Thom.* Soto *in* 4. *d.*49. *q.*6. Sumunt verò beatitudinem, vt est finis vltimus ; non vt est operatio, seu visio ; nam sic non est perpetua. Potest enim vno instanti, vt de Paulo aliqui dicunt, effugere. 197

DICVNT secundò, *de facto* in perpetuò conseruandam, vt est perfectio vltima nostra. Ità Scotus *in* 4.*d.*49. *q.*6. Durand. *q.*6. Supplem. Gabr. *q.*2.*art.* 3. Ocham *q.vlt.art.*4.*dub.*6. Maior *q.*12.*dist.vltima.* 198

ARBITROR autem cum Suarez *d.*14.*sect.*3.*n.*3. Arriaga *d.*48. *n.*24. esse quæstionem de nomine ; nam beatitudo, vt fœlicitas vltima, debet esse perpetua, & sic à nobis consideranda. Ideò cùm Tanner. *d.*1. *q.*3. *dub.*7. ait, perpetuitatem non esse de essentia beatitudinis, sed proprietatem illius, sed hic verbis tantùm recedit ab aliis.

ASSERO, Beatitudinem ex natura sua esse perpetuam. Sic habetur in Symbolo. *Credo vitam æternam.* & Sap. 5. *Iusti autem in perpetuum viuent*, & Matth.25. *Ibunt, &c.* 199

PROBATVR à D.Bonauent. *in* 2.*d.* 19.*q.*1. *in corpore*, ratione, quæ est D.August. *lib.*13. *de Trinit. cap.*8. & *lib.*11. *de ciuit.cap.*11. *&* 13. & *lib.*13. *c.*20. qua vtuntur Scotus, Maior, Caiet. Conrad. & ferè omnes Thomistæ *hic*, & Vasquez *hic*. Suarez *sect.*3. *n.*2. Arriaga *numero* 24. & alij. Beatitudo est fœlicitas completa, absque tristitia, dolore, & timore. Si autem est amissibilis, semper teneret hominem tristem, dolentem, ac trepidum ob amissionem tanti boni. Confirmatur à Suarez *numero* 4. *sect.*3. cum D.Bonauent. *loc.cit.* & *in* 4. *d.* 49. *q.*2. ex appetitu veræ beatitudinis insito in anima, quæ immortalis est, quæ bonum sibi indeficiens appetit. Appetitus autem naturalis non est frustra. Hæc est confirmatio D.Augustini 13.*de Trin.c.*8.

DICES, non est de essentia beatitudinis, vt ipsa per se primò satiet appetitum ; Sufficit enim, si id præstet per suam passionem, alioqui nec Christus Dominus fuisset beatus ; quia simul habuit dolores. 200

Respondet Arriaga *n.*27. de essentia beatitudinis esse, vt satiatiua sit ; esto non actu secundò, vt autem valeat satiare, debet esse perpetua. Christus verò non fuit completè beatus, quoad negatiua omnia, idest, carentias malorum.

HÆC veritas confirmatur latiùs à D.Bonauent. *tom.*7. *Operum*; *Opusculo de Donis, de Dono sapientiæ*, *cap.*10.

Idem probat Aristoteles *primo Eth.c.*5. *&* 7. vbi ait : *Ver nec vna facit hirundo, nec vnus dies.* Idem *c.*9. *&* 10. ac *lib.*10.*c.*7. vbi sic nec beatitudinem esse posse breui tempore asserit.

QVÆRES : An de intrinseco beatitudinis, sit non solùm perpetuitas beatitudinis, sed etiam cognitio illius perpetuitatis, atque securitas de illa. 201

Svarez *d.* 14. *sect. vlt. num. vlt.* negat, esse essentialem, sed solùm conditionem. Itá etiam Vasq. *d.*21.*cap.*3.

Oppositum tenet Arriaga *d.*48. *sect.*5. Inclinat Auersa *quæst.*5. *sect.*4. Morand. *tract.*1. *quæst.*11. *in fine.*

Assero cum hac sententia perpetuitatem, simul & eius cognitionem esse beatitudini essentialem. Est D.Bonau.*loco citato.*

202 Probatvr eiusdem S. Doctoris argumento: Beatitudo, vt sit vndequaque perfecta debet tollere anxietatem, vt fatetur Vasquez, qui ideò Visionem, vt sic, non tollere anxietatem ait, & infert: Ergo debet esse perpetua, sed absque securitate perpetuitatis non tollit Visio anxietatem: ergo exigitur securitas. Hanc requirit etiam D. August. 12. *de ciu. Dei*, *cap.*20.

Dices: Hæc cognitio est de obiecto creato: ergo non est substantialis beatitudo.

Respondetvr, hanc cognitionem, esse de obiecto creato, vt fertur in increatum, id est Deum clarè visum, ideo, &c. non enim est pars, vt est cognitio, sed vt est cognitio secura de Visione, ac possessione ipsius Dei.

QVÆSTIO XXII.

An Beatitvdo *supernaturalis, sit naturaliter appetita.*

{ D.Bonau. in 4.d.49. quæst.1.

203 Svppono, beatitudinem naturalem in particulari, esse obiectum naturale appetitus nostri. Itá confitentur omnes *in* 4. *d.*49. vbi D.Bonauent. *quæst.*2. Scotus *quæst.*6. Durand. *quæst.*8. Palud. *q.*7. Maior *quæst.*6.

Rationes sunt claræ. Primò, quia in homine est capacitas naturalis ad hanc beatitudinem; facultas quoque tam passiua, quàm actiua; omnis autem facultas inclinatur ad actum sibi connaturalem, præsertim ad perfectissimum: omne enim perfectibile appetit suam perfectionem; beatitudo autem est maxima perfectio, etiamsi connaturalis sit, est etiam proportionata. Hoc argumento vtitur Suarez *d* 16. *sect.*1. Estque D. Bonau. *loc. cit. fund. vltimo*, & *in corpore.*

204 Qvoad beatitudinem in communi. Scotus *loc. cit.* & *quæst.*1. *Prologi* negat; habere hominem appetitum innatum ad beatitudinem in communi, quia natura, inquit, ad determinatam, & particularem perfectionem tendit: vnde tendere in vniuersalem videtur actus eliciti proprium.

Attamen hæc ratio non est solida; nam, vt notat Suarez *num.*4. post D.Bonauent. *ad* 1. natura etiam appetitu suo tendit in bonum communi; sic materia ad formas tendit; & si materia haberet cognitionem suæ indigentiæ, & formarum, ad eas eo modo tenderet, quo anima ad beatitudinem in communi. Id igitur reliqui Theologi id asserunt. Videatur in Caietano 1. *p. quæst.*82. *art.*1. Suar. *loc. cit.*

Probatvr à D. Bonau. *in corpore*, quia beatitudo dicit collectionem bonorum, non hoc, vel illud bonum particulare. Sed homo appetit abundare bonis omnibus sibi conuenientibus: ergo hoc modo appetit beatitudinem in communi. Hac ratione vtitur Suarez *num.*5.

Qværtio ergo præcipua est de beatitudine supernaturali.

Prima opinio est Scoti *in* 4. *d.*49. *quæst.*9. & 10. & *quæst.*1. *Prologi.* Durandi *quæst.*8. coniuncta cum *quæst.*4. Palud. *quæst.*7. *art.*1. Maioris *quæst.*6. Soto *quæst.*2. *art.*1. & *l.*1. *de natura, & gratia, cap.*4. Henriq. *in sum. art.*3. *quæst.*4. & 5. & *art.*4. *quæst.*3. & 5. Fabri *in* 1. *d.*8. qui videtur fauère D. Thom. *p.*2. *quæst.*3. *art.*2. & *quæst.*5. *art.*3. *ad* 3. & 1. *p. quæst.*12. *art.*1. & 3. *p. quæst.*9. *art.*2. *ad* 3. In homine asserit appetitum naturalem ad beatitudinem supernaturalem. Id verò itá exponunt Valentia *p.*2. *quæst.*5. *art.*8. Vasquez, & Pesantius *ibidem*, & Suar. *l.*2. *de attribut. Dei neg. cap.*7. vocari à D. Thom. appetitum naturalem, non quia viribus naturæ habeatur, nec quia sit obiecti naturalis; sed quia est necessariissimus, quoad specificationem actus. 205

Hanc sententiam aliqui Thomistarum conantur tueri, hac limitatione, hunc appetitum innatum esse ad videndum Deum, vt primum naturæ authorem, & naturalem finem; quo pacto includit ea sola attributa, quæ de illo naturaliter cognosci possunt; non verò ad videndum Deum, vt authorem gratiæ. Itá Conrad. *p.*2. *quæst.*3. *art.*8. & adscribitur Ferrariensi. Est Herize etiam *d.* 38. *numero* 4. 206

Secvnda opinio est, in homine non esse appetitum innatum ad videndum Deum. Itá S. Bonau. *loc. cit.* & *in* 2. *d.*22. *dub.*3. *litt.* Caiet. 1. *p. quæst.*1. *art.*1. & *quæst.*12. *art.*1. Ferrar. 1. *contra G. cap.*5. & *l.*3. *cap.*51. Capreol. *in Prol. quæst.*1. Medina *p.*2. *quæst.*3. *art.*8. Arriaga 1. *p. d.*6. *sect.*3. & *tom.*2. *d.*58. *sect.*5. Nazar. 1. *p. q.*12. *art.*1. *controu.* 2. Bañes, Zumellus, & alij Thomistæ. Ait verò Nazarius, hanc potentiam esse naturalem, id est obedientialem. Hanc secundam sententiam tenent Suar. *l.*2. *de Deo*, *cap.*8. Vasq. *hic*, *d.*22. *cap.*2. & 3. Valentia *quæst.*5. *p.*1. Tanner. *d.*1. *quæst.*5. *dub.*2. 207

Assero cum hac sententia, hominem non habere appetitum innatum ad Deum videndum.

Probatvr primò à Caietano, Ferrariensi *loc. cit.* Tanneto *num.*22. Vasq. *loc. cit.* Arriaga *d.*6. *addacta*, *num.*18. argumento S. Bonau. *in corpore.* Natura ad ea tribuit appetitum, quæ suis viribus consequenda sunt proportionata, seu, quæ cum viribus suis habent conuenientiam, &, si sint animata, cognitionem ex indulgentia: Sed tota vis naturæ non potest perducere hominem, vel Angelum ad Dei claram visionem, vt fides docet, & Scotus fatetur. Ergo nec in homine, nec in Angelo est appetitus naturalis ad beatitudinem supernaturalem. Maior probatur; quia natura non deficit in necessariis, eaque de causa, quando alicui rei tribuit propensionem ad aliquem finem, simul largitur media, & instrumenta necessaria, quibus ad illum finem valeat peruenire, quod inductione in rebus omnibus patet. 208

Confirmatur authoritate Aristotelis: qui 2. *de cælo*, *cap.*8. concludit, Astra non habere vim progressiuam, ideo quia natura non tribuit eis instrumenta necessaria ad motum progressiuum. 209

Respondet Scotus *quæst.*1. *Prol.* negando Maiorem: Ad probationem respondet, res naturales esse in duplici discrimine; quædam enim sunt, quæ ordinantur ad maiorem perfectionem, quàm per agentia naturalia consequi valeant, & hoc est peculiare intellectui humano; alia vero ordinantur ad eam perfectionem tantùm, quàm viribus agentium naturalium consequi possunt, vt

 sensus,

sensus, & aliæ potentiæ naturales. Hoc autem est perfectionis in natura intellectuali, vt ordinetur ad perfectionem maiorem, quàm sit illa, ad quam viribus naturæ peruenire possumus, nec tamen naturæ deficit in necessariis, quia in tota coordinatione agentium datur agens, deducens eam ad actum. Ad illud de astris, respondet Scotus, non concludere vniuersaliter, omni potentiæ passiuæ respondere proprium agens naturale, deducens illam ad actum, nam & potentiæ, & appetitui animæ ad suum corpus resumendum, exigitur virtus Dei necessariò.

210 Contra arguit Molina, & alij argumento D. Bonauent. *in 2. d.18. art.1. quæst.1. ad 3.* Primò; quia finis & media debent proportionari potentiæ ordinatæ ad finem: Ergo si potentia est naturalis, finis, & media ad finem, debent esse naturalia, non supernaturalia. Deinde sequeretur, Beatitudinem esse debitam animæ, similiter & media gratiæ, sicut creatio animæ rationalis est debita corpori organizato. Prætereà vrget S. Bonau. Eo modo est aliquid volitum, quo est cognitum; at beatitudo, quæ in visione Dei stat, est nobis cognita tantùm supernaturaliter: ergo. Quod ait de anima, non appetit resurrectionem, sed naturalem vnionem.

211 Confirmatur: Quia sic etiam natura humana haberet propensionem naturalem ad existendum extensè, absque modo *Quanto* in Sanctissima Eucharistia, & ad subsistendum in Verbo; imò haberet & naturalem potentiam; esto vt reduceretur ad actum, exigeret agens supremum.

Respondet Fauentinus *num.13.* Media, & finem proportionari potentiæ; nam lumen gloriæ, Fides, Gratia, &c. comparatæ ad potentias, sunt naturales. Neque sequi, gloriam, & media esse debita; quia ex decreto Dei debent talibus dispositionibus præueniri, vt gloria sit ex meritis, &c. Neque sequitur id, quod infert de natura humana; sed sequitur esse potentiam neutram, quia nec est conformis inclinationi passiuæ, sicut beatitudo, quæ ideò est in potentia naturali; nec est contra inclinationem; sicut cruciari ab igne, quæ dicitur potentia violenta.

At in calce disputationis volo agere de ente supernaturali, & videbimus: An Faber verè locutus sit. Quoad potentiam autem neutram; arguo sic. Illa est potentia neutra, quæ est capacitas realis in subiecto sine inclinatione, & repugnantia ad formam, ex Scoto, apud Fauentinum *in 1. disp.3. in calce,*

212 *§. Ad alterum Soto.* Sed corpus non est indifferens, vt sit modo indiuisibili, sicut in Sanctissimo Sacramento; imò habet inclinationem naturalem ad proprium modum quantitatiuum; & natura humana ad propriam substantiam: ergo. Probatur Minor: Illa est potentia naturalis, quando capacitati subiecti adiungitur inclinatio determinata ad formam aliquam, ex Soto, & Fabro loco mox iudicato; sed natura humana est inclinata ad propriam subsistentiam, & corpus ad propriam extensionem ad locum: ergo in his est potentia potius naturalis. Vnde sine fundamento loquitur Faber, secum inuoluens implicantia.

213 Neque in hoc est quæstio de sola voce cum Scoto, vt putat Arriaga *d.6. sect.4. num.19.* nam ipse vult, in anima esse appetitum naturalem; nos verò negamus, quia appetitus naturalis fundatur in potentia naturali. Sed in homine non est potentia naturalis ad beatitudinem supernaturalem: ergo. Quod si hic esset appetitus naturalis nunquam satiari posset; quia data quacunque visione, potest ei communicari maior, vt arguit Suarez *loc. cit. circa finem.*

Obicies primò, cum Scoto è D. August. *1. de prædest. Sanct. cap.5.* vbi ait: *Proinde posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, natura est hominum; habere autem fidem quemadmodum, & habere charitatem, gratia est fidelium.*

Respondet Caiet. *1. p. quæst.1. art.1.* Molina 214 *quæst.12. art.1. d.2.* Vasq. *d.214. cap.2.* & alij, D. Augustinum non dicere, id naturale esse homini; sed *naturæ hominis esse*; & hoc non significat potentiam naturalem, sed obedientialem ad actus supernaturales.

Contra arguit Fauentinus *num.10.* Quæ est illa potentia obedientialis? Vel enim est pura potentia absque appetitu; & tunc omnis creatura est in potentia obedientiali ad beatitudinem; potest enim lapidem mutare in hominem beatum. Vnde nil proprium hominis diceret D. August. Si verò est potentia cum appetitu, habetur intentum.

Respondetur, esse puram capacitatem, quæ 215 tamen non est remotissima, vt in boue, aut lapide; sed est super basi naturalium potentiarum, per quas dotata anima habitu supernaturali potest esse capax visionis Dei. Itaque bos non est in potentia, nisi remota, quia oportet ei dare intellectum, & voluntatem, vt sit capax luminis spiritualis, & donorum, quæ Deus, vt author supernaturalium bonorum, donat.

Obicies secundò. Vnumquodque appetit suam summam perfectionem; sed hæc est fruitio Dei; ergo. Probatur Minor à Scoto, quia appetitus naturalis hominis ad summam suam perfectionem, est ad perfectionem realem intrinsecam summam, quæ non est in aliquo obiecto naturali, sed particulari, quo voluntas perficitur, quod est Deus.

Respondet S. Bonau. omnes appetere appe- 216 titu naturali perfectionem naturalem, quam potest viribus naturalibus attingere; supernaturalem verò solùm cognitam, vt dicam *ad vltimum.*

Instat Fauentinus *sub num.10.* argumentum Scoti esse validissimum; quia illud probat in nobis, esse appetitum ad beatitudinem particularem, idest Dei visionem.

At hoc *initio quæstionis* elusum est, vnde neque sequitur, hanc summam perfectionem, quam potest appetere naturaliter esse visionem Dei: Appetit ergo eam beatitudinem summam, quam potest viribus naturæ consequi.

Instat. Irrationabile esse, quod potentia naturaliter appetat minus bonum, quàm maius bonum, idest Deum, vnde ait D. August. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

Respondet S. Bonauent. Deum fecisse nos 217 naturaliter ad imaginem suam, ideò ordinatos ad se per media supernaturalia, tanquam ad finem vltimum; non tamen sequitur, nos naturaliter ordinari; & ideò illuminati fide de immensitate beatitudinis supernaturalis, aspiramus ad eam.

Obicit tertiò. Actus conformis inclinationi passiuæ est naturalis; sed talis est beatitudo. Est enim actus conformis, &c. ergo.

Respondetur, beatitudinem esse conformem potentiæ obedientiali, non naturali, vt putat Scotus.

Obicit vltimò Fauentinus rationem inuictam. Experientia constat, hominem inclinari ad bonum

bonum infinitum, quia nullo bono finito satiatur; atque hic appetitus est in omnibus etiam infidelibus: ergo non ex habitibus supernaturalibus, sed est pondus naturæ. Hanc rationem ait euidentissimam. Quòd verò beatitudo, quam desiderant, sit vera beatitudo, quæ est visio, & fruitio Dei, probatur; quia appetunt beatitudinem, quæ est aggregatum omnium bonorum, & est infinita.

218 Hoc inuictissimum argumentum est D. Bonauent. secundùm quod roborat etiam 1. *ex Boëtio l. 3. de consol. prosa* 2. vbi ait: *Inserta est mentibus hominum veri boni cupiditas*; hoc autem est, quod nos supernaturaliter beatos efficit. Confirmat *argum.* 4. Vnumquodque perfectibile appetit suam perfectionem; sed anima humana nata est perfici beatitudine vera, idest visione Dei: ergo.

219 Respondetur igitur cum D. Bonau. ad hoc, & reliqua argumenta Scoti, & Fabri, animam naturaliter creatam ad imaginem Dei; & ideò, tanquam ad finem, ordinatam ad veram beatitudinem, quæ consistit in bono satiante; & ità appetit bonum, vt sic; non verò Deum, vt visum, vti patet; nam plurimi fœlicitatem in voluptatibus, in diuitiis, in honoribus putant inuenire. Vnde etiam inter antiquos Sapientes fuêre quæstiones, de vera beatitudine; multò minùs nota est idiotis, & infidelibus; nisi aliqua Doctorum instructione librorumve lectione sint edocti. Hic igitur appetitus boni satiantis est à lumine, seu dictamine generali; & non est error; sed benè in assignando sibi hoc, vel illo bono, quia variis intellectûs instructionibus deductus appetitus abit in deuia; quod si esset naturalis appetitus Beatitudinis supernaturalis, omnibus omninò esset communis; sicut natura communis est, vt notat S. Bonauent. *argum.* 3. Videmus autem homines plurimos aberrare.

220 Non satiari autem, facit, vt reddat hominem indigentem, & indigentia ostendat ei aliud bonum sibi necessarium; non tamen adhuc appetit Visionem Dei, sed inquietum est cor, donec illuminetur desuper, & in Deum tendat, & in eo requiescat. Eandem responsionem habet S. Bonau. *in* 2. *d.* 28. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2.

Quæres: An detur aliqua Beatitudo supernaturalis in hac vita.

Respondetur, dari lato modo in contemplatione, & amore Dei. Ità S. Bonauent. *de septem Donis: De Dono Sapientiæ.* D. Thomas *quæst.* 3. *art.* 4. Suar. *disp.* 7. *sect.* 2. Arriaga *disp.* 58. *sect.* 6.

QVÆSTIO XXIII.

Vtrum detur appetitus elicitus Beatitudinis *supernaturalis.*

221 Qvoad beatitudinem naturalem, dico, eam posse appetitu elicito desiderari ab omnibus, in communi.

Probatvr à D. Bonau. quia hæc naturaliter proponitur, vt summum bonum conueniens, & proportionatū. Idem dico in particulari. Probatur; quia quicquid potest homo appetere innato appetitu, potest etiam elicito naturaliter, si præcedat cognitio, quia obiectum est proportionatum, & facultas non deest; sed homo appetit naturaliter hanc beatitudinem appetitu innato, fundato in cognitione, seu lumine naturali: ergo. Hoc argumento S. Doctoris *in corpore*; vtitur Suarez *d.* 16. *sect. vlt.*

Svarez *loc. cit.* & Tanner. *quæst.* 5. *dub.* 2. aiunt, dari actum elicitum simplicis complacentiæ naturalem, circa beatitudinem supernaturalem; non autem elicitum absolutum efficacem, includentem voluntatem assumendi media ad eam; nam talis appetitus est proprius Spei infusæ; & requirit auxilium supernaturale, vt velit implere omnia præcepta, ac media ad beatitudinem supernam necessaria. Vnde ait, neque fidem solam sufficere.

Arriaga, vtrumque actum naturalem esse posse, admittit. Ità *disp.* 58. *sect.* 5. *subsect.* 1. Et quidem de primo probat cum Suarez: Quia & hæreticus illum habet, & Gentilis, si semel apprehendat visionem Dei, habere illum potest, & ex se potest talis actus, etiam circa impossibilia versari. De absoluto autem probat, quia circa obiectum, vel actum supernaturalem, possum ego habere volitionem naturalem efficacem; nullus enim negabit, quin supposita in me virtute conferendi per Baptismum gratiam; vel per verba consecrationis ponendi Corpus Sanctissimum Christi in hostia, possim per actum naturalem; imò peccaminosum, efficaciter velle consecrare, vt si vellem consecrare hostiam, vt eâ abuterer; volitio illa est naturalis, & tamen est efficax, respectu consecrationis. 222

Assero primò cum D. Bonau. supposita notitia visionis Dei, posse me habere actum complacentiæ circa visionem, necessariam esse quidem cognitionem, probat S. Bonau. è D. August. *de Trin. cap.* 9. vbi ait: *Inuisa possumus diligere, incognita nequaquàm.* Ex defectu enim cognitionis, beatitudinem in mundi deliciis ponunt. 223

Probatvr à Seraphico: Quia appetitus sequitur cognitionem, si ergo nouit Visionem Dei: ergo eam appetit: Potest autem aliquis, qui est hæreticus, nec ampliùs habet fidem supernaturalem, id nosse, neque est necesse, vt cognoscatur possibilis, vt in ea complaceamus.

Assero secundò, appetitu deliberato, & elicito ob rationem D. Bonau. qua nititur Suarez, non posse naturaliter appeti beatitudinem supernaturalem. Appetitus elicitus deliberatus, fundatur cognitione absolutæ possibilitatis: sed hæc supernaturaliter tantùm habetur: ergo. 224

Ad Arriagam dico, illam voluntatem supernaturalem, fundari in cognitione supernaturali de his Sacramentis; alioqui quomodo consecrarem? Huic verò additur etiam necessitas ad opus supernaturale ex fine veræ beatitudinis, quod non est in illo.

Ex his reiicitur sententia Caietani, qui, vt exponat D. Thomam, asserit, posse appeti visionem Dei naturaliter, quatenus ille actus appetitus est in subiecto naturali. Deinde, dici etiam naturalem; quia appetit videre Deum, vt causam naturalem creaturarum. Ab hoc non longè abit Ferrariensis; sed hæ acceptiones appetitus naturalis sunt vanæ, sic enim omnis actus esset naturalis, quia est in potentiis naturalibus: Sic etiam posset naturaliter videri Deus, vt Creator, quæ sunt absurda.

Qvæstio

QVÆSTIO XXIV.

An gloria corporis sit de substantia BEATITVDINIS.

D.Bonau. in 4.d.49. p.2.q.1.

IAM dixi *quæstione* 20. augendam gloriam essentialem è remotione impedimenti per Resurrectionem; & ità corpus facere ad beatitudinem substantialem, remouendo appetitus anxietatem.

225 ASSERO primò, non ità tamen facere ad beatitudinem essentialem, vt essentialiter concurrat ad eam constituendam, esto substantialiter aliquo modo augeat, vt dictum est *quæst.*20. Vide Tannerum *disp.*1. *quæst.*3.*dub.*4.

PROBATVR ab Arriaga *d.*57. initio, & Tannero ratione D. Bonauent. *hic*. Quia animæ sunt beatæ etiam nunc, vt dixi *quæst.* 19. etiamsi non habeant corpora; nam vident Deum; eoque fruuntur.

226 ASSERO secundò, corpora addere etiam gloriam accidentalem.

PROBATVR à S. Doct. quia redundante gloria in corpora, animæ de ea gaudebunt, & ipsæ dotes, sensuumque beatitates eam augebunt. Ità probatur etiam ab aliis.

SVPPONO autem, etiam corpora post resurrectionem beanda, vt dicitur Iob 19. *Et in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* Et Philipp. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Hæc autem gloria consistit in summa corporis perfectione, vt omnes Theologi fatentur, 4. *d.*49. D. Thom. *p.*2.*quæst.*1. *art.*6. vt videre est apud Salam *p.*2. *tract.*2. *d.*14. *sect.*13. Auersam *quæst.* c. *sect.*8. Arriagam *d.*56. Tannerum *loc. cit.* cum D. Augustino 12. *super Genes. ad litt.* & D. Bonau. *d.* 49. passim *p.*2. Itaque omnes resurgent in ætate perfecta, florida, pulchritudine magna, perfecta incolumitate; omnes tamen in proprio sexu. Nam & sexus fœmineus est natura integra, non imperfecta. Ideò dicentes, fœminas resurrecturas in sexu virili, redarguuntur erroris ab Horontio, Guido, Castro, Suar. & aliis apud Salam, *num.*90.& 91. Estium 4.*d.*44.§.2.

QVÆSTIO XXV.

An gloria corporis sit à gloria animæ.

D. Bonau. in 4.d.49. p.1.q.2.

AGO nunc de gloria corporis, de qua multi agunt 3.*part.in fine.*

ASSERO primò, gloriam corporis esse per redundantiam ab anima perfectè.

227 PROBATVR à D.Bonauent. primò è D. Dionysio ad Dioscorum. *Beatitudo non est corporum, sed ab animabus redundat in corpora.*

SECVNDO: Gloria inest corpori per resurrectionem, quæ est per vnionem cum anima.

TERTIO: Quia, vt dicit Aristoteles 1. *de anima, text.*90. & experientia docet, recedente anima corpus deformatur, & corrumpitur. Si dicas, hoc verum esse in hoc statu. Contra: Quia, sicuti nunc anima continet corpus; ità & tunc, vt ait D. August. *de vera relig.* Confirmatur à Glossa in id Apostoli. *Nouissimus Adam in spiritum viuificantem.* Hoc tamen argumentum modificatur argumento secundo, pro secunda assertione, & in fine.

ASSERO secundò, corpus habiturum à Deo præcisè, non ab anima, dispositiones suæ perfectionis. 228

PROBATVR à D. Bonau. primò: Quia id, quod communicatur per redundantiam inest in communicante; sed perfectiones corporis non sunt in anima, etiam gloriosa. Nam claritas corporis, & claritas animæ sunt claritates æquiuocæ: ergo.

SECVNDO: Quia, si claritas corporis esset ab anima, iam recedente anima, fieret corpus obscurum, sicut in morte experientià constat.

TERTIO: Quia si perfectiones corpori obuenirent ab anima per redundantiam; sequeretur, animam vnitam corpori communicare ei esse immortale, impassibile, &c.

QVARTO: Anima Christi erat gloriosa; & corpus erat passibile.

QVÆSTIO XXVI.

Quæ, & quot erunt corporis dotes in BEATITVDINE.

D.Bonau. in 4. d.49 p.2.art.2.q.1.

DOTES vocantur perfectiones aliquæ corporibus collatæ intrinsecè, & dicuntur quatuor, 229
IMPASSIBILITAS, AGILITAS, CLARITAS, SVBTILITAS. Quamvis autem singuli in suis operationibus perficiendi sint; attamen hæ perfectiones non dicuntur Dotes, vt reor, quia magis extrinsecæ sunt. Has omnes probat S. Bonau. ex illo Sap 3. *Fulgebunt:* Ecce CLARITAS. *Iusti:* Ecce IMPASSIBILITAS; quia iustitia erit perpetua in præmio consummata. *Tanquam scintillæ:* Ecce SVBTILITAS. *Discurrent:* Ecce AGILITAS. Idem probatur à S. Bonau. ex illo 1. Cor.15. *Seminatur corpus in corruptione, resurget in incorruptione:* Ecce Impassibilitas. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria:* Ecce Claritas. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute:* Ecce Penetrabilitas, idest subtilitas. *Seminatur animale, surget spirituale:* Ecce Agilitas. Hac authoritate nititur Innocentius III. *l.*4. *de Myst. Missæ, cap.*12.

AB hac tamen authoritate malè ansam sumpsere Eutychius, vt refert D. Gregor. 24. *Moral. cap.*19. Origenes, vt referunt Epiphanius è Methodio, *hæresi* 64. & *epist.*69. & alij, negandi veram corporum resurgentium corporeitatem, quos retundit Iob, cap.19. *Et in carne mea videbo Deum Saluatorem meum*; quibus verbis conueniens Eutychius ille confessus est, palinodiam canens; & hoc latè probat S.Bonau. *in* 4.*d.*46.*quæst.*4. 230

His authoritatibus vtuntur Suarez *tom.*2. 3. *p.* *d.*48. *sect.*1. Tanner *quæst.*3.*dub.*4.& 5. 231

IDEM probant ex PP. D. August. *l.*13. *de ciuit. Dei, cap.*18. & *l.*22. *cap. vlt.* D. Anselmo, *de similitudinibus, cap.*50. Gregor. *l.*14. *Moral.* Cyrillo Hierosol. *Catech.*18. & aliis relatis à D. Bonau. *qq. adductis*, & *in Opusculis, tom.*7. operum, sæpè & *in Pharetra l.*4. & *in Breuil. p.*7. *cap.*2.

PROBATVR deinde hîc dotium numerus à S. 232
Doct.

Doct. ex omnibus causarum generibus. Primò quidem ex fine, corpus enim glorificatur propter gloriam animæ, quæ consistit in perfecta cognitione, & affectione. Ad cognitionem autem requiritur spiritualitas, & luminositas. Dabitur igitur ei ob id Subtilitas, & Claritas: Tum, vt quantùm potest, assimiletur animæ: tum vt hauriat perfectiùs species; tum nè impediat animæ cognitionem, dum ad sensibilia conuertetur; Vnio amoris est fortis, & libera. Ob primum, impassibilitas; ob secundum datur agilitas; corpus enim graue, & mortale distrahit, & deprimit affectum animæ in Deum, vt patet in huius vitæ laboriosa contemplatione.

Secundò probatur à S. Doct. ex parte causæ efficientis. Dotes enim hæ habent influentiam perfectam ab anima. Anima autem influit dupliciter vt *forma*, & vt *motrix*. Vt forma, seu vt perfectio, influit vitam immortalem, & impassibilem, & ad hoc apta est lucis abundantia, quâ animæ redundet claritas in corpus. Quatenus autem motor debet remouere retardantia per agilitatem, & impedimenta per subtilitatem: Sicque etiam spiritui assimilatur, non naturâ, sed potestate.

234 Tertiò probatur ex causa formali, secundùm aliquos (hoc enim prout à diuersis refertur, ponitur à D. Bonau. vt ipse *initio corporis* testatur.) Dicunt enim aliqui, in corpore esse aliquid de natura cœlesti, non quidem formaliter, sed influentia, quæ nunc quidem non valet elementa ad pacem componere, tunc autem cœlorum auctâ virtute septempliciter, Deoque operante fœdera iungent, sicut in statu innocentiæ: indita aliqua etiam qualitate fient corpora impassibilia, & addita intrinsecus luce præclarâ, subtilia erunt &

235 agilia, sicut videmus in radio. Sic differit Alensis 3. *p. q. quæst. 22. num. 2.* vt notat Suar. *l. 1. sect. 3.* vt dicam *quæst. 28.* non autem quia è natura quintæ essentiæ cœli sint corpora composita, vel componenda; & ità reddenda cœlestium more superna, vt putat, eum censuisse, Arriaga *d. 56. num. 57.* hanc proclamans insaniam, non enim rudi adeò Minerua Alexander, & alij capiunt, vt peracutus æquo nimium dicit Arriaga, qui velut amentes eos insipienter proclamat. De his *quæst. 28.*

236 Quartò probatur è causa materiali; nam corpora nostra sunt ex quatuor elementis, quæ habent defectus, qui aliqua ex parte adimentur. Ab aqua habent corruptibilitatem: à Terra obscuritatem: Ab Igne animalitatem, quia ignis consumit continuè; & ideò indiget alimonia. Ab Aëre habent infirmitatem: Nam facilè cedit, & quaquaversùm repellitur. Igitur contra corruptionem *Impassibilitas*; contra opacitatem *Claritas*; contra animalitatem, seu voracitatem *Spiritualitas agilitatis*; contra infirmitatem *Virtus penetrandi* conceditur.

Huic respondet Arriaga *loc. cit. num. 5.* non ritè hæc assignari. Quia in mixto non sunt elementa formaliter.

Sed hæc falsa sunt, vt dixi *1. p. tract. 8. d. 1. q. 2.* Reliqua pedetentim refutabo.

QVÆSTIO XXVII.

An Dotes istæ æqualiter sint Futuræ in corporibus beatis.

D. Bonau. in 4. d. 49. p. 1. art. 2. q. 2.

Notat S. Bonau. inæqualitatem, seu susceptionem magis, & minus posse esse dupliciter. Primò per admixtionem contrarij, vt album; & minus album, quia habet mixtum aliquid nigri. Secundò, per maiorem accessum ad terminum, & Claritas, cuius oppositum est simplex priuatio.

Assero primò, Dotes corporis non accipere magis, & minus per contrarij mixtionem. 237

Probatur primò: Quia dotes in omnibus beatis erunt excludentes contraria beatitudini à corporibus.

Probatur secundò: Quia impassibilia erunt ab omnibus passionibus; alioqui non erunt perfectè beata.

Probatur tertiò: Quia poterunt omnia penetrare corpora, & quàm citò spiritus euolat; tam citò ipsa corpora euolabunt; vt ait D. August. *locis cit. de ciuitate Dei.*

Assero secundò: Suscipiunt magis, & minus, per maiorem participationem formæ in his, quæ sunt capacia. 238

Probatur primò à D. Bonau. ex illa Cor. 15. *Sicut alia claritas Solis, alia stellarum: sic & resurrectio mortuorum.*

Vbi author Libri, *de cognitione veræ vitæ, cap. 46.* intelligens de eisdem corporibus id, quod ait Christus, Matth. 13. *Fulgebunt iusti sicut Sol*, inquirit, quomodo Paulus eos stellis comparet. Respondet, quemlibet minimum beatum fore clarum, sicut Solem: Paulum verò vti comparatione stellarum, quia in eis inæqualitas apparet; vt varios lucis gradus in Sanctis explicaret. Idem habet S. August. *serm. 141. de tempore.* Eodem modo intellexit hunc locum Hieron. *ad 5. Amos*, Theodoret. *1. Cor. 15.* Ambrosius, & Anselmus *ibi.*

Probatur secundò: Quia dotes corporis correspondebunt dotibus animæ; sed in his erit inæqualitas; vt ostendi *tract. 1. d. 11. quæst. 16. 1. p.* ergo. 239

Probatur tertiò: Quia dotes dantur ex merito; sed merita erunt inæqualia: ergo &c.

QVÆSTIO XXVIII.

De Dote Impassibilitatis.

D. Bonau. in 4. d. 49. p. 2. art. 1. q. 1. & 2.

Magna difficultas est, à quo principio proximo oriatur hæc impassibilitas in corpore beato, vt nil pati valeat corruptiuum. 240

Hæretici, difficultate inuoluti, dixêre, corpora gloriosa futura non ex elementari, sed è cœlesti materia, & hoc magis de Corpore Christi; quia habetur 1. Cor. 15. *Primus homo de terra terrenus: secundus de cœlo, cœlestis. Qualis terminus, tales*

tales & terreni: quales cœlestis, tales & cœlestes. Sed locus ille non est ad rem. Christus enim dicitur cœlestis; quia habuit corpus virtute cœlesti Spiritus sancti efformatum, vt ait D.Thom. 3.*p. quæst*.5. *art*.4. post Diuum August. *in Dial*.65. *qq. quæst*.4. *ad Orosium*, post Hilarium *l*.10. *de Trin*. ante medium, Ambrosium 1. *Cor*.15. Licèt enim etiam corpus Adami fuerit à Deo solo productum; tamen eo modo planè productum est, quo species humana in primo suo indiuiduo produci poterat.

241 Christi verò Corpus, modo omni supernaturali. Vel dicitur cœlestis; quia cœlestem vitam duxit impeccabilis. Ità Tertull. *lib. de carne Christi, cap*.8. Beda in eum locum referens D.August. Vel propter gloriam, quam à principio habuit. Licèt enim in corpore suo eam non habuerit vsque ad resurrectionem; ea tamen ei debebatur. Ità ferè Chrysost. *homil*.42. *in primam ad Cor*. Augustinus 13. *de ciuit. cap*.23. Tertull. *l. de resurrect. carnis, cap*.39. Vel dicitur cœlestis ratione Diuini suppositi, quâ etiam ratione dicitur Homo, *qui de cœlo descendit*: Ioan.3.& 6. Ita ferè Nazianzenus *orat*.51. *circa medium*, Augustinus *epist*.57. *ad Dardanum, quæst*. 2. Hæc latè prosequitur S. Bonauent. *in* 3. *d*.2. *art*. 2. *q*.1. Vnde allatos hæreticos proclamat pessimos.

242 Catholici verò, qui in corpore humano quintam essentiam ponunt, sic exponendi sunt, eosque Suarez *loco citato*, exponit; Corpus humanum participare quandam lucem cœlestem, quæ in corpore glorioso est perfectissima, & simillima ei quæ est Empyreo, vt dixi *q. præced*. Hos D Thom. 1.*p.q*.76.*art*.7.& 3.*p.q*.57. *art*.3. refert. Hanc igitur qualitatem à Deo corpori glorioso addi, vt reddatur impassibile, est sententia multorum. Ità docuêre Richardus *d*.49. *art*.4. *q*. 2. Palud. *d*.44. *q*.2. Capreol. *q*.2. *art*.3. & citatur D.August. *ep*.56. *ad Dioscorum*. Et videtur D.Thom. 2.*p. q*.97. *art*.1. Sequitur Valentia apud Tannerum, *num*.5. estque ad mentem Molinæ, vt notat Arriaga *d*.56. *n*.12. Ea verò potest intelligi tripliciter. Primò, vt ea qualitas sit in corpore, & hoc modo videntur eam tueri citati authores. Vel vt solùm sit in anima, & spiritualis ea sit, quam cæteris probabiliorem acclamat Tannerus. Vel denique, vt tàm in anima, quàm in corpore ponatur.

243 Secunda sententia est Scoti *in* 4. *d*. 49. *q*.15. Durandi *d*.44. *q*.4. Supplem. Gabr. *q*. 2. Maioris *d*.49. *q*.17. cui fauet D.Thom. 3.*p.q*.45. *art*.1. *ad* 3. corpora gloriosa è sola Dei extrinseca prouidentia remouente principia corrumpentia haberi. Hanc cæteris præfert Arriaga *sect. adducta, in fine*.

Tertia sententia est, Impassibilitatem venire è perfecto modo, quo anima informabit corpus, qui talis erit, vt à nullo agente naturali valeat violari. Ità Sotus *in* 4.*d*.49. *art*.5.& putat sententiam esse D.Thom. *in* 4.*d*.49.*q*.2.*art*.1.*q*.1. Hanc sententiam, ex parte indicari à D. Bonau. *q*.2. ait Suarez.

244 Qvarta sententia est, Impassibilitatem oriri ex dominio animæ in corpus, quod consistit in hoc, vt sicut omnes actiones corporis subduntur voluntati animæ; ità & omnes passiones. Hæc videtur mens D.Thomæ suprà.

Qvinta sententia est, hoc euenire; quia in corpore glorioso non sunt elementa secundùm qualitates, licèt sint secundùm substantiam, & ideò non esse ibi principium dissolutionis, quia substantiæ nihil est contrarium: alij verò dicunt adesse qualitates, sed non agere, nec pati.

Igitvr S.Bonauent. *q*. 1. quærit: An ab extrinseco sit incorruptibile corpus gloriosum: & respondet ità esse; quia pacificatur pugna interna elementorum, & ab extrà impeditur, ne aliquod agens intendat aliquod ex elementis; vnde insurgat ad aliorum destructionem. Hoc autem fit per attemperatam mixtionem retundentem contrarietatem. Secundò per elementarium appetituum quietationem. Tertia est animæ præsidentis conseruatio. 245

In altera verò quæstione inquirit: An corpora gloriosa ab extrinseco agente lædi queant, vel per influentiam, sicut ignis applicitus comburit nunc; vel per violentiam, sicut gladius transuerberat nunc corpus humanum. Et respondet negatiuè; quia neque secundùm ordinem iustitiæ hoc fiet, vt patet; non enim merebuntur cruciari. Neque secundùm ordinem naturæ. Quia euacuati sunt tales appetitus materiæ. Itaque neque si poneretur in inferno vreretur. Neque à gladio peruasum lædi potest; quia est subtilissimum, & cedit ferro. Sicut igitur culter christallinus non repelleret radium, quia esset ei peruius: Ità, &c. 246

Itaque videtur S.Bonauent. aliqualiter accedere ad tertiam sententiam: addit verò in resurrectione fieri reformationem corporis.

Assero primò, Impassibilitatem corporum gloriosorum non oriri ex eo, quòd sint cœlestis naturæ. 247

Probatvr à D.Bonau. argmento, quo vtitur Arriaga *n*.7. Suarez *loc.cit*. quia corpora nostra experimento constant quatuor elementis, seu natura elementari. Certum est autem surrectura eadem, vt ait Iob, & dixi *suprà*.

Assero secundò, Impassibilitatem non venire ex aliqua qualitate indita à Deo.

Probatvr à S. Bonauent. *in corpore*. Quia hæc qualitas, quâ Deus vtitur ad reprimendam omnem iniuriam corporis ab intrinseco, deberet impedire omnes actiones omnium qualitatum simul, & ità opponeretur calori, frigori, humiditati, siccitati; & esset in singulis partibus, & ità perpetua vi deberet in perpetuum miracula multiplicare. Quod si dicas, eam qualitatem esse in anima. Contra: Quia quomodo reprimet qualitates elementares corporeas? 248

Respondet Suarez, plures dari, si necessariæ sunt; sed frustra multiplicantur qualitates, cum sine his satisfiat; vt dicam *Asserto quinto*.

Assero tertiò, non oriri hanc impassibilitatem è sola Dei prouidentia externa, remouente contraria. 249

Probatvr à D.Bonauent. *in corpore*; quia si per agentia externa accipiamus extrinsecam; non satis est; quia adhuc elementa seipsis agunt mutuò, & repatiuntur ad destructionem. Si verò intelligit ipsa elementa, adhuc perpetuo miraculo opus erit violenter continendo elementa; nullum autem violentum perpetuum. Deinde hæc non videtur ad dotem intrinsecam corporis pertinere, qualis asseritur à Paulo, 1.Cor.15. *Oportet mortale hoc induere immortalitatem*.

Assero quartò, neque è solo dominio animæ hæc euenire.

Probatvr, quia hoc imperium liberum voluntatis, non videtur sufficere ad temperandos motus necessarios causarum pugnantium, nisi aliquid influat; non enim video, quo pacto dominetur Voluntas elementis, vt valeat eis præcipere, ne insurgant, & pugnam dirimere. Quod si aliqua causa 250

causalitas noua effectiua data est animæ; iam oportet aliquem nouum habitum addere, quo non video quomodò omnes corporis tumultus valeat sedare.

Assero quintò, corpora fore impassibilia ab intrinseco, ob temperiem datam ipsis corporibus. Hanc verò nomine qualitatis appellat S. Doctor *art.1. quæst.2. in corpore.*

251 Probatur à D.Bonauent. primò, è D. Aug. 22.*de ciu.c.*30. vbi ad litteram asserit sententiam D. Bonau. impassibilitatem corporibus obuenturam è pacatione elementorum in restauratione corporum, & remotione omnis extrinseci noxij: Ait enim: *Quanta erit illa fœlicitas, vbi nullum erit malum. Omnia membra, & viscera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus per vsus necessitatis varios distributa, quoniam tunc non erit ipsa necessitas, sed plena, certa, secura, sempiterna fœlicitas, perficient in lau-*

252 *dibus Dei. Omnes quippè illi harmoniæ corporalis numeri non latebunt intrinsecus & extrinsecus per corporis cuncta dispositi. Vera pax ibi erit, vbi nihil aduersi, nec à seipso, nec ab alio quisquam patietur; nec in corpore vult oculus esse, qui est digitus, cùm membrum vtcumque contineat totius carnis pacta compago. Et sicut prima immortalitas fuit Adæ, posse non mori; nouissima erit, non posse mori.* Hæc D. Augustinus, vbi hanc incorruptibilitatem, è reformatione talis temperiei humanæ compaginis, colligit.

Probatur deinde ex perfectione animæ informantis. Si ad aliquid potest actus imperfectior, multò magis in eodem genere poterit perfectior; sed forma imperfectior, quàm anima beata, satiat adeò appetitum suæ materiæ, vt proximè non appetat aliam formam: ergo multò magis id poterit anima, forma perfectissima, continens eminenter omnes aliarum formarum perfectiones. Minor probatur de forma cœlorum. Ea verò, quæ opponunt Scotistæ, soluta sunt *tract.5.1.p.d.1.q.7.& 8.* Facilè verò poterit addi virtus quædam super intelligentiam animæ informantis ad continendum corpus, præsidendo non mero imperio, nec qualitate aliqua spirituali, sed optimè perficiendo.

253 Assero vltimò, remouenda extrinseca violenta, optimè locutum S. Bonauent. corpus enim beati habet, vt diuidi non queat, è dote subtilitatis; quia cùm sit peruium, & penetrati possit cum quolibet alio corpore, sibi occurrente, non potest ab eo diuidi, quia non resistit. Ità respondet etiam Suarez *in calce sectionis.*

Hinc collige, impassibilitatem, quoad negationem passionis, parem esse in omnibus; attamen ratione principij, quod est meritum, maiorem esse in vno, quàm in alio. Ità Suarez *loc.cit.* cum D.Thom. Addit verò, minorem esse rationem qualitatis illius, quam ipse approbat; sed hæc iam confutata est, licèt à Suarez propugnetur.

254 Ex his habes, modum informandi corpus non sufficere, contra Sotum; neque id S. Bonauent. tenuit; vt putare videtur Suarez *loco citato.* Probatur primò. Eadem enim est informatio semper, cùm sit essentialis homini. Cum ergo corpus nunc non reddat impassibile; neque reddet ibi, nil enim essentiæ variatur; alioqui tunc non esset idem. Quòd verò non sit mens D.Bonau. patet; nam è S. Doct. relato à Suar. corpus impassibilitatis quidem habebit eandem causam, & in ordine ad pugnam elementorum, & ad agens externum, nempè temperiem optimam, & carentiam appetitus in materia ad alias formas. Adde, nec ab igne torreri posse, &c. attamen quis non videt, hanc temperiem non venire ex informatione animæ præcisè;

sed è corporis compage, & contrariorum ad extrà remotione.

Neque omnem penitus actionem à corporibus gloriosis elimino; manet enim áliqua actio primarum qualitatum, non tantùm intentionalis, sed etiam physica; vt notat S. Bonauent. cum D. Thom. & Soto, quos adducit Suarez; quia alias illæ qualitates essent otiosæ, & tollerentur complexiones variæ membrorum. Hæ tamen actiones ità habent virtutes vtrinque attemperatas, vt nulla corruptiua alteratio sequi possit. Calor igitur reddit partem calidam; humiditas humidam temperatè, &c. Et quia calor erit adeò contemperatus, non egebit pabulo, sed potiùs similis erit cœlesti; vt ait D.Bonauent. *q.1.ad vlt.* Erit enim temperies à Deo constituta ad iustitiam perfectissimè, ne elementa pugnent. 255

QVÆSTIO XXIX.

De Claritatis Dote.

{ D.Bonauent.art.3. q.1.& 2.

Svppono *hic* hanc Dotem consistere in positiua luce corporea. Quanta verò futura sit Lux; dixi *q.*27. cum D.Bonau. comparata luci Solis, ac stellarum; attamen secundùm meritorum præcellentiam præfulgebunt Idem habet S.Bonauentura *hic.* 256

Qvæstio *hic* præcipuè est: An corpora illa futura sint diaphana.

Prima opinio assertiua est D. Thomæ *in supplemento quæst. art.*1. Suarez *disp.*48.*sect.*2.*tom.*2.3.*part.* Arriagæ *disp.*56.*sect.*1.*subsec.*5. qui dicit illam esse maioris partis Scholasticorum.

Secvnda opinio est negatiua. Ità D.Bonauent. *hic, quæst.*2. quem sequuntur Scotus 4. *dist.* 49. *q.*15.& Durand.*in* 4.*d.*49 Tanner.*q.*3.*dub.*5.*n.*61.

Assero cum hac sententia, Beatorum corpora non fore Diaphana, seu peruia.

Probatur à D.Bonauent. primò. Id, quod est coloratum perfectè, non est peruium: sed corpora gloriosa sunt colorata: ergo non sunt peruia. Maior probatur, quia *ex Aristotele* 2. *de anima,c.*7. Color est extremitas perspicui terminati opacitate, per quod excludit diaphana perfecta: ideò ait: *Perspicuum autem dico, quod est quidem visibile, non autem secundum se visibile, vt simpliciter dicam, sed per externum colorem, vt aër, & aqua.* Idem habet *de sensu, & sensibili.* Minor probatur è D. Augustino 22. *de ciu.c.*19. vbi ait: *Omnis pulchritudo est partium conuenientia cum quadam coloris suauitate*: sed corpora gloriosa erunt pulcherrima: ergo colorata. 257

Respondet Suarez *loc. cit.* & Arriaga *n.* 19. non repugnare corpus esse peruium, & coloratum, vt patet in Topazio, in Chrystallo, &c. Addit verò Suarez, non esse certum: An alia corpora existentia retrò post corpus gloriosum possint videri, licèt partes ipsæ corporis gloriosi mutuò emittant species. Ratio diuersitatis est, quia cùm corpus gloriosum sit peruium supernaturaliter, forsan non potest obiectum naturale per illud transmittere species, nisi fortè hoc habeat qualitatem, seu virtutem à Deo, quod est incertum. At verò partes corporis ipsius peruiæ sunt à Deo, & ideò possunt transmittere species mutuò. 258

Hæc tamen nullius momenti sunt. Nam perspicuum repugnans cum colore, ponitur ab Aristotele 259

illud, quòd perfectè est ta'e, vt cœlum aër, &c. non autem imperfectum, vt notat Ruuius ad eum locum Aristotelis, quales sunt aliquæ gemmæ.

Contra doctrinam verò Suarez arguo: Perspicuum, sicut & lucidum corporum beatorum, est naturæ lucis, & perspicui; & ideò obiectum naturale, vt fatetur Suarez circa finem *sectionis*. Si autem Lux illa emittit naturaliter ad oculum species; cur etiam perspicuitas non transfert alienas species, cùm sit eiusdem ordinis cum perspicuo naturali. Imò vrgeo. Si est perfectius: ergo habet
260 perfectiorem virtutem. Confirmatur verò à S. Bonauent. Ea corpora futura esse colorata; Quia color oritur è luce, & quatuor qualitatibus: Sed hæc sunt in corpore glorioso, cùm sit idem tunc in cœlis quod nunc in terris: ergo. Quod verò corpora gloriosa sint media videndi alia, gratis dicitur, vt notat S. Bonauent. *in argumentis*.

PROBATVR secundò à S. Bonauent. Id, quod est summè lucidum, sicut Sol, non est transparens. Sed corpora gloriosa *fulgebunt sicut Sol*, vt dicitur Matth. 13. ergo. Maior patet experientia, nam corpus cœleste peruium non emittit lumen. Sic quamuis totum cœlum Lunæ sit æqualiter, ac Luna, irradiatum Solis iubare; attamen sola Luna splendet, quia recipit, & retinet radios, propter suam densitatem.

261 RESPONDET Suarez, repugnare simul respectu eiusdem, idem corpus lucère, & esse oculis peruium, ob rationem allatam; at potest, & lucère, & esse peruium respectu diuersorum, vel respectu eiusdem diuersis temporibus. Cùm enim corpus humanum naturâ suâ densum sit, ac solidum, si totum sit luce perfusum, aptum erit ad lucendum. Quia verò omnis actio est in potestate liberâ beati, non necessariò semper lucent, & quia sunt facta peruia, possunt suspendere actum lucendi, & se peruia exhibere.

262 Addit etiam, respectu eiusdem, illa duo posse esse simul. Quia sicut idem corpus densum, ac durum, potest simul diuina virtute fieri diaphanum, ità ratione vnius proprietatis potest per lucem in se receptam lucère, & ratione alterius, se peruium oculis exhibère.

HÆC verò mera effugia sunt; quia actus naturales non sunt in libertate; ideò non potest beatus velle, vt corpus suum appareat bouinum, sed debet apparère humanum; quia quale est corpus, tales species emittit naturaliter; ità hîc, cùm natura peruij talis sit, vt non emittat lumen; nòn video cur velle posse valeat, vt emittat; Idem è regione, de corpore solido lucido, quod non est peruium, & repugnat naturaliter, vt ipse confitetur ingenuè, & arguit S. Bonauent. *in corpore*.

Respondet Arriaga *num*. 29. quod lux, etiam in chrystallo valdè diaphanâ, terminat visum, maximè quando habet varios angulos.

263 At sanè chrystallus multum habet terreæ opacitatis: & lux, quæ in ea videtur est modica; at si corpus sit perfectè diaphanum, non lucet vehementer, quod debebat Arriaga ostendere; vt notat S. Bonauent. *in corpore*.

PROBATVR tertiò à S. Doct. Si corpora beatorum essent peruia, non distinguerentur in eis partes; & ità oculi non possent à naso discerni. Hoc ex parte concedit Arriaga *n*. 31. Responsionem Suarez afferam post obiectiones.

264 Neque tamen vult S. Bonauent. corpora beatorum esse luminosa in sola extrema superficie receptâ claritate, vt ei adscribit Suarez §. *Propter hæc*: sed vult, claritatem esse in toto corpore, non eo modo, quo Luna opaca illuminatur à Sole in superficie; sed alia intrinseca luce, quæ per totum corpus Beati diffunditur, & illud perfundit intimè. Est enim habitus diffusus in toto corpore; alioqui etiam corpus mortale, dum à Sole illuminatur, posset dici gloriosum, quia in extrema superficie habet lumen. Hoc verò magis patebit assertione sequenti.

ASSERO secundò corpora gloriosa, fore luminosa, & colorata. 265

PROBATVR à S. Bonauent. argumento *in corpore*; quia corpus ab intrinseco potest esse luminosum, & coloratum, quod patet in noctiluca, In quibusdam vermibus; in carbone accenso, quod habet lucem in materia terrestri incorporatam, & ideo est lucidum, ac coloratum, non peruium. Tunc sic. Lux recipitur in corpore ad modum eius recipientis: sed corpus humanum est densum, & à prædominatione terræ opacum, quippè è limo terræ compactum: ergo dos claritatis in eo recipitur ad modum eius. Sicut igitur in carbone, & nocticula, est lumen, & color, quia sunt corpora opaca; non autem diaphaneitas: Ità etiam, &c. Totum hoc probatur à D. Cyrillo Hierosol. *Cathec*. 18. vbi ait: *Iusti splendebunt sicut Sol, & tanquam Luna, & sicut splendor firmamenti. Et preuidens istam hominum incredulitatem Deus, vermibus paruulis lucidum dedit corpus, vt eo splenderent, vt ex apparentibus crederetur id, quod expectamus. Qui enim partem potuit præstare, poterit & totum; & qui fecit, vt vermis lumine splendêret, multò magis hominem iustum.*

Hic igitur S. Doctor eandem cum D. Bonauent. profert sententiam, vt corpora gloriosa sint lucida, & colorata, non peruia; vt patet in vermibus. 266

EX his apparet Suarezium non benè legisse Seraphici quæstionem, qui *in corpore* sic explicat, quomodo corpora gloriosa non in sola superficie extrema, sed in toto corpore sunt luminosa, quod allata hac doctrinâ optimè probari concedit Suarez, vt vrget, cum paulò antè, Seraphico impingeret asseruisse, corpora gloriosa splendère in solà superficie extimâ, quod non dixit, quippè exemplo carbonis nigri, posteà lumine ignis perfusi, optimè ostendit S. Doct. quomodo corpora nostra opaca, lumine decorentur interno. Idem ostendit exemplo ensis illustrati; laminæ aureæ, vel argenteæ læuigatæ.

NEQVE verò experimentum, oppositum ab Arriaga *n*. 31. de digitis oppositis lumini, qui apparent ad extremitates peruiæ, quidquam valet; nam 267
illa non est peruietas seu Diaphaneitas, sed lumen, quod in vltima superficie in pelle splendet, & videtur aliqualiter luminosam carnem facere ex oppositione totius manus tenebrosæ; at manus non est peruia, sed quia opposita, iuxta se posita, viuaciùs elucent; ideò extremitates illæ apparent aliqualiter peruiæ; quia sunt coloris similis luci terreæ ipsius candelæ, oppositâ maximè parte manus tenebrosa. Deinde si in extremis pellis aliquod peruium apparet; quid tum? numquid idem dicendum de toto corpore, de partibus solidis, crassis, ossibus, &c.

Neque è duritie opponimus repugnantiam in 268
ossibus, vt putat Arriaga; sed ex opacitate terræ in eis dominante, vt patet. Quod si ex duritie impedirentur, neque chrystallus esset peruia.

POSSET verò obijci contra D. Bonauent. non

stare

stare lucem intensissimam cum colore. Respondetur, verè ità esse, non inueniri in terris ob subiectorum imperfectionem, naturaliter tantæ lucis incapacem, at corpora gloriosa supernè fulgebunt.

Quoniam verò Arriaga, & Suarez illam suam opinionem sustinent, quia roboratam authoritate trium Sanctorum, Ecclesiæ Doctorum eam dicunt. Videamus: An verum sit, & quomodo?

269 Primò obiciunt D. Gregorium *lib.* 18. *in Iob, cap.* 27. aliàs 31. vbi exponens illa verba, cap. 28. *Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum*, ait: *Quid aliud in auro, vel vitro accipimus, nisi illam supernam patriam, illam beatorum ciuium societatem, quorum corda sibi inuicem claritate fulgent, & puritate translucent.* Et infrà: *Patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, sicque vnusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi.*

Respondet D. Bonauent. *ad* 1. ibi D. Gregorium loqui de peruietate mentium ex diuina gratia, quæ tamen non requirit corpora peruia, quia non magis videtur mens per corpus peruium, quàm per solidum. Igitur vult, habitutos cogitationes, & affectiones in corpore, sed patentes.

270 Secunda verba aliquam maiorem videntur difficultatem ingerere, sed ibi loquitur, non de visione viscerum aliorum beatorum; nam posteà de hac nullam mentionem facit; licet aliam de cognitione conscientiæ refricet. Sed ait, nos in hac vita ipsum corruptionis nostræ parietem mentis oculis nullatenus penetramus, & vicissim in aliis videre occulta non possumus. In alia autem vita oculis corporeis videbimus harmoniam corporis, quâ ex dotibus reddetur incorruptibile, iuxta ea, quæ dicta sunt suprà cum D. Augustino *quæst.* 28. quia ad sensum patebunt corpora impassibilia. Itaque per harmoniam non intelligitur anatomia, sed concentus partium, & humorum, qui in exteriori ipsis beatis ad oculum patebit. Hic est sensus germanus S. Doctoris.

271 Obiciunt secundò D. Augustinum 22. *de ciuit. cap. vltim.* vbi ait: *Omnia membra, & viscera incorruptibilis corporis profutura in laudibus Dei; quia omnes illi, qui nunc latent harmoniæ corporalis numeri, tunc non latebunt intrinsecus, & extrinsecus.*

Respondetur, non esse ad rem ad probandum intentum; nil enim facit, quod membra sint vsque ad compages peruia, vt inseruiant ad diuinas laudes. Loquitur ergo de pace humorum, & omnium partium corporis, quâ pacatâ, non distrahetur animus à Diuinis laudibus; quia illa harmonia, & interiùs cognita, & extrà experimento percepta esse in optima dispositione, & pace, relinquet animum, & cor pacatum, & intentum in Dei laudes.

Obiciunt tertiò Authorem Libri *de cognitione vera vitæ, cap.* 45. vbi ait: *Corpus illud perspicuitate futurum æquale spiritibus, & Sole expressius.*

Respondetur, loqui ibi de perspicuitate, non vt dicit peruium; nam neque spiritus sunt in suo genere peruij; sed de subtilitate, quæ corporis tenuitatem ordinariè comitatur, & in hoc ad spiritus subtilitatem accedet.

Obiciunt quartò D. Laurentium Iustinianum *lib. de disciplina, & conuersatione Monastica, cap.* 23. vbi ait: *Nimia quoque claritate fulgebit, ita, vt Solis species transcendat in splendorem; non autem lumine suo intuentium se reuerberabit aspectum, sed ineffabili quodammodo confortabit, clarifi abique, eritque tota eius substantia corporeis oculis visibilis, adeò, vt viscerum, cæterorumque membrorum harmonia Conditoris declaret Magisterium admirandum.*

Respondetur, solùm velle, lumen corporum gloriosorum non læsurum oculos, sicut nunc lædit lux Solis, in quem nequimus illæso lumine contueri, ac proinde, non adeò distinctè discernimus eius partes; sed adeò attemperatum visui lumen futurum, vt singulæ partes externæ, distinctæ, & pulcherrimæ conspiciantur; & ità lumen, quod ex toto corpore etiam è visceribus spargitur per corpus totum, non quidem perfectè, sed aliqualiter lumini apertum, vt in carbone igniro ostendat Dei magnificentiam. Vel ità inde viscera erumpent in laudes Dei, qui tam pulchra corpora condidit, & ornauit. 273

Addunt testimonium Diu. Thomæ *in* 4. *dist.* 44. *quæst.* 2. *artic.* 4. *quæstiuncula* 1. præcipuè *ad* 2. sed cùm *in summa* hoc non confirmet, signum est, huic sententiæ eum non adhærere.

Ad hanc moderationem luminis, & confortationem oculi, confugit Suarez, vt tertium argumentum Diu. Bonauent. à nobis allatum soluat, addens, membra retentura propriam soliditatem; & ità posse terminare oculum. 274

Hæc tamen sunt vana. Fiat enim Idolum chrystallinum, & Soli apponatur; sanè non videbitur figura distinctè. Est autem chrystallus modicæ perspicuitatis, si cum perspicuis cæteris comparetur. Hoc experimento vidi apponens vas chrystallinum figuratum contra Solem dispergebatur enim oculo distinctio figurarum, in eo cælatarum.

Quæres primò: An Lux illa sit ordinis supernaturalis.

Richardus *in dist.* 49 *art.* 4. *quæst.* 6. quem sequitur Suarez *loco citato*, circa *mediam sectionem*, id asserit. 275

At Tannerus *num.* 62. ponit, eam ordinis naturalis. Hæc est sententia S. Bonauent. *quæst.* 2. *in corpore.*

Arriaga verò *disput.* 56. *numero* 33. anceps est.

Assero cum secunda sententia Lucem corporum Beatorum esse naturalem.

Probatur primò à Tannero, ratione S. Bonauent. Eo aspectu Christus apparuit gloriosus, vt ostenderet quale sit futurum corpus nostrum in resurrectione, è D. Augustino passim *de ciuitate Dei*, & *ep.* 146. Ideò ait Apostolus: *Reformabit corpus nostrum, configuratum corpori claritatis suæ.* Philip. 3. At Lux Christi fuit naturalis, exposita naturali organo, de quo non constat eleuatio aliqua: ergo. Confirmatur. Nam dicitur: *Resplenduit sicut Sol.* Hoc tamen Arriagæ non videtur testimonium sufficiens. 276

Probatur secundò à Tannero, ratione S. Bonauent. Quia mirum videtur, claritatem corporalem esse improportionabilem oculo, qui de luce Solis, & corporum beatorum iudicat. 277

Respondet Arriaga *n.* 34. ex hoc iudicio non sequi, esse eiusdem rationis, nam etiam eodem modo videt albedinem, & nigredinem, quæ tamen non ideò sunt eiusdem speciei.

Hæc tamen responsio non est ad rem; nam albedo, & nigredo sunt eiusdem generis coloris, quod

quod est obiectum naturale oculi; at lux illa ponitur ordinis diuersi naturalis, & supernaturalis; ideò requirentis distinctam potentiæ habilitatem. Suarez concedit, esse obiectum proportionatum, etiamsi esset supernaturalis; quia est corporea, & necessariò continetur sub obiecto visus adæquato. At cum potentia sit naturalis, non video, quomodo obiectum supernaturale ei aptatum sit naturaliter; eò quòd sit corporeum. Eodem enim modo dicam: Dei visio est connaturalis intellectui, quia Deus est ens intelligibile spirituale.

279 QVÆRES secundò: An & quomodo ea LVX possit à beatis occultari.

Primò aliqui negant, posse occultari physicè, sed solùm moraliter, Deo ad voluntatem beati eam occultante. Ità Arriaga *disp. 56. numero vlt.*

Non longè sunt ab hac sententia dicentes, posse animam ad arbitrium reprimere lucem ad corpus redundantem. Adducitur à Tannero D. Thomas.

Alij dicunt, posse impedire species. Ità Suarez *loco citato.*

ASSERO primò, posse beatum occultare suam lucem.

280 PROBATVR à D. Bonauent. primò. Quia Christus apparuit discipulis nullo assulgente lumine; Christus verò, suâ resurrectione ostendit, quale sit futurum corpus nostrum in gloria.

PROBATVR secundò. Quia corpus illud est in perfecta obedientia respectu animæ: ergo, &c.

ASSERO secundò, fieri occultationem imperio animæ hoc pacto; Quia enim corpus est subtilissimum, potest penetrare aliud; ergo & oculum, & ità non esse obiectum eius. Hic modus est aptissimus; Quidquid aliqui contrà mussitent.

NOTA, malè Suarez *loco citato*, ponere corpora gloriosa, è dicto Seraphici, esse peruia propter poros: Hoc enim non inuenio. Quod verò dicit, non futuros poros in corpore glorioso, absque fundamento est; nam corpus carneum necessariò est porosum, vel enim in glorificatione densatur, & tunc induraretur: vel rarefit, & ecce plures pori; alioqui sequeretur, corpus futurum monstrosum, vt in simili infert Suarez *sectione* 4.

QVÆSTIO XXXI.

De Dote Agilitatis.

{ D.Bon. d.49. art.1. per duas quæst. & art.3.

281 AGILITATIS Dos à Theologis intelligitur velocitas, seu facultas ad motum velocem, quam ex eo probat S.Bonau. Sap.3. *Tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Deinde; quia sicut resurgent corpora virtute sensitiua; ità etiam motiua. Et quia hic habet aliquid impedimentum, ob corporis grauitatem, ad velocitatem motus siue simplicis, siue progressiui; ideò hæc erit auferenda, quando imperfectiones auferentur. Tandem, quia corpora ascendere iubebuntur ad empyreum remotissimum; non est autem credibile, ascensurum corpus motu ordinario. Sic enim plurimos annos insumeret ad tam grandem viam perficiendam.

QVÆSTIO autem est: Vnde prouentura sit AGILITAS: An remotione grauitatis impedientis: An ex additione alicuius qualitatis virtutem conferentis.

PRIMÒ aliqui dixêre, agilitatem prouenturam ex ablatione resistentiæ, quæ prouenit è grauitate corporis; ac proinde grauitatem auferendam, videtur sentire D.Bonauent. *quæst. 2. ad* 1. eamque probabilem putant Durand. Paludanus, Maior, & alij quoque Moderni, è quibus Arriaga *disp.56. sect.1. subsect. secunda.* 282

ALIQVI verò docent, non auferendam grauitatem, sed suspendendum illius actum, & impediendum. Ità Tanner. *dub.6. num.63.* & hoc videtur potiùs velle S. Bonauent. *loco citato.* Nam in *resolutione quæstionis primæ* dixerat, non esse probabilem modum quorundam dicentium, auferri grauitatem: Ratio est, quia grauitas est naturalis proprietas necessariò consequens complexionem corporis humani. Dictum est autem suprà, futuras in humano corpore omnes naturales corporis facultates, & proprietates; alioqui esset illud corpus monstrosum, & præter naturam: sicut, si illud corpus non esset solidum, vel non haberet quasdam partes duriores, vel densiores aliis, non esset rectè dispositum: ergo idem dicendum de grauitate, quæ non minùs est intrinseca qualitas, & necessariò consequitur è tali temperamento, densitate, ac duritie: Sine dubio ergo manet grauitas in corpore 283 humano. Hac ratione Seraphici vtitur Suarez *disput.48. sect.4.* ad confutandam primam opinionem. Quare nullo pacto debuit pro ea adducere S. Doctorem.

Ex his verò, qui dicunt fieri per additam virtutem.

ALII dicunt, motum celerrimum beatorum supra naturales vires, fieri supernaturaliter à solo Deo. Id probabile affirmat Maior *d. 49. quæst.*18. Supplem. Gabr. *d.44. quæst.2. art.2.*

ALII, hunc motum virtute internæ naturali 284 corporis adscribunt. Citatur Alensis, & alij, qui in humano corpore ponunt quintam essentiam. Sed hi explicati sunt *quæst.26.* Eos refert S.Thom. *quæst.57. art.3.*

Scotus *in 4. dist.49. quæst.*14. dicit eum fieri virtute naturali animæ.

Tandem aliqui ponunt qualitatem additam corpori potentem facere motum celerrimum. Ità videtur D.Thom. *d.49 q.2. art.3. quæstiunc.*1. Richard. *ibi, art.4. q. 7.* Palud. *d.44. q.4.* Et videtur S. Bonauent. *locis additis*, vt notat Suarez *loc. cit.* qui eam sequitur. Idem sentiunt Arriaga *num. 26.* Clariùs S. Bonauent. *eadem dist. art.1. quæst.2.* Et hoc in assertionibus exponam.

ASSERO primò, agilitatem in corpore glorioso non prouenire à grauitatis ablatione.

PROBATVR optima ratione S. Bonauent. *loco citato*, qua nititur Suarez; quia grauitas est proprietas intrinseca naturæ; natura autem manet integra, vt dixi. 285

RESPONDET Arriaga, in sententia dicentium, grauitatem esse qualitatem superadditam, posse sustineri grauitatem ablatam, & ipse affert exempla aliquorum, celerrimè saltantium. Addit verò id difficiliùs sustineri in opinione tenentium, grauitatem non esse qualitatem distinctam: attamen posse dici; non esse tamen identificatam substantiæ, licèt non sit qualitas à cæteris distincta, sed temperies quædam primarum qualitatum, & aliarum, quæ etiam naturaliter immutatur. Sic enim aqua congelata supernatat aquæ eiusdem rationis liquatæ.

Attamen, si esset sufficiens distinctio grauitatis 386 à substantia, vt posset auferri, iam possemus de corpore glorioso negare omnes proprietates, & reddere

reddere corpus monstrosum, vt mox dicebam cum Suarez, & S. Bonauent.

Assero secundò, motum celerrimum corporum beatorum à solo Deo extrà non fieri.

Probatvr à S. Bonau. *art. 1. q. 2. in corp.* quia dotes corporis sunt aliquid eximium remouens impedimenta naturalia corporis, & imperfectiones: ergo sunt aliquid in anima. Antecedens probatur, à S. Doct. *è 15. prima ad Cor.* vbi dicitur: *Seminatur corpus animale, surget spirituale. Seminatur in infirmitate; surget in virtute.* Hæc autem indicant aliquam vim intrinsecam animæ, seu virtutem. Hoc fundamento nititur quoque Suarez §. *Merito tamen.* Idem probat S.Doct. *art. 5. q. 1.* ex illo Sap. 3. *Tanquam scintillæ discurrent in arundineto.*

Assero tertiò, agilitatem prouenire ab aliqua qualitate indita diuinitus disponente; completè verò ab operatione etiam animæ. Hæc est expressa D. Bonauent. sententia *art. 1. q. 3. d. 49.*

287 Prior pars probatur à S.Doct. *loc. cit. in corpore.* Id, quo redditur corpus agile debet esse aliquid in ipso, sed hoc non est à sola anima efficienter, nec formaliter, neque à corpore ipso ex natura eius, cùm sit ponderosum: ergo est aliquid à Deo inditū ipsi corpori. Hoc autem debet esse aliquid reddens habile corpus graue ad motum celerrimum: ergo modo proportionato naturæ ipsius; sed hic est per virtutem additam ipsi corpori, alioqui apto ad motum localem: ergo. Maior patet è dictis pro secunda assertione. Minor probatur, quia non est à sola anima efficienter, nec formaliter, seu vt est motor, vel forma.

288 Probatvr à D. Bonauent. *art. 1. q. 2.* contra Scotum *arg. 3. secundo loco.* Id, quod venit ab animæ potentia, venit ab ea semper, immutabiliter, & indiuisibiliter; sunt enim potentiæ animæ, naturales, & indiuisibiles. Sed nunc non potest sic mouere corpus: ergo neque posteà, quandò reunita illi fuerit (nisi aliqua noua virtus addatur; vt notat S. Bonauent. *in corpore.*) Confirmatur à D. Bonauent. Quia sic anima posset seipsâ, etiam reddere corpus impassibile, clarum, &c. quæ sunt falsa. Similiter omnis alia potentia animæ augeretur, si hæc motiua augetur, vt putat Scotus. Hoc argumento vtitur Suarez.

289 Quòd verò non possit diffundere in corpus formaliter qualitatem agilitatis, & hoc pacto per redundantiam reddere corpus agile.

Probatvr validissimè à S. Doct. *quæst. adducta.* Primò. Quandocumque aliquid producit aliquid in alio per redundantiam, producit illud sibi commune, & ideò vniuocum; vt patet ex nomine redundantiæ; sed claritas etiam animæ; similiter agilitas animæ, & corporis, & sic de cæteris, non sunt vniuocæ; nam qualitates corporis sunt corporeæ; qualitates animæ sunt spirituales: ergo. Idem confirmabitur mox *arg. 3.* pro secunda parte assertionis.

290 Probatvr secundò à S. Doct. Id quod est ab alio per redundantiam, semper communicatur, eo ipso, quod est vnitum; sed anima nunc producit in corpore agilitatem: ergo.

Quod verò etiam ab anima completè veniat agilitas, vt dicebat *2. p. assertionis.*

Probatvr à S. Doctore ibi, primò è D. Dionysio ad Dioscorum, vbi ait: *Beatitudo non est corporum, sed ab animabus redundat in corpora.* Vbi tamen loquitur præcipuè de sensibus, qui ex voluptate animæ recreantur, & delectationem hauriunt.

Probatvr secundò. Gloria inest corpori per resurrectionem, & resurrectio per vnionem cum animâ.

Probatvr tertiò, quia egrediente anima, 291
corpus marcescit, iacet ponderosum, obscurum: ergo tunc, &c. Sicut enim nunc anima sustinet corpus; ità & tunc. Vnde D. August. ait: *Corpus non habet stabilitatem, nisi per animam, & hæc per Deum;* nunc igitur anima, cùm influat, & reddat corpus coloratius, durabilius, virtuosius agilius; ità & tunc.

Neqve verò id præstat diffundendo qualitates 292
corporeas à se per redundantiam; quia deberet ipsa esse talis qualitatis subiectum. Hoc autem est falsum; deberet enim ità communicare in materia cum corpore; vt notat D. Bonauent. *ad vlt.* sed hoc fit ab anima efficienter, sicuti & motus, & calor animalis; cum enim anima sit forma corporis; non simpliciter solius spiritus habet virtutes; sed efficientiam etiam rerum corporearum, non tamen potest dici, illam per redundantiam eas communicare.

Corpori igitur, diuinitùs perfecto, anima etiam virtute suâ influit effectiuè motum.

Contra tamen eam qualitatem, quam cor- 293
pori concedimus, arguit Scotus. Non potest vna qualitas indifferens esse, mouendo versus omnes differentias positionis; quia talis qualitas vnam tantùm naturalem propensionem habere potest: ergo inclinabit ad vnum definitum locum, ac proinde, si ad alia loca moueatur corpus, non modò non iuuabit, sed potiùs impediet.

In hoc S. Bonauent. insumit quæstionem integram vltimam *d. 49.* & definit, corpus quippè destinatum ministrum animæ, habere qualitatem indifferentem ad omnem motum ex nutu animæ; non enim hæc virtus est naturalis determinata ad vnum, sed est virtus supernaturalis, corpus ex se graue, & ponderosum, reddens leue, & agile, suspendendo actus ipsius grauitatis naturalis quæ virtus potest augeri à Deo, & dari maior secundùm merita. Vide S. Bonauent. quem sequitur Suarez *loco citato ad finem.*

Respondet igitur S Doct. argumento, quod 294
à S.Doct. sumpsit Scotus ex dictis *q. cit. articuli primi,* qualitates illas esse supernaturales; & ideò non determinatas ad motum aliquem naturalem; sed ad perfectissimum motum liberum, ad nutum animæ gloriosæ, & ad oblectationem corporis, quod ampliùs non eget loco aliquo naturali, siue centro, siue sphæra, vbi defigatur; sed vsquequaque debet posse excurrere, euolare, & ideò nil mirum, si non habet qualitatem naturalem, quæ impelleret sanè ad vnum locum, & violentiam inferret corpori, si ab eo esset dimouendum.

DVBITATIO.

An possit homo beatus moueri localiter in instanti.

Prima opinio est affirmatiua. Ità Suarez *3. p. disp. 48. sect. 4. ad finem.*

Secvnda est negatiua. Ex his aliqui dicunt, id non posse fieri. Quia implicat. Ità D. Tho. *in 4. d. 44. q. 1. art. 3. q. 3.* quem sequitur Soto *d. 49. q. 4. art. 7.*

Alij verò dicunt, non posse, quia est super omnē virtutem creatam, cùm tamen beatus solâ virtutē creatâ valeat moueri. Ità Palud. *d. 44. q. 4.* Durand. *q. 7.* Richard. *d. 49. art. 4. q. 7. & 8.* & alij ferè Theologi. Itaque hæc est sententia cōmunis Theologorum. Id videtur S. Bonau. *in 4. d. 49. art. 5. q. 1. ad 1.* vbi supponit

ponit id, quod apponebatur; motum corporis gloriosi necessariò futurum in tempore. Idem colligitur ex *primo, d.37. art.2.q.3.* Hæc D. Bonauent. sententia est omnium ferè Theologorum, vt fatetur Suarez, qui se latiùs hoc probaturum *in Tract. de Eucha istia* promittit; at ibi eam inuenire non potui.

295 Assero ergo cum hac sententia, omnem motum localem corporis beati factum iri in tempore.

Probatvr primò à D.Bonauent. *loco mox indicato.* Corpus, dum mouetur, in vno instanti est in termino *à Quo.* Pono hoc esse instans, quo est Brixiæ. Vel eodem instanti est in termino *ad Quem* Romæ? Iam simul erit Brixiæ, & Romæ: vel si motum est è Brixiâ, iam simul erit, & non erit Brixiæ. Si verò vno instanti discedit Brixiâ, & in alio est Romæ, cum inter duo instantia mediet tempus, iam motus in tempore fiet.

296 Probatvr secundò à S. Bonauent. argumento, quo vtitur Paludanus, Durand. & alij, ex Aristotele *6. Phys. 13.* Si tanta virtus mouet in tanto tempore, & maior mouet velociùs in minori, & sic infinita mouebit in instanti, quod improportionaliter excedit omne tempus; sed nulla virtus creata excedit improportionaliter aliam creatam: ergo.

Respondet Suarez, illam mutationem fieri ab anima, vel corpore beati, vt instrumento diuinæ virtutis.

Contra. Quia dixit, fieri motum beati per qualitatem loco eodem. Quod verò ponat alium motum, & aliam virtutem gratis dicitur.

297 Probatvr tertiò a D.Bonauent. Illa translatio vel est motus, vel mutatio. Si est mutatio: ergo vel generatio, vel corruptio. Si motus: ergo habet prius, & posterius, *è 5. Phys. tex.6. & 7.*

Respondet Suarez, non esse faciendam vim, in vocibus *motus*, vel *mutationis*, dummodo intelligatur in instanti fieri hæc transmigratio. Sanè non potest talis mutatio intelligi in instanti.

298 Profitetvr Suarez, suam sententiam inniti dictis Sanctorum dicentium, posse beatum in momento moueri, & eò peruenire, quò tendit. Ità Laurentius Iustinianus *lib. de perfect. Monast. conuersationis, cap.21.* Augustinus de cognitione beatæ vitæ *cap.45. & in Enchir. cap. 90.* Anselm. *lib. de similitudinibus, cap.48. & in prosol. cap.25.* Bernard. *serm.4. in festo omnium Sanctorum.* Tandem, quia Paulus ait, Surrecturum corpus spirituale. Quod si Angelus id potest: ergo & anima.

Respondet D. Bonauent. ad D. August. & per hunc ad cæteros, loqui modo quodam dicendi eò quòd moueantur tempore ferè imperceptibili à sensu. Vnde sumitur *subitò* pro *repente*, vel ictu oculi. Neque angeli ipsi in instanti mouentur, vt dixi *in Tract. de Angelis, disp.9. q.4.*

Neque vllus Patrum id dixit, quod Suarez illis adscribit.

QVÆSTIO XXXI.

De Dote Subtilitatis.

D. Bonau. in 4. d.49. art.4.q.1.

299 Qvamvis D. Thom. *hic*, Carthus. & Valentia negent, Dotem subtilitatis esse in ordine ad penetranda corpora: Attamen videtur magis propriè in ordine ad hoc explicari, cùm & Apostolus *prima, Cor.15.* dicat, *Seminatur corpus animale, resurget autem spirituale.* Hæc autem est propria spiritus conditio transire absque obstaculo per quodlibet corpus. Et hoc sensu exponitur à D. Chrysost. & Theophylacto, & à Damasceno *lib.4. de fide, cap. 28.* & Cyrillo *Catech. 18.* Idem volunt Anselmus *lib. de Similitud. cap.48.* S. B. *p.7. Breuil. cap.7.* B.Laurent. Iustin. *lib. de perfect. Monast. conuersat. cap. 23.* & *de triumphali Christi agone, cap.26.* quos adducit, & sequitur Suarez, *3.p. tom.2. d.48. sect.1.*

Eqvidem, naturaliter non posse vnum corpus aliud penetrare, certissimum est; vt docet Aristoteles *4. Phys. text.27.* 300

Qvæstio ergo est: An possit Dei virtute id fieri; & : An Beato deinde conueniat.

Prima opinio est negatiua Durandi *in 4.d.44.* quam Palud. *quæst.3.* probabilem censet. Id secuti sunt Ioan. Oecolampadius apud Bellarmin. *lib. 3. de Euch. c.6.* Ioan. Caluinus *lib.4. Instit. cap. 17. §. 29.* & alij huius farinæ homines.

Secvnda opinio videtur Scoti *in 4. d.49. q.6. ad 2.* concedens, duo corpora à Deo posse in eodem loco poni, dummodo alterum non extendatur ad locum, Deo suspendente illius extensionem. Pro hac multi adducunt D.Bonauent. *loc.cit. q.1. in resol.* sed ibi solùm vult, hanc virtutem connaturalem esse beato, vt subtilitate suâ penetret corpus, vt ostendam contra Suarez, qui audet dicere, Seraphicum absque fundamento locutum. An verò possit diuina virtute fieri, vt vnum corpus non gloriosum, penetret aliud eiusdem conditionis, non negatur à S. Doctore; imò *in primo d.42. art.1. q.3. in corpore*, id apertè fatetur, nempè corpus mortale penetrare aliud simile, vt cùm Virgo peperit Filium illæso Virginitatis claustro.

Est igitur tertia sententia communis Theologorum, posse dari penetrationem quorumcumque corporum. Ità D.Bonauent. *loco adducto*, & Theologi alij *in 4.d.49.* D.Thom. *d.44.q.2.art.2.* vbi Capreol. Henricus, *quodl.9. quæst.vlt.* Tostat *ad c. 17. Matth.q.119.* Suarez *tom.2. in 3.p.* D.Thom. *d.48. sect.5.* Bellarm. *tom.3. Controu. lib.1. de Euch.cap.3.* Arriaga *d.56. subsec.3.* Ruuius *4. Phys. tract. de natura Loci, q.6.* Colleg. *4.Phys. cap.5.q.4. art.2.* Galitius *lib.4. Phys. tract.4. q.8.* Zanard. *4. Phys. q.2.* Imò etiam Scotus *d.49. quæst.vlt. §. Respondeo ergo ad quæstionem.* 301

Assero cum hac sententia possibilem esse quorumcumque corporum penetrationem.

Probatvr primò à D.Bonuent. *in primo, d.42. loc. cit. in argumentis, & in corpore.* Nam Virgo peperit, & emisit Sanctissimum Filium Iesum intactis, ac penetratis claustris virgineis. Sic confitemur in Symbolo *Natus ex Maria Virgine*, & colligitur ex 7. Isa. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Ideò Iouinianus proclamatur hæreticus à Siricio & Ambrosio in epistolis, quæ sunt apud Ambrosium 80. & 81. Augustinum *lib. 1. de hæres. cap.82.* quia Virginem sanctissimam corruptam esse blasphemare ausus. Hoc miraculum fatentur PP. Gregorius Nazian. *in Tragœdia* Christvs patiens. Theodoret. *Dial. 2.* Hieron. *in Apolog. pro Libris contra Iouinianum*, Maximus *homil.2. de Nat. Domini.* Gregor. *homil.26. in Euang.* Fulgentius *in serm. de laudibus B.Virginis.* Bernard. *serm.1. de resurrect. Domini.* 302

Pvdet responsa Durandi, & Bezæ exarare. Rubet atramenti nigror, candorque huius paginæ. 303

Ille

Ille enim *in 4.d.44. q.6.* dicit, integra quidem fuisse claustra pudoris, sed tamen a Deo dilatatos fuisse naturales meatus, ac per eos liberè Christum prodiisse. Iste verò *in libro de omnipotentia carnis Christi, contra Brentium*, vltra medium, audet dicere, Virginis vterum reuulsum, & apertum Christo egrediente; sed continuò diuina virtute coaluisse partes vteri, vt etiam post partum Virgo dici posset. Horreo, quæ dicunt cæteri sectarij apud Bouërium nostrum *exam.2. art.3.*

304 HÆC sanè cogunt Beatam Virginem ad partus dolores, quod ne Mahometani quidem audent dicere. Deinde sequitur, eam non fuisse in partu Virginem. Nam vt docet Fernelius *lib.1. de partium corporis descriptione, cap.7.* Integritatis; Virginalis amissio non in fractione membranæ alicuius consistit, sed in sola dilatatione partium contiguarum. Itaque neque post partum fuisset Virgo: nam virginitas carnis semel amissa reparari nequit, vt scribit S.Hieronymus *ad Eustochium.* Eos ipsi etiam increpant Tutcæ *Azoar.5.& 17.*

OBIICIT Beza Ambrosium *lib.2. in Lucam, cap.7.* Origenem *homil.14. in Lucam* & Tertullianum *in lib. de carne Christi*, qui dicunt, Christum aperuisse vterum matris, cùm natus est.

305 RESPONDETVR, Tertullianum obscurum esse; at quidquid dicat, non fuit homo Ecclesiæ, vt ait D. Hieronymus. Alij verò Patres solùm dicunt, Christum suâ virtute, non auxilio obstetricum, vel aliâ humanâ operâ, de vtero egressum; sed ipsum sibi ipsi aperuisse aditum. Hoc autem factum, absque Sanctissimi vteri apertione testatur Ambrosius *lib. de Instit. Virginum, cap.7.* exponens illud *Ezech. 44.* vbi describitur porta Orientalis clausa, per quam solus Dominus intrat: *Quæ est hæc porta, nisi Maria? ideò clausa, quia Virgo. Porta igitur Maria, per quam Christus intrauit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu; & genitalia virginitatis claustra non soluit. Mansit intemeratum septum pudoris, & inuiolata integritatis durauere signacula, cùm exiret ex Virgine.* Idem habet *cap.8.* & Origenes *tract.26. in Matth.* Præterea est contra consensum Patrum, & Concil. Tolet. XI. vt notat etiam Suarez *loco citato.*

306 PROBATVR secundò à D.Bonauent. *in Medit. vita Christi*, & *in sermonibus, de resurrect.* è Christi egressu de sepulchro clauso, nam è *Matth.c.28.* & *Marci c.16.* lapidem ab ostio monumenti non reuoluit Christus, sed post resurrectionem, Angelus de cœlo elapsus ipsum reuoluit, vt ostenderet mulieribus sanctis, quæ Christum vngere volebant, monumentum vacuum esse.

Caluinus *lib.4. Instit. c.17. §.29.* & Petrus Mart. *lib. contra Gardinerum, obiect. 11.* & Beza *lib. de omnipotentia carnis Christi, suprà cit.* non negant Christum surrexisse, & exiisse de monumento, antequam lapis reuolueretur ab Angelo; sed Diuina virtute lapidem cessisse, vel annihilatum, & continuò restitutum.

307 AT gratis proprio marte loquuntur contra Patres, qui in eo ponunt miraculum. Ità Iustinus *q.117.* Nazian. in Tragœdia CHRISTVS PATIENS. Chrysost. *homil. de S.Ioanne Baptista, tom.3.* Hieron. *ep. ad Edibiam, q.6.* August. *serm.138. de temp.* Beda, *Homil. in vigilia Paschæ.* Euthymius *in c.28. Matth.* Bernardus *serm.1. de resurrect.*

PROBATVR tertiò à S.Bonauent *hic arg. primo*, & *ad 20. Ioan.* vbi Euangelista scribit, Christum intrasse bis in cœnaculum ianuis clausis.

308 BERENGARIANI, teste Guitmundo *lib.3.* id negabant. Oecolampadius verò vult illud intrasse per aliquam fenestram.

Caluinus *lib.4 Instit. cap.17. §.29.* dicit, Christum diuina virtute sibi aditum patefecisse, quod explicans ad Vuestphalum ait, non expectasse, vt Apostoli aperirent; sed ipsum diuina virtute portas aperiisse, vel annihilasse. Petrus Martyr *lib. contra Gardinerum, obiect.11.& 12.* ait, Christum intrasse per aditum patefactum, siue rarefecerit portas, siue etiam cedere iusserit.

At hæc sunt deliria. Nam Euangelista Ioannes magno Mysterio, non modò primâ, sed etiam secunda vice notauit, Christum intrasse; ianuis clausis. Et Lucas *cap.24.* ait, tunc Apostolos conterritos putasse, spiritum esse, nempe quia ianuis clausis intrauit; vt notant Athanasius, & Leo Papa *epistola X.* ad Flauianum. 309

PRÆTEREA Patres hoc miraculum acclamant, quod Dominus corpus suum solidum, per aliud solidum introduxerit. Vide Chrysostomum, Cyrillum, Augustinum, Euthymium, Theophylactum, & Bonauenturam ad hunc locum Ioannis. Et præterea Iustinum *q.117.* Ambrosium *in cap. vlt. Lucæ* Amphilochium apud Theodoretum *in Dialogo 2.* Epiphanium *hæres.64.* Hieronymum *ep. ad Pammachium, de erroribus Ioan. Hierosol.* Leonem *ep.10. ad Flauianum.* Gregorium *homil.26. in Euang.* Bernardum *serm. 1. de resurrect.* Hilarium verò inter cæteros *lib.3 de Trin.* vbi videtur diuinasse nostrorum hæreticorum delirantia dicteria.

VRGEO: Nam hic locus Ioannis obiiciebatur à Marcionistis, Origenistis, Valentinianis, & aliis hæreticis, ad negandam veritatem carnis Christi, vt videre est apud SS.Cyrillum, Epiphanium, Hieronymum *locis citatis*, & cùm possent facilè se expedire, dicendo intrasse per fenestram; nunquam tamen aliquis, negare est ausus, intrasse ianuis clausis, neque vllus ante Berengarium hoc miraculum negauit. 310

Aliam responsionem habent Durandus, & Paludanus ridiculam, Christum per rimulas intrasse; at hoc esset comprimere & desigurare corpus, vt notat D. Bonauentura.

PROBATVR quartò à D.Bonauent. *hic, arg. 4. secundo loco, addito responso*, ex Ascensione Christi in cœlum, de quo Apostolus ad Heb. 4. *Habentes Pontificem, qui penetrauit cœlos*, & ex Ascensione aliorum corporum Sanctorum post resurrectionem. Quod si cœli fluidi sunt, vt nos probauimus *tract. de Cœlis, d. 2. q. 9.* non absque eximio mysterio vtitur Apostolus verbo penetrandi, ne aliquis diceret aperuisse sinus. Quæ autem de qualitatibus Christi corporis dicuntur, communia sunt etiam aliis beatis, vt prænotarat S.Bonauent. *art.3. q.2.* Ideò responsio Durandi ruit. 311

PROBATVR verò ratione à D.Bonauent. *in primo, dist.cit.* Quod non implicat, est concedendum Diuinæ omnipotentiæ. Sed hoc non implicat ergo. Maior probatur ex illo *Matt.19. Marci 14. Lucæ 1.* vbi dicitur, omnia apud Deum esse possibilia. Minor probatur; quia occupare locum, & aliud corpus expellere, est quid posterius essentiâ quantitatis; neque enim vllus vnquam in definitione magnitudinis hoc munus posuit. Sicut igitur grauitas impeditur in corpore graui, vt patet, cùm corpus Christi ascendit in cœlos, ità potest impedire extensio actualis ad occupandum locum. Idem potest aliis miraculis aptari. Sic enim Deus suspendit aquas, ambulauit super eas Christus. Sic inuisibilis factus est Iudæis, quæ sunt æqualis pene- 312

tratione. Similiter suscitare mortuos, creare, vnio hypostatica cum Verbo, Sanctissima Eucharistia, nonne penetratione maiora sunt? His argumentis ad penetrationem firmandam vtuntur Patres allegati, & præterea Hieron. *de obitu Paulæ*, Cyrillus *lib.12. in Ioan.c.53.* August. 13. *de ciuit. cap.18.* & *lib.22. cap.4.* & *de agone, cap.24.* Quidquid latret Pseudo-Martyr, *loc.cit.*

313 Qvæ autem sit hæc proprietas, & in quo fundata, arduum est definire. Et quidem, eam subtilitatem non esse aliquam qualitatem formalem conueniunt plurimi *in 4. d.44.* Durandus *quæst.5.* Palud. *quæst.3.* Capreol. *quæst.3.* Supplem. *quæst.2.* & *d.49.* Scotus *quæst.16.* Richard. *art.4. quæst.5.* Maior *quæst.20.* Sotus *quæst. 4. art.6.* D.Thom. *in 4. dist. 44. quæst.2. art.2. quæstiuncula 2.* Suarez *loco citato, disp. 48. in calce*, vbi ait, solum Bonauenturam *art. penult. quæst. 1.* videri contrarium sentire, quamuis subobscurè; & Petrum de Tarantasia *quæst. 3.* problematicum; sed addit, se non videre fundamentum, neque modum quo intelligi possit.

Sensvs igitur S.Bonauent. sumendus est alius è *q.2. articuli primi*, vbi ponit, subtilitatem esse virtutem quandam peruadendi alia corpora, & ad hanc virtutem primò requiri, tanquam dispositionem, qualitatem supernaturalem à Deo inditam actiuam; hoc verò non subobscurè, sed in conspectu Solis testatur, quod in quæstione à Suario adducta supponitur; vult tamen, impediri effectum extensionis in quantitate, sicuti qualitas grauitatis ad agilitatem, quod *sect.4.* Suarez docet; ità verò differit. Quando effectus fieri valet virtute intrinseca aptata, Deus non præbet eam solus operando, vt vides in actibus supernis, ad quos dat auxilia, habitus, &c. at penetrare aliud corpus, fieri potest virtute infusa, suspendente extensionem localem quantitatis. Similiter & aperiendo adi-
314 tum, vt ab alio penetretur: ergo, &c. Confirmatur: nam vbi Apostolus, 1.Cor. 15. ait: *Resurget corpus spirituale*, exponunt PP.idest tanquam Spiritum subtilem. Ratio sanè spiritus aliquam virtutem actiuam spiritosam, vt ità loquar, sonat. Ità D. Cyrillus Hierosol. *Catech.18.* Anselm. *lib.de similitudinibus, cap.48. & seq.* & *cap. 53.* ad subtilitatem ait, spectare libertatem, ad quam, ait pertinere, vt nihil obsistat, vel impediat, aut nos constringat. Idem exponit *cap.54.* Idem habet S. Bonauent. *7.p. Breuil. cap.7.* B. Laurentius Iustin. *lib. de perfect. Monast. conuersat. cap. 23.* & de Agone Christi *cap.26.* Hugo de S.V. *lib.1.de anima, c.17. & lib.4. cap.14.15.& 16.* vt notat ipse Suarez *d.48. sect.1.* ante medium. Confirmatur ex ipso Suarez *ibi*, qui ait: *Per subtilitatem corporis intelligimus vim se mouendi, & quocumque ingrediendi absque alterius corporis impedimento.* Hæc igitur proprietas
315 indicatur à Paulo illis verbis 1. Cor.15. *Seminatur corpus animale, resurget spirituale.* Hæc est enim propria spiritus conditio, & non potest commodiùs, quàm de hac proprietate explicari, vt & Chrysost. & Theophylactus ibi indicarunt; expressiùs Damascenus *lib.4. de fide, cap. 28.* Hoc enim significat spirituale, quale post resurrectionem corporis Domini erat, cùm per ianuas clausas transiuit. Et eodem modo explicat spiritualia corpora resurgentium Anastasius Episc. Antiochenus *lib.5. de resurrect.* Sanè, vt dixi, nomen spiritus actum substantiæ perfectissimum, velut formam intrinsecam significat cum singulari actiuitate: esse enim solum instrumentum diuinæ potentiæ, vt vult infrà Suarez, nil facit, vt corpus mortuum resurgat spirituale. Nam tantumdem potest vti saxo. Prætereà si resurgit: ergo iam habet de habitu.

En igitur fundamentum, quo S. Bonauent. dixit requiri qualitatem, & virtutem actiuam. Concedit verò, etiam efficientiam animæ. Potest igitur agere in quantitatem, retundendo eius extensionem ad locum, etiam spiritositatem quandam impartiendo ad peruadendum aliud corpus, quod similiter fit à Deo præditum qualitate suspendente illam repulsam alterius corporis, quæ oritur ab extensione magnitudinis ad locum, quæ sanè non est essentia quantitatis; imò quoddam accidens consequens eam; neque cum fundamento dicit Suarez, hanc virtutem repugnare alicui virtuti creatæ; illa enim extensio est accidens modicæ entitatis, & vt fatetur Suarez separabile. Si enim Deus separata sustinet accidentia absque substantia; imò accidentibus dat virtutem nutriendi in sanctissimo Sacramento: & producendi substantiam, & sexcenta alia mirabiliora agit mediis creaturis; non video cur hoc modicum denegetur. 316

Instat Suarez. Vel hæc qualitas est spiritualis, vel corporea; si spiritualis non potest agere vt corpus; si corporea: ergo extensa: ergo non remouet extensionem, & est argumentum S.Bonauent. *illo articulo primo, quæst 2.* 317

Respondetvr, hanc qualitatem corpoream non esse modo naturali extensam ad locum. Quod verò corpus beati, ità dispositum, non possit habere extensionem partium in ordine ad locum. Respondetur, hanc esse instrumentum animæ, quo potest ad libitum vti. Deinde quid tum? si hac perfectione perpetuo actu frueretur.

Neque satis rectè vrget Suarez dicendo, hunc effectum esse merè supernaturalem, & in potentia obedientiali Creatoris; & sicut non datur qualitas potens coniungere in eodem subiecto album & nigrum in gradu supremo; ità neque hic.

Respondetvr enim negando, non posse dari talem qualitatem, sicuti quantitas potentiâ obedientiali fungitur officio substantiæ; multò magis qualitas ordinis supernaturalis poterit hoc, quod est minus, operari, quod non repugnat toto genere ipsi quantitati, quia est accidens. Quòd verò non possit illa qualitas coniungere in eodem subiecto duo contraria in gradu supremo, euenit ob implicantiam affirmationis, & negationis: neque est simile hic, vbi non est positiua oppositio. Deinde non video, cur nequeat hoc fieri à Deo per aliquam creaturam. Si enim Suarez concedit, animam vt instrumentum deitatis, id præstare; cur non præstabit qualitas supernaturalis? 318

Imò quæro ego: In quo stet hæc subtilitas. Respondet Suarez consistere in virtute animæ, vel corporis beati, cui datum est, vt possit se hoc modo mouêre, tanquam instrumentum Dei, qui statuit pro opportunitate cum anima concurrere ad penetrandum. 319

Contra. Quia Dotes sunt perpetuæ, non ad tempus, & intrinsecæ. Ideò Ambrosius *Lucæ 24.* ait, esse resurgentis corporis qualitatem, & PP. suprà allati testantur aliquid esse inditum ipsi animæ; & hoc significat Apostolus, dum illas dotes vocat indumenta, ad Thessal. & 1. Cor. 15. dicit: *Corpus animale, resurgere spirituale.* Ergo sicuti non est animale per aliquam solùm assistentiam Dei, ad vtendum corpore; ità neque hic, alioqui & Christus in vita mortali habuit dotem subtilitatis;

tatis; quia habuit prædictam virtutem actiuam, respectu sui corporis.

Vrgeo. Ea virtus vel est spiritualis, vel corporea. Vtrumuis ratio Suarez vrget.

320 RESPONDET Suarez, negando consequentiam: quia Dos subtilitatis non significat vtcumque illam virtutem actiuam; sed connotat, etiam talis corporis statum, in quo ei debeatur vsus talis virtutis: Corpori autem Christi non debebatur, etiamsi aliquo speciali miraculo, ea vsus sit.

HÆC autem inania sunt, & petunt principium; si enim nil aliud requiritur ad subtilitatem, quàm assistentia Dei in hoc, vt opportunè vtatur, cur statum aduocat ad effugium? Imò ex hoc deduco: Ergo habet statum beatorum, qui ex hac etiam dote pendet.

TANDEM arguo ad hominem contra ipsum. Ità emanat, vel infunditur qualitas agilitatis, sicut de claritate dixerat; sed claritatem dicit, similiter & agilitatem probari illo Apostoli 1. Cor. 15. *Seminatur corpus, &c. & resurget, &c.* vbi Apostolus eodem modo de quatuor dotibus loquitur, vt notaui q. 26. ergo si illæ sunt qualitates; erit & ista.

321 Sed vt ad aduersarios nostros primos reuertamur, eorum iam possumus fundamenta facilè conuellere, aliqua enim, etiam *hîc*, intermiscui ad id efficacia.

OBIICIES primò cum Durando *loco citato*, Caluino *loco citato*, & Petro Matt. *cap.* 17. §. 29. De essentia quantitatis est, habere partes extra partes ad locum occupandum, licèt posterior esset ipsa essentia quantitatis, non sequitur posse separari; sicut intellectus, qui est posterior essentia animæ rationalis, & tamen non potest separari ab anima; neque enim homo erit, si ratione careat, neque anima rationalis sine intellectu; sicut igitur non potest quaternarius existere sine suo modo quaternarij; nec substantia absque modo substantiæ, nec spiritus per modum corporis: ergo nec quantitas sine suo modo extenso ad locum. Confirmatur. Implicat, corpus trium cubitorum claudi sub mica panis vnius digiti: nam si ità fiat, erit idem corpus maius, & minus.

322 CONFIRMATVR è D. August. *ep.* 57. vbi ait: *Spatia locorum tolle corporibus, nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt.* Id verò de corpore glorioso etiam Christi astruit necessarium.

Respondetur, corpus quantum habere partes, extra partes; si illud, *extra*, dicat habitudinem ad subiectum, non autem si dicat habitudinem ad locum; & ideò vna pars non est in eo situ subiecti, vbi est alia: licèt sit in eodem loco externo.

ESSENTIA igitur quantitatis consistit in extensione partis extra partem, quod est, vnam partem esse extra aliam; vt tenent Fonseca 5. *Met. cap.* 13. *quæst.* 1. *sect.* 3. Molina *quæst.* 42. *d.* 1. Suarez *disp.* 40. *sect.* 4. Bellarmin. de Eucharistia *lib.* 3. *cap.* 7. Durand. *in primo, d.* 34. *quæst.* 1. *num.* 26. Nyphus 5. *Met. quæst.* 9. Sotus & Toletus *quæst.* 1. *in prædicamento* QVANTITATIS. Canetus ibi *in expositione textus.* Ruuius *in Logica, in prædic. m. c.* 6. *de Quant. quæst.* 1. de quo amplius egi 1. *part. tract.* 5. *disp.* 8. *quæst.* 2.

323 PROBATVR. Quia essentia rei est prior omnibus aliis conceptibus illius; sed extensio partium extra partes est huiusmodi: ergo Minor probatur. Nam è partium extensione oritur, vt partes sint diuisibiles, & ità priùs est habere partes, quàm diuisibile esse in eas. Diuisibilitas verò in definitione quantitatis ponitur ab Aristotele 5. *Metaph. cap.* 13. vbi definit *quantum*, vt sit diuisibile in ea, quæ insunt, idest in proprias partes integrantes. Et inde etiam oritur, vt sint mensurabiles. Hinc verò fit, ne extendatur ad locum occupandum, quod non est potentia, sed actus, & non ità intrinsecum, sicut potentia; & ideò non est simile de iis, quæ obiicit hæreticus. Illa enim spectant ad potentiam: nec est modus essentialis, sed accidentalis; vnde non est comparandus cum modo essentiali substantiæ, numeri, spiritus, &c. Ex quo fit, vt corpus quatuor cubitorum extensione loco suspensa possit esse sub digitali magnitudine; esto in se extensum sit, & hoc vult D. August. *loco obiecto*, non autem extensum esse ad locum. Quod si fit mentio loci, est, quia à posteriori probat Augustinus corpus in se extensum esse, ex eo; quod occupat certum spatium loci, sed non inde sequitur, non posse esse extensum in se, nisi occupet locum. Deinde docet corpora ità esse in loco, vt pendeant à loco naturali; non ità Deus qui ità est in loco, vt ab eo non pendeat. Et hoc erat propositum S. Augustini, & ideò dicit de corporibus: *Tolle spatia locorum corporibus, & non erunt*, idest naturaliter, & hoc proposito S. Augustini satis erat. Ità explicant Bellarm. *lib.* 3. *de Eucharistia, c.* 6. Boucrius *Exam. primo, Art.* 3.

DICES. Si hîc fiebat comparatio inter Deum, & corpora, quoad dependentiam loci, vt corpora pendeant à loco: ergo hoc illis est essentiale; nec separabile, alioqui si supernaturaliter possint poni ità independenter à loco, vt vos dicitis, iam poterunt cum Deo coæquari, nec in tota essentia differrent à Deo, & non erit bona illatio D. Augustini. *Tolle spatia corporibus, & nusquam erunt; & quia nusquam erunt, nec erunt:* ergo. 324

EGO quidem video hoc esse intentum D. Augustini, vt probet existentiam Dei vbique locorum æqualiter; affert autem hanc similitudine. In corpore qualitas sanitatis, verbi gratia, est in toto corpore; & æqualis in maiori, & in minori parte, verbi gratia, in digito, & in brachio, quia eadem erit temperies humorum in vtroque licèt quantitas in maiori corporis membro sit maior, quia maiori quantitate præditum est brachium, quàm digitus. Igitur *hîc* S. Doct. ponit suam comparationem præsentiæ Dei æqualis in omnibus rebus cum qualitate sanitatis, æqualis in omnibus membris. Ideò subdit: *Absit ergo, vt quod potest in corpore qualitas creati corporis, non possit in seipsa substantia Creatoris.* At verò inæqualitas locorum respondens inæqualitati ipsius molis astruitur per transennam; & excludendo à Deo naturali modo imitandam, sicuti naturali modo proponit imitatam qualitatem in omnibus membris inæqualibus æqualem. Vnde nil ad rem facit, quod obiiciunt hæretici illi; quia non fit comparatio essentialis præsentiæ Dei; cum essentiali extensione quantitatis; vnde hæc multò minùs astruitur in occupatione loci.

ALIA autem membra suprà allegata, quæ subdit, nil lædunt. Ibi enim proponit quæstionem: Quomodo Deus sit vbique totus, & vt distinctè eius præsentia percipiatur, ait, addendum, esse totum vbique in seipso. *Si enim vbique locorum, quomodo in se præsens dicitur. Vbique scilicet; quia nusquam est absens. In seipso autem, quia non continetur ab eis, quibus est præsens, tanquam sine eis esse non possit. Nam spatia locorum tolle corporibus, nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt. Tolle ipsa corpora qualitatibus corporum, non erit vbi sint; & ideo necesse est vt sint.* Iam igitur persistit in prima 325

illa

illa comparatione qualitatis diuinæ præsentiæ vbique locorum cum æqualitate præsentiæ qualitatis, idest sanctitatis, vel candoris, cùm corpus est æqualiter in singulis partibus sanum, vel candidum, quæ tamen qualitates ità pendent à subiectis, idest corporibus, vt his sublatis, tollantur è medio qualitates, licèt mole non sint metiendæ; & vt manent, egent sustentatione miraculosa Dei, vbi intermiscet etiam quantitates per transennam, quæ naturaliter pendent à loco, vbi sunt naturaliter, vel si miraculosè suspendantur, adhuc egent dependere à Dei sustentatione. At Deus à nullo naturaliter pendet, vt sit vbique, & ità ablatis spatiis & locis, adhuc Deus erit immensus, quia eius esse non est ab aliquo pendens naturaliter, nec supernaturaliter eget sustentari. Itaque nil contra nos. Quod verò hic sit sensus D. Augustini, patet è sequentibus.

327 Addo hic, posse intendere D.August. quod nil contra nos facit, nempè ablatis spatiis, in quibus res debent esse, vel circumscriptiue, vel definitiuè, tolli rem è medio, quia si est à parte rei, est vel in aliquo spatio reali circumscripta, vel ad aliquod definita imaginarium: quia finita est, vt sæpè docet D.Bonauent. præcipuè *in primo, dist.* 37. *art.* 1. *quæst.* 2.

At Deus à nullo spatio circumscribente, aut definiente pendet, si enim impediatur extensio ad locum; attamen eget creatura supernaturaliter sic sustentari; At Deus, qui longè est à finitate, & dimensione, longè est à dependentia alicuius loci; & licèt sit vbique totus, ità est, vt repugnet illi, esse diuisibiliter ob eius simplicitatem, quod corpori est connaturale, vt notat D.Bonauent. *in primo, dist.* 36. *art.* 3. *quæst.* 1. *argum.* 1. & non potest dici vnquam *Deus localis*, vt probat S. Bonauent.
328 *dist.* 37. *quæst.* 1. sicuti est creatura. Neque est mutabilis naturâ suâ secundùm locum; sicut creatura, vt probat ibi *quæst.* 2. & ità dependens, vt sicut æternitate est ante tempora; ità immensitate extra loca, vt ostendit S.Doct. ibi *quæst.* 3. at creatura cogitur esse alicubi, etiam corpus Christi. Addit Bouerius, Augustinum loqui de locis, & locatis, vt relatiuis, quæ simul sunt, & pereunt. Vel spatia extensione capi, quæ est apta esse in loco, quâ ablatâ, tolluntur *Quanta*. Nunc locum altè resumam 3. *part. tom.* 2. *Tract. de Euch. disput.* 5. *quæst.* 1.

Obiiciunt secundò. Non minus repugnat, duo corpora se penetrare, quàm vnum corpus continuum restringere omnes partes ad situm vnius minimæ. Sed hoc non potest fieri; alioqui habebit partes intra partes. Itaque cœlum in nuce posset restringi: ergo, &c.

329 Respondetur, negando Minorem. Ad probationem dico, habiturum illud cœlum partes extra partes subiecti, non autem loci; quia, licèt aptitudine, seu radicaliter habeat extensionem ad locum; tamen Diuina potentia potest restringi cœlum intra nucem. Plus enim potest Deus facere, quàm nos intelligere, quod si id tantùm posset, quod nos possumus intelligere, iam potentia Dei esset ità modica, & finita, sicut nostra intelligentia.

Obiiciunt tertiò. Non possunt partes quantitatis successiuæ, esse simul duratione: ergo neque partes continuæ quantitatis possunt esse simul loco. Probatur Consequens; quia sicut de ratione quantitatis successiuæ, est prius, & posterius successione; ità de ratione quantitatis continuæ est extensio partium.

Respondetur, negando paritatem; quia successio intrinsecè dicit extensionem partium, secundùm prius, & posterius duratione, sicut verè extensio partium ad locum dicit intrinsecè, partes locum accipere. 330

Obiiciunt quartò. Non potest idem corpus esse in pluribus locis: ergo nec duo in eodem loco.

Respondetur negando Antecedens: Imò arguo. Potest idem corpus esse in pluribus locis, vt latè ostendi *tract.* 5. *d.* 11. *quæst.* 3. *in* 1. *part.* cum D.Bonauent. 4. *dist.* 10. *part.* 1. *quæst.* 2. vbi aliam rationem pro penetratione adducit; quia Corporis Christi quantitas in Eucharistia reperitur, non penetrata cum quantitate panis; sed tamen simul; cùm tamen naturaliter implicet. Et vna pars corporis Christi penetratur cum alia. Quod tamen naturaliter repugnat è 5. *Metaph. cap.* 9. 331

Respondet Durandus, Corpus Christi esse in Sanctissimo absque sua quantitate. Sed hoc, vt ait D.Bonauent. licèt non ità erroneum, sicut hæresis Berengarij, qui fuit Hæresiarcha erroris negandi præsentiam realem Christi in Sanctissima Eucharistia, vt notat S. Bonauent. *quæst. præced.* & cum eo Adelmanus, Episcopus Brixiensis. Et Hugo Episc. Lingonensis *in epistolis ad Berengarium*, Guitmundus *lib.* 3. Bellarmin. *lib.* 3. *de Eucharist. cap.* 8. Cœpit autem anno 1051. attamen dicit esse proximum errori, idest hæresi. Itaque vult, esse erroneum, vt notat etiam Suarez *hic*. Nam corpus perfectum requirit quantitatem, maximè verò Organicum, quale est Corpus Christi in Sanctissima Eucharistia; vt ostendam 3. *part. tom.* 2. *tract.* 4. *de Euch. d.* 5. *quæst.* 14. 332

Ex Paludano colligitur alia responsio, posse fieri diuina virtute, vt corpus sit quantum, & non occupet locum in Sacramento, in quo potest simul esse cum quantitate panis. Quod verò corpus quantum sit in loco, & non occupet locum, est impossibile, quia sunt omnino idem. Si autem corpus occupat locum, impossibile etiam est, vt simul admittat aliud corpus in eodem loco; Quia occupare locum nil est aliud, quàm habere partes positione distinctas, & distantes à se inuicem, & ab omni alia quantitate. 333

Hæc tamen responsio non satisfacit Primò, quia multò difficiliùs est, corpus quantum non esse in loco, quàm esse in eodem loco cum alio corpore. Si ergo primum fieri potest, cur negat secundum? Antecedens probatur à Suarez, quia vel esse in loco sumitur latè, vt dicit aliquo modo esse in loco, idest alicubi secundùm præsentiam realem, & hoc modo impossibile est, ne dum difficilius, esse corpus quantum, & non esse in loco, seu alicubi realiter præsens, & hoc est, quod negabat D. August. *ep. suprà citata*, dicens. *Si corpora non sunt in loco; nullibi sunt; ergo non sunt.* Vel esse in loco significat esse quantitatiuè in loco, seu modo connaturali quantitati, & hoc pacto difficilius est separare à corpore quanto locum, quàm penetrare cum alio corpore: quia non solùm impeditur effectus extrinsecus, quasi priuatiuus, idest expulsio alterius corporis ab eodem loco, sed etiam effectus intrinsecus, idest extensio propria in ordine ad locum, qua impedita consequitur quidquid est admirabile, & supernaturale in alio effectu, scilicet, quod tota quantitas vnius corporis sit simul cum alio corpore, & similiter quantitas omnium partium inter se. Denique, licèt repugnet, corpus esse quantitatiuè in loco, & non occupare 334

occupare locum: tamen hoc ipsum occupare locum præcisè, ac formaliter, non est distare ab alia quantitate, vel illam expellere ab eodem loco, sed est ità repellere illum locum, vt totum sit in toto, &
335 pars in parte. Ex quo fit, vt corpus existens in loco, naturâ suâ aptum sit ad expellendum aliud corpus, & distandum ab illo, & hanc aptitudinem semper retinet, quamuis actu non expellat. Ergo formaliter non repugnat, corpus occupare locum, & actu non expellere aliud corpus ab eodem loco. Quia hoc est quid posterius. Poterit ergo separari à priori independenter; sicut etiam de alia proprietate quantitatis dicebatur. Omnia verò hæc è D. Bonauent. Moderni sumpsere.

QVÆSTIO XXXII.

Vtrum actus omnium sensuum futuri sint in Beatis.

D. Bonau. in 4. d.49. p.2.art.3. q.1.& 2.

336 Svppono primò, organa sensuum, non modò mansura, sed etiam perficienda in Beatis. Est de fide definitum *in V. Synodo*, vt refert Nicephorus *lib.17. hist. cap.28.*

Quòd verò sint perficienda, probatur; quia tunc habebunt dotes, & gratias additas; deformitates verò auferentur, vt probant Theologi 4. *d.* 44. vbi D. Bonauent. *part.1 art.3. quæst.1.* De quo vide Commentatores D.Thomæ *3. part. quæst. 54. art.4.* vbi Suarez *disp.47 sect.5.*

Svppono secundò, mansuras etiam potentias vegetatiuas, & sensitiuas, quæ sanè ad perfectionem faciunt hominis, vt arguit S.Bonauent. *hic, quæst.1. in corpore.*

337 Svppono tertiò, posse Beatos exercere aliquos actus animæ sentientis, vt docent Theologi *in 4. dist.44. citat.*, D.Bonauent. *dist.49. loco citato.* Quod à maiori dicendum de Christo, qui est primum exemplar beatorum. Quæ ratio in tota hac materia præ oculis habenda est, vt notat Suarez *disput. cit. sect.6.* post D. Bonauent. *in 4. dist. 49. part. 2. art.2. quæst.2. arg.1.* vbi adducit etiam D. Augustinum *de Ciu. locis mox adducendis.*

Probatvr à D. Bonauent. *dist. 49. part. 2. art.3. quæst.1.* Quia hi actus, cùm sint immanentes, perfectionem afferunt, & aliunde non requirunt semper materialem aliquam alterationem, neque indecentiam illi statui repugnantem. Neque est simile de vegetatiuis, quæ sunt transeuntes, & per se non faciunt ad intrinsecam perfectionem hominis, sed per accidens, vt valeat conseruari. Hinc quoque habes, actus sensuum internorum in beatis futuros; quia sunt perfectiones actibus sensuum externorum, nec egent actuali immutatione ab obiecto; sed possunt species conseruare, etiam post remotum obiectum.

338 Præterea actus appetitus, præsertim amor, & voluptas, si circa obiecta honesta versentur, perfecti sunt, & valdè conuenientes humanæ naturæ. Vnde Gregor. Nazian. *orat.* 10. *de laudibus Cæsarij, sui fratris*, agens de animâ beata, eiusque voluptate, ait: *Cùm cognatam carnem receperit, eam quoque ad gloriæ cælestis hæreditatem secum, admittet, & quemadmodum ob naturæ coniunctionem, ærumnarum ipsius particeps fuerat: sic etiam iucunditates suas cum ipsa communicabit, totum videlicet corpus in seipsam absumens.* Similia habet Anselmus *lib. de similitudinibus, cap.57.* Est autem ratio, qua vtitur etiam S.Bonauent. *quæst hac, arg.3.* intellige, vbi non est imperfectio in actibus; alioqui per solam redundantiam præmiabuntur, vt notat D. Bonauent. *in resp.*

Qvoad loquelam S. Bonauent. *in fine corporis* ait, neque necessarium esse, neque falsum conuinci; ideò posse nos probabiliter asserere. Et sanè difficultas, quam habet S. Bonauent. est ratione medij, quia in Empyreo non erit aër, quo formatur per refractionem ex Aspera Arteria ad Laryngem ipsa vox: Attamen respondet D. Thom. *in 2. dist. 2, quæst. 2. art. 2. ad 5.* & *in 4. dist. 44. quæst.2. art. 2. quæstiuncula 4.* non esse necessarium aërem externum ad formandam vocem, sed sufficere internum. 339

Enim verò non sufficit; quia non potest formari vox, nisi aër impellatur, & ideò expellatur; Quia impulsus ille fit per motum localem; debet ergo impelli aër extra os, & ideò remanebit intus vacuum. Quare non immeritò dubitat S. Bonauent. vt carpit Suarez *loco citando.*

Respondet Suarez, non ideò sequi vacuum, succedit alius aër interior, vel rarefit, &c. vel quia quasi circulo quodam egreditur, & intrat rursus in corpus. 340

Hæc tamen futilia sunt; nam certè ex continua locutione tantus aër euapotabit, vt reddatur vacuum. Quòd verò fiat circulus, erit perpetuum miraculum gratis positum. Ex altera parte considerat S. Bonauent. illud Psalm. 149. *Exultationes Dei in faucibus eorum*, quod de hymnodiis Sanctorum explicant Patres, Basilius, & Theodoretus, ad ea verba. Sic Gregor. *lib.8. Moral. cap.31.* ad ea verba Iob.8. *Donec impleatur os tuum risu, & labia tua iubilo.* Irenæus *lib.1. cont. hæreses, cap.8.* August. *22. de ciuit. cap. 30.* Qui Diuinas laudes cantari à beatis dicunt.

Qvoad sensus verò: Prima opinio est, actus omnium sensuum externorum esse in beatis. Colligitur è D. Thom. *in 4. dist. 44. quæst.2. art.1. quæstiuncula 3. & 4.* Scoto *dist. 49. quæst. 14 ad 2.* Maiore *quæst.14.* ex aliisque ferè omnibus Theologis. Idem habent expositores D.Thomæ, è quibus Suarez *3. part. tom.2. disp.47. sect.6.* Tanner. & alij apud Arriagam *disp. 57. initio*, vbi subscribit Morand. *tract.1. quæst.11. num.46. quæst.2.* è D. Anselmo *cap.57. de Similitudinibus.* 341

Attamen S.Bonauent. *de Auditu* dubius est. De Odoratv negat, & de Gvstv; Concedit verò de Visv, & Tactv.

Assero primò, Beatos oculis visuros.

Probatvr efficacissimè à S.Doctore, ex illo Iob 19. *In carne mea videbo Deum saluatorem meum.* Et Apoc. 1. *Videbit eum omnis oculus:* & aliis locis Apocal. ponit obiecta Visvs: ergo & actus. His auctoritatibus nititur Arriaga *loc. cit.* 342

Probatvr secundò à D.Bonauent. è D. August. *de Spirit. & anima, cap.65.* vbi ait: *Visus reficietur in contemplatione humanitatis,* & *cap.4. lib.1. de Spiritu & anima*: idem habet *lib. 22. de ciuit. cap.30.* & *in Manuali cap. 26.* qua authoritate nititur Suarez.

Probatvr tertiò à D.Bonauent. *argum. vlt. quæst. secunda, addita resp.* Nam potentiæ in gloria sunt perficiendæ in eo, quod eis competit, nec habet naturam; sed videre est huiusmodi: ergo. Maiorem probauit *quæst.1.* Minorem verò comprobat: Nam

Nam hic sensus inter omnes perfectiori modo immutatur; non alteratione passiua corruptiua, & perfectè operatur; vnde eius actus perfectus est, & corpori incorruptibili accommodatus. Hac ratione vtitur etiam Suarez, *loco citato*. Confirmatur à D. Bonauent. Quia obiectum visus, LVX, & COLOR erunt in cœlis; erunt enim ibi proprietates corporum gloriosorum.

343 DVBIVM tamen est; quomodo Visus recipiet speciem. De hoc agit S. Bonauent ex professo, *q.*2. Ratio difficultatis est. Quia nullum est medium deferens species. Igitur vel erunt subsistentes creatæ, & multiplicatæ per vacuum, vel non producentur.

RESPONDET S. Bonauent. *quæst.* 1. *in fine corporis*, ibi esse medium peruium, quod est sufficiens ad visionem. Subdit verò *quæst.*2. *in fine corporis*, visum recipere speciem ab obiecto. Del quia corpus peruium detur medium extra oculum, eò quòd beati sint intra corpulentiam cœli Empyrei, quod est peruium, & tenue, vt putat etiam D. Thom. *in* 3.*dist.*2. *quæst.*2. *art.*2. *ad* 5. Vel quia velit, peruium hoc esse oculum ipsum, in exteriori parte perspicuum, puta in cornea tunica, & deferre speciem ad pupillam distantem, hoc autem aliqui dicunt fieri naturali virtute; alij Diuina; & hunc modum immutandi potentiam, consentaneum volunt esse corpori, quod resurget spirituale. Addit verò *ad* 1. solutionem quandam difficilem argumenti, quod erat: Minus nobile, non agit in nobilius, è D. August. 7. *Musicæ*. Sed visus beatus est nobilissimus: ergo non recipit à minùs nobilibus corporibus.

344 RESPONDET primò: obiectum, etiam naturâ suâ ignobilius, esse secundùm quid nobilius ratione speciei; attamen, quia apud D. Bonau. obiectum non agit in potentiam; sed materialiter se habet tantùm, non laudat omnino responsum.

RESPONDET secundò, obiectum luminosius agere, non efficienter, sed dispositiuè, quatenus illuminando disponit ad producendas species, quando verò organum ipsum videntis est luminosius, illuminando obiectum, disponit ad producendam speciem, quod patet in oculo Æluri, noctu, dum vidit escam.

DIFFICVLTAS est aliqua. Quomodo beati omnes lætificabuntur in visione humanitatis Christi, quæ non poterit omnibus esse vicina, sed à multis admodum remota.

345 Respondet Tannerus, variis in locis Empyrei eam replicandam, vt omnibus obiiciatur sicuti in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

Arriaga *loc. cit. sect.* 1. dicit, Corpus Christi eleuatum ad emittendas species ad quamliber distantiam.

QVOAD id verò, quod suprà diccebatur cum D. Thoma, species deferri per Empyrei corpus peruium, intra quod sunt beati, impugnatur à Suarez. Tum quia (ait) corpora beata sunt in superficie conuexa Empyrei, vel saltem possunt eam scandere, & loqui, audire, videre, &c. Tum quia non videtur, quomodo corpus Empyreum confringatur, cùm sit aliis cœlis perfectius. Tum quia non est necessarium propter id, quod ponebatur à D. Thoma, vt deferat species ad auditum; attamen videtur concedere implicitè, iuuaturum ad deferendas species visiuas, quæ rectâ lineâ eiaculantur.

ASSERO secundò, probabiliter posse sustineri, in cœlo dari etiam auditus sensationem. Eadem certitudine id astruitur; quâ etiam loquelam correlatiuam suprà admisimus, at tamen non est omninò certum.

SVAREZ probare nititur, id certum esse, sicuti de visu; nam etiam auditus exigit solam mutationem intentionalem, & est perfectus; ideò dicitur sensus disciplinæ, & fidei. Confirmatur. Quia delectatio auditûs suauis est, & spiritualis. Confirmatur secundò: Nam sancti, qui loquelam admittunt; concedunt etiam auditum: nam frustra loquerentur, nisi alij audirent. Ideò infert Suarez, Bonauenturam immeritò fuisse dubium. 346

HAC tamen incerta sunt; primò, quia obiectum auditus, quod est sonus, non est aliqua proprietas absoluta, sed emanans è corporibus per collisionem; de quo non constat: An sit in cœlo; eo minùs, quia debet esse medium, per quod aliquo spatio deferatur, & tandem asportentur species. Quod enim dicit Suarez, deferri per pauimentum Empyrei, vanum est, cùm enim loquuntur, non inclinant os ad pauimentum, neque stantibus illis sonus ex ore inclinari potest ad pauimentum, & resilire ad aures; nam, qua ratione non potest sine medio deferri ad aures, eadem non potest ab ore ad pauimentum transire. Quod verò absque medio deferantur species diuinitùs, vt respondet vltimò Suarez, incertum est; & vt dixi de visu, ponit miracula absque necessitate. 347

QVOD verò admittendus auditus; quia suauis, & spiritualis, non sufficit; quia sonus dicit imperfectionem collisionum, quæ videntur non decere statum beatorum. Quod verò sancti admittant loquelam, & consequenter auditum; responderi potest, eos loqui, se adaptando nostræ capacitati, eo modo, quo etiam dicunt esse ibi prata virentia, rosas, & lilia non deficere; audiri voces citharedorum, quæ sanè etiam Ioanni ostensæ sunt in *Apocal.* vt pro humana capacitate ei describeretur Paradisi gloria. Ex quo ruit etiam argumentum Arriagæ *sect.*2. 348

Ratio igitur, quæ ancipitem reddit Seraphicum est duplex. Altera ex parte obiecti auditûs: altera ex parte medij. 349

EX parte obiecti, quod est sonus, est autem qualitas producta per motum à corporibus sonantibus, vt docet etiam D. Thom. 2. *de anima*, *cap.*8. *lect.*16. & cæteri Aristotelis interpretes. Auicen. *lib.*6. *Naturalium*, *part.*2. *cap.*5. Albertus Magnus *in Sum. de homine*, *part.*2. *quæst.*1. Toletus *quæst.*19. Bannez 1.*part. quæst.*78. *art.*3. *dub.*1. Ruuius 2. *de anima*, *tract. de Auditu*, *quæst.*1. Probatur, quia ab Aristotele ponitur *cap.*6. inter obiecta sensibilia propria, ex quo sequitur non esse motum, vt Themistius ait, quia motus est sensibile commune. Hæc autem qualitas producitur à corporibus resonantibus in medio resiliente, siue aër sit, siue aqua, &c. at beati non habent aërem detentum intra os, vt continuis locutionum sonis non citò disperderetur, ac destrueretur. Prætereà sonus in solo medio recipitur, vt tenent præcipuè Aristoteles interpretes relati à Ruuio 2. *de anima*, *cap.*8. *quæst.*3. At medium non datur, tanquam subiectum recipiens sonum: ergo.

QVOAD medium verò, aut debet deferre sonum realem ad aliquam distantiam, vt tenet D. Thom. *in* 2. *dist.*2. *quæst.*2. *art.*2. *ad* 5. vterque Caietanus 2. *de anima*, *cap.*8. Conimbricenses *ibi*, *quæst.*2. *art.*2. & alij plurimi. 350

Vel saltem non potest sonus, sicut etiam odor mouêre potentiam, nisi priùs moueat medium, motione

motione reali, & naturali; quia sonus producitur in eo secundùm esse reale, vt docet Aristoteles *loco citato*. Vbinam autem in paradiso est aër medius? effugia enim Suarez iam sunt præclusa.

Assero tertiò, probabiliter negari in Beatis odorandi actus.

351 Probatur à D.Bonauent. tum ex parte obiecti; tum ex parte medij.

Ex obiecto, quod est odor, qui est qualitas secunda, resultans in mixtis è temperamento primarum, in quo siccum comprehendit, seu superat humidum, vt docet Aristoteles 2. *de anima, cap.*9. & *lib. de sensu, & sensib. cap.* 5. Causa verò efficiens, à qua tali modo attemperatur, est calor externus, à quo sic humidum resoluitur, & attenuatur; vt à sicco comprehendatur. In corporibus autem beatis non apparet hæc actio resoluentis caloris externi: vbinam enim in cœlis est calor externus?

352 Deinde, odor immutare debet medium ad aliquam distantiam, immittendo vaporem, seu exhalationem, vt volunt D.Thom. 2. *de anima, lect.*10. & *in* 2.*loc.cit.* & Maior pars recentiorum, Aristotelis commentatorum; vel saltem absque vaporis emissione, vt volunt alij per multiplicationem realem. Hos refert Ruuius 2. *de anima, cap.*9. *quæst.*2. Hæc tamen sententia non videtur bona; quia deberet educi è potentia medij, quod est aër, vel aqua, quæ sunt elementa inepta; vt inde educatur odor. Quomodo autem efflat realis odor?

Medium igitur aptum deest in cœlo, per quod deferantur odores. Debet enim receptiuum esse peregrinæ impressionis, vt notat S. Bonauent. *quæst.*1. *ad* 1.

353 Respondet Suarez, non deesse in cœlis corpora odora, vt ait D.Aug. *de Spiritu, & anima, c.*58. Sed ipse Suarez fatetur, loqui D.Augustinum sensu metaphorico. Eodem modo loquuntur alij Patres, allati à Suarez.

Addit, verisimile esse, corpora beata, quia viscera habent plena aëre odoroso, exhalare fragantiam; sicut damnati fœtorem emittunt.

354 Sed hæc sunt gratis dicta; nec sufficit habere corpora plena aëre, aër enim est ineptus ad odorem, vt docet Aristoteles *cap.*9. *de anima.* Nec est simile de damnatis, qui alterationibus corruptiuis obnoxij sunt; beati verò non egent compensatione sensibilium delectationum per actus; nam per redundantiam totum corpus delectabitur; vt notat D.Bonauentura. Imò argumentor ad hominem. Suarez *sect.*6. initio dicit, excludi actiones potentiæ vegetatiuæ à beatis; quia non sunt immanentes, nec pertinent ad intrinsecam perfectionem potentiarum; sed ex accidenti, vt viuens conseruari possit. Sed sic se habet etiam sensus Auditus, vt ipse fatetur §.*Tertiò de odoratu*: ergo.

Confirmatur ex ipso Suarez. Quia hæc sensatio materialior est; & brutorum animæ magis conueniens, quàm corpori, quod spirituale resurgit.

355 Respondet Suarez, in his actibus considerandam vtilitatem, quam per se afferunt. Si enim ex se decens est, & aliàs non repugnat corpori incorruptibili, per se experi potest; maximè quia hoc actu excitatur animus ad Dei laudes.

Hæc tamen infirma sunt, nec refellunt argumenta, vt patet.

Assero quartò, neque sensationem Gustus dari in Beatis.

Probatur à D. Bonauent. ex obiecto, & medio. Ex obiecto quidem, quod est sapor, qui est qualitas in corpore gustabili, ordinato ad vitæ conseruationem; ibi verò non erit hoc corpus. Ex medio verò, quod non deesset, cùm sit caro spongiosa linguæ, & palatus; attamen non est amplius apertum poris, vt ipse vrgebat Suarez contra S. Bonauent. *disp.* 48. *sect.* 2. circa medium, ante §. *Quarta difficultas.*

Obiicit Suarez, S. Anselmum *lib. de similitudinibus, cap.*58. B. Laurentium Iustinianum *lib. de perfectione Monast. Conuersat. cap.*23. S.Prosperum *lib.*1. *de vita contemplatiua, cap* 4. vbi aiunt; beatos in sensibus, voluptatibus maximis, sanctisque fruituros. 356

Respondet S.Bonauent. loqui per metaphoram; propriè verò voluptatibus fruituros per redundantiam ex anima: sicuti nunc ad animæ lætitiam exultat etiam corpus.

Assero quinto, sensum Tactus esse in Beatis.

Probatur à D.Bonauent. ex obiecto, & medio. Ex obiecto, quod sunt qualitates tangibiles *Durum, Molle, Asperum, Lene, Solidum, Liquidum*, &c. Sed hæc sunt in Beatis. Sic etiam Christus *Lucæ* 24. dixit: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet.* Sic etiam in cœlo manet eadem caro, & poterunt se tangere, nec ratio in contrarium est aliqua. Quoad medium, quod est caro, vt ait D. Bonauent. *quæst.*1. *in corpore*, & est sententia Aristotelis 2.*de anima, cap.*11. Auer. *Com.*16. Galeni *lib.*1. *de vsu partium, cap.*16. & 18. & *lib.*5. *cap.* 9. & *lib.* 12. *cap.*2. & *lib.* 2. *de temper.* Fernelij *lib. de facultate animæ, cap.*6. Vesalij *lib.*6. *cap.*17. Alberti Magni 2.*de Anima, tract.* 3. *cap.*31. & 35. *Concil. diff.*41. Ægidij *cap.*11. *secundi, de anima ad text.* 168. *dub.* 2. Iandun. *quæst.* 29. Scoti *quæst.*29. D.Thom. *lect.*22. *secundi de anima.* Sensibile enim supra sensum non facit sensationem; at supra carnem fit sensatio: ergo. Cùm igitur in Beatis sit eadem caro; sequitur etiam, manere idem medium Tactus. 357

Erunt tamen delectationes honestissimæ, vt notat D. Laurent. Iustin. *loco citato*, & D.Anselm. *in Prosol. cap.*25. & *lib. de Similitudinibus, cap.*48.55. & 57. aliique Patres. 358

Obiiciunt autem Suarez, Arriaga, & alij primæ opinionis. In patria erunt sensus perfectissimo in statu; ergo exercebunt suos actus: nam actus complent potentias. Confirmatur: Sicut anima appetit vniri corpori; ità potentia obiecto.

Respondet S. Bonauent. *quæst.*1.*ad* 1. actus istos à se exclusos includere imperfectiones, non consonas statui corporis beati, vt diximus, nec est simile de appetitu animæ ad corpus, quia hic est ad perfectionem status naturalis simpliciter, ille ad benè esse, & pro tali statu.

Hic agere volebam de Supernaturalitate, in quo consistat; De quo Arriaga *Tom.* 1. 1. *part. d.*3. & alij, qui ponunt in hoc, vt sit supra vires subiecti, quæ videtur sententia D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 26. & *in* 3. *distinct.* 18. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 4. Sed de hoc egi 1. *part. Tractat.* 1. *disput.* 11. *quæstione* 9.

DISPVTATIO III.

De Voluntario & inuoluntario.

Acquiritur actibus humanis Beatitudo, vt ostendam *disp. de Merito*: ideò post disputationem de Beatitudine, agendum est de Actibus Humanis. Est autem prima horum actuum conditio, vt Voluntarii sint.

Et quidem in Actibus Humanis esse voluntarium, experimento docemur, & luce clariùs nitet, semel cognitâ voce Voluntarii. At verò, quòd detur voluntarium etiam liberum, à necessitate immune, satis ostendi *Tract. X. disput.9. quaest.3.* Nunc essentia Voluntarii in Actibus Humanis examinanda nobis incumbit.

QVÆSTIO I.

Quid sit Voluntarium, *& quotuplex.*

D.Bonau.in 2.dist.22. quaest.vlt.
D.Tho. 1.2.q.6 art.1.

Multa *hic* disputant Recentiores, praecipuè Suarez *prima secunda,tract.2.disp.1.quaest.1.* Vasquez *disp.23.* Valentia *disp.2. quaest.1.* Caspensis *tract.9. disp.2. sect.1.* In quo consistat ratio *Voluntarij*,& altercantur,obscurando principia Theologiae; potiùs quàm ea explicando.

Volvntarivm definitur à D.Thom. loco citato, *Voluntariam actionem esse, quae est à principio intrinseco cum cognitione.* Aristoteles autem 3. *Eth.c.1.* quem sequuntur Nyssenus,*lib.5.sua Phil. cap.1.* Damascenus, 2. *de fide, cap.29.* vbi aliquid addere videtur huic definitioni. Dicit enim; *Esse voluntarium, cuius principium est in agente, sciente singula, in quibus est ipse actus*, idest cognoscente conditiones, quae actum circumstant, quas appellamus *Circumstantias*, vt hi authores explicant.

2 Hanc sequitur D. Bonauent. *in 2. dist.22.quaest. vltim. ad argumenta, §. Ad illud, quod queritur, quae magis, &c.* vbi duas conditiones exigit ad voluntarium: altera est, quod sit à principio intrinseco (intellige voluntatis:) altera est, vt praecedat ea cognitio eorum, quae circa actum, fiunt, puta circumstantiarum, &c. Itaque prima conditio excludit ab actu violentiam, quae est ab extrinseco, non conferente vim passo: altera excludit ignorantiam. Idem habet locis infrà citandis, praecipuè *in 2. dist.41. dub.3.* Vide Salam *tract. 3. d. 1. sect.1.* Morandum *tract.2.quaest.1.* Pasqualigum *tractat.3. disp.14. sect.1.*

Pro explicatione definitionum aduerte primò; duobus modis aliquid esse voluntarium, idest cadere sub voluntate. Primò obiectiuè tantùm: secundò effectiuè. Voluntarium obiectiuè solùm, sanè est obiectum voluntatis, non tamen effectus eius; & hoc potiùs dicitur volitum, quàm voluntarium; vt notat Vasquez *cap.2.* Tanner. *d.2. quaest.1. dub.2. num.25.* Morand. *quaest.1.* v.g. conuersio Petri ad Deum est mihi voluntaria, idest volita, si ea delectet. Sic etiam generatio aeterna est Patri voluntaria obiectiuè, seu concomitanter, non principiatiuè. Voluntarium effectiuè est,quod est effectus voluntatis; & de hoc erit praecipuè sermo, & definitio lata est de hoc voluntario. Et quidem ea, quae sunt voluntaria hoc modo, sunt 4
etiam voluntaria priori ratione; non è contra. Hoc verò genus voluntarij, vel est immediatè à voluntate, & dicitur elicitum; vel medio actu elicito, & est imperatum. Actus imperati ità sunt à voluntate, vt sint etiam obiectum eius, in eos enim tendunt eliciti. Sic ieiunium est obiectum imperantis: at verò actus elicitus est effectus, & licèt sit volitus reflexè, tamen est volitus per modum actus, non obiecti.

Ex his, aliud est voluntarium, aut volitum ex- 5
presè; aliud interpretatiuè. Primum est, cùm res expresè est volita, vel in se, vt ludere tempore Sacri, vel in alio, vt omissio Sacri est volita in ludo, qui est incompossibilis cum auditione Sacri.

Volvntarivm interpretatiuum, vel in praesumptione, est, quod praesumitur futurum fuisse in voluntate alicuius, si aduertisset; vt cùm quis interpretatur legem; quia existimatur Legislator concessurus hoc, si praeuidisset per epycheiam. Circa quod aduertit Suarez *sect. 4.* interdum vocari voluntatem interpretatiuam, quae praesumitur futura fuisse in alio, si aduertisset; vt quando per epycheiam fit aliquid contra tenorem legis, ille actus est voluntarius Legislatori interpretatiuè; quia si cognouisset hìc, & nunc tales circumstantias; voluisset id fieri. At si rectè perpendatur, hoc non est propriè voluntarium. Ideò haec interpretatio potiùs deseruit, vt actio 6
censeatur non esse contra voluntatem alterius; *verbi gratia*, superioris, quàm vt censeatur voluntaria; & ideò neque est voluntaria, neque inuoluntaria, quod obseruandum est ad ferendum iudicium in rebus moralibus, quae pendent è voluntate alterius, & interdum probatur, sufficere in eis voluntatem interpretatiuam. Verum, si ad honestatem actus sufficit,quod non sit alteri inuoluntarius, *verbi gratia*, quòd non sit prohibitus à superiore; tunc satis erit voluntas interpretatiua: si verò sit necessarius positiuus influxus, tunc non erit satis interpretatiua voluntas; praedicto modo explicita: vt si ad valorem actus absolutionis Sacramentalis necessaria est iurisdictio, non sufficit praedicta interpretatio; sed necessarium est, vt aliquo modo constet de superioris voluntate.

Qvare hoc Voluntarium interpretatiuum non 7
est, de quo in praesenti agimus, quod est voluntarium in alio. Hoc enim est positiuè voluntarium; non quidem per actum, qui ad ipsum immediatè terminetur; in hoc enim distinguitur à voluntario in se; sed ad aliud, vt cùm quis vult comedere cibum suae saluti contrarium, aegritudo inde contracta, dicetur voluntaria in alio, idest in appetitu cibi, hoc etiam dicitur voluntarium indirectum. Indirectum enim, quadam generali significatione, dici solet omne illud, quod moraliter censetur esse à voluntate, ac si illud expresè vellet, licèt illa non eliciat proprium actum, quod illud velit. Hoc igitur modo dicitur etiam voluntarium in alio; quia voluntas non rectè in illud tendit, sed per aliud. Et hoc modo est idem etiam cum interpretatiuo, vt

docet

docet Suarez *loco citato*, D. Bonauent. *in 2. dist. 41. art. 2. quæst. 1.*

8 ADVERTE secundò, distinguendum esse Spontaneum, quod est Voluntarium, atque Proprium Voluntarium, idest liberum. Spontaneum enim est vniuersalius, & conuenit etiam Brutis, hæc enim spontè mouentur ad pascua, ad generationes, &c. Et hoc dicitur à D. Thom. *art. 2. Voluntarium per reductionem*, quatenus eius principium est simile voluntati; est enim appetitus, nec aliud volunt Caietanus, & Thomistæ omnes, *eo articulo*, & Recentiores exteri, Medina *ibi*, Salas *tract. 3. d. 1. sect. 2.* Baldellus *lib. 1. d. 2. num. 14.* Suarez *disp. 1. sect. 6.* Ouied. *controu. 1. sect. 1. part. 3.* Auersa, Arriaga, Caspensis, & alij: Imò & Scotistæ, teste Hiribarne *tract. de Act. Hum. d. 2. sect. 1.* quos adducit Morandus *tract. 2. de Act. Hum. quæst. 2.* pro sententia asserente, dari in brutis Voluntarium imperfectum.
9 Ideò Aristoteles 3. *Eth.* Spontaneum ponit commune pueris, & brutis, eò quòd vtrique habent appetitum sensitiuum; non tamen benè infert Morandus, etiam voluntarium puerorum esse commune brutis: nam voluntarium puerorum est à voluntate, esto imperfecto modo, agente, quàm nullo modo habent bruta. Quod si Aristoteles 3. *Eth. c. 1.* è Spontaneo tanquam notissimo in animalibus, ascendit ad definiendum voluntarium perfectius, quod idem præstitit Damascenus 2. *de fide, cap. 24.* malè tamen infert Morandus confundendo Spontaneum cum Voluntario. Sanè Voluntarium conuenit voluntati ex vi suæ naturæ specificæ, ac proinde nequit conuenire appetitui sensitiuo, qui est genere distinctus à voluntate, vt benè arguit Pasqualigo *d. 119. sect. 3.* nec renuit Valentia *disp. 2. quæst. 2. part. 2.* Neque dicat Morandus, verum esse de voluntario, quod dirigitur per cognitionem intellectiuam (esto) nonne in pueris agit etiam intellectus, dum voluntario imperfecto agunt?

10 IGITVR secundum membrum distinctum, est Voluntarium imperfectum, quod in pueris reperitur, quo pacto sumitur etiam à D. Bonauent. 2. *dist. 36. art. 1. quæst. 2.*

TERTIVM verò est Voluntarium perfectum, nempe liberum, quod est à voluntate eligente ex pluribus cognitis obiectis, quodcumque vult.

ADVERTE tertiò, liberum non repugnare necessitati, sed coactioni tantùm; sic & amorem beatorum, necessarium, ac liberum simul admittimus *1. p. tract. 1. d. 11. & disp. præcedenti.* Et emanationem Spiritus sancti liberam non tamen contingentem; sed necessariam, asserimus *1. p. tract. 2. disp. de Spiritu sancto*, vt docet D. Bonauent. *in 2. dist. 25. part. 2. quæst. 2. ad 4.* Nos tamen hîc agentes de potentia finita, & habente obiectum finitum, deque ea, vt est in via, excludimus à libertate, non modò coactionem, sed etiam necessitatem.

11 DOCET autem D. Bonauent. *loco citando*, Aristotelem definire. Voluntarium liberum, quod ex cognitione rei, ac proprietatum eius resultat, imò & circumstantiarum; non quia non possit ignoratio alicuius circumstantiæ rei dari, & tamen res ipsa sit liberè volita; sed quia eo gradu incedit esse voluntarium, quo graditur cognitio. Itaque ignorata rei proprietate, non erit perfectè liberè volita. Sic & ignorata simpliciter circumstantia, non erit, quoad hoc, liberè volita, vt ait Suarez *loco citato, in calce*, post Diu. Bonauent. *in 2. dist. 41. dub. 3. litt.* Hinc diuidit adhuc Voluntarium in planè perfectum, & imperfectum. Imperfectum autem sumitur non modo ratione partis sensitiuæ rebellantis, sed etiam ex inaduertentia intellectûs.

ADDIT Valentia *loco citato*, quòd Aristoteles definit voluntarium actus; tamen datur aliud voluntarium sine actu priuatiuum, qui est omissio, quæ sæpè est voluntaria. Dicitur autem aliquo modo esse à principio intrinseco cum cognitione; quod est tamen cum aliquo actu, vt notat Diu. Bonauent. *in 2. dist. 5. quæst. 1. ad 1.* non enim omittitur aliquid liberè, nisi aliud ametur, sic omittit aliquis surgere ad matutinum, quia amat commodum lecti, vt ostendam *Tract. de peccato, disp. 1. quæst. 7.* 12

Plurimos alios modos Voluntarij recensent Doctores, è quibus S. Bonauent. *in 2. dist. 45. dub. 3.* nouem enumerat. Primus est, qui est à voluntate, nullo alio inclinante: Tale fuit peccatum Luciferi voluntarium. Secundus, qui ab aliquo extrà suggeritur, non intrà: Tale fuit primum peccatum Adæ. Tertius ità est à voluntate, vt aliquod exteriùs, & interiùs inclinet. Tale est peccatum mortale in statu naturæ lapsæ. Quartus est voluntarius, non mouente ad illud voluntate directè, sed indirectè ex consequenti, sicut est peccatum omissionis, verbi gratia, Missæ; Quia se inebriauit voluntariè. Quintus est à voluntate refugiente, vt est peccatum, quod homo patrat è timore mortis, & tales sunt etiam omnes actus, qui sunt per modum fugæ, vt odium, &c. hi enim semper habent obiectum volitum; imò & actus ipsi, qui dicuntur volitiones directæ, sunt liberè voliti virtualiter seipsis: nam voluntariè fugit malum quod sibi non vult, neque opponuntur volitio, & nolitio, cùm sint respectu diuersorum. Deinde possunt omnes isti actus volitiones dici; si ad propria obiecta comparentur; nam odium alterius, est actus per modum fugæ, & dicitur nolitio quædam, & tamen reuera est velle illi malum. Et ità facilè percipitur, hos actus esse volitos, sicut etiam omnes alij prosecutionis sunt voliti reflexè, neque voluntas tendens in obiectum liberè potest intelligi velle illam tendentiam, vt notat Suarez *à numero 6.* post Diu. Bonauent. *hic*, & Diu. Thom. *prima secunda, quæst. 6. artic. 3. ad 2.* Sextus est non plenus, qui est ex ignorantia, vt dixi suprà. Septimus est voluntarius consequenter, vt sunt, verbi gratia, peccata consequentia ebrietatem voluntariam. Octauus est, qui est ab aliquo potente prohibere, non tamen prohibente: & sic peccatum veniale, quod est primus motus, dicitur voluntarius, & dicitur voluntarius mixtus, quia partim est à voluntate propria, partim aliena, idest Adæ lapsu. Nonus est, qui est voluntarius voluntate aliena, in qua virtualiter sit nostra voluntas, vt est peccatum Originale; de qua diuisione egit Seraphicus Doctor, etiam *in 2. distinctione 41. artic. 2. quæstione 1.* 13 14 15

Ex his patet, dari voluntarium. Probatur verò à SS. DD. quia in homine sunt actus à principio intrinseco voluntatis cum cognitione finis, proprietatum, &c. 16

EVIDENS quoque est; Voluntarium concedi impropriè in brutis, quæ non habent voluntatem, quæ est potentia rationalis. Ita SS. Doctores suprà. Præctereà sequitur, Voluntarium in so-

lis hominibus propriè reperiri; quia solus homo cognoscit finem; & proportionem mediorum ad finem, atque ex hac cognitione eligit, &c.

Concluditur etiam, actum Voluntarium elicitum, esse actum à voluntate manantem immediatè, vt per seipsum sit volitus intrinsecè per virtualem, & intrinsecam reflexionem in ipso inclusam. Probatur, quia inter hunc actum, & voluntatem, non mediat alius actus; ergo necesse est, vt per seipsum sit voluntarius per immediatam habitudinem eius ad voluntatem.

Voluntarium autem imperatum, sequitur, esse habitudinem in actu imperato, & denominationem ab actu elicito, cuius est obiectum, & effectus.

17 Voluntarium verò, vt obiectum merum, & concomitanter, est denominatio quædam in obiecto voluntatis, manans ab actu eius, quo complacet in illo obiecto.

QVÆSTIO II.

An Voluntarium *perfectum, & liberum sint idem omnino.*

Prima opinio est, Voluntarium perfectum, non conuerti cum libero, quia sunt aliqua perfectè voluntaria quæ tamen non sunt libera; sed necessaria, vt spiratio Tertiæ Personæ Diuinæ: Amor Dei erga seipsum: Dilectio Filij in Patrem, &c. Amor beati in Deum. Ità D.Thom. 1. *prim. quæst.*41.*art.*3. & ferè communiter, adeò, vt Azorius 1. *part. cap.*3. dicat, inauditum esse apud Philosophos, ac Theologos liberum necessarium. Suarez *lib.*6.*de Trin. cap.*6. *&* *p.secunda*, *tract.*1. *disput.*9. *sect.*1. & *tract.*2.*disp.*1.*sect.*3. Valentia *tom.*2. *disp.*2.*quæst.*1. *p.*1. Vasquez *p.secunda*, *disp.*23. Syluius *p. secunda*, *quæst.*9.*art.*1. Tanner. *tract.*2.*disp.*2. *quæst.*1. *dub.*2. *num.* 31. *&* 37. Bassæus noster *verb. Actus Hum.*1. *num.*4. & alij apud istos.

18 Ex his aliqui volunt, perfectius in ratione voluntarij esse necessarium, quia magis naturale est, & fixum, propterea Deo, & beatis conueniens.

Alii volunt, respectu obiecti optimi, voluntarium necessarium esse perfectius, quia attrahit specificè, & quoad exercitium necessariò voluntatem ad se: Et si posset non amari, vel esset imperfectè bonum, vel imperfectè cognitum. Enim verò ex parte actus perfectiori ratione voluntarium esset liberum velle, quia est magis connatum potentiæ, quæ est essentialiter libera.

Rursus aliqui diuidunt Voluntarium in liberum, & necessarium, tanquam genus in species, vt Vasquez: alij tanquam in modos accidentales, vt Valentia, qui id probat: quia actus charitatis nunc liber est in via; mox in patria necessarius. Itaque ait esse diuisionem subiecti in accidentia.

Quare in scrutanda mente D.Thomæ anxij, eius Theologiam sæpè tenebris offundunt, & anfractibus replent, cùm sit plana, & clara.

19 Secunda opinio censet, liberum, & perfectè voluntarium esse idem, tametsi possit esse voluntarium imperfectum, non liberum. Sic D.Bonauent. *in* 2.*dist.*25.*quæst.*1.*& aliis locis adductis quæst. præced.* & 1. *part. tract.* 2. *dist.* 10. *sect.* 1. *quæst.* 1. Eum secuti sunt Scotus, & discipuli ibi adducti, ponentes spirationem Tertiæ Personæ Diuinæ liberam esse, & necessariam. Id docet Scotus *primo*, *d.* 2.*quæst.*3, & *dist.*10. *quæst. vnic.* & *quodlib.*16.*art.*1. & 3. Henr. *quodlib.*3. *quæst.*17. & *quodlib.*6.*quæst.*1. & *quodlib.* 9. *quæst.*5. *in sum.art.*6. *quæst.*1. Durand. *in* 2. *d.*24. *quæst.*2. & *d.*39. *quæst.*3. Capreol. 2.*d.*25. *art.*2. *quæst.* 2. *ad argum.* Henr. Fauet. D. Thom. *p. secunda*, *quæst.* 6. *art.* 2. *ad vlt.* & *quæst.*21. *art.*2. & 1. *prim. quæst.*41. *art.*2. & *quæst.*83. *art.*2.*ad* 3. & *quæst.*10. *de potentia*, *art.*2. *ad* 5.

Adderem Almainum *tract.* 1. *Mor. cap.*2. sed is vult, omne voluntarium esse liberum, idest indifferens.

Non rectè autem Suarez, & alij hanc nostram doctrinam proclamat hæreticis fauêre, ad libertatem nostram viæ cum necessitate coniungendam, & ad liberum arbitrium astruendum, perfectè & voluntariè; sed tamen necessariò, non autem indifferens esse ad bonum, & malum.

Fallitur tamen, non enim hunc modum libertatis pro viatoribus admittimus, sed alium indifferentem, & hunc clarè authoritatibus, & rationibus ostendimus *loco adducto*, *initio quæstion.prima.* Hunc verò modum ostendit S.Bonauent. *loco citato*.

Eodem modo fallitur Morand. *tract.* 2.*q.*3.cum 20 Bellarmino *lib.*3. *de Gratia*, *& liber. arbitr. cap.*5. dicentes, hunc modum damnatum à Pio V.& Gregorio XIII.

Similiter Falluntur Ruitz *tract. de volunt. Dei*, *disp.*4. *sect.*2 *num.*23.cum eodem Morando 1. *part. tract.*4. *quæst.* 2. *num.* 376. rursus clamantes, nos fautores esse Caluini.

Est enim sententia vera in tota Schola D.Bonauent. & Scoti, vt habes apud Fabrum *primo*, *d.* 37. Radam *tract. controu.* 13. Hiribarnem *tract. de Act.Hum.d.*2.*sect.*3. Pasqualigum *loco citato*, *sect.*2. & alios allegatos *locis nostris*, & a P.Mastrio *in primo*, *d.*7. *quæst.*3. *numero* 159.

Illi autem crassiori Minerua non distinguunt 21 inter liberum viæ; de quo solo loquuntur Pontifices; & liberum Patriæ, ac Dei. Sanè actus Dei voluntatis perfectissimi sunt omnes, quod si non essent liberi, etiamsi necessarij; essent imperfectiores liberis, quia actus voluntarius, non liber, sed 48 necessarius, est imperfectior, vt concedunt Vasquez *d.*23. *c.*4. Salas *tract.* 3. *quæst.*2. *sect.*2. *ad* 4. Arriaga *disp.*8. *sect.* 3. *num.*29. Caspensis *d.*2. *sect.*3. Baldellus, Lotea, Ouiedo, & alij apud Morandum *tract.* 2. *quæst.*3. & vrget Faber *num.* 19.

Probatvr, quia libertas est perfectio, vt 22 omnes concedunt: ergo carentia eius est imperfectio. Quare non certè Morandus *ibi* cum Suarez *disp.*1. *sect.*3. Aluarez, Cornexus, Martinez, & alij apud Pasqualigum dicunt, voluntarium necessarium sine libertate, esse æquè perfectum, ac liberum.

Contra autem sic probo: Voluntarium liberum habet totam perfectionem, quam habet necessarium, vt aduersarij concedunt. Deinde est quid specificè perfectum, & proprium naturæ nobilissimæ: ergo addit aliquam perfectionem supra necessarium.

Ex his eruo aliud argumentum. Omnis potentia 23 operans propriè, operatur secundùm intrinsecam rationem potentiæ. Sed voluntas est potentia intrinsecè libera: ergo cum perfectè operatur, iam operatur liberè.

His prælibatis. Assero, Liberum, & perfectè voluntarium esse idem.

Probatvr primò à D. Bonauent. *loco citato*, è D.

è Diu. Augustino *in Enchir. cap.* 105. vbi habet vulgarem illam sententiam: *Aut voluntas non est, aut libera dicenda non est.* Idem habet *lib. de natura, & gratia, cap.* 46. & *lib.* 5. *de ciuit.* & *lib. de duabus animabus contra Manich. cap.* 10. *lib.* 1. *Retract. cap.* 15. D. Damascenus *lib.* 2. *cap.* 24. Nyssenus *lib.* 3. *Phil. cap.* 1. & 3. Anselmus *lib. de lib. arb.* Bernardus *lib. de Grat. & lib. arb.* & *serm.* 8. *in Cant.* Idem habetur in Scriptura, vbi Voluntarium, & Liberum pro eodem sumitur, Psalm. 53. *Voluntariè sacrificabo tibi*, idest liberè, teste Ambrosio, 2. *de fide, cap.* 3. Heb. 10. *Voluntariè enim peccantibus, &c.* Idem habetur *Deuter.* 12. *Exod* 35. *Paral.* 28.

24 RESPONDET Suarez *num.* 13. liberum ex prima impositione significare, id quod est sui iuris, & alteri non est subiectum; vnde videtur directè excludere relationem seruitutis; vnde *in l. libertas, ff. de statu hominum* dicitur: *Libertas est facultas eius, quod cuique facere libet, nisi quod ei, & lege prohibitum est*, atque ità homo ingenuus dicitur liber, & hinc translata est hæc vox ad significandam libertatem voluntatis nostræ, in qua varij sunt gradus.

PRIMVS est, vt sit libera ab omni coactione, nam coactio est magna quædam seruitus, & ideò carentia illius, libertas dici potest; & hoc sensu operatio perfectè voluntaria, quamuis necessaria, potest dici libera; quia nil coactionis habet, & hoc sensu vera est propositio D. Augustini: *Voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda, &c.*

25 SECVNDVS gradus est, in quo excluditur non solum coactio, sed etiam necessitas simpliciter.

TERTIVS gradus excludit insuper necessitatem infirmitatis, seu miseriæ. Vide D. Bonau. *in* 2. *dist.* 25. *dub.* 3. & *in quæstionibus.*

QVARTVS gradus excludit etiam obligationem, de qua 1. Cor. 7. *Non habens necessitatem, sed habens potestatem suæ voluntatis*; quantò enim lex magis grauat, tantò dicitur maioris seruitutis.

26 CONCLVDIT verò *numero* 25. Patres, & Scripturas loqui de homine viatore, in quo voluntarium perfectum, & liberum se semper comitantur in omni actu, & hinc fit, vt indifferenter actionem liberam, vocent voluntariam, & è contra.

Respondet secundò, voluntarium, & liberum ex eadem radice oriri, scilicèt ex perfecta cognitione intellectuali, ex quo fit, vt nunquam subiecto separentur, omne enim agens liberum potest perfectè voluntariè operari, & è conuerso; & hac de causa vnum pro alio vsurpatur.

27 ATTAMEN non concutit authoritatum robur, nec resoluit. Et quidem gradus illos libertatis, ac libertatis denominationem, totamque doctrinam illam sumpsit quidem Suarez è D. Bonauent. *in* 2. *dist. vltim. art.* 3. *quæst.* 1. & ex *dist.* 25. vbi de libero arbitrio passim. Quod verò ait, liberum à coactione dici perfectè voluntarium, pro nobis est: ergo perfectum voluntarium est liberum à coactione, & tamen admittit necessitatem, quam tamen cum libertate omni non pugnare ostendimus. Quod verò S. August. & alij loquantur de libertate viæ, quæ est cum perfecto voluntario eadem, vel subiecto coniuncta; falsum est, nam simpliciter ait, tollendum voluntarium; imò & voluntatem, ablata libertate: ergo inseparabiliter sunt idem in omni statu vbicumque manet voluntas. Itaque de intrinsecè actus perfecti voluntarij est, esse liberum etiam in beatis, & Deo, vt vidimus *locis adductis.*

PROBATVR secundò *loco citato*, ratione à Diu. Bonauent. Illa actio est libera, in qua homo seipsum mouet ex perfecta aduertentia rationis, sed hoc totum est de ratione perfecti voluntarij: ergò hæc duo idem sunt. Confirmatur è D. Augustinò *Illud quis facit liberè, quod facit, quia vult; &, si nollet, non faceret*: ergo operatur liberè, ac proinde idem sunt liberè, & voluntariè operari. 28

Confirmatur secundò. Modus operandi liberè est vltima perfectio rationalis appetitus. Sed de ratione huius appetitus est, vt voluntariè operetur, & de perfectione eius est, vt operetur voluntariè: ergo perfectio huius appetitus consistit in operatione perfectè voluntaria: ergo idem est, operationem esse liberam, & esse perfectè voluntariam.

RESPONDET Suarez, perfectionem libertatis, licèt coniuncta sit cum perfectione voluntarij, modo nuper exposito, tamen formaliter non esse omnino idem, vt dictum est. 29

Eisdem verbis, quibus suprà soluta est responsio Suarez, ruit etiam hæc illius solutio. Signum enim identitatis realis est inseparabilitas apud Suarez. Certum est autem voluntarium perfectum, & liberum inseparabiliter se inuicem amplecti.

MVLTA quidem suprà indicata obiicit Suarez è suis fundamentis quæ propriis locis, & *tract.* 15. *d.* 10. *de Spiritu sancto*, & aliis locis suprà citatis soluta sunt. Vide D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 25. *quæst.* 2. *part.* 2. *distinctionis.*

ADVERTE tamen, nobis *hic* ad moralia inseruire solùm liberum contingens.

QVÆSTIO III.

An omissio, vel euentus ex ea secutus, sint voluntary omittenti, quando non adest præceptum non omittendi.

CIRCA Voluntarium omissionis, & in alio, siue indirectum, quæritur, quid requiratur necessariò ad esse talis voluntarij.

ET quidem ex parte intellectus requiritur, vt aliquo modo sit cognitum, vel directè, vel quod in potestate operantis sit illud cogitare, & animaduertere, & ex negligentia id facere omiserit, vt dicam *quæst.* 11. *disputationis.* 30

Ex parte autem voluntatis. Prima opinio est, omissionem, & euentum sequentem ipsam, esse voluntaria ipsi omittenti, etiamsi nullum adsit præceptum impediendi illum effectum. Ità Valentia *disp.* 2 *quæst.* 5. *punct.* 1. Citantur Salas *quæst.* 6. *dist.* 3. *sect.* 4. Pasqualigo *disp.* 14. *sect.* 6. Morand. *tract.* 2. *quæst.* 5. Asserentes Almainum, Hurtadum, aliosque suprà relatos.

SECVNDA opinio est, omissionem esse voluntariam; etiamsi non adsit præceptum, at verò euentum non fore voluntarium, nisi adsit præceptum. Ità Vasquez *prima sec. disp.* 24. Montesin. *dist.* 9. *quæst.* 4. Salas, Hurtad. & alij, quos adducit Caspensis *disp.* 2. *sect.* 5. Caiet. Medina, Conrad. *ad art.* 3. *D. Thom.* Caraffa *disp.* 2. *num.* 13. Curiel, Lorca, Angestus, & alij apud Ouiedum *controu. cit. part.* 5. Suarez *tract.* 2. *disp.* 1. *sect.* 5. vbi aduertit, id verum esse de effectu, qui per se sequitur ex omissione; si verò aliunde sequatur per accidens ex mea omissione, ità tamen, vt hic & nunc infallibiliter sequatur, & præuideatur secuturus, ne- 31

cessarium esse praeceptum vitandi vnum, ne sequatur alterum; alioqui erit simplex permissum, non volitum. Sequuntur in hoc, Ouiedo *num.65*. Caspensis *num.39*. Morand. *num.62*. Pasqualigo *sect.8.* contra Salam *loco citato*. Arriagam *disp.7.sect.5.numero 39*. Auersam *sect.7.* & alios.

Bassaeus *v. Actus Hum.1.25.* ait esse posse omissionem voluntariam sine volitione, & absque praecepto, si intellectus aduertat, *verbi gratia*, die festo, se posse audire Sacrum, & omittat; sed exemplum est extra chorum, quia adest praeceptum: Poterat dicere, fore voluntariam extra festum; Insuper interuenit actus.

Quoad effectum sequutum è causa volita, ait non fore voluntarium, si habeas ius ad causam, vt si omittas panem dare pereunti fame, quia & tu extremè eges eo pane. Vel si certus sis, effectum non secuturum. Sic B.V. consensit Ioseph in coniugium, non in copulam carnalem. Vide Dianam *part.3.tract.5.Misc.Resolut.22.*

32 Et quidem quoad euentum in primo sensu, qui sequitur per se, consentit D. Bonauent. 2. *dist.32. art.3. quaest.2. ad 2.* vbi ait; eo primo sensu verum esse vulgatum sermone prouerbium: Qui vult antecedens, vult etiam consequens, sufficienti cognitione supposita. Quod subnotat etiam Suarez *numero 8. sect.4.* Quoad omissionem videtur asserere D. Bonauent. *in 2. dist.5. quaest.1. ad 1.* & aliis locis infrà citandis.

33 Assero primò, omissionem, quae est ex cognitione deliberata, & coniuncta cum potentia impediendi, vel faciendi, esse voluntariam, etiamsi nullum de hoc vrgeat praeceptum.

Probatvr: Nam ieiunans die non praecepto, sanè voluntariè omittit carnes. Ratio D.Thom. *art.2.* est, quia libertas contradictionis includit vtrumque extremum, idest operari, & non operari: ergo necesse est, vtrumque extremum esse liberum, ac proinde voluntarium.

Assero secundò. Effectus positiui, qui consequuntur ad omissionem sunt voluntarij arbitrio omittenti, licèt non adsit praeceptum non omittendi, quando ex vi actionis, vel omissionis, & nulla alia ex radice consequuntur.

34 Probatvr primò à Suarez *loco citato, num.8.* ratione D.Bonauent. *in primo dist.46. quaest.2. ad vlt.* & *in 2. dist.32. art.3. quaest.2. ad 2.* quia haec ità sunt connexa, vt vnum sint; ideò vertitur sermone prouerbium: *Qui vult vnum, vult etiam consequens intrinsecè ad illud.*

Probatvr secundò: Nam ex eo, quod aliquis voluntariè diebus non festis occupetur ludo, sequitur euentus, vt non audiat Missam, & hoc esse voluntarium constat ex definitione voluntarij, lata *quaest. prima*, additis dictis *hic* nam influit verè in actionem.

Responder Vasquez, effectum ex omissione non esse voluntarium, quia omissio non influit in illum euentum positiuè, sicuti ipsa voluntas in omissionem; ideò ex hoc non rectè infertur illud.

Contra, quia omissio ex Vasquez *disput.92.* est cum aliquo actu formaliter reddente incompossibilem auditionem Missae per se solum.

35 Assero tertiò. Quando effectus non oritur praecisè è solo antecedenti actu, vel ex omissione, qualiscumque pro nunc statuatur, non erit ille effectu voluntarius, nisi adsit praeceptum.

Probatvr primò à Vasquez ratione deducta è D. Bonauent. *locis citatis*, ex opposita sententia sequeretur, omnia peccata esse volita à Deo. Probatur sequela. Nam consultò omittit dare auxilium efficax, quo impedirentur peccata illa. Hoc autem dicere est haereticum, vt ostendi *tract.1. dist.16. de Volunt. Dei, quaest.13.*

Respondent aliqui è D.Bonauent. *loco nuper adducto in primo*, negando paritatem; quia Deus voluntate antecedenti nolebat, sequi hoc peccatum.

Contra. Nam si antecedenter Petrus nollet homicidium Caij, & tamen posteà, cùm tenetur impedire, non impediret, iam homicidium illud esset ei voluntarium. 36

Probatvr secundò à priori; quia isti effectus consequentes omissionem, quae non est contra praeceptum, non sunt à voluntate omittentis, tanquam à causa: ergo nequeunt dici voluntarij. Probatur Consequens: quia voluntarium debet esse à principio intrinseco, è cognitione eliciente hunc actum, verbi gratia, *Nolo succurrere.* Antecedens probatur. Vel est ab omittente, tanquam à causa physica, vel tanquam à causa morali. Non à causa physica, quia non influit in euentum, verbi gratia, nauta in submersionem nauis, eam non tangendo, vel adiuuando. Neque est causa moralis; quia haec mensuratur ex obligatione praecepti. Hic autem supponitur, nullum esse praeceptum.

Hinc habes, quod etiam, quando voluntas operatur, & ex operatione hac sequitur peccatum (si tamen operans non influit per se in illud peccatum) non erit voluntarium operanti, quando non adsit praeceptum impediendi. Exemplum est de Scandalo passiuo. Sic pauper, necessitate coactus, petit mutuum ab vsurario, etiamsi sciat, vsurarium daturum mutuum cum vsura; potest ipse sic subuenire suae necessitati; quia ipse non influit per se in vsurarij malitiam; & ex alio capite cogitur sibi subuenire, nec potest aliunde. 37

Obiicies primò contra tertium assertum. Si ille, qui vidit, nauem mergi, haberet expressam voluntatem non subueniendi, cùm possit, eo animo, & fine, vt mergeretur; non minus ei esset voluntarium, nauim submergi, si non deberet ex praecepto subuenire, quàm si deberet.

Respondetvr, tunc submersionem fore volitam, non tamen voluntariam, quod diuersum est; Nam vt res aliqua sit volita, sufficit, quòd voluntas in eam feratur, licèt voluntas non sit causa illius; vt autem res sit voluntaria, requiritur, vt voluntas in eam rem feratur expressè; oportetque vt effectus ad voluntatem, tanquam causam influentem, reuocetur; ad hanc autem non potest referri euentus ex omissione, nisi quando ille, qui non impedit euentum, debebat impedire, & quod dico de volente, dico etiam de remouente impedimentum, verbi gratia, Temonem. 38

Obiicies secundò. Per vos euentus esset voluntarius cum praecepto: ergo & sine eo. Probatur Consequens: Quia praeceptum fit solùm de re voluntaria; nam voluntarium est obiectum praecepti; non enim praecipitur id, quod à mea voluntate non pendet.

Respondet Vasquez, in euentibus, qui sequuntur omissionem, non esse rationem voluntarij, antequam adsit praeceptum, quia ante non comparantur cum voluntate; tanquam cum causa influente. 39

Respondet secundò cum Caspensi, quòd quando dico, euentum non esse voluntarium ante praeceptum. Loquor de praecepto, quod respicit omissionem, tunc igitur praeceptum supponit, omissio

omissionem esse in nostra potestate; & ideò super eam cadit præceptum, verbi gratia, vt non omittas gubernationem nauis; euentus verò consequens non est voluntarius, nisi adsit moralis obligatio; non enim voluntas influit physicè; sed nec moraliter; quia non adest præceptum, & ideò talis effectus non est liber effectiuè; sed obiectiuè; & ideò, qui tali modo desiderat damnum alterius, & cognoscit ab altero inferendum, excusatur ab obligatione restitutionis; quia non est
40 causa influens in illud. Hæc tamen responsio moderanda est iuxta nostram distinctionem; nam quando ex vno aliud sequitur præcisò: *Quod est causa causæ, est etiam causa causati.* Nec satis respondent, verum esse, quando influit in causatum, omissio autem non influit.

Contra enim est. Quia, cùm influat in omissionem, quæ facit vnum cum effectu; sequitur, vt influens in omissionem, influat etiam in consequens, eò magis, quia omissio est cum actu coniuncta, potente influere. Quod si omissio non est capax causationis actiuè, eò quod est priuatio; neque erit capax passiuè, quia ens positiuum in ente positiuo recipitur; esto sit priuatum illâ formâ.

Obiicies tertiò. Voluntarium est, quod est ab ipsa voluntate, non coactâ, neque ignorante. Sed hoc est etiam sine præcepto: ergo.

41 Respondet Caspensis, quod præceptum non mutat esse Physicum illius rei, Vnde est volita, attamen mutat esse morale, ne sit voluntaria; Ideò in materia iustitiæ, quando est obligatio ex officio, vel contractu, tenetur resarcire damnum omissionis, perinde, ac si positiuè operando, causa fuisset; non sic, quando non adest præceptum, vel contractus, vel alia obligatio, quia tollitur moralis influxus in effectum, in quem non refertur obligatione.

QVÆSTIO IV.

Quid sit Inuoluntarium coactum, & Violentum.

D.Bonau.in 3.d.39. art.3.q.2.

42 NOta è D. Bonauent. Inuoluntarium propriè non sumi merè negatiuè, sic enim etiam motus lapidis sursum erit inuoluntarius. Neque priuatiuè vt dicit negationem in subiecto apto, & complectitur omne id, quod non oritur è voluntaris consensu, quod est impropriè Inuoluntarium; vt docet Aristoteles, 1. *Eth.cap.*1. Sed Inuoluntarium propriè sumitur contrariè, & est illud, quod est contra actum positiuum, seu appetitum elicitum, voluntatis, vt notat Diu. Bonauent. *in 2. dist. 25. quæst.4. argum.*]1. & post eum Suarez *prim secunda, tract.*20. *disp.*3. *sect.*1.

34 Vt autem cognoscatur ratio huius inuoluntarij, debet oppositus actus percipi, qui est absolutum nolle; nam (*nollem*) conditionatum, quale est eius, qui inuoluntariè moritur, & nollet mori; non sufficit. Ad Inuoluntarium igitur simpliciter requiritur, vt sit contra positiuum effectum de se efficacem ad impediendum contrarium motum, quantum est ex parte operantis; si enim simplex affectus sufficeret, multa fierent Deo inuoluntaria, quia voluntate antecedente nollet, verbi gratia, peccata & pœnas, &c.

Ex his habes, quomodo se habeat inuoluntarium, & violentum. Violentum enim, teste Aristotele 3. *Eth. cap.* 1. est, quod est ab extrinseco, non conferente vim passo. Requiritur ergo primò, vt non sit à principio intrinseco. Secundò, vt passum non cooperetur, non consentiat, imò repugnet, vt notat Scotus *in* 4. *d.ist.*29. & ideò ab Aristotele *sect.*1.*probl. sect.*6. & *lib.* 2. *Eth.* dicitur contra naturam. Idem habet Suarez *loco cit. n.*5. vbi hanc doctrinam Scoto adscribit, quam ipse hausit è D.Bonauent. *in* 2.*dist.*25. *part.*2. *quæst.*5. *in corpore*, explicitum etiam in argumentis, maximè vltimo, vbi elicitur, sufficere; si sit contra appetitum passiuum, qui est naturæ pars: ergo, quæ sunt contra appetitum passiuum, sunt contra naturam. Ità hoc sentit etiam Scotus *in primo, dist.*18. *quæst.* 1. contra Vasquez *disput.* 25. *cap.*3. Confirmatur, quia materia est natura, & habet appetitum suum passiuum, contra quem potest vis inferri, malè autem negat Vasquez, materiam esse naturam. 44

Dices: sequeretur, vnionem hypostaticam esse violentam humanitati Christi. Probatur, quia per hanc priuatur propria personalitate, qua postulat terminum. 45

Respondetur, id sequi etiam in sententia Vasquez: Nam humanitas habet vim actiuam effundendi hypostasim suam.

Respondetur secundò, non pati violentiam, quia supponitur alia nobilior, fungens munere intento subsistendi.

Ex his habes, violentum latius esse, quàm inuoluntarium; nam illud complectitur omnes naturas, contra quas pugnat; at inuoluntarium solam naturam rationalem, & improprio modo etiam sensitiuam. Ex parte verò obiecti inuoluntarium latiùs patere potest, quia complectitur omne id, quod est obiectum voluntatis, & potest recusari actu elicito; obiectum autem voluntatis est magis amplum. 46

Habes quoque, quid sit coactum. Est enim id, quod est contra actum appetitus eliciti, vnde solis cognoscentibus competit cogi, non inanimatis, quæ violentiam quidem patiuntur, non coactionem. Sæpè tamen pro eodem sumitur, vt patet è D. Bonauent. *in* 2.*dist.*25. *part.*2. *quæst.*4. & 5. & D.Thom. *primâ secundæ, quæst* 6. *art.*4. & 5. post Aristotelem 3. *Eth. cap.*1. & *lib.*2. *ad Eudemum.* 47

Quoad diuisiones: Nota, ex oppositis membris Voluntarij allatis, elici etiam membra Inuoluntarij, hoc excepto, quod ea Voluntarij membra, quæ ab intrinseco sunt, non possunt conuenire Inuoluntario, quod est contra voluntatis intrinsecum. Tale est Inuoluntarium Causale, seu principiatiuum, & effectiuum. Similiter nec datur Inuoluntarium indirectè absque actu (si datur tale voluntarium.) Ratio est; quia si tollatur omnis actus, erit quidem priuatiuè voluntarium, non tamen contrariè. Cætera vide in Suarez *disp.*2.*sect.*1. *à numero* 10. 48

E definitione Violenti habes, violentiam esse in passo. Vnde Actionem, vt talis est, sequitur non posse esse violentam agenti, ratio quoque est, quia actio, vt ab agente, non potest dici extrinseca ipsi agenti. Prætereà agens, vt agens, non patitur violentiam, sed infert. 49

An verò in sola carentia actus, sit violentia, vt cùm graue impeditur, ne descendat, affirmant Aristoteles 2. *ad Eudemum*, Durand. *in* 2. *d.*23. *quæst.*9. Medina *prima secundæ, quæst.*6. *ad art.*5. & alij; at Palud. *in* 4. *dist.*29. *quæst.*1. *art.*1. Caietan. 1.*part. quæst.*

quæst. 82. *art.* 1. Suarez *loco citato*, *sect.* 1. negant. Ad Aristotelem respondet ibi Suarez, eum velle carentiam motus, non autem actionis esse violentam: ait enim: *Quando foris quispiam, præter impetum intrinsecum mouerit, sedauerituè, id vi fieri affirmamus.* Verbum autem (*sedare*) non significat propriè carentiam actionis, sed motus; vt significet quiescere, & in hoc reperiri potest violentia, vt patet in exemplo lapidis detenti in alto.

50 Enim verò quies est violenta; quia est contra appetitum illius naturæ, quæ motu vtitur, vt instrumento, ad locum suum consequendum, puta contra nixum grauitatis in lapide. Prima sententia videtur ad mentem D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 25. *part.* 2. *quæst.* 5. *ad penultim.* & probatur ad hominem contra Suarez. Nam ipse *disp.* 2. *sect.* 4. *num.* 7. dicit, Deum priuando voluntatem aliquo habitu, & actu, inferre ei vim; quia priuat eam intrinseca, & naturali perfectione, ad quam habet naturalem capacitatem, & propensionem, & ideò conuenite ei definitionem Violenti Aristotelicam. Tunc arguo sic, sed priuare actu, est priuare perfectione vitali, ad quam voluntas habet capacitatem, & propensionem: ergo.

51 Respondet, actionem, vt ab agente, non esse perfectionem agentis. Esto ipse actus, quatenus perficit voluntatem, vt forma perficiat. Contra: quia esset assecutio finis potentiæ: ergo est bona, & concupita, vt patet manifestè. Nam frustra est illa potentia, quæ non reducitur ad actum, quando debet. Miror virum cordatum hæc dicere.

Obiicit Suarez. Dupliciter potest impediri actio creaturæ. Primò naturaliter, vel è resistentia passi, aut ex instantia, vel alio defectu conditionis alicuius necessariæ ad actionem, & tunc nulla est violentia; quia naturale est agenti, agere positis omnibus requisitis, & iuxta proportionem suæ virtutis supra resistentiam. Secundò potest carere actione supernaturali per subtractionem Diuini auxilij seu concursus, & in hoc esset violentia; quia concursus ille non est adeò debitus, vt carentia, seu subtractio eius sit violenta, sicut nec est iniuriosa. Negato autem concursu Dei sequitur naturaliter, vt creatura non valeat. Confirmatur: quia in hac carentia agens non habet rationem passi, nec priuatur aliqua perfectione; Aristoteles autem definit violentiam in ordine ad passum.

52 Respondet S. Bonauent. *loco citato*, Suppositâ naturâ datâ cum illo appetitu, eodem passu institutum esse ordinem diuinorum concursuum, ei debitorum. Itaque quod ignis nequeat calefacere, stante naturâ ignis, violentum est; licèt ex alio capite, quatenus ignis subditur Dei obedientiæ, ad omnia verti non renuat, vt fatetur Suarez *sect.* 3. *num.* 5. & mox dicam. Addo, etiam quando naturali ordine creatura detinetur ab alia, verbi gratia, lapis à fune; esto sit naturale naturæ vniuersali, sicut ascendere aquæ ad remouendum vacuum, attamen naturæ particulari lapidis vis infertur (esto vis illa sit in ordine naturæ, vt dicit totam seriem causarum, vt fatetur Suarez *loco adducto*.)

53 Hinc soluitur ea quæstio: Vtrum Deus inferat vim creaturis; de quo Suarez *sect.* 3.

Negant multi. Quia omnes debent intrinsecè obedire Deo. Sic Conradus *p. secunda, quæst.* 6. *art.* 4. Caietan. 1. *part. quæst.* 82. *artic.* 1. & *tertia part. quæst.* 44. *art.* 2. Fauet S. Thom. *quæst.* 1. *de pot. art.* 3. *ad* 1. & *quæst.* 6. *art.* 1. *ad* 17. & 1. *part. quæst.* 105. *art.* 6. cum D. Bonauent. *loco citato*, esto admittat violentiam respectu appetitus singularis; vt singularis est; non prout subiicitur Diuino imperio. De hoc egi 1. *part. tract.* 1. *d.* 11. *quæst.* 9.

Oppositvm censet D. Thom. *quæst.* 6. *de pot. art.* 1. *ad arg.* & *quæst.* 13. *de verit. art.* 1. *ad* 2. & 3. & *in* 2. *d.* 18. *quæst.* 1. *art.* 3. Scotus, & alij.

Probatvr à Vasquez *num.* 4. Quia Deus operatur tanquam agens extrinsecum, & potest passum non conferre vim actioni eius: ergo talis actio erit violenta creaturæ, etiamsi à Deo fiat. Minor probatur. Quia si Deus moueat lapidem sursum, non minùs erit violentum, quàm si ab homine iaceretur. Confirmatur; quia, vt notat D. Bonauent. & post eum Suarez *num.* 3. appetitus naturalis non respicit immediatè agens, sed formam, & appetitum, & consequenter mutationem, qua non variat appetitum naturalem, si illa sit eiusdem rationis. 54

Adde, appetitum illum esse necessarium in creatura, & Deum agere, vt agens superius, non vt authorem naturæ, vt notat Suarez *num.* 7. Confirmatur adhuc: Quia sola potentia obedientialis non fundat appetitum naturalem, sed solam non repugnantiam: ergo si aliunde forma, vel mutatio facta in passo, est contra illius naturam, non erit satis obedientialis potentia respectu agentis, vt non sit violenta; sicut si Deus moueat brutum contra appetitum elicitum eius; nihilominus illa motio erit coacta; nam licèt in bruto possit considerari potentia ad obediendum Deo in illo motu, nihilominus illa non excludit appetitum elicitum, cui motio illa est contraria; sicut nec excludit appetitum quoque naturalem, cui etiam motio Diuina potest esse contraria, vt notat Suarez *ibi.* Sed hæc non sunt consona nobis, vt dixi 1. *part. tract.* 1. *d.* 11. *quæst.* 9. & dicam *quæst. sequenti.*

Addendvm verò cum Suarez. Quando Deus mouet creaturam ad formam supernaturalem, nullam illi inferri violentiam. Probatur ab eo. Quia non operatur contra appetitum, sed supra eum, & quidem, quando non priuatur natura aliqua suâ formâ, clarum est; Quando verò priuatur, vt in vnione hypostatica humanitatis Christi ad Verbum, & in conseruatione accidentium sine subiecto, iam dictum est suprà. 55

Ad argumentum oppositum dico è D Bonauent. probare, actum illum esse violentum naturæ singulari.

QVÆSTIO V.

Vtrum Deus posit coactionem seu vim Voluntati creata inferre.

D.B. d. 25. p. 1. q. 4. & 5.
D.Thom. q. 10. art. vlt.

Mvlti distinguunt coactionem à violentia, vt hæc sit veluti genus extendens se ad omnia; at coactio sit violentiæ species contra appetitum agentis è cognitione. Non enim propriè inanimata dicuntur cogi. Ità Durand. *in* 2. *d.* 25. *quæst.* 4. Angestus *c.* 3. *Moral. text.* 9. *notab.* 3. Eustratius 3. *Eth. cap.* 1. & 3. Medina *hic*, *quæst.* 6. *art.* 4. Vasquez *d.* 25. *cap.* 1. Tanner. *d.* 2. *quæst.* 1. *dub.* 4. & D.Bonauent. *hic.* Attamen aliquando attribuitur coactio 56

coactio etiam inanimatis. Sic interpres Aristotelis 2. *Eth. Eudem. c.9.* ait, Ignem vi coactum deorsum ferri, vt aduertunt Tanner. *num.53.* Valentia *q.1. p.3.* & D. Bonauent. adductus *q.4. & in 2. d. 41. dub.3.* & *in 4. d.4. p.1. art.2. q.1.* & *d.29. q.1.* Præcisè autem coactionem vocant, quæ est contra actionem voluntatis.

Nos hîc videbimus: An possit absolutè voluntas cogi. In voluntate autem sunt habitus, actus, & priuationes eorum, & de his omnibus agam.

57 PRIMA opinio est assertiua absolutè, posse Deum cogere voluntatem. Ità Medina *q. 6. art.4.* & alij, quos sequuntur Suar. *sect.3.* Vasquez *d.25. cap.4.* Salas *d.2. sect.5.* Arriaga *d. 10. sect. 2.* Caspens. *d.2. sect.8.* Ouiedo, & alij, quibus subscribit Tanner. *d.2. q.2. dub.5.* Morand. *tract.2. q.6.* & videtur D.Thom. *q.6. de pot. art.1. ad arg.* & D. Bonauent. eò quòd dicat, inferri violentiam naturæ particulari creaturæ; esto obedientiali potentiâ sit ad Deum prompta. Sed, vt dicam *ad 2.* S.Doctor oppositum deducit apertè.

SECVNDA sententia est Caietani *1. part. q.82. art.1. & 3.* & *q.44. art.2.* Conradi, Victoriæ, quibus subscribit Caraffa *d.2. num.2.* Pasqualigo *d.16. sect. 4.* negantium, Deum inferre vnquam violentiam creaturæ.

58 ASSERO primò, licèt Deus possit omnipotentiâ necessitare Voluntatem ad recipiendos Habitus, non tamen potest coactione violentiam inferre.

59 PROBATVR: quia vel ille habitus est supernaturalis per se infusus, & hic est quidem supra naturalem appetitum, & capacitatem, non tamen contra eum, cùm eximia sit eius perfectio. Vel est infusus per accidens, atque natura sua acquisibilis; & hic est appetitui consonus. Hæc est ratio D. Bonauent. *loco citato ad argum.* qua vtitur Suarez *disp.2. sect.4.*

DICES primò cum Caspensi. Possunt hi habitus infundi contra voluntatem elicitam: ergo sunt violenti. Respondetur, non infundi contra naturalem inclinationem.

Dices secundò. Potest Deus infundere habitum vitiosum, contra inclinationem appetitus ad bonum honestum.

60 RESPONDET S. Bonauent. *loco citato fund.1.* è D. August. *super Genesim ad litt.* non posse Deum facere contra naturam, quam bonam instituit: sicut non potest facere contra voluntatem suam. Iam igitur, cùm naturæ dederit appetitum rectum ad bonum honestum, vt hoc recipiat; non oppositum; non potest ipse contra naturam bonam agere, seipso solo infundendo habitum vitiosum; alioqui faceret contra propriam voluntatem. Idem respondet Suarez *loco citato, num.3.*

ASSERO secundò, posse Deum hanc vim inferre voluntati, vt eam cogat carere, & priuari quocumque actu, vel habitu.

61 PROBATVR à Suarez *n. 5.* & Tannero *n.59.* argumento D.Bonauent. *quæst. ad lucta in corpore, & argumentis primo loco, additis responsis.* Sumitur autem ratio è Diuina omnipotentia, quæ potest impedire, & suspendere suum concursum.

CIRCA actus verò est aliqua difficultas; quia hi actus necessarij sunt ab intrinseco: ergo non sunt violenti. In contrarium verò est, quia Deus potest necessitare voluntatem ad actum, naturâ suâ liberum, & aliquo modo contrarium inclinationi naturali, verbi gratia, ad appetitum non existendi: ergo ibi intercedit violentia.

PRÆMITTO, posse Deum necessitare voluntatem ad operandum, quando illa de se nullam haberet necessitatem, & est sermo de necessitate simpliciter, quæ tollat libertatem in actu. Ità communiter Theologo *in 2. d. 25.* vbi D. Bonauent. *in hac quæst.* D.Thom. *prima 2. q. 6. art.4.* Scotus *in 4. d.49 quæst.6. § Dico ergo.*

PROBATVR à Nominalibus. Quia Deus potest efficere se solo actum illum in voluntate, ea se habente merè passiuè: ergo hoc modo potest eam necessitare ad volendum, vel nolendum. 62

ENIM verò contra est, vt arguit S. Doct. *hic.* Actus vitalis non potest esse, nisi ab ipsa potentiâ vitali sit.

PROBATVR ergo à D.Bonauent. *hic;* quia Deus cùm sit omnipotens, potest mouere creaturam, vt agat ad nutum voluntatis suæ. *Cor enim Regis in manu Domini: & quocumque voluerit, inclinabit illud.* Prou. 21. Sic arguit & Bassæus *v. Act. Hum. num.16.*

HOC verò ità fieri docet D. Bonauent. quem sequitur Suarez *num.16.* concurrendo ad actum voluntatis aliter, quàm natura libera voluntatis exigat, scilicet adaptando suum concursum indifferentiæ voluntatis. Itaque potest exhibere suum concursum determinatum ad hunc actum, & tunc manebit libertas in actu primo; attamen ad hunc actum non erit libertas, *hic,* & nunc, Deo sic concurrente. 63

DICES, sequeretur, in eo casu concursum Dei esse priorem actiuitate, & priùs Deum influere, quàm voluntatem creatam, sed hoc est falsum: ergo. Probatur sequela; quia tunc creata voluntas operaretur, non se determinando, sed determinatâ à Diuino illo concursu. Minor probatur. Quia concursus Dei non est actio distincta à nostrâ, sed ipsa nostra actio è duabus causis orta: ergo inter hæc non potest dari prius.

Respondetur negando sequelam. Ad probationem respondetur, ibi solùm probari subordinationem humanæ voluntatis respectu Diuinæ cooperationis, ità, vt hac efficaciter mouente, necesse sit, eam operari. Vide Suarez *num.18.* 64

ASSERO tertiò, in hac necessitate non interuenire propriè violentiam voluntatis.

PROBATVR: Nam actus ille est ab intrinseco, cùm sit vitalis, & aliquo modo consentaneus appetitui naturali; qui vel est appetitio boni, vel fuga mali; vt docet D.Bonauent. *hic,* & *in dist.49. 1. part. quæst.2.* & post eum Suarez *in calce sectionis.*

ASSERO quartò, non posse voluntatem cogi ad actum elicitum ab ipsa. Ità D. Bonauent. *in 2. dist. 25. part.2. quæst.4. & 5.* D.Thom. *prima 2. quæst.6. art.4.* & alij Theologi *in 4. d.25.* vbi Richard. *art. 4. quæst.1. & 2.* Durand. *quæst.4.* & *in 4. d.29. quæst.1.* Scotus *quæst. vnic.* Maior *quæst.1.* quos adducit, & sequitur Suarez *disput. 2. sect.5. num. 6.* Pasqualigo *sect. 8. d. 16.* Tanner. *dub. 5.* & communiter apud Morand. *tract. 2. quæst.6.* Vasquez *disp.26. cap.1.* 65

PROBATVR primò à D.Bonauent. *in corpore,* & *in 3. argumento quæstionis 5.* ratione euidenti, quæ est etiam D.Thom. quam adhibet Suarez *ibi,* Tannerus, & Vasquez *disp.26. cap.2.* optimam vocat. Et Durand. *in 2. d. 25. quæst.1.* assumit, cum Caspensi, *sect. 8.* Actus elicitus à voluntate est per se intrinsecè voluntarius, vnde hoc est per seipsum inseparabile ab ipso: ergo non potest esse simpliciter inuoluntarius: ergo neque coactus. Quam rationem attigit D. Anselmus *Dial. de lib. arb.* dicens: *Torqueri, occidi potest homo inuitus, quia non potest velle;* 66

velle, nolens velle; nam omnis volens omne suum velle necessariò vult. Hanc iisdem verbis habet etiam S. Bonauent. dicens, alioqui futurum, vt voluntas vellet, & non vellet, & nolens vellet. Eandem rationem habet D. August. 5. *de ciuit.cap.*10. & S. Bernardus *lib.de lib.arb.*

67 CONFIRMATVR: Quia actus elicitus à voluntate necessariò est intrinsecè ab ipsa, cùm sit vitalis: ergo non potest illi esse coactus; nam coactum conuenit cum violento in hoc, quod oportet vtrumque esse à principio extrinseco. Esto enim posset Deus creare, vel excitare illum actum in voluntate; attamen non erit formaliter actus voluntarius, vt notat Tannerus.

Dices: Potest Deus facere, vt voluntas aliquid velit, quando velle nollet durante in ipsa hac volitione: ergo tunc cogeretur voluntas.

68 Respondetur, quod si voluntas necessitatur, aut efficaciter mouetur, vt actu absoluto aliquid velit, non poterit tunc manere in illa absolutus actus, quo nolit per alium actum; nam tales actus sunt absolutè contrarij, & repugnantes. Ità respondet Suarez *num.*7. è D.Bonauent. *loco citato.*

PROBATVR secundò à D. Bonauent. è D. Augustino *de Genes. ad litt. cap.*1. & *lib.*19. *de ciuitate, cap.*8.

PROBATVR tertiò à S.Doct. ratione, qua vtitur etiam D.Thom. quia Deus vnamquamque rem mouet conuenienter naturæ eius; sed natura voluntatis est, vt in pluribus actibus sit indifferens ad opposita; ac proinde non necessariò mouetur: In cæteris verò (addit Seraphicus) etiamsi necessariò, tamen moueat seipsam, & velit, se velle, quod vult liberè: ergo.

69 PROBATVR quartò à S.Doct. Quia deberet vel tollere naturam, vel, manente naturâ intrinsecâ, & liberâ, implicat eam cogi.

Vbi aduertit, diuersum esse induci, mutari, & cogi voluntatem. Vide S. Doctorem.

Tandem, cùm Deus agat per intellectum, & voluntatem cum causis secundis, & neque suâ scientiâ impediat libertatem, vt ostendi *tractat.* 1. *disp.*13. *quæst.*10. neque sua voluntate, vt ostendi ibidem, *disp.* 21. *quæst.* 20. sequitur, nullo pacto ab eius efficientia nostram temerari libertatem.

OBIICIES primò, *Lucæ* 14. dicitur: *Compelle intrare*, sanè homines. Et Ioan. 6. *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit.* Et Prou.21. *Cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit inclinabit illud.*

RESPONDET S. Doctor, hæc dici, non quia Deus cogat voluntates, sed quia non solùm inducit, sicut agens creatum, sed immutat voluntatem moraliter proponendo ea, quibus scit efficaciter eam allici, nempè scientiâ mediâ.

OBIICIES secundò. Omnis creatura est in perfecta obedientia Creatoris. Sed Deus potest de aliis creaturis facere contra propriam naturam: ergo & de Voluntate.

70 Respondet S. Doct. potiùs inferri oppositum; quia enim voluntas Deo est perfectè obediens, veluti pila in omnem partem, iuxta propriam naturam intrinsecam, qua manente, non potest alio modo; ideò liberè mouetur, nec cogitur per obedientialem potentiam. Quantùm verò ad virtutem naturarum, infertur per miracula rebus singularibus, seu naturæ particulari violentia; non tamen vnquam voluntati, dum manet voluntas; quia semper libera est.

71 Ex quo habes non rectè à Tannero adduci S. Bonauenturam pro sententia assertiua.

Ex dictis soluitur alia quæstio, quæ est quarta D. Bonauenturæ: An liberum arbitrium possit ab aliquo creato cogi. Si enim Deus non potest cogere; multò minùs creaturæ. Confirmatur à S.Doct. Si enim Diabolus, de quo dicitur, *Non est potestas super terram, quæ ei comparetur*, Iob. 40. Vel Tyrani intentatione mortis non valent inferre voluntati vim: vt constat in SS. Confessoribus, & Martyribus, multò minùs poterunt nos cogere alij quocumque motiuo minùs terribili, quàm sit mors intentata à Tyrannis, & minùs delectabili delectationibus, quas vehementissimè vrget Diabolus.

Addit tamen, voluntatem allici posse, per vehementem oblectationem obiecti. 72

OBIICIES primò è Damasceno 2. *de fide, c.* 24. & Aristotelem 3. *Eth.cap.*1. Quæ metu fiunt actiones, sunt mixtæ inuoluntario; vt iactare merces in Mare; hoc autem est violentum.

RESPONDET S. Doctor actionem exteriorem posse esse coactam; at actus internus est liber, etiamsi metu fiat, vt patet de negatione Petri ob timorem, & aliis, quæ inducunt quidem, sed non cogunt. Talis quoque est iactus mercium in mari. 73

OBIICIES secundò. Maior virtus potest vim minori inferre; sed Angelus est hominis voluntate potentior: ergo.

RESPONDET, ad summum Maiorem veram, secundùm quod potest agere, & virtutem exercere in minorem; at virtus Angeli non potest agere in liberum arbitrium, quod æqualiter in vtroque viget, imò est in Angelo, & homine ab intrinseco naturæ, contra quam, Solus Deus destruendo valet.

OBIICIES tertiò. Si potest voluntas impediri ab actibus suis; potest etiam cogi, sed potest impediri à Diabolo per frenesim, vel furiam: ergo.

RESPONDET S. Bonauent. posse actum impediri per accidens; sed hoc non est cogere; quia coactio dicit actum liberi arbitrij, & simul, quòd non sit à principio intrinseco, quod implicat; vt dicam *disp.*6. *quæst.*5. 74

OBIICIES quartò. Magis iungitur anima corpori, quàm radius aquæ; sed mota aqua mouetur radius: ergo moto, & coacto corpore, cogetur anima.

RESPONDET S. Bonau. arctiùs animam iungi; quia substantialiter physicè vnitur; sed voluntas superstat dominio suorum actuum, præsidens ipsi corpori; imò separari potest à corpore, quod non potest accidens à subiecto.

OBIICIES quintò. Sicut se habet intellectus ad verum; ità affectus ad bonum. Sed intellectus compelli potest ad credendum aliquod verum: ergo.

RESPONDET S. Doct. non esse parem rationem; quia libertas arbitrij se tenet magis ex parte affectus, qui est liber, non naturalis, sicut intellectus. 75

OBIICIES sextò. Dispositio iterata fit sufficiens, & efficax; sed potest homo induci quadam coactione metus, vel similis, quæ est dispositio ad perfectam coactionem: ergo tandem cogi potest.

RESPONDET S. Doctor, quod etsi inductio per metum dissoluat contractus; eò quòd non relinquat in plena libertate, maximè si sit metus cadens in virum constantem, qui cogit sanè ad opus extrinsecum, non tamen cogit intrinsecè libertatem; vnde talis metus non excusat à culpa, vt constat in Petri negatione, & ideò non sequitur, quòd 76

si

si possit induci, possit etiam cogi; nam inductio est semper extra genus coactionis internæ, ac proinde etiamsi millies ingeminentur, non constituet coactionem. Præterea inductio, semper relinquens libertatem non facit dispositionem, qualis est naturalis, necessariò tandem inducens formam.

QVÆSTIO VI.

An possit Voluntas humana simpliciter cogi ad actus aliarum potentiarum, quæ subduntur imperio Voluntatis.

D. Bonauent. loco cit. quæst.4.
D.Thom.q.7.art.4.

NOTA, *hic* non quæri: An actus in sensu composito possint esse coacti; nam eo ipso erunt à principio intrinseco; sed quæritur de actibus imperabilibus: An fieri in homine queant, eo nolente.

ASSERO affirmatiuè. Ita communiter Theologi, quos refert Salas *sect.6. disp. 2.* Morand. *tractat. 2. quæst. 6.* cum Diu. Bonauent. *hic*, & Diu. Thom. apud discipulos, & Caspensis *disput. 7. sect. 8.*

77 PROBATVR. Plus potest Deus in voluntatem, quàm homo in brutum; sed homo potest cogere brutum: ergo & Deus hominem, quoad actus imperatos. Sic damnari in abysso detinentur. Confirmatur à D.Bonauent. *quæst.5. ad vltim.* experientiâ, cùm quis inuitus flectitur genibus ante Idolum detestatum: Tunc enim excusatur à culpa, quia ille actus est passio ab extrinseco, non conferente voluntate vim. Ratio autem à priori est; quia voluntas est finitæ efficientiæ; ideò potest ab agente fortiori superari, & vim pati ad talem actum, *verbi gratia*, exhibendi thus Idolo; ac prode sunt actiones coactæ, non vt sunt actiones; sed vt passiones, *verbi gratia*, cùm inuitus audio

78 obscœna, cogitur voluntas. Itaque violenti sunt, non vt actus vitales talis potentiæ, quia à principio intrinseco prodeunt; nam potentia auditiua audit obscœna, quæ sub obiecto suo audibilium continentur; vt docet Durand. *in 2. distinct. 15. quæst.3. & 4.* Almainus, Paludanus, adducti, & approbati à Suarez *sect. 6.* contra Medinam *prima 2. quæst. 6. art. 5.* Scotum *in 4. distinct. 29. quæst.1. art.1.*

DICES. Potentiæ naturaliter obediunt voluntati: Cùm ergo illi actus sint violenti voluntati, erunt violenti etiam ipsis potentiis.

79 RESPONDETVR, obedientiam potentiarum in hoc esse, vt ab ea possint applicari; attamen & ipsæ habent proprios actus naturales, qui sunt à principio intrinseco potentiæ ex appetitu eius ad proprium obiectum, tametsi vt actus humani sunt, coacti esse valeant. Ità igitur actus audiendi quæcumque, proximè est naturale potentiæ auditiuæ.

QVÆSTIO VII.

Vtrum, quæ ex metu solo fiunt sint, voluntaria simpliciter, ratione metus.

D.Thom. quæst.6. art.6.
S.Bonau. d.2., p.1. art.2. q.4. ad argumenta.

EGIMVS de mero VOLVNTARIO, & INVOLVNTARIO. Nunc dicendum de actu participante vtrumque; Quod è duplici radice pullulare potest, idest ex affectu, vel passione, aut ex ignorantia. Cùm enim ad perfectionem voluntarij, duo requirantur, idest, quòd sit ex perfecta cognitione, & quòd sit à principio intrinseco; priori conditioni repugnare dicitur ignorantia; de quo infra *quæst.12.* posteriori autem conditioni videtur repugnare passio: omnis autem passio, vel est prosecutio boni, vel fuga mali, quæ sub metu, & concupiscentia comprehenduntur à Diuo Thom. quia hæ duæ affectiones videntur maximè mouere voluntatem; & ideò *hic*, & *in quæst. seq.* de Metu: posteà de Concupiscentia, & Ignorantia erit sermo, tanquam basibus. Ità notat S.Bonauent. *in 2. dist.22. quæst. vltim. ad 6.* 80

ACCIPIO autem facta ex metu solo, vt videamus, quid ipse valeat influere in voluntatis actum; nam si ex alio etiam affectu disparato actus prodeat, verbi gratia, ex amore, non satis apparebit, quid in hoc metus habeat.

ADDO in quæstione (simpliciter:) non sumo autem (*simpliciter*) ex parte obiecti, vel actus ex metu facti, prout significat præcise, & nudè obiectum; considerando quo pacto proiectio mercium in mare dicitur simpliciter, idest per se considerata, absque vtilitate saluandi vitam, non esse voluntaria; sed prout sumitur ex parte operantis, prout dicit id, quod est absoluté, & efficaciter volitum per actum perfectum denominantem absoluté volentem; etsi habeat admixtam imperfectam velleitatem aliquo modo contrariam, quæ explicatur per (*nollem*) quæ: an excludat omnem mixtionem inuoluntarij, sicut videtur sonare particula (*simpliciter*,) videbimus *quæst. sequenti*. 81

ASSERO, ea, quæ ex metu fiunt, esse simpliciter voluntaria. Ità D. Bonauent. *in 2. dist. 25. part.2. quæst.4.* & *dist.41. dub.3.* & *in 4. dist.4. part.1. art.2. quæst.2.* D.Thom. *hic*, Suarez *disp. 3. sect.2. & 3.* Vasquez *disp.27.* Salas *disp.3. sect.1.* Baldellus *disp.15.* Pasqualig. *disp.17. sect.3.* Morand. *tractat.2. quæst.7.* Tanner. *disp.6.* & cæteri apud istos, atque Bassæum, *verb. Act. Hum.2. num.5.* 82

PROBATVR à D.Bonauent. *argum.1.* ex Aristotele *3. Eth. cap.1.* & ex Damasceno *2. de fide, c. 24.* Idem habent Nyssenus *lib. 5. Phil. cap.1.* Anselm. *Dial. de lib. arb.* quos adducit Suarez *sect.1. disp.3.* Caspensis *disp.2. sect.9.*

PROBATVR secundò à D.Bonauent. *ad vltim.* quia, licèt talis actio non sit per se amabilis simpliciter, tamen hic, & nunc proponitur, vt absolutè eligenda, tanquam medium conueniens ad euitandum maius malum; & de facto constituit hominem in actu tali volentem, vt patet in executione; nil enim est tàm absolutè volitum, quàm quod ex intrinseco efficaciter est ad opus redactum. Hac ratione vtitur etiam Diu. Thom. *hic*, & *quodlib. 5. art.10.* 83

OBII

84 Obiicies primò Aristoteles 3. *Eth.cap.*1. ait. Quæ ex metu fiunt, simpliciter esse inuoluntaria.

Respondetur, sumi *simpliciter* ex parte obiecti, modo suprà explicito.

Obiicies secundò. Si ea, quæ ex metu fiunt, semper sunt voluntaria: ergo semper erunt peccata, si sint contra Legem. Præterea contractus ex metu facti, erunt semper validi; sed hoc est falsum: ergo.

Respondet Suarez *num.*7. è D. Bonau. *loc.cit.* formaliter loquendo, verum esse, quidquid ex metu contra legem fit, esse peccatum: quia transgressio legis est mala. De quo vide D. August. 1. *de ciuitate*, *cap.* 18. Dixi autem *formaliter loquendo*; quia potest esse, vt in tali periculo, vel articulo mortis, infamiæ, vel alterius mali, cesset obligatio legis, quia vel est affirmatiua, quæ non obligat pro semper; vel est positiua, quæ non semper obligat cum tanto discrimine; & tunc actio illa facta ex metu, non erit peccatum; non quia non sit voluntaria; sed quia non est contra Legem. Quando verò ratione alicuius incommodi cesset obligatio; passim in Theologia est pertractandum.

85 Aliqua verò habet *hic* S. Bonauent. *loco citato*, quibus ea colliguntur, quæ laxis disputationibus alij prolixiùs tractant. Est autem metus duplex. Alius grauis, qui dicitur cadens in constantem virum: alter Leuis; de quibus 2.2. *tract.de Relig. disput. de Voto*, *quæst.*5. fusiùs disputabitur.

Sæpe igitur metus, grauiter comminatus, qui dicitur cadens in constantem virum, excusat ab obseruantia Legis, vt notat Vasquez Caspensis, & alij, post D. Bonauent. *hic*.

86 Aliquas verò interim regulas dabo, quandonam Lex excuset grauiter territos.

Suppono, territum vsque ad subuersionem iudicij, vel aduertentiæ, ex se indemnem fieri.

Primo igitur, præcepta positiua, à superiore permanantia, & in eius arbitrio posita, cessant; quia cum rationabiliter operetur, non est supponendus tanto cum discrimine præcipere, *verbi gratia*, audire Missam cum vitæ periculo.

87 Secundò, etiam præcepta iuris naturalis positiui, attenta grauitate periculi; cessant non rarò; *verbi gratia*, non teneor succurrere pereunti fame, cum vitæ meæ discrimine; Attamen in præceptis naturalibus aliquando perseuerat Legis obligatio. Sic Pastor tenetur succurrere in spiritualibus suis subditis cum discrimine vitæ, *verbi gratia*, tempore pestis.

88 Tertiò, etiam præcepta naturalia negatiua, cessant aliquando; *verbi gratia*, possum homicilium facere illius, qui me iniquè aggreditur interficiendum. Similiter possum furari a diuite in extrema necessitate, vel etiam in graui, secundùm aliquos. In his enim casibus, vel Ius transfertur, vel facit commune, & omnia fiunt communia iure naturæ. Sicuti in homicidio adimitur mihi obligatio seruandi ius vitæ proprium proximo; nam eo ipso, quod est iniquus inuasor, amittit illud ius; quia non habet ius seruandi vitam, cum discrimine vitæ innocentis.

89 Similiter, & Pastor, & Gubernator nauis ex contractu, vel ex officio amittunt ius seruandi vitam, periclitantibus subditis, vel nauigantibus; quia contractus respicit etiam tempus periculi.

In aliis autem negatiuis, ex genere suo malis, non fit mutatio; vnde nunquam licet mendacium, &c. vt patet in peccato negationis Petri.

Vide D. Bonauent. *loco citato*. Sed de his alibi disputabitur.

Quoad contractus, controuersia est: An ipso iure naturæ fiut irriti; an verò solùm ex sententia Iudicis.

Prima opinio est, nullum votum, promissum, 90
donationem, nullumque contractum, etiam Matrimonialem, eo præcisè, quod ex metu, quamuis grauis sit, irritum esse; esto quidem per legem, aut sententiam iudicis irritetur, nisi metus ab ipsomet contrahentium altero iniustè iniectus causam contractui dederit, seu quando tale voluntarium iniustè extortum est, vel interuenit iniuria inadæquatè pretij.

Priorem partem tradunt Durandus *in* 4. *dist.* 29. *quæst.*2. Paludan. *quæst.*1. *artic.*3. Maior *quæst. vnic.* Soto *quæst.*1. *art.*3. Caiet. *verb. Matrimonium, imp.*7. Medina *hic*, *art.*6. Syluest. *verb. Matrimonium*, 8. *quæst.*11. Armilla *num.*41. Nauar. *in Manual. cap.*22. *num.* 51. Valentia *tom.*4. *de Matrim. quæst.*3. *p.*2. Arboreus *lib.*11. *Theos. cap.*15. Fagund. *de contract. lib.* 1. *cap.* 6. Carbo *quæst.* 46. *de restit.* Petrus Ledesma *de Matrim. quæst.* 47. *art.*3. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 9. *num.* 5. Aragon. 21. *quæst.* 88. *art.*3. *dub.*2. Vasquez *hic*, *disp.*27. *à numero* 17. Tanner. *disp.*2. *quæst.*1. *dub.*6. Sanchez *in Decal. lib.*4. *cap.*3. & *lib.*4. *de Matrim. disput.* 14. vbi viginti tantùm DD. affert pro se; sed pro opposita viginti quatuor.

Secundam partem tenent Sotus, *lib.*6. *de Iust.* 91
*quæst.*6. *art.*4. & *lib.*8. *quæst.*1. *art.*7. Molina *d.*326. *de Iustitia*, Carbo *quæst.*46. *de Restit.* Sà *verb. Controu. numero* 7. post Panormitanum, Hostiensem, & Bartholum; & alij apud allegatos, atque Bonacinam *de contron. d.*3. *quæst.*1. *p.* 2. Caspens. *disp.*1. *sect.*4.

Attamen contra priorem partem stant Diu. Bonauent. *hic ad* 6. & clariùs *in* 4. *dist.*29. *quæst.*1. Scotus *quæst. vnic. art.*2. Gabr. Supplem. *quæst.vn. art.*2. Conar. *capit.*4. *p.*2. *cap.disp.*5. *num.*6. Molina *de Iust. disp.* 326. aliique plures Theologi, & Iurisconsulti, apud allatos pro contraria sententia.

Contra secundam pugnant communiter Iurisperiti, & multi Theologi. 92

Igitur S. Doctor distinguit duplicem metum. Leuis est, cùm quis paruum malum minatur, vel si graue præsumitur non posse implere: Grauis, qui & iustus dicitur, & cadens in constantem virum, est, quando aliquis minatur mortem, mutilationem, & similia, vt seruitutem, stuprum: &c. tunc autem cadit in virum constantem, quando probabiliter præsumitur ille, qui minatur, posse minas implere, nec vitari posse. In hoc metu dicunt iura, consensum non facere matrimonium, præcipuè Decretalis *de Sponsal. & Matrim.* Hæc S. Doct. cui arrident plurimi.

Probatur opinio D. Bonauent. quia Decretalis ideò declarat Matrimonium nullum; eò quòd 93
locus non est consensui, vbi metus, vel coactio interuenit. Ideò exigit, vt vbi consensus communis requiritur, coactionis materia repellatur. *c. Cum locum. C. Consultationi. C. Veniens el.* 2. *de Sponsal.* & *c. Significauit*, quibus locis, supponunt Pontifices, ea esse irrita; & *De his, quæ vi*, non irritatur professio, ex metu extorta; sed tanquam irrita declaratur, & nullus textus eam irritans inuenitur. Ergo supponit eam iure Diuino naturali irritam. Ideò hanc sententiam satis probabilem fatetur Sanchez, quoad Votum *num.*8. & *lib.*4. *d Matrim. d.*14. *num.*2. vbi octo argumenta refert.

Proba

Probatvr tertiò. Si Matrimonium esset solo iure Ecclesiastico irritum, firmaretur iuramento *c. Debitores. c. Ex rescripto. c. Cum contingat de iureiurando, c. 2.* Et *c. Licet de iure iur. in 6.* Sed non firmatur iuramento, *c. 2. de eo, qui duxit.* Ergo est nullum iure naturæ.

94 Huic tamen argumento obstat, quia Matrimonium clandestinum est solo iure humano irritum, & non firmatur iuramento. Sed de his *in Tract. de Matrimonio.*

Altera verò pars consequenter nostra est; quia ob interuenientem accipientis iniustitiam ius nullum ei acquiritur, nec possidendi, vel retinendi, nec vtendi re per talem contractum acceptâ, quam ex omnium sententiâ restituere sine mora tenetur, ipsaque eius rei acceptio, quò ad substantiam, & ex parte ipsius obiecti intrinsecè, & ipso naturali iure iniusta est, non secùs, atque acceptio per furtum. Ergo planè fatendum ipso iure naturali, & in foro conscientiæ, ipso facto tales contractus non minùs, quàm promissa ina-
95 nia esse. Itaque vsurarius, qui accipit vsuras è mutuo, non potest eas tenere, quia deficit titulus legitimus, vt eas accipere valeat, & retinere: neque enim fuit titulo dati, & accepti, siquidem is, qui dedit eas pro mutuo, id est pro vsu pecuniæ nil accepit, pro quo daret, nisi vsum pecuniæ; vsus verò pecuniæ, non est diuersi valoris ab ipso dominio, neque fuit titulus donationis. Nam hic debet fieri liberaliter. Neque titulus gratitudinis, vt patet. Vide etiam Suarez in fine sectionis, Vasq. in calce disputationis. Sed de his 2. 2. *Et 3. part.* adhuc agetur.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum, quæ ex metu fiunt, sint inuoluntaria, saltem secundùm quid, ratione ipsius metus.

D.Thom. quæst. 6. art. 6.

96 Assero, metum causare inuoluntarium secundùm quid. Ità Philosophi, & PP. relati *quæst. præced.* estque communibus Iuristarum, & Theologorum, vt notat Tanner. *d. 2. q. 1. dub. 6.* calculis obfirmatum, vt videbis in Doctoribus, *quæst. 7. allegatis.* Itaque simpliciter est voluntarium.

Probatvr à D. Bonau. primò ex Aristotele *2. Eth. 5.* Damasceno 2. *de fide*, *cap. 24.* Ratio est, quia à parte rei omnibus computatis est volitum; esto cum displicentia, ratione maioris mali apprehensi, iaciuntur ità merces in mare voluntariè, vt declinetur submersio.

97 Signa autem Inuoluntarij sunt primò. Tristitia in actu, v. g. in iaciendis mercibus. Secundum, quòd si sit actus malus, veniâ dignus æstimatur. Tertium, quod opus secundum se non est voluntati amabile.

Vbi aduerte, actum debere è solo metu esse, qui includat inefficacem actum, v. g. *Nollem*, alioqui si ex alio etiam motiuo operetur, non redditur ex metu inuoluntarius, v. g. qui seruat præcepta ex metu gehennæ non imminuit suum voluntarium, nec facit inuoluntarium secundùm quid, non enim dicit: nollem seruare, nisi gehenna instaret; alioqui esset deformata voluntas, vt notat Suarez *sect. 2.* post D. Bonau. *in 3. dist. 34. p. 2. art. 1. q. 2.* At si tristitia aliqua, v. g. mortis, 98
vel gehennæ ad obseruantiam inducat, & sumatur vt materia actus, auget voluntarium, & meritum, vt patet in Susanna, quæ mortem elegit, ne fœdaretur, & in D. Antonio, qui (vt refert D. Athanasius) stimulis carnis agitatus, considerans gehennæ horrores recedebat, & expellebat tentationes; sic etiam Christus Dominus elegit tristitiam mortiferam, è mortis præsentia, vt materiam passionis ad amorem ostendendum. Ità post D. Bonau. *in 2. d. 29. art. 2. q. 1. & 2.* Vasquez, Ouied Baldellus *allegati quæst.* 8. quos vide rectè hac de re differentes.

Obiicies. Inuoluntarium ex metu imperfectum redditur. 99
Quia cum voluntate efficaciter operante, opponitur voluntas, quæ nollet; sed in his, quæ metu fiunt non necessariò coniungitur iste affectus. Quod si aliquando coniungitur ille affectus, non oritur ex metu, sed aliunde. Ergo metus non causat huiusmodi voluntarium. Minor probatur quoad priorem partem; nam, qui vult seruare præcepta ex metu gehennæ, verè operatur ex metu, & tamen non habet illam velleitatem; *Vellem peccare, nisi immineret pœna inferni*; alioqui in hoc ipso iam peccaret. Posterior pars probatur. Nam quando quis metu mortis proiicit merces in mare, nolletque proiicere; hæc nolleitas non oritur ex metu mortis, sed ex diuitiarum amore.

Respondet Suar. *num.* 8. metum non causare 100
inuoluntarium; eò quòd causet illum affectum, à quo denominatur actio inuoluntaria secundùm quid; sed potiùs, quia superat illum affectum, & inducit ad volendam actionem, non obstante tali affectu voluntatis.

Hæc tamen responsio non placet. Nam, cùm, vt superans, eum affectum inducat, & efficiat volitionem, non video quomodo sub hac ratione faciat inuoluntarium; imò facit voluntarium; non enim potest facere volentem, & nolentem, vt ipse Suar. clamat. Eatenus igitur facit inuoluntarium, quatenus opponitur volitioni; opponitur autem inducens illum affectum *Nollem.* Quomodo enim denominatur actio voluntaria ab eo, quod facit illam voluntariam.

Respondetvr ergo, eum, qui seruat præ- 101
cepta è timore gehennæ, non ex hoc solo operari: Ideò etiam hoc excluso non facere, vt homo nollet obseruare, vt colligitur ex ipso Suarez, initio sectionis præcedentis; ideo præciso hoc motiuo, non habere actum; nollem obseruare; si non esset gehenna.

Ad alterum exemplum proiectionis mercium respondetur, metum mortis reddere hominem sic affectum, vt videat sibi imminere amissionem mercium, & vitæ, & nollet amittere vtrumque; magis autem æstimat vitam, quàm merces; & ideò, timens maius malum, proiicit merces; vnde hoc est mixtum, vt ait S. Bonau. *loc. cit.* Reddit autem metus iactum mercium sub diuersâ ratione voluntarium, & inuoluntarium. Voluntarium quidem, quatenus æstimat plus vitam, quàm opes: inuoluntarium verò, quatenus, si posset saluare opes, & vitam simul, nollet alterum amittere; ideò metus simpliciter causat inuoluntarium; amor verò vitæ voluntarium iactum mercium, quæ minùs æstimantur.

QVÆSTIO IX.
Vtrum Concupiscentia augeat Voluntarium.

D.Thom.q.6.art.1.

102 PEr concupiscentiam accipere possumus non modo affectum sensitiui appetitus, quo delectabile prosequimur sensibile, sed etiam voluntatis, quatenus etiam in Voluntate affectus ad rem vnam inducit facilè ad alium affectum; attamen nunc loquimur de concupiscentia sensibili, sub qua comprehenduntur aliæ passiones, quibus appetitus inclinatur ad aliquid appetendum, & quæ de hoc dicemus, ad appetitum etiam voluntatium applicabuntur. Vide D.Bonauent. *In 2.d.32.art.2.quæst.1. & 2.* & *d.25. p.1. q.6.ad 2.*Suarez *d.3.sect.3.* initio.

103 SVPPONO è D.Thom. *prima secun.quæst.76.art.6.* dupliciter esse Concupiscentiam. Altera est antecedens voluntatem, quæ mouet eam ad amorem, iram, &c. Altera est consequens,quam quisque in se excitat in appetitu suo,vt inde promptiùs in obiectum feratur, & hæc,ordine causalitatis,sequitur actum voluntatis, vel directè, vel saltem per quandam redundantiam excitantem in appetitu talem affectum; quomodo fuerunt in Christo, quæ dicuntur Propassiones; vt notat D. Bonauent. *in 3. dist. 15. dub.* 4. & cum illo Theologi omnes 3. *p.* apud Suarez *disp. allegata, n.1.*

104 De hoc igitur non est quæstio, quia comparatur ad voluntatem, vt effectus eius; ergo vt sic non potest augere, aut minuere illam, sed potiùs est signum maioris, vel minoris voluntarij, vt docet D.Thom. *prima secun. quæst.77.art.6.* Probatur Consequens: quia non potest capi, Concupiscentiam augere voluntarium, quin aliquo modo moueat, & causet aliquid in voluntate; sed effectus,vt effectus,nil agit in suum principium: ergo. Quocirca,quando vir studiosus in se excitat passionem, vt constantiùs, aut feruentiùs operetur; illa passio comparari potest, vel ad motum voluntatis, prout ab illo orta est, & vt sic est consequens, & non auget ob rationem factam; Sed est signum voluntatis intensæ; vel potest comparari ad id, quod in voluntate subsecutum est; si fortè ex ea voluntas ansam arripuit agendi posteà intensiùs, & sic habet rationem antecedentis, Et si excitatur consultò à voluntate ad opus, tunc potiùs auget bonitatem actus, vel malitiam, & vt ait D.Thom. *art.7.* est signum magnitudinis peccati in actu prauo; demonstrat enim intensionem, vt aiunt Medina, Valentia, Becan. Malderus, Tanner. *ibi.*

105 PRIMA igitur opinio est, concupiscentiam antecedentem augere Voluntarium, licet liberum diminuat. Citatur D.Thom. *hic.* Ità Valentia *disp. 2.quæst.1.p.5.* Layman *lib.1.tract.2.cap.5.* Castrensis. *disp.2. sect.11.* Medina *prima secun. quæst.6. art.7.* Suarez *prima secun. tract.2. disp.3. sect.3.* Salas *disput.3. sect.3.* Baldellus *disput.24.* Morand. *tract.1. quæst.8.* Tanner. *disp.2. quæst.1. dub.7.* Bassæus *v. Act. Hum.2. n.7.* alios citans.

SECVNDA sententia est, Concupiscentiam minuere voluntarium. Ità D. Bonauent. *tom.6. Operum. De tribus ternariis peccatorum infamibus, cap.3.* & *in Diata salutis Tit. de tribus præceptis, cap.8.* & *in 3. dist. 32. art.2. quæst.2.* vbi tremulationi paralysis comparat concupiscentiam in voluntate,quod est exemplum Aristotelis *primo Eth. cap. vltim.* Idem tenet D. Thom. *hic*, Conradus *ibidem*, & alij, Arriaga *disp.11. sect.4. num.24.* Vasquez *disp. 28. cap.2.* Pasqualig. *disp.17.sect.4.* Fuliensis *lib.1. de Pecc.cap.6.*

Aduerto, LIBERVM, & VOLVNTARIVM non esse duo concomitantia, sed ità se habere, vt liberum sit ratio voluntarij; quo fit, vt, si minuitur liberum, etiam minuatur voluntarium, non enim potest minui ratio essentiæ, quin res minuatur: si enim minuitur essentia hominis,minuitur & homo: Loquimur autem de voluntario perfecto: etenim imperfectum, quo puerulì ante vsum rationis agunt differentes à brutorum spontaneo,non est liberum, vt dixi *quæst.2.* 106

ASSERO primò, Concupiscentiam minuere voluntarium. 107

PROBATVR primò ab effectu. Id, quod minuit peccatum, minuit voluntarium, sed concupiscentia minuit peccatum, reddens illud aliquo modo excusabile: Ergo. Maior probatur, quia peccatum eatenus est tale, quatenus voluntarium. Minor probatur: quia subuertit Cor. *Dan.13* Hæc est ratio S.Doct. *loco adducto.* De tribus ternariis,&c.

Respondet Suarez *num.11.* concupiscentiam diminuere solùm libertatem, non voluntatem. Hæc tamen è dictis ruunt.

PROBATVR secundò à priori. Quantò magis minuitur cognitio, & voluntas agit ex impetu passionis,tantò plus minuitur voluntarium,sed concupiscẽtia ità impellit voluntatem, Ergo.Maior patet; Nam concupiscentia est quoddam extrinsecum animæ. Hæc est ratio Seraphici *locis adductis.* 108

Respondet Suarez *n.13.* concupiscentiam ex vna parte augere cognitionem; auget enim considerationem illius boni,in quod ipsa fertur; minuit verò aliorum bonorum, vel malorum considerationes, & prius augmentum confert ad augmentum voluntatis: Posterius verò minuit rationem liberi,& indifferentis.

Omitto iam explosum principium illud, de Distinctione *Liberi*, & *Voluntarij*; Esto voluntarium liberum in via dicat indifferentiam etiam ad malum.) Esto illa apparitio depereunti ranam faciat apparere Dianam, cum subuertat rationem, vt habes *Danielis c.13.* & ideò hi amantes à sapientibus dicuntur amentes;per eam quippe amantur formæ: sæpè verò deformitatis apprehensio determinat appetitum, alligatum moraliter ad vnum, vt in illud, impetu, brutorum more, feratur,redditque cogitationibus proficuis, & sanctis obsurdescentem; At contrà, ad fœtores olfaciendos, absynthia degustanda rapit;non video qua ratione cognitionis accrementum, malitiam adaugens, hinc expiscatus nobis opponat Suarez, vt concupiscentiæ pœnas adaugeat ex cognitione, quæ longè ab ea rapit,quæ actum ex perfecta ratione humanum cõstituat;cùm passio hæc ferinis modis ad carnes, & sanguines impellat, & obortis tempestatibus, clauo vt ita dicam, rationi penitus extorto, vndis agitatum, scopulis allisum in abyssos misertimè demergat, vt edifferit Aristotelis *6. Eth.cap.5.* Quid Philosophos aduoco? Ipsi in inferno damnati confitentur: *Nos insensati*, &c. Sap.5. 109 110

PROBATVR tertiò à D Bonau. *in 2.d.32. loc.cit.* Quia voluntarium est à principio intrinseco: sed passio sensibilis est voluntati extrinseca, & inducit illam ad consensum, vt notat S.Doct. *in 2. dist.25. p.2. quæst.4.* & 5. Ergo. 111

Hoc fundamento ruit argumentum aduersariorũ, qui hinc probare nituntur, concupiscentiam augere voluntarium,quia auget impetum voluntatis.

Respon

Respondetur enim, augere extrinsecè quoad apparentiam; Quidquid dicat Suarez *numero* 14. Vel dic esse signum rapidi appetitus.

112 Addit Morandus, concupiscentiam causare aliquando mixtum ex voluntario simpliciter; & inuoluntario secundùm quid. Idem dicunt Tannerus, Angestus, Lorca, Raynaudus apud Pasqualigum *sect.* 5. quia potest tale obiectum habere aliquam molestiam, vt furans cum dubio, an in furto deprehendatur. Oppositum sentiunt Vasquez, Valentia, Suarez. Ratio est, quia in hoc distinguitur metus à concupiscentia, quod hæc causat voluntarium; ille verò mixtum, vt docent Aristoteles 3. *Eth. cap.* 1. D.Thom. *art.* 7. *ad* 1. Nyssenus *lib.* 3. *Phil. c.* 1 Damascenus 2. *de fide, c.* 24. Confirmatur. Quia concupiscentia absorbet omnem displicentiam.

QVÆSTIO X.

Vtrum Concupiscentia causet Inuoluntarium.

113 ASSERO negatiuè. Est communis consensus Philosophorum, ac Theologorum.

PROBATVR primò ex Aristotele 3. *Eth. cap.* 1. Gregor. Nyssen. *lib.* 5. *Phil. cap.* 1. & 3. Damasceno 2. *de fide, cap.* 24.

PROBATVR secundò à D.Bonauent. *in* 2. *dist.* 25. *p.* 2. *quæst.* 4. *in corpore.* Quæ fiunt ex precibus; vel beneficiis, vel oblationibus donorum, non censentur inuoluntaria; ideò, licet infideles allicere ad fidem; non autem terroribus trahere; & contractus, precibus impetratus, semper est validus, non autem ex metu.

114 PROBATVR tertiò à D.Bonauent. Id, quod fit cum delectatione, est voluntarium. Talia sunt, quæ fiunt ex Concupiscentia: ergo.

PROBATVR quartò à S. Doct. *in Opusculis addictis, quæst. præced.* Id, quod vetitum est lege, tanquam malum morale inducens peccatum, est voluntarium, & liberum. Talis est concupiscentia: ergo. Minor probatur Eccli. 18. *Post concupiscentiam non eas.* Dan. 13. *Concupiscentia subuertit cor tuum.* Idem habet S. Bonauent. *in* 2. *dist.* 42. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2. & *in* 3. *dist.* 4. *dub.* 1. *litt.*

OBIICIES. Metus causat aliquo modo inuoluntarium: ergo & Concupiscentia. Probatur Consequens. Quia vtraque passio inclinat voluntatem.

115 Respondetur, obiectum Concupiscentiæ esse bonum, ad quod inclinamus; obiectum verò metus est malum, à quo licèt voluntariè fugiamus; tamen voluntas refugit poni in eo discrimine, in quo fugiendum sit malum.

QVÆSTIO XI.

Vtrum Ignorantia causet Inuoluntarium.

116 CONSIDERATVR Ignorantia primò, vt est quoddam speciale peccatum, & pertinet ad materiam de fide, vbi docetur, quid homo, per se loquendo, scire teneatur, peccatum enim ignorantiæ est speciale peccatum, oppositum illi obligatione sciendi. Secundò consideratur, vt est circumstantia peccatorum, & opponitur modo peccandi ex malitia, vel ex passione, & hæc consideratio spectat ad tractatum de peccatis; & de hoc *disput.* 3. *eius Tractatus.* Tertiò accipitur, vt causat voluntarium, aut inuoluntarium, & est huius loci diligens habenda consideratio, quippe cæterarum basis; vt habes in D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 22. *art.* 2. *quæst.* 3. Hinc S.Doct. 2. *p. Centil. sect.* 25. ait, aliud est peccatum ignorantiæ; aliud est peccatum ex ignorantia.

MVLTÆ tradi solent ignorantiæ diuisiones ab Almaino, *tract.* 1. *Moral. cap.* 2. D.Bonauent. *locis citandis*, Castro 2. *de leg. pæn. cap.* 14. Sanchez *lib.* 1. *sum. cap.* 16. Corduba *in Quæstionario, lib.* 2. *quæst.* 1. Suarez *d.* 4. *de Censur. sect.* 8. Valentia *d.* 2. *q.* 1. *p.* 6. Sed quæ ponitur à D.Thom. *hic*, est propria huius loci. Diuiditur autem in ANTECEDENTEM, COMITANTEM, & CONSEQVENTEM quas attingit D. Bonau. *in* 2. *dist.* 22. *quæst. vlt. ad vlt.* & *dist.* 30. *art.* 2. *quæst. vlt.* Clariùs *in Opusculis infrà cit.* Antecedens est, quæ antecedit voluntatem, & effectum indè secutum, causatque effectum, quatenus impedit scientiam, seu notitiam rei, quæ si adesset, non sequeretur effectus. Hæc dicitur etiam iusta, probabilis, inuincibilis. Consequens autem voluntatem, & antecedens effectum, est voluntaria, & dicitur iniusta, improbabilis, vincibilis, causatque effectum, siue quia sit affectata, & volita in se, siue in omissione diligentiæ in discendo, & dicitur crassa, vel supina. Sic ignorantia festi est causa, vt laborem, quod sciens non laborarem. Comitans verò non est voluntaria, nec influit in effectum, vt ignorantia diei festi, quâ amotâ, adhuc laborarem in die illo.

RATIO ergo huius trimembris ignorantiæ, oritur è duplici modo, quo Ignorantia ad actus humanos interuenit. Alia enim est causa actus ex ignorantia *facti*; alia verò non est causa; sed solùm comitans illum. Quod indicat Aristoteles 3. *Eth. cap.* 1. & Nyss. *lib.* 5. *Phil. cap.* 2. dicentes; *Quædam fieri ex ignorantia; quædam verò cum ignorantia.* Idem indicat S.Bonauent. *in* 2. *dist.* 22. *loc. cit.*

NOTA verò, Ignorantiam per se, non posse esse causam voluntarij; nam cum de ratione voluntarij sit, vt è cognitione procedat, potiùs ignorantia, quantùm ex se est, impedit actum voluntatis; & saltem tollit voluntarium directum, vt notat S.Bonau. *in* 2. *dist.* 22. *quæst. vlt. ad* 6. Solùm ergo potest dici causa actus, tanquam remouens prohibens; quia tollit scientiam, quæ si adesset, non fieret actus. Vnde illa ignorantia non dicitur causa actus, sed comitans illum, quando non tollit scientiam impedituram actum, vt v.g. cùm iacis sagittam in dumos, ignorans, ibi esse hostem; illa ignorantia est comitans, quia non tollit eam scientiam, quâ positâ, abstineres te à iaculatione; nam adhuc iaculares; etsi scires, ibi esse inimicum, vt eum occideres, vt suppono. Hæc diuisio est omnibus communis. 119

SECVNDA diuisio Ignorantiæ est in VOLVNTARIAM, & INVOLVNTARIAM, quam magis significant Aristoteles: & Nyssenus *locis citat.* Et Damascenus *lib.* 2. *c.* 24. dicentes. *Aliud esse ob ignorantiam aliquid facere; aliud verò ignoranter facere.* Vltimum membrum dicunt esse, quando ignorantia omninò occupat hominem, & casu illi obuenit, ità vt ille nullo modo sit sibi causa talis ignorantiæ: & hoc est, ignorantiam esse inuoluntariam, non enim sumitur *hic* inuoluntarium rigorosè, vt dicitur contrariè; sed priuatiuè; alioqui non erit diuisio per immediata; vt notat D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 22. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 3. nam datur aliquis nil cogitans de eo, quod ignorat, & tunc circa illud non afficitur voluntariè, nec inuoluntariè. Secundum

dum verò membrum idest, *ignoranter facere* dicunt accidere, quando homo est sibi causa suæ ignorantiæ, per suam electionem.

121 An verò dicenda sit Ignorantia Concomitans quocumque modo accidat; ait Suarez, esse quæstionem de nomine. Aliqui enim volunt, hanc ignorantiam non posse dici COMITANTEM, si voluntaria sit; sed tunc dicendam CONSEQVENTEM, & hic videtur sensus Aristotelis: nam illud solum membrum diuidit, quod est ob ignorantiam facere; in causam, vel non causam actionis: & addit, vtramque ignorantiam facere inuoluntarium: At verò si ignorantia voluntaria sit, etiamsi non sit causa actionis, non reddit actum simpliciter non voluntarium. Ergo de ratione talis ignorantiæ est, vt sit omninò voluntaria, & hæc sententia est vera.

122 ALII verò dicunt, posse dici Comitantem etiam ignorantiam, quæ non est causa actionis, tàm si voluntaria sit, quàm si sit inuoluntaria: De qua infrà. Vide Suarez *disp.*4. *sect.*1. *à num.* 9. vbi Ignorantiam Antecedentem, è mente D. Thomæ ait, esse illam, quæ antecedit voluntatem, tum ignorandi, tum etiam operandi actionem, quæ ex ignorantia fit. Ignorantiam verò Consequentem, esse eam, quæ consequitur alteram voluntatem saltem, puta ignorandi. Concomitantem verò dicit esse illam, quæ comitatur voluntatem; saltem operandi, sed meliùs primò distinxi initio, & videtur diuisio D.Bonauent. *in* 2.*dist.*22. *art.*2.*quæst.*1. *in argumentis secundo loco.* Valentia notat, ignorantiæ differentiam, non esse attendendam penes illud, quod fit ex ignorantia; sic enim omnis esset antecedens, sed considerandam esse penes liberam voluntatem absolutè consideratam ante factum: An sit volita à voluntate, vel directè, vel indirectè, & hæc dicitur antecedens.

123 TERTIA diuisio D. Bonauent. *locis citatis*, est Ignorantiæ in Culpabilem, & Inculpabilem. Vt autem ignorantia culpabilis sit, duo requiruntur. Alterum, vt sit voluntaria, Quia hoc est de intrinseca ratione cuiuscumque peccati. Secundum, vt sit prohibita, seu priuans scientiâ præcepti; nam velle ignorare, quæ quis non tenetur scire, non est culpa.

124 ADVERTIT tamen Suarez cum D. Bonauent. *in* 2.*dist.*22. *loco citato*; Aliud esse ignorantiam esse culpabilem; aliud esse per culpam contractam. Omnis ignorantia, quæ ex peccato nascitur, est per culpam contracta; quia culpâ hominis factum est, vt ignoret, v.g. Si verum est, hominem fide carentem, si per sua peccata non ponat obstacula, fore à Deo illuminandum, optimè dicitur ille homo propter peccata sua manere in ignorantia fidei, & carere Diuina illuminatione; non tamen sat est, vt illa ignorantia sit culpabilis; quia fieri potest, vt sit omninò inuoluntaria; quia nunquam venit homini in mentem cogitare de scientiâ oppositâ. Itaque ignorantia erit Inculpabilis. Primò si sit inuoluntariâ. Secundò, si sit de scientia non præcepta.

125 QVARTA diuisio Seraphici *loco cit.* est Ignorantiæ in Affectatam, & Negligentem: Affectata est directè volita in se, dum aliquis non vult discere ea, quæ necessaria esse nouit, v.g. præcepta distinctè recusat ediscere, noscens, aliqua præcepta ad salutem necessaria; tunc erit ignorantia affectata, siue velit directè ignorare, siue directè velit non adhibere diligentiam debitam, vtroque enim modo directè volet ignorantiam, & hæc est affectata, si sit volita in se; nam si volita sit in alio, potest esse crassa, seu supina; nam hoc voluntarium in alio, inter indirecta solet recenseri. Igitur ignorantia Negligens est, quæ indirectè voluntaria est, quæ cernitur, quando homo tenetur scire, & negligit; si autem negligentia sit magna, erit Ignorantia crassa, seu supina. Vt autem negligentia hæc sit voluntaria, requiritur, vt homo aduertat, vel moraliter aduertere possit, & quid ignoret, & ignorantiam ipsam, & diligentiam, quam valet adhibere ad eam pellendam. Quanta verò debeat esse hæc aduertentia, dicam *quæst.ista.*

QVINTA diuisio Ignorantiæ è D.Bonauent. *locis citatis* est in Vincibilem, & Inuincibilem. Inuincibilis est, quæ humano, & ordinario modo non potest expelli. Vincibilis verò, quæ humano modo potest pelli, siue sit rerum necessariarum; siue non; quod si sit circa scientiam necessariam, reducetur, altera ad Culpabilem; altera ad Inculpabilem. 126

Aliqui tamen, vt Corduba, tenent, posse dari ignorantiam Inuincibilem, & tamen culpabilem, qualis est ignorantia ebrij, quæ iam vinci non potest, & tamen culpabilis est in ebrietate; sed hoc non stat; quia si ignorantia est culpabilis, est voluntaria, & libera: ergo debet esse in potestate hominis eam vincere.

VNDE in exemplo adducto, quamuis aliquis culpabiliter inebrietur, si tamen prorsus non aduerterit, nec moraliter aduertere potuit ignorantiam inde futuram, illa non est culpabilis, licèt ex culpa contracta, vt dixi suprà. Si verò aduertit, est quidem illa ignorantia culpabilis in sua causa, i[d]est in ebrietate, & in eadem vincibilis fuit; posteà verò sicut expelli non potest post ebrietatem; ità iam non est in se culpabilis nouâ culpâ; tametsi prima aliquo modo aggrauetur ex euentu sequenti; puta Incestus Lot. 127

DICES: Quomodo aggrauatur prima culpa? Respondetur ex non euitato periculo, quod aduertit. Ità tenet Suarez *num.*17. post D.Bonau. *loc.cit.* vbi tamen opinionem etiam Cordubæ inducentem nouam culpam; ac proinde ponentem ignorantiam illam ebrij inuincibilem, & tamen culpabilem, existimat probabilem, quem etiam D.Thom. *prima secun.quæst.*76.*art.*1. *ad argumenta* imitatur. 128

Quid autem necesse sit, vt ignorantia sit inuincibilis. Quidam requirunt summam diligentiam, & vt homo se præparet ad gratiam, non ponens impedimentum diuinis illuminationibus. Ità Adrianus *quodl.*4. *quæst.*1. & ex parte Castro suprà. Alij verò dicunt sufficere, si faciat id, quod moraliter potest; non modò potentiâ remotâ, sed etiam proximâ, iuxta suam capacitatem. Ita D.Thom. *prima* 2. *quæst.*76. Alensis 2.*p.quæst.*29. & alij *in* 2.*dist.*22. vbi D.Bonauent. *locis citandis.* 129

OCCVRRIT autem dubium: An ad hoc, vt ignorantia sit vincibilis, requiratur actualis aliqua aduertentia in eo, qui operatur, vt ei imputetur noluisse ediscere ea, quæ scire debebat.

PRIMA opinio est, sufficere aduertentiam virtualem, seu interpretatiuam, vt ignorantia, seu inaduertentia censeatur vincibilis, vocatur autem virtualis; quando etsi nunquam aduertit; debuit tamen aduertere. Ità Zum.*prim.*2.*quæst.*76.*art.*3.*d.*2. *dict.*4. Valentia *d* 6.*quæst.*6. *p.*1.*corol.*5. Suar.*tom.*5. *in* 3. *p.d.*4. *sect.*8.*n.*18. Gerson 2.*p.Alph.*33 *litt. H.* Adrian. *quodl.*7. *art.*1. *ad* 1. Nauarr. *Sum. Lat. prelud.* 1. *num.*17. 130

EIVSDEM sententiæ sunt quidam alij anthores vniuersaliter tradentes, ignorãtiam *Iuris* vincibilem esse, nec excusare, quando ignorantur leges, & præcepta ad statum, vel officium ignorantis pertinentia; quasi 131

quasi ea ignorantia voluntaria sit; quia potuit, & debuit ea præcepta scire. Hi sunt Angelus *verb. Excom.7. casu vlt.* Nauarr. *loc.cit. & cap.23.n.47.* Hugolinus *de censur. notab.* 1. *cap.9.* §. 8. Valentia *d.2.quæst.1.p.6.* Azor.*tom.1.lib.1.c.16.q.5.* Quatuor Magistri, & Antonius apud Ioan.Fauensem *de paupertate.* Eandem sententiam tenent quidam Recentiores apud Vasquez *d.* 107.*c.*2. dicentes, ignorantiam esse vincibilem,nec excusare,quoties ratio iudicat de re agenda, cum sufficienti ponderatione ipsius, & cum aliqua collatione comodi, aut incommodi, necessitatis, & libertatis talis obiecti. Hæc sententia est D.Bonau.*in Speculo animæ,c.3.ad finem,* & aliis locis afferendis,& *in 2.d.22.art.2.q.1. argumentis secundo loco,* & *d.30.art.2.q.1.*

132 SECVNDA sententia est, ad ignorantiam, inaduertentiam, & obliuionem, siue *Iuris*, siue *Facti* censendam inuincibilem, sufficere,vt nulla notitia, nec specialis, nec confusa, nec aliqua dubitandi ratio occurrat. Itá Vasquez *d.*107.*c.*3.& *d.*123.*c.*2.& *d.*124.*c.*2. Sanchez *lib.*1.*Sum.c.*16.*n.*21. Fauent D. Thom. *q.*15. *de verit. art.*4. *ad* 10. Henric. *quodlib.* 6. *q.*32. Gerson 2.*p.in Compend.Theol.* Alphab.20. *litt.D.*Syluest. *verb. Delectatio,q.*1. *dict.*4. Corduba *in quæst.lib.*1.*q.*23.*dub.*10. Doctores verò Complutenses apud Vasquez, qui initio dubitarunt de hac doctrina, eam posteà publicè docuêre.

133 NOTA primò è D. Bonau. *in speculo animæ,c.*3. Ignorantiam culpabilem oriri à negligentia; vt docet D. Aug. *de natura, & gratia*, *c.*67. circa finem, vbi ait: *Non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras; sed quod negligis quærere, quod ignoras. Itaque qui de salute sua diligenter quærit, si ignorat, inuincibiliter ignorat.* Distinguit autem duplicem ignorantiam: *Iuris*, & *Facti*. Ignorantia *Facti* est, quando aliquis facit aliquod malum, & ignorat, quod tale factum faciat, de quo tamen nouit, quod peccatum est; vt cùm quis putat occidere feram, & interficit hominem; vel credit cognoscere suam, & cognoscit alienam. In hoc potest esse tam crassa negligentia in sciendo, vt non excuset. Vnde Lamech, qui putauit occidere feram, & occidit Cain, *Genes.*4. non excusatur.

134 CIRCA ignorantiam *Iuris* aduertit, aliud esse Ius naturale; Aliud Diuinum, & Positiuum. Circa ius Naturale nullus excusatur:Naturaliter enim id scitur. Circa ignorantiam iuris Diuini, scilicet Mandatorum Decalogi, & articulorum fidei, culpa est mortalis. Circa ignorantiam Iuris Positiui,nota, quòd quilibet illa, quæ pertinent ad officium suum, & quæ de iure positiuo sunt, scire tenetur: Et talium rerum ignorantia est mortalis. Hæc tamen ait, per contritionem generalem dimitti.

135 PRIMA *parte Centil. sect.* 7. Primò ponit varias diuisiones ignorantiæ. Primò enim, alia est ignorantia ngationis, quæ simplicem nescientiam dicit, sine aptitudine, vel obligatione,vt in paruulis: alia est priuationis, quæ est in adultis aptis. Alia prauæ dispositionis, qua prauè aliquis ità est dispositus, vt opinetur contrarium fidei, quæ potest erronea dici, & est in hæreticis, diciturque etiam *contraria*. Prima excusat à toto: Secunda à parte, non à toto, dum non adhibet diligentiam: Tertia excusat in toto, si non est materia salutis; de aliis verò materiis est simplex error dispositiuus ad pœna.

136 SECVNDA diuisio (ait S.Bonau.) est ignorantiæ *Iuris*, & *Facti*. Ignorantia *Iuris*, aut est iuris naturalis, & hæc non excusat, cùm sit scriptum in cordibus;aut est Iuris Diuini, vt Legis, Prophetarum, Euangelij, & Apostolicæ doctrinæ, & hæc accusat de mortali Prælatos, qui tenentur de fide rationem reddere 1.*Petri* 3.accusat verò de veniali Clericos: Laicos autem in nullo accusat; quia ad ipsos non pertinet; dummo id non ex contemptu agant. Ignorantia Iuris positiui solos iudices accusat.Si verò est ignorantia Legum Ecclesiæ, accusat Sacerdotes,& Confessarios Si autem est ignorantia *Facti*,& potest pelli, est peccatum, non adhibitâ diligentiâ.

TERTIA diuisio Ignorantiæ affertur à S.Doctore *ibi*, vt alia sit Ignorantia simplex, quando aliquis nescit,quæ tenetur scire; facit tamen aliquid; sed non plenè, vt illa sciat. Hæc excusat à tanto, non à toto. Alia est crassa, siue supina; vt quando quos negligit scire,quæ tenetur, & tamen non nouit determinatè, quòd illa teneatur scire. Hæc minùs excusat: Non excusat tamen à toto, sed à tanto. Alia est affectata, quando est determinatum, quid tenetur scire, & negligit scire illud. Hæc potiùs accusat, quàm excuset. 137

QVARTAM diuisionem affert Ignorantiæ, vt alia sit Vincibilis, alia Inuincibilis. Vincibilis potest remoueri cum magna difficultate, vt in hebetibus, & hæc excusat in parte, si est de necessariis ad salutem. Alia potest remoueri cum facilitate,vt in ingeniosis. Hæc non excusat. Inuincibilis alia est per naturam, vt in puero non habente vsum rationis; & in decrepito, qui non discernit; & in amente à Natiuitate. Hæc omninò excusat. Alia est inuincibilis per culpam, vt in eo, qui per culpam efficitur furiosus, & secundùm aliquos non excusat à toto. Imò addit S.Doctor *sect.*25. Ignorantiam inductam per culpam, sicut in ebrio, & furioso, non excusare à toto,sed vt dicit Philosophus 3. *Eth.c.*5. Ebrius habet duplicem maledictionem, Vnam pro culpa præcedente; aliam pro culpa sequenti. Non tamen propriè loquendo est dicendum, quod ebrius aliquid patrans, nouam culpam committat, sed è consequenti culpâ aggrauatur prima, vt videtur magis peritis; quamuis aliqui dixerint,quod præter culpam primam in ebrietate commissam, aliam committat nouam. 138 139

Ex his habes,Seraphicum esse pro prima sententia. Hæc retuli,quia multâ exuberant eruditione.

ASSERO primò, Ignorantiam posse esse causam voluntarij directè circa aliquod materiale obiectum, quatenus aliàs cognitum est. Hoc indicat Caiet. *prima secund. q.* 76. *art.*1. idem docet etiam Adrianus *quodli.*4. Suarez *sect.*2.*n.*6. post D.Bonauent.*in* 4. *dist.*30. *dub.*3.*litt.* 140

PROBATVR à D.Bonauent.exemplo.Nam mulier ignorans, iuuenem esse inopem, & putans diuitem, ideò consentit matrimonio cum illo. Sanè illa ignorantia inopiæ causat consensum,eo modo, quo ignorantia potest id causare remouendo prohibens; nam si illa sciret inopiam, non acciperet. Suarez affert exemplum de eo; qui edit carnes, ignorans, illas eo die esse vetitas.

ASSERO secundò. Respectu conditionis ignoratæ, omnis ignorantia causat non voluntarium directum, & in se. 141

PROBATVR à Suarez *numero* 8. ratione D. Bonauent.*in* 2. *dist.*22.*quæst. vlt. ad penult.* & *in* 4.*loco citando*; quia voluntas non potest ferri in incognitum: ergo necessariò efficit vt id, quod ignoratum est, vt sic,non possit esse in se volitum; hoc autem necessarium est ad voluntarium directum in se. Antecedens probatur à D.Bonauent. 4.*dist.*30.*quæst.*1. è D.Aug.tract.96. in Ioan. *Inuisa diligere possumus, incognita nequaquam.*

Nota verò cum D. Bonauent. adducto *quæst.*1. Ignorantiam circumstantiæ facere inuoluntarium, solùm quoad eam, non quoad alias. Itaque qui occidit voluntariè hominem, ignorans esse obiectum, excusatur solùm de sacrilegio; non de homicidio.

142 Assero tertiò. Ignorantia antecedens causat simpliciter inuoluntarium respectu actus, vel effectus, vt ignorati. Sumo voluntarium priuatiuè, non contrariè. Est D. Damasc. 2. *de fide, cap.*24. & certa ex fide, vt notat Suarez.

Probatvr. Quia sic acclamantur huiusmodi à culpa immunes. Ita excusatur Iacob, accedens ad Liam ignoratam; sed putatam, esse Rachelem, vt notat D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 30. *quæst.* 1. *ad arg.* & cum eo Suarez *n.*10. Bassæus, *verb. Act. Hum. n.*8.

143 Ratio à priori est clara: Illa enim conditio ignorantiæ non est directè voluntaria in se, vt dixi *assert. præcedenti.* Confirmatur à S. Doct. *in* 4. *dist.* 30. *quæst.*1. *argum.*2. Quia voluntarium est, cuius principium est in ipso, cognoscente singula, ex dictis *quæst.*1. cum Aristotele 3. *Eth. cap.*3. Neque est voluntaria in alio, nempè indirectè; quia nullo modo est præuia, sed inuincibiliter ignorata; vt supponitur: ergo & effectus eius. Probatur Consequentia. Qualis causa, talis effectus. Confirmatur: Causa illius, nempe ignorantia, est inuoluntaria: ergo ex nullo principio ille actus est voluntarius. Est argumentum D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 22. *quæst. vltim. ad duo postrema argumenta.* His nititur Suarez *num.*10.

144 Dixi, assertionem esse de Inuoluntario priuatiuo; at de contrario; An illa causet inuoluntarium contrariè, non est certum. Nam inuoluntarium contrariè est, quod repugnat appetitui positiuo voluntatis; at quod fit per ignorantiam antecedentem, non videtur hoc modo inuoluntarium; quia, qui sic ignorans operatur, *verbi gratia*, qui carnes die vetito per ignorantiam edit, non habet affectum illi voluntati contrarium, cùm ignoret conditionem prohibitionis, quæ potest voluntatem auertere à comedendi affectu. Confirmatur, quia ignorantia non potest facere actum magis inuoluntarium, quam ipsa sit. Sed de hoc infrà.

145 Assero quartò. Ignorantia, si sit causa actus, & sit consequens voluntatem, idest volita, efficit inuoluntarium secundùm quid; quia remouet cognitionem; quâ positâ non fieret; non facit tamen omninò; imò, quia ipsa ignorantia est volita, ergo & effectus directè secutus ad eam volitus censetur.

146 Probatvr è Scripturâ, quæ sæpè patrata ex ignorantiâ damnat, vt *Leuit.*5. *Psalm.*24. *Ephes.*4. Vide Valentiam *disp.*1. *quæst.*1. *punct.*6. post D. Bonauent. *in* 2. *dist.*22. *art.*2. *quæst.*2. & 3. vbi id latè probat. Affert autem S. Doct. id *cap.*3. *Sap.* pro epiphonemate illud, 1. Cor. 14. *Si quis autem ignorabitur.* Idem habet *ad* 12. *Lucæ*, vbi etiam obseruat illud Christi dictum: *Qui non cognouit, vapulabit paucis*, idest mitiori sententia condemnabitur; *qui autem cognouit, vapulabit multis.* Sicut autem dupliciter potest esse volita ignorantia; ità dupliciter potest facere voluntarium. Affectata sanè directè; negligens verò, seu crassa, indirectè. Probatur è D. August. *lib.*3. *de lib. arb. cap.*19. vbi ait: *Non tibi imputatur ad culpam, si inuitus ignores; sed si scire neglexeris.*

147 Ratio est; quia qualis causa, talis effectus; sed illa ignorantia est voluntaria: ergo & effectus eam subsequens.

Assero quintò. Ignorantiam Comitantem non causare voluntarium, neque inuoluntarium; sed non voluntarium. Ità D. Thom. *quæst.*76. *art.*3. Suarez *disp.*4. *sect.*2. Vasquez *disp.* 125. *c.*2. Tanner. *quæst.*1. *d.*8. Arriaga *disp.*12. *sect.*3. *num.* 20. Pasqualig. *disp.*17. *sect.*2. Morand. *tract.*2. *quæst.*9. & communiter.

Contra Durandum 2. *dist.*22. Gregorium *quæst.*2. Gabrielem *quæst.*2. *art.*1. Couar. *in c. Alma Mater*, §.10. *num.*15. Sum. Confess. *tit. Excom. quæst.*212. Adrianum *quodlib.*4. Conradum, & alios Thomistas ad *hunc articulum.*

Probatvr verò quòd non sit inuoluntarium Id, quod fit hàc ignorantiâ; quia adhuc factum fuisset: ergo non est inuoluntarium; quia non est contra inclinationem voluntatis, neque expressè, neque interpretatiuè. 148

Qvòd neque sit voluntarium probatur. Quia non est cognitum: ergo. Quòd ideò dixit Aristoteles 3. Eth. cap. 1. *Qui cùm ex ignoratione quidpiam egerit, factum ægrè minimè fert, is sanè, neque sponte egit id, quod ignorauit, neque inuitus cum non doleat.* Cùm igitur, vbi non est spontaneum, ibi non sit laus, aut vituperium, vt docet idem Aristoteles *eo capite*; sequitur, talem non peccare.

Probatvr ratione; Quia si ignorantia est comitans, & nullus affectus prauus illi coniungitur, opus exterius non est actu voluntarium; quia etiamsi demus, Petrum habitu odientem moraliter suum inimicum; tunc tamen nil cogitantem, & laxata bellici tormenti rota occidere inimicum, quem putat esse Lupum, pro tunc non habet affectum actualem, voluntatem actu eum occidendi: ergo actu non committit homicidium, etiamsi habitu sit in tali statu; vt, si sciret, occideret; nam actuale peccatum sumendum est ab eo, quod fit; non ab eo, quod fieret. Quà doctrinâ ruit argumentum aduersariorum. 149

Idem de voluntate comitante significat S. Bonauent. 2. *dist.*26. *art.*[illegible] *quæst.*2. *ad* 2. Potest tamen esse peccatum ex alio capite, si non adhibeat debitam diligentiam ad discernendum: An sit homo, vel Lupus; tunc enim ratione ignorantiæ consequentis volitæ intermixtæ, peccabit; non ratione comitantis. Vide Suarez, & Pasqualigum. 150

Potest similiter esse peccatum, si delectetur in homicidio, vt patet. Cæterùm voluntas homicidij comitatur tantùm factum, neque influit in actum; quare non est peccaminosa ad actualis homicidij crimen. Est sanè is habitu in malo statu; sed nos loquimur in ordine ad actualem confossionem hostis.

Ex dictis habes, Ignorantiam aliquando penitùs excusare, vt dixi *asserto tertio.* Primò circa singularia, circa quæ multæ occurrunt inscientiæ, nec possunt vinci. Itaque vt notat Caietanus, & Valentia, omninò securi sunt homines timorati. 151

Vt autem aliquod assignetur inditium. Dico, ignorantiam *Iuris* esse inuincibilem, quando homo ignorat ea, quæ communiter alij suæ classis ignorare solent; vel quando consultis viris doctis, eorum sententiæ adhæret, quod si ignoret ea, quæ homines alij suæ conditionis norunt, is vincibiliter ignorat.

Svfficit autem, si adhibeantur media ex natura sua ordinata ad ignorantiam illam euincendam, nec tenetur omnia adhibere, vt notant Pasqualigo *sect.*1. Arriaga *loco citato, numero* 2. Morand. *quæst* 9. *numero* 74. Neque satis est ad ignorantiam culpabilem, vt quis teneatur aliquid aduertere; sed 152

sed insuper requiritur, vt possit hîc, & nunc, consideratis omnibus circumstantiis, vt aduertunt Morandus *lib.* 5. Sanchez *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 21. Valentia *disput.* 2. *quæst.* 1. *punct.* 6. Vasquez, Suarez, & alij.

153 Asserо vltimò; non sufficere ad ignorantiam inuincibilem faciendam, ac proinde excusabilem, si nunquam actu in mentem venerit obligatio; sed satis est, quòd debuerit de ea cogitare.

Probatur à D. Bonauent. *locis adductis*, ratione, quam maximè vrgentem fatetur Sanchez, *num.* 20. Quia inaduertentia, & ignorantia dicuntur inuincibiles; eò quòd morali, & humano modo vinci nequeant; At cùm quis tenebatur aduertere, poterant humano modo, & morali vinci: ergo, &c. nam præceptum, quo factum aliquod præcipitur, obligat ad aduertendum, & supponit posse aduertere, cùm non sit de impossibilij. Confirmatur. Nam *c. si culpa, de iniur.* dicitur, ignorantiam non excusare, quando quis debuit scire: & *Inst. de Lege Aquilia, §. Præterea* dicitur, imperitiam iuris ad proprium officium pertinente non excusare. Quare Iura clamant. Paria esse *scire*, & debere *scire L. Quod te mihi, ff. de rebus cred.*

154 Respondent Sanchez *num.* 26. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 4. *sect.* 8. Vasquez *disp.* 123. *cap.* 2. & alij, rem, cuius non præcessit aliqua cogitatio, non posse morali modo sciri. Non enim abeundum in infinitum quoad consultationes; sed oportet ad vnam primam cogitationem deuenire, quæ sit aliatum principium. Neque esse vniuersaliter verum, vnumquemque vincibiliter ignorare ea, quæ sui officij sunt; alioqui non daretur aliqua ignorantia Inuincibilis legum.

155 At eo ipso, quòd officium, aut professionem assumpsit, satis humano modo suggeritur ratio quærendi, quod in officio teneatur; alioqui temerè assumpsit, & eo officio fungitur; ideò status ipse, & officium rectè imponit obligationem debitæ executionis; neque potest esse de impossibili; sed debet asseri subministrata sufficiens prima cogitatio.

156 Obiicies primò contra tertium assertum. Inuoluntarium est illud, quod repugnat appetitui: sed quod fit per ignorantiam, non sit hoc modo: ergo. Minor probatur; quia non adest displicentia illi affectui contraria, cùm ignoret illam conditionem, quæ posset eam displicentiam gignere, *verbi gratia*, qui comedit carnes die vetito, ignorans antecedenter; ità vt si sciret, non comederet; is sanè non potest habere displicentiam huius transgressionis, quam ignorat. Confirmatur. Quia D. Thom. & Aristoteles ponunt hanc differentiam inter ignorantiam Antecedentem, & Comitantem; quia illa causat inuoluntarium; hæc verò nec voluntarium, nec inuoluntarium; sed, non voluntarium: ergo necesse est, vt priorem partem intelligat de inuoluntario positiuè contrario; alioqui non differret ab inuoluntario ignorantiæ antecedentis.

157 Respondet Suarez. In ignorantia antecedenti recipi virtualem interpretatiuam oppositionem, cuius signũ est tristitia, quæ aduenit affulgente cognitione, & euanescente ignorantia. At ignorantia Comitans, quæ ità disposita est; vt, etiamsi sciret, adhuc idem faceret, non includit hanc virtualem displicentiam, cuius signum est gaudium resultans, postquam aduenit scientia rei; *verbi gratia*, postquam cognoui, me occidisse inimicum, quem Lupum existimaram, vt docet Aristoteles 3. *Eth. c.* 1. Ratio est. Quia ignorantia ista non aufert aliquam cognitionem, quæ impediret actum intrinsecum voluntatis, & nil contra appetitum operatur; ideò non facit inuoluntarium positiuè; facit tamen non voluntarium; quia ad voluntarium exigitur, voluntatem ab intrinseco operari cum cognitione, cui opponitur ignorantia.

Obiicies secundò, contra id, quod dixi de ignorantia Comitante. Quia hæc nil causat, cùm non sit causa actionis, vt sit considerata: si verò consideretur, vt esse potest voluntaria, vel inuoluntaria; non semper facit actionem non voluntariam. Nam, quando ipsa voluntaria est, facit, vt actio etiam, quæ cum illâ fit, voluntaria reputetur, & imputetur ad culpam; vt si quis occidat hostem, putans occidere feram, non facta sufficientia diligentia ad vitandum homicidium, tunc homicidium in genere imputatur ei ad culpam, etiamsi illa ignorantia concomitans sit; nam si ille, qui eiaculatur, esset ità dispositus, quod si sciret, ibi esse hominem, non interficeret, nihilominus propter negligentiam culpatetur, vt homicida: ergo non minùs culpandus est; eò quòd ità sit affectus, quod si sciret, libentiùs occideret; Nam hæc dispositio non excusat, sed potiùs accusat homicidium. 158

Respondet Suarez concedendo, ignorantiam comitantem posse esse voluntariam, & causare effectum voluntarium, vt patet in allato exemplo, vbi ignorantia illa comitans ex neglecta diligentia sit voluntaria; tenetur enim eam expellere, & omittit: ergo voluntariè operatur, saltem indirectè. Quare nil refert, quod hæc ignoratia non sit causa actus, & quod si adesset scientia, adhuc ille actus fieret; tum quia, esto ille actus non sit voluntarius in ignorantia, tanquam in causa; erit tamen illa ignorantia conditio sufficiens, vt ille actus sit voluntarius indirectè, quatenùs homo tenetur vitare illum actum, & non facit. Tum etiam, quia ille effectus est voluntarius in alio actu directè voluntario; vt occisio hominis in venatione, incautè factâ per ignorantiam comitantem, voluntariè omittente debitam cautionem adhibere 159

Enim verò hæc doctrina falsa est, & ad obscurandam Theologiam, & prolixitatem tantùm inducendam facit. Sic enim confunditur ignorantia comitans, quæ solum comitatur factum, nil actui conferendo, cum consequente voluntatem; eò quòd volita est, vel directè, si affectata; vel indirectè si supina; & antecedente actum voluntatis, producente alium effectum. Talis est ignorantia illius, qui non vult adhibere diligentiam ad videndum, An qui latet in dumeto sit Lupus, vel homo, & tamen hac ignorantiâ indirectè, vel directè voluntaria, lauat totam, & globulos emittit tormenti, vnde occidit hominem. Hæc sanè non est Concomitans, vt ex ipso etiam nomine patet: cur ergo ei adscribitur esse Comitans? 160

Obiicies tertiò, contra dicta de Ignorantia Consequente. Nam hæc non causat voluntarium directum, cùm auferat illius obiectum, neque de indirecto videtur vniuersaliter verum: quia, licèt omissio aliqua sit voluntaria, non sequitur, effectum inde secutum esse voluntarium indirectè: quia per accidens sequitur: sed ignorantia est quædam omissio: ergo, licèt ipsa sit voluntaria, non est necesse, effectum secutum esse voluntarium: vt *verbi gratia*, si aliquis ex negligentia ignoret, hunc, qui petit eleemosynam, esse pauperem, & ideò 161

dat eam; sanè illa ignorantia est consequens respectu volūtatis, causans actum eleemosynæ, & tamen illa donatio non est voluntaria; imò alter tenetur restituere. Confirmatur: Nam ignorantia ebrij voluntarij, non facit semper voluntarium homicidium subsecutum; & tamen illa est consequens; nam & est causa actus; non enim occideret, si non esset priuatus vsu rationis ex ebrietate; & est voluntataria, saltem in alio, idest in ebrietate.

162 Respondetur, iam suprà *quæst.* 3. me huic satisfecisse. Ad primum exemplum dico, illam eleemosynam esse voluntariam quoad id, quod dicit actum virtutis, qui ibi intrinsecè non requirit eam diligentiam, An ille sit verè pauper, cùm Sancti doceant contrarium, & in praxi; ideò non ob id amittit meritum; imò, cùm culpandus non sit, & decipiatur, remanet dominium apud ipsum, & accipiens, tenetur restituere; multò verò magis, quia alios pauperes fraudat debitis à diuite eleemosynis; vnde à Diu. Ambrosio dicitur fur, & eo nomine etiam appellatur à S.P. Francisco; & hoc sensu est danti inuoluntarium. Hoc ferè respondet, obscurè etiam Suarez *numero* 22.

163 Ad aliud exemplum respondetur, Ignorantiam consequentem voluntatem, esse illam, quæ consequitur volitionem in ordine ad aliquem effectum. Vt igitur ebrietas sit consequens ad causandum homicidium, debet esse volita in ordine ad homicidium, & tunc erit hoc voluntarium; alioqui si sit volita solùm in se, erit consequens voluntatem ebrietatis, non autem homicidij, & ideò non reddet homicidium voluntarium. Itaque semper Ignorantia consequens causabit voluntarium, & in casu nostro, si inebrians se, homicidium præuiderit in ebrietate secuturum, iam voluntas hæc consequens causabit homicidium sequens, & erit voluntarium, licèt non sit in ebrietate ipsa nouum peccatum superueniens, vt suprà dixi cum Suarez, & D. Bonauentura.

QVÆSTIO XII.

An Ignorantia consequens minuat VOLVNTARIVM.

D.Bonau. in 2. d. 22. p. 2. art. 1. q. 3.

164 Comparatio fit ad actum eundem, vel certè ad subiectum: An actus ex ignorantia consequente reddatur minùs voluntarius; vel: An voluntas operans sit minùs voluntaria. Nam si fiat comparatio inter ipsas ignorantias, certum est, quo maior fuerit ignorantia, vel magis voluntaria, eò, cæteris paribus, reddere actum magis, vel minùs voluntarium; vnde affectata voluntaria reddit magis voluntarium, quàm crassa; & hæc magis, quàm negligens ordinario modo. Si verò fiat comparatio ad actum, è scientia factum; omnes concedunt, ignorantiam indirectè tantùm voluntariam minuere potiùs, quàm augere voluntarium; quia ipsamet est imperfecto modo voluntaria, & ideò facit, vt actus non sit directè voluntarius; sed tantùm indirectè. Item, quia minuit cognitionem, & ideò ex hac parte minuit voluntarium, & aliunde non auget, cùm ipsa sit imperfecto modo volita.

165 Quoad ignorantiam affectatam, D.Thom. *prima secun. q.* 76. *art.* 4, Durand. *in* 2. *dist.* 22. *quæst.* 4. sentiunt, non minuere, sed augere voluntarium. Inclinat Suarez *tractat.* 2. *disp.* 4. *sect.* 2. *num.* 25. & *tract.* 5. *disp.* 4. *num.* 6. Eam tenent Corduba *lib.* 2. *quæst.* 10. Tanner. *disp.* 2. *quæst.* 1. *dub.* 8. Fuliensis *lib.* 2. *cap.* 6.

At D.Bonauent. *loco citato*, oppositum tenet, quem sequitur Almainus *primo Moral. cap.* 4. Attamen 1. *p. rt. Centil. sect.* 25. ait. Ità sic ex vna parte excusat; & alia magis aggrauat.

Assero cum hac sententia, ignorantiam etiam affectatam minuere voluntarium.

Probatvr à D.Bonau. primò *arg.* 1. Quantum 166 tollitur de principio voluntarij, tantum tollitur de voluntario. Sed principium voluntarij est scientia: ergo, si aliquid tollatur de ea, tollitur aliquid de voluntario: sed ignorantia etiam affectata tollit aliquid de scientia: ergo. Confirmatur à D.Bonauent. ex illo *Lucæ* 12. vbi dicitur seruus sciens vapulaturus multis; ignorans verò, paucis. Confirmatur à S. Doct. ad eum locum Lucæ, è Scripturis, quæ scientem magis aggrauant, quàm peccantem ignoranter, vt 2. *Petri* 2. *Rom.* 1.

Vbi nota, hanc ignorantiam esse quidem vo- 167 luntariam directè, non tamen esse volitam directè, vt liberiùs peccare valeat; vt putant D. Thom. & Suarez, qui posteà concedit, aliquando oriri etiam è conditione diminuente voluntarium; puta, si quis nolit discere aliquod decretum Ecclesiæ, ne ab ea discedat, & interim liberè sentiat, dum non constat, eam oppositum decreuisse; tunc enim si oppositum sentit, minùs peccat, quàm si ità sentiret, sciens; sed non admitto tales conditiones necessarias ad diminuendum, *verbi gratia*, peccatum 168 ex ignorantia; sed illas, quæ sunt intrinsecæ, scilicet, vt directe velit non discere, hæc enim esset essentialiter ignorantia affectata, absque addito fine contemptus, qui, si addatur, sanè augebit malitiam; puta, si aliquis non vult scire decreta Ecclesiæ, quia decreuit ità sentire, quidquid dicat Ecclesia; quo exemplo vtitur Suarez, iam auget ratione contemptus, additi ignorantiæ affectatæ; sed hic ei est extraneus.

Instat Suarez *loco secundo citato.* Ignorantia directè amata, facit quid liberum, quod est per se malum; & ideò non constituit peccatum ex ignorantia, quia prima radix peccati non est ignorantia; sed voluntas, è D.Gregorio 25. *Moral. cap.* 16. & D.Augustino *lib. de grat. & lib. arb. cap.* 3. S.Bernardo, *ep.* 27.

Respondetvr, eam esse volitam, liberè ta- 169 men, vt ignorantiam; & ideò adhuc tenet rationem ignorantiæ id, quod sequitur, & ipsa est peccatum solùm ratione eius, quod sequitur, quod est transgressio Mandatorum; cuius signum est, quod opposita scientia non est præcepta in se, sed in ordine ad aliud, idest ad obseruanda mandata; nam quando est præcepta in se, est alia ratio; vt notat ipse Suarez post D.Bonau. *in quæst. quæ istam præcedit*: Alioqui, cùm etiam ignorantia crassa sit voluntaria, debebit dici potiùs alio genere peccati, quàm ignorantiæ. Vtraque verò dicitur ignorantia, quia ad aliquid agendum necessaria est scientia.

Confirmatur secundò à S. Doct. Voluntarium 170 est, cuius principium est in ipso cognoscente singula, ex Aristotele 3. *Eth. cap.* 2. 3. & 4. Sed ignorantia etiam affectatata aufert eam cognitionem: ergo.

Obiicies primò è D. Isidoro *lib. de Eccl. instit.* vbi ait: *Nullus in culpa maior est, quàm, qui Deum nescit.*

nescit. Et D. Ambrosius *in Glossa*, *ad illud Rom. 2. An ignoras, &c.* ait; *grauissimè peccat, quia ignorans.* Et Prou. 28. *Qui declinat aures, ne audiat Legem, oratio eius erit execrabilis.* Et Psalm. 57. *Furor illius secundum similitudinem serpentis: & sicut Aspidis surdæ obturantis aures.* Et Psalm. 35. *Noluit intelligere, vt benè ageret.* Hæc affert S. Bonau. *ad 12. Luca.*

171 RESPONDET D. Bonauent. D. Isidorum comparare peccatum infidelitatis cum aliis. D. Ambrosium id dicere, ratione maioris periculi; quia ignorans suum malum, non quærit remedium. Vnde D. August. 1. *Confess.* ait: *Eò insanabilius peccatum, quò me non peccare arbitrabar.*

OBIICIES secundò. Malum additum malo, facit maius malum; sed ignorantia affectata est mala: ergo addita peccato, illud auget.

Respondet D. Bonauent. veram esse maiorem de malo eiusdem rationis: At ignorantia habet mixtam cum culpa, etiam pœnam.

OBIICIES tertiò. Si aliqua ignorantia minuit, maximè, quæ tollit iudicium, puta in ebrio, sed hæc non; quia, vt ait Philosophus, 3. *Eth cap. 7.* ebrius habebit duplicem maledictionem; scilicet pro culpa præcedenti, & pro culpa sequenti.

172 RESPONDET D. Bonauent. licèt & pro culpa sequenti habeat maledictionem, si eam præuiderit: attamen hæc minor est, quàm si à sobrio esset, nec est noua culpa; sed augmentum aliquod primæ; vt dixi quæstione præcedenti.

HINC collige cum S. Doctore, ignorantiam minuere peccatum. Probatur. Quia minuit voluntarium quod est origo peccati. Et hoc est, quod ex professo tractat S. Bonau. in ea quæstione. Attamen probabilem reor etiam primam sententiam cum S. Doct. in Centiloquio *loco citato.*

QVÆSTIO XIII.

Vtrum Actualis Inconsideratio faciat non VOLVNTARIVM.

COMMVNITER de hac quæstione pauca fiunt, quia Doctores idem asserunt de Ignorantia, & de Inconsideratione; habet tamen aliquid speciale difficultatis discutiendum.

SVPPONO primò, nos loqui de Voluntario indirectò; nam directè, nil est volitum in se; quin sit eodem modo cognitum.

173 SVPPONO secundò, dupliciter posse actum denominari voluntarium. Primò ab actu præterito: secundò ab actu præsenti. Quando denominatur malus è præcedenti voluntatem, non habet aliud morale siue bonitatis, siuè malitiæ, quàm fuerit in præcedenti voluntate, à qua denominatur voluntarius. Exemplum est de actu, facto tempore ebrietatis. Actuale verò voluntarium per voluntatem præsentem continet distinctam malitiam, siue bonitatem; & de hoc agimus nunc. Nam de priori certum est, posse esse voluntarium, ratione voluntatis præteritæ, si illa sit causa considerationis, vt patet in exemplo ebrij. Quærimus ergo de hoc actuali voluntario: Vtrum durare possit per præsentem voluntatem, stante actuali consideratione.

174 PRÆMITTO autem primò, dari aliquam Inconsiderationem actualem, omnino inuoluntariam, quæ dici solet naturalis obliuio. Non enim in potestate hominis est, actu considerare omnia, quæ habitu scit, vt notat Caietanus *verb. Inconsideratio*, Valentia *tom. 2. disput. 2. quæst. 1. p. 6 ad calcem.* Salas *disp. 4. sect. 3.* Baldellus *disp. 25. num. 14.* Arriaga *disp. 13. sect. 2.* Pasqualigo, Vasquez, Syluester, & alij apud Morandum, *tract. 2. quæst. 9. num. 75.*

SIMILITER certum est, dari Inconsiderationem voluntariam, vt docet D. Bonauent. *in 2. dist. 22. art. 2. quæst. 1. 2. & 3.* D. Thom. *prima 2. quæst. 6. art. 3. ad 3. & art. 7.* Scotus *in 2. dist. 42. quæst. 1. art. 1.* & omnes Theologi, & Summistæ, tractantes de Inconsideratione Morali. Colligitur ex Aristotele *2. de anima, cap. 5.* & *lib. 2. cap. 4.* & è D. Augustino *2. de Trinit. cap. 3.* & *lib. 15. cap. 27.* Voluntas enim potest mouère intellectum ad exercendum actus, vt notat Gabriel *in 2. dist. 22. quæst. 2. art. 1.* Qua ratione, aliqua inconsideratio est peccatum, vt docet D. Thom. *prima 2. quæst. 183. art. 4. & 5.* & Gabriel suprà. Quo fundamento, distractio, in auditione Missæ die festo; vel in recitatione Officij, probatur mala à pluribus. His duobus principiis suppositis. 175

ASSERO primò, Inconsiderationem actualem inuoluntariam, efficere Inuoluntarium. 176

PROBATVR ratione. Deficiente dispositione necessaria, deficit forma: At operatio intellectus est dispositio necessaria ad voluntatem; quia nil volitum, quin præcognitum: ergo deficiente intellectione, deficit voluntarium. Si dicas iam præcessisse intellectionem, seu cognitionem rei.

Contra. Nam eo modo necessaria est dispositio, quo forma, sed datur actualis volitio: ergo debet talis esse etiam intellectio.

ASSERO secundò. Inconsiderationem actualem voluntariam, non efficere Inuoluntarium. 177

PROBATVR. Quicumque vult priuationem dispositionis necessariæ ad formam, vult etiam defectum formæ consequentem; sed voluntariè inconsideratus vult priuationem dispositionis necessariæ ad voluntatem rectam: ergo.

DISPVTATIO IV.

De Circumstantiis Humanorum Actuum.

QVÆSTIO I.

Quod sit CIRCVMSTANTIA *Humani actus.*

D. Thom. quæst. 7. art. 1.

CIRCVMSTANTIÆ nomen Græcè περίστασις à circumstando dicitur, vt notat D. Thom. *art. 1.* D. Bonauent. *in 4. dist. 16. dub. 9. litt.* & *1. part. Centil. sect. 33.* Sic autem nominantur, sumptâ metaphorâ à statu locati alicuius: nam sicut ea, quæ non sunt in loco, seu non sunt ipsa locata, sed circa ipsa stant, dicuntur circumstare; ità accidentia; quæ sunt circa substantiam actus humani

mani licuntur Circumstantiæ. Eodem modo accepit nomen circumstantiæ etiam Quintilianus *lib.5. cap.10.* Aristoteles verò 3. *Eth. cap. 1.* hæc accidentia vocat singularia, in quibus actio consistit, quem sequitur D. Damascenus *lib. 2. fidei, cap.24.* Hæc verò a Tullio *in Top. & Part.* vocantur *Attributa.* Vnde sumuntur amplificationes oratoriæ, argumenta, &c. vt notat Valentia *loco citando* post D. Bonauent. *in 4. dist.17. art.2. quæst.3. in argumen is.*

2 Vt autem Circumstantias internoscamus à substantia actuum, aduerte substantiam humanorum actuum eam esse, quæ primò consideratur in actibus humanis, vt referuntur ad potentiam, ex qua eliciuntur, vel ad obiectum, quod respiciunt, vt quod actus sint voluntarij, seu eliciti, seu imperati, sint circa finem, vel circa media, quod sint circa hoc, vel circa illud obiectum, atque adeò sint huius, vel illius speciei vltimæ, de quibus aliqua diximus, aliqua sunt dicenda.

3 Accidentia verò humani actus sunt ea, quæ secundariò aspiciuntur in actu humano, & sunt illi extrinseca. Itaque manente substantialiter actu eodem, mutantur.

Ex quo habes primò, ritè nos, postquam de Volvntario, quod est substantiale commune actibus humanis, disserere de Circumstantiis, quæ sunt accidentia communia eorumdem actuum.

4 Habes etiam ad rem hic Theologum agere de Circumstantiis istis actuum humanorum. Tum quia per circumstantias istas actus redduntur idonei ad vltimum finem prosequendum, vt profitetur S. Bonauent. *in Centiloq. io.* quod introductionem ad Theologiam appellat, & post eum Valentia *tom.2. disp.2. quæst.2. p.1.* Vasquez *disp.30. cap.1.* Tum quia ad Theologiam spectat internoscere ea, quæ spectant ad materiam Sacramenti Pœnitentiæ; ad hoc autem pertinent Circumstantiæ, quæ si mutent speciem, in confessione exponendæ sunt, vt definit Concilium Tridentinum *sess.14. cap.5.* Quam rationem sumpsit Valentia è D. Bonauent. *in 4. loc.cit. a dub.7.* & *dist. 17. art.1.quæst.3.*

Definivntvr autem à S. Doct. *loc.cit.Centil.* Proprietates personæ, vel negotij extrinsece pertinentes ad laudem, aut vituperium, vel causando actum, vel augendo, vel minuendo, vel in aliud genus moris ipsum trahendo.

QVÆSTIO II.

Quot sint Circumstantiæ Humanorum actuum.

S. Bonau. loc.cit.C... & in 4. loc. D.Thom. ... 1.

Communiter septem narrantur cum D.Thoma, & D.Bonauent. *locis adductis.*

Qvis, Qvid, Vbi, Qvibvs avxiliis, Cvr, Qvomodo, Qvando.

5 Qvamvis autem Valentia *quæst.2. p.2.* octo è D.Thom. enumeret, addens, Circa Qvid; Attamen hæc ad circumstantiam Qvid reducitur. Eundem numerum assignant Thomistæ *ibi*, Tanner. *disp.2. quæst.5. dub.4.* Vasquez *loco citato, numero 6.* Attamen Richardus *in 4. dist. 11. art. 3. quæst.5* Bonadnas *ad 3. Eth. quæst. 12. art.1. & 2.* censent, has duas esse diuersas, ità vt Circa Qvid, sit materia, seu obiectum, circa quod versatur actus. Qvid autem sit effectus, qui consecutus est. Idem tenet Valentia *loco citato.*

Has verò in quatuordecim secari posse, ait D. Bonauent. quas his versibus nominat. 6

Aggrauat Ordo, Locus, Persona, Scientia, Tempus,
Ætas, Conditio, Numerus, Mora, Copia, Causa.
Est modus in culpa, status altus, Lucta pusilla.

Male autem Vasquez *numero 6.* Laconice dicit, quatuordecim à D. Bonauent. astrui, cum easdem cum D.Thoma ponat proprio sensu. Ex his sunt S. Bonauent. quinque respiciunt Personam, scilicet, *Scientia, Ætas, Conditio, Ordo, & Status.* Tres respiciunt crimen, scilicet *Numerus, Mora, Modus agendi.* Duæ sunt adiacentes, *Locus, & Tempus.* Tres verò respiciunt Causam, *Copia, Causa, Lucta pusilla.*

Adverte autem, numerum quidem esse multiplicationem potius eiusdem actus, quam circumstantiam, quod S. Bonauent. non ignorauit, quem sequitur Maior *in 4. dist. 17. quæst. 4.* attamen frequentia peccandi, seu ex habitu aggrauat, maximè, si frequenter, & paruo tempore resistitur actus. Vnde non ineptè inter circumstantias ponitur; vt putat Vasquez *numero 7.* 7

Aristoteles verò sic numerat Circumstantias, quas *singularitates* vocat, eò quod ab his indiuiduatur actus & sit hic numero, vt primas quinque ponat, addens Circa Qvid. Postremas verò duas ponit D. Damascenus *lib. 2. de fide, cap.14.*

D.Thomas, *argumento sed contra*, è D. Bonauent. *in 4. loco citato*, asserunt, has septem poni etiam a Tullio *in primo de Inuentione*, non longè à medio *in 4. consti.* quod verum est, licet non eundem ordinem seruet, nec eadem numero verba. Vnde eos male carpit Vasquez *cap.1. num.1.* 8

Is verò *cap.2.* tam serò ait, tanquam à se magno labore tandem perceptum, dum Compluti, anno Domini 158.. perlegeret publicè *primam secundæ*, nempe hæc singula, quæ nos Circvmstantias appellamus, non esse accidentia extrinseca actionis,in sententia Aristotelis, Damasceni,& Nysseni, sed esse rationes substantialiter indiuiduantes, vt etiam Alensis docet *2.part.quæst. 96. memb.6.art.4.*

Quòd probat, quia in horum Doctorum sententia, ignorantia singularium omnium, aut alicuius, facit inuoluntariam ipsam substantiam actionis, & non tantum modum accidentium ipsius. Ex ignoratione autem eius, quod pertinet tantùm ad statum,& modum accidentarium actionis, non potest ipsa substantia actionis reddi inuoluntaria. Hinc deducit, esse diuersas has singularitates ab his, quas S. Bonauent. & D. Thomas enumerarunt. 9

Primo quidem Circumstantia Qvis (ait Vasquez) non sumitur ab Aristotele pro conditione aliqua personæ, puta esse Regem, Sapientem, Bonum, Pulchrum, Coniugatum, Clericum; veluti sumitur à Scholasticis, è quibus præcipuè est D. Bonauent. *locis adductis.* Sed sumitur pro substantia personæ, quatenus est principium actionis substantiale.

Probat. Quia *ibi* Aristoteles ait: *Nullum, nisi sit insanus, posse ignorare seipsum, qui est agens.* Certum est, autem, posse aliquem etiam sapientem ignorare aliquam circumstantiam sui, vt persona est, 10

est, puta, potest ignorare: An sit adhuc coniugatus; imò falli, cùm possit in longinqua regione mortuus esse maritus, vel vxor. Similiter potest ignorare: An adhuc sit pater, cùm possint longè mortui esse filij; potest oblitus esse voti facti, &c.

11 Dvas solutiones affert, & reiicit. Altera est, posse quidem aliquem, non actu considerare suum statum, licèt nequeat ignorare. Altera est Aristotelem locutum de moraliter euenientibus, non de eo, quod Metaphysicè est, nam moraliter loquendo vnusquisque nouit suum statum.

Et quidem priorem refellit, quia potest aliquis omninò oblitus esse voti emissi; potest etiam ex relatione aliorum putare, mortuam esse vxorem, & ideò, se non coniugatum existere.

12 Posteriorem verò refutat; quia sæpè hæc ignorantur. Addit, Aristotelem asserere in nullo casu aliquem, sui compotem, posse hæc ignorare, *nisi* (ait) *insanus sit.*

Respondeo ego facilè, ex verbis ipsis Aristotelis eum asserere, Circumstantiam Qvis, omnibus ex partibus ignorari non posse ab ipsa persona agente. Ait enim *Manifestum autem, quod neque etiam seipsum agentem* (idest ignorare possit) esto possit ignorari aliqua è singularitatibus spectans ad personam. Multa igitur sunt spectantia ad personam, quæ ipsa persona ignorare potest, vt, se esse Clericum; non Laicum: se esse personam publicam, se sapientem, errantem ex malitia, non ex ignorantia; se agere ex magna cupiditate, vel tentatione. Hæc enim talia sunt, vt omnino ignorari, nisi ab insano, nequeant. Se igitur agentem in his, quæ non sunt relatiua dependentia ab aliis, nullus potest ignorare.

13 Deinde considero, Aristotelem: prius dixisse, Circumstantias non posse ignorari omnes. Addit verò: *Manifestum autem, quod neque etiam seipsum agentem*, nempè, ignorare potest. Vnde vlteriùs procedit à circumstantiis, (inter quas sunt accidentia personæ,) ad substantiam ipsam: vnde hic egreditur primum discursum, ita vt dicat; sic non posse ignorari omnes circumstantias simul, nisi ab insano, sicuti etiam ratio substantialis personæ operantis, non potest ignorari ab ipso operante.

14 Secvnda circunstantia Qvid, non est apud Scholasticos ipsum actionis obiectum; sed factum per illam secundùm substantiam ipsius; quatenus tale Qvid est, vt paruum, vel magnum in furto, & in aliis; vt constat è dictis.

Vasqvez dicit, aliter accipi ab Aristotele: nempè substantiam obiecti, quod ex eius exemplo deducit: Dicit enim: *Ignorauit aliquis fortasse quispiam, id, quod agit, quemadmodum Eschylus Cereris Mysteria.* Hic enim in tragædiis reuelauit quædam secreta Deæ Ceteris, quæ non licebat reuelare; sed quia ignorauit, illa esse secreta, ideò veniam consecutus est ab Areopagitis iudicibus. Et quidem reuelatio secretorum spectat ad substantiam actionis: *An sit reuelatio secretorum, nec ne*; vt notat Eustratius in eum locum.

15 Aliud quoque exemplum habet Aristoteles, ex quo deducit Vasquez intentum. *Ignorare quis potest id, quod facit, nempe homicidium, quando emittit cominus telum, vt alteri ostendat rem aliquam, aut locum, & casu occidit hominem.*

Hæc tamen non rectè à Vasquez percipiuntur. Et primùm quidem quis non videt, reuelationem illam secretorum esse meram circumstantiam rei Qvid dictam. Aristoteles igitur sic arguit iuxta ea, quæ supradixerat, nempè omnes circumstantias simul non posse ignoratas esse. *Potestne ignorari quidquid ad hanc circumstantiam pertinet; sicut Eschylus ignorauit, arcanum esse non reuelandum id, quod reuelauit in Scæna?*

Similiter & alterum exemplum solùm infert, aliquas circumstantias non posse ignorari; quod enim occidatur homo à tendente sagittam aliò, accidens est. 16

Aristoteles tertiam circumstantiam addit, Circa qvid, quæ non est materia, vel obiectum actus, sed conditio eius. Itaque idem sonat, ac *quale*, vel *quantum*.

Vasquez verò docet sumi pro materia ipsa, adducit verò exemplum Aristotelis. *Putauerit aliquis & filium hostem esse; vt Merope putauit?* Esse autem filij, est ipsa substantia obiecti, quæ parricidium constituit.

At verò, esse etiam coniugatum, clericum, &c. faciunt substantialem personam talem, & tamen sunt circumstantiæ inhonestatis. Itaque idem erat cum circumstantia personæ, vt sumitur à S. Bonau. & S. Thoma. 17

Respondet Vasquez, disparem esse rationem; nam in adulterio, vel sacrilegio duæ sunt species peccatorum. Alterum contra castitatem: alterum contra iustitiam aut religionem: At in parricidio est vnicum peccatum contra pietatem.

At quis non videt, etiam in hoc esse homicidium contra iustitiam, & parricidium contra pietatem? 18

Respondet secundò; dato quòd sint duæ species, aliter tamen sumi à Scholasticis qualitatem personæ; aliter ab Aristotele qualitatem Circa qvid; nam qualitas *circa quid* non consideratur comparata ad eam speciem, quam substantialiter constituit. Etenim qualitas coniugati non accipitur, vt circumstantia adulterij, quatenùs contra iustitiam est; sed vt circumstantia adulterij, quatenùs contra castitatem est, atque respectu illius speciei, quam qualitas personæ constituit, non ponitur à Scholasticis vt circumstantia; sed potiùs transit in rationem obiecti, quod ipsi à circumstantijs distinguunt: At verò 19 Aristoteles semper sumit ipsum Qvid relatum ad speciem, quam substantialiter tribuit, vt patet. Et ità Aristoteles in adulterio considerat qualitatem personæ, vt coniugatæ, & in aliis eodem modo.

Attamen cum hæc ad circumstantiam Qvid reducatur, non est cur aliquid noui effingamus. Ad hanc eandem Aristoteles reuocat circumstantiam, quam vocat. In qvo.

Tertiam igitur circumstantiam ponimus, Vbi, idest Locvm. Hanc verò, ait Vasquez, *cap. 3.* sumi à SS. Damasceno, & Nysseno, cum ordine ad substantiam operationis sciendam, vel ignorandam, vt si quis in angusto tramite ignorans, obuiantem lædit, & ideò ignorauit quid faceret; non autem, vt sumunt Scholastici, ad augendam bonitatem, vel malitiam. Hæc tamen gratis dicta sunt.

Qvarta circumstantia est Qvibvs avxiliis; quam dicit Vasquez, sumi ab Aristotele pro instrumento substantialiter pertinente ad actionem, vt si quis hastâ percutiat, putans eam cuspidem non habere, vel lapide, putans, esse pumicem. Sed cum vtraque apta sint ad occidendum, solùm augetur cuspide, vel lapidis soliditate peccatum. 20

Qvinta circumstantia est, Cvr, seu quo fine

fine vel cuius gratia. Hanc dicit Vasquez alio modo sumi à Scholasticis, alio diuerso ab Aristotele: nam Aristoteles eam accipit, vt est id, ad quod actio dirigitur. Ex quo pendet substantia ipsa; & vtilitas operationis, quæ vt medium ad aliquem finem assumitur; ex quo sequitur, ignoratâ vtilitate ipsâ operationis ad talem finem (ait) ipsam circumstantiam, cuius gratia fit, ignorari, & effici inuoluntariam actionem assumptam, vt medium
21 ad talem finem, licèt intentio finis non ignoretur, nec sit inuoluntaria, vt si quis alium mente exturbatum percutiat, vt sanet eum, & ad mentem reuocet: percussione autem ipsum occidat, tunc dicitur ille inuoluntariè occidisse. At Scholastici ea ratione hanc assignant circumstantiam, vt ostendant actum ex fine aliquo modo accipere malitiam, aut bonitatem, siue alterius speciei, siue eiusdem.

22 At verò iam dixi, Aristotelem assumere ad exempla, quædam accidentia, quæ, cùm exempla sint, non omninò quatuor pedibus currunt. Igitur assumit occisionem factam dicto modo, vt inferat, ex fine sæpè inuoluntarium accidere, siue sit substantialis, siue accidentalis; & quidem accidentalis est actioni percussionis occisio, si respiciatur intentio volentis ad mentem reuocare phreneticum.

23 Sexta circumstantia est Qvomodo, quæ dicit modum operationis, ex qua dicitur augeri, vel minui malitia. At verò sumi aliter ab Aristotele docet Vasquez, nempè vt circumstantiam, non operationis, sed effectus, qui ex ea sequitur, vt si quis, volens docere alium pusillarem ludere gladio, dimicationem vehementiùs impellat, & allidat, dicetur modum ignorasse, & ob id, percussiò esse ei inuoluntaria. Hæc tamen impulsio vehemens, est accidens operationis illius, vt habet ipse Aristoteles dicens: *Quomodo*, vt *sensim*, vel *vehementer*.

24 Vltima circumstantia est Qvando, nempe Tempvs, vt si tempore sacrato, nec ne; nocte, &c. vel die.

Ex his collige primò, rectè de Circumstantiis actionem humanarum disserere Theologum, quia ex his colligimus in multis operationibus Invoivntarivm, vt docet D.Thom. *art.* 2. D.Bonau. *loco citato*.

Collige secundò, Circumstantias, ab Aristotele assignatas, non esse differentias specificas, vel similes eiusdem actionis; vnde ipsa substantia actionis reddatur voluntaria; non enim erat vnquam Aristotelis mos, vocare mixtim singularia, operationum earum essentias. Faciunt igitur inuoluntarium solum modum, vt cùm quis interficit homi-
25 nem, putans esse hostem, cùm sit filius; non enim inuoluntaria est substantia homicidij, sed tantùm, vt est occisio filij, contra pietatem. Sic & à Theologis considerantur circumstantiæ, non vt sunt quidditas actionis, puta concubitus cum vxore aliena, vt est differentia adulterij, sed vt est circumstantia addita libidini in genere, contra castitatem, quæ accidentaria est libidini in genere; potest enim sine ea stare libido.

De his verò latiùs disseram 3. *p. tract. de Pœnit. d.* 2. *sect. de Confess.*

DISPVTATIO V.

Quænam sint Volita.

Non est nobis propositum agere de Volvntate, vt Potentia; de qua satis *in libris de anima, disp.* 9. Sed de actibus eius; primò quidem de 1
Elicitis; deinde de Imperatis.

Et quidem occurrit Quæstio illa celebris: An Voluntas sit tantùm boni appetitiua; An & mali. Sed de hac egimus *disp. cit. cap.* 5. *disputationis, quæst.* 12.

QVÆSTIO I.

An actus Voluntatis, qui est velle *sit tantùm circa media, & finem.*

Certvm est, actum Voluntatis alium esse 1
prosecutionis, qui dicitur velle; alium fugæ, qui est nolle; & quidem actum prosecutionis ad bonum tantùm tendere, probaui, loco nuper adducto. Quoniam verò bonum, aliud est Honestum, quod est obiectum volitum propter se, sicuti & delectabile: aliud Vtile, quod ad aliud ordinatur. Et quidem duo prima habent rationem finis, in quo est actus fruitionis; Tertium verò habet rationem medij, & in hæc diuiditur ratio boni, quod est obiectum Voluntatis, ab Aristotele, & D. Aug. *l.* 83. *qq. quæst.* 30. vt notat D. Bonau. *in primo dist.* 1. *quæst.* 3. *argum.* 3. Hinc sequitur, vt actus Voluntatis principaliter sit circa finem, & hic propriè dicatur Voluntas; vt docet D.Thom. *quæst.* 8. *art.* 2. & D.Bonau. *in primo dist.* 3.
artic. 3. Minus verò principalis sit, circa media. 2
Vide & Fabrum *in* 4. *d.* 14. *dub.* 9. *cap.* 8.

Oritvr verò *hic* Quæstio: An omne velle 3
sit circa finem; vel circa media: An verò detur aliquis actus, qui circa bonum sit, & tamen nec circa bonum, quod est finis; nec circa bonum, quod est medium. Seu: An detur actus, qui nec sit vsus, qui circa media versatur, neque sit fruitio, quæ est circa finem, quæ est vna, & eadem quæstio; vt notat Valentia *disp.* 2. *quæst.* 3. *part.* 2. Ideò Scotus, hoc secundo sensu, quæstionem censet agitandam; & loquitur in priori sensu, quod Vasquez non rectè negat *disp.* 32. *cap.* 1.

Eodem pacto intelligitur, & disseritur etiam à D. Bonau. *loc. cit.* & aliis Scholasticis.

Prima opinio est Scoti *in primo d.* 1. *quæst.* 3. §. *Quantum ad primum*, vbi affirmat, posse esse actum voluntatis neutrum, qui feratur in bonum, quod nec sit finis, nec medij. Item sentiunt Ocham *ibi, dub.* 1. Maior *quæst.* 1. *concl.* 3. Gabr. *quæst.* 1. *art.* 1. *not.* 2. Aureolus *quæst.* 3. *art.* 1. Sequuntur Scotistæ apud P. Liuium Rabesanum *de Anima, d.* 3. *q.* 6. Becanum *de lib. arb. quæst.* 8.

Secvnda sententia est, non dari actum neu- 4
trum, qui nec sit ad finem, neque sit mediorum. Ità D. Bonauent. *in primo dist.* 1. *quæst.* 3. initio,
Ariminensis

Ariminensis *disp. 1. quæst. 1. art. 1.* Caiet. *prima secun. quæst. 8.* initio. Valentia, *disp. 2. quæst. 3. p. 2.*

Gabriel verò *loco adducto*, vt opiniones conciliet, aduertit è D. Bonauent. *in 2. dist. 41. art. 1. quæst. 3. in corpore, & ad vlt.* quem secutus est Scotus *ibi, quæst. vn.* Richard. *art. 1. quæst. 2.* Vasquez *loco citato, cap. 2. & dub. 6. cap. 1.* Tribus modis posse aliquid referri in finem. Primò referri potest actu, vt satis constat. Secundò virtualiter, quando ex cognitione, & voluntate finis aggredimur illa media; sed deinde voluntas finis cessat: Ad hanc autem relationem, quam S. Bonauent. habitualem vocat, necessarium ait, vt ex illâ voluntate finis, deriuetur voluntas medij, & quamuis actu non perseueret voluntas finis; ex illa tamen deriuetur voluntas saltem primi medij, ex voluntate primi medij, voluntas secundi, & sic de aliis; vt ità connexione quadam voluntas cuiusque medij in illam voluntatem finis reduci possit: vt si quis eo fine, vt iret Brixiam, equum conduxit, & cœpit iter; & deinde prosecutus est recta via sine cogitatione actuali finis, dicitur facere ex illa voluntate, quidquid ex illa remotè (connexione tamen quadam per varia opera) deriuatum est. Tertio modo refertur aliquid virtualiter in finem, (ait Gabriel) quia suâptè naturâ in illud videtur referri, veluti omnia opera virtutum ex se, absque alia recordatione Dei, aut voluntate, & amore erga ipsum ex suâ naturâ in ipsum Deum referri dicuntur; quia sunt iuxta eius voluntatem, & præceptum, hanc verò relationem S. Bonauent. non vocat habitualem, diuersam tamen à secunda, vt putat Vasquez *loco citato, numero 6.* sed habitudinalem, quasi habentem habitudinem, vt referatur.

6 E regione, tribus modis aliquid non refertur in finem. Primo negatiuè: Quia nec actu, nec virtute refertur; eò quòd nulla adest, nec præcessit voluntas referendi. Secundo priuatiuè: Quia tale est opus, vt non solùm non referatur voluntate præsenti, aut præteritâ; sed neque referri possit. Huiusmodi sunt peccata venialia, respectu Dei; nam quamuis maneant cum habitu charitatis, à quo referri possunt cætera bona opera; ipsa tamen peccata venialia nullo pacto referri queunt. Postremò, aliquid non refertur contrariè; quia non tantùm non refertur ex voluntate præsenti, aut præteritâ, nec solùm quia referri nequit; sed etiam quia aufert principium referendi, Qualia sunt peccata mortalia, & hæc opponuntur habitudinali relationi, quam affert Seraphicus, quem non satis percipit Vasquezius.

7 Hinc Gabriel nititur conciliare opiniones; nam si fruitio, & vsus capiantur, aut fruitio sit actus voluntatis, quo quis aliquid appetit propter se, ità vt nullo modo propter aliud; tunc solùm dicetur homo frui creaturâ, quando peccat; quia tunc illa sic amat, vt nullo è tribus prioribus modis referat in Deum; At verò si homo diligat opus virtutis, etiamsi id actu non referat in Deum, dicetur illo vti, quia aliquo modo, nempè tertio illo modo, refert in Deum; & ità non esset actus medius inter vsum, & fruitionem, vt dicit Gregorius, neque hoc negaret Scotus; quia sciebat, opera virtutis, aliqua ratione, in Deum referri.

8 Melius conciliarentur cum D. Bonauent. *in primo, dist. 1. quæst. vlt. art. primi*, diuidendo fruitionem: primò, vt dicit motum cum delectatione, & sic definitur à D. Augustino: *Frui, est vti cum gaudio.* Secundò, prout dicit motum cum quietatione, & hoc modo definitur ab eodem D. August. *Frui, est amore inhærere alicui rei, propter seipsam*; & hoc modo accipitur propriè. Tertiò modo, prout complectitur quietationem, & delectationem simul, & hoc modo definitur ab Illo. 10. de Trinitate, cap. 2. 4. & 10. *Frui, est quiescere in cognitis voluntate, propter se delectatà*, & sic accipitur propriissimè. Frui igitur primo modo, videtur medium inter vsum, & fruitionem propriissimam, & ità dari talem actum; propriissimè tamen loquendo.

Assero primò, non dari talem actum medium exclusiuum vsus, vel fruitionis. 9

Probatur ratione deducta è D. Bonauent. *in primo, dist. 1. quæst. 3.* initio. Obiectum voluntatis diuiditur à D. Augustino *lib. 83. q. q. quæst. 30.* per oppositas differentias (addit Valentia contradictorias) in id, quod amatur propter se; & in illud, quod amatur propter aliud; sed circa primum est fruitio. Circa secundum est vsus: ergo. Cùm igitur hæc sint contradictoria, non potest inter ea esse medium. Hac ratione vtitur Valentia *loco citato*, & Vasquez *numero 11.* Negat tamen, hæc esse contradictoria; quia *appeti propter se*, non dicit expressè negationem; sicut neque *esse à se*: licèt aliquam negationem consequentem afferat, si non est ab alio. Confirmatur à Vasquez *loco citato*, è D. Bonauent. Quia cùm omne appetibile sit bonum, & omnia genera bonorum sint tria; nempè Delectabile, Honestum, & Vtile & duo priora habeant bonitatem finis, & solùm Vtile bonitatem mediorum; sequitur, actus voluntatis esse actiones circa bonitatem finis, per fruitionem; aut circa bonitatem mediorum, per vsum.

Assero secundò, posse voluntatem ferri in aliquod obiectum, abstrahendo quòd sit medium, vel finis, quem vocat Caiet. *medium in actu exercito*: sicut illum priorem à nobis reiectum, quo considerata negatione medij, vel finis in aliquo bono appetatur, & hoc sensu locutus est & quidem rectè Scotus; neque est contradictio, vt notat Valentia. 10

Respondet Vasquez primò, non posse intellectum concipere aliquam rationem boni, communem illis tribus, suprà allatis; quia analogicè hæc tria dicuntur; analogis autem non datur ratio communis.

At verò non satis probat, hunc esse conceptum analogum. 11

Respondet secundò, etiamsi daretur talis conceptus communis illis tribus bonis; adhuc tamen non fore illum actum medium; quia si ratio boni mouêret, & non relatiuè ad aliud, mouêret gratia sui; si autem relatiue ad aliud, mouêret gratia alterius. Inter *relatiue* verò, & *non relatiue*, non est medium. Ideò neque esset medius ille actus. Attamen non percipit differentiam inter actum medium in actu exercito, & in actu signato (vt cum Caietano loquar.) Potest ergo bonum illud repræsentare sanè bonum appetibile, & abscondere, An gratiâ sui sit; vel alterius.

Attamen responsum Vasquez laudat Rabesânus.

QVÆSTIO II.

Vtrum sit idem actus, quo voluntas media, & finem Appetat.

D.Bon. in 2.d.38.dub.4.litt. & in 3.d.17.art.2.q.3.
D.Thom. q.8.art.3.

12 NON quærimus hîc: Vtrum sit idem actus voluntatis circa finem. *Cuius gratia*, & circa finem *Cui*; nam vno, & eodem actu amoris diligitur finis *Cuius*, idest bonum delectabile, & honestum, & persona, cui diligitur, vt vidimus 1. *p. tract. de Angel. d.*7. *q.* 2. in quo tamen est duplex respectus. Alter ad bonum, ratione cuius dicitur amor CONCVPISCENTIÆ; alter ad Personam, ratione cuius dicitur amor AMICITIÆ.

QVÆSTIO igitur est de fine, *Cuius gratia*, idest de bono honesto, aut delectabili, & de medio, idest de bono vtili: Vtrum eodem, An diuerso actu

13 diligantur. Non est autem difficultas in eo casu, cùm quis nihil cogitans de fine, neque expresse illum volens, eligit aliquid propter finem, vt aiunt, virtualiter, quia cœpit ex voluntate finis operari, & deinde perseuerat in electione medij, deriuata ex voluntate finis, vt præcedenti quæstione dicebam; sed quæstio est de electione finis, quæ perseuerat cum electione mediorum: An sit idem actus cum ipsa electione.

PRIMA opinio est, intentionem finis esse diuersam à volitione mediorum, etiam dum finis appetitur, vt acquirendus per media. Ità Gregor. *in* 1. *dist.*1. *quæst.*1.*art.*2. Marsil.*in primo,quæst.*4.*art.*1. *dub.*2. quos sequitur Vasquez 1.*secunda,d.* 33. *c.*2. Vulp. *tom.*2.*p.*2. *disp.*59.*art.vlt.* & *disp.*63.*art.*3.

14 OPPOSITA verò sententia Scholasticis ferè cunctis placuit, finem absolutè consideratum (ait S. Bonauent. in ratione obiecti) diuerso affectu voluntatis amari, quàm media; finem verò (in ratione finis, vt idem ait) vt est ratio volendi media, eodem omnino indiuiduo affectu, atque actu voluntatis amari, ac ipsa media. Ità D.Bonau. & D. Thom. *locis cit.* & Thomistæ ad eum atticulum. Ægid. *in* 2.*d.*38. *art.*3. Richard. *art.*3.*q.*4. Durand. *q.*3.Capreol.*in primo,q.*2.Holcot *in primo,q.*4.*art.*3. ferè Valentia *d.*2.*q.*3.*p.* 3. Tannerus verò nouem assertis se discerpens *d.*2. *q.* 3. *dub.*4. tandem parum abest. Et cum Scoto 2.*d.*38.Hiribat.*disp.*17.*de Act. Hum.sect.*3. Mastrius *d.*7.*animæ,numero* 150. Bassol. 2.*d.*38. *quæst.vn.art.*3. Sic etiam Becan. *p.*2.*tract.*1. *cap.*3.*quæst.*1.

ASSERO cum hac sententia, finem & media vno & eodem actu Appeti.

15 PROBATVR à D.Bonauent. Vbi vnum est propter aliud, & vnum ratio alterius, ibi vnum tantùm; sed quoties media appetuntur propter finem, ipse finis est ratio, propter quam appetantur media: ergo eodem actu appetuntur media, & finis, qui est ratio appetendi media. Hoc argumento nituntur alij.

RESPONDET Vasqu.*c.*4. illam solam rationem cadere sub eodem actu cum obiecto, cuius est ratio, quæ est forma tribuēs ipsi obiecto, esse formale obiecti, vt possit terminare actionē potentiæ, veluti color tribuit parieti esse coloratū, vt sit obiectum visus; quia obiectum non terminat vllum actum potentiæ, nisi quatenùs in se habet illam rationem formalem obiecti; At verò ratio, quæ non tribuit obiecto, tanquam forma, esse formale obiecti; sed mouet tanquam causa extrinseca, & tanquam primum principium, & obiectum primarium ad actum, circa secundarium obiectum, non necessariò cadit sub eundem actum cum obiecto secundario, quemadmodum in intellectu principia mouent ad conclusiones, & tamen non cadunt sub 16
eundem actum, eò quòd conclusiones habent in se suam propriam veritatem, & entitatem, distinctam à veritate principij; sed quia illam habent relatiuè ad prima principia, aut saltem intellectui ita apparet; ideò intellectus moueri nequit ad assensum relatum, nisi præmisso assensu principiorum. Eodem modo, cùm media habeant suam rationem bonitatis, distinctam à bonitate finis, nempè vtilitatem, hac solitaria ratione terminant integrè actum voluntatis, qui vocatur ELECTIO. Cæterum, quia hæc bonitas est relata ad aliam bonitatem, nempe ad bonitatem finis, *gratia Cuius* esse dicitur, non potest terminare actum volendi, nisi præmisso appetitu, & voluntate finis; tamen finis non cadit sub eundem actum; quia non tribuit formalem rationem boni ipsis mediis, ratione cuius fiant amabilia; sed solùm vt primum appetibile mouet.

VERVM non percipit vim rationis; sumit enim 17
media, & finem materialiter (& vt cum S. Bonauent. loquar) in ratione obiecti; non ratione finis, & mediorum, vt relata adinuicem intrinsecè. Vnde sic arguit.

Quæcumque concipiuntur intrinsecè ità se ha- 18
bere, vt tota ratio formalis vnius sit ad alterum; impossibile est, vnum esse cognitum, quin sit & alterum, & ità esse volitum sub hac formalitate relatiuâ: sed media ad finem ità se habent: ergo.

OBIICIES primò. D.August. 11. *de Trin.cap.*6 ait, aliam esse voluntatem videndi fenestram; aliam verò voluntatem videndi per fenestram transeuntes; aliam esse voluntatem videndi cicatricem: aliam voluntatem probandi, An fuerit vulnus illius cicatricis, quòd est veluti finis, ad quem ordinatur reuisio cicatricis.

RESPONDET S.Bonau. D. Augustinum distin- 19
guere hæc duo in ratione obiecti materialis; non vt ad se inuicem ordinata. Nam D.August.*hoc loco* per finem, nihil aliud intelligit, quàm obiectum voluntatis proximum, vt confitetur etiam Vasquez *cap.*2. qui tamen hanc responsionem mox repellit; quia D.August. loquitur de voluntate finis, quatenùs cum mediis connectitur; idest quatenùs respicit finem per media comparandum: nam de voluntate probandi vulnus, ad quam dicit referri voluntatem videndi cicatricem, ait: *Quamuis ex illa religetur*, nempe ex voluntate videndi cicatricem. Idem dicit de voluntate videndi transeuntes, nempe, eam connecticum voluntate videndi fenestram: ergo non loquitur de fine, considerato vt obiecto.

RESPONDETVR, quòd, dum ait: *Voluntas probandi, vulnus fuisse, alia voluntas est, quamuis ex illa religetur*; non vult sumere rationem finis, & mediorum formaliter; sed duo esse voluntatis obiecta, licèt posteà vna sequatur ex alia, vbi nòn ait, etiam quatenùs vna sequitur ex alia formaliter, vt nos volumus, sed tantùm, quamuis vna sit origo alterius. 20

OBIICIES secundò cum Vasquez. Voluntas finis, est causa volendi media: ergo sunt diuersæ voluntates; alioqui idem esset causa, & effectus.

RESPON

RESPONDET S.Bonauent.quem sequitur Caietanus, & Valentia *locis relatis*. Volitionem finis esse causam volitionis mediorum, non ex parte actus, sed ex parte obiecti; quatenùs medium ideò terminat obiectiuè actum voluntatis, quia finis etiam illum obiectiuè terminat, & alioqui medium non illum terminaret.

OBIICIES tertiò. Si eodem actu vellemus media, & finem; sequeretur, eundem actum aliquando esse prosecutionem, & fugam, idest volitionem, & nolitionem, Consequens est falsum: ergo. Probatur sequela. Cùm quis odio prosequitur peccata amore Dei.

22 RESPONDET Caietanus, non esse absonum, vt idem actus sit fuga, siue nolitio formaliter; & simul amor finis virtualiter.

Respondet Valentia secundò, argumentum non esse ad rem; nam peccata non sunt media respectu Dei; atque adeò cùm auersamur peccata amore Dei, non exercemus aliquem actum circa vllum medium, cuius finis sit Deus.

OBIICIES quartò. Volitio finis est intentio; volitio autem mediorum est electio, non potest autem idem actus esse *Intentio*, & *Electio*. Quia differunt specie.

RESPONDET Valentia, non repugnare, eundem actum sub diuerso respectu ad duas species pertinere; sicuti idem calor simplex est habitus, quatenùs coniungitur naturæ ignis, & est potentia naturalis quatenùs est principium calefaciendi. Itaque negatur Minor.

DISPVTATIO VI.

De Motiuo Voluntatis.

IAM obiectum Voluntatis extrinsecus mouens inspeximus: nunc de intus mouente Voluntatem agam.

QVÆSTIO I.

An VOLVNTAS *semper ab Intellectu moueatur.*

1 SVPPONO Voluntatem ab Intellectu illuminari, edoceri, atque moueri, ex quo illud vulgatum adagium: *Nil volitum, quin præcognitum*, vt docet D.Bonauent. *Tom.6. Opusc. in Compend. Theol. verit. lib. 2. cap. 50. & in Libris sententiarum passim*, præcipuè *in primo, dist.12. quæst vlt. argum.1.* & est propositio D. Augustini 10.*de Trinitate, cap.1. & 2.* ibi adducti.

QVÆSTIO verò *hic* duplex insurgit. Prior est: An eueniat aliquando Voluntatem operari absque præuia Intellectus motione. Posterior: An id fieri queat Diuinâ potentiâ. Vtramque statuo ad condicta *disp.1. quæst.6.*

QVÆSTIO II.

Quo pacto VOLVNTAS *moueatur ab obiecto, vel ab Intellectu.*

D. Thom. quæst.9. art.1.

EXHIBEO quæstionem vniuersaliter de omnibus actibus Voluntatis; de primis verò actibus eius, erit specialis quæstio infrà: An in illis à solo Deo moueatur. 2

PRIMA opinio est Godfredi *quodlib.6.quæst.7.* & aliis locis, phantasma esse causam adæquatè motricem intellectionis, & volitionis; & ità intellectum, & voluntatem merè passiuas potentias statuit.

SECVNDA sententia totam causam affectus; vult esse obiectum cognitum, aut cognitionem eius, ipsam autem voluntatem, passiuè tantùm se habere. Hanc refert Henric. *quodlib. 9. quæst.5.* Scotus *in 2.dist.25. quæst.1.*

TERTIA opinio est Marsilij *in 2 quæst.16.art.3. concl.2. & sequenti*, Voluntatem esse totam causam principalem effectricem suarum actionum, quæ secundariæ sunt; At verò actiones primarias, quas Marsilius naturales appellat, quibus subitò tangitur Voluntas, non procedere ab ipsa voluntate, vt à causa efficiente, sed à sola cognitione obiecti, tanquam ab integro principio. Videtur etiam Scoti *loco citato*.

CÆTERI omnes Scholastici docent, omnem actum voluntatis ab ipsa produci. Ex his tamen aliqui dicunt, procedere etiam ab intellectu, & obiecti repræsentatione, vt ex his tribus principiis vnum integrum statuatur. 3

Ità Gregor. *in 2.dist.25.quæst.vn. concl.1.2. & 3.* Gabr. *quæst.vn. art.3.dub.3.* Dionys.Cisterc.*quæst.3. art.2. concl.4.* Ocham *quodlib.1. quæst. 16.* Molina *ad art.c. D.Thom.* Salas *tract.2.* Pasqualigo *disp.13. sect.2.* Negant verò ipsum obiectum esse principium efficiens actum voluntatis. Caiet.1.*part.quæst. 80. art.2.* Conrad. *in hoc art.* Henric. *quodlib.9. quæst.5. litt.C.* D.Thom. *hic*. Arridet Suarez *disp.6. sect.6.* Arriaga *disp.2. sect.1.* Morandus *tractat. 2. quæst.11.* & in Physica *tract. de causa finali, quæst.2.* vbi allegat multos, Tanner. *disp. 2. quæst.2. dub.2.* Et communiter Scotistæ, Regentes Paris. 3. *Animæ, quæst.2.* Cauellus *disp.3. sect.13.* Huttadus *disput.14. sect 5.* Onuphr.*tract.2.disp.2.quæst.3.* Auersa *quæst.58. sect.7.* Mastrius, & Bellut.*disp.7.num.136.* qui duo etiam oppositum laudant cum Vulpe *tractat.2.quæst 60. art.1.* Hiribar. *tract.3. de Act.Hum. sect.3.* è mente Scoti.

ALII verò dicunt, voluntatem moueri ab intellectu, tanquam à proponente finem; ab obiecto verò, vt à fine. Ità docent Henric. *quodlib.9.quæst.5.* Scotus *in 2.dist.2.quæst.1.* Capreol. *2.dist.25.quæst.1. art.3. in solut. primi argumenti*, contra primam conclusionem. Ferrar. *primo cont.gent. cap.44.* Adducitur D.Thom. Vasquez *disp.36. cap.3.* vbi hanc sectatur opinionem, eandem sequitur Fauent. *in 4. dist.9. num. 271.* vbi ait, esse Henrici, multorum Thomistarum, atque Recentiorum *loco citato*. Est autem D. Bonauent. *locis citandis*.

ASSERO primò, Voluntatem in suis actibus non se habere merè passiuè.

PROBATVR à Scoto *in 2.d.25.§. Contra conclusionem in se*. Fabro *loc.cit.n.299.* Vasq. *c.1.* Henrico *locis relatis* Durando in *2. d.24. q.2. n. 19.* & aliis; argu 4

argumento D.Bonauent.*in 2.d. 21.1.p.quæst.vlt. argumentis secundo loco*, & *part.2. dist.9.2. argumentis primo loco*, & *in corp. & q.5. argumentis secundo loco*. Illa potentia, quæ potest seipsam liberè determinare ad omnia, non se habet merè passiuè acta ab agente quolibet naturali. Sed voluntas est libera, &c. ergo. Maior est clara, nam determinatio actionis dicit virtutem actiuam, & agens naturale per se ad vnum determinatur. Minor est de fide; vt patet in Concilio Trident. *sess.6.can.4.* vbi damnatur Lutheri, de hoc, hæresis, quam ex his Scholasticis roborare conatus est.

5 Assero secundò, etiam motus subitos voluntatis esse ab illa.

Probatvr; alioqui illi actus repentini, non essent sponte facti, sicut sunt motus appetitus in brutis; vt enim sint sponte facti, requiritur, vt sint à principio intrinseco, cum cognitione.

Assero tertio, Intellectum non concurrere effectiuè ad actus Voluntatis.

6 Probatvr primò à D.Bonau. *in 2.d.25.q.3. in corpore*. Si voluntas non esset adæquata causa effectiuè mouens seipsam, non posset actus suos frænare ad libitum, & in eos ad placitum exire; hæc antem repugnant libertate. Hac ratione vtitur Scotus, vt Faber *loc. cit.* Confirmatur. Nam si obiectum, vel intellectus sunt principium, *Quo*, vt volunt aduersarij, & sunt causæ necessariæ, determinabunt voluntatem ad hunc numero actum; nam principium, *Quo*, determinat principium, *Quod*; Sic forma ignis, quæ est principium, *Quo*, combustionis, determinat principium, *Quod*, ad agendum hoc modo.

7 Respondent primò Medina, & alij, quòd, licèt efficientia intellectus, siue obiecti sit necessaria; tamen, vt recipitur in voluntate, est libera; quia recipitur per modum recipientis; & ideò liberè; nam motus brachij est liber, qui tamen pendet à motu cœli, qui est naturalis. Confirmatur. Nam secundùm vos, si Deus ageret necessariò, adhuc actio reciperetur contingens in voluntate.

8 Hæc tamen futilia sunt; nam concursus intellectus, seu obiecti efficientia non recipitur in voluntate, vt ab ea valeat modificari; sed recipitur in ipso actu, qui est ab his concausis; atque adeò cùm necessariò operetur, fit, vt actus ipse non liber ad vtrumlibet, sed necessarius, determinatusque fiat. Quare similitudo non est ad rem; nam concursus Dei recipitur in voluntate ad modum eius; recipitur verò, vt actio vniuersalis agentis adaptati modo agendi particularis agentis. Valdè autem diuersum est dominium in ordine ad obiectum, à dominio in ordine ad actum; vt notat D. Bonauent. *loco cit.* Dominium enim in ordine ad obiectum, non frustratur per receptionem influxus necessarij in potentia, sicut frustratur dominium in ordine ad actum per receptionem influxus necessarij in actu ipso.

9 Respondent secundò Medina, Bannez, & alij, volitionem esse liberam, quoad exercitium actus, licèt non quoad specificationem. Cæterùm falsò nititur fundaméto, idest, quòd voluntas quoad specificationem actus determinetur ab obiecto; nam propositis diuersis obiectis, Voluntas libera est ad prosequendum vnum; & ad alterum fugiendum.

Probatvr secundò à Vasquez *n. 14.* ratione deducta è D.Bonau. *loc. cit.* Quando aliqua talis est, vt ei respondeat integer effectus, frustraneum est addere aliam concausam. Sed voluntas per se intelligitur causa actus amoris absque vlla efficacitate actus intellectus, qui cum ipsa concurrat: ergo. Minor probatur. Quia voluntas cum habitu charitatis est integra causa efficiens dilectionis Dei, secundùm omnem rationem. Innuitur etiam à D. Bonauent. *3.p.Centil.sect.22.*

Assero quartò, Voluntatem moueri ab Intellectu, tanquam à proponente finem; ab obiecto verò, vt à fine. 10

Probatvr. Voluntas mouetur ab appetibili obiecto; sicut appetitus sensitiuus ab obiecto appetibili sensitiuo; sed non mouetur affectiuè, vt dixi: ergo vt à fine. Ità D. Bonauent. *loco citato, Centil.*

Obicies primò cum omnibus aduersariis. A causa contingenti, vt contingens est, non erit determinatus actus, nisi ab alio determinetur ad illum ex Auct. 2. *Phys. text.* 48. Sed voluntas est causa contingens: Ergo.

Respondetvr è D.Bonau. *locis adductis* Scoto *ad vlt.* Fabro *n.348.* & aliis. Contingens perfectum, posse seipsum determinare, & alias quoque potentias secum: Tale principium est voluntas. Ideò *9. Met. text.10.* Aristoteles cùm dixisset, scientiam esse contrariorum, & tamen ad nullum illorum ipsam se posse determinare, ait, Determinatiuam esse voluntatem. 11

Obicies secundò cum Godfredo. Mouens, & motum debent esse subiecto distincta. Sed in parte intellectiua animæ nil potest esse distinctum subiecto à voluntate: ergo debet poni motiuum extra animam intellectiuam. Maior probatur; nam idem est ponere, mouens, & motum non esse distincta subiecto, ac ponere, mouens mouere se, quod est absonum; nam idem esset actu, & potentia. Nam 3. *Phys. text.* 17. *& sequentibus* dicitur; tale esse mouens in actu, quale esset mobile in potentia. Confirmatur. Quia agens, & patiens se habent, vt materia, & efficiens. At verò è 2. *Phys. tract.* 70. materia, & efficiens non coincidunt. Confirmatur secundò. Mouens ad mobile refertur realiter; At idem non potest referri ad se. 12

Respondet D.Bonauent. *in primo d.37. art.2. q.1. ad vlt.* falsam esse Maiorem in spiritualibus. Potest autem idem esse actu per vnam formam, seu virtutem, & patiens per aliam. Sic ergo voluntas potest esse causa sui affectus efficiens; & illum in se recipere. Ad confirmationem respondetur veram esse de agente, quod transmutat materiam transmutatione reali ad extrà; non verò de receptiuo subiecto verificatur, quod etiam est agens: Ad secundam confirmationem negatur, mouens, & motum referri relatione reali; sed bene efficiens, & effectus, qui semper realiter distinguuntur. 13

Addit D.Bonauent. Animam, siue Angelum habere esse actiuum ratione formæ; & passiuum ratione materiæ, è quibus constituitur. Idem respondet *in 2. dist. 3. quæst.1.* Primam verò responsionem hauserunt Vasquez *num.17.* Fauent *n. 351.* imò & Scotus, *loco citato*. 14

Obicies tertiò cum Caietano. Substantia adiuncta alicui causæ, non variat modum causæ, quamuis variet modum quoad esse, puta vt id, quod esset efficiens *Quo*, sit efficiens, *Quod*; At Verbum Diuinum est principium amoris per modum efficientis: ergo in nobis quoque erit principium in eodem genere, substantia enim Verbi Diuini, quæ non conuenit verbo nostro, tantùm variabit modum.

Respondet Vasquez, Verbum Diuinum, non ideo solùm producere Spiritum sanctũ, quia est persona; 15

sona; sed quia habet naturam eandem communicatam à l'aere, virtute spiratiuâ prædiiam: nostrum autem Verbum non concurrit, vt principium efficiens, non solùm quia non est subsistens; sed quia non habet naturam eius, à quo procedit, qui est ipse amans, quam si haberet eodem modo, sicut ipse, amaret. Elicitur hæc doctrina è D.Bonauent. *in primo d.*10. *q.*1.*ad* 2. Procedit quidem amor mediante intelligentiâ, etiam in nobis; sed non vt in Diuinis, vt habet D.Bonauent. *in primo d.* 12.*q.*3. *arg.*3. addita explicatione quæstionis.

Obiicies quartò: Actio, vt actio, speciem sumit à principio: ergo cum voluntas sit principium commune; ac proinde non possit tribuere peculiarem speciem, oportet assignare principium peculiare, à quo variæ species actionum voluntatis sumantur.

16 Respondetur, actiones plurimas quidem à suo principio specificari, seu à causa, vt innuit S. Bonau. *in* 2.*d.*13.*q.vlt.*& *in* 4.*d.*17.*p.*1.*art.*2.*q.*1. attamen non solùm à causa efficiente; sed etiam à fine sumere potest suam speciem. Obiectum ergo habens rationem finis, potest specificare, nec est necesse ad hoc ei causalitatem efficientis attribuere.

Obiicies quintò. Voluntas mouetur ab intellectus imperio: ergo efficienter.

Respondetur negando Antecedens, vt dixi *in Libris de anima*, *d.*9. & dicam *d.*13.*q.*1.

QVÆSTIO III.

An, & quomodo Voluntas *moueatur ab Appetitu sensitiuo.*

D.Bon.d.28.q.2. & d.25. p.2.art.1. q.4.
D.Thom.quæst.9.art.2.& quæst.10.art.3.

Assero primò, voluntatem humanam moueri ab appetitu sensitiuo.

17 Probatur à D. Bonau. 3. *p. Breuil.c.*8. & D. Thom *hic*, ex illo Iacobi 1. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* Idem protur, Rom.7. *sentio aliam* (ait) *legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, captiuantem me.* Quæ tamen motio non obruit libertatem; alioqui non diceretur Genes.4. *Sub te erit appetitus*, vt docet D.Bonau. *d.*28.*loco cit.* Probatur ratione à S.Doct. *d.*25.*cit.* Quia id, quod est intrinsecum, & supremum non potest auferri, manente essentialiter re. Sed intrinseca est voluntati libertas: ergo. Confirmatur. Quia neque à terrore mortis, quam sensus maximè horret, cogitur, vt patet in Martyribus. Hinc D.Bernardus *serm.*5.*de Quadrag.* perbellè ait: *O homo; potest inimicus tuus excitare sensationis motum; sed in te est, si volueris dare, vel negare consensum.* Quod tamen moueatur, probatur à Tannero *d.*2. *q.*2. *dub.*4. Quia, si extrinseca propositio obiecti, quæ fit à motte mouet voluntatem; multò magis appetitus, intrinsecus suasor, alliciet suâ sympathiâ.

18 Assero secundò, posse quidem appetitum indirectè ex parte obiecti mouêre voluntatem, quatenùs, scilicet vrgente vehementiâ passionis in appetitu, trahitur ratio ad iudicandum obiectum, ad quod vrget passio conueniens. Ità D.Bonau. *ibi*,& locis infrà. D.Thom. *q.*9.*art.*1. & *q.*77. *art.*1. cum Aristotele 3.*Eth.c.*4. Quòd verò ipsam directè non moueat, probatur; quia est ei improportionatus, cùm sit corporeus; quæ ratio ostendit etiam de cæteris corporeis causis, puta cœlis, vt ostendunt Sancti, vt probatur 1.*p. tract.*6. *d.*2. *q.*17.

Assero tertiò. Nequit appetitus directè mouêre voluntatem absque iudicio rationis è sola sympathia. Ità D.Bonau. & D.Th suprà. Caietanus *ibi art.*2. Vasquez *d.*37.*c.*2. Lorea *d.*12. *de Act. Hum.* Pasqualigo *d.*13.*sect.*6. Caspensis *d.*4.*sect.*7. Catassa *d.*3. Ouiedo *contrau.*5.*p.*3. Valentia *d.*2.*q.*4.*p.*3. Morand.*tract.* 2. *q.*12. Arriaga *d.*3. contra Salam, Fonsecam, Azorium, Conradum, & alios, quos sequitur Auersa *hic*, *q.*9. *sect.*3. Medina *art.*2. 19

Probatur ab eis, è D.Bonauent. *d* 8.*p.*2.*quest. penult. arg.*3. *secundo loco*; quia omnis forma requirit dispositionem proportionatam; & omnis actus appetitus proportionatam cognitionem; quia appetitus elicitus non fertur in incognitum. Sed sola cognitio intellectiua est proportionata affectui rationali, vt patet: ergo. 20

Assero quartò. Nequit appetitus sensitiuus causare vllum iudicium in intellectu; quin simile præcesserit in phantasia.

Probatur. Nihil est in intellectu de his, quæ extra, quin prius fuerit in sensu ex Aristotele 3. *de anima*, *c.*7. ergo. Confirmatur; alioqui intellectus iudicium ferret de obiecto, extrà non cognito per sensum. 21

Hinc habes sensum D.Iacobi. Vult igitur, concupiscentiam abstrahere intellectum à consideratione eorum, quæ voluntatem frænarent, ne bonum ab appetitu sensitiuo concupitum appeteret. Allicere verò indirectè immutando sensum, & offerendo intellectui bonum sensibile, vt ipse illud voluntati exhibeat.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Voluntas *moueat seipsam ad suum primum actum.*

D.Thom.art.4.

Quæstio est, non modò de primo actu simpliciter Angeli post creationem, & hominis post vsum rationis; sed de quolibet actu circa quodcumque negotium; nam quot sunt negotia, tot sunt intentiones, & consultationes. 22

Prima sententia est, Voluntatem ad primum actum non mouêre moraliter seipsam. Id sentire videtur D.Anselmus *lib.de casu Diaboli, cap.*12. Sequuntur Thomistæ; Capreolus *in* 2.*d.*24.*q.*1.*art.*3. *ad* 8. contra quintam conclusionem, & *ad argumenta Scoti* contra secundam. Ferrar. 3.*cont.gent.cap.*89. Caietanus, Conradus, Medina *hic*, *art.*4. Aluarez, & alij Thomistæ, qui tamen perbenignè interpretatum D.Thomam sequuntur, nempè eum velle, voluntatem applicari à Deo ad primum actum, quatenùs à Deo inditam eam virtutem obtinuit: Vel quia non potest mouêre seipsam ad aliquod obiectum primò, nisi & proponatur: non potest autem voluntas facere, vt hoc magis, quàm aliud obiectum primò proponatur: ergo necesse est, vt aliquod agens externum determinet intellectum ad proponendum obiectum hoc, vel illud. Vide multas interpretationes in Vasquez *d.* 38. quas difficiles ait esse Caspensis *disp.*3.*sect.*9. 23

Cæterum aperta sententia communis est, voluntatem seipsam mouere etiam ad primum actum in finem. Ita D. Bonauent. 2 *dist. 3. p. 2. quæst. 1. & 2.* Scotus *quodlib. 41.* quem sequuntur discipuli. Faber 4. *dist. 9. num. 274.* Valentia *disp. 2. quæst. p. 4.* Vasquez *loco citato.* Suarez *disp. 6. sect. 7.* Pasqualigo *disp. 16. sect. 1.* Rainaudus, Arriaga, Caspensis, Auersa, Salas, Ouiedo, & alij, quos adducit, & sequitur Morandus, *Tract. 2. de Act. Hum. quæst. 14.* vbi ait, esse expressam sententiam D. Thomæ *q. 1. art. 2.* Idem admonet Tannerus *disp. 2. quæst. 2. dub. 5. num. 55.*

Assero cum hac sententia, Voluntatem mouere seipsam, etiam ad primum actum.

24 Probatur à Scoto *quodlib. 21.* & Fabro *numero 328.* Si voluntas in primo actu moueretur ab extrinseco, non à se, iam non liberè moueretur, & sic homo esset brutum. Probatur sequela; quia etiam bruta, hoc modo mouentur ab obiecto sensibili apprehenso per cognitionem sensitiuam. Hæc est ratio deducta è D. Bonauent. *in 2. dist. 3. part. 2. quæst. 1. & quæst. 2. in fundamentis.*

Respondet Caietanus, & Medina, negando sequelam; quia licèt in primo actu Voluntas sic moueatur; attamen in sequentibus liberè mouetur.

Hæc tamen non vrgent: nam adhuc concedunt, in primo actu voluntatem more brutorum se penitùs habere.

25 Confirmatur à D. Bonauent. *loco adducto, quæst. 1. fund. 3.* Quia sic voluntas aliqua vellet; in quibus nec laudem mereretur, nec vituperationem.

Si enim ea, quæ sunt voluntaria, non sunt posita in nostra potestate; sanè nullus laudari, vel vituperari debet, vt docet D. August. *lib. 2. de lib. arb.* Ideò *lib. 12. de ciuitate, cap. 6.* ait: *Ex duobus, quibus vana pulchritudo exhibetur, alterum recusare: alterum allici, quia vult.* Et lib. 1. Retract. cap. 22. ait: *Nihil est iam in nostra potestate, quàm voluntas.*

26 Probatur à Fabro *num. 341.* principaliter argumento D. Bonauent. 2. *dist. 25. p. 2. quæst. 5. in argumentis*, addita resolutione, & responsione. Hi, præsertim Medina, Bannez, & Recentiores dicunt, hunc actum primum esse à Deo, & de illo verificari Scripturas, quibus ostenditur Deus incipere bonum opus in nobis, vt Prou. 16. *Cor Regis in manu Domini; quocumque voluerit, vertit illud.* Ioan. 6. *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit.* Tunc quæro: An homo in his actibus primis, quibus mouetur sic à Deo, mereatur; necne? Respondent, eum mereri. Ergo ille actus non est merè naturalis, seu liber.

Obiicies primò. Agens, quod quandoque est agens, quandoque in potentia, eget aliquo deducente ad actum. Voluntas est tale agens: ergo; At non potest per primum actum deducere seipsam ad actum, quia id præstare deberet per alium actum voluntatis præcedentem; & hic per alium in infinitum: ergo eget moueri ab aliquo extrinseco principio.

27 Respondetur è D. Bonauent. *in 4. dist. 49. quæst. 2. in corpore*, voluntatem ab intellectu, vel illius naturam liberè seipsam determinare; nec abeundum ad alios actus voluntatis intercessores. Ità respondet etiam Faber *num. 362.*

Obiicies secundò. Quidquid liberè voluntas vult; totum vult, media consultatione; at consultatio non est de fine; sed de mediis tantùm ex Aristotele 3. *Eth. cap. 3.*

Respondetur, negando Minorem; licèt enim non sit consultatio de fine, vt finis est; Attamen est consultatio de eo, vt est quoddam bonum.

Obiicies tertiò ex Aristotele *6. Eth. ad Endemum.* Sæpè nobis nihil cogitantibus venit in mentem efficax cogitatio, quæ secum trahit voluntatem: hæc volitio non est inuenta à nobis; quia de illa numquam aliquid cogitauimus; neque potest tribui Angelo, qui non potest mouere nostram voluntatem: ergo tribuenda est Deo.

Respondetur è Diu. Bonauent. *in 2. dist. 24.* 28
passim, primas intellectiones venire ex obiecto potentiæ à sensu; casu autem accidit nobis, vt moueamur à tali obiecto; attamen voluntas liberè seipsam mouet.

Quæstio V.

Quomodo Voluntas *moueat alias potentias.*

Prima opinio est Scoti, *in 2. dist. 42. §. Respondeo ergo propositione tertia*, Ideò cæteras facultates moueri à voluntate ad operandum, quia dum voluntati placet operatio alterius facultatis, vnaquæque firmatur, & perficitur in sua operatione, hoc est, intensiùs operatur.

Recentiores nonnulli volunt, voluntatem 29
esse causam applicantem cæteras facultates; has autem facultates subditas voluntati, dicunt esse Intellectum, Sensum, & Appetitum; nam nutrientem, & generantem, nullo modo subdi voluntati existimant; quæ autem sit hæc applicatio non explicant: Facultatem verò motiuam, secundùm locum, passiuè tantùm se habere dicunt, & totam à Voluntate moueri.

Alii verò moderni volunt, physicè facultates à voluntate moueri.

Vasquez *prima secun. disp. 34. cap. 3.* asserit, voluntatem nullo ex prædictis modis mouere facultates, sed naturaliter quâdam sympathiâ.

Sententia S. Bonauent. *in Compend. Theol. verit. lib. 2. cap. 50.* est, Voluntatem moraliter mouere alias facultates, etiam secundùm locum motiuam; non tamen nutritiuam, generatiuam, aut augmentatiuam, quæ naturaliter penitùs operâtur.

Assero primò contra Scotum, motionem 30
hanc non consistere in eo, vt aliæ potentiæ firmentur, dum voluntati placet.

Probatur primò; quia non apparet, quomodo intensiùs oculus videat, ex hoc, quod placet voluntati, vt videat. Secundò. Quia etiam voluntas sic moueretur ab aliis potentiis, siquidem ab illis iuuatur.

Assero secundò, facultatem, loco motiuam, non se habere merè passiuè,

Probatur à D. Bonauent. ratione, qua vtitur Vasquez *num. 8.* Nam præter appetitum etiam in neruis, iuncturis ossium, & tendonibus, vim aliquam, & impetum experimur, qui ex labore, aut ægritudine languescit, & motum integrum perficere nequit; quòd si merè cum voluntate passiuè se haberet, posset semper strenuè operari

Assero tertiò, Voluntatem non mouere phy- 31
sicè alias facultates.

Probatur. Quia singuli habent suas operationes perfectas circa suum obiectum.

Assero

Assero quartò, Voluntatem non mouêre alias potentias per sympathiam, contra Vasquez.

45 Probatvr; quia hæc sympathia vel est aliquid naturale, vel liberum. Si naturale: ergo semper mouebit necessariò, & omnes necessariò mouebuntur. Si aliquid liberum: Ergo oportet, vt intercedat imperium Voluntatis; & hoc est, quod Seraphicus Doctor intendit.

QVÆSTIO VI.

An detur obiectum aliquod mouens necessariò Volvntatem *in via.*

D.Bonau.in 4.dist.49. quæst.2.
D.Thom. q.10. art.2.

Considerata voluntate, ratione libertatis, discussi: An necessariò moueatur, *in Tract. de lib. arb.* Nunc ex parte obiecti videamus: An detur aliquod obiectum, necessariò trahens appetitum rationalem.

32 Primò quidem aliqui asserunt, voluntatem nostram in via à beatitudine necessariò moueri, non modò quoad specificationem; ità vt oppositum non possimus velle; sed etiam quoad exercitium, ità etiam vt ab ea appetenda desistere nequeamus. Eos referunt Palud. *in 4. d.49. q.7. art. 2.* Maior *ibidem.* Et videtur Durandi *in 4. d.49. q.8.*

Vera tamen sententia est, voluntatem, quoad specificationem, necessariò moueri ad beatitudinem in vniuersum; non autem quoad exercitium; neque dari aliud obiectum tale in hac vita apprehensum, hoc modo rapiens voluntatem. Prior pars est D.Thom. *hic*, quem sequuntur Caietanus, Conradus, & Recentiores Theologi. Capreolus *in 1. d.1. q.3. art.1. concl.1. & 3.* Scotus *in 4. d.49. q.2. art. 1.* Rursus *ibi q. 10. §. Quantum ad secundum articulum*; tametsi ipse negauerit, dari aliquem actum naturalem in voluntate necessarium vtroque modo, quoad exercitium, & specificationem (siquidem ipse Scotus *in 1. d.10. quæst.1. §. Quantum ad primum dubium*, & *§. Quantum ad secundum dubium*, & *quodl.16. art. 1. & 3.* reuera con-

33 cedit, processionem Spiritus sancti vtroque modo esse necessariam; & tamen non esse dicendam naturalem.) Sed eo ipso, quòd ipse putat, nullum actum voluntatis esse dicendum naturalem, sed liberum, non solùm quia procedit à forma apprehensa per rationem, vt putat Vasquez *d.39. num.5.* Sed quia exit talis actus, sic complacente in eo voluntate, & illum volente secundùm suum institutum, qui est libertatis; vt dixi *tract. 2. p. p. disp. 13. quæst. 3.* & notat S. Bonau. *in 2. dist.25. quæst.5. arg.3. secundo loco*, & *in corpore.* Plaudunt Scotistæ apud Mastrium, & Bellutum *disp. 7. de anima, quæst.6. num.144.*

34 Eandem sententiam tenet Vasq. *loc. cit.* Valentia *d.2. q.5. p.2.* & est sententia communis (excipe Nominales) Eadem est sententia D. Bonau. *in 4. d.49. q.2.* Altera verò pars communis est, vt refert Tanner. *d.2. q.2. dub. 2. num. 26.* & alij suprà allegati pro secunda sententia, quibus adde Suarez *in Metaph. d.19. sect.8.*

Assero primò, Voluntatem necessariò ferri in beatitudinem, quoad specificationem.

Probatvr ex dictis *Tract.de anima, disp.9. c.5. quæst.12.* Voluntas non potest odio habere bonum sub ratione boni, vbi non appareat vlla ratio mali, Talis est beatitudo: Ergo. Hac ratione, quæ est D. Bonau. *ibi adducti*, vtuntur communiter, eamque manifestam acclamat Vasquez *disp. 31. cap.2.* & *disp. 39. cap. 2.*

Ex quo soluitur argumentum quoddam Maioris; nempè, Deum posse præcipere, vt odio prosequamur beatitudinem; & sic non esse necessarium amorem eius, etiam quoad specificationem actus. Respondetur enim, non posse Deum hoc præcipere; quia intrinsecè malum est, auertens hominem à fine eius. Reliqua vide *loco citato.* 35

Assero secundò, quoad exercitium non ferri voluntatem necessariò in beatitudinem.

Probatvr primò à Ferrariensi *3. contr. Gent. cap.62.* Quia cessare potest intellectus à consideratione illius: ergo etiam voluntas à prosecutionis exercitio. 36

Addit Vasquez *num. 11.* posse, supposità tali apprehensione, cessare prosecutionem beatitudinis; quia intellectus non solùm cessare potest ex se à tali consideratione, vel ex alia causa naturali; sed etiam ex imperio voluntatis, si iudicetur molestum, aut inutile intellectui, tali cogitatione detineri: Ergo eadem ratione, perseuerante tali consideratione, potest ab exercitio sui actus cessare. Ego quidem non video, qua ratione perseueret consideratio intellectûs, dum à voluntatis imperio ab ea impeditur. 37

Probatvr secundò à Scoto *in 4. loc. cit.* Inferior causa non potest imponere necessitatem superiori; sed intellectus est inferior causa, quàm voluntas, quæ est Diuina: ergo non potest ei necessitatem imponere. Hoc argumentum est D. Bonau. *in 2. dist.25. part. 2. quæst. 4. argum. vlt.* ad probandum, voluntatem non posse cogi intrinsecè à creatura aliqua inferiori, vel ab aliqua facultate ignobili, & eo sensu est validissimum; quia tangit ipsum, secundùm quod nobilis est, intrinsecè dominans per se, esto per accidens à sensu patiatur necessitatem, vt alligata corpori. 38

Huic tamen rationi occurrit Durandus *quæst.cit. num.12.* & Vasq. *num 12.* è D. Bonau. *in 2. dist.25. quæst. vlt.* quia intellectus nonnunquam necessitatem patitur à sensu, vt non possit non cogitare de re aliqua; cùm tamen sensus sit facultas admodum inferior. 39

Probatvr tertiò à Scoto *loc. cit.* & Vasquez *cap.4.* ratione S. Doct. *in corp. & fundamentis.* Eadem omnino ratio est beatitudinis in genere, & beatitudinis in singulari, nempe Visionis Dei, si hæc apprehendatur, vt continens beatitudinem; At nemo in hac vita necessariò, quoad exercitium, diligit Visionem Dei futuram: ergo idem dicendum de beatitudine in vniuersum.

Probatvr quintò meliùs à S. Doct. *in fundamentis.* Quod necessariò mouet naturaliter, nunquam mouêre desinit, nec in contrarium sinit moueri. Sed beatitudo cognita desinit mouêre, atque considerata ad bonum commutabile sinit peccatorem moueri: Ergo. 40

Respondet Durand. *loc. cit.* nunquam desistere ab effectu inefficaci beatitudinis, eamque spernere tantùm appetitu deliberatiuo: semper verò appetitu naturali eam velle. 41

Contra. Nam exercitium requirit, vt actus in contrarium alterius non vergat, nec ille ab actu cesset; At quidem cessat, & bono commutabili adhæret: Ergo.

Vbi aduerte, non esse necessarium ad hoc apparere in obiecto illo aliquod malum; sed sufficere, si in ipso exercitio appareat aliquid molestiæ, vel vt aliquod aliud bonum fortiùs moueat, & abstrahat, sic autem euenit peccatori, vt notat D. Bonauent. *loco cit.*

Obiicies primò, D. August. 13. *de Trin. c.* 3. vbi refert Comicum quendam in scœna promisisse populo, se die sequenti dicturum, *Quid omnes velint.* Confluente autem populo, dixisse. *Vultis vili emere, & charo vendere.* Subdit verò S. Aug. si dixisset mimus ille: *Omnes beati esse vultis, & miseri esse non vultis*; dixisset aliquid, quod nullus in sua non agnosceret voluntate. Idem habet S. August. *lib.* 3. *de lib. arbitrio.*

42 Respondet D.Bonauent. beatitudinem nobis naturaliter desiderabilem, ac volitam esse, quoad specificationem; non quoad exercitium, vt suprà ostensum est experientiâ. Sic etiam desiderium illud charo vendendi, & vili emendi, inditum est. Ità respondet etiam Vasquez.

Obiicies secundò ex Aristotele 2. *Phys. cap.* 9. *text.* 89. vbi finem in operatione, comparat principio in speculatione: atque intellectus primis principiis conclusionum necessariò, quoad exercitium præbet assensum, semel apprehensa terminorum connexione. Ergo voluntas circa finem, semel apprehensum, & repræsentatum, non potest non operari. Confirmatur ex eodem Aristotele dicente. *Omnes bonum exoptant; & sanè sufficiens beatitudinis.*

43 Respondet S. Doct. beatitudinem cognitam mouêre quoad specificationem; attamen ab exercitio cessari, maximè distracto intellectu, & abstracta, illectaque aliò voluntate à bono creato. Neque intentam comparationem prætendit Aristoteles, sed aliam longè diuersam; nempe, quòd sicut principia sunt per se cognita, non per aliud; ità etiam finis per se est volitus; quòd sicut assensus principiorum est causa assensus conclusionis; eodem pacto voluntas finis est causa voluntatis eorum, quæ sunt ad finem. Neque in hoc est similitudo, quòd sicut se habet intellectus ad verum; ità voluntas ad bonum; quia voluntas intrinsecè libera est, & ideò intrinsecè repugnat ei cogi, non sic intellectus; & ideò coactio plus repugnat voluntati, vt aduertit D. Bonau. *in* 2. *dist.* 25. *p.* 2. *quæst.* 4. *ad* 4.

QVÆSTIO VII.

An LIBERTAS *nostra, quoad vsum ligari queat.*

D.Bonau. dist. 25. part. 2. quæst. 6.

44 Assero, certissimum esse, libertatem nostram ligari in somno, in phrenesi, seu furia, & in infantia.

Probatvr à D. Bonau. primò è D. Bernardo *de lib. arb.* vbi ait. *Vesanis, infantibus, & dormientibus, nihil quod agant, imputatur.*

Secvndò. Quia vir castus in somno delectatur opere spurco, profectò quo non delectaretur in vigilia: Ergo ligatum est arbitrium.

Tertiò. Impedito priori, impeditur subsequens. Sed in somnis, in phrenesi, & infantia, impeditur actus intellectus, qui præcedere debet actum voluntatis, vt patet in infantibus, & phreneticis; Et Aristoteles 1. *de Anima, tract.* 66. ait: *Intellectus corrumpitur, quodam interiùs corrupto:* Ergo.

Qvartò. Sicut homo lassatur in sentiendo, sic lassatur in cogitando & meditando. Sed quia corpus lassatur in sentiendo, indiget quiete somni, in quo impeditur ab operatione sensuum: ergo. 45
Maior probatur. Quia etiam intellectio pendet à corpore; oportet enim intelligentem speculari phantasmata: & experimento constat. Minor probatur; quia somnus est in potentia sensuum, propter naturam spiritus retrahentem ad quietem, vt docent Auër. 2. *coll.* 21. Galenus *l.* 1. *de causa Sympt. c. vlt.* & *l.* 3. *de causa pulsus, cap.* 9. quibus fauent Auic. 13. *tract.* 41. Plin. *l.* 10. *cap.* 75. vbi somnum definit. *Somnus est animi in medium se se recessus.*

Quod verò non fiat illa obstructio meatuum, vnde somnus adueniat, ostendunt: Quia lassitudo, suauitas, cantus, tenebræ, & silentium, soporem conciliant, & inducunt, etiamsi nulla ciborum euaporatio adsit, cui somnum adscribit Aristoteles *l. de somn. & vigil. cap.* 3. & *l.* 2. *de part. animalium, cap.* 7. 46

Non nego tamen, etiam ex euaporatione oriri, sic enim aliqui cibi vaporosi somnum cient, vt lactucæ, bugolosæ, dactyli, papauera, mandragora, lac, vinum, aliaque huiusmodi, somnifera dicta, quæ plurimum vaporem sursum efferunt, & humenti, suauique halitu cerebrum rigant.

Deinde idcircò infantes, & phlegmatici somniculosi sunt; senes verò, & melancolici peruigiles; quia illi humiditate, hi siccitate præstant. 47

Tertiò. Quia multi ob inediam insomnes trahunt noctes.

Hanc duplicem somni causam constituunt Fracastorius *lib.* 2. *de Intellectu.* Alensis 2. *part. quæst.* 89. *memb.* 3. Colleg. *in libros de somno, cap.* 2.

Profectò è fine somni deduces quoque efficientem. Eum verò describit Tertull. lib. de Anima cap. 43. *Somnus est recreator corporum, redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, medicus laborum; cui legitimè fruendo dies cedit, nox legem facit, auferens rerum etiam colorem.* Vide Conimbricenses.

Qvomodo autem alligetur libertas, siuè per phrenesim, siuè per infantiam; variis opinionibus agitatur, quas S.Doct. recenset.

Primò enim aliqui dixêre, liberum arbitrium ligari ex ineptitudine corporis, ob animæ conuersionem. Aut enim corpus est ineptum ad intellectionem necessariam ex aliqua interiori læsione; sicut in furiosis, & phreneticis; & tunc anima cessat ab operatione intelligendi; eò quòd nimia compassione ad corpus conuertitur. Aut est ineptum ex organorum imperfectione, vt in paruulis; & tunc adeò conuersa est anima ad corporis gubernationem, vt sui obliuiscatur. 48

Contra hunc modum arguit S.Bonau.primò. Quia etiam in grauissimis doloribus extremitatum vigilat anima, nec adeò conuertitur ad corpus, vt libertas impediatur. Neque alterum caput impedit: Nam non magis in somnis conuertitur anima ad corporalia, quàm in vigilia. Si ergo in vigilia non impeditur libertas; neque debet in somnis impediri. 49

Secvndvs modus dicendi est, liberum arbitrium alligari impeditum propter carentiam obsequij

sequ'j necessarij sensuum; & quia non offerunt phantasmata, nec operantur ad excitandum ab extrà intellectum, immittendo species.

50 Contra hunc modum arguit S. Doct. Tum quia videmus sæpe, intellectum impediri, etiam non impedita virtute sensitiua interiori. Tum quia intellectus habet aliquas in memoria species abstractas; vnde videtur, quod posset eis vti, & proponere voluntati practicæ, quid agendum.

Tertius modus est, impediri arbitrij libertatem è communicatione, quam habet cum corpore inepto in operando; quia enim anima est vnita corpori, intelligit cum corpore, ità vt totus homo intelligere dicatur; esto non intelligat per corpus, ad modum, quo per ipsum vegetat, & sentit. Itaque facta inordinatione in corpore, impeditur operatio.

51 Contra arguit S. Doctor. Quia intellectio non est cum corpore; esto denominetur homo intelligens; nam intellectio est actio separata, vt docet Aristot. 2. *de Generat. animal.* c. 3. *tract.* 4. & 5. Et 3. *de anima.* Sicut autem, licèt denominetur totus homo albus; tamen formaliter solum corpus est album, & sic de aliis proprietatibus, seu accidentibus corporeis; ità accidentia spiritualia, vt intelligere, velle, &c. sunt formaliter solius animæ.

52 Qvartvs igitur modus, cui S. Bonau. hæret est, operationem quidem animæ impediri propter corporis ineptitudinem. Quia enim anima, & corpus vniuntur ad tertij compositi essentialis constitutionem, ei debetur operatio propria, vt vnum est. Hæc autem operatio est non solùm moueri, sentire, sed etiam ratiocinari; & anima pendet à corpore, non solùm quantùm ad sensum, sed etiam quoad intelligendum, quandiù est in corpore, non quia per corpus intelligat, sicut per corpus sentit; sed quia eget corpore disposito; dispositio autem hæc attenditur per id, quod est in corpore excellentissimum per eximios spiritus necessarios, qui in præstantissimis organis resident. Et quia dum aliquid aufertur ab aliquo, priùs aufertur id, quod est præstantissimum, & summum; hinc est, vt in læsione corporis tollatur priùs id, quod inseruit poten-

53 tiæ intellectiuæ, quàm quod inseruit sensitiuæ. Ideò fumositates ascendentes ad cerebrum, quæ perturbant spiritus in somnis, vel in pueris, vel in phreneticis, vel quæcumque alia sit læsio organorum, in quibus resident spiritus subtilissimi, & nobilissimi corporales, faciliùs impedit vsum rationis, quàm imaginationis. Hinc habes cur impediatur anima potiùs quoad operationis rationales, quàm sensitiuas: & cur magis quoad liberas, quàm quoad naturales; nam liberæ exigunt perfectum dominium, quod non exigunt operationes naturales; priùs enim aufertur perfectio operationis, quàm operatio, v.g. cùm aliquis infirmatur in pede, aufertur ei priùs virtus expeditè currendi, quàm omnino eundi, claudicando saltem.

Obiicies primò è 3. *Reg.* 3. Dominus apparuit in somnis Salomoni, & merito petitionis, quam fecit, Deus dedit ei sapientiam: Ergo in somnis erat liber; nam ea, quæ non sunt ex libertate, non merentur laudem, vel vituperationem, vt docet Aristoteles, imò & ipsa fides.

54 Respond. S. Bonau. fuisse eam gratiam specialem, vt in somnis ratione vteretur. Vel dicendum, Salomonem Deo placuisse, & meruisse ante somnũ.

Obiicies secundò è D. Greg. *l.* 8. *Moral. c.* 18. ad ea verba Iob. *Terrebis me per somnia*; vbi de illusionibus in somnis docet, eas permitti Sanctis ad meritum, & coronam.

Respondet S. Bonau. Sanctos mereri non in somnis, sed in vigilia, detestando eas turpitudines, vel etiam in somnis ex habitu ea detestando, sicut S. P. noster Franciscus hæc dormiens horrebat, & S. Franciscus Xaucrius sanguinem euomens ob violentiam in somnis factam contra turpem illusionem; Nam sanè merebatur tunc è præcedentibus actibus, sicuti, qui ex causa data pollutioni peccat. 55

Obiicies tertiò. Anima, quoad intellectionem, non est corporis actus: Ergo non pendet ab eò.

Respondet S. Doct. necessariam tamen esse dispositionem spirituum, vt operetur, dum est in corpore.

Obiicies quartò Quantò magis anima recolligitur ab exterioribus ad interiora, tantò magis viget operatio interior; sed cum ligantur organa sensuum recolliguntur vires animæ ad interiora: Ergo. 56

Respondet S. Doct. quòd anima in somnis reuocatur ad interiora, quoad operationes naturales, quæ vniuntur in quiete, & refocillantur, non quoad libertas.

Obiicies quintò. Videre futura, est virtutis maximè eleuatæ; sed in somnis potissimè fit reuelatio futurorum, vt Iosepho *Genes.* 37. Samueli, 1. *Reg.* 3. D. Ioseph *Matt.* 3.

Respondet S. Doct. Visiones, & reuelationes in somnis non esse, nisi ab Altissimo, vt dicitur *Eccli.* 14. Magis autem visitat in somnis, quàm in vigilia, reuelando futura. Tum quia anima in vigilia est dispersa ad exteriora. Tum quia Deus vult occultè reuelare: quippe *posuit tenebras latibulum suum.* Tum quia etiam in somnis magis agitur homo, quàm agat; & in reuelatione se habet homo magis ad modum suscipientis, quàm agentis: at in vsu liberi, arbitrij se habet vt agens. 57

Obiicies sextò. Magis pendet à corpore vis phantastica, & imaginatiua, quàm rationalis: Sed per te, ob ineptitudinem corporis, impeditur rationalis: Ergo & imaginatiua; sed hæc phantasiatur in somnis: Ergo.

Respond. S. Bonau. phantasiam rectam impediri in somnis, quod si magis impeditur rationalis, est, quia sublimioribus dispositionibus eget, vt dixi.

DISPVTATIO VII.

De Fruitione.

Iam incipimus de Actibus Voluntatis speciatim agere, & primò de his, quibus in finem ferrimur.

QVÆSTIO I.

Quid sit Frvitio.

D. Bon. in 1. d. 1. q. 1. art. 1.

Frvi dicit quandam quietem, & delectationem in aliquo vltimo, sumptâ metaphorâ à fructu, qui est vltimum delectabile. Artiùs verò quærentes; in quo posita sit fruitio, multas inuenimus opiniones. 1

Primò quidem Soto *in* 4. *d.* 49. *art.* 2 docet, visionem claram Dei, quæ elicita est ab intellectu, appellandam esse fruitionem Dei quatenus volita est.

Secvnda opinio est Scoti *in* 1. *d.* 1. *q.* 3. Richardi *art.* 2. *q.* 1. dicentium, amorem rei vocandum fruitionem, quam opinionem refert S. Bonau. *in corp.* & Vasq.

Vasq. *ad art. cit. D. Thom.* Probatur verò à DD. adductis è D. Aug. *primo de doctr. christ. cap.1.* vbi ait: *Frui est amore inhærere alicui rei propter seipsam*; quod testimonium sumpsêre è D Bonau.

Tertia est Alphonsi à Toleto *in primo, d.1. q.3. art.1. & 2.* Fruitionem includere in se & delectationem, & amorem de eadem re.

Qvarta opinio est D.Thom. Caietani, Conradi, & Recentiorum, *ad hunc articulum*, quos recitat, & sequitur Vasquez *loc. cit.* Valentia *d.2. q.6. p.1.* solam delectationem in re, dicendam esse fruitionem eius.

2 Qvinta opinio est D.Bonauent. *hic*, amorem simul cum delectatione dicendam fruitionem propriissimè; attamen minùs propriè etiam amorem solum appellari fruitionem. Itaque malè Vasquez adducit S. Doctorem, quasi eodem modo, & in amore solo, & in amore cum delectatione posuerit fruitionem.

Assero cum D. Bonauent. quietationem cum delectatione esse fruitionem.

Probatvr à D.Bon. è D. August. 10. *de Trin. c.2. 4. & 10.* vbi definit fruitionem. *Frui est quiescere in cognitis voluntate, propter se delectatâ.*

Aduertit autem Vasquez e D. Bonau. *hic*, nonnunquam etiam ipsum vsum rei, ex qua sumitur vtilitas, & commodum, vocari fruitionem, quia est veluti possessio fructus; eò quòd vsus rei, & fructus sunt causa delectationis, qua de causa etiam D. August. ait. *Frui est vti cum gaudio.*

Hanc tamen quæstionem magis de nomine,
3 quàm de re, aduertunt Scotus, & Valentia *loc.cit.*

Obicies primò cum Soto è D. August. *lib.1. de doctr. christ. cap.32.* vbi ait. *Hæc est summa merces, vt eo perfruamur.* Sed super illud Psalm.90. *Ostendam illi salutare meum*, ait Glossa; quòd visio est tota merces: Ergo si fruitio est merces, fruitio est visio per essentiam.

Respondet S. Bonau. visionem dici fruitionem per concomitantiam; quia visio, & complacentia, in qua consistit ratio fruitionis, inseparabiliter se habent.

Obicies secundò cum Scoto è D. Augustin. *lib.1. de doctr. Christ. cap.1.* *Frui est amore inhærere alicui rei propter seipsam.*

Respondet D. Bonauent. ibi non adeò propriè
4 sumi fruitionem adæquatè.

Obicies tertiò è D. August. *lib. 1. de doctr. Christ. cap.33.* *Vicinissimè dicitur frui, esse cum delectatione vti, cùm enim adest, quod diligitur, etiam delectationem secum necesse est, gerat.*

Respondet D. Bonau. à D. August. requiri etiam rem diligi, vt patet. Ideò *lib. 1. de doctr. Christ. cap.4.* ait. *Frui esse per amorem alicui rei inhærere, non quia tantùm cum delectatione coniunctus est amor; sed quia etiam amor requiritur*; esto enim non dicat: *Frui* esse amare; sed, *amore inhærere*, attamen non puram comitantiam, sed vt conditionem delectationis, amorem exigit. In quo Valentia decipitur.

Ex his habes, Fruitionem esse actum Voluntatis.

QVÆSTIO II.

An Frvi *conueniat soli creaturæ rationali.*

D.Bonent.loc.cit.
D.Thom.art.2.

5 Definio affirmatiuè, si propriè loquamur.

Probatvr à SS. Doct. quia *frui*, est delectatio in bono cognito, & amato, sola autem rationalia cognoscunt rationem boni: Ergo sola propriè fruuntur.

QVÆSTIO III.

An solo vltimo fine sit fruendum.

D. Bonau. in 1. d. 1. q.1.& 2.art.3.
D.Thom. Ecit. art.3.

Assero primò, vltimo fine fruendum esse. Ità D. Bonau. *quæst. 1.*

Probatvr à D.Bonau. Eo fruendum, in quo est nostra beatitudo: sed talis est vltimus finis, qualis est Deus: Ergo. 6

Secvndò. Eo fruimur, quod amamus: Ergo quod est maximè amabile, est maximè fruibile. Talis est vltimus finis, qui est Deus: Ergo.

Assero secundò, solo vltimo fine fruendum. Ità D. Bonau. *quæst. 2.*

Probatvr à S. Doct. primò. Illud est, quo solo fruendum, quod est vltimum simpliciter, & propter se diligendum, nec ad aliud ordinatur. Talis est Deus solus: Ergo. Hoc argumento vtitur etiam D.Thomas *loc. cit.* Valentia *disp.2. quæst.6. parte 2.* 7

Creaturis autem non posse nos propriè frui; quia non sunt summum bonum, in quo voluntas conquiescat, docet D.August. *lib.83. qq. quæst.30.* vt notat D.Bonauent. *dist.1. quæst. 3. art.1.* & post eum Valentia *loco citato.*

Ex his habes, etiam fruitionem esse solùm de vltimo fine iam habito, in quo iam conquiescat voluntas delectata, vt notat D. Bonau. *art.2. q.2.* & post eum Valentia *loco citato.*

DISPVTATIO VIII.

De Intentione.

Postquam egimus de Actu Humano, qui respicit vltimum finem: agendum de intentione, quæ in omnem finem aspirat.

QVÆSTIO I.

Vtrum Intentio *sit actus Intellectus; an Voluntatis.*

D.Thom. q. 12. art. 1.
D.Bonau. in 2. d. 38. art.2. quæst.2.

Celebris, eaque vniuersalis opinio est, Intentionem esse actum solius Voluntatis. Ità D. Thom. *hic*, quem omnes discipuli sectantur. Richard. *in 2. d.38. art.3. quæst.1.* Durand. *quæst. 2.* Scotus *quæst.1.* quem Scotistæ sequuntur. Vasq. *d.40.* Valentia *d.2. quæst.7. punct.1.* Caspensis *d.4. sect.*

sect. 1. & alij apud Rabesanum Scotistam 3. *de anima*, *disp.* 4. *quæst.* 2. & Bassæum, *v. Act. Hum.* 3. *num.* 5.

1 Enim verò Seraphicus *hic* vult, Intentionem esse actum Intellectus, & Voluntatis. Eius rationes flocci pendendas clamant Recentiores. Addit tamen *ad penultimum*, quoad directionem, principaliùs esse in Intellectu; quoad tendentiam verò esse in Voluntate. Idem habet *Tom.* 7. *de septem Itineribus*, *Itinere* 1. *dist.* 2.

Assero cum hac sententiâ, Intentionem esse Intellectus & voluntatis actum.

Probatur primò à S. Doct. *hic*, & *Tom.* 2. *Opusc. de sex Alis Cherubim.* In quarta Ala, è *Matth.* 18. vbi Christus ait: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum; & proiice abs te. Si oculus tuus simplex fuerit, &c.* Ibi per oculum accipitur Intentio; vt exponit D. August. *lib.* 4. *contra Iulianum*, *cap.* 3. & *lib.* 2. *de serm. Domini in monte*, *cap.* 22. oculus autem animæ, non est Voluntas, sed Intellectus. Idem exponit D. Bernardus, *in sermonibus*, vt refert D. Bonau. *lib.* 2. *Pharetra*, *cap.* 45.

2 Respondet Valentia, Vasquez, & alij post D. Thomam, quòd intentio metaphoricè vocatur oculus, non quatenùs oculus est potentia cognoscitiua; sed, quia sicut homo dirigit gressus oculis; ità intentione, & cognitione finis, quæ ipsam antecedit, dirigit suas actiones.

Contra est D. Augustinus, qui loquens de isto oculo, subdit, paulò ante finem. *Mundatus ergo oculus, simplexque redditus, aptus, & idoneus erit ad intuendum, & contemplandam interiorem lucem suam. Iste enim oculus cordis est. Hunc talem oculum habet ille, qui finem bonorum operum suorum, non in eo constituit, vt hominibus placeat: & quidquid officiorum exhibet homini, hac*
3 *intentione exhibet, qua sibi exhiberi vult:* De qua intentione superiùs tractauimus, cùm de oculo simplici. Ecce alludit ad supradicta; metaphoricè quidem oculum corporeum, vocat intentionem; quis hoc negat? Sed reuera, eum esse lumen astruit. Confirmatur. Nam Christus ait. *Lumen corporis tui est oculus tuus.* Quid clarius? *Qui locus* (ait D. Augustinus) *sic intelligendus est, vt nouerimus, tunc omnia opera nostra esse munda; si fiant simplici corde, hoc est intentione supernâ. Oculum ergo hìc accipere debemus ipsam intentionem, qua facimus, quidquid facimus, quæ si munda fuerit, & recta, & illud aspiciens, quod aspiciendum est; omnia opera nostra, quæ secundùm eam operamur, necesse est, vt bona sint.* Ecce ait, quòd intentione, tanquam oculo, aspicimus & cognoscimus: Ergo est intellectiua. Confirmatur ex aliis verbis
4 D. Augustini. *Hoc est enim* (ait) *lumen in nobis, Lumen enim dicitur, quia nouit quomodo faciat, & cum malo animo facit, sed ipsum lumen tenebræ sunt, quia non in superna dirigitur simplex intentio, sed duplici corde. Si ergo lumen, quod in te est tenebræ sunt, id est, si ipsa cordis intentio, &c.* En quàm præclarè loquitur S. Augustinus pro sententia S. Bonau. vt notat idem Seraphicus, *dist. cit. art.* 2. *quæst.* 1.

Nec valet responsio D. Thomæ, quod intentio dicitur lumen, quatenùs est nota intendenti. Hoc enim est contra D. Augustinum, vt patet. Vult enim, esse lumen, quatenùs dat notitiam. Vnde & paraphrasis Vasquez nullius resultat ponderis.

5 Probatur secundò à D. Bonau. è D. Bernardo, qui ait: Vt sit oculus, hoc est intentio simplex, necessariam esse charitatem in Voluntate; & veritatem in Electione.

Respondet Vasquez, hoc testimonium parui esse momenti ad id probandum.

Præclarus hic vir non vidit D. Bernardum in vestigiis D. Augustini, ex more, fixum.

Probatur tertiò à D. Bonau. Intentio non est sola tendentia in finem, sed cum collatione mediorum ad finem; collatio autem est actus Intellectus: Ergo intentio includit etiam intellectus actum.

Respondet Vasquez post Scotum, quòd etiam voluntas confert media, ad finem volendi hoc propter aliud.

Contra. Collatio est, apud Philosophos, 6
actus, qui sequitur apprehensionem, dicit cognitionem compositam apud rationales, eamque rationis actum fatetur Vasquez *ad art.* 5. *D. Thom. huius quæst.* Et hinc probat, in brutis non esse intentionem, quia non est collatio mediorum.

Probatur quartò ex D. Thom. *art.* 5. Intendere, est in aliud tendere, vt mouentis ad finem; sed hoc est rationis munus: Ergo. Totum argumentum est D. Thom. *loc. cit.*

Obiiciunt primò Vasq. & alij; quia voluntas fertur suâ intentione in rem cum ordine ad intellectum; non tamen per hoc sequitur, quod spectet etiam ad intellectum.

Respondetur, hunc ordinem ad intellectum 7
esse intrinsecum; atque adeò etiam intellectum interuenire.

Obiiciunt secundò D. Ambrosium apud S. August. *lib. de spiritu, & litt. cap.* 4. vbi ait. *Affectus operi tuo nomen imponit.* Sed quod nomen imponit operi, est intentio: Ergo intentio est affectus.

Respondetur; *ibi* ne verbum quidem ex allegatis haberi, solùm asseritur concupiscentia, pro causa peccati. Imò duo verba habet pro nobis, dicens: *Quod alij non luminosa charitate, &c.*

Respondetur secundò ex D. Bonau. *in* 2. *dist.* 40. 8
quæst. 1. affectum quidem intentionem exprimere, ex D. Ambrosio; quia etiam voluntas interuenit, & suo ordinat imperio.

Obiiciunt tertiò. Eiusdem facultatis est intendere, cuius est prosequi & fugere; sed hæc sunt Voluntatis, non Intellectus: Ergo.

Respondetur, negando maiorem: Nam ad prosequendum iam voluntas edocta est ab intellectu.

QVÆSTIO II.

Vtrum Intentio *sit tantùm vltimi Finis.*

D. Thom. artic. 2.
D. Bonau. tom. 7. de Itin. Ætern. itin. 1. dist. 3.

Assero, Intentionem esse etiam aliorum finium.

Probatur à D. Bonau. *loc. cit.* & D. Thom. quia vltimus finis humanarum voluntatum est vnus, idest beatitvdo. Si ergo esset tantùm 9
intentio vltimi finis, non essent tot hominum intentiones circa bona temporalia, etiam auertentia à Deo, & à beatitudine.

Probatvr

PROBATVR secundò à D.Bonau. *locis adductis*, quia tot sunt intentiones, quot sunt amores obiectorum per se, siue honesta, siue delectabilia sint. Sed amores sunt plurimi : Ergo.

QVÆSTIO III.

Vtrum aliquis possit multa simul intendere.

D.Thom. art. 3.
D.Bonau. loc.cit.

ASSERO negatiuè probabiliter.

10 PROBATVR ab aliquibus. Ità se habet intellectus ad sua obiecta; sicut voluntas ad sua proportionaliter; sed non potest intellectus plura per modum plurium percipere : Ergo. Minor à D.Thoma tenetur; vnde non videtur consequenter alterum negare; & alterum concedere. Nos verò *tract. de Angelis, disp.2. quaest. 22.* tenuimus, posse plura per modum plurium percipi, licèt non adeò perfectè.

Enim verò, si sint duo fines, alter ad alterum ordinabilis, possunt intendi. Ità D. Bonauent. *loco citato.*

11 ASSERO secundò. Probabilius est, posse duos fines simul intendi. Ità D. Thomas.

PROBATVR, retorto primo argumento. Sic se habet voluntas ad obiectum suum, sicut Intellectus ad verum : sed potest intellectus duo simul obiecta intelligere : Ergo & voluntas duo bona intendere.

Addunt aliqui, voluntatem non posse eadem vi in duas bonitates, æque mouentes, vno actu tendere. Ità Rabesanus allatus *quaest.1.*

QVÆSTIO IV.

Vtrum INTENTIO *conueniat brutis.*

D.B.in 2.d.38.q.penult.
D.Thom.q.12.art.vlt.

COMMVNIS sententia est, sola rationalia intentione agere; si propriè loquamur. Ità D. Thom. *p.p. quaest.59. art.1.* & *quaest.103. art.1. ad* 1. & 3. *contra Gent. cap.24.* Et *de volunt. q. 22. art.1.* Et *de Prouid. quaest.5. art.2.* Et vbetiùs *p.2. quaest.1. art.2.* & *quaest.6. art.1.* Et *quaest.12. art. vlt.* quem sequuntur omnes discipuli ad loca allegata. Idem sentiunt PP. Iesuitæ. Adde Scotum *in 2. dist.38. quaest. vnic.* Durandum *ibi, quaest.2. ad 2.* Richard. *art.3. quaest.1.* Gabr. *art.1. quaest.1. notat.3.* inclinat Ægidius *quaest.2. art.1. & d.25. q.1. art. 2.* Colleg. *2. Physic. cap.9. quaest.2. art.2. &* 3. Hurtad. *disp.13. de anima, sect. 3.* Vasq. *disput.3. prima secunda.* &
12 *art. vlt. quaest.12. D.Thomæ.* Valent. *disp.2. quaest.7. punc.4.* vbi aduertit, non negari à D.Thoma peculiari ratione, Bruta agere propter finem, quatenùs scilicet illum cognoscunt, saltem materialiter; in qua cognitione rebus merè naturalibus præcellunt. Quod si ob eam rationem velit quis dicere, bruta, agentia modo prædicto propter finem, habere quandam intentionem finis; quæstio erit de nomine. Idem omninò sentit D. Bonauent. *hîc*, quamuis enim neget, bruta omninò passiuè se habere ad finem, & concedat eis intentionem, modo prædicto; Attamen concludit, intentionem propriè solis rationalibus conuenire; quia ea sola tendunt in finem formaliter cognitum, cum collatione mediorum ad finem, quæ est ratio SS. Thomæ, & Bonau. tametsi P. Galitius in alteram sententiam Seraphicum interpretetur. Neque aliter sentit Peretius *lib.8. cap.3.* & Picolominus, à Galitio allegati *lib.2. Physic. tract.5. quaest.6.* quod tandem in primo asserendo fatetur,

ASSERO, sola rationalia intentione finis agere. 13

PROBATVR à D. Bonauent. primò è Glossa ad Lucæ 11.

SECVNDÒ. Intentio est actus vis collatiuæ, qui enim intendit, ab vno in aliud tendit, & vnum alteri comparat; sed vis collatiua reperitur in solis rationalibus : Ergo. Hac ratione nititur D. Thom. & alij.

RESPONDET Galitius *num. 9.* negando maiorem, cùm, per simplicem appetitum contingat, agens ordinare opus suum ad finem, sicut ordinat Aranea telas ad muscarum venationem.

AT verò S.Bonauent. nostram Maiorem concedit, si propriè sumamus intentionem, & sanè vsus loquendi propriè obtinuit, vt intentio sit motus appetitus illuminati ab intellectu, tendens in finem cum mediorum collatione, vt notat Valentia. 14

OBIICIT P.Galitius. Omne agens propter finem, intendit illum. Sed naturalia verè agunt propter finem : ergo eum intendunt.

RESPONDETVR è D.Bonauent. maiorem propriè esse falsam vniuersaliter, vt diximus, nec aliquid probant sequentes instantiæ eius. Quotuplex verò sit intentio, dicam *3. part. tom.2. tract.1. dist.3. quaest.5. & 6.* 15

Ex dictis colligo, Bruta non agnoscere bonum formaliter, vt bonum; contra Vasquez. Probatur ad Hurtado *disp.14. de anima, sect.3.* Caspensi *prima secun. dist.1. sect.5.* deberent enim cognoscere illud, vt finem, cum proportione, & relatione mediorum.

DISPVTATIO IX.

De Electione.

CVM de Actibus Humanis, qui sunt circa *finem* egerimus; iam agendum de his, qui circa *Media* versantur; è quibus, primus est ELECTIO.

QVÆSTIO I.

Cuius Potentia ELECTIO *sit actus.*

D.B.in primo d.40.p.2.q.1.& 2.
D.Th.prima 2.q.13.art.1.

VASQVEZ *disp.41. cap.1.* aduertit, non eodem modo à Scholasticis, & Aristotele, sumi ELECTIONEM. Aristoteles enim *6. Eth. à cap.9.* distinguit electionem à proposito, quod à nobis dicitur INTENTIO; nam propositum est circa finem abstractum ab omni materia, & dicit fieri à Virtute; Electionem verò rectam fieri à Prudentia; vbi per electionem non intelligit solùm voluntatem mediorum 1

diorum ideò 3. *Eth. cap.* 2. ait, electionem esse eorum, quæ sunt ad finem, sed etiam voluntatem circa materiam singularem propriam virtutis per prudentiam iudicatam: Scholasticos verò, dicit, sumere electionem solum pro voluntate mediorum vtilium ad talem finem; etiamsi non sint materia propria virtutis, nec in eis reperiatur bonitas virtutis primariè, sed tantùm secundariò, vt sunt vtilia ad talem finem.

Enim verò doctrinam de duplici acceptione electionis, traditam ab Aristotele, videtur cognouisse S. Bonauent. *loc. cit.* à quo eam desumpsit Scotus *in 3. dist. 36. quæst. vn.* §. *Licet istud videatur.*

2 Vniversalis Scholasticorum Sententia astruit, electionem esse actum elicitum voluntatis; connotari tamen ordinem ad intellectum consultantem. Ità D. Bonauent. *loc. cit.* & *in Itinerario mentis in Deum*, *cap.* 3. ad medium. D. Thom. *hic*, vbi omnes Thomistæ. Alensis 1. *p. quæst.* 30. *mem.* 1. Albert. *in* 2. *dist.* 24. *art.* 7. Ægid. *in* 2. *dist.* 24. 1. *p. dub.* 6. Richard. *ead. dist. art.* 2. *quæst.* 3. Durand. *in primo, dist.* 41. *quæst.* 1. Capreol. *in primo, d.* 1. *quæst.* 2. *art.* 1. *concl.* 3. & *art.* 3. *ad argumenta*, *contra* 3. *concl.* Eustratius *in* 6. *Eth. cap.* 2. Burid. *in* 3. *Eth. quæst.* 13. post Aristotelem 3. *Eth. cap.* 2.

3 Probatvr à Vasquez *cap.* 2. ratione D. Bonauent. *loc. cit.* Communis modus sentiendi apud homines est, vt ille tunc dicatur aliquid eligere, cum affectu suo, è duobus propositis vnum, vt melius, & vt amandum, prosequitur.

4 Adverte; cùm omnis actus habeat ordinem ad intellectum; quia voluntas ferri non potest, nisi in præcognitum: Attamen non omnes actus voluntatis definiri per ordinem ad intellectum; quia, licèt supponat cognitionem; tamen illi actus formaliter solius voluntatis sunt; at verò Intentio, & Electio conueniunt voluntati non absolutè; sed electio est cum ordine mediorum, & finis. Intentio verò est ad finem cum respectu ad media. Ideò ad rem nostram, Aristoteles 6. *Eth. cap.* 2. definit electionem. *Electio est vel Intellectus appetitiuus, vel appetitus intellectiuus.* Sumit verò intellectum pro actu intellectionis: similiter & appetitum pro actu appetitionis. Et D. Gregorius Nyssenus *lib.* 5. *Phil. cap.* 4. dicit, Electionem esse mixtum quid è consilio, iudicio, & appetitu. Aduerte *ibi*, nihil definitiuè Aristotelem astruere: Nyssenum verò parum æstimare vter ex his actibus, directè; vter verò indirectè electioni conueniat.

Ex quo habes etiam essentiam, & definitionem Electionis.

QVÆSTIO II.

Vtrum Electio *conueniat Brutis.*

< D. Thom. art. 2.

5 Assero negatiuè.

Probatvr à D. Bonauent. *locis suprà adductis*, & Vasquez *hic ad D. Thom.* Quia electio requirit collationem mediorum ad inuicem, & discretionem alicuius, vel aliquorum; hoc autem nequit fieri à Brutis.

6 Probatvr à D. Thom. Quia electio dicit indeterminatum, seipsum determinantem liberè ad vnum, quod Brutis non competit.

QVÆSTIO III.

An Electio *sit tantùm mediorum; An etiam* Finis.

< D. Thom. art. 3.

Iam *quæstione prima* vidimus, Electionem esse etiam finis huius, & huius singularis, è pluribus oblatis, in doctrina Aristotelis, atque Seraphicum Doctorem visum esse id cognouisse; At in sententia D. Thomæ, esse solùm circa media; quod probat, quia de fine non est consultatio, nisi ille sit talis, vt ad alium ordinetur. Attamen, tametsi de fine abstracto à materia hac, vel illa, non sit consultatio; ac proinde neque electio; attamen de fine, *vt hoc*, esse potest consultatio, & electio, vt optimè aduertit Vasquez ad hunc articulum. Vsus tamen est Communis, vt finis non sit obiectum electionis. Ideò Aristoteles 3. *Eth. cap.* 2. ait: *Voluntas finis magis est, electio verò eorum, quæ ad finem spectant: Vt sani esse volumus; eligimus verò ea, quibus sani esse valeamus*, vt notat Valentia *disputat.* 2. *quæstione* 8. *puncto* 2.

QVÆSTIO IV.

An Electio *sit tantùm possibilium.*

< D. Thom. art. 5.

Qvæstio nostra est: An Electio possit esse impossibilium, quæ vt impossibilia iudicantur. Et hinc desumimus ansam definiendi in genere: An voluntas circa impossibilia, vt tale cognitum, esse queat.

7 Prima opinio est Caietani *p. p. q.* 64. *art.* 3. Impossibile quidem per accidens nuncupatum, appeti posse per se, voluntate aliquâ. Vocat autem impossibile per accidens, quod ex intrinseco, & in omni euentu non est impossibile; redditur tamen in aliquo euentu impossibile, vt hominem non peccasse, est impossibile, non intrinsecè, & in omni euentu; sed postquam peccauit: at verò in impossibile, quod non in casu, sed ex naturâ rei est impossibile, censet non posse ferri voluntatem per se affectu prosecutionis: benè tamen per accidens. Impossibile autem naturâ suâ dicitur à Caietano, id, quod in omni euentu est impossibile: vt creaturam esse Deum. Docet igitur, hoc impossibile appeti non posse, nisi coniungatur alteri amabili possibili: & ideò dicit, non appeti per se, sed per accidens. Idem sentit Conradus ad hunc articulum D. Thomæ *ad* 1. parumque ab eo recedit Ferrariensis 3. *contr. Gent. cap.* 109.

8 Secvnda opinio est Capreoli *in* 1. *dist.* 4. *quæstione* 1. *artic.* 3. Scoti *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 2. *art.* 1. *in solut.* 2. & *dist.* 14. *quæst.* 2. *artic.* 1. *ad finem*, dicentium, impossibilium omnium etiam eorum, quæ impossibilia sunt cognita, posse esse voluntatem, non absolutam, sed conditionatam; seu Velleitatem, quæ non exprimitur per verbum, *Volo*, sed *Vellem*, ex quo deducunt, voluntatem non ferri in impossibile, sed in possibile; quia fertur in impossibile sub ea conditione; *si posset fieri.* Hæc videtur D. Thomæ sententia *hic ad* 1. & *quæst.* 16. *de malo, art.* 3.

ad 9. & hoc sensu locutos aiunt Aristotelem, Nyssenum, & Damascenum, dum asserunt, voluntatem esse impossibilium; non tamen electionem.

9 Tertia sententia est Scoti *in* 2. *dist*. 26. *quæst*. 1. §. *Respondeo*. Gabr. *quæst. vn. art*. 3. *dub*. 2. Maioris *quæst. vn*. qui astruunt, impossibilium posse esse, non modò voluntatem, sed etiam electionem; ex quâ doctrinâ deducunt, Angelum potuisse non modò velle, sed etiam eligere æqualitatem cum Deo. Notant verò, tàm electionem, quàm voluntatem dupliciter sumi. Altera enim est voluntas efficax altera complacentiæ: & prior quidem assumit etiam media, posterior nequaquam, vt ægrotus, dum vidit sanitatem sibi impossibilem, eam quidem vult, sed media non requirit; sicuti dum eam sibi possibilem credit; & illa quidem efficax non potest esse circa impossibile cognitum tale, hæc verò potest esse. Electio quoque in sententia Scoti est duplex. Prima est actus quilibet voluntatis, qui sequitur plenam intellectus considerationem sufficientem ad peccatum; qui enim peccat, dicitur ex electione peccare. Secundò sumitur pro voluntate mediorum è consultatione præcedente. Ait ergo Scotus, Electionem, priori modo, posse esse circa impossibile, non verò posteriori modo.

10 Quarta sententia est, Impossibilium ità cognitorum posse quidem esse aliquam complacentiam, quæ sanè in obiectum absolutè consideratum aspiciat; non tamen posse esse electionem, aut vllam voluntatem efficacem. Ità D. Bonauent. *in* 2. *dist*. 5. *art*. 1. *quæst*. 2. & vidimus *tract. de Ang. disp*. 7. *quæst*. 3. *asserto* 3. quem sequuntur Vasquez *disp*. 42. *cap*. 4. Valentia *disp*. 2 *quæst*. 8. *p*. 2. & alij adducti 1. *p. loc. cit*. atque Caspensis *disp*. 4. *sect*. 5. Bassæus, *v. Act. Hum*. 3. *numero* 9.

11 Assero primò cum hac sententia, non posse de impossibili esse electionem.

Probatvr à Valentia primò, ex Aristotele 3. Eth. cap. 2. *Electio eorum minimè est, quæ fieri non possunt; quæ si quis diceret, se eligere, stolidus esse videretur*. Idem innuit S. Bonauent. *loc. cit. in fundamentis*.

Respondet Scotus, Aristotelem locutum de electione, vt dicit consultationem, & discretionem etiam mediorum. At verò, vt dixi *loco relato de Angelis*, talis est vera electio; alia verò à Scoto assignata nequaquam vera est; tenemur autem nos definientes, accipere res, iuxta veterum Sapientum acceptiones, nec nouas proprio marte configere, ne confusiones inducamus in doctrinas. Sic autem de electione negant Gregorius Nyssen. *lib*. 5. *Phil. cap*. 4. Damascenus 2. *de fide, cap*. 22. Itaque Scotus abutitur nomine electionis.

12 Probatvr secundò à Valentia, quia id, quod eligitur, ideò eligitur, vt per id, finem assequamur; atque ità debet esse aliquid possibile, cuius signum est, quòd cùm inter deliberandum occurrit aliquid impossibile, illicò deliberatio ab eo deflectit. Hæc est ratio Diu. Bonauent. *in fund*. 4. *& in corpore*. Confirmatur à Seraphico Doctore, Quia voluntas sequitur intellectum: ergo quod intellectus putat impossibile, Voluntas non prosequitur.

Probatvr tertiò à Seraphico Doctore *in* 2. *distinct*. 25. *part*. 2. *artic*. 2. *quæst*. 2. *argument* 2. Electio voluntatis est de his; de quibus consiliamur, sed non consiliamur de impossibili vt patet: Ergo.

Assero secundò, posse de impossibili esse complacentiam.

Probatvr ex Aristotele, Nysseno, & Damasceno, qui *locis adductis* aiunt, Impossibilium esse posse voluntatem; non verò electionem.

Probatvr à D. Bonauent. primò ex illo Isa. 13 14. *Scandam, &c. Similis ero Altissimo*, & Glossa ad Psalm. 68. *Quæ non rapui, tunc exsoluebam*. Dicit enim voluisse rapere diuinitatem Et homil. è D. Bernardo *de grad. humil*. vbi ait, voluisse Diabolum Deo æquari. Sed hoc non elegit: ergo aliquo modo appetiit.

Probatvr à S. Doct. secundò, quia sicut bonum est appetibile; ità maximum bonum est maximè appetibile; sed talis est res impossibilis; vt, te Deum esse: ergo. Confirmatur. Quod enim est delectabile, est appetibile; sed impossibilia aliqua sunt delectabilia: ergo.

Probatvr tertiò à S. Doct. *in* 4. *dist*. 50. *quæst*. 14 1. *ex illo Sap*. 5. vbi damnati *pœnitentiam agentes* dicuntur optare, se nunquam peccauisse.

Probatvr quartò ab eodem S. Doct. *loc. cit. quæst*. 2. ex Apoc. 9. *Desiderabunt homines mori; & mors fugiet ab eis*. Alia multa habet S. Bonauent. *in illis quæstionibus*.

Probatvr à Vasquez; quia aliquando homo considerans esse Angeli, vel auis; complacet sibi in nobilitate Angeli, vel agilitate auis, & delectatur, quasi illis dotibus præditus. Similiter damnati, odio Deum prosequuntur, desiderantes, illum non esse.

Assero tertiò, non dari actum voluntatis 15 conditionatum, idest *vellem*.

Probatvr à Vasquez *numero* 10. Sicut in cognoscitiuis potentiis nullus est actus conditionatus, puta, non est actus oculi, *viderem*; nec intellectus *intelligerem*; ità neque voluntatis est *vellem*.

Hæc tamen ratio mihi non placet. Non enim est simile; nam potentiæ cognoscitiuæ sunt, & ad obiectum determinatè feruntur, non liberè; at voluntas liberè fertur in obiectum: vnde potest sibi ex hoc capite ità determinare: *Vellem hoc*, si esset bonum.

Probatvr igitur meliùs: Quia omnis potentia elicit actum sibi proprium; sed actus voluntatis est *velle*, & *nolle*. Ergo semper aliquid vult, vel respuit. *Vellem* enim non dicit actum, & ex hoc capite æquiparatur cognoscitiuis potentiis.

QVÆSTIO V.

An Volvntas *ex duobus mediis æqualiter propositis possit alterum; vel ex inæqualiter propositis possit minus eligere.*

D. Thom. art. 5

Prima sententia est negatiua, volens semper 16 eligi illud, quod æstimatur vtilius. Ità Gregor. *in primo, dist*. 40. *&* 41. *quæst*. 1. *art*. 2. *ad* 1. Conrad. *ad hunc art. D. Thom*. & cum eo Recentiores Thomistæ. Azot. *tract*. 1. *lib*. 1. *cap*. 25. *quæst*. 6. Vasquez *disp*. 43. *cap*. 2. Medina *p*. 2. *quæst*. 3.

Secvnda sententia est, semper liberè eligi, ac proinde etiam æquale, vel minus vtile. Videtur S. Bonauent. 2. *dist*. 25. *p*. 2. *quæst*. 2. Præclarè verò astruit 2. *dist*. 25. 1. *p*. *q*. 6. *fund*. 2. Sequuntur Henric. *quodl*. 1. *q*. 16. Richard. 2. *dist*. 38. *art*. 2. *q*. 4. *in resol. & ad* 3. Maior *ea dist. q*. 1. Marsil. *in* 2. *q*. 16. *art*. 4. Scotus *in primo, d*. 1. *q*. 4. & *in* 3. *d*. 36. quem imitan

imitantur discipuli apud Mastrium, & Bellutum *disp.7.de anima quæst.6.* Rabes. *q.6 l.3.d.3.* Valentia *d.2.q.8.p.3.ad calcem,* Caspensis *disp.4.sect.3.*

Assero cum hac sententia, æquale, vel minùs vtile liberè eligi. Hoc est D.August.12.*de ciuit.*..6. vbi assumit duos,eandem mulierem contemplatos.

17 Probatvr primò è D.Bernardo,Opusc.aureo *de Gratia, & lib. arb.* vbi id satis clarè exprimit: quia destrueretur alioqui libertas,tam specificationis, quàm exercitij.

Probatvr secundò à quibusdam. Deus potest è duobus æqualiter propositis eligere id, quod æquale est; aut ex duobus inæqualiter propositis eligere,quod minùs bonũ est,altero refutato : quis de hoc dubitabit? Potuit enim meliorem facere mundum,quàm fecit, & minùs bonum; vt ostendit S. Bonau. *in 1.d.44.per tres quæst.*& nullam aliam causam est assignare,ob quam hunc creauerit,non autem meliorem; nisi quia sic liberè voluit, vt aduertit S.Doct.*in 1.d.41.art.1.q.2.in arg.vlt.* Ergo & 18 homo. Probatur Conseq.quia quantùm ad libertatem, homo similis est Deo, vt notat S.Doct. *in 2. dist.25.p.2.q.1.*aut ostẽdant nobis aduersarij discrimen humanæ,& Diuinæ voluntatis.Quare D.Aug. *l.1.de Genes.cont.Manich.c.2.* In solam Dei voluntatem,tanquam in supremam,& propriam causam, reuocat rationem, cur Deus creauit cœlum, & terram; non autem in iudicium,quo Deo apparuerit, melius esse facere cœlum,& terram, quàm non facere. Quem secutus est D.Bonau. mox *adducto loco in primo sent.* Hæc ratio elicitur è S.Doct.*in 2.dist. 25.p.2. quæst.1. & 2.*

Respondent ex aduersariis nonnulli; potuisse quidem Deum facere mundum meliorem, quàm fecit; & eodem modo res singulas meliores: At ex suppositione,quòd mundum decreuit facere,fecisse eum, vti summè decebat bonitatem suam.

19 Contra. Nam si Deus potuit mundum creare meliorem: Ergo non decreuit facere meliorem, cùm ab æterno hunc decreuit condere.

Respondet Vasq.*num.17.*diuersam esse rationem Dei,& hominis in electione: nam, licèt Deus dicatur eligere creaturas,quas facere decreuit;tamẽ homo semper eligit comparatiuè per consultationẽ proposita media; & ità vnum alteri Prælatum seligit; At verò Deus nõn eligit vnam creaturam relatiuè ad aliam, quam reiicit, sed quamlibet absolutè. Fateor,Deum cognoscere vnam creaturam relatiuè ad aliam,ad quam refertur:sed non eligit vnam relatiuè ad aliam, quia iudicium Diuinum non proponit vnam creaturam,vt potiùs eligendam, quàm aliam:sed simpliciter proponit bonitatem cuiusque. Hoc autem discrimen nascitur ex eo, quòd Deus absque vlla indigentia eligit: nos verò semper ex indigentia eligimus, & ideò cùm ad consultationem venimus, semper melius requirimus.

20 Hæc tamen responsio est gratis excogitata:quis enim percipiat, Deum practicè cognoscere vnum altero melius,& non eligere vnum præ altero? Et quidem in Prædestinatione ostendi, vnum præ alio eligi à Deo. Et sanè cùm Deus voluntate antecedenti omnes diligat, ac electos velit: voluntate tamen consequenti discernit alterum ab altero; & hunc reiicit: illum eligit. Vndè D.Paulum id indicare,sæpè legimus. *Quis autem te discernit,&c.*vt aduertit S.B. *in 1.dist.40.art.2.quæst.1.ad 1.*Ideò Matth. 22. *Multi sunt vocati,pauci verò electi:* hoc autem factum est etiam in separatione illius, qui habebat vestem conspurcatam, à cæteris conuiuis per electionem,vt notat S.Doct.*l.c.q.2.*& in hoc Electionem à prædestinatione secernendam, obseruat S. Bonau. *ibi.* Nam electio,prædestinationi, addit separationem vnius ab alio,& selectionem vnius præ cæteris.

Apparentivs responderet quadam doctrinâ 21 S.Bonau.*in 1.d.40.ar.2.q.1.ad 4.argumentum,*Deum diuerso modo eligere:Non enim eius electio oritur è consideratione præcedentis bonitatis:sed ipse est principium bonitatis; & ideò neque eius electio causatur à præminentia eligibilium, sicut electio nostra: nos enim diligimus iam bonum:& ità bonitas dilecta,est causa nostræ dilectionis,& electionis. Idem tamen solueretur ex eodem Seraph. *in 1. dist.41. art.1. quæst.2. fund.3.* vbi magis ex propria sententia loquitur,Deum facere quidem primò bonum, idest ex omnipotentia, & voluntate eius causari bonitatem entium; attamen hanc bonitatem à Deo comparatiuè respici & liberè eligi; & sic in prædestinatiua electione eligere meliores, liberè tamen è suo beneplacito.

Probatvr tertiò. Si ex duobus mediis æqualibus,& æqualiter propositis,voluntas eligere non potest alterutrum; sequitur, ex propositione rationis,imponi nostræ voluntati necessitatem. Idem sequitur,si teneatur eligere,quod est melius è duobus inæqualibus. Sed hæc sunt absona: Ergo. Minor probatur, & ostenditur in emissione Voti, quod quidem est propositum maioris boni, & tamen liberè quilibet votum emittit;licèt emissum teneatur reddere, iuxta Psal.75. *Vouete, & reddite:* attamen etiam tunc potest liberè non reddere, vnde peccat; neque enim est peccatum,nisi voluntarium,& liberum. Hoc argumentum deduco è D.Bonau. *tom.7. in Opusc. Speculo animæ, cap.3.* post medium. Clariùs *cap.2. dist.25. p. p. quæst.6. fund.2.* 22

Respondet Vasq. *post numer.*18. Nequaquam 23 temerari libertatem; quia quoad exercitium potest homo cessare à voluntate finis; & ità etiam ab intellectione cuiusque medij. Deinde, neque quoad specificationem læditur; Quia potest voluntas nullum medium eligere ex his, quæ proposita sunt.

Enim verò non satis intelligo, qua ratione ità semper intemerata libertas vigeat. Sumo hominem,volentem finem necessarium beatitudinis, cui exponantur duo media sub æqualis bonitatis apparentia, quo pacto in exercitio erit liber? Similiter, si alterum è propositis mediis necessarium credat, & adhuc velit beatitudinem; quo pacto liber quoad specificationem, erit?

Ex his deduco,si fuerit vnicum medium neces- 24 sarium ad finem illum consequendum,quem efficaciter volumus, ex quo ad executionem voluntas in illum tendit,nec solùm complacet in eo;tunc supposita efficaci voluntate finis, necessariò etiam medium illud vnicum est volitum.

Probatvr. Quia quoties intellectus iudicat, in obiecto esse omnem rationem boni, & in exercitio, non potest apparere vlla ratio mali; necessariò quoad exercitium fertur voluntas in illud: supposita autem intentione efficaci finis, non potest apparere vlla ratio mali in medio vnico: Ergo electio talis medij necessariò sequitur intentionem. Minor probatur: quia vnicum vtile apparet (esto aliunde mali aliquid haberet.) Ità Vasquez *cap.4.* cum D. Thoma *hic ad 1. & 2.* & pluribus Thomistarum.

DISPVTATIO X.

De Consilio.

D.Thom.q.14.

1 ALivs actus, qui circa media humano modo inquirenda versatur, est CONSILIVM; electurus enim consultat de his, quæ eligenda sunt. Ideò S.Damascenus 1.*de fide*, *c.*22. ait: Primò, homo inquirit, & consiliatur; deinde disponit, & ordinat; & postmodum eligit, & consentit. Sic refert D.Bonauent.*in* 3.*dist.*33.*art.*1.*q.*4. Ideò Consilium includit quæstionem, sed practicam, vt ait S Doct. *loc.cit.* & *de Dono Consilij.* Propterea consiliari nos de his, quæ facienda sunt, & non sunt determinata, ait Aristoteles 2. *Eth. c.* 1. apud Seraphicum *loc.cit. capite* 1.

QVÆSTIO I.

An CONSILIVM *sit Inquisitio.*

2 CONSILIVM apud D.Thomam est inquisitio quædam;cùm enim in rebus eligendis,quæ indiuidua, contingentia, & varia sunt, magnam sit inuenire incertitudinem, & varietatem,eget homo inquisitione non quâuis, sed practicâ. (Nam datur quæstio, seu inquisitio etiam speculatiua.) Consilium verò est practicum, Aristotele 3.*Eth.cap.*3.& Nyss. *lib.*5.*Phil.c.*5. Ideò concludit S.Thom. Consilium esse Inquisitionem, Idem habet S.Bonauent. *in* 2.*dist.*25.*p.*2. *quæst.*2.*argum* 2.

HINC varias Consilij definitiones, atque descriptiones percipies. Definitur Consilium à Tullio apud D.Bonau. *Opusc.de* 7.*donis*: de Dono Consilij c.1. *Consilium est aliquid faciendi, vel non faciendi excogitata ratio.* Describitur ab Aristotele ad Alexandrum: *Est oculus,& cautio futurorum.* Eum refert D.Bonau. *loc.cit.* Definitur à S. Damasceno *loc.cit.* apud D.Bonau. *Consilium est appetitus inquisitionis à ratione directus, de his,quæ à nobis facienda sunt.* Vbi non vult, Consilium esse appetitum, sed tantùm habere eum coniunctum,vt notat etiam D.Thom. *hic ad* 1. & Valentia *disp.*2.*quæst.*9.*p.*1.

3 ADVERTE pariter, Iudicium non esse Consilium, sed subsequi. Rebus enim consultatis iudicatur, & definitur,vt monet D.Thom.*hi* post Damascenum *loc.cit.* & Nyssenum *lib.*5.*Phil.c.*4. dum ait: *Consultationem esse in his, quæ adhuc quæruntur; hoc est, de quibus adhuc non est lata sententia, & iudicium.* Idem vult S.Bonauent. *in primo,d.*40.*art.*2. *q.*1. *in corpore*, dum ait, Electionem in nobis dicere delectionem cum discretione, præcedente deliberatione, & inquisitione; quod idem est, ac dicere, electionem præiri ab inquisitione practica, & deliberatione, seu iudicio. Ad Consilij verò complementum exigi iudicium, asserit Caietanus *hic*, & Valentia *d.*2.*q.*9. *p.*1.*in fine*. Ideò Aristoteles 3.*Eth.* *c.*3. ait, Illum, qui consultat, videri quærere, & resoluere. Hanc illi doctrinam sumpsêre è D.Bonau. *De Dono Consilij*, *c.* 2. vbi adducit id Cant.3. 4
Surgam, & circuibo. Vbi Origenes: *Iam* (ait) *nunc, meliori consilio vsa est.* Tametsi Consilium à scientia differat, & iudicio, vt scientia sit in iudicando; Consilium in inquirendo,ità aduertit D.Bonauent. *loc. cit. c.*1. vbi sumit Consilium etiam pro Iudicio solo. Ideò *Ephes.primo* dicitur: *Deus operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Deus enim non inquirit, vt nos facimus. Idem habet S.Bonauent. *in primo, sent, loc.cit.*

QVÆSTIO II.

An necessarium sit IVDICIVM COMPOSITIONIS *seu practicum circa obiectum, vt voluntas circa illud operetur.*

PRIMA sententia censet, semper necessarium esse Iudicium practici intellectus compositi, vt voluntas operetur, quod explicatur his verbis. *Fac hoc. Ama hoc*, & non sufficere iudicium assertiuum proponens: Hoc est bonum; nisi adsit iudicium illud per modum imperij. Ita Valentia *d.*2.*q.*12.*p.*1. & alij Recentiores apud Vasquez *d.*44. *c.*1. Auersa *quæst.*58. *sect.*7. & Thomistæ 1.*p.quæst.*59.*art.* 3. & *p.*2. *quæst.*14. cum Angelico Doctore.

SECVNDA sententia est sufficere apprehensionem. Citatur pro hac Scotus *in* 2. *dist.* 6. *quæst.* 1. 5
Marsil. *in* 2. *quæst.*16. *art.*1. *concl.* 1. & 2. Arriaga *disp.*7. *de Anima,sect.*4.

TERTIA opinio asserit, simplicem apprehensionem aliquando sufficere; aliquando verò requiri iudicium compositionis; & ideò simplicem apprehensionem non sufficere, vt voluntas operetur. Ità alij Recentiores apud Vasquez *loco citato*, quia *capite sequenti* docet primò,posse quidem voluntatem nostram moueri in obiectum, sola simplici apprehensione, sine iudicio compositionis; ad aliquod tamen obiectum requiri iudicium compositionis, & quidem pro priori parte allegat Scotum *in* 2. *dist.*6. *quæst.* 1. *ad argumenta*, Gabrielem *quæst.*1. *art.*3. *dub.*2. Maiorem *quæst.* 1. Marsil. *in* 2. *quæst.*16. *art.*1. Holcot *in* 2. *quæst.* 3. & Recentiores Thomistas, qui secundam Sententiam sequuntur.

Pro altera parte adducit Thomistas Recentiores pro secunda sententia, à quibus tamen aliquo modo differt. Subscribunt Scotistæ apud Mastrium *disp.*7.*animæ*, *q.*6. asserentes id de sola complacentia, non de actu efficaci. Sic & Montesinus *p.*2. *disp.*13. *quæst.*3. Hurtad. *disp.*14. *sect.*7. Onuphrius *text.*2. *disp.*2. *quæst.*3.

EGO quidem primò arbitror,nunquam ad Consilium requiri compositionem per modum imperij ab intellectu. *Fac hoc, &c.* non enim imperium est actus intellectus,vt ostendi *tract.*10.qui est de Anima, *disp.*9. *cap.*5. *quæst.*2. cum B.Bonauent. Deinde dico, non sufficere simplicem apprehensionem, sed requiri compositionem practicam: *Hoc est bonum*, &c. *illud est malum.* Ità cum D. Bonauent. Almainus *tract.*3. *Moral. cap.*2.

ASSERO primò, non esse necessarium iudicium imperij. 6

PROBATVR è D.Bonauent.*in* 2.*dist.*25.*quæst.*8. *fund.* 2. Ad libertatem arbitrij nostri requiritur, vt possit respicere, & acceptare quidquid ratio proposuerit. Et experimento edocemur, id semper fieri,

fieri; quod voluntas præoptarit; quidquid ratio proponat.

Probatur secundò à D. Bonauent. *in corpore*, argumento, ducto ex Aristotele 3. *de anima*, *cap.* 7. *text.* 30. vbi ait: *Atqui cum bonum, aut malum esse dicit affirmando, aut negando, tunc fugit, aut prosequitur.* Idem indicat 3. *de anima*, *cap.* 3. *text.* 154. vbi ait, Nos perturbari, cùm opinamur; opinio autem in affirmatione, vel negatione est; experimur enim, cum tale iudicium compositionis absque imperio præcesserit, sequi complacentiam voluntatis.

7 Assero secundò, non sufficere simplicem apprehensionem.

Probatvr è D. Bonauent. *loco citato.* Quia experimento comperimus, voluntatem è simplici apprehensione, non intendere finem, seu media requirere; sed requiri, cognosci, illud esse sibi bonum; vt concedit etiam Vasquez in fine *disputationis.* Quod enim dicit ipse, hanc esse apprehensionem simplicem, qua apprehendimus, rem bonam esse nobis, imbelle est. Quis enim non videt, *hic* saltem latere compositionem.

8 Qvod verò *numero* 7. ait, solam apprehensionem conuenientis, vel inconuenientis mouêre sensum nostrum, & bruta, vt appetitus amet, vel fugiat obiectum; & hanc aprehensionem in æstimatiuâ residere, friuolum est: sensus enim magis mouetur, quàm moueat; at intellectus mouet rationabiliter. Licèt autem intellectus aliquis, puta Dei, vnico simplici actu comprehendat, hoc esse bonum; ac proinde in actu non sit compositio, &c. erit tamen compositio in obiecto; & per accidens actu simplici comprehenditur, quod & in beatis videntibus Deum inducit Vasquez *numero* 14. vnde è simplici actu visionis Dei, oritur amor in Deum. Tandem nos loquimur de Actibus Humanis nostris in via naturalibus, qui bonum aliquid nobis non obiiciunt absque compositione. Non renuerem tamen aliquem esse actum complacentiæ in apprehensione. Sic delectamur de impossibili.

Argvmenta primæ opinionis supponunt falsum, scilicet imperium residere in intellectu, quod reprobabitur *disp.* 13. *quæst.* 1.

QVÆSTIO III.

Vtrum Consilivm *sit de iis, quæ sunt ad Finem.*

D.Bon.in 3. d.35.q.4.
D.Thom.art.2.

9 Consilivm sanè esse de mediis inuestigandis, docent Aristoteles 3. *Eth. cap.* 3. Nyssenus 5. *Phil.c.* 5. Damascen. 2. *de fide*, *cap.* 22. D.Thom. *hic* vbi Conradus; & Recentiores Thomistæ. Richardus *in* 3. *dist.* 38. *art.* 2. *quæst.* 1. Durandus *in* 2. *dist.* 25. *quæst.* 1. post D. Bonauent. *locis adductis suprà in Opusculis*, & *in* 3. *dist.* 35. *quæst.* 4.

Itaqve consultatio, non est de fine abstracto à materia; sed aut de mediis vtilibus ad finem, in quibus non est formaliter bonitas finitas: aut de fine contracto ad hoc, vel illud; vt dixi *disp.* 9. *quæst.* 1. vt colligitur è D. Bonauent. *in* 3. *loco cit.* quem sequitur Vasquez *disp.* 45. post D.Thomam, licèt repugnet Valentia, infrà citandus.

10 Et quidem solùm de dubiis, & ambiguis, est consultatio, vt docet Aristoteles 3. *Eth.cap.* 3. quem sequitur D.Bonauent. *locis mox adductis*, & *in primo*, *dist.* 40. *art.* 2. *quæst.* 2. vbi id probat ex D.Damasceno 2. *de fide*, *cap.* 22. vbi ait: *Electio non cadit in Deum; quia Diuina natura non est possibilis ad ignorantiam:* electio autem ex consilio oritur; ideò *in corpore* ait, electionem, quæ est cum inquisitione, esse propriam creaturæ, in quam potest labi ignorantia. Idem docet Vasquez *loco cit. cap.* 2. Valentia *disp.* 2. *quæst.* 9. *p.* 2.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Consilivm *sit de iis, quæ sunt circa nos.*

D.Bonauent. loc.cit.
D.Thom.art.3.& 4.

Assero primò, Consilivm esse de his, quæ à nobis sunt gerenda. Ità Aristoteles 3. *Eth.c.* 3. Nemesius, vel Nyssenus *loc.cit.quæst.* 3. Damascen. 2. *de fide*, *cap.* 22. vbi ait: *Est autem Consilium inuestigandi appetitio, quæ de iis rebus agendis oritur, quarum penes nos est potestas.* Ità deducit D. Bonauent. *Tom.* 6. *de septem Donis. De Dono Consilij, cap.* 1. & post eum Vasquez *ad art.* 3. *D.Thomæ.* 11

Probatvr à D.Thom. *loc.cit.* & Valentia *loc. quæst.* 3. *p.* 2. Consilium est quædam inquisitio intellectus, circa contingentia agibilia: Sed hæc inquisitio non est, nisi propter actionem nostram circa Agibile: Ergo. Minor probatur; Quia cognitio contingentium, cùm sit imperfecta, non quæritur, nisi propter actionem. Idem ferè habet S.Bon. *l.c.*

Assero secundò, Consilium de rebus paruis, & determinatis non est Consultatio. Et quidem de determinatis, iam suprà dictum est *quæst. præcedenti* ex Aristotele. De paruis verò S.Thom. adducit Aristotelem assertorem; At Vasquez dicit hoc apud Aristotelem non reperiri: Sed video in verbis Aristotelis includi etiam illud; Nam, consultationem, ait Aristoteles, esse solùm de iis, de quibus solet moueri quæstio, & de minimis non solemus conquirere, quænam eligenda sint, cùm nil ferè referat: Vtrum hoc vel illud assumatur; vt notat Valentia *disp.* 2. *quæst.* 9. *p.* 2. 12

QVÆSTIO V.

Vtrum Consilivm *ineatur modo resolutorio.*

Assero affirmatiuè.

Probatvr. Quia tunc proceditur resoluendo, quando à re composita ad rem simplicem proceditur: proceditur autem à re composita, quando proceditur ab eo, quod est vltimum in executione, & primum in intentione; id autem est aliquis effectus, ac proinde aliquid magis compositum, causa namque simplicior solet esse effectu; sic cùm proceditur à causa ad effectus, proceditur potiùs modo compositiuo. Minor probatur. Nam Consilium incipit à fine, qui est primum in intentione, & vltimum in executione; atque adeò est effectus quidam secundùm rem ipsam, seu in executione: esto quoad intentionem, sit causa mediorum assumendorum. 13

DISPVTATIO XI.

De Consensu.

CONSENSVS est Actus Humanus circa media, ideò de eo agendum.

QVÆSTIO I.

Quid sit CONSENSVS.

CONSENSVM sic definit S. Bonauent. in explicatione Terminorum Theologiæ, Tom.6. *Consensus est nutus Voluntatis spontaneus.*

1 ET quidem, præcipuè in voluntate ipsum consistere docet D.Bonau.*in* 2.*q*.2.*ad* 1.licèt aliquo modo, etiam intellectum definitio includit; Attamen quantumuis intellectus deliberet, nisi Voluntas alterum præoptet, nunquam eligit, nec consentit. Idem habet D. Thomas *art*.4. vbi docet, consensum esse sententiam vltimam, vel certè quiddam consequens sententiam vltimam intellectus: Sed vltima sententia spectat ad rationem superiorem hominis, id est ad intellectum, & voluntatem, quatenùs intellectus, & voluntas procedunt è rationibus æternis, & diuinis, quo pacto dicuntur ratio superior: ergo etiam consensus. Minor probatur: nam quamdiù expectatur Superioris sententia, nondum fertur sententia vltima, & sic sententia vltima ad supremam partem hominis spectat. Hæc Valentia *disp*. 2. *quæst*.10.*puncto* 1. post D.Bonauent. Et quidem etiam actum intellectus ad Consensum interuenire, probatur è D. Damascen. *lib*.2. *de fide, cap*.22. vbi Consensum vocat Γνώμην,
2 Latinè *Sententiam*; sententia autem requirit etiam intellectum iudicantem. Vnde ibidem ait: *Mox id, quod melius, & conducibilius futurum sit, expendit, & iudicium dicitur: postea afficitur, atque id, quod Consilium censuit, comprobat, & amplectitur, tunc sententia vocatur.* Est igitur Concursus intellectus cum voluntate ad idem sentiendum, vt notat etiam Vasquez *ad art*.1. *quæst*. 15. *D. Thomæ* Vnde malè contra D.Bonauent. infert, Consensum esse solius Voluntatis.

ADVERTE autem, Consensum ab Electione differre; nam de ratione Consensus est tantùm quædam complacentia medij, quod iudicio, & sententiæ prælatum est: Electio autem est efficax affectus eiusdem medij, qua etiam ratione differunt *Voluntas Finis*, & *Intentio*. Voluntas enim, vt sic, dicit simplicem complacentiam circa finem, Intentio vero efficacem.

3 Alio modo explicat S. Bonauent. *in* 3. *dist*. 25. *part*.1. *quæst*.3. *ad* 2. Consensus enim dicit concursum, & conuenientiam rationis cum voluntate in vnum. Eligere verò dicit rationis iudicium, & voluntatis appetitum.

4 ADVERTE adhuc, secundùm primariam vocis significationem, simplicem affectum complacentiæ esse circa finem, aut circa medium, quod ex pluribus non est iudicatum vtilius, quia vnicum tantùm erat, non dari Consensum: nam teste Damasceno *loco citato*, post consilium, & iudicium, quo medium aliquod præfertur, est Consensus: ergo vbi non fuerit consultatio, & vnum medium non fuerit alteri per iudicium prælatum, complacentia simplex non debet dici Consensus. Ex qua doctrina infert idem Damascenus 3.*de fide, cap*.14. hæc verba: *At verò sententiam, & electionem in Domino* (*scilicet Christo*) *dicere non possumus, siquidem propriè loqui studuimus.* Etenim sententia post ignotæ rei inuestigationem, & deliberationem, hoc est, Consilium ad iudicium, affectio est ad id, quod decretum est. Idem docet S.Bonauent. *illa quæstione, in* 3. *loco citato*. Idem de electione 5
docuerat, *lib*.2. *de fide, cap*.22. Cæterùm, sicut S. Bonauent. *in primo, dist*.40. *art*.2.*quæst*.1. docet, Electionem esse in Deo; ità posse sic vocari. Quia quod iudicium præcesserit è consultatione præcedente ignorantiâ, vel solùm ex iudicio per se noto, non tollebat rationem electionis, vt notat D. Bonauent. & post eum Vasquez *ad art*.1. *quæst*.15. *D. Thomæ*, eadem ratione de consensu dicendum est, dummodò maneat iudicium præferens vnum medium alteri.

Hæc Vasquez, qui in hoc secum pugnat. Nam *disp*.43. *cap*.3. *num*.17. docet, Deum non eligere præferendo vnum medium alteri comparatiuè, sed quodlibet absolutè eligendo.

ADDIT autem Valentia è D.Bonauent.*in* 2.*dist*. 6
24.*quæst*.1. *ad* 4. quòd ratio superior, cuius est ferre sententiam, non solùm censetur consentire tunc, cùm directè è rationibus æternis concludit, aliquid esse faciendum; sed etiam indirectè; tunc cùm per illas non impedit, quo minùs aliquid à se concludatur; si alioqui impedire possit, & debeat, non regendo, sed fræna laxando. Atque hinc est, vt interdum patretur peccatum mortale in sensualitate per istum consensum rationis superioris indirectum; vt dicam *in materia de peccatis* cum D. Bonauent. *in* 2. *dist*.24. *p*.2.*art*.3. *quæst*.1. *in corpore, & secunda ad argumenta.*

QVÆSTIO II.

Vtrum CONSENSVS *possit esse in Brutis.*

D.Thom.art.2.

ASSERO negatiuè.

PROBATVR à D. Bonauent. *in Pharetra*, 7
lib.2.*cap*.4. è Multis PP. qui consensum esse actum astruunt rationalis portionis. Sic etiam D.Thom. affert Damascenum 2. *de fide, cap*. 22. Idem sentit S. Bonauent. *in* 2. *dist*. 25.*p*.1. *quæst*. *vlt*. *in argum. secundo, secundo loco.*

PROBATVR à D.Bonauent. *ea quæst. & antecedenti.* Consensus est eius, qui potest peccare; sed Bruta nequeunt peccare: ergo nec consentire. Maior probatur, quia consensus est quædam applicatio motus potentiæ appetitiuæ ad alterum. Sed Bruta propriè non applicant potentiæ suæ motum: Ergo. Minor probatur. Quia applicare potentiæ suæ motum, est eius tantùm, in cuius potentia est dominium sui motus; nam baculus, *verbi gratia*, non applicatur à seipso, vt suo motu, & impulsu expellat lapidem; sed ab homine, qui habet dominium motus baculi. Ità etiam D. Thom. *hic*, & Valentia *disp*.2.*quæst*.11.*p*.3.

QVÆ

QVÆSTIO III.

Vtrum CONSENSVS *sit tantùm circa media.*

D. Thom. art. 3.

8 ASSERO affirmatiuè. Probatur à D. Thoma. Consensus sequitur Consilium, sed Consilium est tantùm de mediis: ergo. Addit Valentia *p.2.* Si quis contendat, esse etiam consensum de fine, quatenùs ad finem etiam potentia appetitiua se applicat, & de eo sumit quasi experimentum quoddam, in quo videtur consistere ratio consensus, futurum quæstionem de nomine.

ADDIT etiam communem consensum loquendi obtinuisse, vt sola applicatio potentiæ appetitiuæ ad media, nominetur *Consensus* à Theologis, sed hoc non omninò placet, neque est apud omnes receptum, vt suprà vidimus *quæst.1.*

DISPVTATIO XII.

De Vsu.

D.Thom. q.16.

QVÆSTIO I.

Quid sit VSVS, *& cuius potentiæ actus.*

D.Bonau.in primo q.2.
D.Thom.art.1.

1 DEFINITVR à D. Bonauent. 3. *p. Centil. sect.1. Tom.6.* è D.August. lib.10.de Trin. cap.11. *Vti, est assumere aliquid in facultatem voluntatis.* Quam definitionem referunt Valentia *disp.2. quæst.11.p.2.*

AT *in primo Sent. quæst.1.* prælibat, multis modis assumi VSVM. Primò communiter pro operatione cuiusque facultatis, & hac ratione Vsus dicit exercitium facultatis, seu operationem, ad quam ordinatur, quod ab otio distinguitur, quo sensu ait Aristoteles: *Cuius vsus bonus, &c.*

2 SECVNDÒ sumitur pro exercitio cuiusque facultatis, cum assiduitate, & frequentia. Tertiò pro actu Voluntatis, & hoc dupliciter, aut pro quocumque actu voluntatis assumentis aliquid sub potestate sua, & facultate; & sic capitur à Diu. August. *loc.cit.* Aut pro actu peculiari voluntatis, prout contra distinguitur à fruitione, & hoc pacto voluntas vtitur quacumque creatura, & obiecto, quod diligit, non propter ipsum, sed propter aliud, in quod ipsum refert, vt in finem, & hoc sensu loquitur etiam D.August. *loc. cit.* Vltimò accipitur propriissimè, & sic diuiditur contra actum inordinatum, qui est abuti, & ità definitur à D. Augustino *de doctr. Christ. cap.4.* Est id, quod in vsum venerit, referre ad id, quo fruendum est. D. Bonauenturam sequuntur Richardus *in primo, dist.1. art.1. quæst.1.* Gabr. *quæst.1. art.1.* Marsil. *in primo, quæst.4. art.1.* Gregor. *in primo, dist.1. quæst.1. art.1.* Durand. *quæst.1.* Capreol. *in primo, distinct.1. quæst.2. art.1. concl.1.* Conrad. & Recentiores *ad hunc art. D.Thomæ.*

CONCLVDIT ergo D.Bonauent. VSVM primo modo sumptum, esse omnis potentiæ, quo sensu sæpe Aristoteles docet, Animam vti calore, vt instrumento; naturam vti semine ad generationem; & animalia vti pedibus ad gradiendum, vt notat etiam Vasquez *disp. 47. cap.2.* post D.Bonauent. *in primo, dist.1. quæst.1. & 2. in corpore.* Similiter & secundo modo est actus cuiusuis potentiæ, nec addit aliud, quàm frequentiam. Tertio modo dicit actum voluntatis. Quarto modo est actus voluntatis, vt ad aliud relatiuè, & definitur à D. Augustino: *Vti est assumere aliquid in facultatem voluntatis propter aliud*; idest ad fruendum alio. Quinto est actus voluntatis, vt relatus ad finem rectum. Et his sensibus D.August. *lib.83. qq. quæst.3.* ait, Vsum tantùm in hominibus reperiri, addit verò tantùm in bonis reperiri, sumit verò ibi vsum, prout dicit ordinationem mediorum in debitum finem, dum vtuntur vtendis, & fruuntur fruendis. At verò 10. *de Trin.c.11.* & *lib.11. de ciu.c.25.* latiùs vsurpat nomen VSVS, vt conueniat omnibus etiam malis, & solis hominibus, nempe pro eo, quod est assumere aliquid in facultatem voluntatis propter aliud. Quo sensu accipitur etiam à Scholasticis, pro assumptione mediorum ad finem voluntatis. Ità Vasquez post D.Bonauent. *loco citato, & quæst.2. in corpore.* 3 4

ASSERO igitur, Vsum esse actum Voluntatis. 5

PROBATVR à D.Bonauent. primò *in fundamentis.* Actus ille, à quo quis denominatur bonus, est actus voluntatis. Sed ab actu vtendi dicitur homo bonus: ergo.

PROBATVR secundò à S.Doct. è D.Augustino, 10. *de Trin. cap.11.* Vti est assumere aliquid in facultatem voluntatis,

POBATVR tertiò à S.Doct. ex eodem D. Augustino 10. *de Trin. cap.11.* vbi diuidit hæc tria: INGENIVM, DOCTRINAM, & VSVM, & ait; Ingenium respicere quid homo possit; Doctrinam, quid homo sciat. Vsum, quid velit, & addit: *Vsus est in voluntate pertractante illa, quæ in memoria, & intelligentia continentur.*

PROBATVR quartò ab eodem S. Bonauent. Opposita nata sunt fieri circa idem; sed *Vti*, & *Abuti*, sunt opposita. Ergo cùm *Abuti* sit solius voluntatis; quia eius solius est peccare: ergo etiam *Vti.* 6

PROBATVR quintò à S.Doct. *in corpore, ad 2.* Vsus dicitur applicatio alicuius rei ad operationem; sed voluntas maximè applicat aliquid ad operationem: ergo, &c. Minor probatur: Nam voluntatis est mouere reliquas potentias, ac proinde rem quamlibet ad operandum applicare. Hoc argumento vtitur Valentia *disput.2. quæst. 11. puncto 1.*

ADDO minus principaliter, & propriè, vsum esse actum aliarum potentiarum exequentium. Probatur; Quia dicunt aliquem ordinem ad illum actum voluntatis regentis, qui propriè nominatur *Vsus*, & ideò possunt, secundùm hanc habitudinem ad vsum propriè dictum, *Vsus* appellari. Quare D. August. *lib. 83. qq. quæst. 30.* ait, Rationem tum seipsâ, tum omnibus sensis, & non sensis vti. Item; Omnia, quæ facta sunt, esse in vsum hominis; quia omnibus vtitur iudicando ratio, quæ homini data est. 7

NOLO autem asserere, vsum esse actum merum elicitum à voluntate, vt aliqui asserunt, quos

confutat Vasquez *cap.2.* sed satis esse, si dicamus, vsum esse ipsam operationem exterioris facultatis, motæ per electionem à Voluntate; itá vt *vti*, nil aliud dicatur, quàm opere exequi id, quod iudicatum, & electum est. Itaque *vti*, est principaliter voluntatis, tanquam primò mouentis & rationis autem tanquam dirigentis, sed aliarum potentiarum tanquam exequentium, vt ait D.Thom. hic; magis autem propriè dicam, esse actum voluntatis applicantis alias potentias.

Si magis tamen propriè loquar, sola voluntas vtitur; quia sola mouet ad finem, cognitum vt finem; cæteræ verò potentiæ mouentur; neque secundùm se mouentur, sed vt directæ à voluntate; vt docet D. Bonau. *loc. cit.* & fatetur Vasquez.

9 Hinc colligit Valentia, Vsum esse analogum; nam primò dicitur de voluntate, quæ potentias alias applicat ad operandum, & assumit aliquid in facultatem suam, vt ait D. August. *loc. cit.* Quæ applicatio nil aliud est, quàm volitio efficax, quâ volumus aliquam potentiam exercêre suam operationem. Secundò dicitur de intellectus operatione per habitudinem quandam actiuam directiuam ad vsum voluntatis. Tertiò dicitur de actibus aliarum potentiarum per habitudinem, quasi passiuam, ad vsum propriè dictum, quo voluntas impellit, seu applicat potentias ad operandum, quem D.Damascenus impetum vocat 2. *de fide*, *cap.* 22. dicens: *Demum post electionem ad actionem se confert, & dicitur impetus; deinceps in ipsa actione versatur, eâque vtitur, & tunc Vsus appellatur.*

QVÆSTIO II.

Quodnam sit obiectum Vsvs.

D.Bonau. in 1. dist. 1. quæst. 2. & 3.
D.Thom. art. 3.

DVo quærit S. Doct. primum: An bono creato sit vtendum. Secundum: An etiam Deo vti liceat.

Totam hanc doctrinam Laconicè stringit S. Augustin. adductus à D. Bonau. *hic*, *lib.83. quæstionum*, *quæst.*30. vbi concludit: *Omnis itaque humana peruersio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis vti velle, atque vtendis frui.*

10 Aduertit autem Vasquez *disp.*48. D. Augustin. non dixisse. *Summa peruersio est*, vt ei tatut à D. Bonau. *quæst.*3. & aliis; sed: *omnis peruersio.* Vnde colligit, etiam in peccatis venialibus talem peruersitatem reperiri.

Verum quæcunque sint verba D. Augustini, cùm abuti fine vltimo, idest Deo, includat auersionem ab eo per conuersionem ad creaturam, tanquam ad finem, sanè est semper peccatum suo genere mortale; vt notat S.Bonau. *in corpore, quæst.3.*

11 Particula igitur, *omnis peruersio*, significat intentionem peruersionis; qui modus loquendi etiam in sacra Scriptura est vsitatus; vt collectiuum significet id, quod eminentissimum est in eo genere, veluti continens omnem perfectionem, aut imperfectionem cæterorum. Cum D. Bonau. sunt multi Recentiores.

Advertit Vasquez ex D. Bonauent. *quæst.2.* quem sequuntur etiam Richardus *art.*1. *quæst.2. ad* 4. Durandus *quæst.*1. *num.6. & sequenti*, posse nos

12 vti rectè quacunque re aliquo modo: Non tamen possumus vti qualibet re, vt instrumento; solùm enim vtimur, vt instrumento eliciente vsum, ipsâ voluntate, & aliis facultatibus, vt exequentibus. Neque possumus vti omnibus rebus, tanquam habitu ad finem, Deum. Sic enim possumus vti solùm qualitate, & habitu virtutis, vt patet. Neque omnibus rebus vti possumus, tanquam actu propter Deum; quia peccatis non possumus hoc modo vti: benè tamen omnibus rebus mundi, etiam ipsis peccatis vti possumus propter Deum, tanquam obiectis; quia de peccatis factis dolêre possumus, & sic illis vtimur propter Deum.

Infert verò S.Bonau. ex D. Augustino *lib.83. quæstionum*, *quæst.*30. & *lib.*10. *de Trinitate*, *cap.*2. quomodo rebus omnibus vti possimus. Primò quidem, Ratione, tanquam instrumento ad Deum cognoscendum, vnde moueamur ad fruendum illo. Secundò, cæteris animantibus ad societatem, si rationabilia sint: irrationalibus verò ad eminentiam, nempè, vt præsideamus ipsis. Tertiò, vitâ, referendo eam ad Dei fruitionem. Quartò vtimur corpore, ad hoc, vt Deus ad gloriam viuificet illud. Quintò, quibusdam rebus acceptandis ad valetudinem; aliis verò respuendis. Sextò, quibusdam malis tolerandis ad patientiam; & hæc sunt mala pœnæ; quibusdam verò ad iustitiam; & hæc sunt peccata. Septimò, quibusdam rebus considerandis ad doctrinam, quibusdam etiam, à quibus abstineamus per temperantiam. 13

Advertit præterea S. Doct. aliud, quod infert, nempè, nos vti posse re qualibet, vt obiecto vsus; aliter tamen obiecto bono; aliter malo. Nam bonum est ordinabile ex parte obiecti; malum verò culpæ solùm ex parte ordinantis, quia mala hæc non sunt ex se vtilia ad bonum, quo fruamur. Cùm igitur *vti*, sit assumere aliquid in facultatem voluntatis, vt dictum est; hoc potest esse quadrupliciter, vel in facultatē voluntatis operantis; sicut in his, quæ ad vsum humanum propriè pertinent. Vel in facultatem voluntatis acceptantis; sicut est dilectio proximi, & huiusmodi; Vel in facultatem voluntatis tolerantis; sicut sunt mala pœnæ. Vel facultatem voluntatis respuentis; sic culpæ ordinantur. Vide S. Bonauenturam. 14

Addit Vasquez *num.*2. tametsi his rebus dicamur vti, quibus iuuamur ad operationem, aut tanquam principio, aut tanquam materiâ; lapidibus enim, & lignis vti dicimur ad ædificandum, cibo ad nutritionem, habitu, & specie ad intelligendum; tamen obiecto non dicimur vti ad sentiendum, vel intelligendum, nec tali modo loqui consueuimus. 15

Attamen non est cur in hoc carpat S.Doctorem: non enim dicit, nos vti his rebus ad proprios actus, quorum sunt obiecta, v. g. intelligibili obiecto ad intelligendum; sed ad fruendum Deo. Sic etiam dicimur vti obiecto sensuum ad virtutem: mortificando, &c. multò magis ad vltimum finem. 16

Assero primò, creaturis vtendum omnibus.

Probatvr à D. Bonau. primò. His omnibus vti valemus, quæ ordinabilia sunt ad vltimum finem, Deum. Tales sunt omnes creaturæ: nam *Omnia propter semetipsum operatus est Deus*, Prouerb. 16. Ergo, &c. 17

Probatvr secundò à S. Doct. Omne bonum est diligendum. Omne ens est bonum, ex D. Dionysio, & Philosopho: Ergo diligendum: sed non est diligendum propter se: ergo propter aliud Sed hoc est *vti*: Ergo.

Probatvr

Probatvr tertiò à Seraphico. Omni virtute rectè vti conuenit; sed vsus virtutum est etiam mali pœnæ, vt patientiæ; vel etiam mali culpæ,
18 puta pœnitentiæ: Ergo etiam malis vti possumus: Ergo multò magis bonis.

Probatvr quartò à Seraphico. Opposita nata sunt fieri circa idem; sed omnibus rebus accidit abuti: ergo & vti. Confirmatur in *corpore* ex dictis.

Assero secundò, non posse nos vti Deo ob alium finem.

19 Probatvr à Seraphico *quæst*. 3. primò. Vsus est boni vtilis ad finem; sed Deus ad alium finem non est ordinabilis, cùm ipse sit finis vltimus: Ergo.

Probatvr secundò. Si Deus ad bonum creatum referretur, tunc causa ad effectum, terminusque ad viam reducerentur: sed hoc est abuti, &c.

Probatvr tertiò. Bonum honestum per essentiam non refertur ad vtile; sed Deus est Bonum honestum per essentiam: Ergo. Confirmatur à Seraphico ex D. Augustino *lib.* 83. *quæstionum, quæst.* 30.

20 Adverte *hic*, D. Thomam videri concedere, Deum posse ordinari ad possessionem eius; sicut auarus ordinat pecuniam ad possessionem, & ità posse nos vti Deo ad finem. Sensus tamen D. Thom. est, vt notant Conradus *ad hunc articulum*, & Vasquez *cap.* 2. *num.*4. non esse referre Deum in finem alium, dum in possessionem refertur; quia possessio rei, quæ est finis, non est diuersus finis à re possessa; sed ex re, & possessione eius constituitur vnus finis. Cùm igitur Deus ordinatur ad finem possessionis, non ordinatur tanquam bonum vtile
21 ad honestum; sed ordinatur ad se ipsum, vt possidendum. Hæc est doctrina D. Bonauent. *quæst*. 3. *ad primum*, vbi explicat; quomodo Deus ad beatitudinem desideretur, non enim intuens mercedem beatitudinis beatus vtitur Deo, quia non refert ad aliud. Quare non rectè aliqui Recentiores Thomistæ aiunt, propriè eum, qui appetit Deum ob possessionem tanquam in finem, vti Deo ipso, vt notat etiam Vasquez *numero* 3.

QVÆSTIO III.

Vtrum Vsus præcedat Electionem.

22 Assero, Electionem esse ante Vsum.

Probatvr à D.Thom. quia Electio seligit media: Vsus autem imperat, & assequitur. Sed electio est ante Imperium, & assecutionem: ergo & ante vsum.

Ille tamen Vsus, quo voluntas applicat intellectum, ad consultandum de mediis, non est posterior eorum electione: patet; quia priùs consulitur de mediis, quam eligantur. Sed Intellectus applicatur ad consultandum vsu & Imperio voluntatis: Ergo. Hic autem vsus, quo voluntas vtitur Intellectus consultatione, deliberatione, &c. non est ille propriè, quem definit D. August. suprà *esse assumere aliquid in facultatem voluntatis*: licèt enim actiones Intellectus etiam famulentur: hoc tamen præstant in ordine ad illa media, quæ immediatiùs respiciunt assecutionem finis; vndè vsus propriè dictus, versatur circa media externa, quæ assumuntur in obsequium voluntatis, & assecutionem finis; quo obtento, sequitur ipsius quies & delectatio, cessatque vsus, cessantibus mediis. Iuxta id Philosophi *obtento termino, cessat motus.*

DISPVTATIO XIII.

De Imperio, & Actibus Imperatis.

D.Thom.q.16.

QVÆSTIO I.

Vtrum Imperare *sit actus elicitus à Voluntate.*

D.Thom.art.1.

Prima opinio est, Imperium esse actum intellectus practici, supposita motione voluntatis. Ità D.Thom. *hic*, vbi Conradus, Caietanus, & Recentiores Thomistæ omnes. D. Antoninus *p. p.* 1
*tract.*4. *cap.* 10. Dominicus Soto *lib.* 1. *de iustitia, quæst.* 1. *art.* 1. Corduba *lib.* 2. *quæst.* 10. quibuscum incedunt Richardus *in* 4. *distinct.* 15. *art.*4. *quæst.* 1. Gabr. *in canon. lect.*61. Vasquez *part.* 2. *disp.* 49. Valentia *disp.*2. *quæst.*12. *punc.* 1. Zumel. *disput.*4. *var. de volunt. hominis, sect.*4. Moral. *infr. cit.* Lorca *disp.*22. Montesin. *d.*21. *q.*1. Bassæus *v. Actus Hum.*3. *num.*12. Tanner. *tract.*2. *d.*2. *q.*3. *num.*55. Syluius ad D. Thom.

Opposita sententia est, Imperium esse actum Voluntatis. Sic D. Bonau. 2. *d.*25. *p.* 1. *q.* 2. *corp. addita responsione ad argumenta*, & *in* 3. *d.*17. *q.* 1. *ad* 3. quem secuti sunt Henricus *quodl.* 9. *quæst.* 6. Ocham *in* 3. *quæst.*12. *art.*4. *concl.*3. Almin. *tract.* 3. *moral. cap.* 2. Angestus *cap.*1. *moral. in* 3. *parte* 2
Text. corol. 3. Ioannes Medina *de pœnit. tractat.* 6. *cap.*2. & consequenter ad sua fundamenta, de maiori nobilitate Voluntatis quàm intellectus; Scotus *in* 4. *d.*49. vt vidimus *Tract. de anima, disp.*10. *quæst.*2. *cap.*5. Idem innuit *in* 2. *d.*6. *q.*1. & *quodl.* 17. & omnes Scotistæ. Porrò aliis antiquis, præcipuè D. Bonau. adscribitur à Sala *tract.* 6. *disp.* 2. *sect.* 2. Auersa *q.*10. *sect.*2.

E Recentibus sequuntur Becan. *p.* 2. *cap.*2. *q.*5. Suarez *d.*6. *sect.* 6. Bellarm. *lib.* 4. *de gratia, cap.*8. Arriaga *disp.*3. *sect.* 1. Fonseca, Caspensis, Caraffa apud Morandum *Tract.*2. *q.*21. Salas verò *Tract.*6. *d.*1. *sect.* 2. Auersa *q.* 16. *sect.*1. allegant Seraphicum pro prima sententia. Tandem Scotistæ apud Mastr. *disp.*7. *de anima num.*156. Fabrum *disp.*9. *de Pœn. cap.*9. Rabes. *de anima, disp.*4.*q.*6. Imperium esse Voluntatis conclamant.

Assero cum hac sententia, Imperium esse 3
actum elicitum Voluntatis.

Probatvr primò ab Henrico, ratione S. Bonau. *locis adductis*. Imperare est superioris, cuius nutu cæteri mouentur; in nobis autem cæteræ facultates mouentur nutu voluntatis, tanquam superioris, & ipsa non mouetur nutu aliarum: Ergo imperare est voluntatis actus.

Respondet Vasquez *cap.* 3. intellectum esse nobiliorem voluntate; neque eam potentiam esse nobiliorem,

nobiliorem, aut ad eam spectare imperium, cuius nutu cæteræ mouentur; alioqui, etiam in brutis, esset imperium; quia facultas eorum motrix, secundùm locum, nutu appetitus animalis operatur, quod est absonum. Sed quod attinet ad personam imperantem, ad illam quidem spectat imperare, cuius nutu, & voluntate, tanquam superioris, cæteri operantur. Hinc tamen non efficitur, ipsam
4 uoluntatem esse formaliter imperium; quare si nutus voluntatis capiatur pro ipso affectu voluntatis solùm absque insinuatione, non dicitur imperium; neque erit idem nutu voluntatis operari, & imperio voluntatis operari; tametsi ad eam personam pertineat imperare, cuius nutu cæteri mouentur. Si verò nutus voluntatis vsurpetur pro insinuatione affectus voluntatis (vtrumuis enim hoc denotare videtur) idem erit nutus voluntatis, & imperium; idemque erit operari ex nutu, & imperio.

5 Verum enim verò iam nos ostendimus, *loco adducto* in referendo Scoto, voluntatem esse intellectu nobiliorem, & apud eam residere imperium; neque enim imperium est executio quædam, seu motus ad motum alterius; sicuti ad motum corporis mouentur ea, quæ sunt in corpore, vel ad executionem potentiæ, loco motiuæ, mouentur membra, vt infert Vasquez; neque est simplex affectio, seu complacentia; sed est nutus ex affectione, quo Voluntas potentias aliquas liberè, & dispoticè; alias verò ciuili dominio mouet, sæpè etiam renuente ratione; quantumuis enim ratio dictet, tamen non sequitur operatio, nisi id imperet voluntatis affectio, vt notat D. Bonau. *in 2. dist. 25. quæst. 6. in corpore.* Voluntas enim, vt experientia clarum est, annuit imperio, operationes potentiis iniun-
6 gens liberè; & ideò arbitrium apud eam formaliter residet. Intellectus verò se habet tantùm materialiter, vt proponens obiectum; vt aduertit S. Bonauent. *ibi*, & *quæstione secunda*, & 3. *eiusdem distinctionis*.

Probatur secundò ab Henrico, ratione D. Bonauent. *eadem quæstione*, *argumentis secundo loco.*
7 Ille imperat, qui compellere potest, nec à quoquam potest compelli. Talis est voluntas, non autem intellectus: Ergo.

Respondet Vasquez *loc. cit.* concedendo maiorem; sed negat minorem. Primùm quidem id non sequitur in vno homine, respectu alterius; nam, cùm dicimus, eum qui imperat, posse compellere eos, quibus imperat; si loquamur de coactione, quæ est sola obligatio conscientiæ, sola voluntas superioris non sufficit; sed requiritur etiam insinuatio facta per intellectum. Si verò loquamur de coactione in infligenda pœna; hæc pertinet ad inferiores ministros, qui sunt execu-
8 tores voluntatis superioris. Quod si sermo sit de obligatione ad pœnam; pertinet quidem ad eandem potentiam pœnam infligere, & imperare: sed non adhuc probatum est, alterutrum pertinere ad voluntatem. Deinde, si loquamur de eodem homine respectu sui, non video, qua ratione sibimet imperare possit. Quod si in eo poneremus imperium respectu suarum actionum; ità ponendum esset in intellectu, vt supponeret motionem voluntatis; & ità posset habere vim cogendi ratione voluntatis, quam supponit.

9 Vt ingenuè fatear, non satis anfractus istos ad rem perspicio intextos. Et quidem si imperium vnius in alium hominem sumas; illud in eo stat: *Fac hoc*, vel: *Ne hoc feceris*, absque intimatione pœnarum. In eodem autem homine voluntas non modò aliis potentiis imperat, sed etiam sibi ipsi, neque enim necesse est, motorem rationalem realiter à moto distingui; vt notat D. Bonauent. *in 2. dist. 25. parte prima, q. 2.* Itaque respectu suarum actionum habet Voluntas imperium etiam reflexum, dum iubet sibi placere volitum: neque verò benè infertur, id in intellectu poni posse; quod si ponatur, supposita motione voluntatis, idest voluntatis nutu, & imperio; iam imperium in confesso erit penes voluntatem, & tanta contentio erit inanis.

Probatur tertiò ab Almaino, & Ioanne Medina. Si imperium esset actus intellectus, aut esset simplex apprehensio; aut compositio; seu diuisio, aut discursus: Alium enim actum intellectus non enumerauit Aristoteles *primo de Interpret. cap.* 1. nullus autem horum esse potest: Ergo. Si enim aliquis esset, maximè compositio: Sed in hoc non potest stare imperium: nam imperium explicatur hoc modo: *Fac hoc*, non autem sic: *faciendum est tibi hoc*; quia hæc enumeratio: *faciendum est tibi hoc*; potiùs exprimit conclusionem consultationis, quæ est iudicium, quàm imperium, quod est post iudicium; atque per illam actionem: *Fac hoc*, non exprimitur compositio aliqua; aut diuisio existens in intellectu: Ergo imperium non est vllus actus intellectus. Est ratio D. Bonauent. *loco citando.* 10

At D. Bonauent. *dist. 25. quæst. illa sexta*, alio etiam modo arguit. Si imperium esset actus intellectus; debet esse vnus ex tribus assignatis ab Aristotele *loco cit.* sed non est Apprehensio, neque Compositio, vt probatum est: Ergo erit Conclusio, seu Iudicium: Sed hoc neque, quia imperium est: *Fac hoc*; at hic spectat ad voluntatem: Ergo. Minor probatur à Seraphico multipliciter. Sequela enim suprà probata est. 11

Primò quidem, quia imperium est penes eum, qui non potest vnquam cogi; At intellectus cogi potest; non autem voluntas: Ergo.

Secundò, Quia quidquid ratio dictat; non experimur, id fieri, sed quod voluntas præoptat.

Tertiò, quia voluntas est potentissima, vt ait D. Bernardus *lib. de libero arbitrio*, & in ea stat meritum, vel demeritum: hoc autem pendet ex primo mouente, & imperante. Alia etiam argumenta habet *in corpore*, & *ad argumenta.* 12

Respondent nonnulli, præter tres actus intellectus speculatiui numeratos ab Aristotele, reperiri in intellectu practico actum Imperatiuum. Ita colligitur è Soto *loc. cit.*

Corduba verò respondet, notitiam Iudicatiuam, quæ est compositionis, seu diuisionis, subdiuidi in Ostensiuam, & Præceptiuam; & in hac secunda, ait, esse imperium.

Contra primum est: quia intellectus practicus non variat modum cognoscendi; sed tantùm materiam, & finem; quia speculatiuus apprehendit solius speculationis gratiâ; practicus verò ad opus; in modo tamen apprehendendi simplicia, componendi, diuidendi, & discurrendi, eundem vterque ordinem seruat. Deinde dicant: qui actus distinctus à tribus assignatis ab Aristotele sit iste: *Fac hoc?* Isti autem, quisnam sit, non explicant. 13

Similiter nec Corduba satis explicat discrimen, inter compositionem Iudicatiuam, & Præceptiuam. Hæc Vasquez.

Respondet igitur Vasquez, imperium esse iudicium compositionis, seu diuisionis, quo intellectus 14

lectus in se exprimit affectum suæ voluntatis; & hæc expressio dicitur insinuatio, seu expressio desiderij; veluti si quis diceret: Ego habeo voluntatem, & desiderium talis rei. Hæc autem expressionis ratio communis est imperio, suasioni, & orationi: his enim omnibus exprimimus voluntatis nostræ desiderium. Differunt verò ex parte connotati; quia expressio affectus inferioris, facta superiori, est oratio: Suasio autem est expressio desiderij facta ab amico ad alterum amicum: Imperium verò à superiore fit inferiori, cui insinuatur tale desiderium: *Fac hoc*.

15 CONTRA tamen aperta est ratio: nam, vt benè arguit D.Bonau. *d.25. q.2. adducta*, potentiæ rationales diuiduntur in cognitiuam, & affectiuam, seu appetitiuam. Cùm igitur hoc imperium nil aliud sit, quam desiderium, & appetitus; quis non videt esse voluntatis. Neque moueat, si requiratur expressio intellectus: tunc enim, vt benè notat D. Bonauent. *quæst. 6.* intellectus se habet solùm, vt explicans. Itaque, sicut Imperatorem non vocamus Tibicinem, publicantem Imperatoris edictum; ita neque intellectum: eò quòd explicet imperium voluntatis; quando enim Tibicen proclamat, non

16 elicit actum imperij, sed exponit. Similiter nec, cùm aliquis voce aliquid alteri præcipit, licèt materialiter dicatur voce præcipere, tamen materialiter tantùm imperium residet penes vocem; alioqui, si subditus cor penetrans imperantis sciret, eum non seriò imperare, sed fingere, non teneretur obedire; vel si in foro externo cogeretur; adhuc non diceretur obedire homini imperanti; sed fingenti: alioqui si fictè imperans, scripto exaratum solummodò ederet iussum, iam imperium esset à manu scribente non ab intellectu, vel volun-

17 tate præcipiente. Requiritur igitur intellectus, vt Tibicen. Per quod soluitur ratio aliquorum, sic argumentium. Si imperium esset actus solius voluntatis; hoc ipso, quòd scrutaretur aliquis voluntatem Regis, teneretur obedire absque insinuatione intellectus: hoc autem est falsum. Respondetur enim, insinuationem requiri, vt conditionem; non vt imperij formalitatem. Vasquez, omissis aliorum rationibus, quas vt friuolas parui pendit, sic arguit.

18 IMPERARE, est insinuare inferiori voluntatem superioris, quod dicitur intimare: sed hoc substantialiter pertinet ad intellectum: Ergo. Minor est clara. Maior probatur, quia imperium semper dirigitur ad aliquem capacem rationis, qui possit percipere id, quod præcipitur: ergo debet esse actus intellectus, non voluntatis solius.

Hæc tamen ratio ex dictis ruit: nam intellectus non aliud præstat, quam imperium exponere, in quo non stat imperij formalitas, vt vidimus. Itaque negatur penitùs, imperare, esse intimare: sed est tantùm imperium manifestare.

OBIICIT secundò Valentia ex Aristotele, *primo Ethic. cap. vltimo*, vbi ait: Appetitum obtemperare rationi: de appetitu enim sensitiuo loquens, ait: *Parere quodammodo rationi irrationabilem hanc partem, admonitio, & omnis increpatio, & exhortatio indicat.* Idem ait Nemes. *lib. 4. Philosoph. cap. 8. & 9.*

19 RESPONDET D. Bonau. *in 2. dist. 25. p. 1. q. 6. ad 2.* partem inferiorem sensitiuam obedire rationi, pro vt ratio dicit, tam intellectum, quàm voluntatem; & quidem parère rationi, idest intellectui, tanquam dirigenti, & suadenti voluntati, quid bonum, quid agendum: voluntati verò, vt imperanti. Similiter appetitus rationalis, qui Irascibilem, & Concupiscibilem includit, obedit rationi, idest intellectui suadenti; & voluntati præcipienti.

OBIICIT tertiò Valentia. Imperans, ordinat aliquid cum intimatione quadam, quòd sit agendum: sed sic ordinare propriè, & essentialiter spectat ad intellectum: Ergo. Maior patet ex ipso verbo imperatiui modi, quo exprimimus imperium. *Fac hoc, &c.*

RESPONDETVR ex dictis, imperium consistere in ordinatione voluntatis: at requiri solùm intimationem, vt conditionem. 20

ADDO, non ità egere alias potentias, vt voluntas manifestet suum placitum, medio intellectu, sicut egent homines tibicine, ea voluntas seipsa manifestat, cùm sit coniuncta, & intima etiam intellectui, non sic Regis voluntas subditis declaratur.

Ex his iam manifestum apparet, imperium in brutis non inueniri, quia est actus rationalis portionis, vt rectè arguit D.Thom. *quæst. 17. art. 2.* D. Bonau. *quæst. 6. adducta in 2. dist. 25.*

QVÆSTIO II.

Vtrum VSVS *præcedat* IMPERIVM.

ASSERO primò. Vsus sumptus comparatiuè cum ratione consulente, quatenus voluntas dicitur vti intellectu ad consultandum, præcedit imperium, & electionem. 21

PROBATVR. Quia talis vsus præcedit electionem, vt iam dictum est *disp. præcedenti, quæst. 3.* sed electio præcedit imperium: Ergo etiam ille vsus præcedit imperium.

ASSERO secundò. Vsus, quo voluntas applicat alias potentias ad executionem medij, est posterior imperio.

PROBATVR. Imperium prius naturâ est, & nonnunquam etiam tempore, quàm sit executio potentiæ; sed vsus ille est simul cum tali executione potentiæ, & non prior quàm illa: Ergo imperium est etiam prius illo vsu, sicut, & ipsa executione potentiæ. Maior est clara. Minor probatur à D. Thom. quia nullus dicitur vti aliqua re, nisi iam operetur per illam; non enim dicimur vti baculo, antequam eo aliquid operemur. 22

QVÆSTIO III.

Quomodo differant IMPERIVM, *& Actus imperatus.*

D.Thom. art. 4.

ASSERO primò, hæc duo esse vnum actum in genere moris. Sicut enim materia, & forma se habent in genere naturæ; ità Imperium, & actus imperatus in genere moris: sed materia, & forma faciunt vnum in genere naturæ, &c. Ergo. Sic dicitur homicidium vnum in genere moris; licèt in genere naturæ plures actus subordinatos contineat, inter quos est imperium voluntatis, vsus, externa executio, &c. 23

ASSERO secundò, esse plures actus in genere entis. Patet.

Quinam

PROBATVR secundò à D.Bonau. *locis adductis*, quia tot sunt intentiones, quot sunt amores obiectorum p.r se, siue honesta, siue delectabilia sint. Sed amores sunt plurimi: Ergo.

QVÆSTIO III.

Vtrum aliquis possit multa simul intendere.

D.Thom. art. 3.
D.Bonau. loc.cit.

10 ASSERO negatiuè probabiliter.

PROBATVR ab aliquibus. Ità se habet intellectus ad sua obiecta; sicut voluntas ad sua proportionaliter; sed non potest intellectus plura per modum plurium percipere: Ergo. Minor à D.Thoma tenetur; vnde non videtur consequenter alterum negare; & alterum concedere. Nos verò *tract. de Angelis, disp.* 2. *quæst.* 22. tenuimus, posse plura per modum plurium percipi, licèt non adeò perfectè.

Enim verò, si sint duo fines, alter ad alterum ordinabilis, possunt intendi. Ità D. Bonauent. *loco citato*.

11 ASSERO secundò. Probabilius est, posse duos fines simul intendi. Ità D. Thomas.

PROBATVR, retorto primo argumento. Sic se habet voluntas ad obiectum suum, sicut Intellectus ad verum: sed potest intellectus duo simul obiecta intelligere: Ergo & voluntas duo bona intendere.

Addunt aliqui, voluntatem non posse eadem vi in duas bonitates, æque mouentes, vno actu tendere. Ità Rabesanus allatus *quæst.* 1.

QVÆSTIO IV.

Vtrum INTENTIO *conueniat brutis.*

D.B.in 2.d.38.q.penult.
D.Thom.q.12.art.vlt.

COMMVNIS sententia est, sola rationalia intentione agere; si propriè loquamur. Ità D. Thom. *p.p. quæst.* 59. *art.* 1. & *quæst.* 103. *art.* 1. *ad* 1. & 3. *contra Gent. cap.* 24. Et *de volunt. q.* 22. *art.* 1. Et *de Prouid. quæst.* 5. *art.* 2. Et vberiùs *p.* 2. *quæst.* 1. *art.* 2. & *quæst.* 6. *art.* 1. Et *quæst.* 12. *art. vlt.* quem sequuntur omnes discipuli ad loca allegata. Idem sentiunt PP. Iesuitæ. Adde Scotum *in* 2. *dist.* 38. *quæst. vnic.* Durandum *ibi, quæst.* 2. *ad* 2. Richard. *art.* 3. *quæst.* 1. Gabr. *art.* 1. *quæst.* 1. *notat.* 3. inclinat Ægidius *quæst.* 2. *art.* 1. *&* *d.* 25. *q.* 1. *art.* 2. Colleg. 2. *Physic. cap.* 9. *quæst.* 2. *art.* 2. *&* 3. Hurtad. *disp.* 13. *de anima*, *sect.* 3. Vasq. *disput.* 3. *prima secunda.* &
12 *art. vlt. quæst.* 12. *D.Thoma.* Valent. *disp.* 2. *quæst.* 7. *punc.* 4. vbi aduertit, non negari à D.Thoma peculiari ratione, Bruta agere propter finem, quatenùs scilicet illum cognoscunt, saltem materialiter; in qua cognitione rebus merè naturalibus præcellunt. Quod si ob eam rationem velit quis dicere, bruta agentia modo prædicto propter finem, habere quandam intentionem finis; quæstio erit de nomine. Idem omninò sentit D. Bonauent. *hîc*, quamuis enim neget, bruta omninò passiuè se habere ad finem, & concedat eis intentionem, modo prædicto; Attamen concludit, intentionem propriè solis rationalibus conuenire; quia ea sola tendunt in finem formaliter cognitum, cum collatione mediorum ad finem, quæ est ratio SS. Thomæ, & Bonau. tametsi P. Galitius in alteram sententiam Seraphicum interpretetur. Neque aliter sentit Peretius *lib.* 8. *cap.* 3. & Picolominus, à Galitio allegati *lib.* 2. *Physic. tract.* 5. *quæst.* 6. quod tandem in primo asserendo fatetur,

ASSERO, sola rationalia intentione finis agere. 13

PROBATVR à D. Bonauent. primò è Glossa ad Lucæ 11.

SECVNDÒ. Intentio est actus vis collatiuæ, qui enim intendit, ab vno in aliud tendit, & vnum alteri comparat; sed vis collatiua reperitur in solis rationalibus: Ergo. Hac ratione nititur D. Thom. & alij.

RESPONDET Galitius *num.* 9. negando maiorem, cùm, per simplicem appetitum contingat, agens ordinare opus suum ad finem, sicut ordinat Aranea telas ad muscarum venationem.

AT verò S.Bonauent. nostram Maiorem concedit, si propriè sumamus intentionem, & sanè vsus loquendi propriè obtinuit, vt intentio sit motus appetitus illuminati ab intellectu, tendens in finem cum mediorum collatione, vt notat Valentia. 14

OBIICIT P.Galitius. Omne agens propter finem, intendit illum. Sed naturalia verè agunt propter finem: ergo eum intendunt.

RESPONDETVR è D.Bonauent. maiorem propriè esse falsam vniuersaliter, vt diximus, nec aliquid probant sequentes instantiæ eius. Quotuplex verò sit intentio, dicam 3. *part. tom.* 2. *tract.* 1. *dist.* 3. *quæst.* 5. *&* 6. 15

Ex dictis colligo, Bruta non agnoscere bonum formaliter, vt bonum; contra Vasquez. Probatur ad Hurtado *disp.* 14 *de anima, sect.* 3. Caspensi *prima secun. dist.* 1. *sect.* 5. deberent enim cognoscere illud, vt finem, cum proportione, & relatione mediorum.

DISPVTATIO IX.

De Electione.

CVM de Actibus Humanis, qui sunt circa *finem* egerimus; iam agendum de his, qui circa *Media* versantur; è quibus, primus est ELECTIO.

QVÆSTIO I.

Cuius Potentia ELECTIO *sit actus.*

D.B.in primo d.40.p.2.q.1.& 2.
D.Th.prima 2.q.13.art.1.

VASQVEZ *disp.* 41. *cap.* 1. aduertit, non eodem modo à Scholasticis, & Aristotele, sumi ELECTIONEM. Aristoteles enim 6. *Eth.* à *cap.* 9. distinguit electionem à proposito, quod à nobis dicitur INTENTIO; nam propositum est circa finem abstractum ab omni materia, & dicit fieri à Virtute; Electionem verò rectam fieri à Prudentia; vbi per electionem non intelligit solùm voluntatem mediorum 1

diorum ideò 3. *Eth.cap.*2. ait, electionem esse eorum, quæ sunt ad finem, sed etiam voluntatem circa materiam singularem propriam virtutis per prudentiam iudicatam: Scholasticos verò, dicit, sumere electionem solum pro voluntate mediorum vtilium ad talem finem; etiamsi non sint materia propria virtutis, nec in eis reperiatur bonitas virtutis primariè, sed tantùm secundariò, vt sunt vtilia ad talem finem.

Enim verò doctrinam de duplici acceptione electionis, traditam ab Aristotele, videtur cognouisse S.Bonauent. *loc.cit.* à quo eam desumpsit Scotus *in* 3.*dist.*36. *quæst. vn.* §. *Licet istud videatur.*

2 Vniversalis Scholasticorum Sententia astruit, electionem esse actum elicitum voluntatis; connotari tamen ordinem ad intellectum consultantem. Ità D. Bonauent. *loc. cit.* & *in Itinerario mentis in Deum*, *cap.*3. ad medium. D. Thom. *hic*, vbi omnes Thomistæ. Alensis 1. *p. quæst.*30.*mem.*1. Albert. *in* 2.*dist.* 24. *art.*7. Ægid. *in* 2.*dist.* 24. 1.*p. dub.*6. Richard. *ead. dist. art.* 2. *quæst.*3. Durand. *in primo,dist.*41.*quæst.*1. Capreol. *in primo,d.*1.*quæst.*2. *art.*1. *concl.*3.& *art.*3. *ad argumenta*, *contra* 3.*concl.* Eustratius *in* 6. *Eth.cap.*2. Burid. *in* 3.*Eth.quæst.*13. post Aristotelem 3.*Eth.cap.*2.

3 Probatvr à Vasquez *cap.*2. ratione D. Bonauent. *loc.cit.* Communis modus sentiendi apud homines est, vt ille tunc dicatur aliquid eligere, cum affectu suo, è duobus propositis vnum, vt melius, & vt amandum, prosequitur.

4 Adverte; cùm omnis actus habeat ordinem ad intellectum; quia voluntas ferri non potest, nisi in præcognitum: Attamen non omnes actus voluntatis definiri per ordinem ad intellectum; quia, licèt supponat cognitionem; tamen illi actus formaliter solius voluntatis sunt; at verò Intentio, & Electio conueniunt voluntati non absolutè; sed electio est cum ordine mediorum, & finis. Intentio verò est ad finem cum respectu ad media. Ideò ad rem nostram, Aristoteles 6. *Eth.cap.*2. definit electionem. *Electio est vel Intellectus appetitiuus, vel appetitus intellectiuus.* Sumit verò intellectum pro actu intellectionis; similiter & appetitum pro actu appetitionis. Et D.Gregorius Nyssenus *lib.*5. *Phil. cap.*4. dicit, Electionem esse mixtum quid è consilio, iudicio, & appetitu. Aduerte *ibi*, nihil definitiuè Aristotelem astruere: Nyssenum verò parum æstimare vter ex his actibus, directè; vter verò indirectè electioni conueniat.

Ex quo habes etiam essentiam, & definitionem Electionis.

QVÆSTIO II.

Vtrum Electio *conueniat Brutis.*

< D.Thom.art.2.

5 Assero negatiuè.

Probatvr à D.Bonauent.*locis suprà adductis*, & Vasquez *hic ad D. Thom.* Quia electio requirit collationem mediorum ad inuicem, & discretionem alicuius, vel aliquorum; hoc autem nequit fieri à Brutis.

Probatvr à D.Thom. Quia electio dicit indeterminatum, seipsum determinantem liberè ad vnum, quod Brutis non competit.

QVÆSTIO III.

An Electio *sit tantùm mediorum; An etiam* Finis.

< D.Thom.art.3.

Iam *quæstione prima* vidimus, Electionem esse 6 etiam finis huius, & huius singularis, è pluribus oblatis, in doctrina Aristotelis, atque Seraphicum Doctorem visum esse id cognouisse; At in sententia D. Thomæ, esse solùm circa media; quod probat, quia de fine non est consultatio, nisi ille sit talis, vt ad alium ordinetur. Attamen, tametsi de fine abstracto à materia hac, vel illa, non sit consultatio; ac proinde neque electio; attamen de fine, *vt hoc*, esse potest consultatio, & electio, vt optimè aduertit Vasquez ad hunc articulum. Vsus tamen est Communis, vt finis non sit obiectum electionis. Ideò Aristoteles 3. *Eth. cap.* 2. ait: *Voluntas finis magis est, electio verò eorum, quæ ad finem spectant: Vt sani esse volumus; eligimus verò ea, quibus sani esse valeamus*, vt notat Valentia *disputat.* 2. *quæstione* 8. *puncto* 2.

QVÆSTIO IV.

An Electio *sit tantùm possibilium.*

< D.Thom. art.5.

Qvæstio nostra est: An Electio possit esse impossibilium, quæ vt impossibilia indicantur. Et hinc desumimus ansam definiendi in genere: An voluntas circa impossibilia, vt tale cognitum, esse queat.

Prima opinio est Caietani *p. p.q.*64. *art.*3. Impossibile quidem per accidens nuncupatum, appeti posse per se, voluntate aliquâ. Vocat autem impossibile per accidens, quod ex intrinseco, & in omni euentu non est impossibile; redditur tamen in aliquo euentu impossibile, vt hominem non peccasse, est impossibile, non intrinsecè, & in omni euentu; sed postquam peccauit: at verò in impossibile, quod non in casu, sed ex naturâ rei est impossibile, censet non posse ferri voluntatem per se affectu prosecutionis: benè tamen per accidens. Impossibile autem naturâ suâ dicitur à Caietano, id, quod in omni euentu est impossibile: vt creaturam esse Deum. Docet igitur, hoc impossibile appeti non posse, nisi coniungatur alteri amabili possibili: & ideò dicit, non appeti per se, sed per accidens. Idem sentit Conradus ad hunc articulum D.Thomæ *ad* 1. parumque ab eo recedit Ferrariensis 3. *contr. Gent. cap.*109. 7

Secvnda opinio est Capreoli *in* 1. *dist.*4. *quæstione* 1. *artic.*3. Scoti *in* 4.*dist.*17.*quæst.*2.*art.*1. *in solut.*2. & *dist.* 14. *quæst.*2. *artic.*1. *ad finem*, dicentium, impossibilium omnium etiam eorum, quæ impossibilia sunt cognita, posse esse voluntatem, non absolutam, sed conditionatam; seu Velleitatem, quæ non exprimitur per verbum, *Volo*, sed *Vellem*, ex quo deducunt, voluntatem non ferri in impossibile, sed in possibile; quia fertur in impossibile sub ea conditione; *si posset fieri*. Hæc videtur D. Thomæ sententia *hic ad* 1. & *quæst.*16. *de malo, art.*3. 8

ad 9. & hoc sensu locutos aiunt Aristotelem, Nyssenum, & Damascenum, dum asserunt, voluntatem esse impossibilium; non tamen electionem.

9 Tertia sententia est Scoti *in* 2.*dist.*26.*quæst.*1. §. *Respondeo.* Gabr. *quæst. vn. art.*3. *dub.*2. Maioris *quæst. vn.* qui astruunt, impossibilium posse esse, non modò voluntatem, sed etiam electionem; ex quâ doctrinâ deducunt, Angelum potuisse non modò velle, sed etiam eligere æqualitatem cum Deo. Notant verò, tàm electionem, quàm voluntatem dupliciter sumi. Altera enim est voluntas efficax altera complacentiæ: & prior quidem assumit etiam media, posterior nequaquam, vt ægrotus, dum vidit sanitatem sibi impossibilem, eam quidem vult, sed media non requirit; sicuti dum eam sibi possibilem credit; & illa quidem efficax non potest esse circa impossibile cognitum tale; hæc verò potest esse. Electio quoque in sententia Scoti est duplex. Prima est actus quilibet voluntatis, qui sequitur plenam intellectus considerationem sufficientem ad peccatum; qui enim peccat, dicitur ex electione peccare. Secundò sumitur pro voluntate mediorum è consultatione præcedente. Ait ergo Scotus, Electionem, priori modo, posse esse circa impossibile; non verò posteriori modo.

10 Qvarta sententia est, Impossibilium ità cognitorum posse quidem esse aliquam complacentiam, quæ sanè in obiectum absolutè consideratum aspiciat; non tamen posse esse electionem, aut vllam voluntatem efficacem. Ità D.Bonauent. *in* 2. *dist.*5. *art.*1.*quæst.*2. & vidimus *tract. de Ang.disp.*7. *quæst.*3. *asserto* 3. quem sequuntur Vasquez *disp.*42. *cap.*4. Valentia *disp.*2 *quæst.*8.*p.*2. & alij adducti 1. *p.loc.cit.* atque Caspensis *disp.* 4. *sect.*5. Bassæus, *v. Act. Hum.* 3.*numero* 9.

11 Assero primò cum hac sententia, non posse de impossibili esse electionem.

Probatvr à Valentia primò, ex Aristotele 3. Eth. cap. 2. *Electio eorum minimè est, quæ fieri non possunt; quæ si quis diceret, se eligere, stolidus esse videretur.* Idem innuit S. Bonauent. *loc. cit. in fundamentis.*

Respondet Scotus, Aristotelem locutum de electione, vt dicit consultationem, & discretionem etiam mediorum. At verò, vt dixi *loco relato de Angelis*, talis est vera electio; alia verò à Scoto assignata nequaquam vera est; tenemur autem nos definientes, accipere res, iuxta veterum Sapientum acceptiones, nec nouas proprio marte configere, ne confusiones inducamus in doctrinas. Sic autem de electione negant Gregorius Nyssen. *lib.* 5. *Phil. cap.*4. Damascenus 2.*de fide,cap.*22. Itaque Scotus abutitur nomine electionis.

12 Probatvr secundò à Valentia, quia id, quod eligitur, ideò eligitur, vt per id, finem assequamur; atque ità debet esse aliquid possibile, cuius signum est, quòd cùm inter deliberandum occurrit aliquid impossibile, illicò deliberatio ab eo deflectit. Hæc est ratio Diu. Bonauent. *in fund.* 4. *& in corpore.* Confirmatur à Seraphico Doctore, Quia voluntas sequitur intellectum: ergo quod intellectus putat impossibile, Voluntas non prosequitur.

Probatvr tertiò à Seraphico Doctore *in* 2. *distinct.* 25.*part.* 2. *artic.*1. *quæst.*2.*argument* 2. Electio voluntatis est de his; de quibus consiliamur, sed non consiliamur de impossibili vt patet: Ergo.

Assero secundò, posse de impossibili esse complacentiam.

Probatvr ex Aristotele, Nysseno, & Damasceno, qui *locis adductis* aiunt, Impossibilium esse posse voluntatem; non verò electionem.

Probatvr à D. Bonauent. primò ex illo Isa. 13 14. *Sedebo, &c. Similis ero Altissimo*, & Glossa ad Psalm. 68. *Quæ non rapui, tunc exsoluebam.* Dicit enim voluisse rapere diuinitatem. Et homil. è D. Bernardo *de grad. humilit.* vbi ait, voluisse Diabolum Deo æquari. Sed hoc non elegit: ergo aliquo modo appetiit.

Probatvr à S.Doct. secundò; quia sicut bonum est appetibile; ità maximum bonum est maximè appetibile; sed talis est res impossibilis; vt, te Deum esse: ergo. Confirmatur. Quod enim est delectabile, est appetibile; sed impossibilia aliqua sunt delectabilia: ergo.

Probatvr tertiò à S.Doct. *in* 4.*dist.*50. *quæst.* 14
1. *ex illo Sap.*5. vbi damnati *pœnitentiam agentes* dicuntur optare, se nunquam peccauisse.

Probatvr quartò ab eodem S. Doct. *loc.cit. quæst.* 2. ex Apoc.9. *Desiderabunt homines mori; & mors fugiet ab eis.* Alia multa habet S.Bonauent. *in illis quæstionibus.*

Probatvr à Vasquez; quia aliquando homo considerans esse Angeli, vel auis; complacet sibi in nobilitate Angeli, vel agilitate auis, & delectatur, quasi illis dotibus præditus. Similiter damnati, odio Deum prosequuntur, desiderantes, illum non esse.

Assero tertiò, non dari actum voluntatis 15
conditionatum, idest *vellem.*

Probatvr à Vasquez *numero* 10. Sicut in cognoscitiuis potentiis nullus est actus conditionatus, puta, non est actus oculi, *viderem*; nec intellectus *intelligerem*; ità neque voluntatis est *vellem.*

Hæc tamen ratio mihi non placet. Non enim est simile; nam potentiæ cognoscitiuæ sunt, & ad obiectum determinatè feruntur, non liberè; at voluntas liberè fertur in obiectum: vnde potest sibi ex hoc capite ità determinate: *Vellem hoc*, si esset bonum.

Probatvr igitur meliùs: Quia omnis potentia elicit actum sibi proprium; sed actus voluntatis est *velle, & nolle.* Ergo semper aliquid vult, vel respuit. *Vellem* enim non dicit actum, & ex hoc capite æquiparatur cognoscitiuis potentiis.

QVÆSTIO V.

An Volvntas *ex duobus mediis æqualiter propositis possit alterum; vel ex inæqualiter propositis possit minus eligere.*

< D. Thom. art.6

16 Prima sententia est negatiua, volens semper eligi illud, quod æstimatur vtilius. Ità Gregor. *in primo, dist.*40. *&* 41. *quæst.*1. *art.*2. *ad* 1. Conrad. *ad hunc art. D. Thom.* & cum eo Recentiores Thomistæ. Azor. *tract.*1.*lib.*1.*cap.*25. *quæst.* 6. Vasquez *disp.*43.*cap.*2. Medina *p.*2. *quæst.*3.

Secvnda sententia est, semper liberè eligi, ac proinde etiam æquale, vel minus vtile. Videtur S.Bonauent. 2. *dist.*25. *p.*2. *quæst.*2. Præclarè verò astruit 2. *dist.*25. 1.*p. q.*6. *fund.*2. Sequuntur Henric. *quodl.* 1.*q.*16. Richard. 2. *dist.* 38. *art.*2. *q.*4. *in resol. & ad* 3. Maior *ea dist. q.*1. Marsil. *in* 2.*q.*16. *art.* 4. Scotus *in primo, d.*1. *q* 4. & *in* 3. *d.*36. quem imitan

imitantur discipuli apud Mastrium, & Bellutum *disp.7.de anima quæst.6.* Rabel. *q.6 l.3.d.3.* Valentia *d.2.q.8.p.3.ad calcem,* Caspensis *disp.4.sect.3.*

Assero cum hac sententia, æquale, vel minùs vtile liberè eligi. Hoc est D.August.12.*de ciuit.c.6.* vbi assumit duos, eandem mulierem contemplatos.

17 Probatur primò è D.Bernardo, Opusc. aureo *de Gratia, & lib. arb.* vbi id satis clarè exprimit: quia destrueretur alioqui libertas, tam specificationis, quàm exercitij.

Probatur secundò à quibusdam. Deus potest è duobus æqualiter propositis eligere id, quod æquale est; aut ex duobus inæqualiter propositis eligere, quod minùs bonū est, altero refutato: quis de hoc dubitabit? Potuit enim meliorem facere mundum, quàm fecit, & minùs bonum; vt ostendit S. Bonau. *in 1.d.44.per tres quæst.* & nullam aliam causam est assignare, ob quam hunc creauerit, non autem meliorem; nisi quia sic liberè voluit, vt aduertit S.Doct. *in 1.d.41.art.1.q.2.in arg.vlt.* Ergo &

18 homo. Probatur Conseq. quia quantùm ad libertatem, homo similis est Deo, vt notat S.Doct. *in 2. dist.25 p.2.q.1.* aut ostēdant nobis aduersarij discrimen humanæ, & Diuinæ voluntatis. Quare D.Aug. *l.1.de Genes. cont. Manich. c.2.* In solam Dei voluntatem, tanquam in supremam, & propriam causam, reuocat rationem, cur Deus creauit cœlum, & terram; non autem in iudicium, quo Deo apparuerit, melius esse facere cœlum, & terram, quàm non facere. Quem secutus est D.Bonau. mox *adducto loco in primo sent.* Hæc ratio elicitur è S.Doct. *in 2.dist. 25.p.2. quæst.1. & 2.*

Respondent ex aduersariis nonnulli; potuisse quidem Deum facere mundum meliorem, quàm fecit; & eodem modo res singulas meliores: At ex suppositione, quòd mundum decreuit facere, fecisse eum, vti summè decebat bonitatem suam.

19 Contra. Nam si Deus potuit mundum creare meliorem: Ergo non decreuit facere meliorem, cùm ab æterno hunc decreuit condere.

Respondet Vasq. *num.17.* diuersam esse rationem Dei, & hominis in electione: nam, licèt Deus dicatur eligere creaturas, quas facere decreuit; tamē homo semper eligit comparatiuè per consultationē proposita media; & ità vnum alteri Prælatum seligit; At verò Deus non eligit vnam creaturam relatiuè ad aliam, quam reiicit, sed quamlibet absolutè. Fateor, Deum cognoscere vnam creaturam relatiuè ad aliam, ad quam refertur: sed non eligit vnam relatiuè ad aliam, quia iudicium Diuinum non proponit vnam creaturam, vt potiùs eligendam, quàm aliam: sed simpliciter proponit bonitatem cuiusque. Hoc autem discrimen nascitur ex eo, quòd Deus absque vlla indigentia eligit: nos verò semper ex indigentia eligimus, & ideò cùm ad consultationem venimus, semper melius requirimus.

20 Hæc tamen responsio est gratis excogitata: quis enim percipiat, Deum practicè cognoscere vnum altero melius, & non eligere vnum præ altero? Et quidem in Prædestinatione ostendi, vnum præ alio eligi à Deo. Et sanè cùm Deus voluntate antecedenti omnes diligat, ac electos velit: voluntate tamen consequenti discernit alterum ab altero; & hunc reiicit: illum eligit. Vndè D.Paulum id indicare, sæpè legimus. *Quis autem te discernit, &c.* vt aduertit S.B. *in 1.dist.40.art.2.quæst.1.ad 1.* Ideò Matth. 22. *Multi sunt vocati, pauci verò electi:* hoc autem factum est etiam in separatione illius, qui habebat vestem conspurcatam, à cæteris conuiuis per electionem, vt notat S.Doct. *l.c.q.2.* & in hoc Electionem à prædestinatione secernendam, obseruat S. Bonau. *ibi.* Nam electio, prædestinationi, addit separationem vnius ab alio, & selectionem vnius præ cæteris.

Apparentius responderet quadam doctrinâ S.Bonau. *in 1.d 40.ar.2.q.1.ad 4.argumentum,* Deum diuerso modo eligere: Non enim eius electio oritur è consideratione præcedentis bonitatis: sed ipse est principium bonitatis; & ideò neque eius electio causatur à præminentia eligibilium, sicut electio nostra: nos enim diligimus iam bonum: & ità bonitas dilecta, est causa nostræ dilectionis, & electionis. Idem tamen solueretur ex eodem Seraph. *in 1. dist.41. art.1. quæst.2. fund.3.* vbi magis ex propria sententia loquitur, Deum facere quidem primò bonum, idest ex omnipotentia, & voluntate eius causari bonitatem entium; attamen hanc bonitatem à Deo comparatiuè respici & liberè eligi; & sic in prædestinatiua electione eligere meliores, liberè tamen è suo beneplacito. 21

Probatur tertiò. Si ex duobus mediis æqualibus, & æqualiter propositis, voluntas eligere non potest alterutrum; sequitur, ex propositione rationis, imponi nostræ voluntati necessitatem. Idem sequitur, si teneatur eligere, quod est melius è duobus inæqualibus. Sed hæc sunt absona: Ergo. Minor probatur, & ostenditur in emissione Voti, quod quidem est propositum maioris boni, & tamen liberè quilibet votum emittit; licèt emissum teneatur reddere, iuxta Psal.75. *Vouete, & reddite:* attamen etiam tunc potest liberè non reddere, vnde peccat; neque enim est peccatum, nisi voluntarium, & liberum. Hoc argumentum deduco è D.Bonau. *tom.7. in Opusc. Speculo animæ, cap.3.* post medium. Clariùs *cap.2 dist.25. p. p. quæst.6. fund.2.* 22

Respondet Vasq. *post numer.18.* Nequaquam temerari libertatem; quia quoad exercitium potest homo cessare à voluntate finis; & ità etiam ab intellectione cuiusque medij. Deinde, neque quoad specificationem læditur; Quia potest voluntas nullum medium eligere ex his, quæ proposita sunt. 23

Enim verò non satis intelligo, qua ratione ità semper intemerata libertas vigeat. Sume hominem, volentem finem necessarium beatitudinis, cui exponantur duo media sub æqualis bonitatis apparentia, quo pacto in exercitio erit liber? Similiter, si alterum è propositis mediis necessarium credat, & adhuc velit beatitudinem; quo pacto liber quoad specificationem, erit?

Ex his deduco, si fuerit vnicum medium necessarium ad finem illum consequendum, quem efficaciter volumus, ex quo ad executionem voluntas in illum tendit, nec solùm complacet in eo; tunc supposita efficaci voluntate finis, necessariò etiam medium illud vnicum est volitum. 24

Probatur. Quia quoties intellectus indicat, in obiecto esse omnem rationem boni, & in exercitio, non potest apparere vlla ratio mali; necessariò quoad exercitium fertur voluntas in illud: supposita autem intentione efficaci finis, non potest apparere vlla ratio mali in medio vnico: Ergo electio talis medij necessariò sequitur intentionem. Minor probatur: quia vnicum vtile apparet (esto aliunde mali aliquid haberet.) Ità Vasquez *cap.4.* cum D. Thoma *hic ad 1. & 2.* & pluribus Thomistarum.

fieri; quod voluntas praeoptarit; quidquid ratio proponat.

Probatur secundò à D. Bonauent. *in corpore*, argumento, ducto ex Aristotele 3. *de anima*, *cap.* 7. *text.* 30. vbi ait: *Atquì cum bonum, aut malum esse dicit affirmando, aut negando, tunc fugit, aut prosequitur.* Idem indicat 3. *de anima*, *cap.* 3. *text.* 154. vbi ait, Nos perturbari, cùm opinamur; opinio autem in affirmatione, vel negatione est; experimur enim, cum tale iudicium compositionis absque imperio praecesserit, sequi complacentiam voluntatis.

7 Assero secundò, non sufficere simplicem apprehensionem.

Probatur è D. Bonauent. *loco citato.* Quia experimento comperimus, voluntatem è simplici apprehensione, non intendere finem, seu media requirere; sed requiri, cognosci, illud esse sibi bonum; vt concedit etiam Vasquez in fine *disputationis.* Quod enim dicit ipse, hanc esse apprehensionem simplicem, qua apprehendimus, rem bonam esse nobis, imbelle est. Quis enim non videt, *hic* saltem latere compositionem.

8 Quod verò *numero* 7. ait, solam apprehensionem conuenientis, vel inconuenientis mouere sensum nostrum, & bruta, vt appetitus amet, vel fugiat obiectum; & hanc aprehensionem in aestimatiuâ residere, friuolum est: sensus enim magis mouetur, quàm moueat; at intellectus mouet rationabiliter. Licèt autem intellectus aliquis, puta Dei, vnico simplici actu comprehendat, hoc esse bonum; ac proinde in actu non sit compositio, &c. erit tamen compositio in obiecto; & per accidens actu simplici comprehenditur; quod & in beatis videntibus Deum inducit Vasquez *numero* 14. vnde è simplici actu visionis Dei, oritur amor in Deum. Tandem nos loquimur de Actibus Humanis nostris in via naturalibus, qui bonum aliquid nobis non obiiciunt absque compositione. Non renuerem tamen aliquem esse actum complacentiae in apprehensione. Sic delectamur de impossibili.

Argumenta primae opinionis supponunt falsum, scilicet imperium residere in intellectu, quod reprobabitur *disp.* 13. *quaest.* 1.

QVAESTIO III.

Vtrum Consilium *sit de iis, quae sunt ad Finem.*

D.Bon.in 3. d.35.q.4.
D.Thom.art.2.

9 Consilium sanè esse de mediis inuestigandis, docent Aristoteles 3. *Eth. cap.* 3. Nyssenus 5. *Phil.c.* 5. Damascen. 2. *de fide*, *cap.* 22. D.Thom. *hic* vbi Contadus; & Recentiores Thomistae. Richardus *in* 3. *dist.* 38. *art.* 2. *quaest.* 1. Durandus *in* 2. *dist.* 25. *quaest.* 1. post D. Bonauent. *locis adductis suprà in Opusculis*, & *in* 3. *dist.* 35. *quaest.* 4.

Itaque consultatio, non est de fine abstracto à materia; sed aut de mediis vtilibus ad finem, in quibus non est formaliter bonitas finitas: aut de fine contracto ad hoc, vel illud; vt dixi *disp.* 9. *quaest.* 1. vt colligitur è D. Bonauent. *in* 3. *loco cit.* quem sequitur Vasquez *disp.* 45. post D.Thomam, licèt repugnet Valentia, infrà citandus.

10 Et quidem solùm de dubiis, & ambiguis, est consultatio, vt docet Aristoteles 3. *Eth.cap.* 3. quem sequitur D.Bonauent. *locis mox adductis*, & *in primo,dist.* 40. *art.* 2. *quaest.* 2. vbi id probat ex D.Damasceno 2. *de fide*, *cap.* 22. vbi ait: *Electio non cadit in Deum; quia Diuina natura non est possibilis ad ignorantiam*: electio autem ex consilio oritur; ideò *in corpore* ait, electionem, quae est cum inquisitione, esse propriam creaturae, in quam potest labi ignorantia. Idem docet Vasquez *loco cit. cap.* 2. Valentia *disp.* 2. *quest.* 9. *p.* 2.

QVAESTIO IV.

Vtrum Consilium *sit de iis, quae sunt circa nos.*

D.Bonauent. loc.cit.
D.Thom.art.3.& 4.

Assero primò, Consilium esse de his, quae à nobis sunt gerenda. Ità Aristoteles 3. *Eth.c.* 3. Nemesius, vel Nyssenus *loc.cit.quaest.* 3. Damascen. 2. *de fide*, *cap.* 22. vbi ait: *Est autem Consilium inuestigandi appetitio, quae de iis rebus agendis oritur, quarum penes nos est potestas.* Ità deducit D. Bonauent. *Tom.* 6. *de septem Donis. De Dono Consilij*, *cap.* 1. & post eum Vasquez *ad art.* 3. *D.Thomae.* 11

Probatur à D.Thom. *loc.cit.* & Valentia *loc. quaest.* 3. *p.* 2. Consilium est quaedam inquisitio intellectus, circa contingentia agibilia: Sed haec inquisitio non est, nisi propter actionem nostram circa Agibile: Ergo. Minor probatur; Quia cognitio contingentium, cùm sit imperfecta, non quaeritur, nisi propter actionem. Idem ferè habet S.Bon. *l.c.*

Assero secundò, Consilium de rebus paruis, & determinatis non est Consultatio. Et quidem de determinatis, iam suprà dictum est *quaest. praecedenti* ex Aristotele. De paruis verò S.Thom. adducit Aristotelem assertorem; At Vasquez dicit hoc apud Aristotelem non reperiri: Sed video in verbis Aristotelis includi etiam illud; Nam, consultationem, ait Aristoteles, esse solùm de iis, de quibus solet moueri quaestio, & de minimis non solemus conquirere, quaenam eligenda sint, cùm nil ferè referat: Vtrum hoc vel illud assumatur; vt notat Valentia *disp.* 2. *quaest.* 9. *p.* 2. 12

QVAESTIO V.

Vtrum Consilium *ineatur modo resolutorio.*

Assero affirmatiuè.

Probatur. Quia tunc proceditur resoluendo, quando à re composita ad rem simplicem proceditur: proceditur autem à re composita, quando proceditur ab eo, quod est vltimum in executione, & primum in intentione; id autem est aliquis effectus, ac proinde aliquid magis compositum, causa namque simplicior solet esse effectu; sic cùm proceditur à causa ad effectus, proceditur potiùs modo compositiuo. Minor probatur. Nam Consilium incipit à fine, qui est primum in intentione, & vltimum in executione; atque adeò est effectus quidam secundùm rem ipsam, seu in executione: esto quoad intentionem, sit causa mediorum assumendorum. 13

DISPVTATIO XI.

De Consensu.

CONSENSVS est Actus Humanus circa media, ideò de eo agendum.

QVÆSTIO I.

Quid sit CONSENSVS.

CONSENSVM sic definit S. Bonauent. in explicatione Terminorum Theologiæ, Tom.6. *Consensus est nutus Voluntatis spontaneus.*

1 ET quidem, præcipuè in voluntate ipsum consistere docet D.Bonau.*in 2.q.2.ad* 1.licèt aliquo modo, etiam intellectum definitio includit; Attamen quantumuis intellectus deliberet, nisi Voluntas alterum præoptet, nunquam eligit, nec consentit. Idem habet D. Thomas *art.*4. vbi docet, consensum esse sententiam vltimam, vel certè quiddam consequens sententiam vltimam intellectus: Sed vltima sententia spectat ad rationem superiorem hominis, idest ad intellectum, & voluntatem, quatenùs intellectus, & voluntas procedunt è rationibus æternis, & diuinis, quo pacto dicuntur ratio superior: ergo etiam consensus. Minor probatur: nam quamdiù expectatur Superioris sententia, nondum fertur sententia vltima, & sic sententia vltima ad supremam partem hominis spectat. Hæc Valentia *disp.* 2. *quæst.*10.*puncto* 1. post D.Bonauent. Et quidem etiam actum intellectus ad Consensum interuenire, probatur è D. Damascen. *lib.*2. *de fide, cap.*22. vbi Consensum vocat *Trὰ*, *xn.*

2 Latinè *Sententiam*; sententia autem requirit etiam intellectum iudicantem. Vnde ibidem ait: *Mox id, quod melius, & conducibilius futurum sit, expendit, & iudicium dicitur: postea afficitur, atque id, quod Consilium censuit, comprobat, & amplectitur, tunc sententia vocatur.* Est igitur Concursus intellectus cum voluntate ad idem sentiendum, vt notat etiam Vasquez *ad art.*1. *quæst.* 15. *D. Thomæ* Vnde malè contra D.Bonauent. infert, Consensum esse solius Voluntatis.

ADVERTE autem, Consensum ab Electione differre; nam de ratione Consensus est tantùm quædam complacentia medij, quod iudicio, & sententiæ prælatum est: Electio autem est efficax affectus eiusdem medij, qua etiam ratione differunt *Voluntas Finis*, & *Intentio*. Voluntas enim, vt sic, dicit simplicem complacentiam circa finem, Intentio vero efficacem.

3 Alio modo explicat S. Bonauent. *in* 2. *dist.* 25. *part.*1. *quæst.*3. *ad* 2. Consensus enim dicit concursum, & conuenientiam rationis cum voluntate in vnum. Eligere verò dicit rationis iudicium, & voluntatis appetitum.

4 ADVERTE adhuc, secundùm primariam vocis significationem, simplicem affectum complacentiæ esse circa finem, aut circa medium, quod ex pluribus non est iudicatum vtilius, quia vnicum tantùm erat, non dari Consensum: nam teste Damasceno *loco citato*, post consilium, & iudicium, quo medium aliquod præfertur, est Consensus: ergo vbi non fuerit consultatio, & vnum medium non fuerit alteri per iudicium prælatum, complacentia simplex non debet dici Consensus. Ex qua doctrina infert idem Damascenus 3.*de fide, cap.*14. hæc verba: *At verò sententiam, & electionem in Domino (scilicet Christo) dicere non possumus, siquidem propriè loqui studuimus.* Etenim sententia post ignotæ rei inuestigationem, & deliberationem, hoc est, Consilium ad iudicium, affectio est ad id, quod decretum est. Idem docet S.Bonauent. *illa quæstione, in* 3. *loco citato.* Idem de electione 5
docuerat, *lib.*2. *de fide, cap.*22. Cæterùm, sicut S. Bonauent. *in primo, dist.*40. *art.*2.*quæst.*1. docet, Electionem esse in Deo; ità posse sic vocari. Quia quod iudicium præcesserit è consultatione præcedente ignorantiâ, vel solùm ex iudicio per se noto, non tollebat rationem electionis, vt notat D. Bonauent. & post eum Vasquez *ad art.*1. *quæst.*15. *D. Thomæ*, eadem ratione de consensu dicendum est, dummodò maneat iudicium præferens vnum medium alteri.

Hæc Vasquez, qui in hoc secum pugnat. Nam *disp.*43. *cap.*3. *num.*17. docet, Deum non eligere præferendo vnum medium alteri comparatiuè, sed quodlibet absolutè eligendo.

ADDIT autem Valentia è D.Bonauent.*in* 2.*dist.* 6
24.*quæst.*1. *ad* 4. quòd ratio superior, cuius est ferre sententiam, non solùm censetur consentire tunc, cùm directè è rationibus æternis concludit, aliquid esse faciendum; sed etiam indirectè; tunc cùm per illas non impedit, quo minùs aliquid à se concludatur; si alioqui impedire possit, & debeat, non regendo, sed fræna laxando. Atque hinc est, vt interdum patretur peccatum mortale in sensualitate per istum consensum rationis superioris indirectum, vt dicam *in materia de peccatis* cum D. Bonauent. *in* 2. *dist.*24. *p.*2.*art.*3. *quæst.*1. *in corpore,* & *secunda ad argumenta.*

QVÆSTIO II.

Vtrum CONSENSVS *possit esse in Brutis.*

D.Thom.art.2.

ASSERO negatiuè.

PROBATVR à D. Bonauent. *in Pharetra,* 7
*lib.*2.*cap.*4. è Multis PP. qui consensum esse actum astruunt rationalis portionis. Sic etiam D.Thom. affert Damascenum 2. *de fide, cap.* 22. Idem sentit S. Bonauent. *in* 2. *dist.* 25.*p.*1. *quæst. vlt. in argum. secundo, secundo loco.*

PROBATVR à D.Bonauent. *ea quæst. & antecedenti.* Consensus est eius, qui potest peccare; sed Bruta nequeunt peccare: ergo nec consentire. Maior probatur, quia consensus est quædam applicatio motus potentiæ appetitiuæ ad alterum. Sed Bruta propriè non applicant potentiæ suæ motum: Ergo. Minor probatur. Quia applicare potentiæ suæ motum, est eius tantùm, in cuius potentia est dominium sui motus, nam baculus, *verbi gratia*, non applicatur à seipso, vt suo motu, & impulsu expellat lapidem; sed ab homine, qui habet dominium motus baculi. Ità etiam D. Thom. *hic*, & Valentia *disp.*2.*quæst.*11.*p.*3.

QVÆS

QVÆSTIO III.

Vtrum CONSENSVS *ſit tantùm circa media.*

❮ D. Thom. art. 3.

8 ASSERO affirmatiuè. Probatur à D. Thoma. Conſenſus ſequitur Conſilium, ſed Conſilium eſt tantùm de mediis: ergo. Addit Valentia *p.2.* Si quis contendat, eſſe etiam conſenſum de fine, quatenùs ad finem etiam potentia appetitiua ſe applicat, & de eo ſumit quaſi experimentum quoddam, in quo videtur conſiſtere ratio conſenſus, futurum quæſtionem de nomine.

ADDIT etiam communem conſenſum loquendi obtinuiſſe, vt ſola applicatio potentiæ appetitiuæ ad media, nominetur *Conſenſus* à Theologis, ſed hoc non omninò placet, neque eſt apud omnes receptum, vt ſuprà vidimus *quæſt.* 1.

DISPVTATIO XII.

De Vſu.

❮ D.Thom. q.16.

QVÆSTIO I.

Quid ſit VSVS, *& cuius potentiæ actus.*

❴ D.Bonau. in primo q.2.
D.Thom. art.1.

1 DEFINITVR à D. Bonauent. 3. *p. Centil. ſect.* 1. *Tom.*6. è D.Auguſt. lib. 10. de Trin. cap. 11. *Vti, eſt aſſumere aliquid in facultatem voluntatis.* Quam definitionem referunt Valentia *diſp.*2. *quæſt.* 11. *p.*2.

AT *in primo Sent. quæſt.* 1. prælibat, multis modis aſſumi VSVM. Primò communiter pro operatione cuiuſque facultatis, & hac ratione Vſus dicit exercitium facultatis, ſeu operationem, ad quam ordinatur, quod ab otio diſtinguitur, quo ſenſu ait Ariſtoteles: *Cuius vſus bonus, &c.*

2 SECVNDÒ ſumitur pro exercitio cuiuſque facultatis, cum aſſiduitate, & frequentia. Tertiò pro actu Voluntatis, & hoc dupliciter, aut pro quocumque actu voluntatis aſſumentis aliquid ſub poteſtate ſua, & facultate; & ſic capitur à Diu. Auguſt. *loc. cit.* Aut pro actu peculiari voluntatis, prout contra diſtinguitur à fruitione, & hoc pacto voluntas vtitur quacumque creatura, & obiecto, quod diligit, non propter ipſum, ſed propter aliud, in quod ipſum refert, vt in finem, & hoc ſenſu loquitur etiam D.Auguſt. *loc. cit.* Vltimò accipitur propriiſſimè, & ſic diuiditur contra actum inordinatum, qui eſt abuti, & ità definitur à D. Auguſtino *de doctr. Chriſt. cap.*4. Eſt id, quod in vſum venerit, referre ad id, quo fruendum eſt. D. Bonauenturam ſequuntur Richardus *in primo, diſt.*1. *art.*1. *quæſt.*1. Gabr. *quæſt.*1. *art.*1. Marſil. *in primo, quæſt.*4. *art.*1. Gregor. *in primo, diſt.*1. *quæſt.*1. *art.*1. Durand. *quæſt.*1. Capreol. *in primo, diſtinct.*1. *quæſt.*2. *art.*1. *concl.*1. Conrad. & Recentiores *ad hunc art.* D.*Thomæ.*

3 CONCLVDIT ergo D.Bonauent. VSVM primo modo ſumptum, eſſe omnis potentiæ, quo ſenſu ſæpe Ariſtoteles docet, Animam vti calore, vt inſtrumento; naturam vti ſemine ad generationem; & animalia vti pedibus ad gradiendum, vt notat etiam Vaſquez *diſp.* 47. *cap.*2. poſt D.Bonauent. *in primo, diſt.*1. *quæſt.*1. *&* 2. *in corpore.* Similiter & ſecundo modo eſt actus cuiuſuis potentiæ, nec addit aliud, quàm frequentiam. Tertio modo dicit actum voluntatis. Quarto modo eſt actus voluntatis, vt ad aliud relatiuè, & definitur à D. Auguſtino: *Vti eſt aſſumere aliquid in facultatem voluntatis propter aliud*; ideſt ad fruendum alio. Quinto eſt actus voluntatis, vt relatus ad finem rectum. Et his ſenſibus D.Auguſt. *lib.*83. *qq. quæſt.* 3. 4
ait; Vſum tantùm in hominibus reperiri, addit verò tantùm in bonis repetiri, ſumit verò ibi vſum, prout dicit ordinationem mediorum in debitum finem, dum vtuntur vtendis, & fruuntur fruendis. At verò 10. *de Trin. c.*11. & *lib.*11. *de ciu. c.*25. latiùs vſurpat nomen VSVS, vt conueniat omnibus etiam malis, & ſolis hominibus, nempe pro eo, quod eſt aſſumere aliquid in facultatem voluntatis propter aliud. Quo ſenſu accipitur etiam à Scholaſticis, pro aſſumptione mediorum ad finem voluntatis. Ità Vaſquez poſt D.Bonauent. *loco citato, & quæſt.*2. *in corpore.*

ASSERO igitur, Vſum eſſe actum Voluntatis. 5

PROBATVR à D.Bonauent. primò *in fundamentis.* Actus ille, à quo quis denominatur bonus, eſt actus voluntatis. Sed ab actu vtendi dicitur homo bonus: ergo.

PROBATVR ſecundò à S.Doct. è D.Auguſtino, 10. *de Trin. cap.*11. Vti eſt aſſumere aliquid in facultatem voluntatis,

POBATVR tertiò à S.Doct. ex eodem, D. Auguſtino 10. *de Trin. cap.*11. vbi diuidit hæc tria: INGENIVM, DOCTRINAM, & VSVM, & ait; Ingenium reſpicere quid homo poſſit; Doctrinam, quid homo ſciat. Vſum, quid velit, & addit: *Vſus eſt in voluntate pertractante illa, quæ in memoria, & intelligentia continentur.*

PROBATVR quartò ab eodem S. Bonauent. 6
Oppoſita nata ſunt fieri circa idem; ſed *Vti*, & *Abuti*, ſunt oppoſita. Ergo cùm *Abuti* ſit ſolius voluntatis; quia eius ſolius eſt peccare: ergo etiam *Vti.*

PROBATVR quintò à S.Doct. *in corpore, ad* 2. Vſus dicitur applicatio alicuius rei ad operationem; ſed voluntas maximè applicat aliquid ad operationem: ergo, &c. Minor probatur: Nam voluntatis eſt mouere reliquas potentias, ac proinde rem quamlibet ad operandum applicare. Hoc argumento vtitur Valentia *diſput.*2. *quæſt.* 11. *puncto* 1.

ADDO minus principaliter, & propriè, vſum 7
eſſe actum aliarum potentiarum exequentium. Probatur; Quia dicunt aliquem ordinem ad illum actum voluntatis regentis, qui propriè nominatur *Vſus*, & ideò poſſunt, ſecundùm hanc habitudinem ad vſum propriè dictum, *Vſus* appellari. Quare D. Auguſt. *lib.* 83. *qq. quæſt.* 30. ait, Rationem tum ſeipsâ, tum omnibus ſenſis, & non ſenſis vti. Item; Omnia, quæ facta ſunt, eſſe in vſum hominis; quia omnibus vtitur iudicando ratio, quæ homini data eſt.

NOLO autem aſſerere, vſum eſſe actum merum elicitum à voluntate, vt aliqui aſſerunt, quos

PROBATVR tertiò à Seraphico. Omni virtute rectè vti conuenit; sed vsus virtutum est etiam mali pœnæ, vt patientiæ; vel etiam mali culpæ,
18 puta pœnitentiæ: Ergo etiam malis vti possumus: Ergo multò magis bonis.

PROBATVR quartò à Seraphico. Opposita nata sunt fieri circa idem; sed omnibus rebus accidit abuti: ergo & vti. Confirmatur in *corpore* ex dictis.

ASSERO secundò, non posse nos vti Deo ob alium finem.

19 PROBATVR à Seraphico *quæst.* 3. primò. Vsus est boni vtilis ad finem; sed Deus ad alium finem non est ordinabilis, cùm ipse sit finis vltimus: Ergo.

PROBATVR secundò. Si Deus ad bonum creatum refertur, tunc causa ad effectum, terminusque ad viam reducerentur: sed hoc est abuti, &c.

PROBATVR tertiò. Bonum honestum per essentiam non refertur ad vtile; sed Deus est Bonum honestum per essentiam: Ergo. Confirmatur à Seraphico ex D. Augustino *lib.* 83. *quæstionum, quæst.* 30.

20 ADVERTE *hic*, D. Thomam videri concedere, Deum posse ordinari ad possessionem eius; sicut auarus ordinat pecuniam ad possessionem, & ità posse nos vti Deo ad finem. Sensus tamen D. Thom. est, vt notant Conradus *ad hunc articulum*, & Vasquez *cap.* 2. *num.*4. non esse referre Deum in finem alium, dum in possessionem refertur; quia possessio rei, quæ est finis, non est diuersus finis à re possessa; sed ex re, & possessione eius constituitur vnus finis. Cùm igitur Deus ordinatur ad finem possessionis, non ordinatur tanquam bonum vtile
21 ad honestum; sed ordinatur ad se ipsum, vt possidendum. Hæc est doctrina D. Bonauent. *quæst.* 3. *ad primum*, vbi explicat; quomodo Deus ad beatitudinem desideretur, non enim intuens mercedem beatitudinis beatus vtitur Deo, quia non refert ad aliud. Quare non rectè aliqui Recentiores Thomistæ aiunt, propriè eum, qui appetit Deum ob possessionem tanquam in finem, vti Deo ipso, vt notat etiam Vasquez *numero* 3.

QVÆSTIO III.

Vtrum Vsus præcedat Electionem.

22 ASSERO, Electionem esse ante Vsum.

PROBATVR à D.Thom. quia Electio seligit media: Vsus autem imperat, & assequitur. Sed electio est ante Imperium, & assecutionem: ergo & ante vsum.

Ille tamen Vsus, quo voluntas applicat intellectum, ad consultandum de mediis, non est posterior eorum electione: patet; quia priùs consulitur de mediis, quam eligantur. Sed Intellectus applicatur ad consultandum vsu & Imperio voluntatis: Ergo. Hic autem vsus, quo voluntas vtitur Intellectus consultatione, deliberatione, &c. non est ille propriè, quem definit D. August. suprà *esse assumere aliquid in facultatem voluntatis*: licèt enim actiones Intellectus etiam famulentur: hoc tamen præstant in ordine ad illa media, quæ immediatiùs respiciunt assecutionem finis; vndè vsus propriè dictus, versatur circa media externa, quæ assumuntur in obsequium voluntatis, & assecutionem finis; quo obtento, sequitur ipsius quies & delectatio, cessatque vsus, cessantibus mediis. Iuxta id Philosophi *obtento termino, cessat motus*.

DISPVTATIO XIII.

De Imperio, & Actibus Imperatis.

D.Thom.q.16.

QVÆSTIO I.

Vtrum IMPERARE *sit actus elicitus à Voluntate.*

D.Thom.art.1.

PRIMA opinio est, Imperium esse actum intellectus practici, supposita motione voluntatis. Ità D.Thom. *hic*, vbi Conradus, Caietanus, & Recentiores Thomistæ omnes. D. Antoninus *p. p.* 1
*tract.*4. *cap.* 10. Dominicus Soto *lib.* 1. *de iustitia*, *q. est.*1. *art.*1. Cordūba *lib.*2. *quæst.* 10. quibuscum incedunt Richardus *in* 4. *distinct.* 15. *art.*4. *quæst.*1. Gabr. *in canon. lect.*61. Vasquez *part.* 2. *disp.* 49. Valentia *disp.*2. *quæst.*12. *punc.* 1. Zumel. *disput.*4. *var. de volunt. hominis, sect.*4. Moral. *infr. cit.* Lorca *disp.*22. Montesin. *d.*21. *q.*1. Bassæus *v. Actus Hum.* 3. *num.*12. Tanner. *tract.*2. *d.*2. *q.*3. *num.*55. Syluius ad D. Thom.

OPPOSITA sententia est, Imperium esse actum Voluntatis. Sic D. Bonau. 2. *d.* 25. *p.* 1. *q.* 2. *corp. addita responsione ad argumenta*, & *in* 3. *d.* 17. *q.* 1. *ad* 3. quem secuti sunt Henricus *quodl.* 9. *quæst.* 6. Ocham *in* 3. *quæst.*12. *art.*4. *concl.*3. Almin. *tract.* 3. *moral. cap.* 2. Angestus *cap.* 1. *moral. in* 3. *parte* 2
Text. corol. 3. Ioannes Medina *de pœnit. tractat.* 6. *cap.*2. & consequenter ad sua fundamenta, de maiori nobilitate Voluntatis quàm intellectus; Scotus *in* 4. *d.*49. vt vidimus *Tract. de anima, disp.* 10. *quæst.*2. *cap.*5. Idem innuit *in* 2. *d.*6. *q.*1. & *quodl.* 17. & omnes Scotistæ. Portò aliis antiquis, præcipuè D. Bonau. adscribitur à Sala *tract.* 6. *disp.* 2. *sect.* 2. Auersa *q.*10. *sect.*2.

E Recentibus sequuntur Becan. *p.* 2. *cap.*2. *q.*5. Suarez *d.*6. *sect.*6. Bellarm. *lib.* 4. *de gratia, cap.*8. Arriaga *disp.*3. *sect.* 1. Fonseca, Caspensis, Caraffa apud Morandum *Tract.*2. *q.*21. Salas verò *Tract.*6. *d.*1. *sect.* 2. Auersa *q.* 16. *sect.*1. allegant Seraphicum pro prima sententia. Tandem Scotistæ apud Mastr. *disp.*7. *de anima num.*156. Fabrum *disp.*9. *de Pœn. cap.*9. Rabes. *de anima, disp.*4.*q.*6. Imperium esse Voluntatis conclamant.

ASSERO cum hac sententia, Imperium esse 3
actum elicitum Voluntatis.

PROBATVR primò ab Henrico, ratione S.Bonau. *locis adductis.* Imperare est superioris, cuius nutu cæteri mouentur; in nobis autem cæteræ facultates mouentur nutu voluntatis, tanquam superioris, & ipsa non mouetur nutu aliarum: Ergo imperare est voluntatis actus.

RESPONDET Vasquez *cap.* 3. intellectum esse nobiliorem voluntate; neque eam potentiam esse nobiliorem,

nobiliorem, aut ad eam spectare imperium, cuius nutu cæteræ mouentur; alioqui, etiam in brutis, esset imperium, quia facultas eorum motrix, secundùm locum, nutu appetitus animalis operatur, quod est absonum. Sed quod attinet ad personam imperantem, ad illam quidem spectat imperare, cuius nutu, & voluntate, tanquam superioris, cæteri operantur. Hinc tamen non efficitur, ipsam
4 uoluntatem esse formaliter imperium; quare si nutus voluntatis capiatur pro ipso affectu voluntatis solùm absque insinuatione, non dicitur imperium; neque erit idem nutu voluntatis operari, & imperio voluntatis operari; tametsi ad eam personam pertineat imperare, cuius nutu cæteri mouentur. Si verò nutus voluntatis vsurpetur pro insinuatione affectus voluntatis (vtrumuis enim hoc denotare videtur) idem erit nutus voluntatis, & imperium; idemque erit operari ex nutu, & imperio.

5 VERUM enim verò iam nos ostendimus, *loco adducto* in referendo Scoto, voluntatem esse intellectu nobiliorem, & apud eam residere imperium; neque enim imperium est executio quædam, seu motus ad motum alterius; sicuti ad motum corporis mouentur ea, quæ sunt in corpore, vel ad executionem potentiæ, loco motiuæ, mouentur membra, vt infert Vasquez; neque est simplex affectio, seu complacentia; sed est nutus ex affectione, quo Voluntas potentias aliquas liberè, & despoticè; alias verò ciuili dominio mouet, sæpè etiam renuente ratione; quantumuis enim ratio dictet, tamen non sequitur operatio, nisi id imperet voluntaris affectio, vt notat D. Bonau. *in 2. dist. 25. quæst. 6. in corpore*. Voluntas enim, vt experientia clarum est, annuit imperio, operationes potentiis iniun-
6 gens liberè; & ideò arbitrium apud eam formaliter residet. Intellectus verò se habet tantùm materialiter, vt proponens obiectum; vt aduertit S. Bonauent. *ibi*, & *quæstione secunda*, & 3. *eiusdem distinctionis*.

Probatur secundò ab Henrico, ratione D. Bonauent. *eadem quæstione*, *argumentis secundo loco*.
7 Ille imperat, qui compellere potest, nec à quoquam potest compelli. Talis est voluntas, non autem intellectus: Ergo.

RESPONDET Vasquez *loc. cit.* concedendo maiorem; sed negat minorem. Primùm quidem id non sequitur in vno homine, respectu alterius; nam, cùm dicimus, eum qui imperat, posse compellere eos, quibus imperat; si loquamur de coactione, quæ est sola obligatio conscientiæ, sola voluntas superioris non sufficit; sed requiritur etiam insinuatio facta per intellectum. Si verò loquamur de coactione in infligenda pœna; hæc pertinet ad inferiores ministros, qui sunt execu-
8 tores voluntatis superioris. Quod si sermo sit de obligatione ad pœnam; pertinet quidem ad eandem potentiam pœnam infligere, & imperare: sed non adhuc probatum est, alterutrum pertinere ad voluntatem. Deinde, si loquamur de eodem homine respectu sui, non video, qua ratione sibimet imperare possit. Quod si in eo poneremus imperium respectu suarum actionum; ità ponendum esset in intellectu, vt supponeret motionem voluntatis; & ità posset habere vim cogendi ratione voluntatis, quam supponit.

9 VT ingenuè fatear, non satis anfractus istos ad rem perspicio intextos. Et quidem si imperium vnius in alium hominem sumas; illud in eo stat: *Fac hoc*, vel: *Ne hoc feceris*, absque intimatione pœnarum. In eodem autem homine voluntas non modò aliis potentiis imperat, sed etiam sibi ipsi, neque enim necesse est, motorem rationalem realiter à moto distingui; vt notat D. Bonauent. *in 2. dist. 25. parte prima, q. 2.* Itaque respectu suarum actionum habet Voluntas imperium etiam reflexum, dum iubet sibi placere volitum: neque verò benè infertur, id in intellectu poni posse; quod si ponatur, supposita motione voluntatis, idest voluntatis nutu, & imperio; iam imperium in confesso erit penes voluntatem, & tanta contentio erit inanis.

PROBATVR tertiò ab Almaino, & Ioanne Medina. Si imperium esset actus intellectus, aut esset simplex apprehensio; aut compositio; seu diuisio, aut discursus: Alium enim actum intellectus non enumerauit Aristoteles *primo de Interpret. cap. 1.* nullus autem horum esse potest: Ergo. Si enim aliquis esset, maximè compositio: Sed in hoc non potest stare imperium: nam imperium explicatur hoc modo: *Fac hoc*, non autem sic: *faciendum est tibi hoc*; quia hæc enumeratio: *faciendum est tibi hoc*; potiùs exprimit conclusionem consultationis, quæ est iudicium, quàm imperium, quod est post iudicium; atque per illam actionem: *Fac hoc*, non exprimitur compositio aliqua; aut diuisio existens in intellectu: Ergo imperium non est vllus actus intellectus. Est ratio D. Bonauent. *loco citando*. 10

AT D. Bonauent. *dist. 25. quæst. illa sexta*, alio etiam modo arguit. Si imperium esset actus intellectus; debet esse vnus ex tribus assignatis ab Aristotele *loco cit.* sed non est Apprehensio, neque Compositio, vt probatum est: Ergo erit Conclusio, seu Iudicium: Sed hoc neque, quia imperium est: *Fac hoc*; at hic spectat ad voluntatem: Ergo. Minor probatur à Seraphico multipliciter. Sequela enim suprà probata est. 11

PRIMÒ quidem, quia imperium est penes eum, qui non potest vnquam cogi; At intellectus cogi potest; non autem voluntas: Ergo.

SECVNDÒ, Quia quidquid ratio dictat; non experimur, id fieri, sed quod voluntas præoptat.

TERTIÒ, quia voluntas est potentissima, vt ait D. Bernardus *lib. de libero arbitrio*, & in ea stat meritum, vel demeritum: hoc autem pendet ex primo mouente, & imperante. Alia etiam argumenta habet *in corpore*, & *ad argumenta*. 12

RESPONDENT nonnulli, præter tres actus intellectus speculatiui numeratos ab Aristotele, reperiri in intellectu practico actum Imperatiuum. Ita colligitur è Soto *loc. cit.*

Corduba verò respondet, notitiam Iudicatiuam, quæ est compositionis, seu diuisionis, subdiuidi in Ostensiuam, & Præceptiuam; & in hac secunda, ait, esse imperium.

CONTRA primum est: quia intellectus practicus non variat modum cognoscendi; sed tantùm materiam, & finem; quia speculatiuus apprehendit solius speculationis gratiâ; practicus verò ad opus; in modo tamen apprehendendi simplicia, componendi, diuidendi, & discurrendi, eundem vterque ordinem seruat. Deinde dicant: qui actus distinctus à tribus assignatis ab Aristotele sit iste: *Fac hoc?* Isti autem, quisnam sit, non explicant. 13

Similiter nec Corduba satis explicat discrimen, inter compositionem Iudicatiuam, & Præceptiuam. Hæc Vasquez.

RESPONDET igitur Vasquez, imperium esse iudicium compositionis, seu diuisionis, quo intellectus 14

lectus in se exprimit affectum suæ voluntaris; & hæc expressio dicitur insinuatio, seu expressio desiderij; veluti si quis diceret: Ego habeo voluntatem, & desiderium talis rei. Hæc autem expressionis ratio communis est imperio, suasioni, & orationi: his enim omnibus exprimimus voluntatis nostræ desiderium. Differunt verò ex parte connotati, quia expressio affectus inferioris, facta superiori, est oratio: Suasio autem est expressio desiderij facta ab amico ad alterum amicum: Imperium verò à superiore fit inferiori, cui insinuatur tale desiderium: *Fac hoc*.

15 Contra tamen aperta est ratio: nam, vt benè arguit D. Bonau. *d.25. q.2. addicta*, potentiæ rationales diuiduntur in cognitiuam, & affectiuam, seu appetitiuam. Cùm igitur hoc imperium nil aliud sit, quam desiderium, & appetitus; quis non videt esse voluntatis. Neque moueat, si requiratur expressio intellectus: tunc enim, vt benè notat D. Bonauent. *quæst. 6.* intellectus se habet solùm, vt explicans. Itaque, sicut Imperatorem non vocamus Tibicinem, publicantem Imperatoris edictum; ita neque intellectum: eò quòd explicet imperium voluntatis; quando enim Tibicen proclamat, non
16 elicit actum imperij, sed exponit. Similiter nec, cùm aliquis voce aliquid alteri præcipit, licèt materialiter dicatur voce præcipere, tamen materialiter tantùm imperium residet penes vocem; alioqui, si subditus cor penetrans imperantis sciret, eum non seriò imperare, sed fingere, non teneretur obedire; vel si in foro externo cogeretur; adhuc non diceretur obedire homini imperanti; sed fingenti: alioqui si fictè imperans, scripto exaratum solummodò ederet iussum, iam imperium esset à manu scribente non ab intellectu, vel volun-
17 tate præcipiente. Requiritur igitur intellectus, vt Tibicen. Per quod soluitur ratio aliquorum, sic arguentium. Si imperium esset actus solius voluntatis; hoc ipso, quòd scrutaretur aliquis voluntatem Regis, teneretur obedire absque insinuatione intellectus: hoc autem est falsum. Respondetur enim, insinuationem requiri, vt conditionem; non vt imperij formalitatem. Vasquez, omissis aliorum rationibus, quas vt friuolas parui pendit, sic arguit.

18 Imperare, est insinuare inferiori voluntatem superioris, quod dicitur intimare: sed hoc substantialiter pertinet ad intellectum: Ergo. Minor est clara. Maior probatur, quia imperium semper dirigitur ad aliquem capacem rationis, qui possit percipere id, quod præcipitur: ergo debet esse actus intellectus, non voluntatis solius.

Hæc tamen ratio ex dictis ruit: nam intellectus non aliud præstat, quam imperium exponere, in quo non stat imperij formalitas, vt vidimus. Itaque negatur penitùs, imperare, esse intimare: sed est tantùm imperium manifestare.

Obiicit secundò Valentia ex Aristotele, *primo Ethic. cap. vltimo*, vbi ait: Appetitum obtemperare rationi: de appetitu enim sensitiuo loquens, ait: *Parere quodammodo rationi irrationabilem hanc partem, admonitio, & omnis increpatio, & exhortatio indicat.* Idem ait Nemes. *lib. 4. Philosoph. cap. 8. & 9.*

19 Respondet D. Bonau. *in 2. dist. 25. p. 1. q. 6. ad 2.* partem inferiorem sensitiuam obedire rationi, pro vt ratio dicit, tam intellectum, quàm voluntatem; & quidem parêre rationi, idest intellectui, tanquam dirigenti, & suadenti voluntati, quid bonum, quid agendum: voluntati verò, vt imperanti. Similiter appetitus rationalis, qui Irascibilem, & Concupiscibilem includit, obedit rationi, idest intellectui suadenti; & voluntati præcipienti.

Obiicit tertiò Valentia. Imperans, ordinat aliquid cum intimatione quadam, quòd sit agendum: sed sic ordinare propriè, & essentialiter spectat ad intellectum: Ergo. Maior patet ex ipso verbo imperatiui modi, quo exprimimus imperium. *Fac hoc, &c.*

Respondetur ex dictis, imperium consistere in ordinatione voluntatis: at requiri solùm intimationem, vt conditionem. 20

Addo, non ità egere alias potentias, vt voluntas manifestet suum placitum, medio intellectu, sicut egent homines tibicine, ea voluntas seipsa manifestat, cùm sit coniuncta, & intima etiam intellectui, non sic Regis voluntas subditis declaratur.

Ex his iam manifestum apparet, imperium in brutis non inueniri, quia est actus rationalis portionis, vt rectè arguit D.Thom. *quæst.17. art.2.* D. Bonau. *quæst.6. adducta in 2. dist.25.*

QVÆSTIO II.

Vtrum Vsvs *præcedat* Imperivm.

Assero primò. Vsus sumptus comparatiuè cum ratione consulente, quatenus voluntas dicitur vti intellectu ad consultandum, præcedit imperium, & electionem. 21

Probatvr. Quia talis vsus præcedit electionem, vt iam dictum est *disp. præcedenti, quæst.3.* sed electio præcedit imperium: Ergo etiam ille vsus præcedit imperium.

Assero secundò. Vsus, quo voluntas applicat alias potentias ad executionem medij, est posterior imperio.

Probatvr. Imperium prius naturâ est, & nonnunquam etiam tempore, quàm sit executio potentiæ; sed vsus ille est simul cum tali executione potentiæ, & non prior quàm illa: Ergo imperium est etiam prius illo vsu, sicut, & ipsa executione potentiæ. Maior est clara. Minor probatur à D. Thom. quia nullus dicitur vti aliqua re, nisi iam operetur per illam; non enim dicimur vti baculo, antequam eo aliquid operemur. 22

QVÆSTIO III.

Quomodo differant Imperivm, *&* *Actus imperatus.*

D.Thom. art.4.

Assero primò, hæc duo esse vnum actum in genere moris. Sicut enim materia, & forma se habent in genere naturæ; ità Imperium, & actus imperatus in genere moris: sed materia, & forma faciunt vnum in genere naturæ, &c. Ergo. Sic dicitur homicidium vnum in genere moris; licèt in genere naturæ plures actus subordinatos contineat, inter quos est imperium voluntatis, vsus, externa executio, &c. 23

Assero secundò, esse plures actus in genere entis. Patet.

Quinam

QVÆSTIO IV.

Quinam ACTVS *imperentur.*

D.Thom. ab artic. 5. vsque ad vltimum quæ. 17.

24 ASSERO primò, actus rationis omnes, quò ad exercitium, posse imperari. Ità D.Bonauent. *locis adductis, quæstione prima.*

PROBATVR; quia omnes actus rationis liberè possumus exercere.

ASSERO secundò, quò ad specificationem; nempè, vt rationis actus sit assensus vel dissensus, non omnes actus rationis imperari; sed eos solos, qui non habent causas necessarias, & conuincentes intellectum.

PRIOR pars assertionis patet: nam nullus potest non assentiri primis principiis, & conclusionibus, demonstratis per illa.

25 POSTERIOR pars probatur: quia experimento videmus, si desit ratio conuincens, nos liberè assentiri; & consequenter positum esse hoc in arbitrio, & imperio rationis.

ASSERO tertiò, etiam actus voluntatis imperari. Ità D. Bonau. *locis adductis, quæstione prima.* & S.Thom. *art.5.* Intelligit autem ordine reflexo, vt etiam notat Vasquez *ad art. D. Thom.* non quia ratio iudicans, aliquid esse bonum, possit imperare voluntati, vt id faciat, vt vidimus *quæstione prima:* sed quia voluntas reflectens supra se, potest complacere sibi in sua volitione, & imperare sibi, vt bonum illud concupiscat. Imperium enim est vo-

26 luntatis. Ideò D. Augustinus *lib. 8. confess. cap. 9.* ait. *Voluntas in tantum imperat, in quantum vult, & eatenus non fit, quod imperat, quatenus non vult,* vt cogitur fateri etiam Valentia *disput. 2. quæst. 12. punc. 5.*

ASSERO quartò, Actus appetitus sensitiui imperantur ciuiliter, non dispoticè. Ità Aristoteles *primo Polit. cap. 3.* D.Bonau. *in 2. distinct. 24. art. 5. quæst. 1. & 2.* vbi hinc definit; quomodo peccatum in sensualitate fit. Ità D.Thom. *art. 7.*

PROBATVR prior pars à D.Bonauent. Certum est, non posse esse peccatum, vbi non potest esse voluntatis aliquod imperium: Sed in sensualitate est aliquod peccatum ex D. Augustino 12. *de Tri-*

27 *nitate, cap. 12.* ergo. Confirmatur: nam sensualitatis actus sequuntur imaginationis cognitionem, quæ subditur voluntati.

SECVNDA pars probatur à D.Thom. quia sensualitas pendet etiam ex tempertie corporis, quæ non subditur imperio voluntatis.

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *tomo 6. operum. De tribus ternariis peccatorum, cap. 3.* ex illo Aristotelis *primò Eth. cap. vltimo*, vbi obedientiam appetitus irrationalis comparat cum motu membri paralytici, quod non semper ex hominis voluntate, sed aliquando præter; & contra illam mouetur. Qua authoritate vtitur Valentia *disp. 2. quæst. 12 puncto 5.*

PROBATVR tertiò à D.Bonauent. *2. parte Centil. sect. 1.* ex illo Rom. 7. *Non enim quod volumus hoc facimus bonum.* Qua authoritate vtitur Valentia, *loco citato.*

28 PROBATVR quartò à D. Bonauent. *Opusculo adducto, de tribus ternariis,* ex loco adducto *ad Rom.* & illo: *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Tandem ex Aristotele 7. *Ethic. cap. 8.* vbi comparat incontinentem Epilepticis.

ADVERTIT autem S. Doctor *loc. cit.* quem sequitur Caietanus *art. 7.* D. Thom. & Valentia *loc. cit.* sæpè accidere, vt origo prima multarum affectionum, quantùm attinet ad valetudinem, vel infirmitatem corporis, sit cognitio imaginationis, motus excitans in appetitu sensitiuo, vt sæpè accidit ardenter amantibus; sic enim immutat dispositionem corporis, cum cuius nimitùm alteratione, motus appetitus sensitiui coniunctus est. Vide S. Bonauenturam.

ASSERO quintò, actus animæ Vegetatiuæ non imperari. Ità D.Thom. *art. 8.* D.Bonau. *in 2. dist. 31.* & *in Compendio Theologicæ veritatis, lib. 2. cap. 50.* 29

PROBATVR; quia illi actus tantùm subsunt imperio voluntatis, qui sequuntur aliquam apprehensionem; sed actus animæ vegetatiuæ non sunt huiusmodi: Ergo. Vnde Nyssenus *lib. 4. Philosoph. cap. 14.* ait; *Nutritiuam, & Generatiuam non persuaderi à ratione.*

ASSERO sextò, actus exteriorum membrorum, quæ sunt instrumenta potentiarum animæ sensitiuæ, à voluntate imperari; non sic instrumenta potentiarum animæ vegetatiuæ.

PROBATVR, quia cùm membra sint instrumenta potentiarum, non potest voluntas aliter illis imperare, quàm imperando potentiis, à quibus mouenda sunt; sed voluntas, ex dictis, potest imperare potentiis sensitiuis, non Vegetatiuis: Ergo. Vide D. Bonau. *in Compendio, loco cit.* 30

Ex his omnibus habes, ordinem, ac seriem actuum humanorum, quæ ex suprà relatis D. Bonauenturæ locis, non obscurè colligitur.

PRIMÒ quidem apprehenditur finis: secundò indicatur esse conueniens: tertiò practicè proponitur voluntati (non tamen imperio aliquo, vt putat Valentia:) Quartò voluntas liberè eum acceptat, aut refellit: Quintò apprehenditur, vt adipiscibilis: Sextò proponitur voluntati, vt possibilis, & consequenda: Septimò voluntas intendit eum assequi: Octauò, voluntas, per Vsum, applicat intellectum ad consultandum de mediis, quibus eam assequatur: Nonò concluditur per consilium practicum, hoc, vel illud medium, vt aliis præferendum: Decimò proponitur tale medium voluntati, tanquam præ cæteris vtile: Vndecimò, Voluntas elicit actum, quo inclinatur in tale medium, & talis actus sub diuersa ratione est Consensus in medium, & electio medij. Consensus quidem, quatenùs voluntas absolutè adhæret illi medio proposito à ratione; Electio verò, quatenùs adhæret tali medio præ aliis, idest aliis spretis. Duodecimò, Intellectus proponit voluntati, vtendum aliis potentiis ad exequendum medium: Tertiodecimò, Voluntas vsu applicat potentias efficaciter ad talem executionem: Quartodecimò, Ipsa potentiarum executio sequitur, quæ quidem executio, quatenùs per eam obtinetur finis, est realis consecutio eius: Decimoquintò sequitur fruitio Voluntatis in fine iam obtento. 31 32

Hoc ordine procedunt actus Humani non modo directè; sed etiam reflexè, v. g. eligens media, etiam ipsam electionem approbat.

DISPVTA

DISPVTATIO XIV.

De bonitate, & malitia Actuum Humanorum.

POSTQVAM de Actibus Humanis actum est; iam tractandæ sunt passiones huiusmodi actuum, siue differentiæ, de quibus infrà erit decisio: sunt autem BONITAS, & MALITIA.

D.B.in 2.d.40.& 41.
D.Thom.q.18.

QVÆSTIO I.

Quid sit MORALITAS *in actibus Humanis.*

1 ACTVS humani sunt, qui procedunt ab homine, in quantùm est homo; nempè, qui ex volitione deliberatâ procedunt: Cæteræ verò actiones erunt quidem hominis, sed non humanæ, cùm non sint hominis, in quantùm homo, vt aiunt D.Bonauent. *in 2. citando.* D.Thom. *p.2 quæst.* 1. *art.*1. Scotus *in* 4. *distinct.*6. *quæst.*5. & *in* 2. *distinct.*41.

Igitur libertas est fundamentum omnis moralitatis, vt docet D. Bonauent. *in* 2. *dist.*31. *artic.*3. *quæst.*1. *ad argumenta*, & *dist.* 36. *quæst.* 2. *ad argumenta*, & *in* 3. *dist.*12. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad argumenta*, & *dist.* 18. *quæst.* 3. *ad argumenta*, D. Thom. *prima secunda, quæst.* 1. *art.*1. & *quæst.*18. *art.* 9. Scotus *in* 2. *distinct.* 40. & *distinct.* 42. cum Aristotele 2. *Eth. cap.* 4.

2 PROBATVR ratione D.Bonauent. *locis adductis*, qua vtitur Scotus; quia actus, vt sit moralis, debet esse imputabilis; sed non est imputabilis, nisi sit liber, & in nostra potestate: Ergo. Minor probatur, quia sicut nullus meretur pœnam propter actum, qui non est in eius libertate; ità nec præmium: vnde ait Aristoteles: *In his, quæ nobis insunt à natura, neque laudem mereri, neque vituperium.* Confirmatur: nam *moralitas* dicitur à *more*, ex Aristotele *primo magnorum moral. cap.*7. & *Mos*, à consuetudine, quatenùs sic vel sic assuescimus operari; sed posse assuescere, tantùm conuenit secundùm actus liberos; non verò naturales; vnde lapis ex repetito descensu non contrahit habitum. Quæstio ergo ferè est: Num ad actum moralem sufficiat, vt sit liber.

3 PRIMA opinio est, moralitatem esse solam actus humani libertatem. Ità Durandus 2.*dist.*28. *quæst.*1 *art.*1. Salas *Tract.*7.*dist.*1 *sect.*1.& 2. Suarez *Tractat. de bonitate, & malitia, serm.* 2. *numero* 15. Auersa *quæst.*10. *sect.*5. Granado *ad locum D.Thom.* Nauar. *pral.*6. Tannerus *disp.*2. *quæst.*1. *dub.*2. Bellarminus *Lib.*2. *de amissione gratiæ, cap.*18. Ouiedo *Tract.*4. *controuers.*1. *p.*1. qui alios adducunt: præcipuè D.Thom. *in* 2. *dist.* 24. *quæst.*3. *art.*2. & *in* 3. *dist.*24. *quæst.*1. *art.*4.*p.*2.& *quæst.*2.*de malo, art.*6. & *prima secunda, quæst.*18. *art.*5.6. & 9.

SECVNDA sententia vult, moralitatem dicere ipsam entitatem actus, prout à voluntate, & ratione humana procedit. Ità Gregorius de Valentia *disp.*2. *quæst.*13. *p.* 1. & nonnulli Thomistæ.

TERTIA sententia est, moralitatem actus humani importare formaliter directionem, seu dirigibilitatem actus liberi à ratione, & connotare libertatem, tanquam fundamentum actus. Ità D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 41. *quæst.* 2. vbi docet, actum esse moralem, quia est in potestate voluntatis, præuiâ cognitione, quæ sit eius regula. Scotus *locis allegatis*, & *in* 3.*dist.*33.*litt.* O. Mastrius *Tom.*2.*disp.* 5. *quæst.*1. *numero* 3. & Recentiores passim *prima secunda, loco citato*, Curiel, Salmat, Cornexo, Montisinus; Lezana, Hacquetus, Serra, apud Mastrium *loco citato*, Morandum *tract.*2. *quæst.*10. *numero* 113. Ouiedum *loco citat.* Caspensem *Tract.*10. *disp.* 1. 4

ALIQVI tamen contendunt, moralitatem intrinsecè, & in recto vtramque illam habitudinem importare in actu humano, scilicet ad voluntatem liberè operantem; & ad rationem cognoscentem bonitatem, & malitiam moralem. Ità Zumel 1.*p. quæst.*14. *art.* 13. & *prima secunda, quæst.*71. *art.*6. *disp.*1. vbi primam sententiam stultam vocat. Coninch. *Tract. de actibus supernaturalibus, disp.*1.*dub.* 2. *numero* 10. Arriaga verò *disp.* 14. *sect.* 1. dicit, quæstionem esse solùm de nomine. 5

ASSERO, moralitatem non à sola libertate, sed etiam à dirigibilitate rationis desumendam.

PROBATVR primò à Lezana, Morando, Hacqueto, & aliis; quia potest dari actus liberè elicitus, quem nulla lex dictet esse faciendum, atque adeò liber, & non moralis, vt de actibus indifferentibus dicitur. 6

INSTAT tamen contrà Mastrius; nam tales actus, quatenùs procedunt ex perfectione obiecti, & ponderatione malitiæ, & bonitatis (agnoscit enim intellectus clarè ea obiecta, neque esse bona, neque mala moraliter,) possunt dici morales ad distinctionem eorum, qui cum inuincibili inconsideratione bonitatis, & malitiæ moralis fierent, liberè tamen, sola attenta delectabilitate physica, vt sæpè contingit in pueris ante perfectum vsum rationis, quod adnotarunt Arriaga, & Ouiedo suprà. Distingunt enim libertatem aliqui in physicam, & moralem. Sic Victoria *relectione de puero, ad vsum rationis veniente*, Molina 1.*p.quæst.*14. *art.*13. *disp.*2. Vasquez *p.* 2. *disp.* 41. *in ca'ce*, Canellus *de anima, disp.*3. *sect.* 14. Zumel. *Tom.*2. *variarum, sect.*6. Moralem illam vocant, quæ in operante supponit cognitionem boni, vel mali moralis; idest virtutis, & vitij; honestatis, & turpitudinis morum, & hoc modo actus sunt imputabiles, digni laude, vel vituperatione, & sunt cum perfecta libertate. Naturalem verò, seu physicam vocant, quæ in operante præsupponit tantùm cognitionem commodi, vel incommodi naturalis, ratione cuius benè stat, vt cognoscat, hoc esse bonum in ordine naturæ; non tamen cognoscatur in ordine honestatis; & hoc modo in pueris adest libertas; nam liberè circa vestem, & cibum operantur, & hac de causa motus *primo primi*, non sunt imputabiles secundùm communiorem sententiam; de quo voluntario aliquid iudicaui *disp.*3. *quæst.*1. 7

PROBANT secundò, argumento D. Bonauent. *dist.*41. *quæst.* 1. *in corpore.* Genus moris est aliquid superadditum generi naturæ, illudque præsupponens: Ergo est aliquid à libertate distinctum. Probatur assumptum; quia libertas pertinet ad ordinem naturæ; homo enim, aut Angelus præcisè in ordine naturæ stando, eo ipso, quod sunt creaturæ 8

rationales, ab irrationalibus distinctæ, habent libertatem, & ex virtute sanè naturali, vt ait S. Doctor, deliberat antequam adueniat genus moris, vel lex, præceptum, aut prohibitio, ratione quorum redditur actio laudabilis, vel vituperabilis. Confirmatur, quia in pueris est aliqualis libertas, in his tamen sæpè nulla est moralitas, aut imputabilitas, quia suas actiones non regulant, iuxta regulas virtutis, aut vitij.

9 RESPONDET Mastrius, argumentum concludere solùm de libertate physica; non de morali.

Sed hoc est repetere principia, & de vocibus disputare; nam si sumatur libertas iuxta responsum, profectò illa libertas includit directionem intellectus ad bonum, vt ipse Mastrius fatetur *numero* 4. & aduertit Arriaga.

PROBATVR tertiò à Mastrio. Id, quod non variatur, altero variato, distinguitur ab illo. Sed variari potest moralitas in actu, inuariata libertate morali: ergo. Probatur Minor, in comedente carnes ante mediam noctem Iouis, & continuante post eam, priùs enim non erat mala, & posteà fit mala, si comestio perseueret, & cum eadem libertate morali.

10 SED contra, quia non manet eadem libertas moralis, quæ dicit respectum actus humani ad causam liberam, à ratione directam, vel dirigibilem in materia morali, vt fatetur Mastrius *numero* 4. sed alio modo ratio dictat, & dirigit edentem carnes, dum media nox elabitur, & iam incipit esse mala: tunc enim incipit dirigere ad non edendum, vt patet. Sic docet D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 41. *quæst.* 1. *ad* 3. *&* 4. & *q.* 2. *ad* 1. vt latiùs dicam *q.* 3.

PROBATVR secundò, quia in eodem actu possunt inueniri plures moralitates cum vnica libertate, vt cùm fornicatur quis in loco sacro, sunt duæ malitiæ, & vna libertas.

RESPONDETVR cum Ouiedo, eam libertatem esse virtute multiplicem, imò formaliter: quia ex vi illius obiiciuntur intellectui plures malitiæ specie diuersæ, ad quas omnes voluntas libera cōstituitur.

11 CÆTERA Mastrij argumenta hac distinctione ruunt, dicendo manere quidem eandem libertatem physicam, multiplicatis bonitatibus, vel malitiis actuum; sed multiplicari libertates morales.

HANC verò libertatem debere actualem esse, communiter docent. Ratio est, quia actus liberi, solùm in potentia, non sunt proximè per regulas morum dirigibiles, nec per consequens actu imputabiles ad meritum, vel demeritum: Ergo neque dici debent morales actu.

12 Quòd verò ad esse morale interueniat etiam dirigibilitas, & habitudo eius ad regulas rationis, & morum, probatur. Sic se habet *simpliciter*, sicut & *magis* proportionaliter: Sed quantò magis, atque expressiùs mouetur voluntas ad bonum, tantò perfectiùs constituitur actus in genere moris: Ergo simpliciter ex hac ordinatione habet esse morale. Quòd si voluntas nollet moueri intuitu regulæ rationis, sequendo eam, vel ab ea recedendo, talis actus non pertineret ad esse morale, quantumcumque esset liber. Ità discurrit Herrera 2. *d.* 28. *quæst.* 3. *not.* 3. Mastrius *disp.* 5. *quæst.* 1. *numero decimo*.

13 SED est dubium: An moralitatis actus immediatè consistat in tali habitudine ad regulam morum; vel potiùs in habitudine ad obiectum per ipsam propositum, & regulatum, & mediatè ad ipsam regulam proponentem obiectum. Hoc secundum asserunt Thomistæ, quia, sicut in naturalibus actus specificantur immediatè ab obiecto in esse naturali, proposito ab intellectu; ità in moralibus quoque specificantur ab obiecto in esse morali, proposito à ratione. Sic & Fuliensis *lib.* 2. *c.* 1.

DEINDE; quia actus non est regulabilis à regulis morum, nisi mediante obiecto, quod cùm sit prius in intentione, quàm actus, & causa ipsius, priùs regulatur obiectum ab ipsis regulis, in quantum præscribunt esse bonum, vel malum, conueniens, vel inconueniens. Ità Salmanticenses, Cornexo, Lezana, Hacquetus, & alij.

AT verò Herrera cum aliis Scotistis vult, moralitatem consistere in habitudine actus ad regulas mornm. Ratio est; quia sicut in naturalibus actus constituitur per se primò in esse suo, per ordinem ad suum obiectum formale *ex* 2. *de anima*, *cap.* 4. ità suo modo fatendum in moralibus. Et regula rationis habet rationem obiecti formalis actuum moralium: Ergo, &c. Probatur Minor primò, quia secundùm varium modum accedendi ad illam, vel recedendi ab illa, diuersificantur essentialiter ipsi actus morales. Secundò, quia regula rationis concurrit in moralibus, tanquam ratio motiua ad volendum, vel nolendum: Ergo tanquam obiectum formale actus: tale enim obiectum aliud non est, quàm ratio motiua potentiæ ad eius elicitionem. 14

OBIICIES primò: Actus, eo ipso, quòd est liber, est moralis, & imputabilis: Ergo moralitas est sola libertas.

RESPONDETVR, dari libertatem physicam sine moralitate, seu imputabilitate morali; vt constat in pueris, & amentibus. 15

OBIICIES secundò. Positâ libertate, ponitur moralitas in actibus, & ablatâ, aufertur: Ergo moralitas non est quid à libertate distinctum.

RESPONDETVR, posita libertate, poni moralitatem, vt fundamentum, non vt rationem formalem. 16

OBIICIES tertiò, ad probandum, moralitatem non necessariò supponere libertatem, vt eius fundamentum: nam operationes Christi erant morales, quia meritoriæ; & tamen non fuere omnes liberæ.

RESPONDETVR; absolutè loquendo, non esse necessariam libertatem exercitij proximam in actu, ad fundandam bonitatem, vel malitiam moralem; sed sufficere remotam. Enim verò, ex regula ordinaria, requiritur in viatore indifferentia, ac proxima libertas.

QVÆSTIO II.

Vtrum ex HVMANIS ACTIONIBVS *aliquæ sint bonæ, aliquæ opposita mala.*

D. B. d. 41. dub. 2. & d. 41. q. 1.
D. Thom. q. 18. art. 1.

ACTVS, provt habent malitiam, vel bonitatem, vocantur morales, vt dixi *quæst. prima*, actum verò moralem vocant, provt exit à voluntate, & ratione humana; nomen verò *moralis* actioni humanæ primò attribuitur, deinde ad eius obiectum, circumstantias, &c. deriuatur. Dicitur verò moralis à more, seu consuetudine; quia nimirum huiusmodi actionibus solemus arbitratu nostro assuescere alicui generi operis. 17

DIFFERT autem esse naturale actionis, ab esse morali, quod esse naturale habetur à potentia, vt natura est talis circa tale obiectum, v.g. *Volitio*, vt est actus potentiæ volitiuæ: Morale verò sumitur, vt procedit,

procedit à libera voluntate, quatenùs directa à ratione, & terminans ad aliquid consonum, vel dissonum Legi, rationi, &c. vt dixi *quæst.*1.

18 Ex quo habes, moralitatem actionis sumi à voluntate, non vt libera præcisè, & sola ex natura sua; sed vt regulatur à legibus; ità vt illa actio sit moraliter bona, quæ conformis est dictamini recto, seu legibus, siue etiam consilio, si sit actio supererogationis, nec ei aliqua desit conditio: illa verò mala, cui deest aliquid ex dictis.

Assero primò, dari actiones non modò bonas, sed etiam malas. Vtraque pars est de fide. Sic Genes.4. *Nonne si benè egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit?* Rom.2. *Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis, operantis malum: gloria autem, honor, & pax omni operanti bonum.*

19 Probatvr à D.Bonauent. *in* 2.*d.*21.*dub.*2. *lit.* contra Sectarios, qui omnia opera etiam iusti, mala esse clamant: nam Deus fatetur eleemosynas etiam gentilium bonas, sic Lucæ 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Daniel. 2. *Peccata tua eleemosynis redime.* Act.10. *Eleemosynæ tuæ acceptæ sunt apud Deum.* Sed hoc latiùs *Tract.de gratia, disput.*4.*quæst.*1. agetur.

Qvod verò aliquæ actiones sint malæ, probatur à S.Doctore, illo Matth.7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Dicitur autem arbor mala reduplicatiuè, vt malâ voluntate agit.

20 Qværit verò S. Bonauent. An actiones omnes deliberatiuæ diuidantur in bonas, & malas, tanquam per differentias oppositas.

Supponit autem S. Doctor duplicem bonitatem: alteram in genere entis; alteram in genere moris. Bonitas in genere entis non potest esse differentia actionum; quia cum omni conuertitur, & requiritur consequenter in omni actione.

21 Est igitur differentia actionum in genere moris, atque adeò potest malitia oppositæ actioni conuenire. Igitur triplex genus actionum bonarum repetitur. Aliæ enim sunt bonæ in genere, aliæ bonæ ex circumstantia, quædam bonæ in ordine ad meritum. Et quia opposita totidem modis dicuntur; tribus etiam modis actiones dicuntur malæ. Primo ex genere. Secundo ex circumstantia. Tertio secundùm se, seu vt sunt demeritoriæ.

22 Assero secundò, actiones morales diuidi in bonas, & malas, tanquam in differentias oppositas.

Probatvr à S. Doctore primò ex Aristotele *in post prædic.c.de oppositis*, vbi ait: *Bonum, & malum non sunt in genere; sed sunt genera aliorum.*

Secvndo. Habitus, & Priuatio opponuntur; sed bonum est habitus: malum est priuatio: Ergo.

Tertio. Quæ habent effectus oppositos formales, sunt opposita: sed actio bona ornat animam; mala autem deformat: Ergo.

23 Qvarto. Quæ habent oppositam retributionem, sunt opposita: sed actio bona habet laudem, & gloriam; mala autem vituperationem, & pœnas æternas: Ergo.

Qvinto. Omnis recta diuisio est per opposita: sed actio moralis diuiditur per bonam, & malam: Ergo membra huius diuisionis sunt opposita.

Obiicies primò. Opposita nata sunt fieri circa idem: sed impossibile est, bonitatem, & malitiam esse in eadem actione: Ergo bonum, & malum non sunt opposita.

Respondet S.Bonauant. substantiam quidem esse subiectum susceptibile contrariorum, non autem accidens.

Obiicies secundò. Eadem actio fit à Deo, & contra eius prohibitionem: Ergo eadem est bona, & mala; sed non possunt incompossibilia opposita circa idem esse: Ergo bonitas, & malitia non sunt oppositæ. 24

Respondetvr, actionem esse à Deo secundùm esse naturæ; secundum verò esse malitiæ, esse à voluntate nostra: non est autem implicans, secundùm diuersas rationes dari opposita in eodem.

Obiicies tertiò. Eadem actio dandi eleemosynam sæpè est bona, & mala, v. g. cùm Dominus dat seruo, vt eroget ex pietate, & seruus obmurmurat: ergo in eadem actione est bonitas, & malitia: Ergo non sunt contrariæ.

Respon. et S. Doct. has esse duas actiones morales, habentes diuersas intentiones; atque adeò nil mirum, si altera sit bona; altera mala. 25

Quoad esse verò physicum, seruus est instrumentum Domini sui.

Obiicies quartò. Sæpè vna actio incipit fieri ex charitate, & finitur ex auaritia, vel libidine; vt qui pergit ad Ecclesiam primò ex religione; mox continuans iter, intendit curiositatem.

Respondet S. Doct. eam esse vnam actionem in genere naturæ ab vna voluntate; tamen esse plures moraliter, prout mutatur intentio.

Obiicies quintò. Omne ens est bonum; sed actio est species entis: Ergo omnis est bona; atque adeò non potest expandi, & diuidi in bonam, & malam.

Respondet S. Doctor, actionem secundùm esse naturæ minùs latè patere, quàm bonum. 26

Ex his soluitur ferè quæstio ardua; de qua plurima placita refert Tannerus, *disp.*2. *quæst.*5. *dub.*1. In quo consistat bonitas, vel malitia, quæ est moralitas specifica humanorum actuum.

Prima opinio est, illam consistere formaliter in aggregatione omnium circumstantiarum, quæ requiruntur ad perfectionem bonitatis moralis, cum carentia malorum, quæ possunt eandem bonitatem corrumpere. Ità Scotus *quodlib.* 18. & *in* 2. *dist.*40 *quæst.*1. Gabriel 2.*dist.*2. *quæst.vnica*, *art.*1. D.Thom. *quæst.*18. *artic.*1.

Alii dicunt, consistere in quadam relatione conformitatis ad rectam rationem. Idem videtur sentire Scotus *primo*, *dist.* 13. *quæst.* 2. Conradus *quæst.*18. *artic.*1. 27

Alij dicunt, consistere in integritate omnis perfectionis debitæ ex lege. Ità Valentia *quæst.* 13. *punct.*1.

Alii dicunt, esse denominationem extrinsecam, ex variis concurrentibus sumptam. Indicat Vasquez *disp.*84.*numero* 9. & *disp.*95. *numero* 47. Caspensis *disp.*1. *sect.*2.& 3.

Alij dicunt, formalem rationem bonitatis moralis esse intrinsecam actibus, & inhærentem per modum relationis transcendentalis ad obiectum, vt rationi consonum. Ità Zumel *prima secunda, quæst.* 71. *art.*6. *disp.*17. Azor. *Tom.*1. *lib.*2.*cap.*5.*quæst.*1. Suarez 1.*p.Tom.*1. *disp.*4. *sect.*4.

Eos ferè omnes concordans sequitur Tannerus, volens eam consistere in integritate, & ordine ad rationem, & Dei voluntatem.

Sententia D.Bonauent. 2.*dist.*41. *quæst.*1. *in corpore*, & *ad* 3. est, bonitatem moralem consistere in perfectione ex genere suo, ex circumstantiis, & secundùm se in ordine ad finem; quæ videtur consentire cum prima, & penultima; nec ab aliis omninò recedit. Id videtur sentire D.Dionysius, *cap.*4. *de diuinis nominibus*, cùm docet, bonum morale 28

esse, quod constat ex integra causa; sicut malum ex quouis defectu.

Probatur ergo à S. Doctore. In eo consistit perfectio moralis actus, quo constituitur in ea perfectione actus liberi recti, in quo stat ratio moralitatis: sed hoc est, vt sit perfectus substantialiter omnibus circumstantiis debitis ad finem, in quo consistit bonitas, quæ est ex integra causa: Ergo.

29 Probatur secundò à S. Doct. In eo consistit bonitas moralis, in quo opponitur morali malitiæ: sed opponitur ei tanquam priuationi perfectionis, debitæ ipsi actui in ordine ad finem, vt latiùs ostendam *Tractat. de peccato, disp.* 1. *quæst.* 2. Ergo.

Probatur tertiò à S.Doctore. Bonitas specificatur à fine, vt habet rationem obiecti, & vt habet rationem finis; sed hoc consistit, vt omnes perfectiones habeat ordinatas ad finem, propter quem condita est voluntas, nempè ad legem seruandam, & ad meritum in ordine ad supernam beatitudinem: Ergo.

Obiicies cum Tannero. Hoc videtur esse aggregatum per accidens.

30 Respondetur primò, esse aggregatum secundùm naturam, seu in genere entis physici; sed esse vnum per se in genere moris; quia non modò est vna vnitate ordinis, vt ait Scotus, apud Vasquez *quæst.* 18. *art.* 4. sed est vna simplex; quia est vna, consurgens ex vna relatione ad rationem, vt notat Mastrius *disp.* 5. *quæst.*4. & in hoc bonitatem formaliter constituit cum Bargio *quæst.* 4. *Prologi*, qui sic interpretantur Scotum.

De malitia verò morali, agam *Tract. de peccato.*

QVÆSTIO III.

An ACTIO *Voluntatis diuidatur in bonam, & malam, tanquam differentias essentiales.*

D.Thom. quæst. 19.

31 Alios titulos habet hæc quæstio: An moralitas sit essentialis physicæ entitati actus liberi: An potiùs aliquid accidentale illi superadditum: An bonum, & malum in genere moris sint differentiæ intrinsecæ substantiales actus humani, qui bonus, aut malus dicitur; vel: An saltem differentias eiusmodi intrinsecas secum importent.

Prima sententia est, bonum, & malum esse quidem differentias solùm accidentales actus externi; tamen actus interni voluntatis esse differentias secundùm substantiam, ità vt actus bonus interim voluntatis semper, etiam quoad substantiam, & entitatem physicam, sit ab actu malo distinctus. Ità Conradus *hic, quæst.* 20. *art.* 6. & *quæst.*

32 19. *art.* 1. Azorius *Tom.* 1. *Lib.* 2. *cap.* 5. *q.* 1. qui tamen loquuntur de malo, solùm materialiter accepto; quando quidem aliàs sentiunt, malum formaliter non esse aliquid positiuum reale, & intrinsecum actui; sed solam priuationem. Ad quem modum pro eadem sententia referri possunt etiam Richardus 2. *dist.* 40. *art.* 2. *quæst* 1. Capreolus *quæst. vnic. art.* 3. Ferrar. 3. *cont. Gent. cap.* 10. Ocham 3 *quæst.* 10. & 12. Gabriel 3. *dist.* 23. *quæst.* 1. *art.* 1. Almainus *tractat.* 1. *moral. cap.* 6. Idem multò magis sentiunt, qui asserunt, malitiam, & bonitatem esse aliquid essentiale, & transcendentale in ipsomet actu bono, & malo. Eidem sententiæ non parum fauet S. Tho. *q.* 19 *art.* 1. cùm ait, bonum, & malum esse per se differĕtias actus voluntatis, & *in* 2. *dist.* 40. *art.* 1. & nouissimè Granado *p.* 2 *tr.* 9. *d.* 2. *sect.* 1. alios adducĕs.

Secunda sententia docet, in actibus, qui versantur circa obiecta delectabilia, quatenùs talia præcisè, moralitatem esse accidentalem; in quibusdam tamen esse essentialem, qui nimirum bonitatem, vel malitiam desumunt ex obiecto. Ità Arriaga *disp.* 14. *sect.* 2. 33

Tertia sententia est, bonum quidem esse differentiam actus interni; malum verò aut nullo modo, vt aliqui aiunt; aut tunc solùm esse differentiam actus, quando malitia conuenit actioni ex obiecto directè, & expressè volito; secùs, quando conuenit obiecto directè non volito, vt alij quidam recentiores Thomistæ sentiunt, apud Vasquez *disp.* 55.

Quarta sententia vniuersim negat, bonum, & malum morale, esse differentias essentiales, aut substantiales actus humani, seu moralis. Ità S.Bonau. *d.* 41. *q.* 2. Scotus *in primo*, *d.* 17. *q.* 2. Durandus *in* 2. *d.* 40. *q.* 3. Maior *d.* 41. *q.* 2. *p.* 2. Vasq. *d.* 55. *c.* 2. & ex parte Caietanus *q.* 19. *art.* 1. & 6. Medina ibidem, quibus subscribit Tannerus *d.* 2. *q.* 5. *dub.* 3. & communiter recentiores Thomistæ *prima secundæ. q.* 18. *art.* 7. vbi Martinez, Curiel, Zumel, Cornexo, Montesinus, Puteanus, Haquet, Serra. Adde Suarez, Lezanam, & alios apud Mastrium *Tom.* 2. *disp.* 5. *numero* 19. Valentiam *disp.* 2. *quæst.* 43. *p.* 1. & alios. 34

Assero cum hac Sententia, bonum & malum non esse differĕtias essentiales actus humani; quam ait Casp. *disp.* 2. *sect.* 1. esse expressam D.Thomæ.

Probatur à D.Bonau. primò ex D.Augustino contra Pelagianos & *Lib.* 4. Hipognost: Peccatum (ait D.Augustinus *respons. quarta*,) non est natura aliqua; sed actus incidens ex defectu boni: Quod autem incidens est, accidentale est. 35

Probatur secundò à S.Doct. Differenti æessentiales sunt constitutiuæ eorum, quorum sunt differentiæ; & differentiæ constitutiuæ ex eisdem principiis manant, è quibus manant ipsa constituta: sed bonitas, & malitia non manant ex eisdem principiis, è quibus emanat ipsa actio, secundùm esse physicum: Ergo. Minor probatur: Nam bonitas, & malitia oriuntur ex libera conformitate, vel deformitate ad regulam rationis, vt dixi *quæst.* 1. At verò actio physica oritur ex natura rei præcisa, absque illa ordinatione. Deinde, malitia non habet causam effectiuam; sed defectiuam; Actio verò causam effectiuam habet.

Probatur tertiò. Actio est à Deo immediatè; malitia autem non: ergo non potest malitia esse differentia essentialis alicuius actionis. Antecedens probatur contra Durandum, è Scripturis, quas retuli 1. *p. Tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 5. vbi eius sententiam explosi. 36

Probatur quartò à S. Doctore. Differentiæ essentiales non alternantur circa indiuiduum eiusdem speciei: sed actiones eiusdem speciei physicæ sunt specie distinctæ per bonitatem, & malitiam, vt duæ eleemosynæ, altera ex pietate, altera ex inani gloria datæ: Ergo bonum, & malum morale non sunt specificæ, & essentiales actionis differentiæ. Maior probatur, quia differentiæ essentiales ex opposito diuidunt, & repugnant eidem essentiæ; vnde non alternantur, idest nequeunt conuenire alteri, & alteri indiuiduo eiusdĕ speciei. Hoc argumento nituntur Caietanus, & multi alij, ac demum Caspens.

Probatur quintò à Caietano, *loco cit.* Vasquez *num.* 10. Mastrio *num.* 21. & aliis. Eadem actio physica voluntatis potest esse successiuè bona, & 37

mala,

mula repugnat autem eandem rem secundùm substantiam, & essentiam permanentem, sub diuersis speciebus successiue esse; sublata enim differentia specifica alicuius rei, tollitur ea res de medio: Ergo genus moris, seu bonum, ac malum, non sunt differentiæ per se & substantiales actionis voluntatis, secundùm genus naturæ.

Dant exemplum suprà allatum comedentis carnes ante mediam noctem feriæ quintæ, & continuantis edere etiam media nocte transacta.

38 IDEM ostendunt. Quando incipit aliquis actum voluntatis circa vnum obiectum, sed absque deliberatione, vt in primis motibus; & illucescente ratione, & deliberatione sequente, continuatur eadem actio, quæ primò non erat bona, aut mala, & posteà fit bona, vel mala moraliter; & tamen est vna physicè actio.

AT S.Bonauent. *ad* 1. hanc rationem retundit; quia non est eadem actio physica, cùm mutetur intentio; At quæ priùs ferebatur vno dictamine in vnum obiectum, fertur alio dictamine in aliud obiectum. Voluntas enim prius ducebatur, dictamine rationis, in rem licitam; posteà verò ratio dictat esse illicitam, & voluntas fertur in rem aliam, nempè veritam, aliâ temporis duratione, aliâ subiecti qualitate, alioque principio ducente ad diuersum terminum. Seraphicum sequuntur Conradus *ad quæst.* 20. *art.* 6. Valentia *puncto* 6. Tarantasia apud Carthus.2.*dist.*40.*quæst.*4. Richardus suprà, & D. Thom. apud Vasquez *disput.*56. *numero* 3. contra alios, quos sequuntur, & allegant Tanner. *disp.*2.*quæst.*5.*dub.*8.*numero* 160. Vasquez *disp.*56. *cap.*2. dicentes, posse vnum numero actum, successiuè esse bonum, & malum.

39 INSTAT tamen Vasquez rationibus geminis Durandi. Altera est: Actus voluntatis, licèt sit totus simul, potest tamen nostro tempori successiuo coëxistere: ergo non repugnat diuerso tempore, cui coëxistit, recipere in sua substantia indiuidua accidentia. Bonum autem, & malum sunt accidentia actus interni: ergo eadem actio, substantialiter perseuerans, potest de bona fieri mala.

Sed petit principium supponens, eundem actum perseuerare; eò quòd duratio successiuâ ei actui conduret; multa enim alia sunt necessaria, vt dicam.

40 ALTERA ratio Durandi, quam vrgent Vasquez, & Mastrius, est: Si aliquis velit celebrare Missam cum debita animi dispositione, nulli præcepto impeditus; & posteà, dum incipit celebrare, Ecclesia interdicitur; ipse tamen manens in eadem voluntate perseuerat celebrando cum ignorantia culpabili interdicti, ille actus voluntatis incipit esse malus, qui anteà erat bonus: ergo idem actus voluntatis de bono potest fieri malus. Hoc argumento conuictus Capreolus in sententiam abiit Durandi.

41 HÆC tamen ratio futilis est; non enim perseuerat idem actus. Etenim actus numeratur è subiecto, tempore, & termino. In præsenti autem est nouum subiectum; nam voluntas non perseuerat eadem volitione, cùm sciat sibi interdictum, vel dubitat, aut teneatur dubitare. Itaque mutatur relatio actus ad operantem; nam priùs actio respiciebat operantem non ligatum lege interdicti; posteà verò respicit ligatum, vt notat Valentia. Neque enim est eadem duratio, quæ discontinuatur in fine actus boni; neque est idem terminus, vt patet.

NEQVE tamen hinc sequitur, veram opinionem Conradi, quòd bonitas, & malitia ideò sint differentiæ essentiales; quia inseparabiles sunt ab eodem actu, vt aduertit Vasquez *disput.* 56. *in fine* cum Diu. Bonauent. *hic*; quia sunt multa accidentia inseparabilia; accidens enim in subiecto successiuo adhæret inseparabiliter, quia transit statim in præteritum, & redditur intransmutabile, & ampliùs idem numero resumi non potest. Sic, licèt tardum, & velox accidat motui; Attamen velocitas, in ea parte motus, qua velox, non potest esse tarda, & licet videatur continuari materialiter idem motus: Attamen motus totæ velox continuans sed tardior, alius esse incipit. Sic & in proposito. 41

ALIAM rationem habet Vasquez, cur ex immutabilitate actionis bonæ in malum, non sequatur has esse differentias essentiales; quia scilicet potest, saltem ex bona, fieri non bona, vel ex mala, non mala, quod satis est, ne alterutra sit de essentia, cùm possit auferri. 43

AT, dum ex bona fit non bona, & ex mala non mala, non perseuerat eadem actio, vt suprà ostensum est.

Respondet Mastrius, actum durare eundem; quia respicit idem obiectum formale, nedum materiale; puta eandem comestionem ex delectatione, &c.

SED vt actus duret idem numero, requiritur, vt duret idem subiectum, eadem duratio, & idem terminus, ex quo deducit Seraphicus Doctor *in corpore*, *& ad primum*, actum fieri alterum numero, ex mutatione subiecti, termini, & durationis, vt docet Aristoteles 5. *Phys. text.* 34. vbi ait: *Tria sunt numero, circa quæ dicimus motum vnum.* Quod: In quo:& Quando:*dico autem* Quod, *quia oportet esse aliquid, quod mouetur, & in aliquo hoc moueri*, & quando, *in tempore enim mouetur amore.* Eadem habet *text.* 35. dicens: *Etenim in quo est vnum, oportet esse & indiuisibile, vt formam, & rursus ipsum* quando, *vt tempus vnum etiam non intermisiere: & quod mouetur vnum esse.* Idem habet S. Bonauent. *in* 3. *dist.* 27. *art.*2. *quæst.*3. *argumento, sed contra*, quem sequuntur Picolominus *Lib. primo de motu*, *cap.*5. Ruuius 5. *Phys. cap.* 4. *quæst.*2. Zanardus *quæst.*10. Farnesius, *cap.*10. Toletus 5. *Phys. quæst.* 3. Conimbric. *ibidem*, *cap.* 4. *quæst.* 5. *art.* 2. Perez *Lib.* 23. *quæst.* 8. P. Galitius *Lib.* 3. *Phys. Tractat.* 1. *quæst.* 8. *numero* 7. vbi reprehendit aliquos ex his, qui requirunt etiam mouentis vnitatem, quia (aiunt) vna actio non potest à diuersis agentibus prouenire; ait verò esse superfluam hanc additionem; quia, eo ipso, quod idem est terminus, idem est necessariò agens. 44 45

Hoc mihi videtur supponere S. Bonauent. *hic*, *ad primum*, vbi ait. Sicut est alius actus, cuius est aliud principium, & alius terminus: Ergo è contra ex vnitate termini colligit vnitatem mouentis, & ex vnitate mouentis vnitatem termini.

ADDO autem, terminum sanè ad complementum motus, tum specifici; tum proportionaliter etiam numerici facere, vt communis fert opinio; Attamen priorem esse saltem naturâ, quàm terminum. Ideò Aristoteles definiens motum, non meminit termini; solùm enim ait, esse actum mobilis; neque verò per actum, terminum intelligit; cùm ibi actus loco generis accipiatur; terminus autem, vt differentia prætendatur, vt benè notat P. Galitius *numero quinto.* 46

Igitur, cùm motus sit à mouente, & in subiecto mobili; sequitur, quòd pendent ab his solis, tametsi non sit motus, nisi ad aliquem terminum. Hæc doctrina est D. Bonauent. *in 2. dist. 1. p. 1. art. 3. quæst. 2.*

47 Facta igitur mutatione in mobili, in tempore, in termino, & in principio, mutatur indiuidua actio voluntatis, modo supradicto; bonitas autem, & malitia mutant eam, tanquam propria passio.

Pro quo notat S. Doct. *in corpore*, bonitatem, & malitiam, vel comparari ad actionem moralem, vt est actio in genere moralis, & hoc pacto bonitas, & malitia se habent ad actum moralem, vt accidens separabile, & commune: separabile quidem; quia actio, quæ fit cum culpa, potest, causâ aliquâ interueniente, fieri sine culpa, & indifferens: Commune verò; quia circa actionem eiusdem speciei contingit, malitiam in aliquibus inueniri; in aliquibus verò non. Sicut aliquis prædicando fidem Christi ex vana gloria, peccat; alius verò

48 meretur. Licèt autem malitia, respectu actionis consideratæ in genere, habeat aliquo modo conformitatem ad accidens separabile, idest commune, non tamen propriè est accidens tale, quia non dicit ens, sed defectum entis. Secundò accipitur, vt *hæc actio moralis*. Sic malitia, & bonitas habent rationem accidentis inseparabilis; ideò eadem actio mala non potest successione aliqua fieri bona; sed alia numero fiet distincta. Habet etiam aliquando malitia rationem accidentis proprij; quia habet sæpè ortum è proprietatibus agentis, & patientis, ex quarum comparatione necessariò surgit inordinatio: sicut cum homo blasphemat Deum. Vnde sicut inseparabiliter inhæret propria passio subiecto; sic inseparabiliter adhæret

49 malitia huic actioni. Non est tamen malitia passio propria huius actionis; tum quia non dicitur de ea conuertibiliter: tum quia non dicit positionem, sed priuationem. Potest ergo comparari malitia ad actionem, vt *hæc*, & *talis*; & sic potest habere rationem differentiæ essentialis, sicut enim albedo est essentialis homini albo, vt albus est reduplicatiuè, tametsi non sit ei essentialis, vt est homo; sic malitia est essentialis actioni malæ, vt mala est; Non tamen dicit veram essentiam, sed quantùm ad modum se habendi. Et quoniam quædam sunt nomina, quæ imponuntur actionibus, non secundùm quod actiones tantùm, sed secun-

50 dùm quod sunt deformes; hinc est, quòd talia, mox nominata, coniuncta sunt malo, & sicut castitas ponitur in genere boni essentialiter: sic adulterium, & mendacium in genere mali essentialiter. In hoc enim non significatur, quod defectus sit essentialis actioni, sed quod defectus essentialis est actioni, secundùm quod est defectiua. Quod autem dicitur de malitia moris, intelligitur etiam de bonitate. Hæc S. Bonauentura.

51 Valentia distinguit esse morale in id, quod habet respectum ad hominem, ratione, & voluntate vtentem, estque morale communissimo modo: & hoc modo ait, bonitatem, & malitiam esse accidens separabile. Si verò sumatur morale strictè, vt dicit respectum ad hominem, quatenùs is vtitur voluntate non præcisè; sed in ordine ad beatitudinem; tunc ait, bonitatem, vel malitiam esse passionem transcendentem distinctam, quia quidquid habet respectum ad hominem, vt vtentem ratione, & voluntate in ordine ad beatitudinem; ità se habet,

52 vt vel ad eam conducat, vel ab ea retrahat. Quod si neque conducit, neque retrahit, iam id non pertinebit ad hominem, quatenus vtitur ratione, & voluntate in ordine ad beatitudinem; & sic non erit aliquid morale propriè dictum. Hæc autem omnibus ita sunt obuia, vt Senatoris potiùs quàm Classici Doctoris sententia censenda sit: Quis enim ignorat hæc?

Obiicies primò cum aduersariis. Actio hominis catenus est in genere moris, quatenùs est voluntaria: ratio autem voluntarij per se competit actionibus voluntatis: ergo & differentiæ huius generis per se, & substantialiter conuenient eisdem actionibus voluntatis: cæteris autem sicut ratio voluntarij accidentariè conuenit; ità etiam differentiæ, illius, nempè bonum, & malum.

Respondet Vasquez, Voluntarium vniuersè, vt comprehendit tàm id, quod sponte fit sine libertate, quàm id, quod liberè fit, esse substantiale & essentiale cuique actioni interiori voluntatis. Hæc tamen ratio voluntarij, neque est ratio generica moris, neque fundamentum eius, cùm etiam in amentibus, & brutis sit: Voluntarium verò pro libertate contradictionis esse necessarium fundamentum moralitatis, vt nempè actus sit bonus, vel malus moraliter, neque tamen rectè colligere licet, bonum, & malum esse differentias essentiales actus interioris, secundùm substantiam eius: nam liberum, hoc modo, non est intrinsecum ipsi voluntatis actioni: ergo quamuis bonum, & malum essent per se differentiæ substantiales huius actus liberi, inde non sequitur, fore differentias substantiales ipsius actus interioris secundùm substantiam. 53

Hæc responsio non placet; nam voluntas nostra intrinsecè est libera ad actus contradictorios in via: esto ex aliquo addito, puta gloria, vel vnione hypostatica, ad malum non possit deficere, in quo liberum arbitrium magis dicitur roboratum ad bonum; vtrobique tamen necesse est, actum esse à voluntate, intellectu dictante, ita vt actus taliter sit à voluntate, vt eum actum velit intrinsecè, quod in amentibus, & pueris non inuenitur; neque ad essentiam actus interni voluntatis sufficit, vt putat Vasquez, alioqui etiam bruta voluntate agerent; ideò neque ratio aliqua generica voluntarij potest assignari in his. 54

Respondetur ergo cum D. Bonauent. *quæstione prima & secunda*, rationem voluntarij aliud esse secundùm naturam, quatenùs est à voluntate liberè operante: & hoc pacto, bonum, & malum morale, non sunt differentiæ essentiales eius; quia potest intelligi actus liber, nec bonus, nec malus; vt infrà dicam. Præterea potest, perseuerante eadem indiuiduâ operatione liberâ secundùm naturam, mutari ordo moralis; vt dixi in fine *quæstionis secundæ*. Aliquid verò est voluntarium dictum à ratione ad obiectum, consonum vel dissonum legibus; & hoc modo, voluntarium superuenit actui libero considerato secundùm naturam liberi, etiam ad contradictoria, quia actus liber ex sua specie non exigit hunc respectum. 55

Alia argumenta, præclarè absoluta, vide in S. Bonauentura.

Qvæs

QVÆSTIO IV.

Vtrum ACTIO HVMANA *habeat bonitatem, & malitiam ex obiecto.*

D.Thom. quæst.18. art.5.

56 IAM videndum est. Vnde nam actiones humanæ habeant bonitatem, & malitiam.

COMMVNIS sensus Theologorum est, ex obiecto haberi principaliter malitiam, & bonitatem actionum. Ita D. Bonauent. *quæstione* 1.*dist*.41. *ad argumenta*, D.Thom.*quæst*.18.*art*.1.estque citta controuersiam, vt rectè aduertit Vasquez *disput*. 50. Tanner.*quæst*.5.*dub*.4. & omnes Thomistæ ac Scotistæ.

SCOTVS tamen *quodlib*.18. *art*.1. velle videtur, bonitatem quidem in genere, sumi ex obiecto, non autem specificam, vt notauit Valentia, adducens textum Scoti. Eum tamen iustificant Mastrius *disp*.5.*quæst*.4. *numero* 189. Tannetus *disp*.2.*quæst*.5. *dub*.4.& 5. Amicus, Caspensis, Arriaga, Vasquez, Morandus, apud Mastrium: *Determinatio* (ait Scotus) *obiecti est prima determinatio, quæ pertinet ad genus moris: non tamquam differentia determinans ad aliquid in genere; sed tamquam potentiale receptiuum determinationis moralis secundùm circumstantias ordinatas, propter quod dicitur ex obiecto actus habere bonitatem in genere; quia sicut genus est potentiale, respectu differentiarum, sic bonitas ex obiecto est prima in genere moris, præsupponens solùm bonitatem naturæ, & capax omnis bonitatis specificæ in genere*
57 *moris. In ista autem bonitate specifica, quæ dicitur bonitas, è circumstantia, talis est processus. Prima bonitas videtur esse circumstantia* Finis, &c. *posteà circumstantia* Modi agendi: *Deinde* Temporis: *vltima* Loci, &c. Hanc doctrinam sumpsit Scotus ex argumento vltimo ad opposita S.Bonauenturæ.

AT D.Thom. vult, bonitatem specificam sumi ex obiecto. De generica verò id supponit. Bonitatem autem, & malitiam obiectiuam explicant DD. ex conformitate ad legem; de quo *in Tract. de Legibus*, *disp*.2. *quæst*.2. & de hoc latè Recentiores, præsertim Suarez *ibi*, Arriaga *hic*, *disp*.19. Pallauicinus *disp*.9. Mastrius *Tract*.2.*disput*.5.*à numero* 165.

58 ASSERO bonitatem, ne dum genericam, sed etiam specificam humanorum actuum, sumi ex obiecto. Hanc habet etiam Scotus *quæst.vltima Prol. ad* 3. *Henrici, litt. H.*

PROBATVR à Caietano *art*.2. & Valentia *disp*.2. *quæst*.13.*p*.2. ratione D. Bonauent. *in fine quæstionis secundæ*, *dist*.41. *in* 2. quia species peccatorum numerantur communiter à sapientibus secundùm conuersionem ad obiectum; & ità ratio obiectiua propriæ, vel alienæ vxoris, non modò dat bonitatem, vel malitiam genericam actui, sed etiam specificam; nempè, vt sit actus matrimonialis, vel adulterium.

59 PROBATVR secundò à D.Bonauent. Specificatio, seu specifica distinctio malorum sumetur vel ratione boni, quod eripitur per malum; aut ratione boni, ad quod conuertitur in actu peccati; & ità carentia rectitudinis in obiecto peccati furti, in auferendo rem alienam, quæ est obiectum furti, constituit furtum specificè. Similiter, & actus cognoscendi alienam vxorem constituit adulterium.

ADVERTIT tamen S. Bonauent. Bonum morale obiecti se habere, vt genus tantùm ad actus 60
meritorios. Similiter, & malum ad demerendum; quia actus moralis seipso non potest sufficienter se constituere meritorium; sed ad hoc aliud requiritur; nempè Dei auxilium, &c. de quo infrà. Similiter actus liber moralis indifferens esse potest, vt fiat demeritorius è circumstantiis: quòd si hoc tantùm voluit Scotus, vt aliqui exponunt, non renuo. Similiter, si malitiam in genere sumi ex obiecto, dixit, non quia contrahatur per circumstan-
tias, veluti per differentias veras; sed, quia se ha- 61
bet instar generis: circumstantiæ autem se habent instar differentiarum, vt Vasquez *cap*.1. exponit, non recuso; est enim etiam D. Bonauent. ad allegatum argumentum Contadi in hoc articulo D. Thom. vbi affirmat, esse sensum ipsius Angelici *in* 2. *dist*. 36. *art*. 3. *ad* 3. Gabrielis *in* 2. *dist*. 40. *quæst. vnic. art*.1. *not*.1. vbi sic exponit Scotum.

DVRANDVS nimis eloquitur, volens, totam bonitatem, & malitiam sumi ex obiecto: nam obiectum in eius sententia continet omnes circumstantias.

ENIM verò circumstantiæ ab obiecto secernendæ sunt, vt notat D.Bonauent. *loco citato*, quem sequuntur reliqui apud Vasquez *numero* 4. & vidimus *disp*.4.

Porrò, malitiam specificam non sumi à circum- 62
stantiis omnibus, probatur à Valentia, argumento D.Bonauent. *in* 4. *dist*. 17. *art*. 2. *quæst*. 3. quia sic teneremur ad omnes circumstantias in confessionè apperiendas. Probatur sequela è Concilio Trident. *sess*.14.

PROBATVR vltimò assertio, quia ità se habet actus moralis ad suum obiectum; sicut naturalis ad suum, datâ proportione; sed actus physici specificantur ab obiectis: Ergo. Minor est Aristotelis 2. *Anima*, *tr.ct*.33.

OBIICIES primò. Potest idem obiectum esse boni, & mali actus. Sic Deus potest esse obiectum amoris, & odij. Ergo cùm circa idem obiectum alternantur oppositi actus, non possunt ab eo sumere speciem actus morales.

RESPONDETVR ex doctrina D. Bonauent. *in* 63
primo dist.7. *quæst*.1. & *dist*.24. *p*.1. *art*.2. *quæst*. 1.*ad argumenta*, & *quæst*.2. *ad argumenta*, & *in* 2. *dist*.7. *p*.1. *ad argumenta*. Et *in* 3.*dist*.23. *quæst*.3. *ad argumenta*. Et *dist*.26.*quæst*.2.*ad argumenta*, actus specificari ab obiecto formali, non à materiali, qualis est Deus in casu nostro, vt euidens est. Ità facilè ruit argumentum, quod adeò grauiter ponderant Arriaga *disp*. 14. *sect*.4. Morand. *Tract*. 2. *quæst*. 23. Suarez *disp*.2.*sect*.1. Mastrius *disp*.5.*numero* 178.

OBIICIES secundò, antiquos Theologos vsos hoc dicto: *Bonitas ex obiecto desumpta, est generica.* Ità D.Thom.*p*.2. *quæst*.18. *art*.2. & *in* 2.*dist*.36.*art. vltimo*. Scotus *quodlib*.18. §. *de primo*. Et *in secundo dist*.40. §. *De secundo*. Sic explicat eum Mastrius *disp*. 5. *numero* 188. Vulpes *disp*. 69. *art*. 2. Eadem phrasi vsi sunt Alensis, Ægid. & inter alios S.Bonauent. *in* 2. *dist*. 36. *dub*.5. *litt*. & obseruat Mastrius *numero* 191.

RESPONDETVR ex D.Bonauent.*loco citato*, vo- 64
cari malitiam genericam eam, quæ est ex obiecto; quia est potentialis, atque formabilis per circumstantias, à quibus potest indiuiduari. Huic responso Subscribit Mastrius.

OBIICIVNT tertiò. Propositum, quo aliquis decernit viuere sanctè, & nunquam peccare: Similiter propositum, quo quis statuit in futurum

esse possumus, habet bonitatem, aut malitiam ex obiecto; sicut cæteræ actiones humanæ, & tamen non potest ex tali obiecto habere bonitatem, aut malitiam specificè, cùm obiectum sit genericum: Ergo non omnis bonitas, vel malitia, quæ sumitur ex obiecto, est secundum speciem. Hoc argumentum afferunt Suárez, Vasquez, Arriaga, Caspensis, Morandus, & alij.

65 MVLTI multa respondent, & hoc argumento mirè torquentur. Aliqui dicunt, malitiam, & bonitatem illorum actuum esse specialem, hinc ad virtutem peculiarem spectantem; idest ad iustitiam Legalem; quia, qui proponit iustè viuere, legaliter iustus esse vult; ille autem, qui proponit esse nequam, vitium habet, & peccat contra eandem virtutem.

CONTRA. Quia iustitia Legalis, vel est communis ratio virtutis, quæ in omnibus reperitur virtutibus; de qua Aristoteles 5. *Eth. cap.* 1. hoc autem modo, sicut non est peculiaris virtus; ità nec oppositum est peculiare vitium. Vel sumitur pro peculiari virtute distincta ab aliis; de qua S. Thom. 2. 2. *quæst.* 58. *art.* 5. *&* 6. & hoc modo, quamuis habeat pro obiecto obseruationem cuiusque præcepti, quemadmodum etiam obedientia; tamen ratio formalis, qua constituitur, & differt ab aliis, est respectus ad bonum publicum; propter quod seruat præcepta, qui autem sine tali relatione operatur, non habet actus Iustitiæ legalis.

66 Respondent alij Thomistæ, dari habitum peculiarem, qui versetur circa bonum honestum in communi, & talem habitum accipere speciem ab obiecto: Neque enim necesse est, vt obiectum sit specificum, vt habitus sit specificus; sic enim intellectus versatur circa ens in genere; & tamen actus eius inde sumunt peculiarem speciem.

67 Enim verò exactissimi habituum tractatores, Aristoteles, & Diu. Thom. huius habitus nec verbulum quidem proferunt: Imò Diuus Thomas *quæst.* 16. *de veritate, artic.* 1. *ad* 7. eum negat, & dicit, esse solùm Synderesim, quæ est iudicium de vniuersalibus, in rebus moralibus, vt voluntas prosequatur, & *in* 3. *dist.* 27. *quæst.* 2. *art.* 3. *ad* 3. ait, voluntatem naturaliter esse inclinatam in bonum, quod est finis humanæ vitæ, & ità non dari habitum circa vltimum finem. Et *quæst.* 1. *de Virtutibus, art.* 3. ait, voluntatem non indigere vllo habitu, inclinante in bonum honestum, nisi vel quando est supernaturale; & sic indiget charitate; vel quando est bonum alterius, & sic indiget iustitia. Idem docet *prima secunda, quæst.* 56. *art.* 6.

68 Et quidem hunc habitum non dari, sed supplere Synderesim, docet etiam D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 39. *art.* 2. *quæst.* 1. *&* 2. Hanc verò dicit esse potentiam, & lato modo habitum naturalem.

Respondetur ergo è D. Bonauent. *hic, argumento penultimo, addito responso*, & *dist.* 7. *quæst.* 2. *in corpore*, quem imitantur Pasqualigo *disp.* 22. *sect.* 2. *numero* 12. Morandus *Tract.* 2. *quæst.* 23. Mastrius *disput.* 5. *numero* 191. talem peruersum, qualis est etiam dæmon, ferri in malum specificè, ex illo tamen actu repetito, non generari aliquem habitum peculiarem. Et quod de malo proposito dicitur,

69 idem etiam de bono dicendum. Vnde non satis miror Vasquez aliter de eo, qui benè viuere proponit, locutum; nempè tale propositum habere speciem boni peculiarem ex obiecto illo communi. Sicut enim malè viuere proponens, ad vitia peculiaria declinat, cuius signum est difficultas in abstinendo ab hoc, & illo: Ità de proponente benè viuere, dicendum. Subscribit Caspensis *disput.* 11. *sect.* 5.

Enim verò ex talibus actibus generari habitum asserunt Suarez *disput.* 14. *sect.* 1. Arriaga *disput.* 14. *sectione* 6.

QVÆSTIO V.

Vtrum BONITAS, *&* MALITIA *actuum Humanorum sumatur è circumstantiis.*

D. Thom. quæst. 18. art. 5.

QVæritur *hic* in vniuersum de circumstantiis: An dent aliquam bonitatem, vel malitiam.

Communis sententia est affirmatiua. Ità D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 41. *quæst.* 2. & *in* 4. *dist.* 17. *quæst. vltima*, & 2. *parte Centil. sect.* 33. *Tom.* 6. & *Tom.* 7. *de modo confitendi, cap.* 2. D. Thom. *hic*, Scotus *quodlib.* 18. *art.* 1. Gabriel *in* 2. *dist.* 40. *quæst.* 1. *art.* 1. *not.* 1. Almainus *Tract.* 1. *Moral. cap.* 14. Angestus *cap.* 8. *Moral.* Vasquez *ad articulum citatum D. Thomæ* Valentia *disput.* 2. *quæst.* 13. *p.* 2. Fuliensis *lib.* 2. *cap.* 1. 70

ASSERO, circumstantias afficere actus humanos bonitate, vel malitia.

PROBATVR à D. Bonauent. *in* 4. *loc. cit.* & *loco adducto Centil.* A posteriori. Id dat bonitatem, & malitiam, quod dat etiam laudem, & vituperium; sed circumstantiæ actionibus dant laudem, & vituperationem: Ergo. Maior probatur ex Aristotele 3. *Eth. cap.* 1. Nysseno *Lib.* 5. *Philosoph. cap.* 1. & latè probatur à D. Thom. *prima secunda, quæst.* 21. *art.* 2. Minor probatur experientia à D. Bonauent. *loc. cit. de modo confitendi.* Vituperabilius enim est, aliquem osculari Bertam in Ecclesia, quàm extrà; & eam osculari, quàm manum tangere manu. Vide S. Bonauenturam *in* 4. vbi id probat etiam ex Boëtio, &c. 71

PROBATVR à D. Thom. Ità se habent circumstantiæ ad ens morale; sicut accidentia ad ens naturale: Sed ens naturale augetur bonitate, & imperfectione per accidentia: ergo etiam ens morale. Hac ratione nituntur Valentia, & alij. 72

Caspensis *disp.* 1. *sect.* 6. ait, sic probari ab omnibus: quia sine his actio est mala. Sed hæc est principij petitio.

QVÆSTIO VI.

Vtrum bonitas, & malitia sumatur à FINE.

D. Bonau. in 2. d. 36.
D. Thom. art. 4.

ASserendum, à fine sumi bonitatem, & malitiam actuum humanorum.

PROBATVR à Diu. Bonauent. primò ex illo Matth. 6. *Si oculus simplex fuerit: totum corpus tuum lucidum erit.* Vbi oculus significat intentionem finis, interprete D. Augustino *Lib.* 4. *contra Iulianum, cap.* 3. & *lib.* 2. *de sermone Domini in monte, cap.* 21. Hac authoritate nititur etiam Valentia *disput.* 2. *quæst.* 13. *p.* 2. 73

PROBATVR secundò ex D. Augustino 10. *de Trinitate*, vbi ait: *Rectæ sunt omnes voluntates, si bonæ*

bonu est illa, ad quam cuncta ordinantur. Ea verò ad quam cunctæ ordinantur est voluntas finis: Ergo.

74 PROBATVR tertiò ex Aristotele *in Topicis*, vbi etiam Boëtius *Lib. 3. c. 1.* adductus à D. Thom. *Cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est.* Quod est intelligendum de fine proprio; non de adiecto ex intentione operantis, ità vt illud, quod habet talem finem bonum ex se, bonum sit, etiamsi aliunde possit effici malum; nempè è circumstantia, & ex fine adiecto voluntati operantis, vt notat Conradus, & Vasquez ad articulum. Diu. Thomæ, post Diu. Bonauent. *in corpore.*

75 PROBATVR quartò ratione, quâ vtitur etiam D. Thom. *hic*, Valentia *loco citato*, & alij. Ità se habet actio moralis ad suas causas; sicut actio naturalis ad suas. Sed actio naturalis, cuius forma est finis, adeò pendet ab illo, vt ab eo sumatur bonitas generationis, vel alterius (quæcumque sit) actionis: Ergo & de morali idem dicendum. Probatur maior, quia intentio finis ità est essentialis actioni morali, quàm naturali: Bonitas enim rei, vt ait Diu. Thom. cuius esse pendet à causa aliqua, etiam attenditur ex fine, ad quem res ipsa per causam suam ordinatur. Sed actio hominis pendet ab homine: Ergo bonitas actionis humanæ pendet etiam à fine, in quem ab homine ordinatur, cùm agat propter finem, non minùs, quàm agens naturale; atque adeò actio pendête teneatur etiam ab ipso fine, vt notat etiam Valentia *loco citato.*

76 ADVERTIT autem D. Bonauent. *in corpore*, ad hoc requiri primò, vt finis sit bonus in se. Secundò, vt recta sit ordinatio ad eum: potest enim finis in se esse probus, & tamen non ordinatus rectè; vt si ad minus bonum ordinetur maius, vt res sit ordinabilis, nempè, vt non sit essentialiter mala, puta mendacium. Secundò, vt voluntas ad eum actu conuertatur ordinando.

77 QVAMVIS autem S. Doctor *locis adductis, disp. 4.* Finem nominet circumstanciam, CVR: tamen finis habet etiam rationem obiecti, vt notat S. Bonauent *loc. cit. hic*, & est etiam Causa. Meritò igitur cum Magistro *in 2. dist. 36. & 40.* & cum D. Thom. *hic*, ac reliquis Scholasticis, peculiarem finis habet mentionem, vt notat etiam Vasquez ad articulum citatum D. Thomæ.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Actus MORALIS *malus constituatur in sua specie per aliquam differentiam positiuam.*

D. Bonau. in 2. d. 34. art. 2. q. 3. & d. 41. q. 1.
D. Thom. q. 48. art. 1.

78 PRIMA opinio est Caietani *quæst. 18. art. 5.* Diu. Thom. duplicem malitiam in actu malo distinguentis; alteram positiuam, quam dicit esse bonum quoddam simpliciter; sed tamen malum homini, quatenùs ratione vtitur; & ait, eam malitiam consistere in ordine illo positiuo, quem habet actus malus ad obiectum, repugnans rationi, & per hanc malitiam positiuam, actum moralem constitui essentialiter in specie mali moralis. Alteram malitiam dicit esse quasi extrinsecam ipsi actui secundùm suam speciem, nempè illam, quæ consistit in priuatione rectitudinis debitæ, & quæ est malum simpliciter; à qua concedit, actum extrinsecè denominari malum.

VERA tamen sententia est, actus morales 79
secundùm speciem suam non esse malos, nisi denominatiuè per extrinsecam priuationem rectitudinis debitæ. Ità Diu. Bonauent. *locis adductis*, vt innui etiam *quæstione 3.* Diu. Thom. *prima primæ, quæst. 48. artic. 1. in corpore, & ad 2. & 3. contra Gent. cap. 9.* Richardus *in 2. dist. 34. art. 1. quæst. 1.* Durandus *eadem dist. quæst. 2.* & alij omnes Theologi cum Magistro, vt refert Valentia *disput. 2. quæstione 13. puncto 3.* & *disput. 6. quæst. 1. puncto 1.*

PROBATVR primò à D. Bonauent. *ad 3. Ec-* 80
clesiastæ ex illo: *Cuncta fecit bona in tempore suo*; vbi absolutè astruit, omne ens positiuum esse simpliciter bonum quoddam, quod secundùm se consideratum, non sit morale malum, vt dicam *argumento 4.* Hac authoritate nititur Valentia *disput. 2. loco citato.*

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *loco citato, dist. 34.* è sanctis Patribus, D. Augustino *Lib. 11. de Ciuitate Dei, cap. 9.* vbi ait: *Mali nulla natura est; sed amissio boni, mali nomen accepit.* Et Lib. 83. quæstionum, quæst. 6. *Totum nomen hoc mali de priuatione speciei repertum est*; & ex D. Anselmo *Lib. de conceptu Virginis, cap. 5.* vbi ait: *Iniustitia nihil omninò est, sicut cæcitas.* Idem iisdem ferè verbis habet D. Nazianzenus *oratione ad Iulianum*, & Græcus Gregorij Scholiastes Nicetas. His authoritatibus nititur Valentia, addens etiam D. Dionysium *cap. 4. de Diuinis nominibus, parte 4.* Iustinum *quæst. 46. ad Christianos*, Epiphanium *heresi 66.* Nyssenum *homil. 2. in Cant.* Ambrosium *Lib. de Isaac, & anima, cap. 7.* Cùm igitur sancti Patres nil distinguant inter malum culpæ, seu peccatum; & malum morale, & tamen affirment, vtrumque esse priuationem; sequitur falsum esse, Caietani commentum. Ex quo etiam sequitur, peccatum esse quid positiuum, quod est erroneum; vt ostendam, *Tractat. de Peccato, disputatione 1. quæstione 1.*

PROBATVR tertiò à Diu. Bonauent. *dist. 41.* 81
quæst. 2. in corpore, argumento, quo vtitur Valentia *loco citato*. Sicut actus bonus est propriè bonus, ità actus malus est malus. Sed actus bonus non est bonus essentialiter, quasi bonitas det differentiam essentialem: Ergo. Minor patet ex dictis *quæstione 3.* Confirmatur ex bonitate naturali; nam cùm dico: Leo est bonus; non dico, per bonitatem hanc transcendentem constitui Leonem in sua specie.

PROBATVR quartò à D. Bonauent. *dist. 34. loco* 82
citato. Bonum, & ens conuertuntur: ergo de quocumque prædicatur ens, prædicatur etiam bonum; sed malum morale non est bonum: Ergo neque est ens positiuum.

PROBATVR quintò. Omne ens à summo ente per essentiam deriuatur per participationem: sed nullum malum morale est à Deo participatiuè: Ergo.

OBIICIES primò cum Caietano. Actus iniustitiæ opponitur actui iustitiæ contrariè: ergo est aliquid positiuum. Antecedens est Aristotelis *cap. de oppositis*. Consequentia est clara.

Respondet S. Bonau. Bonum, & malū dici contraria, quatenùs habent aliquid contrarietatis, se mutuo expellendo,

expellendo, & ab vno fit regressus ad alterum,
83 In quo aduertit S. Augustinus, *in Enchiridio*, Quòd in hoc fallit regula dialecticorum, vocans bonum, & malum contraria. Opponuntur sanè positiuè, ratione substrati fundamenti, puta habitus, *verbi gratia*, Castitatis, & Luxuriæ, quatenus alter facilis est ad bonum continentiæ, alter ad malum incontinentiæ. Ità respondet etiam Valentia exponens Aristotelem.

Obiicies secundò. Actus iniustitiæ, prout positiuè respicit obiectum iniustum, est malum morale, non per priuationem, cùm hæc sit illi extrinseca, si hoc modo consideretur: Ergo.

84 Respondet Valentia, talem actum sic non esse essentialiter bonum, nec essentialiter malum; sed esse talem actum moralem, cui sit adiuncta malitia, idest priuatio debitæ rectitudinis; à qua priuatione denominatur malus. Sicuti homo cæcus, quatenùs est ens positiuum, neque est videns, neque cæcus. Hæc tamen responsio non placet; nam bonitas, & malitia, vt ipse fatetur Valentia, est passio transcendens disiuncta, respectu esse moralis, & ideò nequit vnquam accipi ens morale absque alterutra passione.

85 Respondet dicens, passiones transcendentes non competere subiecto essentialiter, cùm sint passiones, atque adeò accidentia; sed ideò dici transcendentes, quia nihil est intra ambitum subiecti earum, quod non ab illis afficiatur, & denominetur.

Contrà tamen: nam in omni statu afficitur ens morale suâ passione, siue boni, siue mali; ità vt nunquam essentialiter afficiat etiam acce. tum cum debita rectitudine, vel sine ea. Numquam igitur erit neutrum, & ideò non est bona responsio dicere, tale ens non esse essentialiter bonum, vel essentialiter malum, cùm numquam bonitas, vel malitia essentialis esse queat: semper igitur erit tale, vt non sit essentialiter tale. Vnde Valentia fugit.

86 Respondet meliùs S. Bonauent. *in corpore*. Actum iniustitiæ, vt opponitur actui institiæ, & vt respicit suum obiectum, habere duo, scilicet respectum ad illud obiectum, puta, rem alienam physicè, & carentiam rectitudinis in illo respectu ad rem alienam; & hoc secundum esse malum morale; prius verò ens, & bonum est.

Per hæc soluitur aliud argumentum, allatum à Valentia. Sicut calor repugnat positiuè ipsi aquæ, ità actus iniustitiæ repugnat homini, sed quia calor repugnat aquæ, dicitur esse ei quoddam malum, licet sit absolutè bonum: Ergo.

87 Respondetur ex S. Bonauent. non esse parem rationem; nam ratio, secundùm quam calor, vel ignis opponitur aquæ, est eadem, quæ constituit calorem, vel ignem in ratione talis entis, seu est ratio fluens naturaliter ab ea, & eiusdem rationis; At ratio, qua actus iniustitiæ opponitur iustitiæ, est diuersa; est enim priuatio bonitatis, idest rectitudinis debitæ. Vnde & hæc est mala simpliciter, deformans ens in quo est; illa verò bona perficiens ipsum subiectum; & licèt destruat oppositum, non tamen reddit deforme, sed naturæ consonum vniuersali, deseruiens ad generationes, aliam inducit perfectionem; & hic sanè maiorem, nam generat sibi simile, nobilius aquâ.

Obiicies tertiò. Si hæc sententia Caietani non esset vera, iam falsum esset id, quod aiunt Theologi, dari aliquos actus intrinsecè malos.

88 Respondet Valentia ex D. Bonau. *dist.* 41. *quæst.* 2. *in corpore, & ad tertium*, aliquos actus dici intrinsecè malos, quia malitia in tali priuatione consistens, necessariò est connexa cum eorum essentia: Tales sunt actus, qui aduersantur naturali præcepto, vt adulterari, blasphemare. Hi enim, cùm nunquam possint fieri bene; (eò quòd præceptum naturale immutabile est) necessario habent semper adiunctam priuationem rectitudinis debitæ ex naturali præcepto. Neque tamen essentialiter ideò 89
sunt mali, ità vt nequeat abstrahi malitia ab actu, vt actus est, licèt realiter inseparabilis sit, & habeat modum essentiæ; quia ex principiis intrinsecis talis actionis oritur, & ortum habet in proprietatibus agentis, & patientis, ex quarum comparatione necessariò surgit inordinatio, veluti cùm filius cognoscit matrem, vel cùm homo blasphemat Deum.

Obiicies quartò. Actus iniustitiæ, nec potest, nec debet esse actus iustitiæ: Ergo negatio iustitiæ in iniustitia, nón est priuatio iustitiæ; cùm non sit in subiecto apto.

Respondet D. Bonauent. *loc. cit. dist.* 41. & 90
dist. 34. *lo. cit. in corp.* debitum iustitiæ non esse in actu simpliciter, sed in actu tali, vt talis est; & ideò ille actus non est reduplicatiuè iustus, sed vt talis est; sic enim vt talis est, essentialiter est talis; sicuti homo albus, vt albus est, est essentialiter albus. Itaque, vt sic, illa est negatio: Sed priuatio, & macula attenditur in actu prout est ab homine, seu à voluntate eius, qui tenetur actus habere rectos in ordine ad suum finem, sic enim est subiectum aptum rectitudinis; & hoc responsum obscurè exhibet etiam Valentia.

Sed de hoc iterum agendum est, *Tractatu de Peccato, disp.* 1. *quæst.* 1.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Actus Humani habeant bonitatem à Fine *specificam.*

{ D. Bonau. d. 38. loc. cit.
D. Thom. art. 6.

Qvamvis variè multi opinentur in hac materia; quos refert, & refutat Vasquez, *disput.* 51. quia tamen res obscuriores reddunt, quæ seipsis in D. Thoma, & D. Bonauent. planæ sunt: nos per sequentes assertiones cuncta digeremus. 91

Assero primò. Actus, qui finem, vt finem, habent pro obiecto, cuiusmodi sunt Intentio, & fruitio, sumunt bonitatem, & malitiam specificam à fine.

Probatvr à Valentia *disp.* 2. *quæst.* 13. *p.* 4. quia omnis actus sumit malitiam ex obiecto, & obiectum actuum circa finem, est ipse finis. Elicitur ex D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 8. *dub. vltim. & quæst.* 2. & *dist.* 41. *quæst.* 2. & ex D. Thom. *hic*, Tanner. *disp.* 2. *quæst.* 5. *dub.* 5. *numero* 90. Ideò Aristoteles 5. *Eth. cap.* 2. ait, *Illum, qui furatur, vt adulterium ineat, esse magis adulterum, quam furem.*

Assero secundò. Actus, qui habent pro obiecto medium, vt medium, cuiusmodi sunt Electio, Vsus, &c. sumunt malitiam, vel bonitatem specificam ex Fine. 92

Probatvr à Valentia; nam finis est obiectum, propter quod expetuntur media.

Probatvr primò à Vasq. ad hominem contra Thomistas

Thomistas, qui dicunt, electionem & intentionem esse eundem actum, & tamen negant, actum electionis sumere speciem à fine. Si enim est vnus actus, vt probabile censet Magister *in 2. dist.* 38. & Diu. Bonauent. *dub. vltimo*, sequitur, vt si Intentio specificatur à fine, idem dicendum sit de Electione.

93 PROBATVR secundò à Vasquez, quia medium, vt medium est bonum vtile, ordinatum ad finem, à fine specificatur. Hæc intelligenda sunt de actibus internis.

ASSERO tertiò Actus externos, qui sunt media, non sumere speciem à fine, sed ab obiecto. Est clarum è Diu.Thom. vbi distinguit actus externos ab internis, quod hi à fine specificantur. Quidquid conetur Valentia, & etiam Vasquez *cap.* 2. & 3. Differentiam inter actus externos, & internos voluntatis agnoscit etiam Diu. Bonauent. *in* 2. *dist.*41. *quæst.*1. *ad tertium.*

PROBATVR à Vasquez *numero* 11. nam actio exterior, secundùm suam substantiam non respicit finem, quem habet ab operante, sed tantùm obiectum suum; finem autem operantis solùm accidentariè respicit, ex eo, quòd accidentariè proficiscitur ex tali voluntate; ex qua manens eadem in genere moris, posset non proficisci.

94 ASSERO quartò probabiliter, electionem ità sumere bonitatem à fine, vt bonitatem suam etiam à medio obtineat, vt est tale obiectum; tametsi non vt est medium ad finem. Ità D.Bonauent. *d.*38. *dub.* 4. *litt.* contra Vasquez.

PROBATVR à Tannero *numero* 93. ex communi Theologorum sensu, qui volunt eundem actum posse esse elicitum ab vna virtute, ex imperio alterius, *verbi gratia*, actum fortitudinis in Martyrio imperari à charitate, & vtriusque bonitatem habere; quia bonitas actus externi est obiectum; sed duo sunt obiecta fortitudinis, & charitatis: ergo duæ bonitates. Ità astruit Seraphicus Doctor.

Dices cum Vasquez, Aristoteles 2. *Eth. cap.*1. ad actum studiosum exigit, vt sit propter seipsum.

95 Respondet Tannerus requiri, vt sit ob suam honestatem, non tamen omninò vltimatè, sed posse ad aliam honestatem ordinari. Hoc latè discutiam *disp.* 15. *q.*1.

MVLTÒ magis verum erit, malitiam medij non sumi totam à fine. Ratio eadem est, quia sunt plura obiecta; & addo rationem Vasquez, nobiscum sentientis, quæ est familiaris Seraphico, quia pauciora requiruntur ad malum, quàm ad bonum, quia hoc fit ex integra causa; malum autem ex quocumque defectu, ex S. Dionysio *cap.*4. *de Diuinis nominibus.*

96 Ex quo deducit Aristoteles 5. *Eth. cap.* 2. furantem, vt adulteret, esse furem, & adulterum; esto magis sit adulter, quia hoc habet rationem finis.

Specialis autem quæstio hîc excitatur à Vasquez *cap.*5. Tannero *numero* 94. & aliis, In eo casu, quo voluntas intendens aliquem finem, eligit ad eum consequendum aliquem actum proprium, tanquam medium necessarium; puta, si quis intendit reconciliari Deo, & ex hac voluntate eligit elicere actum contritionis, vel charita-
97 tis, quo videt se consequi id valere: An ille actus contritionis tribuat bonitatem suam actui, quo eligitur: Et an ipse accipiat bonitatem à fine, propter quem eligitur. Vocat autem actum illum, quo eligimus habere actum contritionis, actum *imperantem*: actum verò, qui eligitur, nominat *imperatum*, & ità format quæstionem: An in actibus reflexis voluntatis, actus imperans accipiat bonitatem secundùm speciem, ab actu imperato. Et Vtrum actus imperatus accipiat bonitatem à fine imperantis substantialiter, an saltem accidentariè. Dicitur autem actus reflexus, quia virtus, eliciens sibi suum actum eiusdem rationis, imperat.

MIHI videtur actum internum imperatum, non semper ordinari accidentariè in finem actus interioris imperantis; & inde accipere specificam bonitatem, nempè, cùm actum eligit ad eum finem per se ordinatum, vt cùm eligit actum contritionis ad se reconciliandum Deo.

Ratio est, quia cùm ille actus sit finis per se, 98
& obiectum actus, dat ei consequenter specificationem. Fateor, actum imperatum interiorem aliquando accidentariè ordinari in finem actus imperantis: nempè cùm ad alios etiam fines est naturâ suâ intrinsecè ordinabilis, puta, si quis velit, odio habere Deum, vt regnum consequatur; (vt exemplo vtar Caietani) non modò, quia tunc actus ille odij Dei non tantùm respicit suum obiectum, quod est malum Dei, sed etiam regnum: verum etiam, quia per accidens, odium Dei ad regnum ordinatur.

QVOD ergo ait Vasquez, actum elicitum 99
intentionis nullam bonitatem aut malitiam etiam accidentariam, aut secundariam habere ex alio actu voluntatis reflexi, à quo dicitur imperari, vt in exemplo adducto; mihi nulla ratione probatur; quia, cùm actus ille imperetur, debet etiam in finem eius referri: si autem refertur in finem ipsius imperantis; quis non videt, talem finem ad ipsum pertinere, vt circumstantiam; atque adeò inde bonitatem, vel malitiam habebit, non quidem substantialem, vt aduertit Tannerus *quæst.* 5. sed accidentalem.

Ex his etiam fundamentis deduco cum Diu. 100
Thom. quando species, quæ accipitur ex obiecto, non est per se ordinata ad speciem, quæ accipitur ex fine, tunc neutram contineri sub altera, tanquam bonitatem specificam sub generica, vt, cùm quis furatur propter adulterium: nam differentia specifica, se debet habere ad genus per se, & non per accidens, ex Aristotele 7. *Metaph.cap.*43. At verò furtum non ordinatur per se ad adulterium.

FATEOR, quando obiectum est per se ordi- 101
natum ad finem; atque adeò etiam species, quæ sumitur ex obiecto, ad speciem, quæ sumitur à fine; tunc quidem speciem sumptam ex obiecto contineri sub specie sumpta ex fine, tanquam sub genere. Vt, cùm miles pugnat propter victoriam intentam à Duce, vel propter vltionem iustam; tunc species fortitudinis, sumpta ex obiecto, continetur sub specie iustitiæ vindicatiuæ, sumptæ ex fine, tanquam sub genere.

QVÆ

QVÆSTIO IX.

An & quomodo ex CIRCVMSTANTIIS *sumatur bonitas, & malitia specifica Humanorum actuum.*

D.Thom.art.10.

102 CERTVM ex fide est, quòd ad primum quæsitum, dari circumstantias tribuentes specificam bonitatem, vel malitiam actibus humanis. Ità in Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 5. vbi definitur, *Circumstantias, quæ mutant speciem peccati, esse necessariò explicandas in confessione.* Ità sentit Diu. Thom. *hic* S. Bonauent. *in* 2. *dist.* 41. *quæst.* 2. & *alibi*, præcipuè *in* 4. *dist.* 17. *quæst. vltima*, & *in confessionali.* Sunt autem circumstantiæ, aliæ formales, quæ se tenent ex parte actus, vt intensio eius, & remissio: Aliæ ex parte obiecti, vt quantitas, conditio obiecti, &c. qualitas, &c.

PROBATVR à D.Thom.quia illud dat speciem actui, quod ità cadit in voluntatem, vt specialiter conueniat, vel repugnet rectæ rationi. Sed circumstantiæ, hoc pacto, sæpè in voluntatem cadunt: ergo.

103 PRIMÒ quidem, cùm addit nouam speciem boni, aut mali, actioni habenti, & retinenti aliam speciem boni, aut mali ex obiecto.

Retinet tamen rationem circumstantiæ, non ratione speciei, quam tribuit; sed ratione alterius. Itaque comparata cum specie morali, quam tribuit, habet rationem obiecti: comparata verò cum alia specie, quæ est in eodem actu. potest habere rationem circumstantiæ accidentariæ. Sic in homicidio Clerici, persona sacra, quæ occiditur, tribuit speciem sacrilegij, supra speciem homicidij, quam actio illa aliundè habebat: & ità persona sacra est circumstantia homicidij, non sacrilegij; nam, si ad sacrilegium comparatur, habet potiùs rationem obiecti. Ità D. Bonauent. *in* 4. *loco citato ad vltimum.*

104 TVNC igitur, cùm actus per aliquam sui circumstantiam spectat ad vitium, vel virtutem determinatam; tunc etiam eiusmodi circumstantia spectat ad peculiarem speciem actus bonam, vel malam: Nam eadem ratio specificans habitum studiosum, aut prauum, specificat etiam ipsos actus: Si verò circumstantia non inducat peculiarem rationem virtutis, vel vitij; sed tantum modificet: Tunc non constituet speciem; Talis est quantitas in furto, &c. & hoc,etiamsi tantum modificet, vt augeat veniale ad mortale, ratione materiæ; vt quantitas furti: nam quantitas parua, & magna furti spectant ad eandem speciem furti, vt notat Valentia *disp.* 2. *quæst.* 13. *p.*4. contra Nauarrum *in manuali, præludio* 9. nam circumstantia maioris, vel minoris quantitatis tantùm variat peccatum intra eandem speciem; vt docet Diu. Thom. *art.* 11. Caietanus *ibi*, Syluester *verbo circumstantia*, *numero* 2. & alij cum D.Bonauent. *locis adductis.*

105 ADVERTE autem, eam malitiam, vel bonitatem, quæ potest stare sine altera, dare primam speciem actui. Sic in occisione Sacerdotis, species iniustitiæ potest esse sine sacrilegio; non è contra, species sacrilegij in personam.

POSSE autem eam circumstantiam alibi dare non modò aliam specificam malitiam, sed etiam simpliciter primam, patet in actione, quæ aliàs esset bona ex obiecto, seu indifferens, & propter alteram circumstantiam, puta finis, redditur mala. Hæc tamen transit in obiectum, nec manet circumstantia. Hoc notant Vasquez *disp.* 53. *cap.* 2. 106
Mastrius *disp.*5. *quæst.*4. *numero* 220. qui meritò reprehendit Arriagam, qui *disp.*17. *sect.*3. vult, per malitiam finis, non destrui indifferentiam. Si enim sit mala, quomodo manet adhuc indifferens? estque doctrina D.Bonauent. *in* 2. *dist.* 41. *quæst.* 2. *in corpore*, & *ad vltimum.*

OBIICIVNT aliqui. Circumstantia, quæ inuenit rem malam, seu etiam indifferentem, inuenit eam in aliqua specie morali: ergo non dat ei primam speciem.

RESPONDETVR, inuenire eam in aliqua specie; sed mutare in aliam; & ità dari illi primam speciem, quæ constituit rem in alio etiam esse morali. 107

AN verò aliquod ita sit bonum, vt ex circumstantia possit fieri malum, vel contra: Respondetur quidem, aliqua esse ità mala, vt nullo addito valeant fieri bona. Ità D.Bonauent. *in* 2. *loc. cit.* & Vasquez *cap.* 4. Probatur à D. Bonauent. & Vasquez, quoad actus interiores. Odium enim Dei, infidelitas, &c. nunquam bona fieri valent. De externis patet in blasphemia, idolatria, & mendacio. Eorum enim malitia ex intrinseco ità oritur, vt nullo medio rectificari valeant, vt notat Vasquez *cap.*4. post D.Bonauent. *in corpore.*

Quòd verò aliqua ità recta sint, vt nulla circumstantia deprauari queant, patet in charitate, quæ non agit perperam, ex prima ad Corinth.4. 108

OBVIAT tamen Soto *Lib. de natura, & gratia*, *cap.* 22. *in* 2. *corollario*, & alij moderni Thomistæ. Falluntur tamen; nam, cùm charitas respiciat bonum Dei propter ipsum, non potest respicere malum finem, nec vllam aliam circumstantiam malam habere potest. Quod si affectus elicitus amoris haberet alium finem, iam non esset amor Dei, seu charitas, vt notat Vasquez *disp.*53. *numero* 24. post D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 27. *art.* 2. *quæst.* 2. *in corpore.*

OBIICIT Soto. Affectus charitatis, quo quis occupatur contemplatione, potest esse causa, vt omittat præceptum aliquod interim vrgens, & obligans: ergo reddi potest malus. 109

RESPONDET Vasquez ex D.Bonauent. implicare aliquam habere affectum amoris Dei super omnia, & peccare simul mortaliter. Dat Seraphicus exemplum de eo, qui diligit Deum super omnia, qui simul non respiceret ad mercedem temporalem magis, quàm ad Deum.

Quod exemplum indicat, neque fidem, aut spem posse malo fine deprauari. Loquimur de actibus fidei infusæ, vt procedunt ex auxilio Dei supernaturali.

Hoc verò contra Thomistas aliquos probatur ex D.Augustino *Lib.de catechizandis rudibus,cap.*5. vbi ait: *Rarissimè quippè accidit, imò verò nunquam, vt quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo timore Dei perculsus. Si enim aliquod commodum expectando ab hominibus, quibus se aliter placiturum non putat, aut aliquod ab hominibus incommodum deuitando; quorum offensionem, aut inimicitias reformidat, vult fieri Christianus; non fieri vult potius, quàm fingere: fides enim non res est saluanti corporis, sed credentis animi.* En fides non est mala & mercenaria. 110

PROBATVR à Vasquez ratione deducta ex D. Bonauent. 111

Bonauent. *in 3. dist. 23. art. 2. quæst.* 1. & 2. Fides enim infusa supernaturalis est: ergo simpliciter bona, ac virtus, etiamsi sit informis. Probatur Antecedens ab ipso S.Doct. *ibi.* Consequentia probatur; nam id, quod est supernaturale, est à Deo: ergo bonum.

Consimili ratione ostendit Vasquez *loc. cit.* ex D.Bonauent. *in 3. d. 26. q. 1. in corpore*, & ad argumenta, spem non posse deprauari; & ideò non modò virtus supernaturalis ostenditur, sed anchora virtutum omnium.

QVÆSTIO X.

An CIRCVMSTANTIA *augens bonitatem, vel malitiam constituat actum moralem in specie boni, vel mali.*

D.Thom. art. 11.

ASSERO, circumstantiam illam, quæ naturâ suâ non habet ordinem boni, aut mali ad rationem, nisi suppositâ aliunde malitiâ, aut bonitate in actione, illa nunquam mutare speciem. Ità D.Bonauent. vt dixi *disput.*4. & D.Thomas *hic.*

112 PROBATVR: quia hæc, cùm supponat aliunde actionem bonam, vel malam, ità auget, vt non possit aliam constituere speciem. Tales circumstantiæ sunt QVID, quæ est quantitas in obiecto, puta furto, vt dixi *loc. cit.* & QVOMODO, quæ idem est, ac *magis*, & *minus.*

Addit verò S. Doct. illam circumstantiam, quæ non supponit aliam, non quidem semper, sed aliquando constituere speciem.

OBIICIES primò. Circumstantia loci sacri, vel rei sacræ in furto, & Personæ sacræ in homicidio, supponit necessariò speciem malitiæ aliunde constitutam; & tamen hæc circumstantia tribuit nouam speciem: Ergo falsum est circumstantiam illam, quæ supponit aliunde actum bonum, vel malum, nunquam constituere nouam speciem peccati.

113 RESPONDET Vasquez *disp.*44. *numero 6.* propositionem D. Thomæ intelligendam de ea circumstantia, quæ non modò supponit aliunde malitiam, vel bonitatem, qualis est circumstantia adulterij, vel sacrilegij; sed eam intelligit, quæ neque per intellectum concipi potest cum ordine conuenientis, vel disconuenientis rationi, nisi quatenùs afficit actum aliunde bonum, vel malum; vt *multum*, & *parum* in obiecto; *magis*, & *minus* in ipsa operatione; vt species sacrilegij, licèt reperiatur cum alia specie, habet ordinem proprium distinctum à priori disconuenientia rationis; quia habet peculiarem malitiam, & deformitatem contra peculiarem virtutem.

OBIICIES secundò, *multum*, & *parum*; *magis*, & *minus* constituunt aliquando speciem primam actionis moralis, vt patet in obiecto temperantiæ, vt manducans multum, &c. Similiter manducans nimis celeriter, quæ est circumstantia QVOMODO constituit intemperantiam.

114 RESPONDETVR, obiectum intemperantiæ, quod constituitur ex quantitate cibi, & potus, tametsi explicetur per *multum*, & *parum*, quæ videtur esse circumstantia *Quid*, longè differt ab hac circumstantia; nam intemperantia simpliciter non consistit in magnitudine; sed in excessu termini præfixi per rationem. Hic autem excessus non est circumstantia, *multum*, & *parum*, quem excedit is, qui multum, & celeriùs manducat.

ALIQVA verò est quæstio de circumstantia durationis, & continuationis: An sit circumstantia actionis moralis augens bonitatem, vel malitiam illius. Tota verò difficultas orta est ex argumento quodam difficili, quod nostri Theologi & Philosophi *calculatorium* vocant. Si continuatio, vel duratio est circumstantia actionis pertinens ad malitiam, vel bonitatem illius; sequitur, durationi per instans nostri temporis respondêre aliquem gradum bonitatis, & malitiæ; ac proinde mensuram etiam præmij aut pœnæ. Demus igitur respondêre primo instanti nostri temporis vnum gradum gloriæ, aut supplicij, aut si placet, dimidium, vel quamuis partem minimam determinatam; si huic addas durationem per infinita instantia hoc ipso, quod actio durat per nostrum tempus; sequitur, respondere soli durationi actionis per instantia infinitum præmium, aut supplicium, cui si addas durationem per partes temporis, adhuc crescit, aut saltem additamentum recipiet. 115

Hoc argumentum variè torsit nostros Theologos. Attamen S.Bonauent. *in 4. dist. 16. dub. 9. litterali* videtur illud parui pendere.

REFERAM aliorum responsiones, & tandem resoluam cum Diuo Bonauentura. 116

Respondent aliqui, actum non acquirere nouum meritum, nisi sit intensior; intensionem verò actus non crescere in omni instanti.

AT, licèt de bonis operibus id concessuri simus *disput. de merito*, contra Vasquez *disput.* 22. At non ob id soluitur argumentum; nam peccata etiam, quæ non intenduntur, semper merentur pœnam: Ergo in omni instanti multiplicabitur pœna, vt notat Vasquez *disput.* 54. *cap.*3. cum D.Bonauent. *in 2. dist.* 40. *quæst. vltima.*

Respondet Victoria, continuationem nil referre ad augmentum meriti, nisi sit notabilis, & ità opus non esse, vt per singula instantia augeatur.

Contrà tamen est, quia quæuis inæqualitas operis agnoscitur à Deo, qui est liberalissimus; & præmio afficitur, vt arguit S.Bonauent. *lo. cit.* & post eum Vasquez *numero* 11. 117

ALII respondent, actioni meritoriæ pro primo instanti respondêre aliquod præmium, aut pœnam, secundùm certum gradum, sed cuilibet alij instanti, quo durat continuatio operis non respondêre aliquid præmij, aut pœnæ; sed indiuisibile quoddam in ipsa intensione præmij. Ex quo non sequitur, infinitis instantibus, pro quibus tota actio durat, respondêre infinitas partes præmij. Cæterùm partibus temporis, quo durat opus meritorium, dicunt respondêre partem præmij, aut pœnæ; quia tamen partes sunt communicantes, & proportionales, vt satis constat, ideò asserunt partibus temporis, quo durat operatio, respondêre partes præmij, aut pœnæ proportionales, & communicantes, ex quibus non potest fieri præmium, aut pœna infinitè.

PRO quo notant primò, substantiâ nostræ actionis immanentis totam produci in instanti nostri têporis; simul posse tamen durare per aliquam temporis successiui durationem absque sui successione. 118

DEINDE notant, primum instans pertinere ad substantiam operationis; durationem verò esse accidentariam, quia actio per se potest habere totum suum

suum esse in instanti, & ideò accidentarium ei est ampliùs, quàm per actum durare.

Hinc sequitur actioni in primo instanti respondêre certum gradum præmij, aut pœnæ, successiuo autem augmento, singulis instantibus, non respondêre partem aliquam præmij, sed aliquod, quasi continuatiuum illius augmenti in præmio; hoc est aliquod indiuisibile, quo continuatur intentio illa præmij, quæ durationi respondet.

119 Contra verò arguit Vasquez primò, quia non satis explicat discrimen inter actionem meritoriam incipientem in primo instanti, & continuatam per reliquum tempus. Nam sicut in primo instanti est substantia actionis, etiam in singulis instantibus temporis, quo durat actio, est tota substantia eius. Cur ergo actioni, prout in primo instanti respondet pars præmij: ei autem, prout durat in aliis, respondet tantum indiuisibile.

Hoc verò indiuisibile vanum est; nam indiuisibile non est præmium, nec augmentum, quia indiuisibilia quantitatis, non sunt quantitas. Vide Vasquez *hic* vrgentem.

120 Alii dicunt, non respondêre actioni duranti per infinita instantia præmium infinitum, quia ad augmentum meriti requiritur, vt actio sit cognita; non potest autem intellectus creatus in infinita instantia, quibus durat actio, distinctam habere cognitionem.

Contrà arguit Vasquez; quia potest augeri bonitas, & malitia operationis, etiamsi non sit cognita, sic & modus intensionis non est cognitus.

121 Respondet igitur Vasquez cum Nominalibus, quos huius augmenti primos inuentores iactat, nullam actionem meritoriam per instans solum durare posse, sed debere durare per tempus aliquod: non quia voluntas post primum instans non sit libera in sua operatione, vt quidam Thomistæ hos authores non benè interpretantur; sed quia, nulla actio desinere possit per vltimum sui esse; sed per primum sui non esse. Inter primum autem esse, quo incipit, & primum esse, quo desinit, debet necessariò intercedere tempus: toto autem illo tempore ità liberè conseruatur ab operante operatio meritoria, vt possit in quolibet instanti, signato post primum, desinere; nec vllum sit, in quo desinere non possit. Hanc sententiam dicit esse etiam Gregorij *in 2.d.3.q.1. art.2. ad 4.* Almaini *quæst. de libertate Voluntatis, art.7. in secunda opinione, argumento 3. & Tract.2. Moral. cap.9.* Porrò autem, actionem quamcunque nostram desinere debere per primum instans, ac proinde non posse per solum primum instãs durare, vberiùs à se probatum dicit *1.p.d.229.*

122 Ex quo ait sequi, vt, etiamsi operatio nostra duret per infinita instantia, tamen non sit meriti infiniti, nec infinitum præmium, aut pœna illi respondeat. Si enim actio quæuis meritoria postulat, vt sit non solùm per instans, sed per aliquam etiam temporis successionem; sequitur, singulis instantibus non respondêre partem aliquam præmij, aut pœnæ, sed toti durationi certum gradum, & singulis partibus partem etiam aliquam.

Hæc tamen solutio nullo modo probatur: & primò quidem actus humanos posse in instanti compleri, probabilissimum est, & multorum Doctorum sententia; neque verò ex eo, quod desinant per primum sui non esse, ostenditur, durare per aliquod tempus; nam cùm desinant extrinsecè, iam temporis duratio nil facit ad cõponendam actionẽ.

123 Deinde verò, etiamsi actio humana duret per aliquod etiam tempus, non adhuc probatur intentum, in continuatione actionis. Demus enim, primam operationem habere suam perfectionem in primo instanti, & vnâ morulâ temporis; cùm in qualibet particula temporis sint infinita instantia, adhuc non video, cur etiam infinita merita non sint, & non respondeant infinita præmia. At operatio ista continuetur per horam; cùm iam transierit instans, & morula in substantia actionis, à Vasquez requisità; & in reliqua parte horæ sint infinitæ partes proportionales temporis, & infinita instantia, non video, quomodo non respondeant etiam infinitum præmium, vel pœna.

Respondetur igitur facilè, præmium, & 124
pœnam esse morale quoddam, taxatum culpæ, & merito; meritum verò, & culpam esse morale quoddam impositum, ità vt non mensuretur singulis instantibus ex infinitis, quæ sunt in continuo; sed actibus completis voluntatis; qui, sicuti non transeunt cum singulis ex infinitis instantibus; alioqui nunquam ad finem venirent, cùm infinitum sit impertransibile, sed transeant etiam quoad continuationem cum partibus æqualibus temporis finiti, in quibus sunt instantia finita; sequitur respondêre etiam esse morale finitum. Vide etiam Mastrium *disp.5. numero 110.* vbi affert similitudinem caloris, qui per horam continuam producitur, nec tamen infinitus est.

Hanc video esse responsionem Seraphici, qui 125
cùm sibi opposuisset, peccatorem teneri deflere totum tempus, quo gratia caruit, & culpâ fuit conspurcatus; quia toto illo tempore peccauit, quo voluit illum statum; in toto autem tempore illo fuere infinita instantia: Ergo infinities peccauit; argutiam hanc non directè soluit, sed ad cætera respondet, teneri deflere non solùm culpas, sed etiam pœnas illas, quæ dehabilitant hominem, & reddunt ineptum ad bonum: inter hæc autem est carentia virtutum, & gratiæ; dissimulat verò illam obiectionis partem de infinitis instantibus, quasi dicat. Sufficit, si tempore finito defleantur, sicuti tempore finito patrata sunt. Igitur S. Doct. argutulam istam oppositionem, de qua adeò solliciti sunt Theologorum plurimi, per transennam, soluit sufficientissimè.

QVÆSTIO XI.

Vtrum detur Actio Humana *indifferens.*

D.Bon. in 2.d.41.q.3.
D.Th.q.18.art.8.& 9.

Postquam S. Bonauentura quæsiuit: An di- 126
uidantur actiones humanæ in bonas, & malas per differentias oppositas, Deinde: An diuidantur per differentias essentiales; quærit tertiò: An diuidantur per differentias immediatas, ita vt nulla sit media indifferens: Agit autem, non de actibus, qui ex inconsideratione fiunt, hi enim procul dubio possunt esse indifferentes; sed de actibus deliberatis, vt ipsemet aduertit *in corpore*, & post eum cæteri. Neque de actibus inconsideratis est vlla quæstio, licèt enim Durandus *in 2.dist.40. quæst.1. numero* 8. dicat, actus prouenientes ex imaginatione posse esse peccata; tamen loquitur de actibus imaginationis, qui possunt regulari à ratione; non de his, qui non sunt regulabiles à ratione; & est doctrina D.Bonauent. *in 2.dist.24. art.3. quæst.1. & 2.* vbi latè id ostendit.

QVÆSTIO

Quæstio autem hæc duplicem habet dubitationem. Altera: an detur actus indifferens secundùm speciem, seu in communi, vt Scotus loquitur *in primo, dist.* 41. & Faber *in* 4. *dist.* 14. *disput.* 4. *numero* 1. Altera est: an detur actus indiuiduus, & secundùm suam naturam iam singularis, vt cum Scoto loquar; seu ex fine, vt D.Thom. loquitur. Et quidem, si semel ostenderimus, dari aliquem actum indiuiduum indifferentem, ostensum erit, dari etiam secundùm speciem, vt notat Vasquez *prima secundæ, disp.* 52. *numero* 1.

128 Communis sententia Theologorum fert, dari aliquem actum indifferentem in specie, vt refert Valentia *disput.* 2. *quæst.* 13. *p.* 5. solo reclamante Scoto *in* 2. *distinct.* 7. *in resolutione*, vbi asserit, bonum ex genere, & malum ex genere, opponi immediatè, & sic non dari medium indifferens.

129 E regione *in* 2. *dist.* 4. videtur admittere actum indifferentem ex genere, vt refert Faber *numero* 4. & infrà, etiam actus indiuiduos admittit indifferentes, & *eadem distinct.* 41. refert opinionem D. Bonauenturæ: postquam enim retulit sententiam D. Thomæ negantem, actus indifferentes in indiuiduo; concedentem tamen eos in communi, subdit: *Quære Bonauenturam, qui sanè admittit etiam indiuidua indifferentia.*

Faber *numero* 11. ait, Scotum concedere hæc indifferentia ex specie, non è proprio; sed aliorum sensu. Ideò talia indifferentia multi Scotistæ negant, inter quos Vulpian. *disp.* 69. *art.* 9. & 10. Quoad actus in indiuiduo, ait, dari in sensu Scoti talem actum indifferentem; & esse, quando aliquis habet actum indifferentem ex genere, & omittit aliquam circumstantiam requisitam ad perfectionem moralem actus: non tamen apponit aliquam circumstantiam contrariam rectæ rationi, vt cùm quis dat eleemosynam, non propter honestatem virtutis, quia non aduertit hunc finem.

130 Hoc tamen modo explicatus Scotus non se eximit à difficultatibus; & primò quidem, cùm negauerit *dist.* 7. omnem actum ex specie, & genere, esse indifferentem; non video, quomodo eum in indiuiduo admittat; si sibi constat *dist.* 41.

Deinde vult, actum illum esse indifferentem in indiuiduo, cui deficit aliqua conditio, & hunc vult *dist.* 7. esse malum, quia est priuatus debita bonitate. Præterea sumo dantem hoc modo eleemosynam: Vel dat ex inconsideratione, & hæc non est actio moralis; vel ex consideratione; & tunc, vel dat ob finem bonum; vel malum; vel indifferentem: si ob bonum, vel malum: iam actio est bona, aut mala: si ob indifferentem. Contra primò: datur ergo genus ex fine indifferens. Deinde actionem ex fine indifferentem negat Scotus, vt mox dicam.

131 Ex his sequitur, Scotum negantem actum indifferentem in genere, & ex fine, non satis se defendere posse à Censura Concilij Constantiensis, *sess.* 15. vbi inter alios articulos Ioannis Hus, ponit hunc damnatum: *Nulla sunt opera indifferentia*; quæ damnatio confirmata est à Martino V, vt constat ex Bulla in fine illius Concilij. Itaque, dari opera indifferentia secundùm speciem, asserunt etiam D.Thom. *quæst.* 18. *art.* 8. Valentia *ibi, p.* 5. Tannerus *disput.* 6. *quæst.* 6. Morandus *Tractat.* 2. *quæst.* 27.

132 Argumentum etiam Scoti ipsum arguit; nam supposito, omnem actum moralem habere aliquod obiectum; sic arguit: Aut obiectum congruit ipsi actui, secundùm rectam rationem, aut non congruit: si congruit; actus erit bonus moraliter ex obiecto: Si non; erit ex obiecto malus: sed non potest inter hæc dari medium; quia congruere, & non congruere, opponuntur contradictoriè: Ergo.

Illi verò, qui actus indifferentes in genere admittunt, in duas sententias diuisi sunt. Quoad actus verò indifferentes in indiuiduo. 133

Prima sententia communis Thomistarum cum Angelico *quæst.* 18. *art.* 8. & 3. est, dari quidem actus indifferentes secundùm speciem, seu ex immediato suo obiecto; negat tamen quoad indiuiduum; quia saltem è circumstantia finis, omnis actus, dum exercetur, redditur bonus, vel malus: Aut enim homo ordinat suum actum ad finem honestum; & sic actus redditur bonus; aut non ordinat; & sic actus redditur malus: quia tenetur in omni suo actu homo operari ob rectum finem. Ità Caietanus, Conradus, Nazarius, Salmaticenses, Medina, Aluarez, Serra, Martinez, aliique Recentiores Thomistæ. Albertus verò *in* 2. *dist.* 40. *art.* 4. Ægidius *quæst.* 2. *art.* 5. Richardus *art.* 2. *quæst.* 3. Durandus *quæst.* 1. Capreolus *quæst.* 1. *art.* 1. *concl.* 1. Maior *disp.* 41. *quæst.* 2. *concl.* 51. Gregorius *in primo, dist.* 1. *quæst.* 1. *art.* 1. Valentia *quæst.* 13. *p.* 6. Azor. *Tom.* 1. *Lib.* 2. *cap.* 4. *quæsit.* 3. Tanner. *disp.* 2. *quæst.* 5. *dub.* 6. qui ait esse Theologorum communem. Sic Hacquetus, Lorca, Montesinus, Granadus, Amicus, Sanchez, Suarez, Cornexo, Salas, Mæratius, Lezana, Pallauicinus, & alij recentes, apud Mastrium *Tom.* 2. *disp.* 5. *quæst.* 6. adde Fuliensem *lib.* 2. *cap.* 2.

Secunda sententia concedit actus indifferentes, tàm quoad speciem, quàm quoad indiuiduum. Ità D.Bonau. *hic.* Alensis 3. *p. q.* 35. *mem.* 2. Gabriel *in* 2. *d.* 41. *q.* 1. *art.* 2. Almainus *Tract.* 1. *Moral. c.* 14. Angelus *c.* 8. *Moralium*, Vasq. *d.* 52. Fauet Scotus *in* 2. *d.* 41. *quæst. vnic.* & *in* 4. *d.* 6. *q.* 10. & *quodl.* 18. *art.* 1. Hanc esse germanam Scoti sententiam, acclamat Mastrius, & sequitur cum antiquis Scotistis, Licheto, Tartareto, Gratiano, Rubione, Bassolio, Herrera *d.* 28. *q.* 13. Fabro *de pœnit. d.* 4. Poncio *d.* 22. *q.* 1. 134

Eandem secuti sunt Arriaga *d.* 21. *sect.* 4. Ouiedo *controu.* 7. *p.* 5. Auersa *q.* 18. *sect.* 16. Caspens. *Tract.* 10. *d.* 1. *sect.* 8. Morandus *Tract.* 2. *quæst. vltima*, & alij.

Nonnulli Thomistæ dicunt, Seraphicum concedere actus indifferentes solùm indeliberatos; At S. Doct. apertè ait, In operationibus deliberatis posse esse aliquem indifferentem. Errant cum eis etiam Valentia, Tannerus, & alij, dicentes, Seraphicum concedere opera indifferentia, media solùm inter meritoria, & demeritoria. Fateor, eum dicere, hæc opera iudicanda indifferentia, quia Deus illa nec remunerat, nec ad culpam imputat: Sed loquitur de quauis remuneratione, quæ datur cuique operi morali, etiam peccatorum, vt adnotauit Vasquez; & hoc sensu locuti sunt etiam Sancti Patres. Quidquid negent Valentia, Ouiedo, & Tannerus. Itaque S. Doct. de quouis opere morali loquitur, vt constat ex *fine quæstionis.* 135

Assero igitur, dari opus indiuiduum indifferens moraliter.

Probatur primò à D. Bonauent. ex Glossa, ad illud Rom. 7. *Velle mihi adiacet*, vbi ait: *Est velle gratiæ, velle naturæ, & velle vitij*, sed velle est actus: Ergo inter actum bonum, & malum, est indifferens medius, naturæ respondens. 136

Probatur secundò ex D. Hieronymo *in epistola ad Augustinum*, quæ est vndecima inter epistolas D. Augustini, & apud D. Hieronymum 89. vbi

vbi ostendit August. obseruantiam Cæremoniarum Iudaicarum, post mortem Christi, nullo tempore licuisse; quia tales sunt, vt aut salutem debeant afferre, si obseruentur; aut si non afferant, sicuti verè post mortem Christi non attulerunt, non debeant obseruari: Atque ità non esse medium quid inter bonum, & malum, cæremonias illas obseruare. Et subdit: *Neque enim indifferentia sunt inter bonum, & malum, sicut Philosophi disputant: bonum est continentia, malum est luxuria. Inter vtrumque indifferens, ambulare, digerere alui stercora, capitis naribus purgamenta proiicere, sputis Rheumata iacere. Hoc nec bonum, nec malum est: siuè enim feceris, siuè non feceris, nec iustitiam habebis, nec iniustitiam. Obseruare autem Legis cæremonias, non potest esse indifferens, sed aut bonum, aut malum est.* Hæc S. Hieronymus, quibus manifestè probat sententiam S. Bonauenturæ, vt notat Vasquez *numero* 17.

137 Si dicas, Doctorem Sanctum hic solùm astruere opera indifferentia ex obiecto, non indiuiduo. Obstat, quod dixit: *Siue enim feceris, siuè non feceris; nec iustitiam habebis, nec iniustitiam.* At hoc de operibus indifferentibus tantùm secundum speciem non conceditur: sic autem, licèt deambulare sit ex genere indifferens; tamen ita poteris deambulare hîc & nunc, vt, aut benè, aut malè, non agas. Pro hac sententia etiam adducit Philosophos nobiscum sentientes, vt suprà vidimus.

138 Probatur secundò ex D. Gregorio Nazianzeno, *oratione tertia*, §. *Ad hæc quomodo*; vbi sic ait: *Quemadmodum enim quisquis supplicio haud dignus est, non idem statim laudem, & prædicationem meretur; eodem modo nec quisquis laude, & prædicatione dignus non est, idem confestim pœnam quoque commeretur: sed Philosophia nostra vtrumque humanarum finibus nos ipsos continere, sicque id, quod rectè, & ex virtute geritur, exigere debemus.* Hîc Nazianzenus concedit medium quid, inter meritum pœnæ, & laudis, quod non nisi in operibus indifferentibus inueniri potest, & nostram (ait) Christianam Philosophiam medium aliquod inducere inter bonum, & malum. Quæ verba sic interpre-

139 tatur etiam Elias *ibi*. Et vltimò addit: *Cùm autem hæc secus se habeant, faciendum deinceps nobis est, vt Philosophia nostra, quæ medium aliquod inducit, & infirmitatis humanæ finibus nos ipsos continentes, ità demum, quod rectè, atque ex virtute geritur, exigamus:* (subiungit statim.) *Ac nota, medium quendam statum à magno hoc viro excipi, & admitti.* En sententia D. Bonauenturæ, vt notat Vasquez. Video Billium *ibi* hos Patres explicare, vt concedant medium in certis actionibus, quæ non sunt præcepti, vt qui eas prætermiserit, nec pœna, nec laude dignus sit: Attamen Patres, non de medio, quod est in omissione, sed in opere, loquuntur, vt patet ex verbis eorum.

140 Idem præclarè asserunt author Hypognostici apud D. Augustinum *Lib.* 3. D. Gregorius *homil.* 27. *in Euangelia.*

Probatur tertio à Vasquez, ratione dempta ex D. Bonauent. *hic*, *fundamento* 2. Omnis natura specifica exigit conseruari in aliquo indiuiduo; sed dantur actus indifferentes secundùm speciém; ergo & in indiuiduo. Maior est certa, vt constat, omnes species rerum percurrendo, quæ à parte rei existunt. Minor conceditur à Thomistis. Probatur: nam indifferentia est ex defectu bonitatis, & malitiæ; atque actus indifferentes sunt, qui ex parte suorum obiectorum non important ordinem conuenientiæ, vel disconuenientiæ. Sed plures actus huiusmodi extant, vt velle loqui, ire in agrum, fricare barbam, qui essentialiter ex obiecto sunt indifferentes; sed hos, aiunt Thomistæ, fieri, aut bonos, aut malos, ex aliquo extrinseco circumstantiæ, finis, vel similis.

Ideo respondent aliqui Thomistæ, dari actum indifferentem in specie, non quidem positiuè; sed præcisiuè, qui scilicet indifferens est, vt habeat bonitatem, vel malitiam ex fine; vel circumstantiis quibusdam, ad eum modum, quo subiectum *homo* in sua specie est indifferens in genere coloris, & caloris; quia ex se intrinsecè nec est albus, nec niger, nec calidus, nec frigidus, sed ad hæc omnia indifferens; in indiuiduo autem non datur, nisi, aut albus, aut niger, aut calidus, aut frigidus; vt fusè Hacquetus, *controuersia* 36. & Fuliensis probant. Igitur inferunt, quidem positiuè dari indiuiduum aliquod, puta, in specie hominis, vnum hominem saltem, sed speciei præcisiuæ non esse necesse dari indiuiduum. Talis species est actus indifferens in communi, siuè quia positiuè dicit aptitudinem ad bonitatem, & malitiam, vt multi dicunt, siuè quia negationem dicit vtriusque, vt alij cum Becano *cap.* 5. *quæst.* 5. docent. 141

Contra arguit Vasquez ex D. Bonauent. *in corpore*; quia species hæc est positiua deambulatio seu confricatio indifferens, ex obiecto desumpta: Ergo habet indifferentiam etiam in indiuiduo. Ità fatentur Suarez, Lezana, Serra, & alij; qui tamen dicunt, actum illum intrinsecè, ex obiecto indiuiduè indifferentem, fieri bonum, vel malum, ex aliqua addita circumstantia; atque adeò nullum dari in indiuiduo actum omnibus circumstantijs vestitum, qui sit indifferens. 142

Hi tamen mihi concedunt, actum aliquem intrinsecè indifferentem in indiuiduo, quoad essentialia, contra D. Thomam.

Iam verò, sicut obiectum per vos est indifferens, ità & circumstantiæ, præsertim fines extrinseci, puta ad exercendam libertatem; vt notat Rubion. Confirmatur à Mastrio *numero* 315. ex D. Bonauent. *in corpore*, potest actus internus esse in hæc obiecta indifferentia, nulla alia circumstantia affecta; quæ se tenent ex parte obiecti, qualis est circumstantia finis extrinseci, operando præcisè ex leui commoditate naturæ, vel complacentia, quam secum ferunt actus huiusmodi: ergo tunc actus non erit bonus è circumstantia *finis extrinseci*, nec malus ex defectu oppositionis *finis honesti*, quia non tenetur homo semper operari: Ex parte verò actus, potest nulla adesse circumstantia, quæ illum deturpet; quia, vt suppono, nullum alium actum debitum impediet, neque ratione mutationis, aut durationis potest damnari, neque ratione loci, temporis, &c. Ergo talis actus, ex nullo capite trahet malitiam, vel bonitatem. 143

Præterea hic defectus, vel est *commissionis*, vel *omissionis*: Si primum. Ergo actus ille est contra rationem, & legem: Si omissionis, est pariter contra rationem, & legem: *non enim noui peccatum nisi per legem*; sed non datur tale præceptum ordinandi omnes actus in Deum: Ergo. 144

Respondet Serra, esse peccatum commissionis, contra præceptum naturale negatiuum, non operandi otiosè. Alij dicunt, esse omissionis; quia omittitur finis, debitus humanæ actioni; quia homo ad hoc creatus est, vt ad finem supernum dirigatur, quo diligatur Deus totis viribus.

Enim verò Seraphicus noster Doctor aduertit, non esse præceptum, vt ità diligatur Deus, sed satis

satis esse æstimatiuè, seu appretiatiuè Deum præferre, & statutis temporibus actus bonos elicere, hoc enim humanæ congruit fragilitati, vt etiam Sancti Patres allati dicunt.

145 PRÆTEREA dicant, contra quam virtutem sit hoc peccatum? Profectò eruditissimi aduersarij in auia eunt. Sic Medina ait, esse prodigalitatem; alij otiositatem; alij esse contra Temperantiam, vt Montesinus. Alij dicunt, tales actus elici à vitio, opposito illi virtuti, à qua eliciuntur, quando fiunt honesto fine. Ità Lezana. Alij, vt Salas, dicunt, esse contra præceptum eliciendi aliquem actum virtutis.

Præterea, si tales actus essent peccata, essent materia sufficiens confessionis; nullus autem hæc confitetur, etiamsi timoratus. Sanè Arriaga fatetur, se antequam hanc disceret quæstionem, nunquam cogitasse, fricare barbã, &c. esse dirigenda ex præcepto in finem honestũ: Fatetur tamen Vasq. hæc moderamine egere, ne tẽpus in discriminãda barba teratur.

146 PROBATVR quartò à S. Doctore *in fundamentis, & corpore*, exemplis adductis à D. Hieronymo, vt deambulare, Rheumata expuere, leuare festucam, quę ob aliquam leuem commoditatem naturæ fiunt. Hi porrò actus non sunt boni; tum quia non fiunt ob honestatem virtutis, vt exigit Aristoteles 2. *Eth.c.*4. tum quia essent laude digni, vel vituperio, vt arguit Aristoteles 2. *Eth.c.*12. & *Lib.*7. *ad Eudemum.* Præterea, vt arguit S. Doct. *in corpore, & fundamentis*, & Vasq. *n.*20. si essent opera studiosa, essent meritoria vitæ æternæ in iustis, vt docet Concilium Trid. *sess.*6. *c.*16. Si verò essent mala, essent materia

147 confessionis. Sic arguit etiam Mastrius *n.*321. Non conueniunt aduersarij in responsis. Aliqui enim dicunt, hos actus esse moraliter bonos, qui ad naturæ commodum fiunt. Ità Montesin, Lorca, Azorius. Alij dicunt, hos actus esse prauos, si aliunde non honestentur. Ità, seuero supercilio Granados, Lezana, Salas, Amicus, quia naturæ commodum est solùm bonum delectabile bestiarum, præciso fine honesto. Ideò, & actus coniugalis, ob solam delectationem, est malus.

ALII dicunt, tales actus, vt ad subleuandam naturam, esse bonos; ad solam verò delectationem, malos. Ità Suarez.

148 SED vt verum fatear, mihi non probatur aliqua responsio; nam bonũ honestum habet magnam rationem bonitatis; ad hanc autem quàm exiliter inseruit fricare barbam, &c. Præterea hæc bona sunt disparata, nec vnum, puta delectabile, infundere potest honestatem, cùm sit quædam naturæ commoditas, & bonitas physica; non moralis. Neque video cur delectabile, cùm sit bonum, nequeat moderatè in re leui ad leuamen naturæ appeti, absque bono honesto, & absque hoc, sit malum. Quoad matrimonium, dico cum D. Bonauent. hoc oriri è nimia delectatione.

149 PROBATVR quintò à D. Bonauent. Præceptum operandi bonum, est positiuum, quod non ligat ad semper. Itaque possum omittere aliquod bonum supererogationis, vel ab eo cessare: hæc verò actio non erit bona, vt patet; neque mala. Quæro enim, cur mala sit? Itaque concedunt Salas, Granados, & Lorca, has omissiones esse indifferentes; negant tamen de actione, posse esse indifferentem, quia debet ad rectum finem dirigi. At omissio semper est cum actione, vt ostendam *disp.*1. *q.*7. *in Tract. de Peccato.*

Negant sanè ideò Montesin, Salmanticenses, & Cornexo, dari omissionem indifferentem, sed iam id ostendi cum Seraphico Bonauentura.

150 PROBATVR sextò. Si quis nostram sententiam secutus, hæc operaretur, certò indifferenter ageret. Neque satisfaciunt Montesin, & Ruitz, dicentes, hunc agere prauè, sed excusari ex ignorantia. Contrà; quia operaretur ex probabili sententia.

Ideò Morisan. *tertio Eth.aub.*3. ait, talem operaturum prudenter, & honestè: At quis non videt illum operari, prudentiâ dictante, eum actum esse indifferentem.

OBIICIES primò *prima Cor.*10. habetur: *Omnia in gloriam Dei facite.* Idẽ habetur *Coloss.*3. Ergo, cùm patratur opus non ad gloriam Dei, peccatur. Neque hoc est cõsilium, quia omnibus absolutè dicitur: At consilium datur, non absolutè, sed conditionaliter. 151

RESPONDET S. Bon. illud, negatiuè sumptum, prout significat, nil contra gloriam Dei faciatis, esse præceptum: Positiuè autem sumptum, esse consilium, seu admonitionem, si particula (*omnia*) accipiatur distributiuè; si verò collectiuè, non est præceptum, nec consilium; sed finis præcepti, & consilij hoc enim debemus desiderare, vt ad talem statum perueniamus, vt omnes cogitationes nostras, & affectus in Deum dirigamus.

OBIICIES secundò. Omnis actus moralis otiosus est malus, sed omnis actus moralis, carens fine bono, est otiosus: Ergo malus. Maior est Iesu Christi, Matth.12. *Amen dico vobis, omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Eadẽ autem est ratio, imò maior de actibus aliis moralibus: quandoquidem aliquid amplius sunt, quàm verba, vt rectè concedit etiam D. Bonau. *loco citato*, & Patres argumentantur. Neque 152 satisfit dicendo, Christum loqui de verbis perniciosis; eò quòd antè dixerat: *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? &c.* loquitur enim de purè etiam otiosis: nam Græcè vocabulum est ἀργὸν, quod propriè otiosum significat; sicque interpretantur Patres. D. Hilarius *can.* 12. *in Matth.* vbi verbum otiosum exponit inutile, D. Ambrosius *Lib. primo, de officiis, c.*2. D. Hieronymus, & Remigius ad eum locum, D. Gregorius *homil.*6. ait: *Otiosum verbum est, quod aut vtilitate rectitudinis, aut ratione iustæ necessitatis caret.* Idem docet, *septimo Moral. c.*18. aliàs 25. & 3. *parte Pastoralis, admonit.*15. & D. Basilius *in qq. compendio explicatis, q.*23. ait: *Omne verbum, quod non conducit ad propositam in Domino vtilitatem, vanum, & otiosum est* D. Bernard. *sermone de triplici custodia*: Verbum otiosum definit, quod nullam habet rationabilem causam. Et Origenes *homil. prima, in Psal.*38. ait: *Otiosus autem sermo est, qui neque boni, neque mali aliquid agit.* De hoc igitur, cùm dicat Christus reddendam rationem in die iudicij, sanè ad pœnam intelligit, vt notant Chrysostomus *homil.* 43. *in Matthæum*, Euthymius, & Theophylactus ad eum locum, Hieronymus *loc. cit.* & *epistola prima* circa finem, & *in cap.*4. *ad Ephes.* & refertur *d.*22. *q.*5. *cap. quoties.* Hilarius *canone* 12. *in Matth.* Irenæus *Lib.*4. *contra hæreses, c.*31. Beda, & Anselmus *ad eum locum Matth.* Ambrosius *Lib. primo, offic. c.*2. Tertullianus *Lib. de patientia, c.*4. Isidorus *Lib. de norma viuendi, cap.*6. Cæsarius *homil.*30. Petrus Damian. *serm.* 2. *de vitio linguæ.* 153

RESPONDET D. Bonau. *hic*, & *ad caput primum Sap.* ad ea verba: *Sermo obscurus*, idest otiosus, ex D. Hieronymo *ad caput* 12. *Matth.* quem sequuntur Vasq. *c.*6. Fauent. *n.*38. Mastrius *n.*330. & alij, otiosum verbum non esse illud, quod non est ordinatum in finem virtutis; sed quia omni caret vtilitate, dum tamen aliquam deberet habere, & inter tale otiosum, & meritorium, siue bonum, datur medium, quando aliquis facit aliquid, quod non est 154

est omnimoda vtilitate priuatum, nec tamen est ordinatum in Deum, tanquam in alietum finem; vnde non dicitur homo esse otiosus semper, cùm non laborat, sed quando non laborat, & deberet laborare. Vnde Sancti Patres exhortantur Monachos, qui in congressibus deberent spiritualia conferre, ne otiosè loquantur fabulas, aut inutilia verba; non tamen otiosa vocant ea, quæ ordinantur ad recreationem spiritus, & necessitates etiam leues naturæ subleuandas, vt deambulare,
155 &c. Omitto multos ex allegatis PP. verba otiosa vocare, quæ ad nullum bonum faciunt, sed tantùm ad malum, vt refert Vasquez *loco citato*.

Instat Serra, Actus, cùm sunt vtiles, esse bonos, non indifferentes. Respondetur esse bonos in genere naturæ, non moris.

Obicies tertiò cum Valentia, & aliis. Ratio data est homini, vt suis ille actionibus ad beatitudinem tendat; atque adeò operetur propter Deum perfruendum; sed cùm aliquis in agendo nullum finem bonum sibi præstituit, minimè id præstat: Ergo ratione abutitur, & ideò peccat. Maior probatur; nam hoc est, quod dicitur, Deum esse vltimum finem. Hoc vult Apostolus, prima Corinth. 10. *Omnia in gloriam Dei facite*. Huc spectat disputatio Augustini Lib. 1. de doctrina Christiana, c. 4. & sequenti, *Quòd oportet creaturis vti propter Deum*. Minor probatur: nam, qui nullum habet finem, otiosè operatur. Hoc argumentum sumptum ex oppositis argumentis D. Bonauenturæ, efficax putat Valentia. Confirmatur à D. Bonauent. sicut enim omne; quod non est à Deo, est malum; ita etiam omne, quod non est ad Deum; nam Deus itá est finis rerum, sicut est principium.
156 Respondet S. Bonauent. rationem, & voluntatem datam esse homini, vt non quiescat in creatura, tanquam vltimo fine, hoc enim est mortale, neque vt sistat in creatura ex inordinata affectione; neque vt negligat suos actus in Deum referre, cùm potest, & debet: non enim ad id semper obligatur, alioqui etiam à somno se abstinere ex parte deberet; sed vt proportionaliter ad suam infirmam naturam operetur, cui Deus compatitur, & itá non peccat faciendo opera supradicta ex aliquo naturæ adiuncto.
157 Ad confirmationem respondet S. Bonau. negando paritatem; nam ordinatio actionum in Deum, tanquam in principium, attenditur non solùm quātùm ad esse moris, sed etiam naturæ, & itá respicit esse: ordinatio verò ad Deum, tanquam ad finem, respicit benè esse, quamuis autem non sit medium inter ens, & non ens; est tamen inter benè esse, & malè esse moris, quia bonitas moralis non se extendit ad omnes actiones, sicut bonitas naturæ, cui adde fragilitatem non adeò seuerè coactam ad perpetua opera honesta, vt admonet S. Doct. qui *ad primum* apponit exemplum cuiusdam, qui, vt alium à mœrore excitaret, ridiculum quid egerat; ideò lepidè de hoc S. Bernardus *Otiosum* (ait) *factum, sed non otiosè*.
158 Dices. Indecens est, hominem ad beatitudinem creatum, tempus conterere, sicuti Caligula, qui muscas in cuniculo confodiens otiabatur: Hoc enim genus vitæ est brutorum, nos verò agere debemus iuxta regulas rationis.

Respondet S. Doctor, non esse indecens cessare aliquando ab operibus studiosis, quia naturæ fragilis sumus, & regulas rationis id permittere. Imperator verò ille reprehenditur, quia omittens negotia Imperij grauissima, diù otiabatur.

Obicies quartò. Omnis actio humana debet esse ob aliquem finem, ne more brutorum agamus. Deinde obiectum voluntatis est bonum, quod diuiditur in bonum Honestum, Vtile, & Delectabile; sed honestum, ac vtile est bonum; delectabile est malum: ergo non datur medium. Hoc argumento confidit Amicus, alia spernens.

Respondet S. Doct. delectabile moderatum, 159
vt bonum naturæ, posse appeti absque culpa; sic enim multa obiecta condita sunt, vt colores ad delectandum visum, musica auditum, &c.

Obicies quintò cum Hacqueto. Si hæc vera sunt, sequeretur, dari humanas actiones; de quibus Deus non haberet maiorem curam, quàm de vlulatibus Luporum.

Respondetur negando sequelam, quia actus hi indifferentes sunt moderatè ex prudentia exercendi, ne ad vitium declinent; & hoc sensu prouidendi à Deo, & in iudicio examinandi, vt ait Apostolus. Si enim excessus fiat, mali fiunt actus. Itaque non ait Apostolus actuum indifferentiam examinandam, vt sic; sed prout quisque gessit in corpore, siue bonum, siue malum.

Deinde etiam Hacquetus cum aliis concedunt, 160
dari actus indifferentes ex ignorantia.

Obicies sextò cum Caietano. Sequeretur ex actibus indifferentibus gigni habitus indifferentes, contra Aristotelem, *cap. de Qualitate*.

Respondetur, teneri etiam Thomistas, hoc 161
argumentum soluere, qui concedunt, actus indifferentes, quoad intrinseca; sed reddi bonos, vel malos per additas circumstantias, nam habitus producitur ab actibus, ratione eorum substantiæ, vt notant Suarez, & Arriaga. Concedo igitur, tales habitus gigni, v.g. mulcendi barbā, scalpendi caput. Ideò videmus, aliquos vix posse ab his abstinere. Aristoteles verò, vt Philosophus grauis, locutus est de habitibus grauibus, non de leuibus, qui non ad difficultatem specialem vincēdum conducunt, sed quia ad ea non omninò sumus habiles, & ex naturæ fragilitate acquiruntur, aut contrahuntur.

Obicies septimò cum Morisano. Voluntas in omni actu vel attendit quid ratio dictet, & benè agit; vel non attendit, & sic malè agit. Ratio enim omnibus actibus præscribit mensuram.

Respondet Mastrius *n.* 340. teneri etiam aduersarios argumentum hoc soluere; quia concedunt actus indifferentes in specie.

Sed respondebunt, non teneri: quia ratio dictat, 162
eos actus dirigi ad finē; & itá semper sunt boni, nec sunt voliti, nisi secundùm quod completi ad finem.

Respondetur igitur, rationem dictare, vt non fiant cum excessu: cæterùm, si fiant moderatè, non dictantur illi actus à ratione, vt boni, sed permittuntur naturæ fragili, vt indifferentes.

Obicies octauò cum Pallauicino: Agere sine respectu ad vltimum finem, est aliquis contemptus finis vltimi; qui meretur & exigit, vt ad eum cuncta ordinentur.

Respondet S. Doct. quem sequitur Scotus, non 163
exigi tanto rigore à Deo actus nostros, vt in eum referantur; sed miseriæ nostræ compatiendo contentum esse, vt dixi suprà, ne auertamur à fine vltimo, aut nimium delectemur in creaturis.

Obiciunt etiam D. August. *Lib. 2. de pecc. merit. c.* 18. dicētem: *Mirum, si voluntas possit in medio consistere; vt nec mala sit, nec bona*. Hoc testimonio conuictus Vasq. fatetur, D. Aug. nobis contrarium.

Sed hoc non est ad rem, vt vidêre Arriaga, Ouiedo, Mastrius, & alij; non enim de volitione loqui

loquitur, sed de voluntate, potentia. Quare vult, dari medium inter Voluntatem bonam, & malam, vt potentia est, seu in habitu, dum adhuc non actu vult. Ideò voluntatem, dum magis diligit iustitiam, magis esse bonam, ait; sin minùs, minus bonam: actus verò non est qui diligit; sed quo diligit ipsa voluntas.

Aliqui addunt etiam epistolam 19. D. Augustini; sed ibi solùm vult, actus in præcepto vel esse bonos, vel malos, & admittit cæremonias antiquæ legis, aliquando nec bonas, nec malas.

APPONIT Bassæus *v. Actus Hum.* 4. *n.* 4. *lib.* 4. contra Iulianum *c.* 3. quo territus stat pendulus. Sed ibi S. Pater solùm ingerit, Paganos conspurcasse actus virtutum finibus deuiis à gloria, &c. at nunquam intendit negare, aliquem actum in eis, indifferentem dari potuisse; neque Vasquez id ostendit *disp.* 190. vt promittit; imò ipse Vasquez torquebitur hoc loco, vt ostendam *Tract.* 5. *d.* 1. *n.* 204.

DISPVTATIO XV.

De Bonitate, & Malitia Actus Interni.

QVÆSTIO I.

An, & quomodo* BONITAS *actus eliciti Voluntatis pendeat ab obiecto.

< D.Thom. q.19. art.1.

1 QVOAD primum, iam ostensum est disputatione præcedenti, vbi, bonitatem actus humani ab obiecto speciem sumere ostendi. Quia, cùm actus interior constituatur ab obiecto in determinata specie virtutis, & vitij; sequitur, ab ipso sumere suam bonitatem, & malitiam. De quo satis cum D. Bonau. *disp. præcedenti, quæst.* 4. D. Tho. *ibi, & hic*, quos sequuntur cæteri, vt videbis apud Suarez *de bonitate actus interni, disp.* 4. *sect.* 1. Salam *Tract.* 7. *disp.* 2. *sect.* 2. Ouied. *tract.* 4. *controu.* 2. 1. *p.* Vasquez, ad hunc articulum, Valentiam *ibi*, Morandum *Tract.* 2. *quæst.* 24.

MAGNA verò est quæstio, quale voluntarium requiratur in actu, vt specificam bonitatem, & malitiam ex obiecto desumat.

2 QVOAD malitiam, omnes conueniunt, non requiri, vt malitia sit directè volita, & intenta, sed sufficere; aduertere aliquo modo, actum esse malum, vnde sat est voluntarium indirectum, etiam ex ignorantia vincibili; vt ostendi *disputatione* de VOLVNTARIO.

TOTA controuersia est de Bonitate: Quomodo debeat esse volita, vt actus sumat bonitatem ab obiecto: In quo tres inuenio sententias.

PRIMA docet, sufficere virtuale, & interpretatiuum dumtaxat voluntarium de ipsa honestate. Ità videtur sentire Medina *p.* 2. *quæst.* 18. *art.* 1. *conclus.* 5. & *quæst.* 19. *art.* 3. vbi docet, ad actum misericordiæ satis esse, vt in actu exercito feratur in obiectum rationi conforme; esto illud obiectum in actu signato non intendat. Hoc ipsum expressiùs docuit Hacquetus, *tract. de bonitate, & malitia humanorum actuum, controu.* 17. Bassæus *v. Act. Hum.* 4. *num.* 9. adducens Aristotelem, & D. Thomam.

3 SECVNDA sententia, extrema, docet, non solùm non sufficere ad id voluntarium indirectum, sed neque satis esse quodcumque directum, & expressum de ipsa obiecti honestate; verùm requiri, vt sit formale, & propter seipsum, ita vt bonitas obiecti, vel circumstantiæ appetatur tanquam obiectum formale, & motiuum, & ratio formalis appetendi. Ità Vasquez *disp.* 51. *sect.* 3. & *disp.* 73. *cap.* 7. Suarez *disp.* 6. *sect.* 3. Amicus *disp.* 14. *sect.* 2. Auersa *quæst.* 18. *sect.* 4. Ouiedo *tract.* 4. *controu.* 3. *p.* 2. Tanner. *disp.* 3. *quæst.* 2. *dub.* 3. Coninch. *disput.* 3. *dub.* 4. & alij Recentiores passim, allegantes Aristotelem 2. *Eth. cap.* 4. & eius traductores, Bernardum Fœlicianum, Argyrophylum, D. Thomam *ibi*, Ocham *in* 3. *quæst.* 125. *art.* 2. *dub.* 3. Martinum de Magistris *tract. de temper. quæst.* 1. Almainum *in* 3. *dist.* 23. *quæst.* 1. tandem D. Thom. *prima secunda, quæst.* 19. *art.* 7. *ad tertium.*

4 TERTIA sententia media fatetur quidem, satis non esse ad actum moraliter bonum, vt sit indirectè volitum; sed necessariam esse directè honestatem obiecti; negat tamen, debere respicere semper honestatem propter seipsam, & tanquam obiectum motiuum, seu rationem formalem appetendi. Ità Salas *tract.* 7. *disp.* 2. *sect.* 3. Montesin. *disp.* 47. *quæst.* 5. Lorca *disp.* 24. Cornexo *tract.* 7. *disp.* 5. *dub.* 1. Arriaga *disp.* 15. *sect.* 5. Aluarez *disp.* 87. *numero* 14. Caspensis *disp.* 1. *sect.* 6. Pasqualigo *disp.* 21 *sect.* 3. Morandus *tract.* 2. *quæst.* 24. Mastrius *Tom.* 2. *disp.* 5. *quæst.* 4. *art.* 3.

5 HÆC sententia adscribitur D. Thomæ *prima secunda, quæst.* 123. *art.* 8. *ad* 2. vbi ait; Martyrium, propter amorem Dei toleratum, esse substantialiter actum fortitudinis, ab ea elicitum; ab habitu verò charitatis imperatum. Hoc ità deducit Caspensis: Ergo actus fortitudinis, etiam non propter honestatem eius, sed ex charitate, habet honestatem adhuc fortitudinis. Hoc verò idem discurrit S. Bonau. *in Apologia pauperum, responsionis secunda cap.* 1. vbi, Martyrium esse actum fortitudinis, ait, sed à charitate imperatum. Idem docet *ad* 6. *Lucæ* in ea verba: *Gaudete in illa die, & exultate, &c.* & *Lib.* 5. *Compend. Theologiæ, cap.* 33. exponens id Cant. 8. *Fortis est vt mors dilectio*: vbi fortitudini adscribit imperatæ à charitate, mortem subire pro Christo, & alia perpeti. Præclarè verò id docet, & solidissimè probat, *locis allegandis.*

ASSERO cum hac sententia, ad actum moraliter bonum necessarium esse, honestatem obiecti esse directè volitam: non tamen semper propter semetipsam.

6 PROBATVR à D. Bonauent. primò *loc. cit. Compendij, illo Heb.* 11. vbi describitur magnanimitas, & fortitudo Moysis, imperatæ à fide. Clariùs *primo Machab.* 5. dicitur: Vir fortissimus Iudas, quia pugnauit pro religione, & Deo. Et *Prouerb.* 31. Mulier fortis dicitur, quæ pericula subiit ex motiuo religionis, & pietatis: & 2. *Machab.* 6. Eleazarus dicitur, elegisse fortiter mori pro patriis legibus, nempè ex motiuo Religionis, exemplum virtutis, & fortitudinis posteris relinquens. Et alia huiusmodi ex Scripturis affert testimonia.

ALIA affert S. Doct: in Diæta *tit.* 5. *cap.* 5. Iosue primo: *Esto robustus valdè, vt custodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses*; Vbi, fortitudinis honestate decorum Iosue vocat; eò quòd subierit pericula mortis in bellis, vt legem Domini,

mini, & fidem conseruaret, imperante Religione fortia facta.

7 Probatvr secundò à D.Bonauent. *Lib. 2. Pharetra, cap. 31. & sequentibus*, vbi Virtuti Fortitudinis adscribere recensentur Sancti Patres opera ab aliis virtutibus imperata. S.Gregorius, Lib. 7. Moral. *Iustorum fortitudo est, carnem vincere, propriis voluptatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere, huius vita aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, aduersitatis metum corde superare.* Et Lib. 4. c. 30. *Qui in auctoris sui amore roborantur, quo magis in concupita Dei fortitudine conualescunt, eò à propria virtute deficiunt; & quò robustiùs æterna appetunt, eò fortiùs à temporalibus salubri defectione lassantur:* Et Lib. 5. cap. 13. *Tantò vnusquisque ad fortitudinem proficisci veriùs demonstratur, quantò aliena mala æquanimiùs tolerat.*

8 S. Ambrosivs, Lib. 1. de offic. cap. 36. *Est fortis, qui se in dolore aliquo consolatur, & reuera, iure ea fortitudo vocatur, cùm vnusquisque seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, atque inflectitur*, &c. & cap. 39. *Fortitudo inuicta est ad labores, fortis ad pericula, rigidior aduersus voluptates, dura aduersus illecebras; pecuniam negligit, auaritiam fugat, tanquam labem quandam, quæ virtutem effœminet.*

Cap. 32. attribuunt Patres Constantiæ, quæ est species fortitudinis, actus à charitate imperatos: S. Gregorius *lib. 14. Moral. Iusti viri securitas rectè Leoni comparatur, quia cùm contra se quoslibet insurgere conspicit, ad mentis suæ constantiam redit; & scit, quia cunctos aduersantes superat, quia illum solum diligit, quem inuitus nullo modo amittit.*

9 Cap. 33. Idem asserunt de Patientia: Diuus Gregorius, *homil. 17. & 20.* In Ezech. *Patientia vera est, quæ etiam ipsum amat, quem portat;* & *homil. 35.* similia habet, & *cap. 34.* idem de actibus Perseuerantiæ, à spe imperatis. Quid plura? Tota ferè Pharetra his, & similibus authoritatibus plena est, vt virtutis imperatæ actus eidem adscribantur; quo fit, vt non sit necesse virtutis actum elicere ob eiusdem motiuum.

10 Et verò, vt omnes clamant, asperum esset nimis ad honestè operandum semper requirere, vt propter illam ipsam honestas appetatur; sic enim innumeri virtutum actus euanescerent, cum pauci admodum, non modò non reflectant super suam intentionem, sed virtutum plurimos actus ob aliam virtutem eliciant.

Argvmenta in contrarium solùm redarguunt primam sententiam: Sic enim Aristoteles 2. *Eth. cap. 4.* requirit, vt qui rectè agit, agat, *sciens, & eligens*, & propter ipsa eligens, idest ob honestatem virtutis, intendens honestatem illam *sciens, & volens.* Et hoc sensu locuti sunt PP. adducti ab Amico, dicentes, operis honestatem ab intentione procedere.

11 Secvndo, si non est necesse, vt eliciatur actus ob honestatem; iam non erit differentia ab eius actu malo, ad quem sufficit voluntas interpretatiua.

Tertio. Ex Tannero actus virtutis dirigitur à prudentia, quæ respicit honestum; vt tale est. Confirmatur ex Auersa; alioqui si ob solam iucunditatem virtutis moueare, non moueberis ad obiectum virtutis: certum est autem, quòd si non mouearis ab honesto, moueberis à delectabili.

Obiicies cum Ouiedo. Actus, quibus quis amat abstinentiam, vt det suum panem pauperi, non generant habitum abstinentiæ; sed misericordiæ: Ergo sunt actus huius, non abstinentiæ.

Respondetvr, negando antecedens: acquirit enim etiam habitum abstinentiæ. Sicut qui castè viuit, vt Deo placeat, acquirit etiam castitatis habitum, vt notat Mastrius *num. 202.*

Obiicies cum Hacqueto. Si circumstantiæ obiecti deberent esse volitæ, spectarent ad substantiam obiecti.

Respondetur, spectare ad obiectum secundariò, & obiectiuè, ac terminatiuè. 13

Ex dictis facilè soluitur ea quæstio: An electio accipiat bonitatem, & malitiam etiam à medio. Et quidem, quoad malitiam, omnes asserunt. Sic eligere furtum, ad eleemosynam, è solo medio, est malum: & furari propter luxuriam, duas dicit malitias, specie diuersas. Ratio est, quia electio respicit essentialiter medium: ergo ab illo, si malum sit, malitiam accipit; quia malum est ex quocumque defectu. Tota ergo difficultas est de bonitate.

Prima opinio negat, actum electionis sumere bonitatem ex medio, quamuis in genere suo honesto, & bono. Ità Vasquez *disp. 51. cap. 3.* & alij apud illum, vt Ocham *3. quæst. 12. art. 2. disp. 3.* Martinus de Magistris *Tract. de temperantia, cap. 1.* Almainus *3. dist. 33. quæst. 1.* Ferrar. *3. contra Gentes, cap. 138.*

Secvnda sententia est, quòd si appetatur medium præcisè, vt vtile ad alium finem, non spectata, & intenta extrinseca bonitate ipsius medij; talis actus non sumit bonitate à medio, sed tantùm à fine: Ratio est, quia, vt actus sit bonus in aliqua specie, debet attingi formaliter honestas obiecti, ita vt hæc sit ratio motiua, & per se intenta: Si ergo quis eligat medium, in se quidem honestum, non tamen, eò quòd in se honestum est; sed tantùm, quia vtile ad alium finem honestum; hic actus non habebit speciem honestatis ex medio, sed tantùm ex fine. Si verò quis appeteret medium, non solùm, eò quòd vtile est ad alium finem, sed simul etiam, eò quòd etiam in se honestum est; tunc actus electionis ex se habet honestatem etiam ex medio. Ratio eorum est deducta è D.Bonauent. *in 2. dist. 40. quæst. 1.* & *dist. 38. dub. 4. litt.* quia voluntas potest amare certum obiectum, ob plures rationes bonitatis in eo inuentas, vnam absolutam; alteram relatiuam ad finem, & sic potest quis induci ad ieiunandum, tum ob honestatem ieiunij in se, tum ob vtilitatem ad tuendam castitatem. Ità Coninch. *Lib. 1. de virtutibus, disp. 3. dub. 9.* Curiel *quæst. 18. art. 6. dub. 1.* Amicus *disput. 14. sect. 12.* Auersa *quæst. 18. sect. 10.* Becanus *tract. 1. cap. 4. quæst. 4.* Suarez *tract. 3. disp. 6. sect. 3.* Lezana *tract. 2. disp. 8. quæst. 8.* Salmaticenses, Montesinus, Aluarez, & alij apud Mastrium *disp. 5. quæst. 4. numero 226.* 14 15

Et quidem hic modus operandi frequens est in vsu humanorum actuum, sic enim actus virtutum omnium imperantur sæpè à Charitate, Religione, & Obedientia: Alioqui verò actus vnius virtutis nunquam esset imperatus ab alia; neque tunc medium habet rationem finis, vt malè fingit Mastrius *numero 228.* dum enim ego assumo Martyrium ad charitatem ostendendam, jam Martyrium, seu actus ille Fortitudinis, imperatus à charitate, est nudum medium; nam etsi habeat seorsim suam bonitatem fortitudinis obiectiuam; tamen adhuc non habet rationem finis, cum ad eum nulla media ordinentur, 16

sed

sed ipse potiùs assumatur, vt bona ad finem sanè meliorem; atque adeò potest in eo duplex amabilitas distingui.

17 Cæterum in medio stans, iuxta supradicta, Medium habet bonitatem, etiamsi non sit ratio motiua, sed ametur propter aliam honestatem. Quod si Medium honestum ametur ob finem indifferentem, puta iusta mercatura propter lucrum; existimat Mastrius *numero* 202. & 231. satis esse ad virtutem; Arriaga verò, tametsi id probabile iudicet; æstimat tamen probabilius, bonum medium appeti debere propter honestum finem. Eum vide *disp.* 15. *numero.* 36. Sic enim hæc honestas (*ait*) ad finem indifferentem, erit indifferens.

QVÆSTIO II.

Vtrum Bonitas, *&* Malitia *actus interni pendeat à solo obiecto.*

18 Resolvit D. Thomas, huius actus bonitatem & malitiam ex obiecto solo pendêre.

Quoniam verò S. Doctor, *quæst.* 18. *art.* 3. *&* 4. docuerat, bonitatem, & malitiam sumi etiam è circumstantiis, ne secum pugnare videatur; aduertunt Valentia *disp.* 2. *quæst.* 14. *p.* 2. Vasquez *disp.* 57. *cap.* 2. actum interiorem, in hoc, ab exteriori distingui, quod interior absorbet non modò materiam, sed etiam circumstantias ad rationem obiecti: nam omnia sunt volita; actus verò exterior solam materiam habet pro obiecto. Igitur, quando D. Thom. docet, à solo obiecto sumi bonitatem, vel malitiam; intendit includere etiam circumstantias, quia sunt obiectum volitum. Idem habet Tannerus, *disp.* 2. *quæst.* 5. *dubio.* 7.

19 Hæc tamen resolutio (pace horum sapientum) videtur ludicra. Et quidem in Valentia clariùs apparet, qui ità punctum instituit: *Vtrum bonitas, & malitia pendeat etiam è circumstantiis, an à solo obiecto.* Similiter Vasquez, vt hoc resoluat, disputationem instituit: *Vtrum actus Voluntatis habeant aliquas circumstantias; an verò omnes, comparata cum actu interiori, induant rationem obiecti.*

Quæ igitur solutio est dicere, à solo obiecto sumi; quia etiam circumstantiæ induunt rationem obiecti actus interioris? Id sanè debuit esse prius suppositum, cum oppositum sit. Quod enim prolixè docet Vasquez, in actu interiori esse aliquod genus circumstantiæ, quod non est obiectum volitum, vt dignitatem personæ; nam grauiùs peccat homo, qui plura accepit à Deo beneficia, & eum contemnit, quàm qui minora. Similiter cir-
20 cumstantiam. *Quomodo*, quæ neque volita est, neque nouam inducit speciem, euidenter ostendit, non posse reduci ad circumstantias, vt manent cum obiecto inuolutæ. Quòd verò dicit Valentia, hanc resolutionem indicari à D. Thom. *ad tertium*; falsum est, vt patet legenti: solùm enim dicit, ignorationem circumstantiarum excusare, secundùm quod se tenent ex parte voliti, quatenùs ignorat circumstantias actus, quem vult: neque tamen ob id resoluit, etiam circumstantias esse obiectum; sed spectare ad obiectum, volitum tanquam circumstantias, vt patet.

Satiùs Ergo foret respondere indefinitè, aliquam bonitatem, & malitiam sumi ex obiecto solo.

21 Ex his habes, eligentem malum obiectum, ob malum finem, *verbi gratia*, furtum, ob fornicationem, habere duplicem malitiam, furti scilicet, & fornicationis. In quo casu actus, qui est finis alterius, est etiam magis volitus; sic dicitur: Qui furatur, vt adulteret, est magis intemperans, quàm fur; nam adulterium se haber, vt imperans furtum. Ideò, &c. potior est enim actio imperans, quàm imperata. Secundò probatur: *Propter quod vnum quodque tale, & illud magis.* ex primo post. cap. 2. Sed propter adulterium est furtum: Ergo.

Habes etiam è regione, eligentem obiectum bonum, ob aliud bonum, duplicem habere bonitatem: est enim ibi duplex conuenientia cum ratione.

QVÆSTIO III.

Vtrum Bonitas Volvntatis *in iis, quæ sunt ad Finem, pendeat ex Intentione Finis: & bonitas intentionis, ex bonitate electionis.*

D. Bon. d. 40. q. 1 art. 1.
D. Thom. q. 19. art. 7.

Extra controuersiam est, electionem medio- 22
rum ad finem esse malam, quæ ex mala intentione oritur, tunc enim mala intentio finis est causa electionis, vnde transfundit malitiam; vt si quis ieiunet ad ostentationis finem. An verò etiam intentio, quæ aliàs esset bona, reddatur mala ex praua electione; vt si quis velit dare eleemosynam, & ad hunc finem eligat furari rem alienam; Quæritur: An intentio erogandi eleemosynam pauperi reddatur mala ex praua electione furti.

Almainvs *Tract.* 3. *Moral. cap.* 18. *ad* 2. quem 23
sequuntur aliqui recentiores Thomistæ *hic*, docet, dupliciter posse contingere intentionem finis. Primò, ità, vt ex illa necessariò oriatur electio, quia est vnicum tantùm medium, quod supposita intentione efficaci finis non potest non assumi; & tunc, aiunt, intentionem, aliàs bonam, reddi malam, praua electione vnici medij; vt si quis haberet intentionem dandi eleemosynam, & ad hoc nullum aliud esset medium, quàm furari. Secundò potest esse, vt talis electio non necessariò sequatur; quia sunt plura media, ex quibus aliqua sunt bona; alia mala; & tunc aiunt, intentionem non reddi malam ex praua electione.

Melivs sentit Seraphicus *in* 2. *dist.* 40. *quæst.* 1. 24
quem sequuntur Richardus *ibidem, quæst.* 1. Gabriel *quæst.* 1. *art.* 1. *notab.* 2. & *art.* 2. *concl.* 13. Vasquez *disput.* 58. Tanner. *disp.* 2. *quæst.* 5. *dub.* 7. qui, præmissa quadam distinctione, meliùs philosophantur. Aiunt itaque, intentionem dupliciter posse accidere. Primò, quatenùs est voluntas circa finem, absolutè consideratum, absque respectu ad media, quæ potiùs dicenda est voluntas, quàm intentio. Secundò, quatenùs potest versari circa finem cum ordine ad media. Si de priori loquamur; dicunt, intentionem ex solo fine reddi malam, non autem ex mediis: si posteriori modo, asserunt reddi intentionem malam ex mediis, quæ, aliàs, ex solo fine bona esset, quam sententiam memorat Magister *in* 2. *dist.* 40. *cap. vltimo.* Ratio est; quia media se habent in primo casu impertinenter; in secundo verò casu se habent vt circumstantia QVOMODO, & vt causa finis.

Dico

25 Dvo tamen obseruat Vasquez: Alterum est, voluntatem finis, absolutè sumpti, esse bonam in fine, & non reddi vnquam malam ex medio, etiam postquam procediiur ad electionem mali medij; cùm enim posteà vult mala media ad finem primum, iam est noua voluntas, non autem prima. Alterum est, intentionem finis cum ordine ad media tribus modis accidere. Primò, vt media confusè respiciat, & illa voluntas, si aliàs bona est, non fit mala ex posteriori illa consideratione mediorum confusa, quæ non respiciat bona, vel mala media determinatè. Secundò potest intentio circa finem esse cum respectu ad medium malum, etiamsi voluntas non processerit ad electionem. Et hoc modo iam erit mala intentio propter ordinem ad malum finem, hoc autem accidit, quando quis vult consequi finem, si opus fuerit, per malum medium. Tertiò denique, quando intentio actu coniuncta est cum praua electione alicuius mali medij, tunc etiam redditur mala intentio, quæ aliàs esset bona, è solo fine, vt si Rex velit inferre iustum bellum, sed vult sibi eligere in auxilium ea, quæ non licent.

26 Assero intentionem effici malam ex mala electione, modo dicto.

Probatvr à D. Bonauent. primò *in argumentis* ex Hugone de S. Vict. Voluntas, amans aliquid, in illud conuertitur: Ergo si voluntas velit malum, etiam ad finem bonum, erit mala.

Probatvr secundò; quia ex Aristotele, aliqua sunt, quæ semper intrinsecè coniuncta sunt malo: Ergo neque ad bonum finem assumpta, erunt bona; sed potiùs intentio fiet praua, ex malo medio assumpta.

27 Probatvr tertiò, *in corpore*, ex D. Bernardo *Lib. de dispensatione, & præcepto, cap.* 17. vbi ait, Vt rectus sit oculus intentionis, duo esse necessaria: *Alterum est, charitas in intentione*, (nomine charitatis intelligit propositum virtutis:) *Alterum est veritas in electione*, idest, vt nihil contra rationem ex illa intentione eligatur. Hac authoritate sola satis niti sententiam nostram, credit Vasquez *cap.* 1.

28 Ex hac authoritate elicitur ratio à D. Bonauent. *in corp.* quam habet Caspensis *Tract.* 10. *d.* 3. *sect.* 4. quia illa est mala ordinatio mediorum, quæ à fine prouenit, tanquam à causa, cùm finis sit vera causa prauæ electionis: ergo infectionem secum trahit.

Obiicies primò, *Matth.* 7. dicitur: *Omnis arbor bona bonos fructus facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere: nec arbor mala bonos fructus facere*; vbi per arborem intelligit bonam intentionem; per fructus verò, electionem, & opus ortum ex intentione: Ergo bona intentio non potest esse causa mali operis, & malæ electionis. Ità videtur exponi ab Authore *Imperfecti operis, homil.* 19. *in Matthæum.*

29 Respondet Caietanus ad eum locum ex D. Bonauent. *hic, ad argumenta*, per arborem bonam, intelligi bonam voluntatem, quæ non potest mala effici, vt bona est; ad hoc autem, vt sit bona, requiritur non modò vt intendat bonum, sed etiam, vt rectâ viâ, & mediis bonis tendat in illud; alioqui erit inordinata, & mala, cui deest recta ordinatio. Ità hunc locum intellexit etiam D. August. *in Enchir. cap.* 15. & *Lib.* 3. *contra Julianum, cap.* 3.

30 & *Lib.* 2. *de nuptiis, & concupiscentia, cap.* 26. Itaque sensus iste non comparat intentionem cum electione; quasi intentio boni finis non possit esse causa prauæ electionis; sed comparat voluntatem interiorem, quæ est radix, & origo operis exterioris, cum ipso opere, vt sensus sit, non posse ex voluntate, quæ mala est, eò quòd ei desit vel bonus finis, vel rectitudo viæ ad eum consequendum, oriri bonum fructum operis. Eodem modo explicatum est à S. Bonau. *Tom.* 7. *in Opusculo*, cui titulus *Speculum animæ*, initio.

Respondetvr secundò, per arborem intelligi hominem, de quo dicitur: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos*, siue quia homo malus, vt malus est, non potest, &c. vt exponunt Chrysostomus *homil.* 24. *in Matth.* Hieronymus, & Euthymius *ad eum locum.* D. Augustinus *contra Adimantum, cp.* 26. Siue, quia homo malus, idest cum mala radice cupiditatis, non potest ex se bonos fructus edere, vt exponit D. Augustinus *Lib.* 1. *de gratia Christi, contra Pelagianos, cap.* 18. & 19. & *Lib.* 3. *cont. litteras Petilian. cap.* 44. siue, quia difficile hoc est, vt homo malus bonos efficiat fructus, vt exponit Abulensis *in cap.* 7. *Matth. quæst.* 29. Titelmanus *ad eum locum Matthæi*, Iansen. *cap.* 43. *concordiæ*, Vasquez *sub numero* 11. qui aliam magis laudat Titelmani expositionem, Christum loqui de bono, & malo Magistro doctrinæ, idest è bono Magistro non posse egredi malam doctrinam. 31

Obiicies secundò, *Lucæ* 6. & *Matth.* 6. habetur: *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus simplex fuerit: totum corpus tuum lucidum erit*, vbi per oculum intelligit intentionem; per corpus verò, opus ex intentione profectum, vt docet D. Augustinus *Tom.* 4. *Lib.* 2. *de sermone Domini in monte.* Itaque non potest bona intentio, ex praua electione, reddi mala. 32

Respondet Vasquez *sub numero* 14. ex D. Bonauent. *hic*, & *in* 2. *dist.* 38. *quæst.* 1. verè per oculum mentis intelligi bonam intentionem, vt exponit D. Augustinus: per bonam autem intentionem, intelligit intentionem Deo placendi. Igitur vult dicere: Si nostra intentio sit recta, & sincera; opera etiam ex ea procedentia erunt bona; non quidem quæ aliàs ex se mala essent; sed quæ circa bonum obiectum versantur, & ex se bona sunt: aut certè, quæ aliàs mala non sunt, sed possunt, è fine bono, & malo fieri; nam cum recta intentione erunt bona. Loquebatur enim de operibus hypocritarum, quæ sunt bona, ex praua tamen intentione. Vt autem intentio sit bona, debet tendere in finem bonum, secundùm se, & in ratione finiendi; idest, vt non sit minus bonum, ad quod maius bonum ordinetur, & habeat rationem honesti ordinati ad vtile, seu ad media. Debet igitur esse ordinabile in ratione finis: Ad hanc autem ordinationem requiritur idoneitas ex parte ordinabilis, & actualis conuersio, ex parte voluntatis ordinantis; & cùm ista concurrunt, tunc voluntas bona, ex bono fine iudicatur. Cùm autem bonum aliquid deficit, bonitas finis non sufficit ad bonitatem voluntatis, vt poiè, si sit finis bonus in se, non tamen sufficit ad finiendum, vel ad complendum illud, quod fit propter ipsum; sicut manducatio, licèt sit bonum in se, non tamen habet rationem completam finis, respectu prædicationis. Similiter mendacium non est ordinabile ad bonum, cùm sit secundùm se malum; & ideò, quantumuis eligat mendacium, vt medium ad bonum finem; mendacium est malum, & illa ordinatio non saluat intentionem à malitia; sed deprauatur à medio. 33 34

Ideò

35. Ideò Author *Imperfecti oper. homil. 19. in Matth.* & Cassianus *Collat. 17. cap. 17.* vsque *ad 19.* falluntur dicentes, posse assumi mendacium ex bono fine, si grauis causa id postularet, quem errorem latè impugnat D. Augustinus *Lib. contra mendacium, ad Consentium*, præsertim *cap. 7.* vbi hunc errorem vocat hæresim. De hoc vide etiam Gratianum *dist. 22. quæst. 2.* Vnde Apostolus *Rom. 3.* damnat dicentes: *Faciamus mala, vt eueniant bona*, vt notat Vasquez *numero* 16. & D. Bonauent. *hic in resolutione.* Fatemur quidem opus, aliàs malum, fieri bonum, si mutentur ex fine aliquæ circumstantiæ; vt occisio hominis ad sui defensionem. Quod si
36 Cassianus, & Author Imperfecti operis, hoc sentirent, essent nobiscum; sed videntur velle, reddi posse ex solo fine opus bonum, quod ex se malum esset.

Deinde nota, etiam ex intentione finis boni, reddi opus bonum, quod aliàs malum esset, etiamsi maneant omnes circumstantiæ; tunc autem redditur bonum opus, ob ignorantiam, quæ nasci solet ex zelo virtutis, & hac ratione excusare possumus aliquos Patres veteres, vt Sampsonem ab homicidio sui, Iudith à mendacio, Moysen ab homicidio Ægyptij.

Obijcies tertiò D. Ambrosium *Lib. primo offic. cap. 3.* parum ab initio, vbi ait: *Neque illa est perfecta liberalitas, si iactantia causa magis, quàm misericordia largiaris: affectus tuus imponit nomen operi tuo*: Ergo opus malum, ex intentione bona redditur bonum.

37 Respondet Vasquez *sub numero* 17. ex D. Bonauent. *in corpore*, D. Ambrosium docere tantùm, non satis esse, obiectum esse bonum, nisi etiam ordinatio ad illud per intentionem, & electionem sit bona; nam intentio operi nomen imponit: nunquam autem voluit D. Ambrosius, manere intentione opus bonum, quod ex obiecto esset malum: aut intentionem manere bonam, etiamsi sit causa prauæ electionis.

Obijcies quartò cum prima sententia. Quando electio non sequitur necessariò ex intentione, quia plura adsunt media; aliqua bona, aliqua mala; electio non est circumstantia intentionis, sed è contra potiùs, cùm, præmissa intentione, liberum sit, hoc, aut illud medium eligere: Ergo ex praua electione non potest intentio, aliàs bona, effici mala; actio enim humana, non redditur mala, nisi aut ab obiecto, aut à circumstantia aliqua.

38 Respondetur ex D. Bonauent. electionem prauam, seu medium malum, esse circumstantiam intentionis, quæ circumstantia dicitur ordinatio ad finem, & reducitur ad QVOMODO, & ideò ex medio non minùs infici intentionem, & malam reddi, quàm electio reddatur ex intentione. Ità respondet etiam Vasquez *sub numero* 4.

Obijcies quintò. Sicut falsitas conclusionis non inficit veritatem principiorum; ità neque electio inficere potest intentionem.

39 Respondetur, negando paritatem, nam intentio finis respicit etiam medium vt circumstantiam; bonitas autem actionis humanæ integratur, non è solo obiecto, sed è cæteris etiam circumstantiis; At veritas principiorum solùm consistit in conuenientia conceptus, aut vocis cum obiecto ipso, quod enunciatur: obiectum autem propositionis, quæ dicitur principium, non est res, quæ enunciatur per conclusionem, sed per solum principium, & consequenter falsitas conclusionis non potest nocere veritati principiorum. Adde etiam, quod ex principiis veris non sequitur falsum per bonam consequentiam, sed per malam; tunc autem non colligitur ex principiis, neque potest dici consequentia eorum: Reliqua argumenta vide in Seraphico egregiè soluta.

QVÆSTIO IV.

An BONA INTENTIO *tollat, vel saltem minuat prauitatem operationis.*

{ D. Bonauent. dist. 38. quæst. 1.

ASSERVNT authores grauissimi bonitatem 40
intentionis omninò malitiam tollere. Sic Eustrat. *primo Eth. cap. 1.* Cassianus *Collat. 7. cap. 7.* Idem videtur sentire Chrysostomus *ad Galat. 2.* Quod probat illo Matth. *6. Si oculus tuus simplex fuerit, &c.* vbi per oculum designatur intentio.

Hoc tamen falsum est, vt habetur *Cap. super vsuris*, vbi ait, quod Sacra Scriptura prohibet mentiri, etiam pro saluanda vita. Idem habetur *cap. Primum, & cap. Ne quis, 22. quæst. 2.* Hoc idem constat è Scripturis; nam *primo Regum* Saul Rex reprehensus fuit; eò quòd spolia quædam contra Dei præceptum ex Amalech seruauit ob finem rectum, Deo illa offerendi. Et Paulus *Rom. 3.* regulam dat vniuersalem: *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona.*

Probatvr ratione, quia bonitas moralis con- 41
surgit ex integritate omnium, quæ ad actionem humanam requiruntur; sed existente vna circumstantia, notabiliter mala, actus caret huiusmodi integritate. His, aliisque mediis vtuntur omnes cum D. Bonauent. *dist. 38. quæst. 1.*

Ad illud Matthæi, dico cum D. Bonauent. bonam intentionem satis esse, si res sit ex se ad bonum ordinabilis. Ità etiam Mastrius *disput. 5. numero* 250.

An verò bona intentio minuat malitiam, negarunt nonnulli apud Almainum *Tractat. 1. Moral. cap. 12.*

Assertiva tamen Sententia est omnium Theologorum. Ità D. Bonauent. *loco citato, & dist. 40. quæst. 1.* & cæteri apud Vasquez, *disput. 59.* Tanner. *disp. 2. quæst. 5. dub. 7.* Mastrium *disput. 5. quæst. 4, numero* 249.

Assero cum hac sententia, bonam finis intentionem minuere actus malitiam.

Mvlti varias afferunt rationes, sed imbecilles, 42
vt refert Arriaga *disp. 15. sect. 6.* Sicut Vasquez, qui argumenta è Seraphico nulla haberi putat, cùm tamen ex ipso validissima eruantur.

Probatvr ergo primò ratione ex D. Bonauent. *dist. 38. loco citato.* Quantum alicui operi adest bonitatis, tantum deest malitiæ; sed actioni malæ, factæ ex bona intentione, plus adest bonitatis, quàm operi facto ex mala intentione: Ergo tantum abest malitiæ, & consequenter plùs meretur veniam. Maior est euidens: nam quantum crescit de forma, tantum de priuatione tollitur, & è contra: & quantum crescit contrarium, tantum alterum minuitur. Minor probatur: Ad bonitatem operis 43
confert non modò, vt obiectum sit bonum, sed etiam vt ritè ad bonum finem ordinetur: Ergo minus erit malum, si desit altera conditio, quàm si ambæ

ambæ deficiant. Sic meliùs erit, si sit dictum verum, ordinatum ad subleuandum insontem, quàm si sit mendacium. Et è contra. erit minus malum, si sit mendacium directum ad subleuandum, quàm si ad opprimendum insontem. Hinc D. Augustinus *Lib. contra mendacium ad Consentium, cap.* 8. ait; peiorem esse eum, qui concupiscendo, quàm qui miserendo furatur; qui autem furatur, vt det pauperi, miserando furatur. Similiter stuprum, ex luxuria, est maius, quàm ex fine succurrendi parentibus egentibus.

44 RESPONDET Mastrius *numero* 251. hanc rationem probare solùm, electionem ex bono fine esse minùs malam extensiuè, quia circa pauciora mala versatur; quàm si ex malo quoque fine procederet, quo sensu, furans ad luxuriam, magis peccat, quàm furans ad dandam eleemosynam; quia hic finis addit nouam malitiam in alio genere; At quæstio hæc est de diminutione intensionis malitiæ.

At argumentum probat, minui etiam malitiam intensiuam, ratione obiecti, super quod bona cadit intentio, apprehendens malitiam, vt bonum vtile ad honestatem, vt fatetur Mastrius cum D. Bonauent. *dist.* 38. *quæst.* 1, apprehenditur enim malitia, vt ordinabilis ad bonum, vt cum Seraphico loquar.

45 CONFIRMATVR argumento D.Bonauent. *distinct.* 40. *quæst.* 1. *argumento vltimo, primo loco,* sumpto à contrariis. Si enim quis committat veniale, intendens lethaliter Deum offendere, lethaliter peccat, augens intensiuè malitiam: Ergo qui bona intentione opus mortale facit, minuit intensionem malitiæ.

RESPONDET Vasquez *numero* 7. peccata non esse leuiora, secundùm Augustinum, ex bonitate finis, vt eò sint leuiora, quò honestior est finis; sed quia peccata, hoc ipso quod gratia alterius finis, non gratia sui, appetuntur, minùs voluntaria sunt, & ideò leuiora; & hanc ait esse optimam rationem huius assertionis, quam etiam Tannerus sequitur. Addit Vasquez, sæpè intentionem, causam esse ignorantiæ culpabilis, ratione cuius, opus factum ex tali fine sit minus malum, quàm si fieret ex alio fine, qui non est causa talis ignorationis: & quia, quò maior est honestas finis, maior potest esse ignorantia operis, quod fit propter illud; ideò contingere potest, vt quò melior sit finis, opus factum propter ipsum, sit minus malum, quia mi-
46 nus voluntarium, ob maiorem ignorantiam. Ratio verò talis ignorantiæ est facilis; quia simplices possunt putare, aliquod malum, esse bonum, ob finem rectum, ac proinde eò magis ignorant peccatum, quò melior est finis. Hinc soluitur argumentum primæ sententiæ, quod est tale. Si ex bono fine minuitur malitia: Ergo ex meliori magis minuitur: Ergo ex optimo fine adimitur penitùs. Ruit autem hoc argumentum; quia, licèt peccatum ex bono fine sit minùs graue, quàm si fieret propter seipsum, tamen non semper redditur minùs graue, quò fuerit melior finis; & ita ex optimo fine non sequitur totam malitiam extingui, nisi ex tali fine oriretur ignorantia inuincibilis.

47 HÆC tamen non omninò rectè dicta sunt. Et primò quidem, honestatem finis maiorem, certum est, esse aliquid ampliùs in actu, quàm minorem; & ideò quantùm crescit oppositum, tantum minuitur alterum oppositum. Neque verò minuitur malitia ex eo, quod sit gratia alterius finis simpliciter; quomodo non minuitur malitia homicidij, eò quòd propter tollendam vitam illius hominis patretur; sed propter ruinam Reipublicæ afferendam, cui ille erat Achilles; imò augetur. Quod verò ait, intentionem esse causam ignorantiæ culpabilis, ratione cuius, opus factum ex tali fine sit minùs culpabile, est omninò per accidens; nobis autem incumbit primò scrutari id, quod per se sit causa minoris culpabilitatis.

NEQVE ob id nos vrget argumentum aduersa- 48
riorum. Respondetur enim, quòd, licèt ex maiori bonitate finis minuatur culpa; non tamen omninò tolli potest optimo fine, vt ritè aduertit D.Bonau. *loc. cit.* non enim finis melior minuit vndequaque malitiam, sed ex altero tantùm capite, nempe ex intentione, seu ex fine; non verò ex ea parte, qua obiectum est malum; nam quauis optima data intentione, adhuc illud obiectum manet malum, vt suppono. Dat S. Bonau. exemplum de mendacio quod, etiam si ordinetur ad charitatem, remanet malitia sua infectum, quia malum est ex se, & ex obiecto. Quod si desit intentio, non ideò priuatur actus suâ malitiâ, sed trahitur intra genus operis humani, quod exigit intentionem, vt notat S. Bonau. *dist.* 40. *quæst.* 1. *ad vltimum.* Ex hac doctrina soluuntur alia argumenta aduersariorum.

OBIICIES D.August. *Lib.* 50. *homiliar. homil.* 7. *Tom.* 10. & refertur *in cap. Forte, dist.* 14. *quæst.* 5. vbi ait: *Si totum tribuit pauperibus, quod abstulerat; addit potiùs peccatum, quàm minuat:* Ergo bonus finis auget malitiam.

RESPONDETVR, hoc non oriri ex bono fine, sed quia fur, dispergens res furatas, reddit se im- 49
potentem ad restitutionem, & ideò auget furti peccatum.

QVÆSTIO V.

Vtrum eadem ACTIO HVMANA *ex duobus Finibus non subordinatis, possit esse simul bona, & mala.*

D.Bon. in 2. d. 41. q. 1.
D.Thom. art. 6.

FVIT opinio dicentium, actum non modò exteriorem posse esse bonum, & malum, sed etiam interiorem electionis, propter duos fines diuersos. Refertur pro hac opinione ab Almaino *Tract. in Moral. cap.* 12. Vuillelmus de Bellomonte. Almainus verò *loco citato*, consentit, quoad actum exteriorem tantùm. Aduerte autem, nolle Vuillelmum, posse eumdem actum esse ita bonum, & malum, vt simul sit meritorius vitæ æternæ, & gehennæ demeritorius; sed tantùm alicuius pœnæ Purgatorij, quam peccato veniali meremur. Hanc verò sententiam Almaini sequuntur aliqui Recentiores. Caietanus *prima secundæ, quæst.* 18. *art.* 9. Corduba *lib.* 2. *quæst.* 23. Granado *controuers.* 2. *tract.* 14. *disput.* 1.

SENTENTIA Vuillelmi impugnat Gregorius 50
in 2. *dist.* 42. *quæst. vnic. art.* 1. atque eadem ratione opinionem Almaini confutari, asserit Vasquez *disput.* 70. *cap.* 2. post D. Bonauenturam, *loco citato.*

ASSERO, eandem actionem humanam ex duobus finibus non posse simul bonam esse, & malam. Est communis Theologorum sententia, vt ait Tannerus *disp.* 1. *quæst.* 5. *dub.* 8. *num.* 158. & Mastrius *disp.* 5. *quæst.* 4. *numero* 253. adducens Suarez, Vasquez, Valentiam, Salam, Lezanam, Montesinum, Salma

Salmaticenses, Arriagam, Auersam, Amicum, Curielem,& Medinam.

51 Probatvr à S. Bonauent. primò. Prima contraria maximè sunt opposita, & in vno, eodemque repugnant: sed bonum,& malum, ex Aristotele, sunt prima contrarietas in moribus: Ergo. Hoc argumento vtitur etiam D. Thom. *art.* 6. & Valentia *disput.* 2. *quæst.* 15. *puncto sexto.*

Probatvr secundò. Malum est priuatio boni, quod est ex integra causa: & ex quocumque defectu malum ipsum consurgit, ex D. Dionysio *cap.*4. *de Diuinis nominibus*, cuius sententiam in hoc amplectuntur omnes Theologi. Cùm enim deest alicui aliquid, quod habere deberet, proculdubio defectum, & malitiam in eo cognoscimus.
52 Itaque opponuntur, vt priuatio, & habitus; sed hæc nequeunt in vnum conuenire: Ergo. Si autem idem opus, aut electio ex malo fine oriatur, habet inde malitiam, & singularem aliquem defectum, & priuationem: Ergo nullo modo potest manêre bona moraliter, quia malitia destruet integritatem necessariam, vt bonum constituatur, vt arguunt Valentia, Vasquez, Tannerus, Mastrius, & alij, qui hac ratione nituntur.

53 Respondent, bonitatem ex obiecto essentialem esse actui, & ideò non posse destrui, oppositione malitiæ extrinseca. Quare, dum ieiuno ex vana gloria, remanet talis actus adhuc ex obiecto essentialiter bonus, & solùm accidentaliter inficitur è circumstantia mali finis extrinseci.

At, licèt bonitas temperantiæ, *verbi gratia*, sit veluti in actu primo essentialis tali actui ex obiecto, quatenùs hoc aptum est talem bonitatem in actum refundere, tamen in actu secundo impeditur à mala circumstantia.

Dices. In naturalibus, bonitas naturalis stat cum aliquo eius defectu, vt patet in homine, cui deesset oculus: Ergo. Ideò, & Theologi dicunt, posse aliquem sæpe excusari *à tanto*; non *à toto*.

54 Respondetvr, negando paritatem; nam bonitas naturæ essentialis non eget tanta perfectione, sicut moralis ad laudem, atque adeò circumstantiis vestiam. Cæterùm, etiam in natura, accidentia faciunt subiectum deforme.

Obiicies adhuc. Obstetrices Hebræorum, *Exodi primo*, mentitæ sunt, ob finem saluandi infantes, & sunt præmiatæ. Itaque actus ille fuit bonus, & malus.

Respondet S. Doct. *ad cap.* 1. *Sap.* ad ea verba: *Os, quod mentitur*, actum illum bonum fuisse cum altero,vnum connexione tantùm;& ideò præmium ex bono actu tantùm recepêre.

55 Probatvr tertiò à D. Bonauent. Quæ habent oppositos effectus,sunt opposita, & non conueniunt in vnum; sed opus bonum ornat animam; malum deformat: Ergo.

Probatvr quartò, quæ habent oppositas retributiones, directè habent oppositionem, nec in vnum conueniunt: sed bonum opus, & malum habent retributiones oppositas, illud enim præmium; hoc pœnam meretur: Ergo.

Respondent aduersarij, posse eodem opere mereri gloriam, & pœnam Purgatorij.

Contra primò: Ergo eodem opere, quo merentur pœnam Purgatorij, possunt mereri etiam liberationem ab illa. Responsio verò Thomistarum infirmatur in Vasquez.

56 Vrgeo secundò. Si concedunt illud; concedere etiam debent, posse mereri gloriam, & pœnam æternam. Et sanè eorum exempla hoc admittunt: dicunt enim, eandem passionem Christi, ex parte voluntatis ipsius Christi, fuisse meritorium; & sanè gloriæ æternæ: ex parte verò voluntatis Iudæorum, pœnæ etiam æternæ. Idem apparet in alio exemplo: Si eadem eleemosyna detur ab Hero ex charitate per ministerium serui, qui ex mala intentione lethali eam largiatur, in erogando eandem eleemosynam merebitur Herus: demerebitur autem seruus.

Respondent secundò: Recentiores aduersarij, ideò non posse eodem actu, quo meretur pœnam Purgatorij, pro ea satisfacere; quia Deus eam non acceptat.

Contrà si opus illud acceptum est ad vitam 57 æternam, quod maius est, vndenam isti colligunt non acceptari ad satisfactionem pro pœna illa?

Addo tamen, actum exteriorem in esse naturæ vnum, sæpe esse bonum, & malum moraliter, vt notat D. Bonauent. *fundamento penultimo*, vt si quis incipiat iter, *verbi gratia*, ad Ecclesiam, ex deuotione, & in itinere mutet intentionem, vt eat ex vana gloria; quo exemplo etiam ad id confirmandum vtitur Valentia *loco citato*; qui dicit, idem currere de actu exteriori, & interiori.

Obiiciunt allata exempla de passione Christi, & de eleemosyna.

Respondet Vasquez *cap.* 4. ex D. Bonauent. 58 *ad tertium*, nil mirum, si eadem actio à diuersis hominibus, ob diuersos fines operantibus, potest esse bona, & mala; quia finis, ex quo vnus operatur, non est circumstantia operis, prout ab alio procedit: Circumstantiæ enim actus,respectu eiusdem operantis, desumi debent, & ità bonitati operis, prout procedit ab vno operante, non nocet malus finis, ex quo alius idem opus operatur. At verò, quando idem opus procedens ab eodem 59 homine, oritur ex duplici fine, quem idem homo sibi proponit, vterque finis est circumstantia operis, prout ab illo eodem procedit: & cum idem opus non possit esse simul bonum, & malum, vt satis ostensum est; finis malus non potest non nocere eidem operi; At verò non nocet, quando sunt duo operantes; quia bonitas, & malitia non habent rationem oppositionis, cùm non sint respectu eiusdem. Porrò non est vnus actus ille; sed sunt potiùs duo.

Addit verò D. Bonauent. aliter dici bonum 60 de voluntate; aliter de actione exteriori; nam circa voluntatem dicit qualitatem aliquam superadditam, & ideò impossibile est, quod vna, & eadem voluntas sit simul, & semel bona, & mala, nec absolutè, nec in comparatione ad diuersa, quia semper est vna causa operans. Circa actionem verò, bonum dicit comparationem ad debitum principium, & finem. Vnde cùm mutantur principia, potest etiam actio, respectu diuersorum principiorum, suscipere bonitatem, & malitiam, meritum, & pœnam.

Ex dictis colligit Valentia, eundem actum numero, in genere moris ne successiuè quidem, posse esse bonum,& malum: de quo nos egimus *disp.*14. *quæst.*3.

QVÆSTIO VI.

Vtrum quantitas Bonitatis,& Malitiæ *in voluntate sequatur quantitatem boni, vel mali in intentione; & quantitas operis exterioris augeat bonitatem voluntatis.*

D.Thom.q.19.art.8.
D.Bon.in 2. d.40.q.2.

61 Divvs Thomas quæstionem solùm de primo instituit; tametsi & secundum resoluat; sicuti Diu. Bonauent. è contrà videtur solùm secundum quærere, licèt etiam primum definiat.

Notat verò S.Bonauent. duplicem dari quantitatem bonitatis, vel malitiæ: Alteram ex parte obiecti, quæ in hoc consistit, vt aliquis velit, vel operetur aliquid maius, vel minus bonum: Altera ex parte operantis, quæ in intensione, vel remissione operantis, circa idem obiectum, consistit. Idem notat Vasquez *disput.* 71. *numero* 1.

Assero primò. Quantitas malitiæ actus, tàm exterioris, quàm interioris, idest electionis, non semper sequitur quantitatem malitiæ intentionis.

62 Explicatvr à Gregorio de Valentia *disputatione* 2. *quæstione* 14. *punct.*7. hoc verum esse si voluntatis actus, qui est electio circa media, aut etiam exterior actio, qua adhibentur media, consideretur materialiter, & secundùm se, vt respicit proximum suum obiectum, nempè medium; quia actio circa medium nil accipit, hoc modo sumpta à fine, cùm neque illum sic respiciat. In hoc sequitur Caietanum, & Conradum, *hoc loco.* Sed videtur hæc interpretatio inepta, vt notat Vasquez *numero* 3. nam electio non potest considerari sine intentione, & fine, ad quem habet intrinsecè relationem. Secundò, si electio non oriatur ex intentione, quomodo D. Thom. quærit: An quantitas bonitatis, & malitiæ electionis adæquetur quantitati bonitatis, & malitiæ intentionis? Si enim electio non oriatur ex intentione, nullo modo cum bonitate, vel malitia eius est comparanda.

63 Vasqvez ità exponit *numero* 7. veram esse assertionem; quia opus exterius, quod assumitur vt medium, & electio ipsa medij, quæ oritur ex aliqua intentione, non semper habent tantum efficacitatem, vt reipsa consequantur finem, & exequantur opus virtutis, vel peccati, in quod intentio ferebatur; vel quia medium, & opus in se tale est, vt non possit ad talem finem pertingere, vel quia impeditur aliquo extrinseco impedimento.

64 Hoc igitur sensu contingit, vt quantitas bonitatis, & malitiæ operis, aut electionis non attingat quantitatem malitiæ, seu bonitatis ipsius intentionis, quatenùs consideratur è sola efficacia medij circa finem, ex hac enim parte, opus, quod assumitur vt medium & electio, non haberent tantam bonitatem, & malitiam, quantam habebat intentio, nisi aliunde haberent, idest ex intentione per redundantiam. Hanc doctrinam aliis verbis tradidisse etiam Diu. Bonauenturam *loco citato*, aduertit, eam verò habet iisdem verbis *in corpore*, etiam Diuus Thomas *loco citato.*

Probatvr verò à D. Bonauent. *argumentis secundo loco.* Primò, quia alioqui modicus quispiam Sanctus, remissâ præditus charitate, si intenderet mereri gloriam Petri, eam statim mereretur, quam intensissima charitate Petrum mereri oporteret. 65

Secvndo; quia si quis adulterans intenderet peccare venialiter, peccaret venialiter. Requiritur ergo etiam obiectum. Aliter tamen accidit in opere bono; aliter in malo; nam ad bonum, seu ad minus malum, non sufficit intentio, si aliàs obiectum sit malum, & adeò malum; At verò ad malum sufficit intentio, etiamsi obiectum sit bonum. Itaque, qui daret eleemosynam, intendens auram popularem, iam peccabit; & quantò erit peior intentio, tantò magis peccabit: Nam sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis: sed intentio mala facit opus malum: Ergo peior reddit peiorem, è contra verò non statim ac intentio est melior, redditur melior actio circa media; sicuti non semper redditur bona statim atque est bona intentio ob eandem rationem, vt notat Valentia *loco citato*, & Caietanus *hîc*, Vasquez *numero* 10. post Diu. Thom. *ad tertium*, & Diu. Bonauent. *in corpore.* Idem verò aliis exemplis declarat S.Doct. *etiam in argumentis.* 66

Assero secundò. Quantitas bonitatis, & malitiæ, quæ est in intentione, redundat in electionem, & in opus exterius. 67

Probatvr à D. Bonauent. primò ex Glossa, ad illud Matth. 12. *Bonus homo, de bono thesauro, &c.* vbi ait: *Quantum bonum intendis, tantum facis.*

Probatvr secundò: quia electio, & opus exterius sunt propter finem, & ab eo causantur, propter quem assumuntur, & mensurantur, vel mensurata creduntur: Ergo eorum bonitas, & malitia tota à fine attenduntur, & ab intentione, quæ est causa, & forma in genere moris, vt notat D. Bonauent. *argumento isto secundo*, & Vasquez *numero* 6. esto electio, & media assumpta sæpè non sufficiant, & non sint perfectè commensurata ad finem consequendum. Hac ratione nititur Vasquez *numero* 8. 68

Remanet explicanda Bonitas, quæ venit ex operante. 69

Assero tertiò. Quantitas bonitatis, & malitiæ intentionis, secundùm intensionem deriuatur in electionem, & in operationem exteriorem.

Ratio est, quia intentio est tota causa, & ratio electionis, & operis externi: Ergo ab ea deriuatur in electionem, & in operationem tota malitia intentionis. Et hoc S. Bonau. intendit, dum ait: *Si* Tantum, *&* Quantum *sint aduerbia, dicunt quantitatem actus intendendi, seu ex parte intendentis, tunc est verum: Quantum intendis, tantum facis. Omne enim bonum, & malum, meritum, & demeritum ad actum voluntatis reducuntur.*

Assero quartò. Si intensio actionis voluntatis, seu exterioris referatur ad affectum intentionis tanquam obiectum illius, vt, cùm quis vult intensè operari, vel intensè amare, intensio, 70

tensio, quæ est volita non semper respondet intensioni habendi illam, & ità homo non semper re ipsa consequitur actionem tàm intensam, quàm desiderabat habere; quia homo non semper tantum consequitur, quantum vult consequi, vt exemplis patefit, &c.

DISPVTATIO XVI.

De Bonitate, & Malitia Actus Externi.

QVÆSTIO I.

Vtrum Bonitas, & Malitia *prius sit in actu interno, an verò in externo.*

D.Bon.in 2.d.41.q.1.& 2.
D.Thom.q.20. art.1.

1 Qvæstio nostra vertitur circa actus imperatos à voluntate: an primò sit malitia in imperio voluntatis; an verò in ipsa executione actus externi.

Et quidem in actu interno, & externo cubare malitiam, certum est: nam vtrumque Scriptura reprehendit, & prohibet; sicut actum bonum exteriorem, & interiorem laudat, sicut & præcipit. Et inter errores Abailardi vnus fuit, Actum exteriorem, nec bonum esse, nec malum; vt notat Arimin. *in 2. dist. 41. quæst. 1.* & indicat D.Bernardus *epistola* 188.

Certvm absque controuersia est, aliquam bonitatem, & malitiam alicuius operis, puta indifferentis, priùs conuenire actui interno, & deriuare ad externum, sicut deambulare, scalpere crines, &c.

2 Certum est etiam, bonitatem, & malitiam, quæ sunt in actu externo, quatenùs refertur ad finem intentum à Voluntate, primò conuenire actui interno ordinanti. Sic, *verbi gratia*, elargitio eleemosynæ, ob amorem Dei distributæ, primò conuenit actui interno. Ratio est, quia intentio est causa, & ratio electionis, & operis exterioris; & tam electio, quàm opus externum sunt sub intensione, sicut sub causa, & forma in genere moris, vt docui *quæst. vltima, præcedentis disputationis* ex D. Bonauent. *ibi in corpore, quæst.* 2. vt Vasquez ibidem adductus *numero* 8. *&* 9. & *disput.* 73. *cap.* 6. annuit & Valentia, *disputatione* 2. *quæstione* 15. *puncto* 1.

Qvæstio ergo est de actu bono, vel malo ex parte obiecti, vel circumstantiarum.

3 Svppono adhuc, tàm bonitatem, quàm malitiam reperiri in actu interiori seorsim ab exteriori. Vnde *Matth.* 5. dicitur: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Sic & actus exterior habet bonitatem, vel malitiam obiectiuam, quatenùs est obiectum voluntatis. Quæstio ergo est, in quo reperiatur prius: An primò in interiori sit; & inde ad exteriorem deriuetur.

Prima opinio est Vasquez *disput.* 73. qui alio modo loquitur de bonitate; & alio de malitia; & quidem, malitiam, sumptam ex obiecto, & circumstantiis, vult primò conuenire actui exteriori; deinde ad interiorem deriuari: bonitatem verò primò conuenire actui interiori.

Secvnda sententia est *Ferrar.* 3. *cont. Gent. cap.* 10. §. *circa tertium.* Conradi *ad articulum istum D. Thomæ*, & Recentiorum communiter Thomistarum; actionem exteriorem, vt est imperata à voluntate in ipsa operis executione, (qua ratione est capax meriti, vel pœnæ,) bonitatem, & malitiam habere deriuatam ab interiori, cui primariè ratio bonitatis, vel malitiæ moralis conuenit; At verò actionem interiorem, vt est in apprehensione rationis, tanquam obiectum, esse bonam non extrinseca denominatione, vt est priori modo sumpta ex interiori actione, sed per se, primò per solum respectum ad regulam rationis. Huc trahunt D.Thomam. Eos verò sequitur Valentia *disputatione* 2. *quæstione* 15. *punct.* 1. vbi concludit, actum interiorem, habentem pro obiecto exteriorem, esse illo posteriorem in genere causæ formalis, recipiendo ab eo bonitatem, & malitiam, vt ab obiecto. E contra verò, actum exteriorem posteriorem interiori in genere causæ efficientis; quia actus exterior, vt est moralis, est effectus actus interioris. Idem ferè habet Caspens. *Tract.* 10. *disput.* 3. *sect.* 1. 4

Caietanvs verò alio modo explicat S.Doctorem, & sententiam suam exerit, ait ergo D. Thomam, cùm comparat actionem interiorem cum exteriori, vt definiat à quânam primò deriuetur bonitas, vel malitia, per actionem interiorem intelligere eam, quæ sumitur ex fine; per externam verò eam, quæ assumitur, vt medium: Vt, cùm quis occidit ob gloriam, & applausum; actio interior est inanis gloria; exterior verò est homicidium. 5

Ad rem igitur ait Caietanus, bonitatem, & malitiam ex fine, ex obiecto, & circumstantiis, esse in actione interiori; & inde deriuari ad exteriorem in executione: sed diuerso modo has bonitates, & malitias deriuari ab obiecto, & fine in actionem interiorem; & ab interiore in exteriorem.

Docet igitur secundò, bonitatem, & malitiam, ex fine, communicari à fine ipsi actioni interiori formaliter, & intrinsecè; & per interiorem deriuari in exteriorem, denominatione tantùm extrinseca; & ità exteriorem actionem tantùm extrinsecè denominari bonam, vel malam, bonitate, aut malitia finis; vt in exemplo posito, homicidium extrinsecè tantùm denominatur à malitia inanis gloriæ: At verò malitiam, & bonitatem ex obiecto, & circumstantiis, ait deriuari ab ipso obiecto, & circumstantiis in actionem interiorem, extrinseca tantùm denominatione; per interiorem verò communicari exteriori, non extrinsecè, sed formaliter, & intrinsecè: Vt in exemplo adducto, malitia homicidij, quæ est in obiecto, & circumstantiis, deriuatur in actionem interiorem, nempè in affectum applausus iniqui, extrinseca denominatione; sed per actionem interiorem, nempè cupiditatem lucri, deriuatur in ipsam actionem occidendi, prout est in executione formaliter, & intrinsecè. 6

Tertio docet Caietanus, sæpè finem non esse operationem aliorum; sicut erat in allato exemplo 7

applausus vulgi ex homicidio, qui est operatio, non occidentis, sed aliorum; sed esse operationem externam eius, qui in eam tendit; sicuti si aliquis occidat, vt ipse fatetur. Ex quo videtur sequi, interiorem actum intentionis non habere in se bonitatem, & malitiam intrinsecè, & formaliter ex fine; sed eodem modo habere eam extrinsecè, & secundariò à fine, sicut habet ab obiecto, & circumstantiis, id est à medio, quod assumit ad talem finem; nihilominus ait Caietanus, actionem illam exteriorem, quæ respicitur, vt finis, qualis est in exemplo posito actio furandi, dupliciter considerari posse: Primum vt habet rationem finis; & hoc modo tribuere bonitatem, aut malitiam actioni interiori intentionis formaliter, & intrinsecè: deinde prout actio quædam exterior est: & ità ex suo obiecto, & circumstantiis, tribuere actioni interiori intentionis bonitatem, aut malitiam, extrinseca solùm denominatione.

8 Vltima, ac vera sententia est S. Bonauent. *locis adductis*, quem sequitur Scotus, *eadem dist. in solutione secunda, & tertia quæstionis.* Tametsi Fauentinus *in* 4. *disp.* 3. *numero* 17. paululum distrahat Scotum, vt infrà dicam. Richardus *art.* 1. *quæst.* 1. Durandus *quæst.* 1. Gabriel *quæst.* 1. *art.* 1. Ocham *quodlib* 1. *quæst.* 20. & *quodlib.* 3. *quæst.* 14. & *in* 3. *quæst.* 10. *ad* 4. *dubium*, & communiter omnes antiqui Scholastici consentiunt, (vt fatetur Vasquez *numero* 1. qui solùm excipit D. Thomam, de quo infrà,) omnem bonitatem, & malitiam moralem primariò, & intrinsecè conuenire actioni interiori; secundariò verò, & extrinsece, deriuari in exteriorem. Ità & Suarez *disput.* 10. *sect.* 1. Valentia *disput.* 2. *quæst.* 15. *p.* 1. Lorca, Montesinus, & alij apud Ouiedum, *tract.* 4. *conclus.* 8. *p.* 1. Morandus *Tract.* 2. *quæst.* 26. Bassæus *verb. Act. Hum.* 4. *num.* 21.

Assero cum hac sententia, omnem moralem bonitatem & malitiam primariò conuenire actui interiori; secundariò vero deriuari in actum exteriorem.

9 Probatvr primò à Durando, ratione D. Bonauent. *ad tertium.* Illud est primum subiectum bonitatis, & malitiæ moralis, quo posito, ponitur moralitas; & quo remoto, tollitur, posito quocumque alio. Sed posito actu interno liberæ voluntatis, ponitur bonum, & malum morale; & eo amoto, tollitur: Ergo. Maior est euidens: nam principium intrinsecum, & primum est maximè constitutiuum. Itaque, si amoueatur, est primò distinctiuum, quolibet alio remanente. Minor probatur à D. Bonauent. quia actio illa, puta homicidium, si à Leone veniat, vel etiam ab homine furente, vel puero, non est ampliùs bonum, vel malum morale, etiamsi maneat idem obiectum mortis hominis. Ratiò est, quia actioni hominis eatenus conuenit bonitas, & malitia moralis, quatenùs voluntaria, & libera est, vt notat etiam Suarez *Tom.* 4. *in tertiam partem, disputatione* 22. *sectione* 5. & Tannerus *disputatione* 2. *quæst.* 5. *dub.* 8. *numero* 141. Seraphico tandem adhærens.

10 Respondet Vasquez *numero* 42. falsum esse, actionem ideò esse malam; quia voluntariam, & liberam: Nam genus moris non est ipsa substantia actionis interioris, sed est denominatio extrinseca illi aduenienş; hæc autem non est ratio voluntarij, & liberi; sed ratio quædam commmunis malitiæ, & bonitatis, quæ potest dici regulabilitas per rationem. Hæc verò diuiditur per conuenientiam, disconuenientiam, & indifferentiam cum natura rationali, per quas diuersa ratio regulabilitatis, atque adeo & moris subdiuiditur: At verò ratio voluntarij, & liberi est fundamentum necessarium præuium, requisitum huius regulabilitatis, & differentiarum eius. Nulla enim actio sub regulam rationis cadere potest, nisi sit voluntaria, & libera: Verum non requiritur expresè voluntarium, tanquam fundamentum generis moris, sed quoduis voluntarium, siue directè, siue non directè, & interpretatiuè; eo verò supposito, consequenter regulabilitas per rationem. Quare potest fieri, vt ratio liberi conueniat alicui actioni secundariò, genus autem moris, & regulabilitatis per rationem; 11 ac proinde ratio mali, quæ est differentia, aut species huius generis, conueniat primariò: Hoc contingit in actione exteriori, quæ hoc ipso, quod aliquo modo voluntaria est, primarie, & secundùm se prohibetur, ac sub regulam rationis cadit; ac proinde primariè mala est. Hæc autem malitia est, quæ sumitur ab obiecto, & circumstantiis: Nam ea, quæ ex fine, primò est in intentione; & inde in actionem exteriorem deriuatur; non quia ex intentione primò deriuetur ratio voluntatij in exteriorem actionem, & cum ratione voluntarij deriuetur etiam malitia illa; sed quia intentio primariò cadit sub regulam rationis; secundariò verò actio exterior, quatenus respiciunt finem. Ex qua doctrina sequitur, vt eadem actio exterior accipiat ab interiori rationem voluntarij, & ei communicet suam malitiam.

Enim verò, hæc verborum ambages, ex prauo rei intellectu ortæ, rem confundunt, & male fundatam opinionem frustrà moliuntur fulcire, vt notat Fauentinus *disputat. vltima, numero* 16. nam certum est, quòd ratio voluntarij primò inest actui interiori voluntatis; si 12 quidem exterior est imperatus ab interiori, & ab eo habet malitiam, vel bonitatem. Sed examinemus paululum eius dicta. Primò quidem abstrahendo res, (quæ est regula Aristotelica ad earum essentiam inueniendam;) si enim relinquatur illa actio, vt regulabilis per rationem, pura comestio, & abstrahatur esse voluntarij, & liberi, vt in furente, vel infante; certum est amittere rationem moris; vnde ille comedens nimium, seu carnes tempore vetito, non erit malus formaliter, nec peccator, vt putat Fauentinus; non potest verò abstrahi esse regulabile ab obiecto quocumque; quia voluntas libera habet obiectum morale; esse verò regulabile vnde quæso habet, nisi ab hoc, quod est obiectum voluntatis liberæ, quæ rationem potest sequi, vel renuere. Itaque esse liberum est fundamentum reale, vnde venit ista denominatio, quæ supponit esse morale, quod, cùm sit species entis realis regulabilis per rationem, vt mox dicam cum Fabro. Mirum interim, quod Vasquez semel concesso, quod voluntarium, & liberum, est fundamentum esse moralis, mox illud negat restringens. Id ve- 13 ro, quod deducit, quòd, cùm regulabile per rationem oriatur ex libero voluntario quolibet, possit conuenire secundariò; At verò ratio moralis, siue boni, siue mali primariò; falsum est, & malè deducitur; cùm enim liberum sit fundamentum, & ratio moralitatis, eiusque principium, debet ei primò, tanquam primæ

primæ causæ, conuenire; sicuti, quia rationale est principium in homine risibilitatis, primò conuenit homini rationale, deinde risibile. Cætera verò, quæ subdit, sunt applicationes, & repetitionis suæ opinionis.

14 Faventinvs aliter respondet ex Scoto: ait autem, In actu morali duo esse. Primò bonitatem, & malitiam moralem. Secundò imputabilitatem, ob quam laudatur, vel vituperatur. Hæc autem duo insunt actui, sed non ab eodem formaliter; nam bonitas inest actui ex ratione: ex comparatione enim ad rationem actus est bonus, vel malus; quia conformis, vel deformis est illi: imputabilitas verò inest actui ex libera potestate agentis, actus enim malus non imputatur alicui ad demeritum; nisi actus ille sit in potestate libera ad fieri, vel non fieri: in necessariis enim non meremur, nec demeremur. Iam verò bonitas & malitia est in actu tam interiori, quàm exteriori formaliter, & non per extrinsecam denominatio-
15 nem. Probatur; nam vterque actus est natus elici conformiter rationi rectæ; ideò cùm actus exterior est circa debitam materiam, & cum debitis circumstantiis, est actus bonus formaliter; cum verò his caret, est malus; quia caret conformitate debita cum ratione.

Idem dicendum de actu interiori. Hæc verò bonitas, & malitia inest actibus absque relatione ad voluntatem, siue ad voluntarium; quia, vt dixi, bonitas hæc, & malitia inest istis actibus ex relatione ad rationem, non tamen habent imputabilitatem. Vnde, si quis furiosus occidat aliquem, actus ille est malus formaliter, non tamen imputatur furioso; quia in illo non est voluntarius.

16 Loqvendo verò de malitia accepta pro imputabilitate, vterque etiam actus habet propriam malitiam formaliter; quia vterque est propriè voluntarius. Cum hoc tamen ordine insunt in eodem actu malitia, & imputabilitas; malitia enim primariò inest actui exteriori, qui ideò maximè prohibetur, & ratione illius vetitus est etiam interior; imputabilitas verò primò inest actui interiori, quia ille immediatè est in potestate libera voluntatis. Et hoc vult Scotus *in 2. d istinctione* 42. quòd malitia inest primò actui voluntatis: loquitur enim ibi de malitia accepta pro imputabilitate, & hoc solùm concludit prima ratio S. Bonauenturæ.

Hæc tamen doctrina magis displicet. Omitto, eum in Scoto confundere membra distincta malitiæ, & imputabilitatis, quas ipse distinguit. Primò quidem malitia ideò sumitur à comparatione ad rationem, quia scilicet est à potentia libera, potente sequi rationem, & renuere: Vnde, si ab ea non sit, non erit mali-
17 tia. Ideò si furiosus occidat hominem, non habebit actum malum formaliter, sed materialiter tantùm; vt notat Diu. Bonauent. cuius signum est, quod non habet rationem illam, quæ est fundamentum imputabilitatis; imputabilitas enim, cùm sit extrinsecùs adueniens operanti, supponit in operante bonum, & malum, & eo nititur, nam laus, & vituperium, vt docet D. Thom. *quæst.*21. *artic.*2. ex Aristot. 2. *Eth. cap.*3. & alibi, oritur è dignitate, vel indignitate operis, nec aliter intelligendus Scotus *quodl.*18. *art.*2. si rectè sit locutus.

18 Ex his habes, bonitatem, & malitiam inesse actui per relationem ad voluntatem, sine qua non est malum, vel bonum morale: eatenus enim à conformitate cum ratione fit actus bonus, vel malus, in quantùm fit à voluntate libera ad operandum conformiter, vel difformiter ad rectam rationem; alioqui actus ille difformis à ratione, puta homicidium factum à furente, non est malum formaliter; quia non habet moralitatem malitiæ; alioqui etiam Lupus, occidens hominem, actum habebit moraliter malum, quod est ridiculum. Probatur paritas; nam vterque occidit ex carentia libertatis in actu, ex quo fit, vt malitia, quæ ex voluntate venit, in actum externum imperatum, sit primò in illa. Quod si conceditur primò, ei inesse imputabilitas extrinseca, cùm hæc innitatur causâ operis, & operantis; non video quomodo etiam malitia inde incipiat.

Confirmatvr, argumento suprà indicato. 19
Si actio exterior ex se habet formaliter bonitatem, & malitiam, posset opus exterius esse bonum, & malum per se, secluso actu interiori voluntatis. Consequens est falsum: Ergo. Probatur Consequentia; quia quod ab alio non dependet, potest sine eo manere. Falsitas consequentis quoque est clara; quia certum est, homicidium casuale, & inuoluntarium non esse peccatum, nec malum, & sic de cæteris. Etiam bonum exterius, coactè factum, non est bonum, nec meritorium. Confirmatur; quia actio eadem exterior, inuariata in se, potest esse bona, & mala, si actus interior varietur: Ergo actio exterior non habet bonitatem, & malitiam à se. Antecedens patet; quia, si ieiunium factum ob amorem Dei est bonum; factum verò ob inanem gloriam est peccatum, hîc est variatio solius actus interioris voluntatis.

Faventinvs dicit, se iam soluisse argumen- 20
tum. Ad vltimam confirmationem respondet, eam procedere de actu malo, ex fine, quem diximus habere totam malitiam ab actu interiori.

Sed eius responsio iam explosa est. Quòd verò addit, non satisfacit: nam ieiunium est etiam obiectum actus externi, & variat moralitatem ex actu voluntatis: Ergo signum est, ab ea deriuari. Afferam homicidium, quod est malum ex obiecto. Si malitia in eo esset primò essentialiter, non posset id vnquam ab eo remoueri; At remouetur, cùm Princeps reum interficit, vel quiuis alium ad sui defensionem; At verò bonitas, & malitia in voluntate semper permanent eadem: Ergo signum est, ab hac radicaliter eas oriri.

Respondet Vasquez, malitiam quidem ab 21
actu exteriori ad interiorem deriuari; Attamen non posse in exteriori malitiam moralem manere sine interiori motu voluntatis; quia, licèt actio exterior non accipiat malitiam secundariò deriuatam à voluntate, tamen eam habere non potest sine fundamento necessario totius generis moralis, quod accipit à voluntate; nempè sine libertate. Hæc autem non pugnant inter sesinuicem.

Enim verò effugium hoc facilè præcluditur. Qua enim ratione primum principium, & subiectum malitiæ moralis dependet in esse subiecti malitiæ ab eo, cui communicat secundariò malitiam, nec ab eo reflexè recipit illam? Cognoui

gnoui sanè effectum à causa pendere; At causam non posse stare absque eo, in quem producit effectum, non video. Quod si voluntas est primum fundamentum bonitatis, & malitiæ, erit etiam primum subiectum potiùs, quàm actus externus. Nunquam enim vidi fundamentum alicuius accidentis, seu cuiusque formæ, aut priuationis, esse in vno, & formam esse in alio. Ad quid enim fundamentum, nisi vt subiectum reddatur aptum ad recipiendum?

23 VRGEO. Id, quod est prius naturâ, potest stare sine eo, quod est posterius, vt arguit sæpè cum Scoto Fauentinus, & ipse Vasquez; At verò id, quod est prius, non posse stare absque eo, quod ipsum communicat suo posteriori; non video. Addo, etiam non percipi, quomodo actus externus, qui primò habet bonitatem, & malitiam, eamque communicat interiori voluntatis, non possit esse subiectum malitiæ, nisi dependenter à malitia voluntatis, neque tamen eam in se refusam agnoscat.

24 PROBATVR tertiò contra Vasquez, argumento D. Bonauent. *in 2. dist. 41. art. 2. quæst. 2.* Opposita nata sunt fieri circa idem: sed bonitas, & malitia sunt oposita: Ergo sunt in eodem subiecto. Maior est Aristotelis *de oppositis.* Minor est clara & ostendetur *Tractatu de Peccato, quæst.* 1. contra Vasquez *disp. 95.* Ibi enim ostendemus, malitiam in priuatione bonitatis consistere, non in respectu aliquo disconuenientiæ. Ex hoc igitur sequitur, quod si bonitas moralis primò est in voluntate, idem dicendum sit etiam de malitia. Hoc argumento effugium nunc meditatur Vasquez *num. 45.* illâ suâ inani opinione, quam confutabo *loco citato.*

25 PROBATVR adhuc argumento S. Bonauent. *primo loco, addita responsione.* Si malitia primò esset in actu exteriori sequeretur, multiplicata actione exteriori, multiplicari malitiam; sed hoc est absonum: Ergo.

PROBATVR consequentia. Multiplicato subiecto, in quo primò est accidens, multiplicantur accidentia; sic multiplicantur albedines in duobus hominibus, &c. Probatur minor: si quis duobus ictibus, altero gladij: altero tormenti bellici occidat alium, iam ambæ actiones illæ continent deformitates duas, primò, & per se: Ergo sunt duo peccata. Dices est vnum, quia est vnum obiectum, puta homo occisus. At hoc non soluit, sed potiùs inuoluit absurdum inductum. Sequitur enim è vestra doctrina, duo esse peccata, etiamsi vnum sit obiectum.

OBIICIES primò cum Vasquez. Illa ratio est primò formaliter mala, quæ primò prohibetur; non ratione alterius. Sed actio exterior per se est talis: Ergo. Maior est clara. Minor probatur; quia per se vetatur homicidium, adulterium, &c.

26 RESPONDET D. Bonauent. *dist. 42. quæst. 1. in corpore*, & *ad argumenta*, & *ad penultimum*, actionem exteriorem vetitam esse, tanquam malam, quidem sæpè ex obiecto, vt blasphemiam, adulterium, &c. non tamen prohiberi, vt est actio illa materialis, sed, vt est à voluntate: Nam peccatum dicit deordinationem à fine, & Deo; hæc autem non est in illa actione materiali homicidij, cuius signum est, quod si fiat à Lupo, is non est reus culpæ. Ideò Lex prohibet, ne occidamus iniqua voluntate; actus verò ille potest esse licitus, puta iudici, aut inuaso iniquè.

OBIICIES secundò. Illa actio, quæ secundariò est vetita, vel vetabilis, non ratione sui, sed ratione alterius, non potest primò habere per se malitiam: talis est actio interior: Ergo. Maior patet. Minor probatur; prohibetur enim in lege velle furari, quia prohibetur rem alienam, inuito domino, arripere.

RESPONDETVR facilè ex D. Bonauent. *locis adductis*, negando minorem; nam actus internus seorsim per se vetitus est: *Ne concupiscas vxorem, vel rem Domini tui, non bouem, non asinum*; & hoc *in Decimo præcepto*; postquam *in septimo* vetitum est: *Ne fureris.* Prohibetur ergo voluntas per se; actus verò, vt est à voluntate deordinata; & ideò licebit actus furandi externus, si voluntas sit recta, puta edendi, in extrema fame. 27

VRGEO. Nam Vasquez *disput. 116. cap. 2.* tenet, licitum esse desiderare, posse fornicari, mutata nempè lege naturæ: Ergo ex obiecto non habet primò malitiam. Nam id in quo primò formaliter, ac essentialiter est malitia, est immutabile, si prohibitum sit, quia tale, idest, malum. 28

QVOD verò differit Vasquez *cap. 7.* ad probandum, non eodem modo philosophandum de bonitate, & malitia; est contra D. Thomam *quæst. 20. art. 1. 2. & 3.* Ait ergo, bonitatem primò conuenire actui interno; quia actus studiosus, ac bonus *ex 2. Eth. c. 4.* non tantùm debet circa obiectum bonum esse, sed etiam ferri in ipsam obiecti honestatem propter ipsam: hic autem respectus primò conuenit interiori actui: ergo bonitas moralis primò conuenit actui voluntatis interiori: At verò ad malitiam actionis non exigitur, vt feratur in obiectum malum, propter ipsum, sed sufficit si feratur in ipsum quoquomodo, & ità obiectum malum est primò mălitiâ imbutum, eamque deriuat ad voluntatem. 29

HAC inquam doctrina examinanda est *Tract. 2. disp. 2. quæst. 3.* estque discussa etiam *disp. 15. quæst. 1.* & à multis negatur, requiri ad actum virtutis, vt feratur in eam, propter ipsam: Sufficere verò, si in eam feratur, *verbi gratia*, erit actus studiosus, etsi aliquis elargiatur eleemosynam, non modò ob aliam virtutem, puta liberandi à periculo casus puellam; sed etiam, si id fiat ex parua opum æstimatione naturali, sicut eas vilipendebat quidam meus consobrinus, vir pietate notus, cui ignis videbatur in manibus multa pecunia, nec quiescere poterat, donec eam pauperibus dispersisset.

ARGVMENTA Ferrariensis volunt solùm, actionem esse malam, vt obiectum; non vt actionem moralem: nam hoc sensu à voluntate inficitur, quod non est contra nos. Ideò Ferrariensis, & alij argumentis etiam D. Bonauent. vtuntur, vt notat Vasquez *numero* 7. 30

ET quidem S. Doct. *dist. 42. quæst. 2. ad penultimum*, idem ferè dicit, nempè, aliqua esse obiectiuè mala, non autem ex sola voluntate; non quia eam deriuet in voluntatem, sed quia ab ea sumat tanquam ab obiecto, quod tamen seipso non potest facere malum morale, nisi quatenùs à voluntate procedit; & hoc modo sentit etiam D. Thom. Si quæ verò argumenta huius opinionis nostram oppugnant, soluta ex dictis iacent. 31

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

Vtrum ACTIO *interior, & exterior sint vnum peccatum, an plura.*

D.Bonau.in 2.d.41.q.1.
D.Thom.q.20.art.3.

32 PRIMA sententia videtur Scoti *quodlib.* 18. *art.* 3. esse duo peccata, sequuntur Ocham *quodlib.* 1. *quæst.* 10. Gabriel *in* 2. *dist.* 41. *quæst.* 1. Fauentinus *in* 4. *dist.* 14. *disput.* 3. *numero* 40. sic explicat Scotum, quem, ait, nullibi explicitè hoc docuisse. Actum interiorem, (ait,) & exteriorem dupliciter sumi. Primò formaliter; & hoc modo esse duo peccata propriè formaliter; Ratio est, quia vterque est natus habere propriam malitiam; & idem dicendum, si actus illi sumantur quoad imputabilitatem; quia vterque est voluntarius. Secundò posse accipi, vt sunt subordinati ad inuicem, & connexi naturaliter; & hoc modo posse dici vnum peccatum. Attamen Masttrius, accuratus Scotista *disp.* 5. *numero* 197. è mente Scoti *in* 2. *dist.* 41. & *loco citato*, ait, esse duo partialia; sed vnum totale ex connexione, vt ait etiam S. Bonauent. 2. *dist.* 41. *quæst.* 1 apud illum. Id videtur sentire etiam Bassæus *v. Act. Hum.* 4. *num.* 22.

33 SECVNDA opinio censet, esse vnum peccatum simpliciter formaliter. Ità Magister *in primo dist.* 41. *cap.* 1. D. Thom. *eadem dist. quæst.* 1. *art.* 1. ibi Capreolus; Conradus verò *hic, ad articulum D. Tho.* Richardus *dist.* 42. *art.* 1. *quæst.* 1. *in corpore, & ad* 3. Durandus *quæst.* 1. *numero* 6. & recentiores Thomistæ *in hunc articulum.* Tannerus *disp.* 2. *quæst.* 5. *dub.* 8. Vasquez *disp.* 74. *cap.* 2. Valentia *disp.* 2. *quæst.* 15. *p.* 2. vtuntur quibusdam distinctionibus, bonitatem, ac malitiam, quam habet actus interior ex actu exteriori, tanquam ab obiecto suo, esse eandem cum ea, quam actus exterior secundum se habet. Non tamen esse eandem, quam habet actus ex obiecto, & circumstantiis, cum ea, quàm habet actus interior circa finem, vt patet, quod nos non negamus.

34 QVOAD Seraphicum, sic recitatur à Vasquez *num.* 2. sentire, Actionem interiorem, & exteriorem, circa idem obiectum in eodem homine, esse duo peccata materialiter; formaliter tamen esse vnum; quia vna tantùm sit ratio disconuenientiæ, & malitiæ; hoc autem eum ideò, ait docuisse, quia putauit malitiam solùm conuenire intrinsecè, & formaliter actioni interiori: At verò exteriori solùm extrinsecè. Cæterùm, quare dicantur duo materialiter, non formaliter; non satis, ait, Vasquez, intelligi; quia licet dicamus, esse eandem malitiam in vtroque; tamen quotiescumque sunt plura subiecta, expressa nomine, adiectiuo alieni formæ, denominantur plura simpliciter, & non tantùm materialiter; vt plura alba, vel plura sana, qua ratione etiam Diuinæ personæ, ab vna numero omnipotentia, dicuntur plures omnipotentes adiectiuè, cur ergo non dicentur plura peccata, si formaliter sunt plura subiecta, licet habeant eandem malitiam? Hæc Vasquez.

35 IPSE tamen non refert legitimam Seraphici sententiam integram. Igitur S. Doct. supponit, quæstionem esse: An actus interior sit vnum peccatum cum actu exteriori ab eodem procedente, connexoque, ac coniuncto, Ait igitur, sic sumptos, vt sunt connexi inuicem, & ordinati, ita, vt vnus sit ex altero, non esse duo peccata, sed vnum; quia formale peccati consistit in auersione à Deo; & conuersione ad creaturam; hic autem vna interuenit numero auersio, & conuersio; quia voluntas conuertitur non modò secundùm actum suum elicitum; sed etiam secundùm imperatum inferioris potentiæ; Attamen, licet sit ibi vna formalitas deordinationis, sunt tamen plura deordinata; quia 36
voluntas est peruersa, & obiectum malum, ideò sunt ibi plura peccata materialiter, non ita, vt peccatum in subiectis distinctis adæquatis ponatur, vt putat Vasquez; sed quia in subiectis inadæquatis, ex quibus non numerantur formæ, sicut ex duobus parietibus, duæ albedines, quæ in adæquatis subiectis existentes, duæ esse debent; sed in duobus inadæquatis, vt dixi quæstione præcedenti, quorum vnum, idest, exterius opus, est subiectum ratione interioris; vnde quia sunt subiecta inadæquata, ideò neque numerantur formæ; sed vna est malitia (sic interim malitiam voco, vel dico priuationem) quæ in istis existit. Idem ait Morandus 37
loco citando. Vnde oppositiones Vasquez non sunt ad rem, vt notat D. Bonauent. *in fine corporis*, vbi eas præuidit. Ad illud verò de tribus omnipotentibus, respondetur, esse contra Symbolum D. Athanasij in Symbolo, vbi ait: *Omnipotens Pater: Omnipotens Filius: Omnipotens Spiritus Sanctus; & tamen non tres Omnipotentes, sed vnus omnipotens.* Sumit autem in terna nominatione (omnipotens) adiectiuè, & statim negat, esse tres omnipotentes: ergo adiectiuè. Rideo autem hic licere *omnipotens* dicere adiectiuè: nam concordantia est adiectiui cum substantiuo; substantiuus quidem est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ac, Tres; adiectiuus verò *omnipotens* attributus Patri, &c. Ratio verò cur non possint dici tres *omnipotentes*, est, quia est vnica forma omnipotentiæ, ratione essentiæ, conueniens Trinitati, vt ostendit S. Bonauent. *in primo, dist.* 19. *quæst. vltima*, & innuit *in fine corporis hic.*

38 Prætereà, si tres liceat dicere omnipotentes, hoc est, quia in tribus subsistentibus singulis est omnipotentia, non sic autem *hic*, vbi non sunt plura formaliter subiecta: Ratio est, quia malitia est vna formaliter, non in ambobus seorsim; sed materialiter, & primò à voluntate. Secundò completa in opere externo, in quo non est malitia, nisi per ordinem ad voluntatem, vt ait ipse Vasquez *hic*, & vt infrà referam. Hoc iam soluerat S. Bonauentura *quæstione præcedenti ad tertium*, quod si Vasquez legisset, iam suam rationem vidisset inanem.

ASSERO, actum externum, & internum esse vnum peccatum formaliter.

39 PROBATVR à D. Bonauent. *argumentis secundo loco.* Primò, quia Actio in genere moris vnica, est vnicum peccatum. Sed actio interior, & exterior in genere moris, est vna: Ergo. Maior patet. Minor probatur. Quando sunt duo, vnum per se, alterum ratione alterius, & per accidens ab illo pendens, & cum eo necessariò connexum, vt pertineat ad id per accidens, tunc facit cum eo vnam rationem. Sed actio exterior, vt pertineat ad genus moris, debet ab interiori pendere, & cum ea connecti vt ab ea accipiat libertatem, quæ est fundamentum totius generis moris: Ergo. Hoc argumento nititur Vasquez *numero* 6. Morandus *Tractat.* 2. *quæst.* 26.

40 SECVNDO probatur. Actio inchoata non ponit numerum cum seipsa consummata, sed peccatum

inchoatur in voluntate, & consummatur in opere, vt habetur cap. 1. D. Iacobi; *Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò, cùm consummatum fuerit, generat mortem*: Ergo. Hac ratione nititur Vasquez *loco citato*.

CONFIRMATVR à Vasquez ex D. Bonauent. *ad tertium*; quia subiectum huius denominationis, quod dicitur peccatum in genere moris, reputatur vnum constitutum ex vtraque actione, quamuis in genere naturæ sint duo, sicut genere artis plures res reputantur, vt vna: sic ligna, lapides, &c. censentur vna domus.

41 Ex his habes, Vasquezium inuitum, idem cum D.Bonauent. sentire, cuius rationes vsurpat.

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *argumento tertio*. Actus exterior sine interiori non habet meritum, vel demeritum, laudem, vel vituperationem; sed hoc solùm habet ab interiori: Ergo non potest esse peccatum distinctum.

RESPONDET Faber ad hæc argumenta *numero* 41. actum externum habere propriam malitiam,& imputabilitatem: Argumentum autem solùm probare, quòd non habet illam primariò, neque ex se, sed ex alio: Concludere verò, esse vnum, in quantùm sunt subordinata.

42 AT verò *quæstione præcedenti*, doctrinam istam confutaui. Reliqua ex dictis hîc patent. Addo, cùm hæc intrinsecè sint subordinata, hoc pacto sunt consideranda. Quòd si seorsim actus moralis formaliter. malitiâ imbutus morali, ponatur, *verbi gratia*, homicidium; iam erit peccatum in Lupo, & in Vipera, dum sunt homicidæ.

43 PROBATVR quartò à D. Bonauent. Vbi est vna formalitas peccati, ibi vnum peccatum. Sed in actu exteriori, coniuncto cum interiori, est vna formalitas peccati: Ergo. Maior patet,quia essentia à forma sumitur, quæ dat quidditatem rei. Minor probatur; quia peccatum, in auersione à Deo, & conuersione ad creaturam consistit. Ideò eodem actu prohibentur, vt patet in præceptis: *Non occides. Non Mœchaberis*,& eodem præcepto iniungitur actus exterior, & interior, vt in his: *Sabbatha Sanctifices: Honora Patrem.* Neque enim præcipitur actus exterior solus, quia ille haberi non potest sine interiori; neque interior solus præcipitur, vt patet, sed actus exterior: Ergo sunt vnum peccatum. Confirmatur. Vbi est vnum propter aliud, ibi vnum tantùm; sed actus exterior est bonus tantùm ob interiorem: Ergo. Maior est Aristotelis 2. *Top. cap.* 2.

44 RESPONDET Fauentinus, verum hoc esse,quatenùs hi actus sunt subordinati.

PROBATVR quintò. Id, quod à iudice æquo in iudicio Diuino vnum censetur, vnum est: sed peccatum interius, & exterius in iudicio Sacramentali confessionis à Confessario vnum iudicantur: Ergo. Minor probatur experientiâ, ideò enim vna satisfactio imponitur; imò vna pœna à Deo: Ergo.

OBIICIES primò ex Glossa *in cap.* 1. *ad Rom.*ad ea verba: *Repletos homicidiis*, vbi ait: *Pluraliter dicit homicidiis; quia aliud est homicidium voluntatis, aliud homicidium operis. Alius enim est actus interior, alius exterior, qui est potentiarum exteriorum. Peccatum autem est actus malus.*

45 RESPONDET S. Bonauent. glossam dicere, esse plura materialiter, vel loqui de homicidio interiori, & exteriori, prout disiuncta sunt, non continuata in eodem subiecto.

OBIICIES secundò. Multiplicato inferiori, multiplicatur superius; sed fornicatio exterior est peccatum speciale; similiter & interior est peccatum speciale: Ergo vtraque est peccatum distinctum.

RESPONDET D. Bonauent. maiorem esse veram de illo inferiori; cui illud superius est essentiale; non sic autem est in re nostra, quia peccatum non dicitur de actibus voluntatis essentialiter, vt dixi *disput*. 14. *quæst*. 2. 46

OBIICIES tertiò. Multiplicato subiecto multiplicatur accidens, quod est in subiecto, & per illud consistit:Sed deformitas comparatur ad actionem, tanquam accidens ad subiectum; Ergo, vbi multæ sunt actiones deformes, ibi multæ deformitates, & peccata; sed actio interior & exterior sunt diuersæ: Ergo. Imò vrgent alij: Multiplicato subiecto, etiamsi maneat vnum accidens, si posset esse in ambobus subiectis, erunt duo concreta accidentalia illius rationis, vt si vna albedo esset in duobus parietibus, essent duo alba: Ergo à simili, etiamsi malitia eadem sit in duobus actionibus, erunt duæ actiones malæ.

RESPONDET primò S.Bonauent. maiorem esse veram, si subiectum per se multiplicatur, & illud in quo primò est accidens; deformitas autem non attenditur primò, & principaliter circa actionem exteriorem, nec est ibi tanquam circa subiectum per se, sed est ibi ratione voluntatis interioris coniunctæ, quod patet; quia si illa actio procederet ab alio principio, quàm à voluntate, puta, si à bruto, non esset culpabilis. 47

RESPONDET secundò, Maiorem intelligi, quando subiectum plurificatur secundùm rem, & secundùm illam rationem, quâ dicitur subiectum; licèt autem actio interior, & exterior sint plures res, non sunt tamen diuersa subiecta deformitatis; sed vnum; quia, sicut ordo potest esse in pluribus, quorum vnum est ab altero tanquam in vno subiecto; sic etiam deordinatio. Quia igitur peccati deformitas dicit deordinationem à fine; hinc est, quòd circa actionem interiorem, & exteriorem consistit, tanquam circa vnum subiectum, licèt sint diuersæ actiones, & res. 48

RESPONDET tertiò, Maiorem intelligi de accidente absoluto, non de relato. Tale enim vnum potest esse in pluribus, dum tamen illa sint ad inuicem relata, & ordinata; & hoc modo se habent actio interior, & exterior, quia vna procedit ab altera. 49

OBIICIES quartò. Multiplicato vno oppositorum, multiplicatur & alterum; nam vnum vni tantùm opponitur; sed multiplicantur præcepta opposita actui exteriori; nam prohibetur: *Non Mœchaberis*, & alio præcepto: *Non concupisces*: Ergo & culpæ oppositæ sunt plures. Hoc argumento nititur Scotus, *loco citato*, & Faber *in* 4. *dist.* 14. *disp.* 2. *numero* 42.

RESPONDET S.Bonauent. maiorem esse veram formaliter in ratione, qua vnum alteri opponitur; præceptum autem, quo prohibetur actus exterior, & voluntas interior, non est aliud, & aliud, nisi ex hoc, quod in vno prohibetur voluntas cum opere; in altero verò voluntas etiam absque opere; & hoc modo concedo,voluntatem interiorem, & actionem exteriorem, prout sunt disiunctæ, esse plura peccata. De hoc autem modo non est quæstio nostra, sed de actu externo, vt emanante à suo actu interiori. 50

OBIICIES quintò. Magis conuenit Voluntatis actus cum voluntatis actu, quàm cum actu externo; sed voluntatis actus sunt plures: Ergo multò magis exterior, & interior.

RESPON

51 Respondet D. Bonauent. conuenire in essentia specifica, non in subordinatione indiuidua; quia actus duo voluntatis non subordinantur, sicut actus exterior interiori; & ideò cùm sint duæ voluntates, duæ sunt deordinationes formales, & duo peccata; cùm verò opus externum iungitur interiori actui, est vnica.

Obiicies sextò. Quod iure pluribus pœnis punitur, est peccatum, vt concedit D. Bonauent. *argumento vltimo*; sed actus interior sine exteriori punitur à Deo; exterior autem punitur sine interiori à Republica, quæ non iudicat internum: Ergo.

52 Respondetvr, opus externum, si constet esse inuoluntarium, vt in furioso, non puniri à Republica.

Obiicies septimò. Causa,& effectus differunt: nil enim est sui ipsius causa: sed actus interior est causa exterioris: Ergo.

Respondetvr; in genere causæ, & effectus differre posse; tamen duplicem rem concurrere ad vnum quid componendum. Sic rationalitas est causa risibilitatis, & tamen conueniunt ad vnum hominem componendum; similiter anima est causa vitæ corporis, & tamen facit vnum viuens.

Obiicies vltimò cum Fabro *numero* 36. Concreta adiectiua, vel significantia per modum adiectiuum, licet sint substantiua, plurificantur,non a l plurificationem formæ; sed subiecti. Vnde Pater, & Filius dicuntur duo Spiratores, licèt eandem habeant vim spiratiuam, vt dixistis *Tractat.*2. *disp.*10. *sect.*1. *quæst.*9. Ergo.

53 Respondetvr, Vasquez, & Fabrum, *locis ibi adductis*, non admittere duos spiratores. Deinde dico, huius rationem, vt dixi *disp.*11. *quæst.*2. esse, quia significant non tantùm formam, sed etiam personam; ideò multiplicari, multiplicatis suppositis: actus enim sunt suppositorum, sunt autem plura supposita spirantia; At non sunt plura producentia actionem moralem malitiæ, sed vna voluntas, quæ suam actionem diffundit extrà, & hæc videtur responsio D. Bonauent.*hic*, maximè *ad duo vltima*.

54 Ex suprà dictis, colligit Mastrius ex D.Bonau. *loc.cit.* & Bassol. *ibidem*, quod ideò vnum est peccatum, & vt vnum in confessione dicendum, quoties actus interior cum exteriori est connexus; vt exterior sit veluti obiectum actus interni, & internus dat externo esse morale. Hinc videbis, cur fornicans in Ecclesia,duo peccata committat, quia fornicatio, & sacrilegium non habent connexionem ad inuicem, ad modum, quo homicidium internum connectitur cum externo. Hoc homicidium satis confiteberis dicens. *Occidi*; sed fornicationem in Ecclesia debes exprimere distinctè. Hæc Mastrius *numero* 297. afferens D.Bonauenturam.

QVÆSTIO III.

An quoties affectus Volvntatis *repetitur, plura sint censenda peccata.*

55 Nobis, qui asserimus, ex actu interiori, & opere exteriori, quod est obiectum interioris, conflari vnum tantùm peccatum; oritur quæstio: Vtrum, quoties circa idem plures multiplicantur interpolati actus interni, plura dicenda sint peccata; An vnum tantùm numero perseueret in voluntate, permanente in eodem proposito.

Prima opinio est, esse vnum solum, quoties homo virtualiter in eodem affectu perseuerat; virtute autem perseuerat, si id, quod statuit, puta occidere, &c. non retractat; & ideò, etiamsi replicentur actus interni voluntatis, Attamen vnicum esse peccatum in confessione dicendum Ita Cano *in relec. de pœnitentia*, *p.* 5. & 6. *per hoc ad primum.* Addit tamen, durationem esse explicandam, tanquam circumstantiam, etiamsi non sit nouum peccatum.

Secvnda opinio est, repetitionem interpolatam actuum, qui interiùs consummantur, vt sunt Odium Dei, Hæresis, &c. multiplicare numero peccata; At verò repetitionem eorum actuum, qui extrà consummantur, vt sunt homicidium, &c. vnicum peccatum conflare, quia censetur eadem vna voluntas in opere, actibus multiplicatis, veluti lineis in centro, vnificari. Ita Nauar. *in Manual. cap.* 6. *numero* 16. Caietanus *in opusc. Tom. primo*, *Tract.* 31. *responsione* 17. Vasquez *prima secunde*, *disput.* 75. Suarez *de pœnitentia. disput.* 22. *sect.* 5. Qui adducunt pro se D. Bonauenturam. 56

Tertia opinio est Fauentini *in* 4. *dist.*14. *disput.* 2. *numero* 44. peccata omnia, tum quæ interiùs, tum quæ exteriùs consummantur, sic multiplicari actu; sed habitu vnum permanēte. 57

Vt igitur explicetur, quâ ratione voluntas finis virtute perseueret in effectu aliquo, ratione cuius, etiamsi iterum repetatus, & renouetur, non debeat censeri nouum peccatum; obseruat Vasquez *cap.* 2. ex D. Bonauentura *in* 2. *distinct.* 41. *quæst.* 3. *in resol.* & *ad primum*, (Fallitur tamen; nam est *ad vltimum*) quem sequuntur Richardus *art.* 1. *quæst.*2. Scotus *quæst.*1. Gabriel *in primo*, *dist.*1. *quæst.*5. *art.* 1. Ad hoc, vt opus aliquod dicatur fieri ob finem aliquem, & ab eo accipere bonitatem, seu malitiam, non satis esse, si præcedat tempore voluntas finis, & posteà sequatur voluntas eius, quod est ad finem; sed finis debet esse circumstantia operis, alioqui omninò comitanter se habebit: vt autem sit circumstantia operis, debet opus ipsum à fine, sicut à causa pendēre proximè, aut remotè; nam si neutro modo à fine pendet, non potest finis cum ipso opere comparari, vt circumstantia ipsius; siquidem eatenùs habet rationem circumstantiæ, quatenùs est finis, & exercet munus finis; nullum est autem munus finis, nisi cuius gratia aliquid fit, qua sola ratione, & habet rationem finis, & inter causas numeratur. Porrò autem, opus ex fine dicetur proximè procedere, quoties voluntas finis priùs mouetur actu ad opus: remotè autem, quoties finis mouet ad vnum opus, tanquam ad medium, & illud medium mouet ad aliud medium, & sic connexione quadam vsque ad vltimum: hoc autem fieri solet, etiam non permanente voluntate finis expressè, sed tantùm confusè; veluti, cùm quis ex intentione occidendi inimicum, statuit ire Venetias, deinde ex hoc affectu multa præparat necessaria ad iter, & tandem iter facit; quoties ex aliquo ex his operibus, ex tali affectu procedente perseuerat, dicitur actu peccare, eodem numero peccato (etsi priorem voluntatem expressam occidendi non habeat) ac si in ea voluntate actu perseueraret. 58 59

Igitur quotiescumque voluntas finis permanet in effectu, hoc modo proximè in ipsum deriuata, vel 60

vel saltem remotè, etiamsi posteà remouetur, semper erit iudicandum vnum numero peccatum, nisi in casibus, in quibus dicitur interrumpi moraliter, de quibus infra. Huius verò ratio est, quia prior illa voluntas manet vna in opere exteriori, quod ex tali voluntate assumptum est, etsi ex illius operis intensione multa opera varia fiant, *verbi gratia*, quærendo equum ad iter, nummos ad expensas, &c. hæc enim non quæruntur vt aliquid appetibile gratiâ sui, sed vt vtilia ad finem intentum occidendi; & hoc verum est, etiamsi voluntas multò antè præcesserit: nam omnes posteà actus externi sunt effectus illius.

61 Dices. Etiam peccata, quæ interiùs consummantur, possunt continuari, ratione eiusdem affectus imperantis, vt si quis statueret habere tres actus morosæ delectationis; tunc possent continuari in affectu habendi illas.

Respondetur ex D. Bonauent. *in confessionali*, *hic* esse respectum triplicem ad tria peccata distincta, & ideò plura peccata esse numero distincta. Continuatio igitur moralis solùm fit, aut quando perseuerat eadem operatio exterior, in qua actus voluntatis terminatæ vnificantur; aut quando ex eadem voluntate finis multa assumuntur, & applicantur media, quæ non habent aliam malitiam, quàm malitiam finis; nam si aliam seorsim habeant malitiam, & regulariter non claudantur in illo actu principali, vt si quis furetur, vt homicidium faciat, tunc non sunt vnum peccatum; sed plura, vt notat Fauentinus *numero* 45.

62 Addit Vasquez, actiones exteriores præuias ad actum consummatum peccati, etiamsi seorsim habeant malitiam, quia sunt inchoationes quædam peccati consumati, censeri cum eo vnum; vt sunt in copula carnali tactus, oscula, &c. dum ad hunc finem referuntur, & connectuntur: nam si fiant alio tempore, erunt peccata distincta. Ex quo fit, vt si actus iam sit consummatus; hi sint peccata distincta, quia ad illum ampliùs non referuntur, vt oscula, & tactus post copulam. Idem sentit Suarez *loco citato*, *numero* 26. contra Nauarrum. Idem dic de vulneribus ad occisionem, vt notat Suarez *numero* 24.

63 Probat verò Suarez *num.* 20. esse vnum peccatum, quia durat in virtute ea prima voluntas in opere illo externo intento. Tunc enim virtualiter durat intensio, quamdiù durat actio exterior, vel in se, vel in alia, quam ipsa excitauit; ita, vt vna per connexionem excitet aliam, vsquequo actio consummetur.

64 Movet autem difficultatem Suarez *numero* 21. quanta continuatio sit necessaria, vt peccatum huiusmodi vnum esse dicatur: An scilicet necessaria sit propria, & vera continuitas eiusdem actionis; An verò sufficiat contiguitas, seu immediata successio vnius actionis post aliam. In quo se remittit Seraphico *in* 2. *dist.* 41. *quæst.* 3. quem sequuntur Scotus *quæst.* 1. Richardus *art.* 1. *quæst.* 2. Gabriel *in primo*, *dist.* 1. *quæst.* 1. *articulo* 1.

Respondet verò, non esse necessariam continuationem Physicam: alioqui omnes actiones factæ, ex intensione occidendi, puta surgere e lecto, parare ensem, egredi, &c. essent tot peccata distincta in confessione explicanda, quod est falsum; nam omnes illæ actiones fiunt in virtute intensionis occidendi, vt dixi supra; & sunt plures actiones tantùm materialiter distinctæ: moraliter verò habent eandem malitiam finis occisionis.

65 Addit igitur, sufficere contiguitatem, dummodò in vno obiecto externo vniantur, ad quod ordinantur: nam si non habeant inuicem subordinationem, erunt plura peccata, vt *verbi gratia*. Si aliquis vno homine occiso, alium statim interficiat, vel vno actu consummato fornicationis; alium incat. Idem habet Fauentinus *numero* 48. & 49.

Obiicies, hinc sequi, si aliquis furetur, & per annum retineat rem, repetens eo anno voluntates non restituendi, semper esse idem numero peccatum, quod est absurdum. Probatur sequela; manet enim obiectum, res scilicet vsurpata, in qua vniuntur volitiones. Nauarrus *loco citato*, hoc concedit cum Gabriele *in* 4. *dist.* 15 *quæst.* 2.

Sed hoc refutat Suarez *numero* 31. negando sequelam cum D. Bonauent. *in speculo animæ*, *cap.* 2. *in calce*, & *in* 4. *dist.* 15. *quæst. vltima*, quia omissio exterior, cum sit mera carentia actionis, non pendet ex actuali influxu voluntatis, ità vt hic, & nunc procedat ex actu voluntatis formaliter, aut virtualiter durante; sed potest manere per modum habitualis effectus relicti ex præcedenti voluntate, quod non satis est, vt continuetur actuale peccatum, ideò neque sufficit ad vnitatem peccati. 66

Vasquez *numero* 14. dicit, eum, qui non restituit, cùm possit, actu peccare, non solâ omissione, sed etiam commissione, quia detinet rem alienam; atque adeò vsurpat, nam detensio est vsurpatio, & læsio rei actualis continuata, ac proinde non est peccatum merè habituale. Idem sentiunt Lessius *Lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 3. *numero* 11. Molina *de Iustitia*, *Tract.* 2. *disp.* 733. Bellarminus *de obligatione iustitiæ*, *Lib.* 2. *quæst.* 17. *sect.* 2. Turrianus 2. 2. *Tract.* 2. *disp.* 17. *dub.* 1. apud Dianam *p.* 1. *tract.* 16. *resol.* 27. post D. Bonauenturam *in speculo animæ*, *cap.* 2. *ad calcem.* Sic igitur vna detentio continuata censetur vnum numero peccatum, nisi quando interrumpitur. Itaque ait, hoc peccatum omnibus modis (vno excepto) interrumpi, quibus interrumpitur actus peccati exterior. Primò quidem reuocatione prioris voluntatis. Secundò per somnum. Tertiò per inconsiderantiam naturalem. Quartò, quando miscentur alia opera, ex alio fine; vt, cum is, qui pergit Brixiam ad hostem occidendum, diuertit ad nundinarum locum ad mercandum. Et hunc modum ait non capi in casu nostro, quo fit omissio restitutionis. 67 68

Cæterum est alius modus, extra hos quatuor, quo interrumpitur hoc peccatum non restituendi, nempè quando impotens factus est, tempore restitutionis, vt docet D. Bonauent. *locis citatis*, & post eum Vasquez *numero* 15. sic enim detentio rei alienæ desinit esse voluntaria; ac proinde peccatum esse non potest: Debet enim ad hoc, vt peccatum actuale duret, durare non modò effectus, sed etiam aliqua actio, non quæcumque; sed voluntaria. Hinc qui venenum alteri propinauit, non peccat actu, quamdiù venenum operatur; nam potest interim cessare ab omni voluntate, imò & pœnitentiam agere.

Alium modum ponit Sotus *Lib.* 4. *quæst.* 7. *art.* 4. quando vidit creditorem egêre, & non soluit. 69

Itaque ad rem. Si quis repetat voluntatem non restituendi permanente eadem detentione, nec interrupta aliquo ex prædictis modis (ait Vasquez) semper censeri vnum numero peccatum.

Attamen alij probabiliter dicunt, in duobus tantùm casibus committi nouum peccatum. Primum, quoties reflexè renouatur propositum, non restituendi, ità vt, etiamsi nunquam statuisset retinere, nunc decerneret. Secundus modus est, quando 70
statuit

statuit restituere, & posteà datâ opportunitate non restituit. Ità Petrus Atragon 2.2.*quæst*.62. *art*.8. Rodriguez *Sum. Tom*.1. *cap*.46. Malderus 2.2.*tract*.4. *cap*.11. *dub*.7. Diana *loco citato*.

NEQUE ad hoc, vt censeatur vnum numero peccatum, habendam esse rationem moræ temporis; An fuerit magna, vel parua, ait Vasquez; ex hoc tamen non colligi, eum qui eodem die festo sæpiùs proponit, non audire Missam, & verè non audit, vnico peccato maculari, continuato in vnica omissione exteriori, quia reuera talis continuatio fieri non potest; eò quòd omissio exterior non incipit, nisi ab eo tantùm tempore, quando iam deinceps non potest audiri Sacrum. Quare toto anteriori tempore non est omissio; in qua voluntates illæ refricatæ valeant continuari; nec posteà durat omissio exterior, & ità non videtur, qua ratione vnum fieri possit numero peccatum.

71 FAVENTINUS verò à *numero* 46. ex interruptione Physica venatur moralem. Vnde ex distinctione Physica aucupatur etiam moralem, Cùm enim peccatum sit carentia debitæ rectitudinis in actu, vt dicetur *Tract. de Peccato, disp*. 1. *quæst*.1. tot erunt peccata numero distincta, quot sunt actus numero distincti. Et quidem physicè actus primò non distingui ex subiecto, patet; quia, licèt idem actus numero nequeat à pluribus personis prouenire; tamen in eodem subiecto videmus plures, & diuersos numero actus, vt plures volitiones, sensationes, &c. Hoc autem quomodo verum sit, vidimus *quæstione præcedenti*, maximè *ad tertium*.

72 Ex duplici igitur capite, ait Faber, distingui actus numero, primò ex obiecto; deinde ex interruptione: Ratione obiecti, vt amor in Petrum, & in Ioannem, nam ex *secundo de anima*, actus per obiecta distinguuntur. Ratione verò interruptionis; quia *ex* 5. *Physic. text*. 34. motus multiplicantur numero per interpositionem quietis. Idem habet S. Bonauent. *in* 2. *distinctione* 41. *quæstione* 2. *ad* 1. & *in* 3. *distinctione* 27. *articulo* 2. *quæstione* 3. *argumento*. *Sed contra*, & cum eo plurimi apud P. Galitium *Lib*. 3. *Physic. tractat*. 1. *quæstione* 8. *numero* 7.

73 IAM verò (ait Faber) Actus peccati multiplicantur numero per interruptionem actus, siuè transeundo ab vno in alium actum malum, vt à voluntate occidendi Petrum, ad voluntatem occidendi Paulum; & hos actus, non est dubium, esse diuersos, sunt enim diuersa obiecta numero. Alio modo interrumpendo actum circa idem obiectum, interponendo aliquam quietem actui; deinde redeundo ad volitionem eiudem obiecti. Hæc enim est diuersa volitio, idest, diuersus motus secundùm subiectum, & sic diuersus actus, & diuersum peccatum numero.

74 HÆC ait verificari etiam de actibus externis, qui enim continuò ab occisione vnius ad occisionem alterius pergit, duo peccata committit. Ratio est, quia sunt plures actus Physicè: Ergo plura peccata. Ex quo deducit, eum, qui continuat actum exteriorem, licèt cesset actus interior actualiter, vt volens occidere hostem, parat equum, arma, socios, itinera facit, &c. tot peccata committere, quot actus exteriores facit, quia sunt plures actus physici distincti.

SED hoc non placet; ac meliùs philosophantur Suarez, & Vasquez, ob rationes suprà allatas.

75 ADDIT verò, non tamen hos actus in Confessione esse explicandos, quia regulariter sunt concomitantes, vel disponentes ad talem actum.

Sed neque hoc placet, quia eodem modo se habent peccata in distinctione propria, & in ordine ad confessionem. Nam Concilium Tridentinum iubet, confiteri peccata omnia, vt sunt in conscientia peccatoris.

SIMILITER (ait Faber) Si actus exterior, & interior interrumpantur actualiter, interior autem maneat virtute, vt in meretrice exposita, & concubinario; quot actus committunt, tot numero peccata sunt: tamen quia virtualiter eadem voluntas manet, pro vno videntur haberi, & sufficit in Confessione exponere, quòd tanto tempore habuerit voluntatem virtualem, & quoties accessit occasio, actum habuit peccati: Si verò actus sit vnus, & malitiæ plures; vt si quis eodem die, quo duplici obligatione tenetur ieiunare, frangat ieiunium, vel si vxoratus rem habeat cum vxore alterius, & similia; est quidem vnum peccatum, quia concretum non multiplicatur ad multiplicationem formarum tantùm; sed requiritur multiplicatio quoque subiecti. In proposito autem non multiplicatur subiectum, scilicet actus; est tamen illa multiplex malitia confitenda, quia perindè est, ac si essent duo, vel plura peccata. Quod etiam sentire videtur Suarez *disput*. 22. *sect*.5. contra Nauarrum; & alios. 76

Hoc maximè displicet, quod æquiparet actus interiores, & exteriores multiplicatos. Sanè, si actus multiplicentur exteriores, multiplicabuntur etiam peccata; quis hoc negabit? Ea verò numero confitenda esse peccata, non est negandum; esto, ob difficultatem liceat, modo ab eo dicto aliter confiteri. Quid Seraphicus senserit, breuiter dicam.

ET quidem *in* 2.*dist*. 41. *quæst*. 2. *ad* 1. omninò eam doctrinam astruit, quàm hausit Faber, eandemque distinctionem peccatorum, siue actuum moralium ex actibus Physicis, secundum regulas allatas Aristotelis, venatur: Non tamen ex doctrina S.Bonauent. bene omnia colligit Fauentinus, non satis motum moralem, & alia distinguens: non enim motus morales illius multiplicantur ad modum motuum physicorum, per interruptionem quamcumque, sed requiritur interruptio moralis; & est, cùm libertas est mutata circa illud obiectum. 77

ET quidem cùm in materia carnis, Tactus, & oscula sint peccata singula mortalia, si libidinosa sint; vt docent communiter cum D.Bonauent. *in speculo animæ, cap*. 3. circa medium; Similiter in homicidio, actus parandi arma, & equitandi ad occidendum; Attamen in intentione, & fine intento videntur vnificari, tanquam dispositiones in toto actu completo externo, & ob hanc causam, neque esse plura peccata, neque in confessione exponenda. Et hoc videtur sentire Seraphicus Doctor, suprà allatus in *Notandis*: Sunt verò seorsim singula lethalia etiam in se, è sola delectatione, vt definit Alexander VII. Decreto 1665. 78

Quoad reliqua, ex fundamentis eius suprà allatis patet eum esse in opinione secunda.

QUÆSTIO

QVÆSTIO IV.

An OPERATIO *exterior addat aliquid bonitatis, vel malitiæ ex obiecto, & circumstantiis, actioni interiori.*

D. Bon.d.40.art.2.q.1.& 2. & d.42.q.2.
D.Thom. quæst.20.art.4.

79 SVPPONO, Actum externum, qui ex opere operato confert gratiam, esse maius bonum quàm actum solum internum, *verbi gratia*, sumere Eucharistiam, aut confiteri. In his enim posita est pactio Dei, non in actu interno, conferendi gratiam.

NOTAT Vasquez *numero primo*, ex D.Bonauent. *in corpore*, quæstionem esse solùm quando voluntas est efficax, atque ideò solùm non exequitur intentum, quia non conceditur opportunitas operandi; si enim oblata commoditate non operetur id quod proposuit, certè additur ab opere externo malitia, vel bonitas, quatenus perfectior est voluntas, quæ tunc operatur, quia efficax est, quàm quæ non operatur, quia inefficax. Sic melior est elargitio eleemosynæ, quàm mera voluntas ipsam elargiendi inefficax.

80 IN hac celebri controuersia partem affirmantem docuit Scotus *in 2. dist.41. quæst.4. §. Quantùm ad secundum*, & ex professo *quodlib.18. art.3.* Alensis *2.p. quæst.107. memb.8. art.2.* & *4. p.quæst.77.memb. 3. art.3.* Scotistæ omnes veteres, *loco citato Scoti*. Bassolius, Tartaretus, Lichetus, Gratianus, Rubion. Inter Recentiores, præcipuè Angles, Herrera *disp.33. quæst.2.* Poncius *disp.21. quæst.7.* Faber *de Pœnitentia, disp.2.* Vulpes *disp.74. art.3. & 4.* qui duo postremi aiunt, actum exteriorem addere bonitatem, vel malitiam interiori, non tantùm numero distinctam, sed etiam specie; quam sententiam amplectuntur etiam quidam Moderni extra Scholam Scoti, vt Ripalda *disp. 68. sect.5.* Amicus *disp.16.* Granado *p.2. tract.14. controuersia 2. disp.6. sectione 2.* & alij apud P. Mastrium *Tom. 2. disp. 5. quæst.5.* vbi etiam, atque etiam miratur Seraphicum pro opposita sententia adduci, quippè *dist. 40. art. 2. quæst. 1.* & *dist.42. art. 1. quæst.2. in corpore*, præclarè explicauerit, quo pacto externus actus addat bonitatem, & malitiam actui interiori. Qua notatione carpit Fabrum suum.

81 PARTEM verò Negantem sustinent D. Thom. *quæst. 20. art. 4.* vbi omnes discipuli, Caietanus Medina, Conradus, Serra, Aluarez, Salmaticenses, Capreolus verò *in 2.dist.42.quæst.1.art.1.concl. 12* Durandus *eadem dist.quæst.1. numero 8.* Richardus *art. 1. & 4.* Gabriel *quæst. 1. art. 1.* Gregorius *dist. 42. concl.6.* Vasquez *disp.76. cap.2.* vbi frustra nititur ad se trahere Seraphicum; adducit etiam Hugonem de S. Vict. *Tom. 3. Lib.2. de Sacramentis, 4. p. c.6.* Caspensis *Tract. de bonitate, & malitia, &c. disp. 3. sect. 3.* vbi affert Seraphicum, & ait esse communem, maximè interpretum Angelici: Valentia *disp.2. quæst 15. p.4.* vbi ait esse communem Patrum, & Scholasticorum *2. dist. 42.* ita vt neque Scotus eam respuat. Morandus *tract.2. de actibus humanis, quæst. 26.* Suarez *disput.10. sect. 2.* Salas *tract.7. disp.5. sect.3.* Ouiedo, Arriaga *disp.16. sect. 4.* Auersa *quæst.20. sect.5.* Hacquetus, Lezana, Pallauicinus *disput. 9.* & alij cum Bassæo infra citato.

PLVRES tamen huius sententiæ sectatores, fortè rationibus pressi opinionis oppositæ, hoc ità explicant: opus externum nil addere bonitatis, vel malitiæ actui interno, intelligi in ordine ad præmij, vel pœnæ essentialia: addere verò in ordine ad accidentalia. Ità Bassæus *verb. Actus Hum 4. numero 23.* referens Valentiam, Vasquez, Becanum, & alios. 82

ENIM verò, cum præmium, & pœna, sicuti, & meritum, sequantur bonitatem, & malitiam humanorum actuum, veluti passiones; vtique concedunt, actum exteriorem addere bonitatem, vel malitiam aliquam.

VBERRIME igitur inter cæteros D. Bonauent. agit hac de re, & quidem *dist. 40. art. 2. quæst. 1.* agit de additione bonitatis actus externi ad actum internum: At *dist. 42. quæst.2. tractat. de augmento malitiæ.*

AB hoc exordior: Ibi igitur distinguit peccatum vnum maius alio tripliciter. Primò ratione maioris contemptus, idest auersionis à Deo, & conuersionis ad creaturas; & hoc modo non esse maius, addito opere externo; quia contemptus est à voluntate sola. Secundò potest esse maius quoad libidinem, & hoc modo maior est malitia interior, si addatur exterior; nunquam enim adeò delectatur volens fornicationem; sicuti volens eam, & patrans. Tertiò potest esse maius, quoad damnum; & hoc pacto additur malitia opere externo: non enim adeò damnificatur aliquis à fure volente, sicut à fure rapiente opes. Hinc concludit, in iudicio Dei puniente completè malitiam, opus censeri aliquid malitiæ, & culpæ, addere actui volitionis; & admittit rationes pro assertiua sententia, & respondet arguentibus negatiuè. 83

HINC non rectè Vasquez ait, *numero 4.* S.Bonauenturam solùm velle, peccatum operis, adiunctum volitioni, esse maius tantùm extensiuè, quia magis perseuerat, quando cum opere coniungitur: Hoc enim neque mussitauit Seraphicus. Deinde potest esse, vt actus interior amplius perseueret solus, vt si quis die integra perseueret in voluntate fornicationis, quàm media hora patrat. 84

Quoad bonitatem S.Doctor *dist. 40.* apertè ait, actum externum addere bonitatem coram Deo ad meritum, vt patet legenti.

ASSERO igitur, opus malum externum addere malitiam actui interno, 85

PROBATVR primò à D. Bonauent. ex Glossa, ad illud Exodi 20. *Non Mœchaberis*, vbi ait: *Quia prohibitum est, malam voluntatem in opus producere; ideò contra prohibitionem illam faciens, plus peccat:* Et concludit: *Qui opus adiicit voluntati, iniquitatem addit iniquitati.*

RESPONDET Salas, de illa Glossa parùm esse curandum, nec rationem eius esse alicuius momenti; nam licèt veritum sit, voluntatem malam exequi; tamen non alio præcepto prohibita est executio, & voluntas: sed eodem in substantia, licèt propter rudiores tradita sint, quasi distincta præcepta de opere, & voluntate.

VERVM licentiâ nimiâ, ac elato supercilio spernitur authoritas Glossæ. Et sanè ratio eius glossæ est validissima; nam præcepta illa non pro solis rudibus lata sunt, cùm sint Legis Diuinæ; sed ad ostendendum actum externum, dependenter quidem ab interno, esse actum moralem, habentem specialem entitatem extensiuam malitiæ internæ. Quod si nulla est in externo actu entitas propria malitiæ, profectò Deus in capitalibus, & veluti generalibus 86

generalibus legibus naturæ non addidisset seorsim præcepta distincta, quibus profectò ostendit, magis peccare vtramque legem violantem, quàm alteram solam, vt rectè vrget S. Doct. & cum eo Mastrius, *numero* 280.

87 PROBATVR secundò à S.Doct. ex D.Augustino *lib.* 13. *de Trinitate*, *cap.* 5. vbi ait: *Mala enim voluntate, vel sola quisque miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur*: Hac ratione vtuntur multi, præsertim Scotus, & ex discipulis Mastrius, ac Fauentinus *loc. cit.* qui ex D. Bonau. sic arguunt. Actus exterior addit miseriam actui interiori, sed hæc miseria non est pœnæ: nam implere suum appetitum non est pœna, sed culpa; imò è contra, qui desiderat, & desiderium non potest adimplere, torquetur: Ergo, &c. Hæc authoritas est euidens. Ideò torquet aduersarios.

88 RESPONDET Gabriel, D. Augustinum loqui de miseria peccatoris apud homines; non de culpa. Contrà; nam loquitur de miseria, vt opponitur beatitudini, quæ stat in malo velle, vt notat Vasquez.

Medina, & Vasquez respondent primò, ideò augeri malitiam, quia, vt plurimum, actus voluntatis, addito opere, fit intensior; non quia opus externum addat malitiam extensiuè; sed quia occasione operis exterioris præsentis crescit affectus voluntatis, & magis perseuerat.

CONTRA, quia D.Augustinus hanc propositionem ex hoc deducit, quod adeptio rei, malè concupitæ, est peior, quàm sola voluntas: ait enim. *Nec tam miserum est non adipisci quod velis, quam adipisci velle, quod non oportet*. Et subdit testimonium Scripturæ, Psalm. 9. *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ: & qui iniqua gerit, benedicetur.*

89 Quod ipse exprobrat dicens: *Cùm profectò, quamuis & sic miser est, minus tamen esset, si nihil eorum, quæ perperam voluisset, habere potuisset? Mala enim voluntate, vel sola quisque miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur.* Igitur loquitur per se de extensiua malitia. Adde ea, quæ fiunt ex metu, non addere, sed tollere intensionem; vt proiectio mercium, datio crumenæ latroni, &c.

RESPONDET secundò Medina, quòd homo per actum exteriorem fit miserior, quia ex actu exteriori sequuntur maiora damna, quàm ex actu interiori; nam oriuntur scandala, expilationes, mortes proximi, &c.

90 Respondet tertiò, eum, qui adimplet desideria, esse infœlicissimum, quia Deus eos, quos maximè odit, tradit in desideria cordis eorum, vt habetur *Rom.* 1.

ENIM verò, licèt aliquo ex his modis augeri possit miseria &quidem quoad damna emergentia, afferatur à D.Bonau. attamen *hic*, D.August aliter loquitur, nam reddit rationem, ob quam, is, qui desideria sua praua explet, miserior est, nempè, quia plura mala facit. Nam disputat ibi S. Augustin. quid sit beatè viuere, & laudat Ciceronem, reprehendentem quosdam, qui asserebant *benè viuere, esse viuere, vt*

91 *cuique libet, atque, vt quemque delectat*. Redarguit autem hos Cicero, & eum laudat D. August. *quia nemo dicet, eum beatè viuere, qui nequiter viuit, ac turpiter, nullo vlciscente, & nullo saltem reprehendere audente, insuper, & laudantibus plurimis: quoniam, sicut ait Scriptura diuina: Laudatur peccator in desideriis animæ suæ: & qui iniqua gerit, benedicetur: implet omnes suas facinorosissimas, ac flagitiosissimas voluptates.* Et subdit illa verba: *Profectò & quamuis & sic miser est, minus tamen esset, si nihil eorum, quæ perperam voluisset, habere potuisset.*

RESPONDET Caietanus, ex hoc testimonio haberi, quod exterior actus facit hominem peiorem. Quomodo autem hoc fiat, declarat *art.* 4. quia actus 92 exterior apponit malitiam eandem actus interioris, sed in suo esse perfectissimo. Ità ferè etiam Auersa.

AT quis non videt, actum perfectissimum non posse addi absque additione intensionis? Deinde secundùm D. Augustin. addit etiam extensiuè malitiam; quia, qui adimplet facinus, fit facinorosus, & flagitiosus, & in peiori statu vitiorum; qui enim solas malas nutrit voluntates, non est facinorosus, & flagitiosus, licèt sit verè peccator.

RESPONDET Serra, D.Augustin. loqui de augmento extensiuo, etiam in ordine ad præmium, & pœnam; sed accidentalia tantùm. At hoc est nobis dare ferè manus.

HINC arguit secundò S.Bonau. Illud, quod magis punitur à legibus iustis, est quid additum malitiæ; sed actus exterior magis punitur, quàm solus interior etiam expressus ore, vt possit iudicari: Ergo. Maior probatur: nam iustitia creata est participatio Diuinæ. Minor probatur: nam certè magis punitur ille, qui occidit, quàm qui id volens, solùm ore prodidit homicidium. Et hoc etiam fit in iudicio infallibili Ecclesiastico, censuris, & aliis pœnis. 93

QVIA tamen, potuisse impugnari hanc rationem vidit Seraphicus; quia humana iustitia solùm de externis iudicat. Quamuis refelli queat effugium; arguit tamen: Quia adhuc Ecclesia sic ostendit in actu externo, esse malitiam. 94

ARGVIT tertiò: Quicumque in plura peccat, & plures leges delinquit Diuinas, est magis iniquus; sed qui consumit actum malum internum opere externo, in plures peccat, & in plures leges delinquit: Ergo. Maior est clara. Minor probatur. Nam, qui, solo interiori actu concupiscit rem alienam, peccat in Deum, & in decimum præceptum; at qui furatur eam, peccat & in septimum, & lædit etiam proximum: Ergo. Hoc argumento maximè nititur Scotus *illo quodlib.* 18. & Fauentinus *numero* 42. Mastrius *numero* 210. licèt deuient volendo, esse diuersas distinctas malitias, quod confutaui *quæstione* 2.

RESPONDET Capreolus, & alij, illo præcepto decimo: *Non concupisces*, non prohiberi illam voluntatem, quæ est coniuncta actui exteriori, sed eam, quæ non est coniuncta exteriori actui, quia illa etiam sine exteriori est mala: Eam verò, quæ est coniuncta cum exteriori, prohiberi septimo præcepto. *Non furaberis.* 95

HÆC responsio est inanis, vt arguit Fauentinus, *numero* 43. ex S. Bonau. adducto *quæst.* 2. *ad* 4. Nam si actus exterior non auget malitiam, non erat cur prohiberetur alio præcepto, sed sufficeret prohibere voluntatem dicendo. *Non concupisces*; Non tamen sequitur, esse distinctam malitiam, vt *ibi* dixi.

ARGVIT quartò. Mensura pœnæ respondet mensuræ culpæ; vt quantùm quis glorificatus est, & in deliciis fuit: tantùm detur ei luctus, & tormenti. *Apocal.* 18. Sed magis glorificatur is, qui ex mundano honore occidit inimicum, quàm qui solùm proposuit eum occidere. Similiter magis in deliciis fuit, qui cum mulieribus, & inter epulas volutatus est, quàm qui solùm ità proposuit: Ergo. 96

ARGVIT quintò, *in corpore*. Maior libido, &

& damnificatio, per se è peccato manans, & maioris malitiæ; sed maior est libido concubinarij, quàm eius, qui proposuit tantùm; & maius est damnum, proximum expilare, & occidere, quàm hoc solùm proponere, aut hæc parare: Ergo. Confirmatur à D.Bonau. *in corpore*, & *ad secundum*. In Scripturis sæpè Deus contestatur pœnas; eò quòd exequuti fuerint homines sua scelera; nam anteà, etiamsi id cogitassent, tamen damna exprobrat, vt aduertit D. Bonauent. *ad tertium*.

97 Argvit sextò, *ad quartum*; argumento, quo vtitur Scotus *loco citato*; & Fauentinus *numero* 25. Supponit autem rationem formalem peccati non esse, quòd sit voluntarium; alioqui omnes actus voluntarij essent peccata; sed quòd careat rectitudine, debitâ iuri naturali, vel Diuino, &c. Tunc sic: Id, quod aliquid adimit rectitudini actus, ponit aliquid peccati; sed actus malus externus adimit aliquid rectitudini actûs: Ergo. Maior patet ex dictis. Minor probatur: nam actus exterior, *verbi gratia*, homicidij, vel adulterij, est contra dictamen iuris naturæ; & ideò vetita, quia mala. Verè quidem non habent esse completum morale, nisi provt à voluntate libera sunt; ex eo tamen, quòd actus exterior non est peccatum sine voluntate; non sequitur, non addere quid malitiæ; sicuti quia ferrum non vrit absque igne, ignis tamen cum ferro plus vrit, & plùs penetrat, quàm faceret per seipsum; ferri enim densitas fouet calorem, &c. Hæc S. Bonauentura. Nam Scoti ratio supponit duas esse malitias distinctas, quod neque necessarium est ad nostram probandam assertionem, neque verum, vt dixi *quæstione* 2. (ait Gregorius) qui plures concessit esse malitias distinctas, maléque negat *hic*, vnam alteri addere, vt notat Fauentinus *num*. 37.

98 Confirmatvr à D. Bonauent. *in argumentis, & in corpore*, quia Deus punit non modo voluntates, sed etiam opera. Ideò damnata est Petri Abailardi propositio; Deum punire solum actum voluntatis, & propter opera non effici hominem peiorem, nisi fortè in ipso opere voluntas augeatur. Ità arguit etiam Faber *numero* 44.

Respondet Gregorius, quem refert Capreolus, & sequuntur Medina, Vasquez, & alij, quod hic non fuit error Abailardi.

Contra; nam Gregorius ipse fatetur, hunc fuisse aticulum tertiumdecimum Abailardi damnatum: *Propter opera, nihil melior, vel peior efficitur homo*. Per opera autem intelliguntur exteriora, non autem actus interni. Non tamen, ob id, damno sententiam oppositam, quæ non eò peruenit, vt neget omninò puniri, aut fieri deteriorem hominem per opera externa.

99 Probatvr vltimò. Si actus exterior non auget malitiam: Ergo non est in confessione necessariò explicandus; Sed sufficiet dicere: Proposui firmiter occidere, furari, &c. Hoc argumentum eruitur ex D. Bonau. *in fine corporis, & fundamentis*, vbi ideò in iudicio Dei iustissimo, primâ regulâ omnis æquitatis, atque iudicij, ait aggrauari peccatum, si sit opere consummatum. Et *in quæstione prima, fundamento vltimo*, vbi simul cum actu interno, in iudicio conscientiæ diuino, imponi ait satisfactionem exhibendam.

Mvltas aduersarij responsiones meditati sunt, & variis, ac miris modis, sed non veris, soluunt argumentum, à quo miris, veris tamen modis torquentur: Multas eorum responsiones ingenuè ostendit Vasquez esse imbelles.

Respondet ipse primò, explicandum in confessione, quia ex actu externo deriuatur malitia ad internum, etiamsi sit vnum peccatum. 100

Contra ad hominem: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale*, sed actus internus ab externo accipit malitiam; atque adeò propter actum externum, etiam internus habet malitiam: Ergo multò magis eam habet externus. Nec satisfacit dicendo, esse vnum peccatum. Nunc enim quæritur, quid sit cuiusque proprium, & vos dicitis, malitiam causaliter esse ab obiecto externo: Ergo distincta ab ipsa malitia interni actus; alioqui erit idem causa, & effectus.

Respondet Caspensis primò, illud dicendum in confessione; quia potest addere bonitatem, & malitiam. Sed vir iste, sic, nobiscum est.

Respondet secundò, ideò posse addere, quia potest intendi voluntatis actus, vel ob multiplicationem actuum, vel ob durationem.

Contra, quia tenemur confiteri etiam illos actus externos, qui remissiùs fiunt, quàm interni; qualis est actus occidentis cum vitæ discrimine, quo aggrediens, sæpè animo concidit. 101

Respondet tertiò, esse explicandum, quia voluntas efficax ex facto colligitur.

At satis esset dicere: *firmiter proposui*; nam voluntas quoad internum perficitur.

Respondet quartò, debere nos confiteri, quia est vnum peccatum, & integrè est explicandum.

Contra. Ergo tacendo opus, tacetur aliquid essentiale peccati, & malitiæ. 102

Respondet Salas, rationem esse, quia per actus externos damnum proximo defertur, scandalum committitur, ideò debent in confessione aperiri ad remedium.

Sed aperire iubemur etiam actus externos, in quibus nulla ex his causis adest, vt si quis in solitudine blasphemauit, vel se polluit.

Respondet Suarez, Arriaga, & Auersa, nos teneri aperire actus externos, quia etsi non habeant malitiam ab interiori distinctam, adhuc tamen mali sunt, quamuis solùm denominatiuè à voluntate. Addit Auersa, non debere nos aliam rationem quærere huius legis. At, si est vna malitia, sat est confiteri id, quod est formaliter malum. Quod si dicas esse vnam compositam: Ergo & externus actus addit suam partem. Id verò, quod ait Auersa, vanum est: habemus enim in iudicio confessionis, Diuino & iusto, legem confitendi etiam actum externum, vt declarat Conc. Trid. *sess*. 14. sanè quia est materia eius, quæ est peccatum. Quare fatetur Serra, actum externum habere malitiam propriam puniendam. 103

Assero secundò, actum externum bonum, addere interno bonitatem.

Probatvr à S. Doct. primò è Gloss. ad Philip. primo, ad ea verba: *Quæ sit supereminens magnitudo*; vbi ait, Doctores habituros, vltra cæteros, incrementum gloriæ, ob doctrinam aliis dispertitam. 104

Probatvr secundò, à Diu. Bonauent. Id, quod est maioris meriti, est etiam maius bonum. Sed actus virtutum externi, puta martyrium, seu dispensatio omnium facultatum, est maioris meriti, quàm mera voluntas dispertiendi, & dandi pauperibus; ac moriendi pro Christo: Ergo. Maior est clara: nam meritum innititur excellentiæ operis. Minor probatur. Quantò aliquod opus est laboriosius, tantò est maioris meriti. Sed opus Martyrij est tale: Ergo. Hoc argumento nititur

105 titur Faber *numero* 47. & alij. Confirmatur à D. Bonauent. quia Ecclesia, cæteris paribus, maiori prosequitur honore Martyres, quàm Confessores. Ecclesia autem iustè procedit: Ergo maioris meriti est, qui moritur, quàm qui non est mortuus. Nota, textum dicere, *quàm qui pati nolunt*, sed est error typographi, & vult dicere, *quàm qui passi non sunt*; nam S. Bonauent. comparat voluntatem efficacem ipsi actui coniunctam; cum voluntate efficaci, quæ non impedit, vt nota i quæstionis initio. Et plurimi confessores habuêre voluntatem moriendi; sed impediti sunt, vt patet in eorum vitis.

Respondent, dato casu, æqualis meriti esse, velle mori pro Christo; & mori, data pari intensione voluntatis. Ad quod Sancta Ecclesia canit de S. Martino: *O sanctissima anima, quam etsi persecutoris gladius non abstulit, Martyrij tamen palmam non amisit*, magis verò mereri in martyrio, quia intenditur actus voluntatis.

106 Contra, quia imò ad præsentiam instrumentorum necantium remittitur voluntas, & ità actus Martyrij est minùs intensus: Ergo minoris meriti, quàm voluntas sola martyrij. Probatur consequentia ex aduersariis, qui dicunt; ideò tantùm opus externum addere bonitatem, vel malitiam, quia voluntas in illo suo desiderio explendo fit intensior. Cùm ergo præsentia realis mortis minuat feruorem voluntatis; sequitur, minùs mereri in subeundo actu martyrij. Quòd verò remittatur, probatur à Scoto *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 9. nam maioris vehementiæ est appetitus naturalis, quàm

107 quilibet habitus quantumuis perfectus ideò Sancti etiam, habitu perfecto induti, difficilè mortem subeunt. Quoad D. Martinum respondet S. Doct. *dist.* 40. *art.* 2. *quæst.* 1. datum esse præmium charitatis essentiale, non Aureolam; non enim colitur officio Martyrum. S. Martinus.

Vasquez *numero* 12. confitetur, Martyri augmentum meriti accidentalis Aureolæ, non tamen essentialis. Sed in hoc ad nos accedit; nam & nos dicimus, meritum essentiale augeri tantùm per augmentum actus virtutis in voluntate, puta charitatis in martyrio; & de hoc non potuit esse quæstio; sed de additamento quocumque perfectionis per actum externum.

108 Probatur tertiò à D. Bonauent. Christus passione suâ aliquid meruit, quod non meruerat antè; cùm tamen actu intensissimo obtulisset ab instanti conceptionis corpus suum, totumque seipsum in Holocaustum Patri pro nobis, iuxta illud, *Holocaustum pro peccato non postulasti, corpus autem aptasti: Tunc dixi: Ecce venio.* Ideò signum est, opus externum addere aliquid bonitatis.

Respondet Caspensis, Christum in morte habuisse rursus voluntatem moriendi. Hoc verò nil soluit; comparat enim actum solum cum actu iuncto operi, non autem voluntatem cum opere; si ergo addito opere voluntati meruit: Ergo, &c.

109 Probatur quartò à D. Bonauent. bonum additum bono; facit magis bonum, sed opus martyrij externum est bonum: Ergo additum voluntati facit magis bonum; sicuti malum externum, additum malæ voluntati, addit malitiam; nam oppositorum eadem est ratio.

Probatur quintò, à S. Bonauent. Si opus externum non adderet bonitatem, & meritum, frustrà Martyr iugulum præberet: simul & Confessor frustra probaretur. Ideò S. Bonauent. *distinctione* 40. *articulo* 2. *quæstio e* 1. *in corpore*, docet, actum externum bonum addere aliquid meriti, saltem de congruo, sed ad præmium substantiale, quod malè negat Vasquez, Lorca, & Serra, vt notat Mastrius *numero* 168.

Probatur sextò, à D. Bonauent. *in* 2. *distinctione* 40. *quæstione* 2. *argumento vltimo.* Si intentio tantùm valeret sine opere, quantum cum opere; sequeretur aliquem intendendo opera omnium Sanctorum, vno actu, posse mereri gloriam omnium Sanctorum, Mariæ Beatissimæ, & Angelorum, imò desiderando, & infinita opera patrare pro Deo, infinitum sibi meritum cumulare. 110

Multi multa respondent, quorum responsiones iacent in Vasquez confutatæ. Respondet ipse, illam voluntatem non posse esse in nobis efficacem, quia videt esse impossibilem.

Contra tamen, quia nullo ex capite potest simpliciter censeri impossibile, vt Dei gratiâ mihi assistente habeam omnes actus, quos habuit D. Petrus, vel omnes Sancti; & per Christum merita infinita pollet mihi talis, ac tanta gratia adhiberi. 111

Obiicies primò, cum Valentia, & Caspensi, illud Genes. 22. *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti vnigenito propter me.* Ibi ità præmiata est voluntas Abrahæ, ac si filium immolasset, iuxta illud proloquium Diui Bernardi, epistola 77. *Voluntas pro facto reputatur, vbi factum excludit necessitas.* Idem habet Glossa, ad illud Psalm. 67. *Etenim in corde iniquitates operamini.*

Respondet Diu. Bonauent. *distinctione* 40. *quæstione* 1. *adducta ad vltimum*, quoad opus bonum voluntatem reputari pro facto, puta Martyrium in ordine ad iustificandum coram Deo, & quoad præmium essentiale; quia nemo amittit regnum cœlorum, eò quòd non faciat id, quod non potest facere; non autem est verum quoad æqualem meriti cumulum, vt docet ipse Diuus Bernardus *epistola* 7. & ità etiam hic intelligit, vt fatetur Vasquez *numero* 4. Id ita in facto Abrahæ euenit. Adde, Abrahamum iam multa fecisse; iam enim duxerat filium in montem, iam nudatum, super pyram lignorum extenderat; iam gladium arreptum in iugulum infigebat. Ita respondent etiam Scotistæ cum suo Doctore subtili. 112

Quoad opus verò malum respondet *distinctione* 42. *loco citato*, *ad primum*, verum esse quoad essentiam peccati in auersione à Deo, contemptu, &c. non autem in libidine, & cæteris. 113

Obiicies secundò, cum Valentiâ, Vasquez, Caspensi, & aliis, D. Augustinus *Libro primo de libero arbitrio, cap.* 3. ait: *Si quis habet voluntatem concubandi cum vxore aliena, & non datur facultas; coram Deo tam reus est, ac si opere complesset.* Quod testimonium clarissimum esse ait Vasquez.

Respondet D. Bonauent. *dist.* 42. *loc. cit. ad* 2. D. Augustinum intelligere quoad essentiale actus, vt sit malus apud Deum, quia auertit ab eo, eumque contemnit; non enim contemptus, & auersio accipitur ab actu externo; non autem intelligi de bonitate, & malitia quoad quantitatem, & grauitatem malitiæ, sicuti etiam bona compensari, diximus 114

diximus argumento præcedenti. Eodem pacto exponendus D. Augustinus *epistola* 49. ad Deogratias, *in expositione quarta*, ad illud Matth. *In qua mensura mensi fueritis.* Et Diuus Leo *sermon.* 40. *de ieiunio*, vbi ait: *Subinde aquatur merito, qui distat impendio; quia potest par esse animus, vbi dispar est census*; vt aduertit Mastrius *numero* 284. Et Diuus Gregorius *homil.* 5. *in Euangelia*, vt
115 notat Faber *numero* 58. similiter & illud, 2. Corinth. cap. 8. *Vt quemadmodum promptus est animus voluntatis, ità sit, & perficiendo ex eo quod habetis. Si enim voluntas prompta est; secundùm id, quod habet, accepta est, non secundùm id, quod non habet.* Quamquam locum hunc nil aduersarios iuuare in proposito Apostoli fatetur Vasquez *numero* 6.

Obiiciunt tertiò. Peccatum est carentia debitæ rectitudinis in voluntate, vt ait Diuus Anselmus *Libro primo de conceptu Virginali*, vbi hoc pacto definit peccatum: *Sola enim voluntas est, quæ nata est auerti à Deo; & ideò vna est auersio, vna libido in actu interiori, & exteriori; nam libido est cupiditas, quæ à D. Augustino vocatur venenum charitatis.*

116 Respondet D. Bonauent. *ad tertium*, auersionem quidem, & contemptum esse à voluntate, sumpta auersione, pro volitione actuali, qua peccator Deum ipsum actu odio habet: vel pro virtuali, quæ est volitio alicuius rei, contra Diuinum præceptum; at verò auersionem, vt dicit inordinationem ab vltimo fine; & hæc diffunditur etiam in actionibus imperatis in opere ipso malo. Libido autem, vt dicit improbum velle, est in voluntate; at verò, vt dicit delectationem prauam, diffunditur in opere externo, & hæc addi-
117 tur voluntati ab eo. Ita ferè respondet etiam Scotus *loco citato*, & Fauentinus, *numero* 70. qui tamen in multis aberrant, maximè quia confundunt opus externum cum actu imperato voluntatis, & conantur miscere vnam malitiam, eamque cum actu elicito comparare: sed quæstio est: an actus imperatus solus voluntatis; vel actus elicitus, imperato addito, sit vna malitia cum executione externa, & opere; vt prælibaui *quæstione prima.* Quis enim ignorat, actum externum, vt habet adnexum actum voluntatis imperatum, esse nouam malitiam, elicito additam?

Obiiciunt quartò. Vnus est actus humanus exterior cum interiori; non enim meretur præmium, aut pœnam, nisi quatenùs procedit ab humana voluntate, à quà solâ habet esse morale.

118 Respondet D. Bonauent. falsum esse, quòd tota ratio mali sit à voluntate, quia aliqua sunt peccata, quæ habent obiectum ex se malum, licèt non habeant completam malitiam, nisi prout à voluntate. Propterea tamen non sequitur, actum exteriorem non addere malitiam interiori, quamuis sine eo non possit esse in genere perfecto morali, sicuti ferrum non vrit absque igne, tamen cum ferro plus vrit, quàm se solo.

119 Præterea Thomistarum vrget præcipuum fundamentum. Vbi non est noua, & distincta libertas, neque est noua, & distincta bonitas; vel malitia; meritum, vel demeritum; quia hæc in libertate fundantur: sed in actu externo non est noua libertas distincta ab interno: Ergo. Minor probatur, quia actus exterior necessariò sequitur ex efficaci voluntate.

Respondetur ex D. Bonauent. negando maiorem, quia libertas non est tota ratio moralitatis, sed solùm fundamentum, vt dixi *disputatione* 14. *quæstione prima*, vnde plures moralitatis 101
bonitatis, & malitiæ possunt in eadem libertate fundari, & in actu externo est propria conuenientia, vel disconuenientia à ratione; in quâ stat partialis ratio moralitatis.

Potest etiam negari minor; nam voluntas du- 120
plicata, velut reflexa libertate ad actum elicitum, & imperatum, se determinat; & ità libertas extenditur etiam ad actum imperatum, prout semper subiacet imperio reuocatiuo voluntatis, donec perfectus sit: quæ libertas non fertur tantùm super circumstantiam temporis, sed super substantiam actus, quia scilicet annuente voluntate potest adhuc non fieri: Quod si hinc argumentum legitimè arriperetur, iam vrgeret & contra moralitatem actus ipsius imperantis, & imperati ipsius voluntatis; & ità, dum charitas imperat actum Martyrij, qui necessariò sequitur, dato decreto, iam non esset liber, nec meritorius.

Hinc facilè soluitur etiam argumentum No- 121
minalium, quod tale est: Supposito actu interno, & voluntate omninò efficaci actus imperatus, præsertim exterior necessariò sequitur absque nouo libertatis exercitio. Igitur sicuti ex eo, quòd mouetur equus, me calcaribus premente, non augetur meum meritum, vel demeritum; ità neque ex eo, quòd moueatur pes, vel manus.

Omnes, etiam aduersi, huic argumento soluendo tenentur, vt vidit Vasquez, quia concedunt, actum externum esse malum, vel bonum per participationem, quia subest immediato voluntatis imperio. Igitur dico, solas potentias, 122
quæ vnitæ sunt in eadem natura, vnde voluntas affici potest passionibus, participare rationem libertatis directiuæ: vnde non est simile de equo.

Obiiciunt adhuc. Qui vult furari, & non furatur, eò solùm, quia non inuenit, meretur æqualem pœnam, ac si furatus esset; quia quòd non furetur, est illi omninò inuoluntarium. Ità & qui vult elargiri eleemosynam, & solùm, quia inuenit furatam sibi crumenam, non elargitur, tantum meretur, ac si elargitus esset. Alioqui posset aliquis priuari merito solùm ex aliorum extrinseco impedimento: vt si virgo violaretur. Sed hoc est falsum, imò potiùs duplicatur illi ad coronam: vt dixit Sancta Lucia Paschasio, vt in ipsius celebritate dicitur.

Respondetur, furem illum non minori 123
supplicio essentiali, debito voluntati furis, puniendum, benè tamen accidentali, quod adderetur per actionem nouam liberam furti, quod esset voluntarium: sic de præmio dicendum accidentali, quod non absonè impeditur à voluntate, sicuti, qui inuitum priuat sacramentis, priuat opere operato eorum. Quidam tamen dicunt, Aureolam virginitatis non impediri. Alij verò dicunt, duplicari, quia datur aliud præmium æquale, & insuper pro iniuria graui.

Obiiciunt adhuc. Qui in alium excutit globum è bellico tormento, vt occidat, non est minori pœna dignus, si non occidat, quàm si occidisset; quia per eum non stetit: Actus enim extrinsecus non est laudabilis, vel vituperabilis, nisi in causa libera. Hoc argumentum premit Arriaga.

Respondet Pallauicinus, illum actum esse 124
dignum pœna, etiamsi non vituperio. Sed non capio,

capio, nisi velit, simpliciter quidem laudem sequi ad libertatem, non autem maiorem laudem requirere maiorem libertatem: eadem enim libertate, vnus dat obolum alteri aureum, & magis meretur. In casibus igitur allatis dico, eum mereri maius supplicium, maioremque vituperationem accidentalem, si sequatur actus, liber sanè, quàm si non sequatur, etiam inuoluntariè.

Dices: actus exterior non est nisi ad manifestationem virtutis, ex Aristotele 4. *Eth.* ergo non est bonus, nisi analogicè, sicuti dicitur vrina sana; alioqui possent actus externi esse immediatum subiectum virtutum, contra Aristotelem *in Eth.*

125 Respondetur; actus externos esse morales per participationem realem, vt à voluntate diriguntur, tametsi non per se primò, & hoc tantùm voluit Aristoteles.

Dices. Si Deus disceptaret cum membris, dicens manui, *verbi gratia*, tu occidisti, furata es. Ea posset dicere: Voluntas Diuina est, quæ peccauit; At hoc modo in nostra sententia, culpa refunderetur in Deum, qui dedit membris ordinem hunc, vt obediant voluntati.

Respondetur, negando sequelam, quia malitia, quæ est in actu exteriori, non est in eo causatiuè, sed solùm subiectiuè à voluntate causata.

126 Cætera vide in D.Bonau. quæ facilè soluuntur.

Ex his soluit Seraphicus aliam quæstionem *distinct.* 40. *artic.* 2. *quæst.* 2. Vtrum bona opera externa, ratione quantitatis additæ, addant nouam bonitatem, vel malitiam, vt copiosior eleemosyna (data paritate affectus voluntatis.) Similiter, & in malo grauius furtum, &c. Certum est enim addere; quia, sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, vt arguit S.Bonauent. sed opus externum simpliciter, auget simpliciter bonitatem, vel malitiam: Ergo.

127 Pro solutione autem astringens se ad opus eleemosynæ, obseruat, quantitatem dati, posse dupliciter considerari. Primò æqualitate Arithmetica, comparando rem cum re, *verbi gratia*, decem argenteos datos ab vtroque. Secundò potest considerari secundùm comparationem ad inuicem cum proportione ad dantem, quæ dicitur æqualitas Geometrica. Vtroque quidem modo (data æqualitate in actu voluntatis, seu charitatis, erit par meritum essentiale; attamen qui plus dat Arithmeticè, plus recipiet, quoad aliquam maiorem gratiam, dispositiuam ad bonum, vel præseruatiuam à malo. Vti, qui dat centum aureos plus merebitur, quàm qui dat quinquaginta. Similiter, qui etiam proportione, seu æqualitate Geometricà plus dat, plus recipiet. Sic vidua illa. *Marci* 12. & *Lucæ* 21. quæ duo minutula misit in Gazophylacium, habita proportione suæ inopis substantiæ, cum opulentia Satraparum, qui aureos iaciebant, magis laudatur à Christo, vt notat etiam Vasquez *numero* 6. post D. Bonauent. *in corpore*, *& ad argumenta.* Forsan, & intensior fuit eius charitas.

128 Hinc eruit Vasquez, testimonium Apostoli, suprà adductum, pro sua opinione à Thomistis, nil sibi proficere. Non enim ibi Apostolus vult, voluntatem eius, qui minus dat, quia minus habet, esse æqualis meriti apud Deum, cum voluntate eius, qui plus dat; eò quòd ille, qui minus dedit, promptam habuit voluntatem dandi plura, si haberet, sed ea solùm ratione comparat vtrumque dicens, tantum mereri, qui minus dedit, quia minus habebat, quantum ille, qui plus dedit, quia plus habebat, quia re vera tantum dedit hic, quantum alter, quia vterque æqualem dedit eleemosynam, æqualitate non Arithmeticà, sed Geometricà, hoc est 129 æqualitate, non inter rem, & rem, sed æqualitate proportionis inter eleemosynam, & substantiam propriam vtriusque. Ex qua facta est eleemosyna, sicuti si duo, alter habens centum aureos: alter centum argenteos, & singuli dent decem, tantundem dedit, qui dedit decem argenteos, non æqualitate Arithmetica, sed Geometrica, seu proportionis rei ad habentem: quia sicut se habent decem aurei ad centum aureos; ita decem argentei ad centum argenteos. Ideò Paulus hortabatur, vt quisque daret ex eo, quod habebat; non ex eo, quod non habebat, hoc est, habità ratione propriæ substantiæ, & secundùm vires suas: Vide argumenta in D. Bonauentura.

Ex his etiam resoluitur à D. Bonauent. *quæst.* 3. 130 alia dubitatio. An numerus, seu multiplicatio bonorum operum addat bonitatem actui voluntatis, non multiplicato voluntatis actu.

Asserit autem affirmatiuè, quod præcipuè probat. Si enim quilibet actus addit bonitatem, & malitiam seorsim: Ergo actus additus, actui addet, alioqui frustrà multiplicarentur opera,

Probatur à D.Bonauent. etiam, quia oppositorum eadem est ratio; sed peccatum externum, puta homicidium, additum homicidio, in virtute primi actus, addit malitiam: Ergo & opus bonum: Hæc verò intellige secundùm regulam superiorem, vt ipse S. Bonau. *in fine corporis* notat, vt ad præmium essentialis gloriæ requiratur, vel noua, vel intensior voluntas; multiplicatio verò operum, solum accidentale de condigno; substantiale verò præmium de congruo mereatur.

Dices. Oppositorum eadem est ratio, ex D.Bonau. *argumento quarto*, sed vnum peccatum, additum 131 alteri acquirit pœnam essentialem damnationis; ergo & opus bonum, quod non est minus efficax.

Respondetur primò, ad bonum plura requiri, quàm ad malum; nam bonum fit ex integra causa; malum autem ex quouis defectu.

Respondetur secundò, peccatum exterius secundà, & tertià vice consummatum, iam debere malitiam habere in primo actu, quod si etiam opus bonum bonitatem habeat, addi rursus aliam bonitatem, modo suprà dicto; v.g. si primo actu deliberauit pluris elemosynam erogare: deinde secundo actu eam elargitus sit.

Asserit primò, opus bonum additum alteri, 132 præcisa voluntatis affectione addita, non addere bonitatem ad præmium essentiale.

Probatur à D.Bonau. primò, *ex* 4. *Zachariæ*, vbi dicitur: *Exæquabit gratiam gratiæ*, ergo vbi est æqualitas gratiæ, & charitatis, erit æqualitas gloriæ. Secundò probatur ex Glossa *Iud.* 2. Idem probat ex D.Aug. Vide S.Bonau. Ratio est, quia charitas, quà Deum diligimus, est mensura, qua à Deo diligimur ad finem beatitudinis.

Asserit secundò, numerositatem bonorum operum facere additationem bonitatis alicuius. Vide S. Bonauenturam.

DISPVTATIO XVII.

De Conscientia.

Iam de regula interiori Humanorum Actuum agendum est, quæ est Conscientia recta.

QVÆSTIO I.

Quid sit Conscientia.

D. Bonau. dist. 39. q. 1. & 2.
D. Thom. 1. p. q. 79. art. 13. & prima secundæ, q. 19.

1 PRIMA sententia est Alensis 2. p. quæst. 77. memb. primo, qui dubius est: An Conscientia sit potentia, vel habitus; vult tamen eam esse Intellectum.

SECVNDA sententia est Henrici quodlibeto primo, quæst. 18. qui vult, Conscientiam esse inclinationem voluntatis ad bonum, aut ad malum.

TERTIA sententia est Durandi in 2. distinct. 39. quæst. 4. Conscientiam esse duos habitus, alterum Intellectus: alterum Voluntatis, qui simul iuncti, dicuntur Conscientia.

QVARTA sententia est, ipsam esse actum intellectus Practici, indicantis creaturæ rationali, quid in particulari faciendum; quidvè vitandum. Ità D. Thom. hic, quem sequuntur Syluius, Conrad, Medina, Bannez, Nazar. cum Caiet. Valentia, ad loc. cit. 1. p. quæst. 4. p. 1. Vasquez p. 2. disp. 19. c. 1. Caspens. tract. 11. disp. 1. sect. 1. Morand. tract. 2. quæst. 25. Tanner. quæst. 4. disp. 2. Suarez disp. 12. sect. 2. Pasqualig. disput. 63. Azor. lib. 6. cap. 1. Bassæus V. Conscien. num. 1. Sayrus lib. 1. cap. 2. Becan. de Act. Hum. cap. 4. quæst. 6. Laym. lib. 1. tract. 3. cap. 2. Addunt, esse etiam actum intellectus speculatiui, reflectentis super factum, aut quod fit, iudicando illud bonum esse, vel malum, absque ordine ad opus vlterius. Alia addunt Bassæus num. 4. & alij, non vtilia.

2 SENTENTIAM D. Bonauenturæ est, Conscientiam esse habitum, dirigentem intellectum Practicum ad id, quod in particulari est amplectendum; sumi tamen etiam pro actu. Sequuntur Scotus in 2. dist. 39. quæst. 1. Gabriel quæst. vnica, art. 2. Faber in 4. dispur. 6. numero 25. Vasquez numero secundo, carpit Seraphicum, quasi asserat, Conscientiam esse habitum peculiarem simpliciter acquisitum; sed malè, vt luce clarius patet quæstione secunda.

At Mastrius disp. 5. numero 11. cum Bargio, Vigerio, Scotistis, ac Medina p. 2. quæst. 19. art. 3. dictamen prudens conscientiæ esse aliquando actuale, aliquando esse habituale, aiunt.

3 ASSERO primò, Conscientiam esse Habitum.

PROBATVR à D. Bonauent. quæstione prima in corpore, ex D. Damasceno 2. de Fide, cap. 12. vbi vocat conscientiam Legem intellectus nostri. Lex autem non est actus. Hinc ergo malè Vasquez, numero tertio, suam deducit sententiam.

PROBATVR secundò à D. Bonauent. quæst. 2. argumentis primo loco, ex secundo ad Rom. vbi ait: Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ipsi sibi sunt Lex: quia ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia. Vbi Glossa dicit, hanc Legem esse Conscientiam, Lex autem non est actus, sed aliquid habituale indicans identidem opportunè bonum, &c.

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. ibi ex D. Augustino Lib. 3. de libero arbitrio, vbi vocat conscientiam Naturale indicatorium. Hoc autem communiter sentire alios, ait, in corpore. Sic D. Basilius initio Comment. in Prouerb. Laurentius Iustinianus, Serm. S. Mariæ, & Apostolus hortatur Timotheum epistola 1. cap. 1. vt retineat fidem, & bonam conscientiam. Confirmatur ab eo, fundamento vltimo, quæst. 1. ex Apoc. 20. vbi dicuntur Libri aperti sunt; hi autem libri sunt conscientiæ, vt docet D. Augustinus 20. de Ciuitate Dei, cap. 14. & 15. Idem habet Chrysostomus homilia 2. in Psalm. 50. & ex prima Corinth. habetur ex D. Thoma.

PROBATVR quartò à D. Bonauent. quæst. 1. & 2. in fundamentis. Omnis scientia est habitus, conscientia è D. Thoma est scientia: Ergo. 5

Respondet Valentia, non sumi hic à D. Thoma Conscientiam pro habitu; sed pro actu.

At contra arguit S. Bonau. quæst. 2. Actus scientificus fundatur in aliqua cognitione habituali: ergo si sumatur etiam pro actu, supponit talis actûs habitum.

ASSERO secundò, esse habitum intellectus. Est communis Theologorum, sensus apud Tannerum loco citato.

PROBATVR à D. Bonau. primò ex illo Ecclesiaste 7. Scit enim conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti aliis. Et Genes. 43. Non est in nostra conscientia quis posuerit pecuniam in marsupiis nostris: Idest nescimus. Sed scire, & nescire ad intellectum spectant: Ergo. 6

SECVNDO, quia à D. Damasceno, & aliis Patribus dicitur Lex. Lex autem dicit Scripturam, quæ respicit intellectum.

TERTIO, quia conscientia est scientia; hæc verò ad intellectum pertinet.

QVARTO. Conscientia diuiditur in Rectam, & Erroneam. Sed erroneum ad intellectum spectat, similiter & rectum hîc, quia opponitur erroneo, & opposita sunt circa idem: Ergo. Hac ratione vtitur Bannez. Respondet Henricus, dici erroneam; eò quòd non est conformis rationi. Contrà; nam eodem modo possemus vocare erroneam electionem in tali casu, quod nullus dixit. 7

QVINTO probatur ex actibus eius. Legere enim, iudicare, dirigere, testificari, arguere, sunt actus, spectantes ad cognitionem; Sed hi omnes actus attribuuntur conscientiæ: Ergo. Minor probatur: Nam conscientia est LIBER, in quo legimus. Habetur Apoc. 20. Secunda Corinth. 1. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Ecclesiasti 13. Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia. Sapientiæ 17. Præoccupant pessima redarguente conscientia; & D. Augustinus contra Secundinum Manichæum, cap. 1. Senti de Augustino quod libet, sola me conscientia in oculis Dei non accuset. Rom. 9. Testimonium mihi perhibente conscientia. 8

Hinc fatetur D. Bonauent. conscientiam etiam actum dicere. His mediis vtuntur Vasquez, Valentia, & Matthæus Ferchius in 2. disp. 39. quæstione vnica, & Bannez loco citato, Faber numero 25.

ASSERO

Assero tertiò, Conscientiam dicere Habitum quoad Lumen innatum, sed egentem multis speciebus acquisitis.

9 Prior pars probatur à D. Bonauent. *ex 2. ad Rom.* vbi dicitur: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt; ipsi sibi sunt Lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia.*

Secundo ex D. Augustino *Lib. 3. de libero arbitrio*, vbi Conscientiam vocat *Naturale iudicatorium.* Idem modus loquendi est D.Basilij *Serm. de Sancto Mario*, & *in Prouerb.* D. Thom. apud Morandum. Ità vt significet applicationem scientiæ ad actus nostros particulares, vt ait Tannerus *disput.2. quæst.4. numero 17.*

10 Tertio, quia habemus dictamen de colendo Deo, honorandis parentibus; hoc autem à natura insitum experimur. Sed id, quod hæc dictat, est conscientia: Ergo.

Addit verò, necessariam esse aliquam cognitionem acquisitam eorum, quæ naturaliter non sunt nobis nota, *verbi gratia*, vt honoremus parentes, oportet, vt per aliquam speciem, siue visus, siue auditus, cognoscamus, eos esse parentes; & hoc probat ex Aristotele *in poster.* & D. Augustino 11. *Lib. de Trinitate*, & ideò ait Aristoteles: *Amittentes vnum sensum, vnam amittere scientiam.* Aliqua tamen sunt immediata ipsi animæ, quæ per species non abstrahuntur, vt ipsa anima, & affectus eius. Vide Seraphicum solidè, & eleganter *hic* disserentem.

11 Ex quo videbis, non poni à Seraphico Conscientiam habitum peculiarem acquisitum, ex frequenti vsu, vt carpit Vasquez. Nam iuxta occurrentes varias materias, varij etiam actus conscientiæ esse possunt; ac proinde vnus singularis habitus omnibus non potest deseruire, vt arguit D. Bonauent. ex proprio sensu *in corpore*; vnde Vasquez ausus est hanc rationem ad eum impugnandum assumere. Cum Seraphico sunt Richardus, Gabriel, & Corduba; imò Diuus Thomas *argumento 3.*

Nota ex D. Bonauent. *quæst. 1. in corpore*, sumi Conscientiam etiam pro re ipsa conscita. Ità post D.Bonauent. notant Vasquez *numero 3.* Faber *loco citato, numero 16.*

Obicies primò cum D. Thom. Dictare de agendis, stimulare, & similia, sunt munera conscientiæ; sed ista sunt actus: Ergo.

12 Respondet D. Bonauent. hæc esse munera actualia conscientiæ, quæ tamen oriuntur ex habitu naturali conscientiæ, addito lumine acquisito. Addit verò *ad 4.* quòd remorsus non est à conscientia mouente; sed à dictante, mouente synderesi.

Hinc potest Conscientia definiri: *Est habitus intellectus practici, dictantis in occasionibus quid in particulari prosequendum, quiduè fugiendum.*

Obicies secundò cum Henrico. Quod habet pro obiecto bonum, spectat ad voluntatem: talis est conscientia, quæ dicitur bona ex obiecto, quod respicit: *prima, ad Timoth. primo*: Ergo.

13 Respondet D. Bonauent. *ad secundum*, bonum dici non solùm de affectu, sed etiam de intellectu practico; quia intellectus practicus non modò respicit verum, sed se extendit ad dictandum bonum. Sic *Psalm. 100.* dicitur: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*; & consilium, quod est intellectus practici, dicitur bonum, *primo Machab. cap. 4. Incidit eis consilium bonum.* Dicitur ergo conscientia bona, non formaliter; sed transumptiuè à bonitate voluntatis, & per analogiam ad ipsum, Non enim ad hoc, vt aliquid dicatur bonum, requiritur vt sit voluntas, vel obiectum voluntatis directè; sed sufficit, vt ad bonum referatur, & cum eo habeat concomitantiam. Ità respondet etiam Scotus *loco citato*, & Bannez.

Nota è D. Bonau. *lib. 2. Comp. Theol. cap. 52.* practicè se habere conscientiam semper accusando de præterito, remurmurando de præsenti, præcauendo de futuro; In hoc decepti sunt authores quartæ sententiæ.

QVÆSTIO II.

Quid sit SYNDERESIS, *& quomodo differat à Conscientia.*

D.Bon.in 2.d.39.art 2.q.1.
D.Thom.1.p.q.79.art.12.

Fvit opinio, quam refert S. Bonauent. dicentium, syderesim esse portionem rationis superiorem. 14

Videtur ei arridere D. Hieronymus, suprà Ezechielem, citatus à Magistro *in 2. d.39.* dum ait: *Superior portio rationis est synderesis.* Non tamen vult dicere absolutè, esse portionem superiorem, sed solùm in ea residere, quia est habitus primorum principiorum practicorum. Sic refert Faber 4. *disp.6. num.24.* Melius D. Bonauent. vt *in corpore*, ità vocari, quia ad solum honestum inclinat.

Secvnda opinio est D. Thom. *hic*, synderesim esse habitum intellectus practici, circa prima principia, v. g. *Bonum est amplectendum, malum vitandum.* Sequuntur Bannez, Caietanus, Nazar. Valentia, *ibi*, Caspensis *tract.11. disput.1. sect.1.* cum Albert. *de synder. quæst.1.* Altisiodor. *lib.2. tract.12. quæst.1. & 3.* Scotus *in 3. dist.39. quæst.1. & 2.* Faber *in 4. dist.14. disp.6. num.24.* Mastrius *disp.5. num.11. in 2.* Tanner. *disp.5. q.2. dub.2.* Bassæus *v. Conscien. num. 2.* referens etiam Sylu. & Viggers. *ad loc. cit.* D.Thomæ. Lorichium *in thes. v. anima, num. 19.* Reginal. *lib.13. num.48.* Filliucius *tract.21. num.114.* Layman] *lib.1. tract.1. cap.1.* Malderum *p.2. tract. de conscien. disput. 82.* Ità Synderesim versari dicunt circa principia practica vniuersalissima, quæ lex naturalis statuit, alia addens minùs vniuersalia; atque se habere ad conscientiam, vt habitum principiorum ad scientiam conclusionum, quia ex practicis principiis infert: quid hìc, & nunc agendum. Quo fit, vt synderesis in principiis cum lege naturali maneat immutabilis; conscientia autem multiplex, mutabilisque; quia pro varietate circumstantiarum varios efficit casus. Hinc Leges sunt regula remota nostrorum actuum: Synderesis verò, & Conscientia proximè dirigunt in legum honestatem, dictamine actuali, vel etiam virtuali, vt aiunt Bargius, & Vigerius *primo, dist.17. quæst.2. Scoti*; seu etiam habituali, vt ait Medina apud Mastrium. 15

Tertia sententia videtur fuisse Henrici *quodlib.1. quæst.18.* prout ei attribuunt Scotistæ, Synderesim esse potentiam quandam existentem in voluntate, quæ actu elicito necessariò tendat in bonum, & resistat malo. Vnde Henricus vocat synderesim pondus voluntatis, & legem naturæ, quæ contineat principia naturalia agendorum. 16

QVARTA ſententia eſt D. Bonauent. *hic*, Alenſis 3. *p. quaſt.* 27. *memb.* 2. *art.* 3. quòd ſynderesis eſt habitus, ſeu pondus voluntatis, & inclinatio ad bonum honeſtum. Hæc eſt etiam opinio Henrici, qui, per potentiam, intelligit vim quandam in potentia.

17 ASSERO primò, Synderesim non eſſe portionem ſuperiorem rationis.

PROBATVR à D. Bonauent. *in corpore*; Primo ex ipſa Gloſſa allegata D. Hieronymi ad Ezechielem. Portio ſuperior peccato ſe immiſcet, vt patet, tunc enim dicitur manducare vir, quando ſuperior portio conſentit: ſed ſynderesis nunquam ſe peccato immiſcet, ex illa gloſſa: Ergo.

SECVNDO, quia portio ſuperior rationis dicit ordinem ad Deum; At ſynderesis reſpicit etiam proximum, ſecundùm quod lex naturalis reſpicit vtrumque: Ergo.

18 ASSERO ſecundò, ſynderesim eſſe habitum voluntatis inclinantem ad bonum.

PROBATVR à D. Bonauent. primò ex Gloſſa, *ad primum Ezechielis.*

PROBATVR ſecundò. Id, quod habet pro obiecto proprio bonum, ſpectat ad voluntatem. Talis eſt ſynderesis, cuius actus proprius eſt inſtigare ad bonum: Ergo. Minor eſt D. Thom. *hic*. Maior probatur: nam ſola voluntas reſpicit bonum ſub ratione boni: eâdem ratione vtitur Henricus.

PROBATVR tertiò, à S. Doct. Sicut intellectus eget lumine ad videndum; ità affectus calore, & pondere inclinante ad rectè amandum: Ergo ſicut in parte animæ cognoſcitiuâ eſt quoddam naturale indicatorium in conſcientia; ità in parte animæ affectiua erit pondus ad bonum dirigens, & inclinans. Hoc autem non eſt, niſi Synderesis: Ergo.

19 SCOTVS apud Fabrum, *numero* 18. contra hanc opinionem inſurgit, maximè hoc medio. Synderesis ponitur habere actum elicitum, neceſſariò tendentem in bonum, & reſiſtentem malo: At nihil tale eſt in voluntate: Ergo. Aſſumptum probatur, quia voluntas non neceſſariò fruitur fine oſtenſo.

PRÆTEREA. Nihil, quod eſt in voluntate, poteſt eſſe potentia, vel habitus volendi neceſſariò aliquid. Sed ſynderesis ponitur à nobis potentia, quæ neceſſariò elicit actum bonum, & conformem principiis naturalibus rectis: Ergo.

Inſuper, aut voluntas poteſt agere contra hunc habitum, & hoc pondus; vel non. Si ſecundum: Ergo non eſt libera. Si primum: Ergo poteſt, multiplicatis actibus, deſtruere hunc habitum.

20 HÆC tamen argumenta cum ſolutionibus iacent in D. Bonauent. tum *in dubiis litter. diſt.* 39. tum *in corpore huius quaſtionis.* Dicit igitur, ſynderesim eſſe vim quandam naturalem, & pondus ad modum habitûs, tendens in bonum; vnde non ſemper tendit neceſſariò actu elicito; hinc poteſt à voluntate deliberatiuâ pro tunc opprimi, dum ea tendit in delectabilia bona apparentia, & in quibuſdam ſuffocatur, vt in damnatis; in quibus non eſt inclinatio ad verum bonum. Quidquid verò ſit: An poſſit eſſe ſimul motus voluntatis, vt eſt natura, cum motu voluntatis, vt eſt deliberatiua, hoc ſaltem verum eſt, quòd voluntas naturalis, quæ neceſſariò bonum vltimum appetit, non eſt ſemper in ſuo actu; quia non ſemper cogitat de bono; ſed ſemper quidem eſt in habitu; per hoc tamen non impeditur libertas actuum elicitorum. Vnde fallitur Scotus putans, ſynderesim eſſentialiter eſſe actum, cùm ſit habitus naturaliter inclinans ad bonum, qui non implicat ſimul eſſe cum actu elicito voluntatis deprauatæ, intendentis in malum. Quamuis Scotus audiens, ſynderesim eſſe 21
pondus quoddam inclinans, non videtur excuſatione dignus; pondus enim in voluntate, ſicut grauitas in corporibus, dicit aliquid ad modum habitus, non actus; cuius actus eſt tendentia actualis, puta lapidis ad centrum; & voluntatis ad bonum.

OBIICIES primò cum Bannez *Pſalm.* 4. dicitur: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*; & Rom. 2. *Oſtendunt enim opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Vbi habetur, ſynderesim eſſe lumen, quod indicat bonum: Lumen verò ſpectat ad intellectum.

RESPONDET S. Bonauent. *ad vltimum*, ſignificari lumen naturale commune conſcientiæ, & ſynderesi, ſeu quo ſynderesis inſtruitur ad proſequendum bonum; & hoc in ſynderesi aſtruunt reliqui Patres apud ipſum, & D. Thomam. 22

OBIICIES ſecundò ex D. Hieronymo, ad 1. Ezech. *Synderesis eſt ſcintilla conſcientiæ, & rationis, quæ nec in Cain extincta eſt.*

RESPONDIT D. Bonauent. hoc nomine vocari, quia eſt veluti ſtimulus, & igniculus, quo conſcientia mouet, pungit, & accendit: vnde ſicut ratio non mouet, niſi mediante voluntate; ſic nec conſcientia, niſi media ſynderesi. Hinc non ex parte intellectus, ſed affectus, ſe tenet. 23

OBIICIES tertiò, ex D. Thom. In natura humana inuenitur cognitio eorum, quæ homo agere debet conformiter ad rationem; ſed hoc eſt ſynderesis: Ergo.

RESPONDETVR, illud eſſe quidem lumen, quod bonum oſtendit, quod quidem eſt in ſynderesi; ipſa tamen non eſt ipſum lumen, ſed pondus inclinans. 24

QVÆRIT *hic* S. Doct. *in calce*. Quomodo ſe habeat ſynderesis ad conſcientiam, & legem naturalem. Reſpondet, ſic ſe habere ſynderesim ad conſcientiam, ſicut ſe habet habitus affectûs ad habitum intellectûs practici; ſicut enim habitus intellectûs practici dictat quid agendum, & habitus voluntatis reddit illam facilè mobilem, & inclinat ad ſequendum id, quod intellectus practicus bonum dictauit; Ità conſcientia dictat propoſitiones practicas ad bonum ſequendum, & malum fugiendum; Synderesis verò inclinat voluntatem, quaſi pondus mouens lapidem ad centrum: (modo tamen proportionato, & libero;) Ad modum, quo fides dictat beatitatem amandam, charitas ad eam inclinat. Lex verò naturalis, vt eſt habitus naturalis inſtruit, & rectè ordinat; atque adeò comprehendit & Lumen conſcientiæ, & inclinationem ſynderesis. Si verò Lex naturalis ſumatur pro DECALOGO, ſeu præceptis legis naturæ; ſic eſt obiectum conſcientiæ, & ſynderesis.

HINC etiam colligit; quomodo ſe habeat ſynderesis ad concupiſcibilem, iraſcibilem, & rationalem. Hæ enim nominant tres potentias animæ, ſiue prout naturaliter mouentur, ſiue vt deliberatè, & liberè: ſynderesis verò, prout mouet naturaliter, & rectè, ideò non diſtinguitur ab illis potentiis ſub ratione potentiæ; ſed ſecundùm modum mouendi: & ideò, quia hæc ſemper mouet rectè, dicitur ſuper alias euolare; & aliis errantibus non commiſceri, ſed eas corrigere. 25

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

An Synderesis *extingui, aut deprauari queat.*

{ D.Bonauent.dist.39.art.2. quæst.1.& 3.

26 ASSERO primò, Synderesim extingui non posse.Ità D. Bonauentura *quæst.* 2.

PROBATVR à S. Doct. primò ex Glossa Hieronymi, *ad primum Ezech.* in ea verba: *Facies Aquilæ*; vbi Glossa: *Scintilla conscientiæ in Cain non extinguitur, tametsi peruersissimo.*

SECVNDÒ ex D.Augustino *lib.2.de ciuitate Dei, cap.26.* vbi ait: *Tanta enim est vis probitatis, & castitatis, vt omnis, vel penè omnis, eius laude moueatur humana natura, nec vsque adeò sit turpitudine vitiosa, vt totum amittat sensum honestatis.* Hic verò sensus honestatis est Synderesis.

27 TERTIÒ, Quæ naturaliter insunt, inseparabilia sunt. Synderesis inest nobis naturaliter: Ergo actum eius non possumus omninò per peccatum extinguere, cùm *vitium*, vt ait D. Augustinus lib.10. de ciuitate, cap.12. *non deleat extrema naturæ vestigia.* Hanc rationem indicant authores allati *quæst.2. pro secunda opinione.*

QVARTÒ, Si in aliquibus esset extincta, maximè in damnatis; sed neque in his extincta est, quia remorsus conscientiæ est ex actu Synderesis; & hic remorsus maximè viget in damnatis, de quibus sæpè dicitur: *Vermis eorum non morietur.*

28 ASSERO secundò, Synderesim, quantùm ad actum, posse impediri. Ità S. Bonau. *quæst.2.*

Primò, obcæcatione, vt in hæreticis, qui credunt vana. Secundò, voluptate, vt in lasciuis absorptis in delectatione, ad quam tanto ferũtur impetu, vt remorsus non sentiant. Tertiò, obstinatione, vt in damnatis; in quibus non est actus inclinans ad bonum, sed remorsus, & murmur contra malum, ratione pœnarum, in quas vltrò ruêre. Vnde remurmurat in eis Synderesis contra culpam, in relatione tamen ad pœnam.

OBIICIES. Synderesis est antidotum contra peccati fomitem; sed hic extinguitur, vt in B. Virgine: Ergo & Synderesis.

29 RESPONDET S. Doctor negando paritatem; nam Synderesis est naturæ simpliciter; ideò sine ea non est natura rationalis; fomes verò est vitiositas præter naturam; ideò, manente naturâ, tolli potest. Deinde datur gratia destructiua fomitis immediata, quia directè opposita; at non datur peccatum directè oppositum Synderesi.

ASSERO tertiò cum D. Bonauent. *quæst.3.* Synderesim, etsi per se semper sit recta, tamen à prauâ voluntatis affectione ità suspendi, vt nequeat effectus suos consequi.

PROBATVR à S. Doctore primò, ex Glossa *ad primum Ezech.* & ex alia *ad secundum Hierem.* Declaratur exemplo equitis perfectissimi, qui semper rectà pergit; sed tamen præcipitato equo, præcipitatur etiam & ipse in foueam.

30 ASSERO quartò, non tamen Synderesim deprauari.

PROBATVR à S. Doctore primò, quia natura semper vult bonum; Synderesis autem est natura.

DEINDE, quia Synderesis semper aduersùs peccatorem remurmurat.

TERTIÒ, alioqui iacta esset pro pluribus Alea salutis; quia sæpè omnes aliæ virtutes sunt deprauatæ.

OBIICIES primò Pœna, & culpa fiunt circa idem; sed anima punitur circa Synderesim, vel vt rodat, vel vt actu non remurmuret; ita vt impius in præceps ruat: Ergo &, circa eam est culpa.

RESPONDET S. Doct. falsam esse maiorem absolutè: nam peccatum est in voluntate; & tamen sæpè puniuntur etiam potentiæ corporis innocentes. Deinde punitur voluntas ipsa, verme conscientiæ. 31

OBIICIES secundò. Synderesis consequitur conscientiam, tanquam suum naturale Iudicatorium; sed Conscientia potest esse non rectè iudicans: Ergo.

RESPONDET S. Doctor non sequi, eò quòd conscientia non sistit in solo vniuersali, sed descendit ad particularia; consistit enim in ratione, cuius est multa conferre, & vnum ab altero discernere; & licèt conscientia, prout stat in vniuersali, & mouetur aspectu simplici, sit rectè iudicans; tamen prout descendit ad particularia, & discurrit, potest fieri Erronea, quia intermiscet se actibus deliberatiuè. Conscientia Iudæorum, *exempli gratia*, ex naturali dictamine, dictabat Deo obediendum, & ipsi posteà assumunt, quòd Deus præcipit nunc circumcisionem & cultus legales, ex hoc formatur conscientia eorum, vt se circumcidant (Præscindant vtinam omnia.) Error iste non venit è primo principio, quod quidem verum fuit; sed venit ex assunpto errore, spectante ad liberum arbitrium. 32

Synderesis autem mouetur recta, contra malum remurmurando, & ad bonum instigando. Prætereà mouetur contra malum, non hoc, vel illud, sed in vniuersum; vel si aliquando fertur contra aliquod malum particulare, non mouetur contra hoc, in quantum hoc; sed quatenus est malum. Ideò non obliquatur. 33

ADDE aliam disparitatem: nam Synderesis nominat ipsam potentiam naturalem, vt est naturaliter habilitata; Conscientia autem nominat aliquid additum de acquisito, puta species, & quia natura secundùm se est recta; at verò acquisitum potest esse obliquum: hinc est, vt Synderesi existente rectâ, possit conscientia esse obliqua.

QVÆSTIO IV.

Vnde habeatur rectitudo CONSCIENTIÆ.

{ D. Bonauent. dist. 39. passim, art.2. D.Thom. quæst.19.

COMMVNITER diuiditur Conscientia in Rectam, Erroneam, Probabilem, Dubiam, & Scrupulosam; de quibus per quæstiones sequentes. 34

PRIMA opinio est, rectitudinem conscientiæ sumi ex rectitudine affectus. Huius erroris occasionem sumunt ex Aristotelis effato, *sexto Eth. cap.2.* & D. Thom. *quæst.* 57. *art.5.* vbi aiunt: Actiuæ mentis veritas est consentanea appetitui recto. Quod si vniuersaliter sumatur, oportet admittere circulum, hoc modo. Nam rectitudo affectus venit ex rectitudine rationis, seu ex conformitate

mitate ad rectam rationem: Ergo si rectitudo etiam rationis venit ex rectitudine affectus, admittetur circulus.

35 Vasquez *disput.* 58. sic exponit regulam hanc: Illud dicere, seu esse conscientiam rectam, vt sit conformis animæ rationali, vel ex sola natura rei, v.g. in non furando; vel ex aliquo præcepto positiuo, v.g. in non edendo carnes die Veneris. Cæterùm, quia voluntas non potest prosequi consentaneum, vel dissentaneum nostræ naturæ rationali, vt rationalis est, nisi quatenus proponitur ab intellectu, vt tale; ideò actio nostra rectè dicitur regula humanarum actionum proxima; quia per rationem discernimus, quænam conuenientia sint; sed quia humana diligentia non potest omnia sine errore assequi; & sæpè sine culpa apprehenditur quasi bonum id, quod verè malum est, vt patet in accedente ad non suam, putante esse suam; ideò illud debet dici naturæ humanæ conueniens, vel disconueniens, quod per rationem probabilem, & diligentem proponitur, siue in re ita sit, siue non.

36 Quare illa erit ratio practica, quæ diligenter, & prudenter proponit, id esse conforme naturæ rationali. Infert verò explicationem Aristotelis, & D. Thomæ, vt sensus sit, quòd ratio practica habet, vt vera sit, quando dictat aliquid conforme recto appetitui sequenti; tamen posse esse appetitum rectum sine hac veritate practica, quoties diligenter inquisiuit, & ignorantia est inuincibilis. Idem sensit D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 39. *quæst.* 3. maximè ad argumenta, & *in quarta decima collatione, ad cap.* 2. *Ioan.* & *dist.* 22. *art.* 2. *quæst.* 2. & 3. Hinc sequitur, posse iudicium practicum, hic & nunc, esse falsum, vt dicam *Tract.* 2. *disput.* 2. *quæst.* 5.

Faber *in* 4. *disp.* 1. *n.* 6. ait, è solutione Vasquez adhuc ignorari, quænam sit illa rectitudo in natura rationali.

37 Respondet autem ipse, esse habitum principiorum primorum moralium; sicuti in speculatiuis est habitus primorum principiorum speculatiuorum, vt ait Scotus *in pr l.* & *in* 2. *dist.* 39. & hunc habitum, ait Scotus, esse synderesim.

At neque hinc habemus rectitudinem conscientiæ ad phrasim Aristotelis; tametsi veram ponat rectitudinem ad phrasim D. Bonauent. *p. p. Centil. sect.* 9. & *in Compendio Theolog. ver. lib.* 2. *cap.* 52. vbi sic disserit: *Conscientia dicitur quasi* (cum) *scientia.* Dicit quidem scientiam, seu habitum naturalem, seu naturale iudicatorium boni, & mali practicum, & subordinatur synderesi, inclinanti ad bonum, & semper est recta, dictans, tanquam lex proxima intellectûs, legum obseruantiam, vt ait Damasc. 4. *de fide, cap.* 23. Seu naturale iudicatorium cùm sit, vt ait D. Basil. *homil. in princ. Prou.* rectè dirigit; natura enim semper est recta præcisè, cùm sit à Deo. Habet verò (*cum*) ratione coniungi ad indiuidua dictanda hæc vera non sunt obiecta certa; ac proinde nec scientiæ, atque adeò non semper rectè inferuntur, vt si dicas: Nullum malum est faciendum: Bonum est amandum. Hanc maiorem dictat naturale iudicatorium. Iam ad hoc synderesis inclinat. Assumit Conscientia hoc bonum, puta comedere, in minori & potest esse falsa; eò quòd sit præceptum ieiunium, nec sit causa sufficiens cœnandi.

38 Hinc etiam sequitur mala consequentia: Ergo nunc edamus.

Ex octo autem capitibus, ait S. Doct. conscientiam in errores trahi. Primò ex ignorantia, quando nescit quid sit eligendum hic, & nunc; quidvè declinandum. Secundò ex negligentia in discutiendo; & si ignorat, in petendo consilium. Tertiò è superbia, qua sapientibus non vult credere. Quartò è singularitate, qua sensus proprios deprauatos amplectens, communem viam bonorum calcare abnuit. Quintò ex affectu inordinato, qui sæpè inclinat conscientiam ad id, quod tunc homo appetit, & sic facit eam à suâ rectitudine deuiare. Hinc Seneca: *Perit omne iudicium, cùm res transit in affectum.*

Supponit autem è secundo *dist.* 39. *art.* 2. *q.* 1. 39
appetitum sensitiuum, & voluntatis dirigi à ratione, quæ propriè intendens finem, qui est bonum, ad hoc dirigit.

Ex his explico rectitudinem conscientiæ ad phrasim Aristotelis, circa quod insudat Caietan. ad locum D. Thom. cuius ingenium *diuinum* in hac elucidatione acclamat; & Mastrius *in* 2. *dist.* 7. *q.* 6. cum Scoto idem exponere ad suam opinionem, de connexione Prudentiæ cum virtutibus moralibus, laborat.

Igitur actiuæ (dic Practicæ) mentis veritas est consentanea appetitui recto. Id explica (*actiuè*,) quatenus rectum dictamen, quæ est veritas practica, talia dictat, quæ, liberè quidem inducat ad appetendum bonum verum. Quare appetitus rectus, bonum verum appetens, signum est à posteriori ostendens, dictasse conscientiam rectam. Quod dixit S. Doct. *loc cit.* enim verò, quia appetitus, etsi edoctus, bonum renuit, & rapit mentem obcæcatam, ad delectabilia bona apparentia astruenda practicè; & è contra, sequens dictamen rectum conscientiæ, reflectitur ad imperandas easdem assertiones, & consequentias. Hinc conscientia recta est, quæ reflectentem supra se, & super suum ductorem, & consiliarium facit eum rectum, idest in rectitudine obfirmatum.

Neque circulum timeo, quia diuersa ratione 40
alter alterum causat, & causatur. Nam directè dictamen rectum primò causat appetitum rectum, enunciando, & dictando opus, quod faciat appetitum rectum, seu rectè; sed tamen liberè appetentem, vt ait S. Doct. *ll. cc.* & sæpè *in* 2. *dist.* 39. *quæst.* 1.

Et cum eo Caspensis *tract.* 11. *sect.* 2. Mox appetitus reflexe confirmat, in rectitudine conscientiam fouens, atque imperans easdem enunciationes. Optimè quidem S. Bonauentura hæc elucidat.

Notant verò multi cum D. Bonauent. *loco cit. Comp.* rectam esse conscientiam aliquando, etsi non in re, prudenter tamen existimatam, vt in probabiliter existimante, vel inuincibiliter ignorante, & talis etiam appetitus erit. Ita etiam euenit, vt appetitus ex parte aberret; quia aliquod aliud dictamen intermisceatur erroneum, ex his, quæ retuli; vel ex pusillanimitate timens, vbi non timendum, puta è scrupulis; vel ex perplexitate in operando, qui sunt alij deuiantes 6. & 7. *loco*, apud D. Bonau. qui octauum ponit errorem, ex humilitate, vbi culpa non est. Hos sumpsêre Bresser. *lib.* 5. *cap.* 23. Regin. *lib.* 13. *num.* 73. Ità Recta conscientia est, quando, ex parte eius, appetitus prosequitur bonum, ac rectus est. Tunc autem erit simpliciter conscientia recta, cùm erit Diuinæ legi conformis, vt ait Morandus *tract.* 2. *quæst.* 25. *n.* 124.

Quæstio

QVÆSTIO V.

Quid sit Conscientia ERRONEA.

D.Bonau. in 2.d.39.q.3.
D.Thom. q.19. art.5.

41 ASSERO, Conscientiam erroneam eam esse, quæ determinatè iudicat obiectum aliter, quàm est; videlicet esse peccatum, quod tale non est, vel è contra. Hæc autem continet sub se Probabilem, & Improbabilem. Communiter tamen est improbabilis; & quia error conscientiæ potest oriri ex ignorantia vincibili, vel inuincibili; ideò Conscientia Erronea diuiditur in *Vincibilem*, & *Inuincibilem*. Ità D.Bonau. *loco citato.*

QVÆSTIO VI.

Vtrum operari contra Conscientiam ERRONEAM *sit peccatum.*

SS. DD. ll. cc.

42 FVERE dicentes, non esse peccatum contra conscientiam erroneam operari in his, quæ sunt ex se mala; imò rectè facere eum, qui in iis rebus contra iudicium conscientiæ operaretur. Hanc sententiam refert D. Thom. *hîc.* Glossa *in cap. Omnis, dist.*28.*quæst.*1.

ASSERO tamen cum omnibus Catholicis, esse peccatum operari contra conscientiam erroneam, in quavis materia. Ità D. Bonauent. & S. Thom. *hîc*, quos sequuntur omnes Theologi. Richardus *in* 2.*dist.*39. *art.*2. *quæst.*3. Durandus *quæst.*5. Gabriel *quæst. vnica*, *art.*3. *dub.*3. Gregorius *quæst. vnica*, *art.*2. Maior *quæst.vnica*, Ocham *in* 3. *quæstione* 13. Almainus *Tract.*3.*moral.cap.*5.*post tertiam conclusionem*, S.Antoninus *prima parte*, *titul.*3. *cap.*10.§.4. Adrian. *quodl.*2. *in* 3.*puncto*, *in solutione* 5.Valentia *disp.*2.*quæst.*14.*p.*4. Corduba *lib.*3.*quæst.*4 qui simul cum Adriano dicit, oppositum esse hæreticum, idemque ab omnibus confirmari, ait Vasquez *disp.*60. *cap.*2. Tanner. *disp.*2. *quæst.*4 *dub.*2. Morandus *Tract.*2. *quæst.*25. Pasqualigo *disp.*63. *sect.*0. Salas *tract.*8.*sect.*3. Auersa *quæst.*18.*sect.*16. Ouiedo *tract.*5.*controu.*3.*p.*1. Bassæus *num.*39. cum aliis.

43 PROBATVR primò à D. Bonauent. *ex* 14. *cap.* ad Rom. *Scio, & confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existimat quid commune esse.* Et infrà: *Tu fidem habes? penes temetipsum habe coram Deo: Beatus, qui non iudicat semetipsum in eo, quod probat. Qui autem discernit, si manducauerit, damnatus est; quia non ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.* Igitur dicit, Omne, quod non concordat fidei, idest conscientiæ iudicio, peccatum esse. Ita exponunt Glossæ apud D. Bonau. Interlineatis, & Lyrani, Origenis, Ambrosij, Chrysostomi, Theophylacti, Oecumenij, Theodoreti, Anselmi, & aliorum. Hac authoritate nituntur ferè omnes, eaque vtuntur Valentia, Vasquez, Caspensis, & alij.

44 PROBATVR secundò à D. Bonau. Lex ligat ad exequendum id, quod præcipit: sed conscientia est Lex nostra; Ergo, &c. Minor probatur à D. Bonauent. *in corpore*, & ad argumenta; quia, licèt Lex Diuina, naturalis, &c. ligent; tamen ratio, & conscientia est Regula proxima, & veluti Præco Dei, proponens nobis quid secundùm legem naturalem, vel Diuinam sit faciendum, vt dixi *quæst.*4. Hæ namque leges tantum respiciunt operationes nostras, quatenùs liberas: libera autem actio est, quæ procedit à principio intrinseco cognoscente singula, in quibus est actio, vt ostendi *disp.*3.*quæst.*1.*&* 2. Quare non imputatur nobis culpæ, quod operatio nostra sit contra legem naturalem, aut Diuinam, aut Humanam, nisi quatenùs cognoscitur esse aliquo ex his modis: ergo, qui operatur contra conscientiam, quâ proponitur Lex, peccat contra proximam regulam humanæ actionis; non enim potest esse conformis, vel difformis Legi, nisi cognitione; & ideò eiusdem malitiæ est operari contra legem cognitam, & contra legem veram. Hac ratione vtuntur allegati Doctores, & alij. 45

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. ex regula, quæ habetur *in cap. Inquisitionis, de sententia excom. & cap. Litteras, de restitutione spoliatorum*; & *in cap. vltimo, de præscriptionibus*, vbi damnatur crimine, qui agit contra conscientiam. Hinc Valentia post D.Bonauent.arguit: Velle aliquid contra synderesim, & contra principium primum aliquod, est malum; sed operans contra conscientiam, operatur contra principium naturale, ad quod naturaliter synderesis tendit; Nempè ad violandum illud axioma: *Malum est fugiendum.* Hæc ferè est ratio D.Thomæ, sed iuxta sua principia variatur. 46

OBIICIES. Conscientia est inferior Deo: ergo non potest obligare contra id, quod ille præcipit, cùm sit inferior. Confirmatur; nam discordare à conscientia dictante mendacium, est concordare legi Dei: Ergo.

RESPONDEO, inferiorem posse obligare contra legem superioris, inuincibiliter ignoratam. Sic conscientia obligat, supposita ignorantia diuinæ legis; & tunc ligat lex naturalis, dictans sequendum esse contrarium. Obligat verò conscientia, naturali iure, ad naturalia, & Diuino ad Diuina; & sic, cùm conscientia sit Præco diuinæ legis, qui facit contra conscientiam, facit contra legem Dei, vt sic reputatam.

HINC habes, peccatum contra conscientiam esse veniale, si tale credatur: & mortale, si tale reputetur. In illo verò genere, quod reputatur, est, vt docet D.Thom.*quæst.*19.*art.*5.*ad tertium*, quem sequuntur communiter, vt aduertit Tannerus *num.*22. quia, cùm non sit malum in se, sed ab opinione, oportet illud ab ea speciem accipere. 47

QVÆRES primò, quando conscientia dictat esse peccatum; abstrahit verò ab eo quod sit mortale, aut veniale, cuius generis sit.

RESPONDETVR primò, quòd si conscientia dubitet, quòd sit mortale, erit mortale. Si verò indeterminatè proponat, quam abstractionem negat Caspensis, post Hurtadum. 48

Respondet Vasquez *disp.*59.*cap.*3. Azor.*p.p.lib.*2. *cap.*8. & alij, fore mortale; quia periculo se exponit mortaliter peccandi.

Nauar.*in Manuali, præl.*9.*num.*9.Valentia *loco cit.* Tanner. *num.*24. dicunt esse veniale; quia adhuc stat in ratione imperfectâ peccati, quæ est communis veniali, & mortali.

QVÆRES secundò: An, quando conscientia inuincibiliter errans, putat vtramque partem contradictionis esse peccatum; peccet alterutram partem eligendo; v.g. mulier, quæ die festo assistit 49

infirmo,

infirmo, & putat esse peccatum mortale, ob eam curam omittere Missam; & similiter mortiferum credit deserere infirmum, vt audiat Missam.

Aliqvi respondent, quòd non peccabit alterutrum eligendo; quia non est libera voluntas, libertate morali, ad vtrumlibet vitandum. Ità Sanchez *in select. disp. 41. num. 13.* Caspens. *Tract. 11. disp. 2. sect. 2.* Morand. *Tract. 2. quæst. 25. num. 126.*

50 D. Bonauent. *d. st. 39. quæst. 3.* ait, in tali perplexitate, teneri adire aliquem doctum, aut saltem à Deo petere lumen; si enim absque aliqua diligentia operatur, peccat. Debet igitur interim omnem suspendere actionem. Ipsum sequitur Medina, apud Morandum, Granadus *disp. 7. sect. 2.* Pasqualigo *disp. 69. sect. 2.* Ratio est, quia liberè sic potest fugere quamlibet partem determinatam. Sed hoc innuit, eam esse ignorantiam vincibilem, vt fatetur Morandus *lo. o cit. num. 126.* Pasqualigo *num. 96.* Vide Lugum *de Incarn. disp. 26. sect. 10. num. 137.* Palaum *loco cit.* Ouied. *controu. 2. p. 2.* At si ità sit perplexus, vt nec consulendi Doctorum, aut suspendendi actionem sciat viam; tunc potuerit deponere conscientiam in alterutro, & id quod voluerit seligere.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Conscientia Erronea *obliget etiam, vt eam sequamur.*

51 Prima opinio est, conscientiam erroneam, ortam ex ignorantia vincibili, nos obligare; non quidem, vt positiuè eam sequamur, sed ne contra eam operemur, seu obligare negatiuè, non positiuè; teneri tamen hominem eam deponere; vnde agendo iuxta illam, peccatur ratione ignorantiæ volitæ: Attamen si de ignorantia inuincibili sit sermo, teneri nos, non modò negatiuè; sed etiam positiuè, eam sequi. Ità Vasquez *disp. 69.* Caspensis *Tract. 11. disp. 2. sect. 3. & 6.* Tanner. *d. 2. q. 4 d. 2.* Castro Palao *tom. 1. tract. 1. d. 1. p. 1.*

52 Secvnda opinio est Durandi *in 2. dist. 39. q. 4. num. 7.* Conscientiam Erroneam ligare, idest impedire, ne licitè operemur, impediti à conscientia, tanquam à conditione, non autem obligari, eam sequi; non quia teneat Durandus, nos non teneri ad id, quod conscientia erronea dictat, vt malè ait Vasquez; sed quia obligatio non oritur ex conscientia erronea; sed potiùs ex synderesi, quæ vetat, ne quis velit, quod iudicat malum. Vnde idipsum videtur sequi D. Thomas, qui non semper dicit, conscientiam erroneam *obligare*, sed sæpè etiam *ligare*, vt notat, & laudat Valentia *disput. 2. quæst. 14. p. 4.* Et eodem modo videtur locutus D. Bonauent. de quo infrà.

Idem attigit Nauarrus *in Manuali prelud. 7.* Vult ergo Durandus, quòd, si ignorantia sit inuincibilis, teneamur eam sequi ex obligatione dictaminis: Si verò sit vincibilis, ligari, ne oppositum sequamur, imò *ligari* ad eam sequendam; non tamen *obligari* ad eam sequendam; imò obligari ad eam deponendam. Vnde immeritò Caspensis irridet, vt explosam, sententiam Durandi. In hac enim sententia sunt D. Thom. *in 2. dist. 39. art. vlt in corpore*, D. Antonin. *p. p. tit. 3. cap. 10. § 4.* Alens. *2. p. q. 120. memb. 3. art. 1. & 4.* Vasquez adducit etiam D. Bonauenturam in hanc sententiam, quatenus asserit, ex conscientia erronea oriri obligationem, faciendi id, quod proponitur, vel deponendi conscientiam; Sic enim videtur concedere 53 (ait Vasquez) obligationem alternatiuam, eligendi alterutram partem, vel operandi positiuè ad dictamen conscientiæ erroneæ, vel eam deponendi. Quare non solùm tenemur, non agere contra conscientiam erroneam, sed etiam. Eam sequi positiuè, quamdiù durat, vel deponere illam, quod idem docet Morandus *Tractat. 2. quæst. 25.* & videtur solùm differre verbis à primâ sententiâ, vt aiunt Ouiedo, & Auersa suprà.

Perperam verò refert S. Doctorem, quem profectò vel non legit, vel non intellexit; cùm sit luce clarior meridiana. Dicit igitur, triplex obiectum posse à conscientia erronea respici, & præcipi. Primum, iuxta legem Dei, & ad hoc simpliciter ligat etiam vniuersaliter. Aliud est obiectum indifferens, seu præter legem, & in his conscientia ligat, quamdiù manet, vnde vel tenetur homo conscientiam deponere, vel adimplere id, quod conscientia dictat, puta, si dictet, teneri sub mortali vngues eradere, aut festucam leuare. Tertium est, quod est contra legem Dei, & ad hoc conscientia ligat ad se deponendam, quia si agat secundùm eam, contemnit Deum, & eius legem, quia voluntariè est ignorans: Si verò contra eam agit, adhuc peccat, quia contra dictamen rationis, quæ est regula proxima rectitudinis, & veluti Præco Diuinæ legis, operatur.

Conclvdit verò S. Doct. Sic: *igitur patet, quòd omnis conscientia, aut ligat ad faciendum, quod dictat, aut ligat ad se deponendam*, quæ verba, forsan Vasquez aliunde audiens putauit, asseri de singulis alternatiuam, cùm sit conclusio præcedentis distinctionis, quasi dicat: Omnis conscientia ad aliquod ex his ligat (quærit enim: an conscientia liget;) vel ad sequendum; vt in his, quæ sunt iuxta legem Dei; vel ad alternatiuam, vt in indifferentibus; vel ad se deponendam, vt in malis ignoratis vincibiliter; hanc enim vocat conscientiam erroneam, errore peccaminoso. Sumit autem *ligare*, & *obligare* pro eodem. Illum sequuntur Corduba *lib. 3. quæst. 4. dub. 3.* Vasquez *cap. 1.* & alij Recentiores. 54

Assero primò, ignorantiam vincibilem, in his, quæ sunt contra legem, non obligare ad se sequendum, sed ad deponendum: & interim ad non operandum contra eam. Est D. Bonauent. quem sequitur Vasquez, *cap. 2.* 55

Probatvr à Vasquez ratione D. Bonau. *in corpore.* Qui ex ignorantia vincibili proponit aliquid facere, tanquam præceptum, quod reuera malum est, vt periurare ad tuendam vitam: tunc illa conscientia obligat, ne fiat contra ipsam: nam faciens contra Synderesim, iam peccaret: quod si ex tali conscientia mentiretur, vel peieraret, sequendo positiuè iudicium illius, peccaret: quia illa ignorantia illum non excusat: nullus autem tenetur ad faciendum id, quod peccatum est: Ergo illa conscientia non obligat, vt ei obtemperetur.

Obiicies. Si illa conscientia obligat, vt contra eam non faciamus, obligat etiam, vt eam sequamur: si enim obligat ad non omittendum periurium: obligat etiam ad periurium.

Respondet Vasquez *ad litteram* ex D. Bonau. quod non obligat simpliciter ad omittendum periurium, sed interim, dum manet: obligat verò ad inquirendum verum, & deponendum errorem: alioqui peccat.

Hinc habes, illum non esse adstrictum ad peccandum:

tandum; potest enim deponere ignorantiam, vt suppono, quia est vincibilis, & sic ab omni perplexitate se liberare. Ità Vasquez è S. Bonauentura.

56 Colligit posteà ridiculè Vasquez, falsum dixisse Bonauenturam, dum concedit alternatiuam, conscientiam erroneam sequendi, vel eam deponendi in materia, quæ proponitur ex præcepto facienda, cùm tamen sit mala. Addit verò, quod si esset indifferens, vt rectè admonuit Gerson, *A.phab.*30. *littera V. & sequentibus*, tunc sub electione obligaremur, vel ad deponendam conscientiam, vel ad eam sequendam, quia non deberemus eam deponere, cum, in sequendo eam positiuè, non sit peccatum, nec periculum illius ex doctrina legitima Seraphici, ex quo Gerson ipse, longe Vasquezio sapientior, fuit Seraphicæ Doctrinæ deuotissimus.

Assero secundò. Ignorantia inuincibilis obligat, vt eam sequamur positiue.

Probatvr, cùm enim inuincibilis sit, non potest deponi: Ergo cogit, non facere contra illam simpliciter, & consequenter eam etiam sequi; quia inter hæc duo non datur medium, nec aliter potest se à periculo liberare. Ita Vasquez & Caspensis è D. Bonauentura.

57 Obicies. Præco regis, aliter publicans legem, quàm à Rege sit lata, non obligat; conscientia autem est Præco Dei: Ergo si aliter promulgat, non est audienda.

Respondet Caspensis ex D. Bonauent. (quem tacet) talem ministrum regium inducere obligationem in existimatione, idemque præstare conscientiam, quæ obligatio in genere venit ex hoc, quòd lex vniuersalis præcipit, sequendum esse dictamen conscientiæ diligentis, & prudentis; Voluntas verò, cùm sit cæca, debet oculatum Ducem sequi.

Adverte, ex hoc eodem argumento malè Bassolium *in* 2. *distinct.*39. *quæstione vnica*, *art.*3. collegisse, maius semper peccatum esse, sequi conscientiam erroneam, quam agere contra illam; quia nempè lex superioris plus obligat, quam inferioris; Conscientia autem erronea est lex inferioris, idest hominis operantis; quam sibi ex ignorantia imponit: contrarium autem huic conscientiæ est secundùm legem superioris, quia est secundùm legem Dei, aut naturæ, aut Principis: Ergo maius peccatum, est semper agere contra legem Dei, &c. quam agere contra conscientiam.

58 Respondet tamen Vasquez *numero* 12. ex doctrina D. Bonauent. *hic*, conscientiam nostram non esse legem, sed tantùm propositionem legis: & ea nos conscientia nostra obligari, quia proponit nobis legem, aut Dei, aut naturæ, aut Principis; Cum autem contingit, esse maius peccatum agere contra conscientiam, quam illam amplecti, non prouenit ex eo, quòd conscientia nostra sit Lex superioris; sed quia per illam proponitur, vt maior Lex, & obligatio, quæ dictat, non esse agendum contra conscientiam, quam illa, quæ dictat agendum esse secundùm conscientiam; sicut etiam contrà accidere potest.

Ex quo deducunt Durandus *loco citato*, *disp.*39. *quæstione* 5. *numero* 9. Almainus *tract.*1. *Moral. cap.*5. Angelus *cap.*7. *in primam partem textus*, *dub.*4. Corduba *lib.*3. *quæstione* 4. *dub.*2. Vasquez *cap.*3. interdum posse esse maius peccatum agere secundùm conscientiam erroneam vincibilem, quàm agere contra illam; vt, cùm quis existimat præceptum esse mentiri ad tuendam vitam proximi, tunc maius peccatum est agere contra conscientiam, quàm secundùm illam, qui enim in eo casu non mentiretur, peccaret, peccato mortali, contra misericordiam, non defendens vitam proximi: qui autem eo fine mentiretur, peccaret venialiter, contra veritatem. Contrà verò, potest esse etiam maius peccatum agere secundùm conscientiam, quàm contra eam. Vt, si quis ex ignorantia vincibili putaret, esse peccatum veniale non furari ad largiendam eleemosynam, maius peccatum tunc esset furari, & ità sequi conscientiam erroneam, quàm agere contra eam, non elargiendo eleemosynam ex furto. Ità etiam Tannerus *disp.*2. *quæst* 4. *dub* 2. *num.*25.

Itaqve. Vtrum sit maius peccatum, iudicare debemus ex materia, quia obligatio conscientiæ non est diuersa ab obligatione materiæ, seu obiecti, vt docet Vasquez *num.*11. post D. Bonauent. *in corpore.* 59

QVÆSTIO VIII.

An dictamen conscientiæ magis obliget, quàm Lex *Superioris.*

D. Bonau. loco cit.
D. Thom. 2. d. 39. art. vlt. ad 3.

Commvnis sententia est, quòd si Ignorantia est inuincibilis, nec potest remoueri, vel authoritate Superioris testantis, vel alius viri; eò quòd subditus alias rationes habet oppositas, magis cogere legem conscientiæ. Ità D. Thom. 2. *dist.*39. *art. vlt. ad* 3. Armilla *v. Conscientia*, Sylu. *ibi*, *quæstione* 2. Vasq. *d.*61. Syluius *ad quæst.* 19. *art.*5. Clau. Reg. *lib.*1. *cap.*4. *num.*33. Pesantius *ad quæstionem* 19. *artic.*6. *D. Thom. dist.*5. Malder. *ibi*, *d.*84. Bassæus *v. Conscientia*, *num.*36. & alij cum Alensi *p. p. q.* *art.*120. *memb.*3. *artic.*2. D. Anton. *p. p. tit.*3. *cap.*10. §.4. Gersone *Alphab.*30. Secus verò, si Prælatus præciperet contra legem inferioris, quia potest talem legem tollere; atque adeò obligationis creditum. Similiter, si præciperet opus indifferens; quia in his est superior tanquam vices Dei tenens; sicut è contra, in materia legis diuinæ, vel naturalis, cùm sit inferior, non valet imperio suo, vt arguit Alensis, subditum obligare. 60

Tannervs *disput.* 2. *quæst.*4. *d.*2. *numero* 28. Vasquez *loco citato*, adducunt D. Bonauenturam, quasi absque distinctione dicentem, absolutè magis ligare præceptum Prælati. Sed immerito; loquitur enim S. Doct. de conscientia erronea vincibili, quam (vt ait) tenetur subditus deponere.

Est ergo sententia Seraphici, quòd, quando Subditus ex ighorantia superabili habet errorem conscientiæ, & contra hanc præcipit Prælatus, tenetur Subditus, nesciens per se iudicare, doctos viros consulere, vel si humanum desit auxilium, se ad Deum conuertere, nec imprudenter reluctari obedientiæ; alioqui: *ignorans*, *ignorabitur*, vt

vt ait Apostolus 1. *Corinth.* 14. Hanc sententiam sequuntur ipsi, Tannerus, & Vasquez cum aliis.

PROBATVR, quia quando potest deponi conscientia erronea, potest impleri liberè præceptum honeste: ergo est implendum. Totum enim est sequi sententiam superioris probi, ac docti.

61 ASSERO primò, Conscientiam, inuincibiliter errantem, præualere præcepto Superioris, circa materias Iuris Diuini, vel Naturalis.

PROBATVR, quia tunc, in existimatione, & lege putata, est superior conscientia; si verò sit inferioris Iuris, tunc manet superior supra hoc præceptum: Ergo etiam supra conscientiam de illo.

ASSERO secundò. Quando ignorantia est vincibilis, deponenda est iudicio prælati sapientis, & probi, & tunc obediendum. Patet ex dictis.

ASSERO tertiò. Quòd aliquando potest esse maius peccatum facere contra præceptum superioris; aliquando erit maius, facere contra conscientiam, iuxta gradum rerum, quæ sunt in conscientia. Patet ex dictis *quæstione præcedenti in cal. e.*

QVÆSTIO IX.

An DEVS *possit dispensare in obligatione conscientiæ, inuincibiliter errantis.*

62 ASSERO negatiuè.

PROBATVR, quia manente obligatione legis, implicat dispensatio; sed manente conscientia erronea, manet obligatio legis: Ergo, etiamsi Deus possit dispensare legem; tamen, quamdiù relinquit in existimatione hominis, illum teneri, non potest esse dispensatio. Deus enim non potest dispensare in aliis præceptis, nisi abrogando, vel tollendo: Ergo & *hic*, nisi tollendo conscientiam erroneam. Ità D. Bonauent. *loco citato*, videtur sentire.

QVÆSTIO X.

Quid requiratur, vt CONSCIENTIA *probabiliter operetur.*

CONSCIENTIA probabilis, seu opinatiua, est iudicium rationis de aliqua re agenda ex opinione probabili. Est enim opinio assensus determinatus alterius partis contradictionis cum formidine oppositi; vt monet S. Doct. *in 3. dist. 24. art. 2. quæst. 2.*

63 Aliud est verò, opinionem esse tutiorem; aliud verò esse probabiliorem. Tutior enim est, quæ à periculo culpæ est securior, atque liberior: probabilior verò est, quæ firmioribus nititur fundamentis. Itaque potest esse aliqua opinio probabilior, & tamen minùs tuta, v. g. opinio, quòd non sit necessaria attentio ad satisfaciendum officio, est pluribus Doctoribus probata; At opposita est securior, hanc enim sequentes nequeunt errare. Ità Nauarr. *summ. cap. 27. numero 289.* Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 44.* Palao *tom. 1. tract. 1. disp. 4.*

Ex quo fit, vt ea sit opinio probabilis, quæ probabilibus nititur rationibus, & probabiliter etiam aduersæ partis obiectiones soluit, & sufficienti grauium Doctorum authoritate fulcitur, iuxta id, quod Aristoteles, *primo Topicorum, cap. 1.* ait: *Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut plurimis; vel sapientibus omnibus, aut plurimis.* Præsertim debet cauère, ne sit contra Scripturam, diffinitiones Ecclesiæ, traditiones Patrum, 64
& communem Doctorum consensum. Non tamen debemus esse veluti oues, quæ gregatim inconsiderate sequuntur præeuntem, vt lepidè ait Nauarrus *in Manuali, cap. 27.* De his agunt egregiè Bardius *Tract. de Conscientia, d. 4 cap. 1.* Arriaga *disp. 24. sect. 3.* Ouiedo *tract. 5. controu. 3. p. 1.* Marcus Vidalis, *tract. de opinione*, Sanchez *lib. 1. mor. cap. 9.* Sanctius *in select. d. 14. num. 8. & d. 29. num. 7. & d. 44. num. 61.* Diana *p. 4. tract. 4. resol. 30.* Caramuel *in Reg. S. Benedicti, d. 6. art. 1.* Clau. Reg *lib. 2. cap. 6.* Laym. *lib. 1. tract. 1. cap. 5.* Vasq. *d. 62.* Filliuc. *tract. 21. à numero 134.* Azor. *p. p. lib. 2. cap. 17. quæst. 4.* Bassæus noster *v. Conscientia, num. 8.*

NOTA, opinionem tutiorem, probabiliori oppositam, esse quidem securiorem à peccato materialiter, quia sumus tutiores à re, quæ est mala materialiter. Nam quoad formale peccati satis cauetur, dum probabiliorem sequor, tametsi minùs tutam, vt docent Arriaga *loco cit. tract. 2. num. 128.* Caspensis *disp. 3. sect. 2. num. 7.* Morandus, Sanctius *in select. disp. 44. num. 66.* Palaus *tom. 1. tract. 1. disp. 2. p. 2.* Pasqualigo *decisione 349.*

QVÆRITVR igitur *hic*: An liceat sequi opinionem sanè probabilem, sed minùs probabilem, & minùs tutam, in concursu probabilioris, & tutioris. Et quid requiratur, vt conscientia per opinionem probabiliter operetur.

PRIMA opinio est Caietani *in summa*, verbo *Opinio.* Nauarri *cap. si quis, distinct. 7. a num. 58. & in summa, cap. 27. numero 288.* quod si opinio sit cum formidine oppositæ partis, non licet sequi propriam, vel alienam opinionem, nisi sit tutior; alioqui se exponet periculo peccandi. Itaque, qui relicta opinione tutiori eligit probabiliorem, minùs tutam, debet à se omnem expellere formidinem oppositæ partis. Videtur D. Th. *quodl. 8. artic. 14.* At ibi solùm exigit, ne sit dubiè probabilis, vt ait Bassæus *num 9.* 65

ADDIT ergo Caietanus ex D. Thom. si propria opinio minùs tuta, sit adeò certa ex propriis fundamentis, vt nulla maneat formido oppositæ, tunc posse nos eam amplecti: hæc enim est certitudo moralis. Sequitur Armilla, verbo *Opinio*, & videtur Henrici *quodl. 4. quæstione 33.* Eam verò refellunt Faber, & Vasquez citandi.

SECVNDA sententia communis Summistarum, verbo *Opinio.* Syluestri *quæstione 1. & 2.* Tabienæ *quæstione 3.* Rosellæ & Angeli, *numero 1. & 2.* eam opinionem præferendam, quæ firmiori nititur fundamento. Eam verò, cæteris paribus, esse, quæ habet pro se stantem legem, vel consuetudinem, vel si vtraque legem habeat, interpretandæ sunt leges pro temporum varietate, & cæteris paribus, communior sequenda, aut benignior, præcipuè, quæ fauet iuramento, voto, matrimo

matrimonio, testamento, pupillo, aut peregrino. Denique eam opinionem amplectendam, quæ peritioribus in ea arte probatur, asserunt Angelus *loco citato*, & Nauarr. *in summa*, *cap.27. numero* 286.

66 Tertia opinio est Cordubæ *lib.2. quæstione* 3. qui docet primò, quoties opinio probabilior definit, aliquid esse peccatum, tunc eam sequendam, ideſt, eam esse habendam pro regula nostrarum actionum, quæ tutior est, & probabilior. Conueniunt in hoc cum Corduba, Adrianus *quodl.2. in* 3. *puncto.* Conradus *tract.7. de contractibus*, *quæstione vltima*, *conclusione* 1. *casu* 5. *&* 7. & *conclusione* 2. Sotus 3. *de Iustitia*, *quæstione* 6. *art.5. ad* 5. Maior *in* 4. *quæstione* 2. *prologi*, tametsi Sotus loquatur tantùm de Iudicibus, & Medicis.

67 Secundò docet Corduba, quando sunt æquè probabiles rationes pro vtraque parte, tutiorem esse eligendam, & in hoc conuenit etiam Adrianus.

Tertiò docet, quando probabilior est opinio, quæ dicit, aliquid non esse peccatum, licèt opposita tutior sit, posse nos amplecti probabiliorem opinionem, alteram relinquendo. Infert Vasquez citandus, omnes supradictos velle, non licère agere contra propriam opinionem: propria autem opinio est, quæ probabilior est. Sed fallitur; aliqui enim, securiorem amplectendam, & probabiliorem relinquendam, volunt.

68 Qvarta opinio est, viro docto licère contra suam opinionem, probabiliorem creditam, operari, sequendo aliorum opinionem, etiam minùs probabilem, & minùs tutam; dummodo Sua non careat probabilitate. Ità Sanchez *in Decalog. tom.* 1. *lib.1. cap.* 9. *numero* 14. & *lib* 2. *de Matrimonio*, *disput.*41. qui adducit Mercadum *lib.1. de contract. cap.7.* Medinàm *prima secundæ*, *quæstione* 19. *art.6. fol.*309. Vasquez *disputatione* 62. *cap.4.* Valentiam *tom.2. disputatione* 2. *quæstione* 12. *puncto* 5. *quæst.*1. & *quæstione* 14. *puncto* 4. & *tom.3. disputatione* 5. *quæstione* 7. *puncto* 4. *column. penultima*, Gutier. *quæst. canon. lib.1. cap.*13. *numero* 23. Suarez 5. *tom. in tertia parte*, *disputatione* 40. *sect.5. numero* 6. Henriquez *lib.14. de irregul. cap.3. num.3.* Azorium *tomo primo*, *Institut. Moral. lib.2. cap.16. quæst.2. 3. &* 4. & *cap.17. quæstione* 7. Bannes *secunda secun-*
69 *dæ*, *quæstione* 10. *artic.1. dub.3. in obiect. cont.* 4. *conclus.* Nauarr. *lib.3. de restitut. cap.1. dub.13. in noua editione*, *numero* 137. Aragon. *secunda secundæ*, *quæstione* 64. *artic.4. dub. penultimo*, & ibi Salonium *contr.2. conclusione* 4. Ludouicum Lopez 1. *p. Instruct. cap.*120. Ledesmam 2. *tomo*, *summæ*, *tract.*8. *cap.22. fol.*747. *ante duodecimam conclusionem*, Salam *prima secundæ*, *quæstione* 21. *tract.8. disputatione vnica*, *sect.6. numero* 66. Sayrum *in clau. Regia*, *lib.1. cap.6. numero* 4. *&* 10. Leonardum *lib.2. de Iustitia*, *cap.29. dub.8. num.*68. Idem astruit Diana *Tomo primo*, *tract.*13. qui est *de opinione probabili*, vbi adducit Layman. *lib.1. tract.1. cap.5. §.2. num.7.* Basilium Pontium *de Matrim. lib.*10. *cap.*15. *num.*4. Malderum *in primam secundæ*, *D. Thom. quæst.*19. *artic.5. disputatione* 86. *assert.3.* Filliucium *Tom.2.*
70 *tract.21. cap.4. numero* 128. Tannerum *in primam secundæ*, *disputat.1. quæst.4. dub.5. numero* 36. Emanuelem, Barbosam *in rem ff. Doctor. ad ordinem Relig.* Lusitanum *lib.3. tit.64. numero* 10. Garziam *de beneficiis*, *Tom.2. p.11. num.*361. Villalobum *in summa*, *Tomo* 1. *tract.1. difficult.*10. *num ro* 2. Sanctium *in pract. disputat. disput.*42. *numero* 22. Lorcam *in primam secundæ*, *tom.1. disputat.*39. *memb.2.* Martinez *in primam secundæ*, *tom.1. quæst.*20. *artic.6.* Aluarez *ibidem*, *disputat.*80. Sanctarellum *variar. resolut. p.1. quæst.10. num.4.* Barbosam *in Collect. tom.1. lib.2. tit.9. cap.4. numero* 6. Portellum *in addit. ad dubia Regul. verbo Opinio*, *numero* 3. Adde Pasqualigum, Lezanam, Poncium, Arriagam, Morandum, Ouiedum, Auersam, Bardium, Serram, Hacquetum, Amicum, Vulpem apud Mastrium *disput.5. quæstione* 2. *art.1.* & Pallauicinum *disp.5. quæstione* 4. *artic.*10. Addunt verò, præcipuè hi vltimi, in quibusdam casibus eligendam tutiorem.

Addit Vasquez, virum doctum, omnibus diligenter perpensis, statuentem aliquid facere, probabiliter se gerere; sic enim ab vno aliquo authore opiniones omnes incepère, vt ait Sanctius *in select. disp.*44. *num.*61. Caspensis *tract.*11. *disput.* 3. *sect.* 1. & alij suprà allati apud Basseum. 71

Hi tamen non in omni casu id licère aiunt; solus Marcus Vidalis, *inquisitione* 2. *de opinione probabili*, in omni casu id licère docet; de quo pet. sequentes quæstiones. Citatur etiam Ouiedo *controuers.*3. sed hoc damnatur ab Alexand. VII. vt infrà *in prop.*27.

Qvoad sententiam D. Bonauenturæ, videtur sane censère, tutiorem partem esse eligendam: nam *in* 2. *dist.24. p.2. art.2. quæst.2. in fundamentis*, hortatur eum, qui in tentatione graui negatiuè se habuit, non expellens eam, vt id confiteatur, tanquam mortale; quia in dubiis tutior pars est eligenda, & *in* 4. *dist.*11. *p.1. artic.2. quæstione* 2. ob eandem securitatem ait, debere religiosum lapsum in mortale statim confiteri, quia hoc tutius est, & expectare, seu differre est periculosum. Hæc est opinio etiam Scoti *quæstione* 2. 72
Prol. & *in* 3. *dist.25. §. sed hîc occurrunt*, & *in* 4. *dist.3. p.2. §. De tertio*, & *dist.*11. *quæst.6.* Verùm hæc opinio Scoti videtur nimis dura, vt fatetur Faber 4. *dist.14. quæst.1. disp.6.* sub *numero* 40. *in fine.* Exponit autem Scotum *numero* 46. cuius opinionem dicit veriorem cæteris, quod cum commodè, vel saltem sine graui incommodo quis potest vitare partem minùs tutam, quantumcunque probabilem, saluberrimum consilium est, sequi partem tutiorem.

Hæc videtur germana opinio antiquorum, vt refert Amicus *disp.*15. *sect.*4. sic Adrianus, Henricus, Gabriel, Gerson, Maior, & alij. 73

E Modernis, Comitolus *lib.5. resp. moral. cap.*15. Philaeetus *de opin. praxi*, *quæstione* 5. & nouissimè Antonius Merenda, *de consilio minimè dando, extra casus regula ex duobus malis*, &c.

Hæc videtur genuinus sensus S. Bonauent. nam in primo casu suprà allato hortatur, vt confiteatur, se negatiuè habuisse in tentatione carnis, quia id commode potest fieri absque incommodo. In alio verò casu non asserit teneri absolutè ad statim confitendum, vt malè putat Nauarr. *in comment. cap. Quis autem*, *disp.7. à numero* 5. quod si id crederet de religioso, id concederet etiam de sæculari ob pericula; & quia omnes sibi cauere debent, & tamen de sæcularibus asserit, posse differre vsque ad Quadragesimam, vt benè notat Faber *numero* 41. imò & de clericis id audet asserere.

De, religiosis verò, ob status professionem, tendendi ad perfectionem, timet grauiter adeò differre, cùm tam commodè id valeant præstare.

74 Deinde verò *in 4.distinct.17. p.2. quæst. vltima*, agens quæstionem: An omnes circumstantiæ aggrauantes intra eandem speciem, sint necessariò explicandæ; tenet opinionem negatiuam, etiamsi opposita securior sit, & probabilis. Et *dist.21. artic.2. quæstione* 1. quærens: An in aliquo casu liceat reuelare confessionem, nempè, quando confitetur quis, non in ordine ad absolutionem recipiendam; sed malo fine; v.g. prauo animo occidendi, vel periurandi, &c. & negatiuam probabiliorem censet, atque tenendam; subdit tamen etiam primam probabiliter dici.

75 Et *quæstione* 3. quærit: An Confessor teneatur celare id, quod aliunde etiam, quàm per confessionem scit. Triplicem refert modum, quorum primum ait esse probabiliorem secundo; & secundum magis sobrium primo; & tertium tandem ait esse rationabiliorem, & securiorem ambobus; & licèt, hunc tertium suadent, tamen etiam duos priores admittit, vt probabiles.

Et *dist.31. artic.2, quæstione* 3. quærens: An, qui, concupiscentiæ explendæ gratia, cum vxore coit, semper mortaliter peccet: duas adducit opiniones, primam affirmatiuam: alteram negatiuam: & quamvis primam dicat esse probabilem; quia tamen in praxi nimis dura videtur; censet, secundam esse præferendam.

76 Et *dist.32.art.3. quæstione* 1.quærens: An mulier tempore menstrui, vel petere, vel reddere debitum possit; tres affert dicendi modos, tanquam probabiles; vltimum verò dicit esse probabiliorem: & *in solutione obiectionum* dicit, quòd licèt vltimus modus videatur esse probabilior; primus tamen est securior, & sanior, quia standum est pro matrimonio: & valdè durum videtur, quod mulier debitum non reddat viro instanter petenti, cùm non appareat infirmitas grauis, & manifesta.

77 Ex quo apparet, S. Doctorem *hic*, sequi opinionem minùs probabilem, licèt magis tutam.

Et *dist.36. artic.2. quæstione* 3. quærens: An sponsalia post septennium contracta, dissolui queant per mutuum consensum: duas adducit opiniones, velut probabiles; vnam negatiuam: alteram assertiuam, quam dicit esse magis probabilem. Sic etiam discurrit *lib.3. dist.39. art.2. quæst.1. & 2.* de iuramento doloso, & coacto: An obligent, vbi varias adducit opiniones probabiles, quem disputandi modum passim inuenies in rebus moralibus, etiam apud alios; imò apud veteres Magistros, D. Thomam, Scotum, Richardum, Henricum, Alensem, & alios; quibus tamen præferendum Seraphicum, & doctrinæ præstantia, & candore conscientiæ, asserit Mastrius *dist.5. quæst.2. num.62.* qui nostro S. Doctore vnicè ferè vtitur.

78 Hinc patet, malè dixisse *in præf.* Merendam *num.51.* hanc sententiam esse nouam, & vix triginta ab hinc annis, introductum fuisse vsum probabilitatum.

Dices, S. Bonauenturam, *locis allegatis*, ferè semper probabiliorem, aut saltem tutiorem amplecti.

Respondetur, nobis sufficere, si aliquando etiam alias amplectatur minùs tutas. Cæterùm, probabiliorem eam dicit, quam sequitur, quæcumque sit.

Quæ cùm ità sint; Faber quærens ad hanc sententiam trahere Scotum, non rectè indiscretionis Seraphicum arguit.

Assero igitur primò, data commoditate, absque magno incommodo, tutiorem partem satiùs eligendam. 79

Probatur à Fabro *numero* 46. Nam qui sine graui incommodo, & iactura, vel personæ, vel famæ, vel rei familiaris, potest sequi partem tutiorem, in qua nullum est periculum peccandi; si tamen velit oppositam sequi, minùs tutam, non benè prouidet saluti animæ, quæ pluris æstimanda est, quàm corporis, & aliarum rerum iactura.

Sed hæc ratio manca est; imò contra eum; nam, qui renuit partem tutiorem, ne discrimen subeat personæ, famæ, &c. etiamsi hinc graue incommodum subeat; tamen videtur hæc anteponere saluti, quæ semper, etiam secundùm Fabrum, pluris æstimanda est, quam alterius cuiusvis commodi iactura.

Ratio ergo D. Bonauent. *loco citato*, est, quòd, qui potest absque graui incommodo tutiorem partem sequi, & non sequitur, contemnit suam salutem; quam quidem Deus suauiter regens non vult procurari summo semper discrimine, vbi è contrà non stet certitudo de Diuina voluntate, & ex alio capite habeatur probabilitas; cùm iugum eius sit suave: Et partem minùs tutam ita amplectens, minoris vsquequaque æstimationis reputet salutem animæ, quàm corporis; in qua obtinenda, multa amara ebibit, deglutit, &c. 80

Affert Seraphicus exemplum. Si quando graui percellimur ægritudine, peritissimum adimus Medicum absque mora, ne morbus ingrauescat ad mortem: Qui igitur salutem corporis, tanti pendit, pluris æstimare tenetur animæ salutem; alioqui incidet in illud Ecclesiastici 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*, vt subdit Faber cum D.Bonauent. *in speculo animæ, cap.* 3. ad medium. 81

Idipsum indicat Antonius Perez *in Laurea Salmatina, certamine* 10. *num.55.* Gabriel *in 4. dist.15. quæst.8.art.3. d.2.* D. Antonin. *1.part. tit.3. cap.10.§.10.reg.4.*

Æquiuocè autem Diana respondet argumento, quòd, licèt opinio tutior sit perfectior, non cogit; non enim tenemur ad id, quod est maioris perfectionis, & securitatis. Sic & Bassæus *numero* 9. 82

Neque enim ex perfectione arguimus; sed ex securitate, & probabilitate morali, absque incommodo.

Probatur secundò authoritatibus Scripturarum: Deuteronom.26. *Hodie Dominus præcipit tibi, vt custodias mandata hæc, & impleas ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* Non vult autem in quauis materia summam adhiberi diligentiam moralem in inuestigatione opinionis probabilioris; sed solùm, vt sincerè illa obseruet, & sine vllo errore, vel dubio agatur, vt explicuit D. Augustinus *lib.1. de Doctrina Christiana, cap.22.* vt docet D.Bonau. *in 3. dist.27.dub.3.* & D.Bernardus: *Ex toto corde tuo, idest, sapienter, & ex tota anima tua, idest dulciter, & ex tota fortitudine, idest fortiter.* 83

Vnde

Vnde tandem ait S. Bonauent. illa tria consonare, prima Timoth.1. *Ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta*, quæ omnia saluantur per opinionem verè probabilem, & si non adsit difficultas, vel incommodum per tutioris obseruantiam.

Id ipsum probat S. Doct. *opusc. de quatuor virtutibus Cardinalibus*, ex 9. Ecclesiaste: *Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare.* Et Prouerb.14. *Est via, quæ videtur homini recta: nouissima autem illius ducunt ad mortem.* Hoc exponit Hugo Cardinalis, quia aut non recto oculo cordis, aut nimis à longè, aut superficialiter tantùm ponderant motiua aduersantis sententiæ.

84 Eodem sensu explicandi sunt Canones *cap. Iuuen. de sponsal. cap. Illud de cleric. excomm. cap. Ad audientiam, cap. significasti 12. de homicidio, & cap. si quis autem, de pœn. dist.7. cap.2. de secundis nuptiis, cap. Inquisitioni, & cap.4. de sentent. excommunic.* asserentes, in dubiis tutiorem partem esse eligendam. Hoc quidem aliqui exponunt verum esse, quando ex vna parte non est probabilitas, sed dubium. Ità Syluester *verbo Opinio.*

85 Sed in casibus relatis ibi, sunt aliqui; in quibus oppositum erat probabile. Verius dicam, Canones loqui in materiis specialibus Sacramentorum, & aliis similibus; in quibus sine incommodo, potest suppleri decenter Ministerio Ecclesiæ.

Tandem insigne est testimonium Concilij Vien. & Clementis V. *in Clementina Exiui, §. Item quia*, de verborum significatione: *Nos itaque attendentes, quod in his, quæ salutem animæ respiciunt, ad euitandos graues remorsus conscientiæ pars securior est tenenda.* Sanè si in rigore esset intelligendum, non possemus vti etiam opinione probabiliori, concurrente cum minus tutâ.

86 Igitur loquitur, quando potest fieri sine graui incommodo; maximè verò, quia loquebatur de Religiosis Sancti Francisci, qui perfectioni tenentur incumbere.

Probatur quartò ex multis authoritatibus D. Augustini *in Psal.35. 39. 100. 103.* De vtilitate credendi *cap.3. disp.2. Academ.* & *lib.4. quæstionum super Numer. cap.45.*

Similiter ex D. Hieronym. *ad cap.2. Thren.* Gregorio *lib.16. Moral. cap.16.* & *lib.9. cap.17.* & *lib.5. cap.6.* Ambrosio *in Psal.1.* & *serm.9. in Psal.118.* quæ congerit Merenda, & soluit Mastrius.

87 Probatur quintò à Philaleto, & Merenda. Morales operationes exigunt accuratum examen, vt docet Philosophus 5. *Eth. cap.5.* non quidem maximum, quia sic nunquam esset scrupulorum finis, vt aduertit Pallauicinus *disp.9. quæst.4. art.2. n.5.* sed morale tantùm, quo eximamur ab errore formali, etiamsi materialem incurrere possimus; in quo differt à negotiis familiaribus, quæ ex hoc capite exactiorem exigunt diligentiam, quia in eis, omnis error, etiam materialis, nocet; in his verò sufficit prouida probabilitas, non inuoluens conscientiam scrupulorum labyrinthis.

88 Probatur sextò. Virtutis operationes oportet esse solidas; qua de causa Aristoteles 6. *Eth. cap.3. & 6.* ob defectum huius certitudinis, opinionem honesti dixit non esse iudicium prudentiæ, quia non ità fertur in suum obiectum, vt non possit esse falsa; hoc tamen iudicium cùm sit prudentiæ, debet esse practicum de probabilitate honestatis, & quantum commodè potest, de securitate. Alia etiam argumenta aduersariorum hoc tantùm probant.

Assero secundò, Conscientiam probabilem 89
esse posse regulam humanarum actionum, non tamen semper expedire.

Prior pars probatur primò, ratione communi. Qui iuxta opinionem probabilem operatur, non temerè, sed prudenter operatur, etiamsi talis opinio non sit probabilior, nec tutior: Ergo non peccat. Consequentia probatur; quia, qui peccat, non operatur prudenter. Probatur assumptum; siquidem talis opinio, & conscientia eo ipso, quo est probabilis, nititur graui fundamento rationis, vel auctoritatis.

Respondent Aduersi, opinionem probabi- 90
lem posse prudentem esse; at comparatam cum probabiliori, esse imprudentem.

At maior probabilitas non destruit probabilitatem oppositæ, vt notant Bardius, & Mastrius. Hoc & in Physicis cernimus; nam album vt octo, non destruit album vt sex: & in moralibus, Sanctus vt quatuor, est sanctus coram sancto vt sex. Confirmatur, quia si iuxta conscientiam teneremur sequi semper tutiorem absque Epykeia; heu! quot scrupulorum congeries? Sic omnia hæc tutiora sequi cogeremur in confessione: Semper nempè, habere actum contritionis perfectæ: In festis diebus dolere de peccatis. Peccata statim confiteri: Ex mutuo nil recipere 91
ratione lucri cessantis: Iuramentum in re leui ad mortale obligans credere, & sexcenta alia.

Respondet Merenda, rem ità esse: At teneri operantem suspendere operationem, cessante necessitate operandi, quando opinio specificans opus illicitum impedit eum formare iudicium certum morale de rectitudine operis. En pedetentim ad Seraphicum accedit, quoad primum assertum.

Probatur secundò. Si probabilior, vel tu- 92
tior semper esset sequenda, oporteret reprehendere omnes Theologos, etiam sanctos, asserentes, aliquando opiniones minùs tutas, vel probabiles; imò non liceret ferè disputare de rebus moralibus; sed solæ tutiores asserendæ. Non liceret Pontificibus, iuxta opiniones probabiles, dispensare, quando in contrarium sunt tutiores, vel probabiliores; At dispensarunt, vt probat Diana *p.4. tract.4. resol.93.* nam Clemens VIII. dispensauit, vt quis duceret duas sorores, quod fecit & Vrbanus VIII. in persona Francisci Estensis, Mutinæ Ducis, & tamen erat celebris opinio, id non posse fieri.

Exemplum clarius est de dispensatione Voto- 93
rum solemnium per professionem Religionis. Fuit namque de hoc celebris controuersia inter Theologos, & quidem D. Thomas 2. 2. *quæstione* 88. *artic.11.* (Videtur etiam D. Bonauent. *in 4. dist.38. artic.2. quæstione 3.*) & alij docuerunt, tale votum non posse per Ecclesiam dispensari. Richardus verò, & alij, vt refert Nicolaus de Orbellis *4. dist.38. quæst.1. §.29.* oppositum dixerunt. Et sanè opinio negans erat tutior; sed & probabilior, & tamen Pontifices sæpè dispensarunt, vt videre est apud Bonacinam *Tract. de Legibus, disp.4. quæst.2. p.7. § 4. num.22.* Sanchez *de Matrimonio, lib.8. disp.8. numero 7.* Nauar. *cap.12. numero 75. & lib.3. de Voto, consil. 37.* Lessium *dub.14. de Voto, num.111.* & alios recentiores referentes passim, dispensatum cum Nicolao Iustiniano Monacho, cum Rege Aragoniæ, & aliis; & tamen

non errarunt, vt dicam 2. 2. *disput.* 2. *de votis solemnib.*

94 Respondet Merenda, vtile fore compescere tot recentiorum laxas habenas in opinionibus euulgandis. Ad dispensationes Pontificum hortatur Principes, vt consiliariis sapientibus vtantur.

At non negabo, laxas aliquas prodire opiniones; sed non propterea omnes probabiles damnandæ, nisi plurimos pios & eruditos Theologos damnare velimus, cum tot Pontificibus, qui contra opiniones probabiliores dispensarunt.

95 Probatvr tertiò, quia nostra sententia magis consonat Legi diuinæ, & humanæ. Humanæ quidem, quia Iuristæ, & alij Doctores affirmant, in rebus humanis præferendas opiniones benigniores: *ex l. Benignus, ff. de Legibus, & cap. finali de transact.* Diuinæ verò, quia Lex benigna est, Matthæi 11. *Iugum meum suave est, & onus meum leue.* Et Ioan. epist. 1. cap. 5. *Mandata eius non sunt grauia.*

Respondet Merenda, hanc sententiam esse nouam in Ecclesia Dei, cùm per quindecim sæcula malè oluerit.

96 Sed rideo hæc inania; nam multæ sunt opiniones veterum, à modernis iure, imò ab Ecclesia moderatæ, vt aduertunt Granado, Palao, Lezana, Ouiedo, Arriaga, & alij. Deinde satis ostensum est, probabilitates fuisse ab antiquis receptas.

Obiicies primò. Quando sunt duæ opiniones probabiles; altera dicens, esse licitum; altera illicitum, oportet alteram esse veram; alteram falsam: ergo, si affirmans falsa sit, qui illum sequitur, aliquid illicitum facit.

97 Respondeo, quòd, quando ambæ propositiones contrariæ, sunt probabiles, licèt à parte rei vna debeat esse vera; altera falsa: in existimatione tamen secundùm probabilitatem vtraque poterit esse probabiliter vera, etiam practicè, ex dictis. Nam, quando propositiones sunt modales, & negatio non afficit modum, sed dictum; poterit ambas iudicare veras, aut ambas falsas, cùm inter se non pugnent: ambæ enim sunt affirmatiuæ. Vnde hæ duæ possunt esse veræ: *Ientaculum octo vnciarum licere, probabile est. Ientaculum octo vnciarum non licere, probabile est.*

Dices. Quidquid sit de veritate harum propositionum, provt sunt in existimatione, tamen loquendo de veritate à parte rei, ambæ nequeunt esse veræ: ergo qui alteram facit, illicitum quid patrat.

98 Respondetvr, eum, qui ità moraliter operatur, non operari illicitè formaliter; esto materialiter possit esse malum; ità tamen, vt hic, & nunc non sit illicitum, quia opinione probabili operans, apud Deum non peccat, qui non exigit debita ad modum Turcarum.

Deinde potest esse, vt & probabilior sit falsa; nam eo ipso, quòd opinio est, adhuc est cum formidine oppositi, & non certa. Quid igitur eueniet si ipsa est falsa? Dicat nobis Merenda.

Concedo sane, vnam esse veritatem speculatiuam, vt docet D. Augustinus *epistola ad Donatum, &c.* Attamen veritatem quoque practicam dari, concedere alij debent, quæ fundatur in probabili apprehensione, & æstimatione, è grauibus motiuis orta, quæ sanè veritas ideò non stat in indiuisibili, sed latitudinem habet, quia sumitur ex mediis probabilibus.

Instat, non posse nos sequi, quod falsum est, promiscuè eligendo id, quod falsitati magis accedit cum animæ discrimine grauissimo.

Respondetvr, non posse nos licitè sequi, 99
quod est falsum à parte rei, & quod etiam à ratione proponitur, vt tale; posse tamen sequi id, quod falsum est, si proponitur à ratione recta, & prudenti, vt verum. Ratio est, quam D. Thom. assignat *quæst.* 19. *art.* 3. & 4. potest enim aliquando ratio falsa, & errans esse regula nostratum operationum, tam in ordine ad malum, quàm in ordine ad bonum, & ad excusandum à peccato; Cùm enim bonum & malum non moueant voluntatem, provt sunt in seipsis; sed provt sunt in intellectu; patet, bonitatem, & malitiam non sumi à reali bonitate in se, sed provt est apprehensa, vel æstimata.

Obiicies vltimò præcipuum aduersæ sententiæ fundamentum. Nemo erit honestè operans, si 100
talem eligat opinionem, quæ in intellectu ipsius operantis gignere nequeat iudicium determinatum de honestate materiæ, circa quam versatur opinio deligenda. Sed quando occurrunt duæ opiniones, sanè improbabilior non est apta gignere iudicium determinatum de honestate materiæ: Ergo concurrente probabiliori, non agitur honestè, iuxta minùs probabilem.

Respondeo, neque in ipsa probabiliori iudicium haberi posse determinatum, quia cum formidine oppositi coniungitur, sufficit ergo, habere iudicium determinatum probabile, quo à temeraria actione immunes prudenter agamus; alioqui scrupulorum tineis perpetuò depasti, sexcentis torquebimur angustiis.

Vt autem regulam ad seligendas opiniones habeas Doctorum. Volo hic apponere pro epiphonemate sententiam D. Augustini, contra Donatistas, apud D. Bonauent. lib. 1. Pharetræ, cap. 45. 101
Non facilè pro vno, vel paucis aduersus innumerabiles Religionis, & veritatis viros, & magno ingenio, & vberi doctrina præditos, nisi pertractatis pro viribus, & benè perspectis rebus, ferenda sententia est. Itaque Sancti Doctores non sunt facilè refellendi. Ità nos discipulos suos grauiter monebat P. Theodorus Forestus: *Seligite opiniones Sanctorum. Iam hi tuti è cælo viam demonstrant.*

Observa. Opinionem communiorem non eam esse, quæ plures habet Doctores, qui præcedentes sequuntur, instar ouium, aut auium. Illa sanè erit communior, quæ plures habet Duces classicos Patronos: Horum singuli pluribus gregariis Doctoribus præualent, maximè vbi è professo quæstiones eas agitant. Ità Nauar. *in Man. cap.* 27. *num.* 289. Sanchez *lib.* 1. *Mor. cap.* 9. *num.* 9. Bonacina *tract. de pecc. disp.* 2. *quæst.* 4. *p.* 9. Reginald. *lib.* 13. *num.* 92. & 105. Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 14. & *cap.* 16. *quæsito* 5. Sancius *in sel. disp.* 29. *num.* 7. & *disp.* 44. *num.* 67. Vasq. 1. 2. *disp.* 62. *cap.* 4. *num.* 13. Bassæus *num.* 13.

Seriem verò Doctorum classicorum describit Azorius *cap.* 14. *cit.* Mox addit cæteros.

In Theologia, Classici sunt Hugo de S. Vict. Petrus Lombardus, Magister Sent. Richard. de S. Vict. Guilelm. Episcopus Paris. Guilelm. Altisiodor. Episc. Alexander Alensis Anglus. Albert. Magn. Theutonicus. S. Thom. D. Bonauent. Ægid. Rom. Petrus Tarantas. qui fuit Innoc. V. Henric. Gandau. Rich. de Media Villa.

In secunda classe ponitur Ioan. Duns Scotus, quem

quem in prima classe meritò ponerem. Aureolus, Ocham. Dur. Palud. Arim. Argent. Baccon. Marsil. Ipsum vide recensentem Iuristas, & Sumistas.

Concludit autem insulsè, se in suo opere morali vsurum ex antiquis Theologis Alensi, D. Thoma, Henrico, Rich. Palud. Gabriele, quippè cæteri pauca de moribus attigerint. At ego præcipuè vtar operibus S. Bonauenturæ, qui optimè, & copiosè etiam de moralibus egit. Vberrimè verò prosequitur tractare de opinionum delectu.

Aliqua sanè intermiscet *cap.9.* admonita, Seraphicum, immeritò carpens, quasi doctrinas de Sacramentis ediderit, à definitionibus Ecclesiæ aberrantes. Sed hæc *3.p. tract.2.* elucidabo.

102 Inter Veteres autem, & Recentes authores hoc discriminis intercedit, vt veteres simpliciter grauiores sint: Attamen recentes, qui vetustos perlegerunt, & noua etiam agnita, & addita norunt, securius ducunt in moralibus; maximè vbi decreta Ecclesiæ intermiscentur, vel Concilia, Bullæ Pontificum, &c.

Inter opiniones autem legibus nixas, ea seligenda, quæ superiori Iuri adnititur. Inter eas, quæ rationibus fundantur, eligenda est solidior, & communior. Inter seueras, & benignas inclinandum benigniori. Dicitur autem benignior, quæ fauet testamento, libertati, matrimonio, pupillis, viduis, peregrinis, reis, &c.

Denique amplectenda, quæ animabus fauorem præstat, potiùs quàm arctior, quia odia sunt restringenda, & fauores ampliandi. Vide Azorium.

Est autem grauiter aduertendum, ne ad extrema declinemus, nimisve laxas, quas aliqui moderni approbant, opiniones, inducamus: neve altero in margine arctiùs obligantes, inuehamus. Vide, quæ infrà de hac re dicturus sum *ad propositionem 27. sect.26.* vbi etiam de probabili, & probabiliori opinione aliquid pro subiecta materia tanguam.

Ioannes Sancius *select. disp.44. numero 65.* ait, obsequium præstare Deo tradentes opinionem releuantem à peccato; sic enim peccata vitari, dum bona fide eruditi Doctoris authoritate prudenter operamur. Non dissimilis Caramuel in Regulam S. Benedict. *disp.60. num.883.* dicens, Crescentibus obligationibus, crescere & culpas.

Addit Bassæus *v. Conscientia, sub num.20.* Graue admodum plorat, culpam lethiferam imponere, vbi certi non simus. Sic enim homines mergi clamat: *Quid prodest (ait;) imò quid non obest coarctare plus iusto mandatum Dei, quod est latum nimis? Quid insuper expedit, amarius, grauiusque reddere illud Christi iugum, quod suaue est?* Allegat D. Thom. *quodl. 9. art. 15.* Gerson. *3.p. lect. 4. de vita spirit. litt. O.*

Hinc benigniorem opinionem, præ rigida, amplectendam suadent, ac charitatis tramitem potiùs quàm iustitiæ incundum.

E regione Sanctissimus Papa Alex. VII. clamat nimiam luxuriantium opinionum licentiam in animarum perniciem à via cœli, quæ arcta proclamatur à Christo, longius abstrahere. Ideò decreta edidit, anno 1665. & 1666. 1659. plurimas opiniones condemnans. Hæc autem sunt Decreta.

DECRETVM I.

Feria 5. die 24. Sept. 1665.

IN Congregatione Generali S. Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram S. D. N. D. Alexandro Diuinâ prouidentiâ Papa VII. ac Eminentissimis, & Reuerendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus, in tota Republica Christiana aduersus hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SANCTISSIMVS D. N. audiuit non sine magno animi sui mœrore complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxatiuas, & animarum perniciem inferentes; partim antiquatas iterum suscitari, partim nouiter prodire: & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere; per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Euangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina; & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare ne vllo vnquam tempore viam salutis, quam suprema Veritas Deus, cuius verba in æternum permanent, arctam esse definiuit, in animarum perniciem dilatari, seu veriùs peruerti contingeret, idem Sanctissimus D. N. vt oues sibi creditas ab eiusmodi spatiosa, lataque per quam itur ad perditionem, viâ, pro pastorali sollicitudine in rectam semitam reuocaret, earundem opinionum examen pluribus in sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reuerendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus seriò commisit: Qui tantum negotium strenuè

aggressi, eique sedulò incumbentes, & maturè discussis vsque ad hunc diem infrà scriptis propositionibus, super vnaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ sigillatim exposuerunt.

Primò. Homo nullo vnquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum Diuinorum, ad eas virtutes pertinentium.

Secundò. Vir Equestris, ad duellum prouocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

Tertiò. Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare Facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, Anno 1629. 18. Iulij in Consistorio sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.

Quartò. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absoluere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

Quintò Quamvis euidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

Sextò. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione; ac proinde non est denunciandus.

Septimò. Modus euadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est. Si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absoluere absque onere denunciandi.

Octauò. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus, ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Vrbani VIII.

Nonò. Post Decretum Vrbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendij sibi retentâ.

Decimò. Non est contra iustitiam, pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium vnum offerre, neque est etiam contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam iuramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

Vndecimò. Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.

Duodecimò. Mendicantes possunt absoluere à casibus Episcopis reseruatis; non obtentâ ad id Episcoporum facultate.

Decimotertiò. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo iniustè reprobato.

Decimoquartò. Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit Præcepto Ecclesiæ.

Decimoquintò. Pœnitens propriâ authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

Decimosextò. Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium, simplicem Sacerdotem, non approbatum ab ordinario.

Decimoseptimò. Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorem grauia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, vti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel eius Religioni publicè, & coram grauissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

Decimooctauò Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam iudicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum euitare.

Decimononò. Non peccat maritus occidens propria auctoritate vxorem, in adulterio deprehensam.

Vigesimo. Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam Declaratoriam Iudicis, eo, quod sit pœna.

Vigesimoprimò. Habens Capellaniam collatiuam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

Vigesimosecundò. Non est contra iustitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interueniente, non exigit illam pro collatione Beneficij, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

Vigesimotertiò. Frangens ieiunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subiicere præcepto.

Vigesimoquartò. Mollities, Sodomia, & bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimæ,

infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.

Vigesimoquintò. Qui habuit copulam cum soluta satisfacit Confessionis præcepto, dicens commisi cum soluta graue peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

Vigesimosextò. Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in fauorem vnius præ alio.

Vigesimoseptimò. Si liber sit alicuius iunioris, & moderni debet opinio censeri probabilis, dum non constet reiectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.

Vigesimooctauò. Populus non peccat, etiamsi absque vlla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium Propositionum examini, curâ, & studium impenditur, interea idem Sanctissimus, re maturè consideratâ, statuit, & decreuit prædictas propositiones, & vnamquamque ipsarum, vt minimum tanquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: ita vt quicumque illas, aut coniunctim, aut diuisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis etiam disputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem à quo non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolui.

Insuper districtè in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

IOANNES LVPVS Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis Not. &c.

Locus † sigilli.

Anno à Natiuitate D.N.IESV CHRISTI millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, indictione tertia, die vero 2. mensis Octobris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris D.N. D.Alexandri Diuinâ Prouidentiâ Papæ VII. Anno vndecimo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Vrbis, per me Carolum Melanum eiusdem Sanctissimi D.N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

DECRETVM II.

Feria 5. die 18. Martij 1666.

IN Congregatione Generali S. Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis, habitâ in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram S. D. N. D. Alexandro Diuinâ Prouidentiâ Papa VII. ac Eminentissimis, & Reuerendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus, in tota Republica Christiana aduersus hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SANCTISSIMVS D. N. post latum Decretum die 24. Septembris proximè elapsi, quo 28. propositiones damnatæ fuerunt, examinatis sedulò, & accuratè atque ad hanc diem infra scriptis aliis 45. tum numerum implentibus per plures in S. Theologia Magistros, ac per Eminentissimos, & Reuerendissimos Dominos Cardinales aduersus hæreticam prauitatem Generales Inquisitores, eorum suffragia singillatim super vnaquaque audiuit.

Vigesimononò. In die Ieiunij, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium.

Trigesimò. Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant sunt excusati ab obligatione Ieiunij, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum Ieiunio.

Trigesimo

Trigesimoprimò. Excusantur absolutè à Præcepto Ieiunij omnes illi, qui iter agunt equitando, vtcumque agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter vnius diei conficiant.

Trigesimosecundò. Non est euidens, quod consuetudo non comedendi oua, & lacticinia in quadragesima obliget.

Trigesimotertiò. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficij fecerit.

Trigesimoquartò. In die Palmarum recitans officium Paschale satisfacit Præcepto.

Trigesimoquintò. Vnico officio potest quis satisfacere duplici Præcepto pro die præsenti, & crastino.

Trigesimosextò. Regulares possunt in foro conscientiæ, vti priuilegiis suis, quæ sunt expresè reuocata per Concilium Tridentinum.

Trigesimoseptimò. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & reuocatæ à Paulo V. hodie sunt reualidatæ.

Trigesimooctauò. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quam primum, est consilium; non Præceptum.

Trigesimononò. Illa particula *quam primum*, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

Quadragesimò. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus vlterioris, & pollutionis.

Quadragesimoprimò. Non est obligandus Concubinarius ad eiiciendam concubinam, si hæc nimis vtilis est ad oblectamentum concubinarij, vulgo *Regalo*, dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inueniretur.

Quadragesimosecundò. Licitum est mutuanti aliquid vltra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem vsque ad certum tempus.

Quadragesimotertiò. Annuum legatum pro anima relictum, non durat plusquam per decem annos.

Quadragesimoquartò. Quoad forum conscientiæ reo correcto, eiusque contumacia cessante, cessant censuræ.

Quadragesimoquintò. Libri prohibiti, donec expurgentur possunt retineri vsque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus maturè pensatis, idem Sanctissimus statuit, ac decreuit prædictas propositiones, & vnamquamque ipsarum, vt minimum, tanquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicuti eas damnat, ac prohibet; Ita vt quicumque illas, aut coniunctim, aut diuisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis etiam disputatiuè publicè, aut priuatim tractauerit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, à quo non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolui.

Insuper districtè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis, ac status etiam speciali, & specialissimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum, ad praxim deducant.

DECRETVM III.

Die 30. Ianu. 1659.

IN Congregatione Generali S. Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram S. D. N. D. Alexandro VII. ac Eminentissimis, & Reuerendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus, in Vniuersa Republica Christiana contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus, à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

CVM nuper à Regularibus Mendicantibus Diœcesis Andegauensis iudicio Apostolicæ (ad quam dumtaxat Fidei controuersias, & morum Vniuersalis

Ecclesiæ

Ecclesiæ pertinet definire) infra inserta propositiones fuerint oblatæ: de mandato Sanctiss. D. N. D. Alexandri Diuinâ Prouidentiâ Papæ VII. plurium Theologorum, ac Canonistarum, Sanctitate sua ad id specialiter deputatorum, examini sunt commissæ: quo peracto, ac relata Sanctitati suæ vnanimi eorumdem Theologorum, ac Canonistarum censurâ, idem Sanctissimus votis Eminentissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardinalium, Inquisitorum, easdem Propositiones prout infrà qualificatas auctoritate Apostolicâ declarauit, & declaratas decreuit, & tales ab omnibus haberi præcepit.

HÆ SVNT PROPOSITIONES.

Prima. Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis, vt Sæcularium Confessiones audire possint: neque de illius consilij auctoritate priuilegia Regularium restringi possunt, cum id in Gallia receptum non sit, præterquam in Decisionibus fidei. Neque etiam Bulla Sixti IV. pro illius confirmatione promulgata.

Est falsa, temeraria, scandalosa, & schisma inducens, sacro Concilio Tridentino, & Sedi Apostolicæ iniuriosa.

Secunda. Vbi Concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere, vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas: neque illas vlla ex causa reuocare. Quinimò Ordinum Mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur. Et si ab Episcopis Religiosi non probentur, reiectio illa valet tantum, ac si approbatio concessa fuisset.

Complexè accepta est falsa, temeraria, scandalosa, & erronea.

Tertia. Regulares Ordinum Mendicantium, semel approbati ab vno Episcopo ad confessiones audiendas in sua Diœcesi, habentur approbati in aliis Diœcesibus, neque nouâ indigent Episcoporum approbatione, Regulares habent potestatem absoluendi à peccatis Episcopo reseruatis, etiamsi ab Episcopo auctoritas ista ipsis indulta non fuerit.

Quoad primam partem est falsa, & saluti animarum perniciosa. Quoad secundam partem est falsa, authoritati Episcoporum, & Sedi Apostolicæ iniuriosa.

Quarta. Nullus in foro conscientiæ Parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam Confessionem, nec ad Missas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, Diuinam legem, fidei Rudimenta, morum doctrinam, quæ ibi in Catechesibus annuntiantur, & docentur.

Quoad primam, & secundam partem simpliciter accepta, est erronea, & temeraria, suppositis verò Priuilegiis Apostolicis, nullam meretur censuram. Et quoad tertiam partem de auditione verbi Christi, seruetur dispositio sacri Concilij Tridentini.

Quinta. Talem legem in hac materia, nec Episcopi, nec Concilia Prouinciarum, nec Nationum sancire, nec delinquentes aliquibus pœnis, aut Ecclesiasticis censuris mulctare possunt.

Suppositis itidem Priuilegiis Apostolicis nullam meretur censuram. Verum ista non est prædicanda, nec publicè docenda, prout nec præcedens quarta.

Sexta. Regulares Mendicantes petere possunt licitè à Iudicibus Sæcularibus, vt iniungant Episcopis, quatenus ipsis mandata concedant ad prædicandum in Aduentu, & Quadragesima. Quod si renuant facere Episcopi, Decretum Iudicum Sæcularium tantumdem valet, ac si permissio dictis Religiosis concessa fuisset.

Est falsa erronea, & in hæresim, & schisma inducens.

Hanc ergo qualificationem, & declarationem à cunctis tenendam, & sequendam, & in praxi obseruandam Sanctitas sua declarauit, & mandauit sub pœnis contra Schismaticos, temerarios, seditiosos, ac de hæresi suspectos, impositis, contrariis quibuscumque non obstantibus.

IOANNES LVPVS Sanctæ Romanæ, ac Vniuersalis Inquisitionis Notarius.

103 Licet cuique timoratæ Conscientiæ ad longè abigendas istiusmodi opiniones, potiùs dixerim errores, sufficiat hæc SS. Pontificis Censura; Cùm tamen sapientibus, & insipientibus debitores simus, libet hîc tantæ authoritati firmissima Iura, solidasque rationes subiungere, quibus dudum à præclarissimis viris, præcipue verò à D.Bonauentura, ista opinandi licentia expugnata est, cuius validissimas rationes, quas omnes ferè sequuntur, Tractatu de Virtutibus ampliùs elucidabo: hîc vero propiùs Iuris dispositiones sequar.

Mirum sanè eo deuenisse in omni materia opinionum copiam, vt quicquid indeclinabiliter superno non sit decisum oraculo, hoc facili scriptorum discutiendum relinquatur arbitrio; Quorum tanta, & tot sunt in scribendo problemata, ne dicam schismata, vt in hoc vno Classici Doctores ferè conueniant, in nullo conuenire. Hoc ipsum (vt alias probabilistatum lites missas faciam) patet in assignando tempore, quo Dei dilectionis præceptum vrgeat.

104 Thomistæ volunt, omnes ad hoc obligari, cùm primùm incipientis rationis lumen illuxerit, 1. 2. *quæst.* 89. *art.* 6. quorum nonnulli apud Azorium *lib.* 9. *Instit. moral. cap.* 4. volunt huius primæ oportunitatis omissionem, tanquam mortalem, Ecclesiæ clauibus necessariò subiiciendam.

Scotus cuilibet diei festo huius præcepti adimplendi necessitatem assignauit *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 3.

Alii tempore mortis, dum postrema salus agitur, ad actum dilectionis eliciendum, omnes compelli docent. Sic Angelus, Tabiena, Nauarrus: aptius autem tempus cùm adultus baptizatur indicat Sotus *lib.* 1. *de natur. & gratia, cap.* 22. &c. Idem *lib.* 2. *de Iustitia, quæst.* 3. *art.* 10. obligari nos ait, quando insigni aliquo beneficio ad hoc à Deo obstringimur.

Alii apud Azor. *loc. cit.* cùm patientia, & virtus nostra rudi aliqua tentatione quatitur; item cùm ad Sacramenta, vel ministranda, vel suscipienda accedimus; saltem si Sacrosancti Dominici Corporis fructum percipere cupimus. Quidam quos, sequutus est Tabiens. *feria, quæst.* 46. *& Charitas, quæst.* 40. *& num.* 41. ad mortalis culpæ conscientiam hanc obligationem reseruant. Sunt & alij plures opinandi modi de hac re apud Azorium, vt suprà: de hoc adhuc differam *tom.* 5. *disp.* 8. *de Char. quæst.* 50.

105 Verum cùm tanta opinantium turma cæteris modernis viam præcluserit, vt nouam excogitandi opinionem, (qua ingeniorum monumenta posteris commendarent) modum non haberent maluêre potius, omne tempus, omnemque determinatum modum huiusce obligationis è medio tollere, hominemque à diuinæ dilectionis iugo per totam vitam eximere, quidquid in contrarium vrgeat sacer Textus: *Diliges Dominum Deum tuum.* Ità habet prima propositio damnata: *Homo nullo vnqu am vitæ suæ tempore tenetur, &c.*

Hanc cum cæteris propositionibus, pari censurâ sigillatis, sigillatim percurram, & per plures sectiunculas vnamquamque diligentiùs examinabo. Sit itaque.

SECTIO PRIMA.

De prima Propositione.

An teneantur homines aliquo vitæ tempore diuinæ dilectionis actum elicere.

D.Bonau. 3. dist. 27. art 2. quæst. 6.
D. Thom. q. 44. & 1. 2. q. 100. art. 10.

Sententiæ affirmatiuæ Antesignanus est ipse Dominus per totum vetus, & nouum Testamentum, vbi non obscurè actum Dei dilectionis iniungit, præcipuè Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* Ioan. 14. *Nos ergo diligamus Deum; quoniam ipse prior dilexit nos*, quæ de actu amoris necessariò sub Anathematis fulminatione eliciendo intelligenda sunt, vt ait D. Paulus 1. ad Corinth. *Si quis non amat Dominum, &c. Anathema sit.* Hic autem actus non vagè, sed aliquo tempore in huius vitæ decursu, debet produci, vt omnes fatentur Scholastici. 106

Probatur à D. Bonauent. *loc. cit. fundam.* 1. quia aliàs modus diligendi Deum ex toto corde, ex tota anima, &c. esset nudum consilium; & sic nemo peccaret etiam positiuè contra faciendo. Deinde si non teneretur quis in tota vita, ad quid reponeretur inter præcepta Diuina? sequitur D. Thom. 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 10. Suarez *disp.* 5. *sect.* 5. *de præcept.* Sanchez *in Decal. lib.* 2. *cap.* 33. Filliuc. *in præcept. tract.* 22. *cap.* 9. Layman *lib.* 2. *cap.* 1. *tract.* 3. *num.* 6. Amicus 2. 2. *disp.* 13. *sect.* 4. Tannerus 2. 2. *disp.* 2. *quæst.* 4. Lugo *de fide, disp.* 13. *sect.* 1. Coninch *de act. disp.* 24. *dub.* 2. Valentia 2. 2. *disp.* 3. *quæst.* 19. *punct.* 1. Eman. Sà. *Aphor. V. Charitas.* Bussembaum *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *de præcept.* Castropalaus *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 1. *punct.* 4.

Probatur secundò, à S. Doct. *fundam.* 3. è Diuo Bernardo *serm.* 20. *in Cant.* vbi ait: *diligere Deum ex toto Corde, ex tota mente, &c.* esse diligere Deum fortiter, dulciter & sapienter. Item D. August. *lib.* 1. *de Doct. Christ. cap.* 22. dicit nos teneri Deum diligere sine errore, sine contradictione, & sine obliuione; sed totum hoc tenetur homo adimplere in statu viæ, vt subdit Seraphic. *eodem fundam.* licèt non secundum perfectionem patriæ: ergo.

Hoc suadent toties repetitæ Dei in nos motiones, quibus nos benignè ad se trahit, quibusque nullo tempore consentire, quis sine peccato fieri asserit, cum vt dicit D. August. lib. 4. Confessionum, cap. 4. *Humana sibi rea est Conscientia, si amantem non redamauerit.* 107

Deinde habitus charitatis, in iustificatione infusus, non tantùm imperat actum, sed elicit affectum, cuius gratia maxima infunditur, sicut & cæteri habitus. Quis autem poterit asserere, debere talem habitum sine culpa feriari toto vitæ tempore ab actu Diuini amoris.

Pro contraria sententia nil relatu dignum affertur, eo tantùm nituntur authores, quod nullius determinati temporis mentionem faciat Scriptura; deinde quia videtur Dominus pro Charitate exigere non cordis affectum, sed operis effectum. Ità Iansen. Gand. *in Concord. Euangelica, cap.* 31.

cap. 81. Hoc præceptum (inquit) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, impletur in habitu, & externa operatione, cùm homo in omni opere suo retinet habitualem dilectionem, quod tunc fit, quando nihil facit dilectioni Dei contrarium. Non multum ab his verbis recedit Marchant. *in horto Pastorali, tract.* 1. *de charit lect.* 1. dicens: Hoc præceptum non obligat ad aliam dilectionem, quàm ad hanc, qua Deum diligimus, vt nihil velimus contrarium eius voluntati, &c. Ità etiam Molanus *in Compend. Theol. pract.* Toto corde (inquit) diligit, quicumque est fine crimine. Simili penè phrasi vtuntur etiam Bannes 2. 2. *quæst.* 44. *art.* 1. *quæst.* 3. Caietan. 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 2. Confirmant hanc doctrinam, quia postquam Christus pronunciasset: *Diligite inimicos vestros*: mox diligendi modum subiunxit: *Benefacite his qui oderunt vos.*

108 Verum hæc leui flatu exsufflantur. Christus quidem inimicorum dilectionem iniungit, sed vult etiam, vt hæc dilectio intus otiosa non maneat, sed foras fructuosè prodeat, iuxta illud D. Gregor. in Euang. *Probatio dilectionis, exhibitio est operis.* Aliud ergo est præceptum ipsius actus, aliud præceptum exhibendi externa interioris dilectionis signa: Nec video quomodo ab aduersariis hoc negetur, cùm fateantur aliud esse præceptum prohibens cordis concupiscentiam: Aliud operis, vt habetur in Decalogo.

Cum hac sententia non inuoluuntur, qui docent, nullum esse à Deo tempus determinatum, quo teneatur homo specialiter ad hoc præceptum, vt docet Tambur *lib.* 2. *in Decal. cap.* 3. §. 2. *num.* 4. Nec etiam alij authores suprà initio relati, qui determinatum tempus cum alterius exclusione ostendunt. Hæc enim absque modificatione non teneri vllo tempore docet; dum solùm externam mandati executionem in opere exigit, vt patet. Quo autem tempore hoc præceptum magis instet, suo loco ad mentem D. Bonau. aperiam, *tract. de charitate, disp.* 8. *quæst.* 51.

SECTIO II.

De secunda Propositione.

An liceat Viro Equestri, ad duellum prouocato, &c.

{ D. Bonau. serm. 6. de 10. præcept.

109 Non licère, communi plausu docent omnes Iuristæ, plura Pontificum Decreta, & effrænatam hanc licentiam damnauit Concilium Trid. *sess.* 25. *cap.* 19. his verbis: *Detestabilis Duellorum vsus, fabricante Diabolo introductus, vt cruenta Corporum morte, &c. ex Christiano orbe penitus exterminetur*, videantur Alexand. III. *de Clericis pugnantibus*, &c. Iullius II. *Constit.* 19. Leo X. *Constitut.* 32. Pius IV. *Constit.* 21. Clemens denique VIII. 2. Septemb. 1592. Hi omnes absque vlla limitatione, siue personarum, siue locorum explicant illud (Non occides) de omni homicidio, quod non fit vel publicæ potestatis iure, vel iusti belli authoritate, vt habetur in Canone. *Si non licet* 23. *quæst.* 5. qui quidem Canon desumptus est ex D. August. *lib. primo de Ciuit. Dei*, *cap.* 17. & *seqq.* vbi ponit solam exceptionem occisionis eorum, *quos* (inquit) *Deus occidi iubet, siue data lege, siue ad personam pro tempore expressa iussione.* Nullubi autem habetur apud Commentarios huius præcepti, aut alios legis peritos clausula illa, à quibusdam modernis acclamata, *Nisi prouocatus incursurus esset notam timiditatis*, neque enim penes humanam est potestatem Diuinæ legis ad talem exceptionem modificatio.

Hinc ait Nicolaus primus in Epist. ad Carol. Regem, & in decretis: *Monomachiam verò in lege non assumimus, quam præceptam fuisse non reperimus, &c. licet Sanctum Dauid & Goliam, sacra prodit Historia, Nusquam tamen, vt pro lege habeatur, alicubi diuina sanxit authoritas, cum hoc & huiusmodi sectantes, Deum solummodò tentare videantur.*

Hanc sententiam etiam ex aduersa acie tota Theologorum pœnè turma impugnat, præcipuè D. Bonau. *loc. cit.* cuius rationes dilatabo tom. 5. de virtutibus *disp.* 26. *de homicidio*, *dub.* 1. vbi hanc materiam pro debito ordine resumam, & occidendi necessitatem ineuitabilem, & in ineuitabilem ex ipsius mente, secundum omnem iuris dispositionem aperiam. D. Bonau. sequuntur Azor. *tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 5. *quæst.* 6. Palao *de charitate*, *tractat.* 6. *disp.* 5. *p.* 7. Filliuc. *tract.* 29. *in* 5. *præcept. Decal.* Lessius *de iust. & iure.* Gordon. *in Theologia Morali*, *quæst.* 4. Suar. *disp.* 13. *de charit. bello.* Sanch. *in Decal. lib.* 2. *cap.* 39. Becan. *Summa Theol. c.* 27. *quæst.* 5. Valentia 2. *disputat.* 3. *quæst.* 17. *punct.* 1. Ouiedo *tract. de charit. controu.* 13. *puncto* 3. Vasq. *de Restitut. cap.* 2. §. 1. *dub.* 9. Layman. *lib.* 3. *tractat.* 3. & apud hos plures alij, quos hîc longa seriè describere pertæsum est. 110

Opponunt aduersarij varia iura, & rationes, quibus suadere conantur, virum nobilem, ne famæ patiatur iacturam, posse duellum oblatum acceptare; & sic honori suo cum alterius vitæ Damno prospicere. Ità Marcus Vidal. *de Duello inquisitionis*, *num.* 21. vbi postquam pluribus verbis exposuisset, timiditatis notam incurri, ni duellum acceptetur. Concludit: *Ergo, ne iudicetur apud prudentes vilis, & timidus, poterit in tali casu licitè acceptare duellum oblatum.* Huic adstipulatur Hurtado *tomo* 1. *resolut. Moral. tract. vlt. resolut.* 5. §. 5. *num.* 185. & *num.* 150. *Nobilis* (inquit) *ab alio impetitus, non tenetur fugere, si fuga illi ignominiosa sit, & nobilitatem discrimini exponat. Ergo poterit acceptare Duellum*, hoc conatur variis legibus confirmare apud Baldum, Bart. Cynum, Aretinum, & alios Iuristas.

His subscribit Rodriquez *Summa*, *cap.* 73. *conclus.* 1. vbi sic loquitur: *Quod si nullo modo potest quis deffendere vitam, famam, aut rem suam, nisi per duellum, non videtur esse peccatum illud acceptare, quia hoc formaliter est defendere se.* 111

Ratio ferè omnium est. Quia licet alterum in defensione rerum occidere, vt putant asserere D. Thomam 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. *ad* 2. Honor autem preponderat diuitiis multis, vt habetur *Prouerb.* 22. item regula iuris est: *Cui licet quod plus est, licet quod minus est.* Minor autem est ratio, vbi iustior est causa, quæ videtur potius haberi in honoris defensione, quàm in tuendis diuitiis. Ità plures apud Marcum Vidal. *loc. cit.*

Hæc tamen facilè repelluntur. Et primò quidem exceptio illa contra legem generalem: *Si timiditatis notam incurrat*, &c. iniustè prætexitur: Iuris enim fundamentum est, nulli legi derogandum nisi in his, quæ nec legislator ibi, aut alibi expresserit, 112

expresserit, & quæ in eius mentem, non venisse certa quadam ratione compertum est; ita vt si inter legem edicendam, aut promulgandã interrogatus fuisset, de tali casu exceptiuè locutus fuisset *leg. 12. ff. qui, & à quibus manumiss. l. 1. & vlt. C. de leg. l. 1. §. 6. ff. de exercitoria.* Certum est autem primò, Deum præsciuisse vltrices hominum iras, & vindicatiuas, præcipuè Nobilium, passiones; tamen absolutè pronunciauit: *non occides.* Nec huiusce præcepti ibi aut alibi exceptionem pro duellis fecerat, solúmque nocturnorum furiũm priuatim, aut iuridicè conuictorum, publicæ authoritati executionem concessit, quinimò furis diurni occisorem, tanquam sanguinis reum, & homicidam, mortis damnat, Exod. 22. v. 2. *Si effringens fur domum, siue effodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit. Homicidium perpetrauit, & ipse morietur.*

VIDEATVR D. August. *lib. 1. de Ciuit. Dei, cap. 17.* vbi ad illud *non occides,* nullum ait excipi. Cui consonant varij Legis ciuilis textus, vt *lex 9. ff. de sicariis l. 49. §. 4. ff. ad l. aquil.* vbi habetur: *qui, cum aliter se tueri non possunt, damni culpam dederint, innoxij sunt,* & cap. 1. §. si quis hominem, &c. *Qui hominem occiderit, capitalem sententiam subeat, nisi probet quod vitam suam defendendo, illum occidit.* Apud hæc autem iura nulla fit accepandi Duelli mentio, sed potius omnis casus excluditur, in quo non agatur de propria vita tuenda, vel in actuali aggressione; aut in nocturno fure, armis repellendo.

113 QVOD autem obiiciatur capitulum illud 18. *de homicidio,* inane est; ibi enim solùm agitur de interfectione furis, aut latronis: sic enim exorditur: *Interfecisti furem, aut latronem.* Furis etiam aut latronis occisio attendenda est penes iuris Diuini, & humani modificationem, nimirum si fur nocturnus domos effringat, aut diurnus latro telis se deffendat. Ea enim est legum conditio, vt posteriores (quo magis explicentur) ad priores trahantur, & vicissim, vt habet *l. 26. 27. & 28. de leg.* Et vnius legis generalis expressio restringitur ab alia. Ità DD. *ad l. 12. Cod. de pred. min.*

AD ILLVD denique (quod obiiciunt) quod licet *vim vi* propulsare; Ita debet intelligi, vt qui armis vitam tuam aggreditur, armis eum repellas: sed hoc confestim, non ex interuallo: ait *lex 3. §. 9. ff. de vi, & vi armata.* Hinc patet ad leges, quas opponit Hurtado. Et quidem *l. in eadem ff. ex quibus causa maior.* non est ad rem; loquitur enim de restitutione eorum, quorum bona vsucapione proscripta sunt: reliquæ autem leges iuxta antedicta per alias leges explicandæ sunt, quæ actualiter vitam alicuius aggredientem vi repellere docent, aut nocturnos fures, domos effodientes, armis propulsare iuxta diuinæ legis præscriptum Exodi *loc. cit.* iubent: vt habet *caput tertium de homicidio,* è D. August. desumptum. Vbi, proximum, & euidenter imminens vitæ periculum permittitur aggressoris morte repulsare; non verò bonorum direptionem, quæ vt plurimum tueri solemus est absque eo discrimine vitæ, quod leges requirunt. Talis autem mortis metus debet esse præsens, non verò suspicio eam inferendi, vt habetur *l. 9. ff. quod metus causa.*

SECTIO III.

De tertia Propositione:

An sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere, &c. in Consistorio sacræ Congregationis visa sit, & tolerata.

TOTA huius sententiæ decisio pendet non à notitia *Iuris,* sed à notitia *Facti,* quod sanè factum cum nulli planè innotuerit, non video qua ratione asseratur; præsertim cum in huiuscemodi difficultatibus præsumptio in contrarium soleat prævalere, vt habetur *cap. 10. de præsumption.* præsertim cum legis verba non patiantur magnam ambiguitatem. Verba autem clara sunt in Bulla Cœnæ, vt patet legenti. 114

Excommunicamus omnes, & singulos hæreticos quocumque nomine censeantur, & cuiuscumque secta existant, ac eis credentes, eorumque receptores, fautores, & generaliter quoslibet eorum defensores, ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate nostrâ, & Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quauis causa, publicè, vel occultè, quouis ingenio, *vel colore; necnon schismaticos, & eos, qui se à nostrâ, & Romani Pontificis, pro tempore existentis, obedientiâ pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.* Ita legitur, §. 1. Deinde pro absolutione hæc subduntur:

Cæterum à prædictis sententiis, nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstitâ, absolui possit, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibuscumque personis Ecclesiasticis, sæcularibus, & quorumuis Ordinum etiam Mendicantium, ac Militiarum regularibus, etiam Episcopali, vel alia maiori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis piis, nec non laicis, etiam Imperiali,

riali, Regali, & aliâ mundanâ excellentiâ fulgentibus, per nos, & Dictam Sedem, ac cuiuſuis Concilij decreta, verbo, litteris, aut aliâ quâcumque ſcripturâ in genere & in ſpecie conceſſorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum. Quod ſi aliqui fortè contra tenorem præſentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint, eos excommunicationis ſententia innodamus, grauius contra eos ſpiritualiter, & temporaliter, pro vt expedire nouerimus, proceſſuri.

Quare vix ab vno aut altero propoſitio hæc propugnata eſt. Et ſi fortè à pluribus propugnaretur, iam ſufficit ad omnem litis diremptionem eiuſdem propoſitionis repetitio, quam impoſterum docendam, aut propugnandam damnat ſanctiſſimus Papa: Propoſitio autem huiuſmodi eſt. *Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, &c. in Conſiſtorio ſacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa & tolerata eſt.* Latiùs ſuper hac repandam meam mentem, relatis authoribus, & eorum argumentis, *tom.5. diſp.3. de hæreſi, quæſt.*11.

SECTIO IV.

De quarta Propoſitione.

An Prælati Regulares poſſint in foro Conſcientiæ abſoluere quoſcumque ſæculares, &c.

D.Bonauent. 4.diſt.19. art.3. quæſt.1.

SERAPHICVS Bonauentura Angelico more omnia nitens reducere ad ſupremam concordiam, ait è D. Dionyſio, quod lex diuinitatis eſt media per prima, & vltima per media perducere ad purgationem, illuminationem, & perfectionem. Vnde ſicut in omni rerum diſpoſitione, vt ſit concordia, & partium harmoniacus quidam concentus, debet neceſſariò eſſe ordo: Hic autem attenditur penes prælationem & ſubiectionem, aſcenſum & deſcenſum, & quanto magis aſcenditur tanto magis à multiplicitate receditur, donec tandem ad vnum perueniatur, & in eo ſiſtatur: E contra vero deſcendendo diſpergitur & inter plures partes multiplicatur vnitatis virtus, prout vnaquæque pars potuerit capere.

Quoniam verò in Eccleſiaſtico regimine maximè ordo eſt obſeruandus, propter quod dicitur Eccleſia *terribilis vt caſtrorum acies ordinata*; ideo neceſſe eſt, in ea admittere ſupremam aliquam poteſtatem. in qua omnis Eccleſiaſticæ iuriſdictionis ſtatus vniatur. Et quoniam ab vno recedendo virtus minuitur & multiplicatur; ideo cæteri Prælati inferiores, quanto plures & inferiores, tantò arctiorem habent poteſtatem; quam ſi propria audeant authoritate ampliare, in Meſſem (inquit ibi Seraphicus) alienam, propriam mittunt manum vel falcem: quare concludit *in corpore*, neminem poſſe abſoluere niſi ſibi ſubditum; ſubditus vero eſt ille, qui habet ſuperiorem, vel alium eius vicem gerentem; quales inquit ſunt illi, quos Dominus Papa vel delegauerit, vel priuilegiauerit, & pœnitentarij Epiſcopi, ſicut & ab hoc deputati. Concludit ibidem hæc intelligenda eſſe ſecundum legem communem: In articulo vero mortis ad abſoluendum Sacerdos non eget licentiari: ſed extra hunc caſum oportet ipſum licentiatum eſſe ab ordinario, id eſt ab ipſo Epiſcopo.

Licet autem agat hic Seraphicus ex profeſſo de abſolutione in foro pœnitentiali; eius tamen rationes in *corpore* & *in argumentis* idem inferunt de abſolutione ab hæreſi, &c. in foro conſcientiæ.

PORRÒ cùm non ſit animus ſuſcitare, verùm potiùs ſopire lites, nolo hîc ventilare tam impugnatorum, quam propugnatorum huius ſententiæ rationes. Sat verbum intelligenti. Verbum autem hoc, quo lites extinguuntur, eſt illud prolatum in Apoſtolica huius propoſitionis cenſura, quam ſemper ſanior ſanè Theologorum pars impugnauit: vt Suarez *de Sacram. Pœnit. tom.4. diſp.30. ſect.2. num.6. 10. & 11.* Layman *lib.5. tractat.6. cap.10.* Sanchez *2. in dec. tom.1. cap.11.* Martinus Perez *diſput. 48. ſect.2. num. 2.* Pellizarius *tom.2. tract. 8 cap.3. n.71.* Baldellus *tom.2. lib.1. diſp.51.* & apud hos alij, quos referam *tom.5. diſput. 3. de hæreſi, quæſt.* 10. vbi de hoc quædam refricabo. 115

IN prædicta autem propoſitione omnes (per hæreſim occultam) non mentalem, ſed externam non manifeſtam, intellexerunt, patetque ea ſola ratione, quod non mentalibus actibus ſolet excommunicatio annecti, vt omnium ferè obtentu conceditur. Sic habet Syluester *verbo excommunicatio 7. num.3. & 4.* Caietan. *2. 2. quæſtion.11. artic. 2.* & plures alij, quos latè refert Barboſa *in Collectione ad Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reform. cap.4.* vbi etiam, iuxta plures, inuenies actum externum ſolum patere excommunicationi, non verò internum. 116

SECTIO V.

De quinta Propoſitione:

An quamuis euidenter tibi conſtet, Petrum eſſe Hæreticum, &c.

D.Bonauent. expoſit. in Luc. cap.17.

QVAMVIS hic de fraterna correctione, & accuſatione agat Seraphicus; rationes tamen & authoritates ab ipſo allatæ fortiori iure militant pro denunciatione hæretici, euidenter ita cogniti.

Probat primò è Gloſſa Bedæ in hunc locum *tom. 5.* vbi ait: *Ita peccat, qui peccantem videns tacet, ſicut qui pœnitenti non indulget*, vnde deducit, illum, qui præſumitur incorrigibilis verbo, qualis eſt hæreticus, corrigendum manu forti. Ex quo inquit Seraphicus datur corrigendi forma, vt Prælato qui vult prodeſſe, poſſit & debeat

culpa proximi accusari, si sit probatio, deferri vero, si sit occulta. Adducit præterea S. Doctor illud Leuit. 10. *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum.* Rationem affert e D. Hieronymo hic, quia in tali casu tenetur quis sciens euidenter Petrum hæreticum, ipsum publicè denunciare, vel priuatim corrigere; sed ad hoc vltimum non tenetur, cum non sit spes magna resipiscentiæ. Vnde ait D. Hieronymus ad illa verba: *Noli arguere derisorem, ne oderit te: frustra niti, & nihil aliud laborando, quam odium quærere, extrema dementia est.*

117 IVRE igitur & meritò hanc propositionem è publicæ pacis confinibus longè eliminandam docuere seqq. Azor. *instit. moral. part.* 1. *lib.*8. *cap.*15. *quæsito* 2. Fagundez *in præcept. Decal. lib.* 7. *c.* 26. *num.* 7. Reginald. *tom.*2. *lib.*24. *num.*158. Del Rio *disq. mag. lib.* 5. *sect.* 4. Tolet. *lib.*4. *cap.*5. *num.* 1. Lugo. *de iure, & iustit. disput.* 38. Suarez *de fide, disp.*20. *sect.*4. & apud illos, plures alij huic sententiæ subscribunt, ea quidem potissimum ratione, quod publicæ securitati prospiciendum sit, etsi particularis quis nequeat, quæ denunciauerit, probare. Cum enim plurima perpetrentur crimina, paucis aut nullis testibus, si probationis defectui cederet denunciationis mora; interim res publica periclitaretur. Vnde in materia læsæ Maiestatis, aliorumque facinorũ, mox denunciandum probant prædicti authores, qui inter Hæreticorum fautores & receptatores reputant, qui eos celauerint, vt manus iudicis euadant. *leg.* 1. *ff. de receptatorib.* & *l.*1. *ff. de officio Præsidis.*

118 DE hæresi autem id mandat Innocent. III. in generali Concilio, vbi sic loquitur: *Adiicimus, vt quilibet Archiepiscopus, vel Episcopus per se, aut per Archidiaconum suum, aut alias honestas idoneasque personas bis, aut saltem semel in anno propriam Parochiam, in qua fama fuerit hæreticos habitare, circumeat, &c. quod si quos ibidem hæreticos sciuerit; totam viciniam iurare compellat, vt eos Episcopo studeat indicare*, vbi nota Concilium non exprimere: *Si quos ibidem hæreticos possit probare*: Sed *si quos ibidem sciuerit.*

ITA multo ante loquutus est Gregor. IX. in quadam Constit. quæ incipit: *Excommunicamus.* & quæ citatur apud Sfortiam, Epitome 9. *Qui hæreticos nouerunt, eos teneantur sub excommunicationis pœna manifestare.* Videatur Innocentius IV. *Constit.*9. *&* 18. Nicolaus III. *Const.*2. *in Bullar.* Hæc autem intelliguntur, vbi hæreticorum denunciationes fieri solent, quibusdam ministris ad has, excipiendas deputatis; cùm alibi dudum in desuetudinem abierint.

SVNT & plurimi alij casus in quibus obligantur priuati ad denunciandum, vt crimen læsæ maiestatis, conspirationis in bonum commune, *l.* 5. *C. ad leg. Iul. maiestatis*, impedimenti etiam matrimonialis, facta prius per Parochum debita publicatione. Barbosa *de officiis Episc. alleg.* 32. res quoque deperdita, vel subtracta, præmissis monitoriis vt reueletur, denunciandi obligationem affert: Concil. Trid. *sess.*25. *cap.*3. *de reform.* Idem de Blasphemia iudicat Iulius III. *Constit.* 23. Quæ personæ possint denunciare, dicam *tom.*5. *de Iudice disp.*28. *dub.*1. *de modo procedendi.*

119 EA autem est denunciationis ab accusatione differentia tradita ab Innoc. III. *cap.* 16. *& de accusation.* postquam prius tripliciter dixerit crimen obiici, scilicet denunciando, excipiendo, & accusando. *Quandò* (inquit) *crimen in modum denunciationis opponitur, non est inscriptio necessaria, sed cum in modum accusationis, oportet inscribi; quoniam ad depositionem instituitur accusatio; sed ad correctionem denunciatio est facienda.* Præterea ad accusationem formandam obligantur ex officio Regij Procuratores, Fisci Curiarum Ecclesiasticarum, & similes. Alias differentias assignabo *tom.*5. *de virtutibus, disp.*18. *de iudice, dub.*1. vbi agam de modo procedendi per denunciationem.

QVI aduersam sententiam tradiderunt, nituntur quibusdam D. Augustini dictis, sicut & nonnullis Conciliorum effatis, vt habetur apud Nauarrum. *Coroll.* 66. *num.*380. verba autem Augustini sic proferuntur Can. plerumque, can. 2. q. 7. *Plerumque boni iuri propterea sufferunt aliorum peccata, & tacent; quia sæpè deseruntur à publicis documentis, quibus ea quæ ipsi sciunt, iudicibus probare non possunt.*

VERVM locus hic non vrget, cùm vt plurimum intelligi debeat de his denunciatoribus, qui iudicum iniquitatem simili in casu experti, se nil profuturos, iustè credant. Æquitas verò, & continua praxis ostendit tanto rigore probationem iam non iniungi, sed sufficere, vt denuncians, sui dicti, quibus possit indiciis, rationem reddat. Vt habet Anton. de Sousa *Aphor. inquisit. lib.*1. *cap.*4. *num.*9. Nauar. *cap. inter verba. Corol.*66. *num.*382. Imo ad non reuelanda multa crimina cogunt Canones. cap. 2. de officio ordinarij. *Si Sacerdos (inquit) sciat pro certo reum esse aliquem alicuius criminis, vel si confessus fuerit, emendare noluerit, nisi iudiciario ordine quis probare possit, non debet eum arguere nominatim, &c.* Neque volumus nos omne crimen mox denunciatum iri. 120

D. AVGVSTINVS verò super illud Leuitici 5. *Si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, testisque fuerit quod ipse vidit, nisi indicauerit, portabit iniquitatem.* Sic scribit: *Possumus paratum ad periurium admonendo, vel prohibendo, à tam graui peccato reuocare: sed si non audierit, & coram nobis, de re, quam nouimus, falsum iurauerit: vtrum prodendus sit, si proditus etiam periculum mortis incurrat; difficillima quæstio est* (& paucis interiectis) *videtur mihi, quod se homo saluat a peccato, si indicat talibus, qui magis possunt prodesse, quam obesse periuro, siue ad corrigendum, &c.* An vero in aliquo crimine graui præmittenda sit denunciationi fraterna correctio, dicam *tom.*5. *vbi suprà.*

OBIICIVNT Concilia, Africanum *cap. placuit, can.*6. *quæst.*2. Concilium Vasense *cap. si tantum,* ibidem: adiungunt his Eugenium Papam *cap. si Sacerdos & de offic. ordinar.* vbi vult denunciantem, & non probantem, pro homine inuido habendum: ita Nauar. *loc. cit.* 121

HÆC tamen non iuuant: his enim Conciliis agebatur idem casus, de quo loquitur Eugen. nimirum Episcopum non debere è propria scientia aliquem excommunicare, punire, aut aliis censuris Ecclesiasticis afficere. Sic habet dictum Concil. Vasens. *Si tantum Episcopus, alieni sceleris se conscium nouerit, quamdiu probare non potest, nihil proferat.* Aliàs enim eum ex inuidia acturum quis non iudicaret?

Similiter & præfatum Concil. African. concludit de Episcopo, *Ne dicat in quemquam quod aliis documentis conuincere non potest.*

CANONES verò, qui exigunt denunciationem simul cum probatione, loquuntur in ordine ad pœnam inferendam, quod nequit iustè infligi absque

absque criminis conuictione, vt habetur *cap. 21. de accusat.* de tali denunciatione loquitur Clementina 2. *de Hæreticis*; vbi aduersariis videtur fauere.

Cum autem non solùm propter pœnas infligendas, sed propter publicam quietem faciendæ sunt denunciationes; hinc est, quod iura ad eas obligent, etsi probatio deficiat: vt præueniatur damnum, antequam periclitetur salus.

SECTIO VI.

De sexta Propositione:

An Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pænitenti chartam, &c.

122 Tanta omni iure deferenda est reuerentia huic vnico, post Baptismum, reconciliationis remedio, vt quicquid eius apud fideles necessitatem labefactare videtur, longè arcendum sit. Idcirco inter Pontifices Pius IV. ad Archiepiscopum Hispalensem, anno Domini 1561. Breue quoddam rescripsit, in quo diligentem ipsi, super hoc factum, inquisitionem mandat, imperatque, vt qui pellicendo quouis medio ad actus inhonestos in ipso Confessionis Sacramento fuerint inuenti, iisdem censuris, & pœnis subiiciantur, quibus hæretici, vel de hæresi suspecti subiici solent. Sic autem incipit dictum Breue:

Nuper non sine animi nostri molestia, accepimus quod diuersi Sacerdotes in regnis Hispaniarum; atque etiam in Ciuitatibus, & Diœcesibus curam animarum habentes; siue eam pro aliis exercentes, aut aliàs audiendis Confessionibus pænitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem, vt Sacramento Pænitentiæ in actu audiendi Confessionis abutantur, mulieres videlicet pænitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt Confessiones, alliciendo, prouocando, &c. (& post plura interiecta) *tam super præmissis, quam super fide Catholica, & quid de ea sentiant diligenter inquiras. Et iuxta facultatem tibi contra hæreticos* (erat enim generalis Inquisitor) *aut de hæresi quouis modo suspectos, concessam procedas.*

123 Simile etiam Breue ad Portugaliæ, & Algarbiorum inquisitorem misit Paulus V. anno 1608. Et ne ad regna Hispaniæ & Portugaliæ horum decretorum vis restringeretur, Gregorius XV. data Bulla, anno 1622. 30. August. voluit.

Vt vbique locorum & perpetuis futuris temporibus obtineat, decernendo quod omnes & singuli Sacerdotes, tam Sæculares, quam quorumuis etiam quomodolibet exemptorum, &c. qui personas quæcumque illæ sint ad inhonesta siue inter se, siue cum aliis quomodolibet (hæc particula grauiter pensetur) *perpetranda in actu Sacramentali Confessionis siue antè, siue post immediatè, seu occasione vel prætextu Confessionis huiusmodi, etiam ipsa Confessione non subsecuta, siue extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque, vbi Confessiones Sacramentales audiantur, &c. solicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, aut inhonestos sermones, siue tractatus habuerint in officio S. Inquisitionis seuerissimè puniantur.*

Post quæ verba pro criminis qualitate graues pœnas subiungit. Vnde liquidò apparet, contra talium facinorum patratores procedendum, vbicumque sacræ Inquisitionis munus viget; ac si de hæresi suspecti fuissent. Vndè & horum criminum conscij, iuridicè inquirentibus tenentur obtemperare: nam semel data vel concessa iurisdictione, conceditur quicquid ad iurisdictionis executionem spectat *l. vlt. ff. de offic. eius, cui mandata est iurisdictio, cap. 2.* sic Euerard. *cap. 5. tit. cum causa.* Prætereà leges, quæ in fauorem Religionis, aut Sacramentorum sanciuntur, ad alios etiam casus, eandem materiam concernentes, interpretantur, sub quacumque pœna mandentur: ita habet Euerard. *loc. 79. num. 61.* vbi multos alios Iuristas in eandem sententiam adducit.

Videatur Pellizar. *in manual. regular. tom. 2. tract. 8. cap. 6. sect. 1.* Qui verò damnatam hanc propositionem, indemnem volunt probare, ea vel vnica ratione ducuntur, quod solicitatio hæc non est proxima, nec immediatè ad effectum attingens; quare si Sacerdos etiam praua intentione fœminæ promitteret, se eam mox in propriis ædibus visurum; non tamen inde aut criminis in foro externo, aut denunciationis materiam contraheret. Confirmant: quia Censuræ Ecclesiasticæ non afficiunt culpam attentatam, sed solùm consummatam. 124

Hæc tamen facilè dissoluuntur. Cùm enim totum crimen hic prohibitum cadat super ipsum solicitationis actum; occasio proxima, & immediata talis criminis patrandi habetur in ipso solicitationis medio, seu in chartæ traditione: licèt enim effectus non sequatur in persona solicitata, delictum tamen committitur in sollicitante.

Ex his patet ad cæteras rationes adductas: nam ex parte tradentis schedulam actus prohibitus est iam completus. Cùm enim in fauorem Sacramenti Pontifices hanc legem tulerint, illum actum considerabant, qui propiùs eius fidem temeraret, qualis est solicitatio: *Qui sollicitare tentauerit, &c.* inquit Gregorius XV. Esto autem, quod in ipsa chartulæ traditione non sollicitaretur, non magis quàm si ei promitteret mox ipsius domum adire, vt refert Hurtado ex Castropalao; quem non satis æquè in hanc sententiam cogit; tamen tam in loquela, promissione, seu traditione, iniquo animo facta, ipse sollicitans suam malitiam Bulla Gre- 125

[illegible]

SECTIO VII

De septima Propositione.

An modus [illegible] [illegible]

126 ABUSUM [illegible] [illegible] dium [illegible] [illegible] non esse [illegible] à vinculo de [illegible] absolutum [illegible] Ipsa etenim [illegible] quibus possit [illegible] Argumento *l. 3.* [illegible] *ff. ad 5. C.* [illegible] *l. 29. ff.* [illegible] Nec [illegible] potestatem est, [illegible] in foro [illegible] *Argum. can. 3. & 4.* [illegible] Nec ipse [illegible] ipsum [illegible] aliter, [illegible] V[illegible] autem [illegible] Confessionis Sacramenta [illegible] *Argum.* [illegible]

127 DEINDE [illegible] [illegible]

[illegible]

SECTIO VIII

De octava Propositione.

An [illegible]

128 CUM [illegible] VIII [illegible] posita [illegible] [illegible] vel [illegible] no [illegible]

[illegible]

129 [illegible] VIII [illegible]

[illegible]

pere ab altero, cui partem illam fructus, seu valoris eiusdem sacrificij, ipsimet celebranti debitam (specialem nuncupatam) *applicet: ac proinde hunc casum sub decreto sacræ Congregationis Concilij, prohibente duplex pro vnica Missa stipendium, seu eleemosynam recipi, non esse comprehensum.*

Propterea sancta Congregat. Eminentiss. ac Reuerendiss. DD. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Concilij Tridentini interpretum, qua authoritate sibi specialiter per Apostolicam Sedem attributa, sedulo curat, ne à Sacerdotibus circa celebrationem Sacrosancti Missæ sacrificij, vnde in nos vberrimâ diuinæ liberalitatis munera deriuantur, auaritiæ labes vlla, aut suspicio contrahatur, antedictam assertionem maturè examinauit; eademque prorsus reprobatâ, sub die 25. Ianuarij 1659. censuit, nulli Sacerdoti licitum esse præfata ratione, siue prætextu aliam eleemosynam accipere præter illam, quam accepit ab eo, pro quo Missam offerre tenetur. Ac proinde casum hunc esse comprehensum in decretis, aliàs per eandem sacram Congregationem Concilij editis, quibus prohibetur, ne duplex stipendium pro vnica Missa recipiatur.

130 *Quam sacra Congregationis sententiam ad Sanctissimum D. N. Alexand. Papam VII. relatam, Sanctitas sua sub die 29. eiusdem mensis approbauit, & decretum publicari, atque ad Episcopos, & generales regularium ordinum transmitti iussit, vt ipsi doctrinam huiusmodi per suos Pœnitentiarios, & Confessarios ac rectores respectiuè insinuari, doceri, atque in tractatibus moralibus per eosdem imprimendis euulgari, pastorali vigilantia curent.*

Ex his liquidò patet quam strictè hæc cum duabus sequentibus propositionibus, atro carbone signatis, longè è Christiano orbe exulare debuerint, etiam cessantib us dictis Pontificum censuris; eam enim fortiter impugnabant saniores, & sanctiores Theologi. Suarez *de sacrificio Missæ, quæst.* 83. *art.* 1. *disp.* 79. Card. Lugo *de Sacram. Euch. disp.* 21. *sect.* 2. Tamburinus *lib.* 3. *de sacrif. Missæ.* Dicastillo *tract.* 5. *de sacrif. Missa, disp.* 3. *dub.* 5. & apud hos plures alij, ea vel vnica ratione ducti, quod incertum satis est, an præter fructum generalem Ecclesiæ Prælatis prouenientem, quem aliis applicari non posse etiam ipsi fatentur aduersarij, sit alteri applicabilis pro arbitrio celebrantis, iam priùs deuincti ob acceptam ab altero eleemosynam, ita locis citatis Tamburin. & Lugo *Argum. l.* 8. *ff. de contra empt. l.* 10. *& seqq. ff. de heredit. vendit.* in quibus agitur apud Iurisperitos de titulo donationis, sub quo solo, & non sub titulo stipendij, certum pro incerto licet permutare, computato etiam casu emptionis, seu periculi redemptionis, de quibus hic non est quæstio.

131 QVÆ apud Hurtadum *resolut. moral. tract.* 2. apud Bordonum *de celebrat. Missæ resolut.* 25. *num.* 15. afferuntur, à timorata quaque conscientia, perpendente prædictæ authoritatis verba, omnimodam pro duplici stipendio celebrationem prohibentia, facile resoluuntur.

SECTIO IX.

De nona & decima Propositione.

An post Decretum Vrbani VIII. possit Sacerdos, &c. Et, An sit contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere; & sacrificium vnum offerre, &c.

D. Bonau. 4. dist. 25. q. 4. a. 1. ad 4. & in speculo animæ supra.

HAs duas propositiones vnica sectione comprehendo, tum ob vtriusque materiæ affinitatem: tum quod ambæ simul cum præcedenti damnatæ sint ab Vrbano VIII. & posteà ab Alexand. VII. in decretis suprà relatis. 132

D. Bonauent. *loc. cit.* ait finaliter celebrantem, vt metat carnalia, maximè interueniente pactione, contra iustitiam peccare, & culpabili auaritia laborare; hinc sibi caueant Sacerdotes, qui nimis inhiant lucris pro sacrificio capescendis, vltra modum sustentationi necessarium.

SACERDOTEM posse per alium satisfacere minori parte stipendij, ei ad hunc finem concessa, docuere præcipuè Bordon. *de celebrat. Missæ resolut.* 25. Sot. *de Iustit. lib.* 9. *quæst.* 3. *art.* 1. Lopes *in instructione conscientiæ, p.* 2. *tit. de Euch. cap.* 28. Henriq. *lib.* 9. *cap.* 22. *num.* 8. Homobon. *de examine Ecclesiæ, tract.* 4. *cap.* 14. *quæst.* 131. Diana *p.* 1. *tract.* 14. *resolut.* Gauant. *ad Rub. Missalis, p.* 3. *tit.* 12. *num.* 34. *&* 35. ex his tamen plerique ita tradiderant ante Decretum Vrbani, sectione præcedenti relatum; sed post idem decretum sic censuit Bordon. *loc. cit.* hac sola ratione, quod decretum vtatur particula: *Prohibet*, quæ non magis reatum inducat peccati mortalis, quam venialis; & sic venialis, vt plurimum, culpa contrahetur, quæ non infert restitutionis obligationem. Enim verò si vel modicè leges calluisset Bordonus, non negasset etiam illi particulæ vim obligandi sub pœna peccati mortalis, cùm vsitatissima sit in Pontificum, & Imperatorum edictis. Præterea dictum Vrbani decretum, non solùm retinere prohibet partem stipendij, verum retineri non posse declarat, absolutéque deberi totam eleemosynam celebranti. Sic enim sonant verba ipsius decreti apud Barbos. *de potest. Episcop. alleg.* 24. *num.* 6. quæ ex originali se fideliter Romæ scripsisse testatur ibidem:

Vlteriùs censuit Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna maior, debere absolutè, integram eleemosynam tribuere celebranti; & nullam illius partem retinere posse.

Vbi & totum dandi celebranti insinuatur debitum, & incapacitas vel minimam eius partem retinendi.

RATIO autem euidens est: Cùm enim stipendium, quantumvis magnum, detur tantum titulo Missam offerendi; quicquid in hoc munus non 133

impenditur, sine titulo retinetur; ac proinde redit sub iure illorum bonorum, quæ absque causâ possidentur; quæ proinde vel restitutioni, vel iustæ condictioni sunt obnoxia, *l.25. ff. rerum amotarum, l.1.& vlt. ff. de condictione sine causa*, & aliis *ll.ibidem.*

ALTERAM etiam propositionem propugnarunt plures Thomistæ ante Decretum Vrbani apud Baronium, *in sua Theologia morali, aduersus probabilistas.* Ita etiam Sot. *de iust.lib.9.quæst.3.art.1.* Emman. *in summa, tom.1.cap.252. num.4. concl.4. ad finem.* Angel.*verb.Missa, num.52.* & plures alij apud Nicolaum du Bois *ad propositionem hanc decimam.*

SED his expressa prohibitione obuiat Bulla Vrbani; quæ nulli tergiuersationi locum relinquit, dum ait, mandans ac præcipiens:

Vt absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem præscriptæ eleemosynæ, præscriptæ fuerint.

Non ait, vt tot fiant oblationes, quot stipendia; sed *tot Missæ*. Constans autem est, quantumvis multiplicentur oblationes ex intentione celebrantis, quod vnum tantùm sacrificium vna vice absoluitur.

PRÆTEREA vrget dictum decretum, Sacerdotem obligationi plurium stipendiorum vno sacro non satisfacere, verùm potiùs hoc intentando, peccare, & restitutionis vinculo subiacere: Imbellis autem est oppositio Baronij *loc. cit.* quod Pontificis decretum voluerit tantùm tutiorem nobis sententiam pro probabilissima opinione insinuare, in quantum minus esset periculi, vnum pro vno stipendio sacrificium offerre, quàm pluribus oblationibus multiplici obligationi satisfacere, quamquam & hoc vltimum probabilissimum esset.

134 Hoc confirmat, primò, quia licèt in infinitum multiplicetur numerus Missam audientium; tamen vnusquisque particeps est fructus eiusdem Missæ; quod arguit hoc Sacrosanctum sacrificium etiam extensiuè esse valoris infiniti, nec posse exhauriri, licèt pluribus simul applicetur. Secundò, quia Minister Baptismi potest pluribus simul hoc Sacramentum administrare. Tertiò possunt plures concelebrantes eandem cum Episcopo Missam, eam, vti voluerint, applicare sibi, vel aliis.

135 Respondetur, Pontificium Decretum non tantùm tutiorem nobis viam demonstrare, verum improbabilem opinionem nullo nixam fundamento declarare, vt patet ex eo, quod non solum pro futuro, sed etiam pro præterito illam stipendiorum multiplicitatem damnauerit, dum dixerit:

Quantumcunque incongrua (scilicet stipendia) *siue ab vno, siue à pluribus personis collata fuerunt* (en præteritum) *aut conferentur in futurum, &c.*

Quod si ex probabilissima opinione (vt ait Baron.) licitum esset multiplici eleemosynæ vnico sacrificio satisfacere, iam nec restitutioni, nec repetitioni obligaretur Sacerdos, sed acceptam mercedem iustè contra condictorem defenderet. Leges enim ad præterita non extenduntur, cum nullum vitium ea inualida posset comprobare, *l.7. Cod. de legib. cap.2.& vlt. de Constit.* vbi habetur; *rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit; quoties verò nouum quid statuitur, ita solet futuris formam imponere, vt dispendiis præterita non commendet, ne detrimentum ante prohibitionem possint ignorantes incurrere, quod eos postmodum dignum est sustinere.* Certum autem est ex dicto decreto posse dari actionem in eum, qui pluribus stipendiis prætenderit vno sacrificio satisfacere, eumque restitutioni teneri: non ergo iustè, aut ex probabilissima opinione ageret.

AD confirmationem respondetur, sacrificij qui- 136
dem valorem ex assistentium, aut audientium multitudine non diminutum iri; quia plures actiones, pluresque ibi personæ interueniunt, quarum vnaquæque suâ præsentiâ, & deuotione sibi applicat, & pro se offert istud sacrificium: Hæc autem oblatio, sicut & applicatio ex parte assistentium multiplex est, & mentalis: ex parte verò Sacerdotis, vna est, & externa. Ad illud autem, quod dicitur, Missam esse valoris infiniti etiam extensiuè: respondetur quidem, infinitum esse infinitate sibi conuenienti, indeterminata scilicet, & nulla quantumvis multiplici applicatione, vnquam terminabili. Nec inde sequitur illam posse pluribus simul (licèt vni promissam) applicari; aliàs vnica oblatione totum purgatoriũ euacuaretur, & superfluum esset repetitis vicibus, tam pro viuis, quàm pro defunctis sacrificium offerre. Est ergo finitus simpliciter huius sacrificij valor, quatenus est gratiarum, & meritorum Christi salutaris in nos deriuatio, quæ non simul, & semel in omnes profunduntur; sed prout ipse secundùm suam prouidentiam disposuerit.

PER hæc patet ad cætera exempla: plures enim 137
ab vno baptizantur, quia pluralitas materiæ, & recipientium (esto per vnam formam moralem) plura etiam constituit Sacramenta: in casu autem nostro vnum est sacrificium, vnaque persona, vnde vnitas pendet applicabilitatis sacrificij. Idem dic de concelebrantibus; sunt enim plures ministri, pluresque offerentes proximi, de his plura *tract. de Sacram. disp. de sacrif. Missæ.*

SECTIO X.

De vndecima Propositione.

An peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, &c.

D. Bonauent. 4.dist.21.q.1. art.1.ad resp. & dist.16. q.2.p.2.art.2.& de modo conf.cap.1.

HIc D. Bonauentura agens de eo, qui per obliuionem in priori Confessione quædam peccata omiserit, ait sanum esse consilium, vt totam Confessionem secunda vice, saltem generaliter, repetat: vnde colligitur mens S. Doctoris super hac propositione; si enim sanum reputat Consilium, vt cum peccatis omissis, vel oblitis, alia iam confessa, iterum Pœnitentiæ Sacramento subiiciantur; quantò magis vult esse præceptum, ipsa peccata, non confessa priùs, denuò confiteri, & rationem prioris consilij addit; quia non oportet habere nouum remorsum, & nouam absolutionem de peccatis expressè confessis: ergo necesse est hæc habere de peccatis non ita confessis, dum in memoriam post obliuionem reuocantur.

tantur. *Cap.* vero *primo*, de modo confitendi, dicit peccata oblita, & postero die in mentem reuocata, debere mox eidem, vel alteri Sacerdoti confiteri integrè.

38 Hanc propositionem à paucis propugnatam, à multis reprobatam inuenio: eam reprobarunt Suarez *de pœnitent. disp.*23.*sect.*1.*num.*2. Hurtado *de pœnit. disp.*9. *difficult.*10. Castrus Palaus *de pœnit. tract.*23. *disp. vnica*, *punct.*11. Valentia *in* 3.*p. disp.*7. *quæst.*11. *p.*1. Layman *lib.*5. *tract.*6. *cap.*8. *num.*4. Syluius *in supplem. quæst.*9. *art.*2. §.*quæritur.* Perez *de pœnit. disp.*37. *sect.*4. Fagundez *in prac. Eccles. lib.*3.*num.*10.

Affinem tamen huic, sententiam tradunt nonnulli apud Reginaldum *lib.*6. *num.* 40. An v. g. aliqua peccata mortalia in Confessione annua oblita, vel omissa ex excusabili obliuione, aut causa, teneatur quis eodem anno, denuò in mentem reuocata, confiteri; & dicunt ex præcepto Ecclesiæ non teneri: quia inquiunt Ecclesia præcipit Confessionem fieri ea diligentia, quâ satisfit præcepto diuino: Sed præceptum diuinum adimpletur, cum quis confitetur, adhibita morali diligentia, ea peccata, quæ in mentem venerint: ergo potiori iure satisfit præcepto Ecclesiastico pro eo anno: Verùm cùm hæc non sint huius loci propria, ea remittimus *ad tract. de Sacram. disp. de pœnit.* Præsens autem propositio liquidò damnatur in Concilio Tridentino, vbi integra peccatorum Confessio ex iure diuino iniungitur, quod si quis sibi peccati mortalis conscius absque tali Confessione è viuis discederet, hoc proculdubio præceptum violaret. Sic enim habet sess. 14. can. 7. *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentia ad remissionem peccatorum, necessarium non esse iure diuino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur. Anathema sit.*

139 Præterea *eadem sess. cap.*5. declaratur omnia peccata mortalia necessariò deferenda esse ad Christi Sacerdotes, in quæ fideles ceciderint. Sed talia peccata omissa, non sunt ad illos delata: ergo non sunt remissa.

Deinde ideò illa peccata non essent deferenda ad Sacramentum Pœnitentiæ, quia virtute illius iam respectu aliorum peccatorum essent condonata. Sed hoc falsum est, quia Confessio est Sacramentum iterabile, ideoque toties subeundum, quoties quis sibi de suo crimine constat. Et sola Sacramenta, quæ non iterantur, peccata deluunt, quæ in ipso Sacramenti exercitio ob dispositionis defectum remanserunt.

SECTIO XI.

De Propositione duodecima.

An possint Mendicantes absoluere à casibus, Episcopis reseruatis, non obtenta, &c.

D. Bonauent. in opusc. quare fratres minores prædicent, & confessiones audiant.

Per totum hoc opusculum Seraphicus Bonau. planiùs, & pleniùs elucidans, quare postremis his sæculis missi sint Fratres Minores ad Prædicationis, & Confessionis officia, in Maiorum Prælatorum subsidium; sic diuina paraphrasi explicat illa Lucæ 5. *Duc in altum & laxate retia vestra,* &c. Mare inquit est sæculum: Nauicula Petri est Ecclesia fidelium populorum: Rete est Euangelica doctrina: Per iussum Domini tot piscium multitudo concluditur, quod rete rumpitur, quia tot ad fidem veniunt, quod etiam eam hæresibus scindunt: sed cùm Petrus cum suis trahere non valeret, annuerunt sociis in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos. Prælati scilicet Ecclesiæ cum clero non sufficientes per se tantam fidelium multitudinem trahere ad littus æternæ vitæ, annuerunt sociis Religiosis, scilicet Iacobo, & Ioanni, actiuis, & contemplatiuis, vt venirent compatiendo animarum periculis. Ambas autem nauiculas implent, cum præ multitudine populi, nec Clerici, nec Religiosi plenè sufficiant omnibus satisfacere.

Post verò nonnulla concludit Seraphicus: Cum igitur iam sit Ecclesia, quasi nauis tempestate concussa, in qua remigantibus, pauore trementibus procellæ tumentes ferè operiunt nauim; missi sunt fratres à summo gubernatore, fulti authoritate Sedis Apostolicæ, vt in nauiculis suis discurrentes per mundum, quos ex naufragio peccati periclitantes inuenerint, rapiant ex vndis, & ad littus salutis reportent.

Hinc postquam proprium Sacerdotem definit illum, cui quisque specialiter committitur gubernandus ab Ecclesia, Dei vice; ostendit Summum Pontificem esse singularissimè proprium omnium pastorem in plenitudine potestatis, & post Pontificem Diœcesanum assignat Episcopum, qui est ordinarius omnium Ecclesiarum sibi subditarum, à quo omnis inferiorum Prælatorum, curam animarum habentium, potestas immediatè emanat: post hos sequitur ille, cui hi, vel aliquis horum suas vices in soluendo, aut ligando mandat. Quod eo liberiùs, & largiùs potest præstari, quo quis potestate & iurisdictione cæteris præminet. Vnde cum Parochus possit alicui committere, vt plebi suæ prædicet, Confessiones excipiat, absoluat & pœnitentias iniungat. Multo liberiùs id Episcopis est concedendum; & maximè Summo Pontifici; qui (inquit ibi Seraphicus) vt habet potestatis plenitudinem, ita & omnium Ecclesiarum sollicitudinem, vt quæ singulis necessaria probantur, ipsius prouidentiâ suppleantur.

Postea subdit S. Doctor causas ob quas rationabiliter aliis S. Pontifex suas vices committit. Deinde addit casus in quibus sua tempestate poterant Fratres Minores Confessiones audire, & absoluere non solùm de cõmunibus, sed etiam de specialibus casibus ad Episcopos spectantibus. Et hi casus præcipuè erant, Apostolicum priuilegium & Episcoporum indultum, hisque casibus admissis, quacumque inferiore potestate refragante, dicit posse Confessionibus audiendis fratres sese impendere.

Verùm cum variæ rerum vicissitudines à tempore Seraphici huius Doctoris, multis retrò sæculorum, Pontificum concessiones, & consuetudines verterint. Videndum quid secundum nunc Ecclesiæ statuta de his sentiendum, quod vt præstemus.

Præmittenda est hîc, tanquam indubitatum oraculum, S. Concilij Tridentini super casus reseruatos declaratio, sess. 14. de Sacram. Pœnit. cap. 7. 140

Quoniam

Quoniam igitur natura, & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem illam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut sublegatam non habet iurisdictionem: magnopere verò ad Christiani populi disciplinam pertinere, Sanctissimis Patribus nostris visum est, vt atrociora quædam, & grauiora crimina, non à quibusvis, sed à summis dumtaxat Sacerdotibus absoluerentur: vnde meritò Pontifices maximi pro suprema potestate, sibi in Ecclesia vniuersa tradita, causas aliquas criminum grauiores suo potuerunt peculiari iudicio reseruare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat pro illis in subditos, tradita super reliquos inferiores Sacerdotes authoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est: Hanc autem delictorum reseruationem, consonum est diuinæ authoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei semper custoditum fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis; atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absoluere possunt: Extra quem articulum Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pœnitentibus persuadere nitantur, vt ad superiores, & legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant.

141

Porrò antequam Concilium Tridentinum pro publica Ecclesiæ pace res ita composuerit, adhuc quidem vigebat casuum reseruandorum authoritas, sed absoluendorum, etiam papalium in solemni illa Bulla Cœnæ Domini contentorum, penes etiam regulares residebat potestas, quam Paulus III. amplissimo stylo omnibus Societatis Iesv Presbyteris ann. 1545. (excipiebat tamen hic Bullam Cœnæ.) Confirmauit; cæterique regulares eam sibi communicationis iure vindicarunt.

Vervm cùm plures Ecclesiæ Prælati reclamarent, per dictam Concilij Trident. declarationem, quicquid regularibus indultum esset, sublatum fuisse; Cúmque instarent regulares ne quidem verbulum de reuocatione priuilegiorum actum esse in præfato Oraculo, nec consuetum esse, ius aliquod abrogatum iri, nisi apponatur clausula reuocatoria, vt patet in aliis eiusdem Concilij Decretis, vi *sess. 6. cap. 3. 4. & 5. de reform. sess. 7. cap. 5. 7. 8. 10. & 14. sess. 14. cap. 4. & 13. sess. 21. cap. 6. 7. & 8. sess. 22. cap. 8.* Præterea constat 1. de Constit. in 6. *Per generalem legem nouiter editam, non intelligi derogatum particularibus locorum, & personarum consuetudinibus, nisi id expresiè caueatur in ipsa.* Difficultatem hanc S. Carolus Borromæus Sacræ Congregat. Cardinalibus, Decretis Tridentini interpretandis præpositis, proposuit: An scilicet Regulares ex indultis à Sede Apostolica obtentis, & præcipue vi illius, quod Mare Magnvm nuncupatur, possint casus Episcopis reseruatos suæ ditioni subiicere, & ab his sibi confitentes absoluere: Cui responsum est de sententia S. Congregationis, à suâ sanctitate approbata: *Ex facultatibus per hoc mare magnum, aliave priuilegia regularibus concessa, factam eis non esse potestatem absoluendi, sibi ab Episcopis reseruatis*: ita refert Sorbus *in Compend. priuilegiorum verb. casus reseruatus.* Apposito anno 1577. die 10. Septemb. nomine Greg. XIII. & Sacræ Congregationis.

Idem tamen Greg. XIII. 10. die Maij ann. 1583. rescripsit: *Non esse intentionis suæ, quod per talem Epistolam sit derogata dictæ societatis facultas, eamque quatenus opus sit de nouo confirmauit.* Ita habetur in Compend. priuil. Societ. Iesu. *verb. Absolutio*, §. 1. Hanc itidem facultatem sibi alij regulares propter priuilegiorum communicationem mox traxerunt. Verum denuò eademmet S. Congregatio declarauit super *sess. 14. de Sacram. Pœnit. cap. 11. & in cap. 7. Concilij Trident.* Nec Confessores vi priuilegiorum Rosarij, nec Patres Iesuitas posse absoluere pœnitentes à casibus Episcopo reseruatis, nisi priuilegia ipsa talem tradant facultatem, vel sint obtenta, aut confirmata post Concilium Tridentinum. 142

Hinc sua sibi priuilegia illibata manere cum ostenderent religiosi, obtenta quippe, vel confirmata post Concilium Tridentinum: De Mandato Clem. Papæ VIII. anno 1601. 9. Ianuar. præfata S. Congregatio scripsit. 143

Prohibuit sub grauissimis pœnis omnibus confessariis, tam Sæcularibus, quàm Regularibus per vniuersam Italiam extra Vrbem degentibus, ne quis sub prætextu priuilegiorum, indultorum, aut facultatum, &c. possit absoluere ob vllo ex casibus clarè, vel dubiè in Bulla, die Cœnæ Domini legi solita, contentis, vel aliàs quomodocunque Sedi Apostolicæ reseruatis, aut in futurum per Sanctitatem suam, eiusque successores pro tempore in eadem Bulla, vel aliter reseruandis, nec etiam à casibus, quos Ordinarij locorum hactenus reseruarunt, vel imposterum reseruabunt, nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo, seu cum noua, vel speciali Sanctitatis suæ, aut suorum Successorum, vel Ordinariorum, quoad casus ab ipsis tantum reseruatos respectiuè, impetrata in scriptis licentia.

Ob grauiores tamen posteà causas eidem decreto hoc moderamen apponendum curauit idem Clem. VIII. anno 1602. 26. Nouembr. nimirum.

Sub

Sub eiusdem prohibitione illos tantùm imposterum comprehendi casus, qui in Bulla, die Cœnæ Domini legi consueta, continentur. Præterea, violationis immunitatis Ecclesiarum, in terminis Constitut. Gregor. XIV. 2. Violationis clausuræ Monialium ad malum finem. 3. Prouocantium, & pugnantium in duello, in terminis Concil. Trident. & Constitut. Gregor. XIV. 4. Iniicientium manus violentas in Clericos, iuxta caput, si quis suadente, ac iuris dispositionem. 5. Simoniæ realis scienter contractæ. Denique confidentiæ beneficialis.

Hæc verò habentur *in summa Bull. Stephan. Quarantia, verb. casus reseruatus.* Cæterùm cùm tantùm pro Italia, non verò pro vltramontanis. Hæc Bulla vigorem suum intendisset: prodiit alia nomine Vrbani VIII. anno 1628. ad omnes vbique terrarum fideles, tam intra, quàm extra Italiam, se extendens his terminis.

S. Congr. S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium proposita, censuit per confirmationes priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post S. Concilium Trident. obtinuerunt, nequaquam reuixisse priuilegia priùs ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis decretis sublata, atque extincta, si quæ habeant, absoluendi à casibus Ordinario loci reseruatis: quemadmodum nec indulta absoluendi à casibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi consueuit (vtpote sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem) *vires, aut robur acquisiuisse ex subsequentibus priuilegiorum confirmationibus, ac proinde Regulares cuiusuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & instituti, etiam necessariò exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim priuilegiorum, aut confirmationum huiusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, posse quamquam absoluere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reseruatis, ac si secus egerint, absolutiones nullas, atque irritas fuisse, ac fore: Ab aliis verò casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reseruatis, si quidem Regulares habeant à Sede Apostolica absoluendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse iisdem S Congregatio decretis hac de re editis iussu S. Memoriæ Clementis VIII. Quam S Congregationis sententiam Sanctitas sua ad se relatam approbauit, mandauitque ab omnibus, ad quos pertinet, inuiolabiliter obseruari. Romæ 17. Nouemb. 1638.*

Hæc tamen promouendis, non sedandis litibus dum inseruirent, vigerentque saltem extra Italiam priora priuilegia (excipe casus Bullæ Cœnæ) Alexand. VII. 1665. inter cæteras propositiones hanc duodecimam damnauit:

Mendicantes possunt à casibus Episcopis reseruatis absoluere, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

143 Vtinam tandem aliquis esset in hac materia scribendi finis, nec toties recrudesceret sub ipso emplastro lethale vulnus. Scio ius suum cuique deberi; scio etiam, quemque ius suum in alterum posse transferre, vbi legibus, aut superiorum mandatis, oppositum non sit statutum. Vtrum autem sit Episcopale munus casuum, tam reseruandorum, quàm absoluendorum potestas, Tridentini oraculo iam declaratum est; quo etiam iure penes alios prælatos in suos subditos similis vigeat authoritas, praxis edocet. Verùm an illi ius suum in alios transtulerint, non est qui dicat; an verò illud aliis communicauerint; an autem communicatum ipsi retractauerint, etiam extra controuersiam est, cum quicquid hac in re actum sit, hoc solius Summi Pontificis authoritate super cæteros firmatum, solutumque fuerit, qui cum expressa voce pronunciauerit: *Mendicantes non posse absoluere à casibus Episcopis reseruatis, nisi obtenta ad id Episcoporum facultate*, huic veritati, vtporè Concilio Tridentino, ac plurium Pontificum Decretis Consonæ, apprimè standum est. Nec video, quicquid alij dixerint, vllum Orthodoxorum hanc claræ sententiam impugnasse. Fateor Marchant, *tract. fundamenta duod. Ordinis Fratrum Minorum, fund.* 11. § 4. Chassaing *in priuil. Regularium, tract.* 5. *cap.* 3. *prop.* 2. Alexand. de Arioſt. *summ. lib.* 1. *cap.* 13. Hurtado *resol. moral. p.* 1. *tract* 5. *cap.* 4. *res.* 16. Auersam *de Pœnit. quæst.* 17. *sect.* 6. Rodrig. *tom.* 1. *qq. regular. quæst.* 6. *art.* 3. la Cruz *lib* 2. *de prin. cap.* 6. Castropal. *de Sacram. Pœnit. tract.* 23. *disput. vnic. punct.* 14. Collect. *priuil. verb. Absolutio.* Suarez *de Relig. tom.* 4. *lib.* 9. *cap.* 2. Becan. *de Sacram. cap.* 40. *quæst.* 6 *num.* 5. Tamburin. *exped. meth. conf. lib.* 2. *cap.* 7. § 5. Villalob. *tract.* 9. *de Sacram. Pœnitent. difficult.* 62. Bonagrat. *summul. select. qq. verb. Absolutio, quoad sacul. num.* 33. fateor, inquam, hos cum multis aliis, tam Thomistarum, quàm Iesuitarum, viso, Decretum Pauli III. nulla reuocatoria clausula in Concilio Tridentino, vti iuris reuocatorij mos est, fuisse reuocatum; visis præterea Greg XIII. in suum responsum ad S. Carolum Borromæum 144 declaratione, & Clementis VIII. in suum rescriptum moderaminis mentione, necnon Vrb. VIII. pro extra Italiam regularibus exceptione, vt suprà: docuisse obtentam semel Summorum Pontificum indulto

indulto facultatem, nullo adhuc expresso iure euacuatam, valere: neque hoc idem sonat, ac licere mendicantibus à casibus Episcopis reseruatis, non obtenta ipsorum facultate, absoluere; hoc enim contra omne ius pugnat: sed sonat, Romanos Pontifices, quorum concessionibus, censentur, consentire, & cæteri Episcopi, hanc licentiam concessisse, nec eam hactenus aliter, quàm pro quibusdam locis, personis, & casibus (vt habetur in præfatis decretis) restrictione reuocasse: vnde siue à Pontifice, siue à propriæ Diœcesis Episcopo licentia habeatur, eam à proprio Pastore habitam censent omnes Canonistæ in caput *Omnis vtriusque sexus*.

Verumtamen cum nuperrimè Pontifex Alex. VII. prohibeat in praxi teneri, vel doceri Mendicantes posse absoluere à casibus Episcopis reseruatis, non obtenta ad id eorum facultate, ita obseruandum est.

SECTIO XII.

De decimatertia Propositione.

An satisfaciat præcepto Annuæ Confessionis, qui confitetur, &c.

146 Hic etiam libet præmittere Concilij Tridentini Decretum *sess.* 23. *cap.* 15. *de reformat.* vbi sic habetur: *Quamuis Presbiteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant: Decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam regularem posse confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopo per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus iudicetur; & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegiis, & consuetudine quacumque, immemorabili, non obstantibus.*

Hanc sacri Concilij sanctionem subsecutæ sunt plures Pontificum Constitutiones, qualis est Constitutio 133. Pij V. Nona Gregorij XIII. & 115. Clementis VIII. §. *præterea volumus* Variæ etiam sacræ Congreg. Eminentiss. Cardinalium declarationes in Concilium Trident. super hanc rem prodiere, vt habet Fagnanus *vtriusque sign. referend. tom.* 7. *decret. pag.* 130. vbi testatur, Regulares non comprehendi sub Tridentino, respectu subditorum suorum regularium, & continuorum comensalium, ità sacrâ Congreg. declarante: respectu verò aliorum teneri.

His fundamentis nixi, negatiuæ sententiæ adhæsere, Suarez *de pœnit. disp.* 28. *sect.* 5. Vasquez *quæst.* 93. *art.* 3. *dub.* 3. Peres *de pœnit. disputat.* 51. *sect.* 1. Præpositus *de pœnit. quæst.* 8. *dub.* 2. *num.* 8. Reginaldus *in praxi*, *lib.* 1. *num.* 191. Coninck *de pœnit. disp.* 18. *dub.* 7. Lugo *de pœnit. disputat.* 21. *sect.* 3. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. Arriaga *in* 3. *part. tom.* 8. *disp* 42. *sect.* 4.

147 Aduersa tamen sententia non ignobiles habuit Patronos, antequam temeritatis notam ei Alexandri VII. censura inussisset. Nullus tamen, quem nouerim, præter Cassain *tract.* 5. *priuil. Regul. cap.* 1. *prop.* 3. eam speciatim de debito annuæ confessionis docuerat, sed generatim de confessione facta ei, quem Episcopus præsentatum iniustè repulerit. Ita Chokier *de iurisdict. in exempt. parte* 4. *quæst.* 77. *num.* 2. Rodriquez *tom.* 1. *q.* 13. *art.* 1. Ioanes de la Cruz *lib.* 1. *de Statu relig. c.* 6. Nauarr. in Summa *cap.* 27. *num.* 264. Miranda *in Manuali Prælat. quæst.* 45. *art.* 6. Rosella *Sum. verbo. confess.* 3. Ariost. *summa lib.* 1. *cap.* 10. Gammachæus *in* 3. *parte de Pœnit. Sacram.* Fagundez *lib.* 2. *de* 2. *Ecclesiæ præcepto.* Vega. 1. *parte Sum. cap.* 61.

Chassain verò qui magis ex professo hanc voluit sustinere opinionem magna authoritatem cateruа eam stipat, refertque Clementinam *Dudum*, Bonifacij VIII. Extrauagantem his verbis incipientem *super Cathedram.* citat etiam Bullam Pij quinti, in qua sic legitur:

Quorumdam etiam locorum Ordinarij quosdam Religiosos probos viros, & idoneos, etiam à suis superioribus approbatos ad confessiones audiendas admittere nullo modo volunt. Deinde in præparatiuo Bullæ sequitur: *Nos motu proprio, certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, imò volumus, quod in suis Ecclesiis, quando eis placuerit, licitè, & absque vllo impedimento, vel contradictione, etiam Episcopi, nisi ipse prædicauerit, prædicare possit. Quod verò in sess. 23. cap. 15. Concil. Trident. statuitur, hoc etiam dictorum Ordinum Fratres à præfatis suis Generalibus, seu ministris Prouincialibus, ad audiendas confessiones vtriusque sexus fidelium approbatos, minimè comprehendat; ita vt à confessionibus audiendis tam intra ipsorum Ecclesias, quàm extra minimè prohibeantur, super hoc litteras Fel. recordationis Pauli IV. Prædecessoris nostri, concedentes eisdem Fratribus Mendicantibus Regularis Obseruantiæ, posse confessiones sæcularium personarum, etiam infirmarum, etiam extra domos, & Monasteria sua, & vbilibet audire, approbando, & de nouo concedendo.*

Huic adiungit aliam Bullam sub Leone X. in Concilio Lateranensi *sess.* 11. quæ sic habet:

Quod possint Regulares, per Episcopos, & Prælatos super sufficienti litteratura, & aliqua saltem huiusmodi Sacramenti peritia dumtaxat examinari: talibusque præsentis admissis, vel etiam indebitè recusatis confitentes, Constitutioni, quæ incipit, Omnis vtriusque sexus, *quoad confessionem dumtaxat satisfecisse censeantur: Ipsique Fratres etiam forensium confessiones audire valeant.*

Addit declarationem quandam sacræ Congregat. quæ prodiit 1644. his verbis: *Sacra Congreg.* 148

super

supersedeo variis Statutis Synodalibus, quæ idem innuere videntur. Andegau. Carnot 1584. Pariſienſ.1557.Remenſ.1581.Burdigal.1582. in his autem ſic legitur: *Mandamus Eccleſiarum Rectoribus, quod diebus Quadrageſima Dominicis, habeant illud Statutum* Omnis vtriuſque ſexus *publicare,& exponere Parochianis ſuis, ſubiungendo quod mendicantes nobis præſentati poſſint audire confeſſiones liberè.*

Quasdam his adiicit rationes Chokier *loc.cit.* Primò, quod Concilium Trident. cui tanquam ſolidiſſimæ Baſi innititur ſententia negatiua, iuri communi non deroget.

Secundò. Si fit derogatio, in Concilio Trident. iuris communis, in Concilium Lateranenſe ex aduerſa acie pugnabit.

Tertiò. Religioſus petens veniam à ſuo Superiore, vt tranſeat ad ſtrictiorem vitam, ea non obtenta, pro conceſſa cenſetur. Quartò. Si Abbas tertia vice ab Epiſcopo benedictionem poſtulet,& non impetret, pro benedicto, ipſo facto reputatur, *Argum.cap.1. de ſupplem.negl.præl.*

149 His tamen non obſtantibus, publicæ pacis zelus, debituſque Illuſtriſſimis ac Reuerend. DD. Epiſcopis honor, omnes, & præ omnibus nos, ſtriùs quippe Seraphici P. Noſtri Franciſci veſtigiis inſiſtentes, in alium ſenſum debet adducere, qui non ſolùm Epiſcopum, verùm etiam Sacerdotem ea animi demiſſione,& reuerentiâ ſuſpiciebat, vt teſtamento ſuis imitatoribus reliquerit: *Et ſi haberem tantam ſapientiam, quantam Salomon habuit, & inuenirem pauperculos Sacerdotes huius ſæculi in parochiis, in quibus morantur, nolo prædicare contra voluntatem ipſorum, &c.* hæc erat Seraphicæ illius mentis ſublimitas, vt omnibus pro Chriſto ſe ſubiiceret; vt quantò alta cordis humilitate ſe demitteret, eò celſiùs præ cæteris fulgeret.

Non tamen hinc ſuis vtentes priuilegiis impugno, cùm ſciam eam eſſe quorumdam priuilegiorum naturam, vt nec his renunciare cuique liceat, vt dicam *tract.de legibus.* Sed vt eis ea tenacitate non hæreant, quæ Dei Eccleſiæ opus faceſcat,& Chriſti membra domeſticis litibus diſiungat; præſertim ſi vel ſemel Sedes Apoſtolica contrarium aliquâ cenſuræ notâ ſignauerit, qualem præſenti propoſitioni inuſtam videmus, attento maximè Decreto Alexand. VII. vbi hanc cum aliis plurimis eo tenore damnauit, vt

Qui eas aut coniunctim, aut diuiſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis diſputatiuè, publicè aut priuatim tractauerit, niſi forſam impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem reſeruatam Rom.Pontifici,&c.

150 Authoritatibus in primo loco adductis, ſicut & omnibus Conſtitutionibus latis ante Tridentinum, reſpondetur, eas omnes huius Concilij decreto reuocari, dum ſtatuitur: *Nullum etiam regularium poſſe Confeſſiones ſæcularium audire, nec ad id idoneum reputari, niſi ab ordinario approbationem obtineat, priuilegiis non obſtantibus.*

Quod autem Clement. *Dudum*, cum præfatis Extrauagant. Conciliis generalibus annuentibus, iuris corpori ſint inſerta, non ideò priuilegij tenorem amittunt, vel iuris communis vim ſortiuntur: Cùm & plura alia priuilegia iuris corpori inſerta ſint, vt habetur *cap.6. de reſcript. cap.23. & 24. de priuil.cap.6.& 12. eod. in 6.* Et licèt inter iuris communis præfata indulta recenſerentur, illis tamen reuocandis formali exceptione non eſſet opus; ſed eo ipſo, quod contraria lex ſancitur, omni priori legi derogatur, *Argum. cap.licèt Rom. de conſtit.in 6.*

Agitur prætereà in allato Concilio Lateran. de ſpecialibus reſcriptis, quibus à Pontifice iam perſona aliqua ad præbendam, vel beneficium promouetur, quod adire licet, etiamſi ab Epiſcopo iniuſtè repellatur.

Quod autem aliqui vrgeant negatam iniuſtè facultatem in certis caſibus pro obtenta haberi: 151 valet quando ipſi caſus ſpeciali iuris diſpoſitione excipiuntur, ab his autem ad alios caſus, de quibus ſpecialis non fit mentio, non licet concludere, *argum.l.13. 14.& 15.ff. de legibus.* Hac ratione retunditur etiam inſtantia illa de Sacerdote, aut Religioſo ſtrictiorem vitam capeſcere volente. Iuris enim hæc ſpecialis diſpoſitio eſt, ſicut & illa de Abbate, poſt trinas inficias, ipſo facto benedicto.

Tandem ſi quæ Conſtitutiones Synodales, aut Pontificiæ (qualis eſt illa relata Pij V.) his videntur obſtare; reuocatæ cenſentur poſteriori quadam Conſtitutione eiuſdem Pij V. qua decernitur §.3. *Quod ſi regulares aliqui non approbati, fuerunt tolerati: in poſterum abſque ſpeciali licentia, & approbatione ab ordinariis obtinenda, ſæcularium Confeſſiones audire non præſumant.* Hac tamen Conſtitutione non derogatur his Concilij Tridentini moderationibus: *Si illis videbitur neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur*, ita vt Conuentuum Prælatis alia approbatione non conceſſa, Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. DD. Epiſcopi approbatiuam facultatem, quos idoneos iudicauerint, eligendi, tam pro Regularibus, qua pro ſæcularibus impertiantur: vt in ſingulis penè Diœceſibus paterna Epiſcoporum in Religioſos prouidentia, & filialis horum in illos Reuerentia demonſtrat. Huius debiti obſequij conſcius Seraphicus Doctor, in fine *Opuſcul. quod Fratres Minores, &c.* Præſcribit formam petendi ab Epiſcopis hanc authoritatem, quæ ſic incipit: *Domini vos eſtis paſtor ouium Chriſti in hac Diœceſi, & vobis incumbit, &c.*

SECTIO XIII.

De Propoſitione decimaquarta.

An qui facit Confeſſionem, voluntariè nullam, &c.

D. Bonauent. 4. diſt.7. art. 2. quæſt. 1. in corp.

Evidens eſt, eum præcepto non ſatisfacere, qui facit contra finem præcepti: Finis autem huius præcepti è D. Bonau. *in corpore*, eſt primò, vt quiſque Deum glorificet, confitendo ſe peccatorem: Sed contra hunc finem facit, qui facit confeſſionem voluntariè nullam. Secundò è Seraphico ibi, vt debita reuerentia exhibeatur Communioni Paſcali. Sed ab hoc fine aberrat, qui vloutariè confitetur inualidè. Tertiò, nè lupi abſconderentur in grege, qui agnos deuorarent: Sed eò magis abſconditur in grege lupus, quo quis ſub pelle ſimulatæ innocentiæ ſe abſcondit. Hinc concludit Seraphicus, omnibus quantumcùnque innocentibus præceptum eſſe confiteri ſemel in anno. His nixi rationibus.

152 Negative in hanc sententiam scripserunt Suarez *de pœnit. disp.36. sect.7. num.3.* Comitolus *lib.1. resp. moral. quæst.19.* Connick, *disput.5. de necessitate Sacram. Confess. dub.9. num.70.* Paulus *de pœnit. tract.22. disput. vnica, puncto 20.* Filliucius *tract.7. de Confess. cap.3.* Tannerus *de pœnit. disp.6. quæst.7. dub.8.* Perez *de pœnit. disputat.23. sect.5.* Mæratius *de pœnit. disp.25. sect.5.* Azor. *1.p. lib.7. cap.40.* Reginaldus *lib.6. num.53. & 58.* Emanuel Sà. *Verb. Confessio.* Cardinalis de Lugo *disput.15. sect.6. §.5.* Busembaum *de præcept. Confess. lib.6. tract.4. cap.3.* Amicus *de Confess. disp.18.* Henriq. *de pœnit. cap.5. lib.4.* Arriaga *de Sacram. Pœnitent. disp.52. sect.5.* Probatur primò ab his post D.Bonau. ex ipso textu fundamentali, quo nihil pro validæ & annuæ Confessionis obligatione expressius: Sic enim habetur cap. ✠ de pœnit. & remiss. *Omnis vtriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi fortè de proprij Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum, alioquin & viuens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christianâ careat sepulturâ.*

153 Hinc sic argumentantur ratione Seraphici suprà. Ita hìc præcipitur Confessio, vt sit & *Fidelis* & ad Eucharistiam dispositio (quod innuitur illis verbis: *Studeat adimplere suscipiens reuerenter.*) Sed confessio voluntariè nulla, non est talis: Ergo. Maior patet in textu. Minor probatur, quia illa confessio in qua actu peccatur, nec est fidelis, nec ad reuerenter Eucharistiam suscipiendam disposito. Sed in tali confessione actu peccatur: Ergo.

Et licèt confessionem validam non requireret subsequens pœnitentia imposita, aut suscipiendi Sacramentum Eucharistiæ, *ad minus in Pascha* obligatio, non tamen sequeretur, ipsam propter se factam, & voluntariè nullam, præcepto satisfacere. Quia eò tendunt iura omnia, aliquid præcipientia, vt si modo debito, & à lege intento, non fiat, pro non facto reputetur. Ita probant vtriusque iuris textus varij, *cap. relatum* ✠ *de Clericis non residentib. can. 17. de pœnitent.* in quo dicitur: *Quod statuerit, qui iurisdictioni præest, cum effectu accipimus, non verbo tenus.* Item *l.2. Cod. communia, de legatis, l.4. §. condemnatum, ff. de re iudicata, l.1. §. hæc verba, §. quòd quisque iuris, l. penult. §. docere, ff. ne quis, eum qui in ius.*

154 Obiiciunt aduersæ opinionis authores. Alex. III. Episcopo Beluacensi, *cap.5.* ✠ *de pœnit. & remission.* sic scribit: *Quod quidam ad Confessionem de criminibus veniunt, & quamvis confiteri velint, se tamen asserunt abstinere non posse: Consultationi tua taliter respondemus, quod eorum Confessionem recipere debes, & eis de criminibus consilium exhibere, quia licèt non sit vera huiusmodi pœnitentia, admittenda tamen est eorum Confessio, crebris & salutaribus monitis pœnitentia indicenda.*

Respondetur, ibi quidem decerni, vt horum Confessio audiatur, & pœnitentia illis indicatur, vt tandem cognitis conscientiarum cauteriis salutarium monitorum medicina applicetur, quod si aliquid Confessione indignum egerint, aut pro futurum vitæ emendationem non intenderint; ibi non dicitur ab his præcepto Confessionis annuæ satisfieri. Hoc enim præceptum sub Innoc. III. in generali Concilio postea emanauit.

Obiiciunt secundò, Omnis lex pœnalis, qualis est illa confessionis annuæ, est restringenda.

Respondetur, puram quidem legem pœnalem esse restringendam; sed statutum illud *omnis vtriusque sexus* plus habet fauoris, quam odij. Etsi enim Ecclesiasticam sepulturam & cômunionis priuationem iniungat; ab altera tamen parte inductum est in fauorem & beneficium animarum. Præterea etiam leges pœnales, ob similitudinem quidem in aliis casibus agnitam, non extenduntur. Si tamen rationis identitas, animæ fauorabilis agnoscatur in affini materia, tunc ad illam extenduntur. Arg. *l.2. §. 28. & seqq. ff. ad 3. C. Tertillian. l.3. ff. ad legem Pompeiam.*

Obiiciunt tertiò, Ecclesiam actum internum imperare non posse; sed actus, quo confessio fit valide, est internus: Ergo. 155

Respondetur, proceriores Theologos contrarium cum D.Bonauent. docere, vt vidimus suprà, præsertim cùm actus externus exigit interioris rectitudinem, vt à culpa sit immunis: ea enim est connexio inter confessionem oris, & contritionem cordis, vt prior sine posteriori peccaminosa sit: vnde cùm Ecclesia potuerit determinare tempus, quo fiat secundum debitum modum externa confessio; ad huius validitatem sequitur necessariò interna animæ dispositio.

SECTIO XIV.

De Propositione decimaquinta.

An pœnitens propria authoritate, &c.

D.Bonauent. 4. dist.20. p.2. art.1.
D.Thom. supplem. q.11. art. 2.

Dvplicem in Satisfactione virtutem agnoscit hic Seraphicus; vnam simul medicinalem & vindicatiuam: Alteram pretij solutiuam. Primam dicit esse à pœnitente ipso inseparabilem; Secundam docet separabilem esse solâ Sacerdotis authoritate: Et probat dupliciter, quia Sacerdotis tantum est considerare debitam subditi dispositionem; & debitam pœnæ proportionem. Considerat autem Sacerdos dispositionem, si videat in vno sufficientiam, & in altero indigentiam, sicut & in vtroque charitatem, quæ bona facit communia, ordinatè tamen.

Considerat vero proportionem, commutando propriam pœnam minorem in alienam maiorem; quia quis plus propria pœna satisfacit, quam alienâ; vnde vt proportio seruetur, debet recompensari in vno, quod deficit in alio. Vide S. Doctorem *in argumentis, & in corpore.*

Hinc apparet, illos minùs sedulò prospicere fidelium saluti, qui alios propria pœnitentium authoritate pro his satisfacere docent.

Qvod si in primo nascentis Ecclesiæ prouectu, vix plurium annorum pœnitentiam ob graue aliquod delictum licebat propriæ carnis maceratione, aliisque naturæ incommodis redimere; quantum magis in auribus primitiuorum Christianorum horrendum sonaret, posse pœnitentem propria authoritate sibi substituere, qui suas vices in hoc munere gerat. Non enim alieno ieiunio extinguitur propria concupiscentia, vt lepidè ait hic Seraphic. 156

Hanc

Hanc ita opinionem tradere videntur apud Nicolaum de Bois *in hanc proposit.* Barth. Fumus. *Annal. aur. V. satisfactio, num.6.* Viualdus *Candel. aur. p.1. de satisfactione, num. 12.* adducitur etiam D. Anton. sed longè ab hac distat, cum loquatur de moriente, cui videtur confessarius ea dispensatione pœnitentiam iniungere, vt si opus, quod non sit personale, per se facere non possit, per alium facere studeat, sed potiori iure sequitur Petrus de Palude *dist.20. quæst.3. de satisf. conclus.5.* vbi ait: *Si quis se gratioribus Deo operibus & potentioribus contra peccatum remediis occupet; potest illud, quod sibi impositum est facere per alium, & videtur, quod sit plena apud Deum satisfactio.* Adducuntur etiam Altisiodor. *lib.4.tract.6.quæst.3.* Syluester *V. satisfactio, quæst.3.* Leander *a SS.Sacram. p.1. tract.1. disp.9. quæst.91.* vbi ait, eum, qui pœnitentiam per se ipsum nequit implere, posse absque expressa licentia confessoris alteri eam committere, & per illum satisfacere.

157 Meliori tamen iudicio hanc propositionem refutarunt post D. Bonauent. Suarez *de pœnitent. disp.38. sect.9.* Lugo *de Sacram. Pœnit. disput.25. sect.5.* Coninch *disp. 10. de satisf. dub. 9.* Amicus *in 3. parte de Confess. disp. 16. sect. 5.* Vasquez *de Pœnit. quæst.94. art. 2. dub. 1.* Dicastillo *de Pœnit. disp. 14. dub.5. num. 67.* Fagundez *2. Ecclesiæ præcept. lib.9. cap.4. num.12.* Tamburinus *lib.4.exped. confess.* Palaus *de Pœnit. tract.23. disp. vnic. punct. 21.* Turrianus *select. disput. Theol. parte 2. disp.31. dub.62.* Filliucius *de Sacram. tract. 8. de satisf. c.2.* Tannerus *de pœnit. disp.6. quæst.8. dub.1.* Reginaldus *lib.7. de Sacram.quæst 2 num.80.* Toletus *lib.3. cap.11.* Perez *de Pœnit. disp.57. sect.5.* Beccanus *Summ cap.41. num.6.* Præpositus *quæst.12.de satisf. dub.6.* Arriaga *de pœnit. disp.48. sect.3.* Lessius *in supplem.* D. Thom. *quæst.13. art. 2. disp. 2.* Baun. *Tol. moral. tract. de Pœnit. quæst.22.*

Probant primò huius propositionis nullitatem ex allato suprà capite *omnis vtriusque sexus,* vbi habetur: *Omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere.*

Probant secundò è Concilio Trident. sess. 14. cap.8. vbi habetur:

Satisfactionem esse partem pœnitentiæ. Et diuinam clementiam decet, ne ita nobis absque vllâ satisfactione peccata dimittantur, vt occasione acceptâ, peccata leuiora putantes, vel iniurij, & contumeliosi Spiritui sancto, in grauiora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubio enim magnopere à peccato reuocant, & quasi fræno quodam coërcent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus, malè viuendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque verò securior vlla via in Ecclesia Dei vnquam existimata fuit ad amouendam imminentem à Domino pœnam, quam vt hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimè quoque inde Arrham habentes, quod si compatimur, & conglorificabimur.

Probant tertiò ex Concilio Florentino 3.p.

Debent *ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere: ne, si fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, vt satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. Nam Claues Sacerdotum non ad soluendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent.*

Quartò è Concilio Salegunstadiensi, *cap.18.*

Qvia *multi tanta mentis suæ falluntur stultitia, vt in aliquo capitali crimine inculpati, pœnitentiam à Sacerdotibus suis accipere nolint, in hæc maximè confisi, vt Romam euntibus Apostolicus omnia sibi dimittat peccata; Sancto visum est Concilio, vt talis indulgentia illis non prosit, sed prius iuxta modum delicti pœnitentiam sibi datam à suis Sacerdotibus adimpleant, & tunc Romam ire si velint, ab Episcopo proprio licentiam, & litteras ad Apostolicum ex iisdem rebus deferendas accipiat.*

Obiiciunt aduersarij, communionem Sanctorum exigere, vt alter alterius onera portet, & vt vnus pro alio satisfaciat, sicut viator potest sua satisfactione animas è Purgatorio liberare. Vrgent præterea D. Thomam. *4. distinct.15. quæst.1. art.1. quæst.3.* vbi post pauca subiicit: *Quantum ad solutionem debiti, vnus pro alio potest satisfacere, dummodo sit in charitate, vt opera eius satisfactoria esse possint.*

Respondetvr è S.Bonauent.*in corpore* communionem quidem Sanctorum facere, vt vnus 158

Q 2 pro

pro alio possit satisfacere, sed non ea satisfactione, quæ in Sacramento iniungitur: Hæc enim Sacramentalis est; vnde cadere debet in actus ipsius pœnitentis: illa verò, qua quis pro alterius pœna satisfacit, (excipe satisfactionem Christi de condigno) est tantùm de congruo; sicut & orationes vnius pro alio merentur tantùm de congruo, & ex opere (vt dicunt) operantis, non verò ex opere operato; vti operantur Sacramenta: Nec alio modo pro viuis, siue pro defunctis fidelium orationes præualent; cum ad, siue meritum, siue satisfactionem de condigno, diuinum requiratur pactum, quale hîc nullum reperimus: Ex his patet ad textum D. Thomæ.

SECTIO XV.

De Propositione decimasexta.

An qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere, &c.

159 HIc recurrit, quod suprà è Concilio Trident. in fauorem necessariæ ab Episcopo approbationis obtinendæ pro Confessionibus excipiendis attuleram: *Quamvis Presbyteri in ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant; decernit tamen sancta Synodus, nullum, etiam regularium, posse Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, approbationem, quæ gratis detur obtineat; priuilegiis & consuetudine quacumque etiam immemorabili, non obstantibus*, vbi absque vlla exceptione Concilium generale requirit in omni Sacerdote ad Confessionem excipiendam, Episcopi approbationem, aut Parochiale beneficium, in quo interpretatiuè, & virtualiter conceditur dicta approbatio.

160 TOTA hæc controuersia nititur *cap. vlt.* ꝟ *de pœnit. & remission.* vbi Gregorius IX. sic loquitur: *Nè pro dilatione pœnitentiæ, periculum immineat animarum, permittimus Episcopis, & aliis Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, vt etiam præter sui Superioris licentiam, prouidum, & discretum sibi possint eligere confessorem.*

NVLLAM tamen hinc posse pro damnata propositione tuenda ansam haberi, probant ex antiquis Panormitanus cum Glossa *in cap. vtriusque sexus, num.* 13. Butrio *num.* 19. sequitur hos Suarez *disp.* 28. *de Pœnit. sect.* 4. *num.* 8. Hurtado, *de Sacram. disp.* 10. *diff.* 13. Arriaga *in* 3. *part. tom.* 8. *disp.* 39. *sect.* 4. *num.* 3. Cardinal. de Lugo *de Pœnit. disp.* 21. *sect.* 1. Vasquez *in* 3. *part. de pœnit. quæst.* 93. *art.* 2. *dub.* 5. *num.* 5. Fagundez 2. *Ecclesiæ precept. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 43. Præpositus *de Sacram. quæst.* 8. *de pœnit. dub.* 2. *num.* 7. Perez *de pœnit. disp.* 44. *sect.* 2. *n.* 4. Sylvius *in supplem. quæst.* 3. *art.* 5.

VT autem facilis via sternatur ad propugnandam hanc eruditissimorum Theologorum sententiam, qui semper aduersus istam eligendi non approbatum confessorem licentiam fortiter ex acie steterunt.

161 NOTANDVM est virtute capitis *Omnis vtriusque sexus*, vnumquemque obligationem subiisse semel in anno adeundi suum Superiorem, vt ei sua peccata confiteretur: Sic enim habet generale Concilium in dicto cap. *Omnis vtriusque sexus fidelis, semel in anno confiteatur proprio Sacerdoti*; proprius porro Sacerdos fidelium sæcularium in parochiis est ille, cui horum cura, cum curatûs beneficio, est demandata: hanc autem curam gerentium proprius Sacerdos est Archipresbyter *cap.* 1. & 2. ꝟ *de officio Archipresbyteri.* Archipresbyterorum proprius Sacerdos est Episcopus, & huius, Archiepiscopus; Ita Barbosa *de iure Eccles. vniuersal. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 18. & 44. Hostiensis *summ. de pœnit. & remiss.* Sicut & Canonicorum Sacerdos proprius, est Decanus: qui verò immediatè Sedi Apostolicæ subiiciuntur, aut exemptorum iure potiuntur, Pontificem pro Sacerdote proprio agnoscunt.

CVM autem pro his, à quibus longiùs distarent Sacerdotes proprij, quibus confiterentur, 162 magnum in dilatione instaret periculum; nec commodè, aut Episcopus Archiepiscopum, aut hic, aut Prælati regulares exempti Pontificem adire possent: rescripsit præfatus Gregor. IX. *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Episcopis, &c.* adeo enim singulos premebat obligatio confitendi proprio Sacerdoti, vt nulla tergiuersatione ab hoc debito se possent excusare, nisi in pœnitentiæ fauorem, hoc decretum Pontifex edidisset. Sic enim habet cap. 2. de pœnit. in 6. *Nulla consuetudine induci potest, quod aliquis præter Superioris sui licentiam, confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit soluere vel ligare.*

HINC patet malè, dictum caput *Ne pro dilatione*, intellexisse Soto: dum ita argumentum format: in dicto (*inquit*) capite dicitur, quod possint eligere confessorem: Sed confessorem eligere, non est eligere eum, qui iam pro confessore est approbatus; sed per electionem, aliquem confessorem facere: Sicut quando eligitur Episcopus, non eligitur ille, qui iam Episcopus est, sed qui non est, electione in Episcopali dignitate, & charactere constituitur.

NON inquam intellexit textum, dum tantùm 163 supponit, non probat; Et quod Episcopis, aliisque pari ratione est indultum, ad alios sine fundamento extendit: Parochi enim facilius adeundi Archipresbyterum, vel vicinum Pastorem, aut aliquem regularium ad hoc munus priuilegiatum, facultatem habent; non ita Episcopi, aut exemptorum Prælati: vnde pro his, non pro illis imminet pro dilatione pœnitentiæ periculum animarum.

ESTO tamen, etiam Parochi inter Prælatos in dicto capite *Ne pro dilatione*, computarentur; nulla illis hinc videtur concessa facultas eligendi non approbatum; Nam in præfato decreto sancitur, vt idoneos sibi confessores eligant: idoneus autem ille censetur, quem publica authoritas, non priuata dispensatio, talem iudicat; & hic est vel gerens animarum curam in administratione Parochialis beneficij, vel quem Episcopus pro hoc munere approbauerit; vt suprà in Concilio Tridentino.

TANDEM, quis credat Pontificem tantillam Ecclesiæ sollicitudinem habere, vt vnicuique Parochorum, aliisve in dicto diplomate non expressis, promiscuè permiserit sibi confessorem pro libito eligere: & cum constans iuris regula sit, cap. si Episcopus, de pœnit. & remiss. lib. 6. *In generali concessione illa non veniunt, quæ non esset quis in specie concessurus*, quis autem illum in specie concessurum putet; vt liceant cuique è tot indignis

&

& idiotis hominibus, sub quorum graui sarcina (proh dolor) continuè gemit Ecclesia, quem libeat, ad tam grande opus assumere.

164 Obiiciunt primò aduersarij. Quicquid iuri communi est insertum, huic non censetur per Concilium Tridentinum derogatum; cum huius derogationis nullam expressam clausulam apposuerit: Sed hæc facultas Parochorum inserta est iuri communi, cum sit in cap. *placuit*, & capite *omnis* ꝟ. *de pœnit.* quæ duo capita Conciliis generalibus sunt descripta: Ergo.

Respondetur illud cap. *placuit*, quod Concilio Trident. affingitur ab Hurtado, nullibi extare, quod permittat Parocho, Sacerdoti non approbato, suas vices pro suis ouibus delegare; multò minùs talem sibi in confessarium assumere, cum inibi dicatur, *nullum confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum posse audire, nec ad ad idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopo per examen, si illi videbitur esse necessarium, approbationem obtineat, &c.*

165 Quoad caput, *omnis*, respondetur, de dicta facultate nè quidem verbulum ibi mussitari, legitur tantum: *Si quis autem alieno Sacerdoti iusta de causa voluerit sua peccata confiteri, licentiam prius postulet & obtineat à proprio Sacerdote, cùm aliter ipse illum non possit absoluere, vel ligare.* Vbicumque autem iura generalia loquuntur, supponunt idoneitatem, & habilitatem personarum, de quibus agunt. Et licèt dispositio legis generalis non ità esset intelligenda, cum tamen etiam è Clement. *Dudum de sepulturis* ante Concilium Trident. huiusmodi approbatio esset necessaria; (excipe casus ibi expressos) non sequitur irrequisitâ Episcopi approbatione quemlibet Sacerdotem posse Parocho pro ipsius placito in confessionibus excipiendis deseruire. Præterea *argum. cap. licèt Rom.* de Constitut. in 6. habetur: *Romanus Pontifex condendo constitutionem posteriorem, priorem quamuis de ipsa mentionem non faciat, reuocare noscatur.* Quod intelligitur, si prior sit posteriori contraria: vnde absque fundamento prætendunt Guimenius *tract. de pœnit. proposit.* 16. Syluester *V. confessor.* 1. *num.* 8. Ledesma *Theol. moral. cap.* 11. *de minist. Sacram. confess.* apud Thomam Hurtadum, *tract.* 12. *cap.* 10. *dub.* 1. hoc esse iuris communis statutum, quod probare priùs deberent, quam supponere, cui etiam probato censeretur Concilium Trident. derogare, cum posteriorem legem, ei contrariam, sanciuerit, *argum. dicti cap. licèt Rom.*

166 Obiiciunt secundò. Possunt sibi Cardinales simplicem Sacerdotem absque vlteriori approbatione eligere, qui tamen in dicto cap. *ne pro dilatione* non comprehenduntur: Ergo.

Respondetur è cap. 74. de regulis in 6. *Quod alicui gratiosè conceditur, non debet ab aliis in exemplum trahi.* Præsertim si sint dissimilis conditionis, nisi ab ipso legislatore extendatur. Vide de hoc Cardinalium priuilegio Fagnanum ad dict. caput. *Nè pro dilatione*, & Peckium, ad hoc caput 74. in 6. Quid de aliis Ecclesiæ Prælatis sentiendum, dicam *tom. vlt. disp.* 2. *quæst.* 4. *de pœnit.*

Obiiciunt tertiò necessitatem confitendi in quibusdam casibus, in quibus alius, præter non approbatum, non adesset.

Respondetur, hanc necessitatem vel euenire in articulo vel discrimine mortis; & tunc omnis Sacerdos, etiam hæreticus, potest valide absoluere; vt habet Concilium Tridentin. vel esse ex deuotione, vel celebrandi, aut venialia confitendi; & tunc præmittendum est Consilium, vt obseruetur præceptum: Si vero vrgeat necessitas Sacramentum mox morituro administrandi, vel diebus festis pro Parochianis celebrandi; quid eo casu faciendum dicam *tom.* 7. *de Sacram. disp.* 1. *de pœnit. virtute.*

SECTIO XVI.

De Propositione decimaseptima.

An licitum sit Clerico, vel Religioso calumniatorem grauia crimina de se, vel de sua, &c.

{ D. Bonauent. serm. 6. vt infrà.

Satis laxè hanc propositionem tractarunt Hurtado *tom.* 2. *tract. vlt. resol.* 5. *num.* 170. & 171. citans D. Augustinum *serm.* 51. *ad fratres in Eremo*; vbi ait: *Duæ res sunt conscientia & fama; Conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo; qui fidens conscientiæ suæ, negligit famam suam, crudelis est.* Sequitur Sayrus in Thesauro casuum, *lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 23. Vidalius in Arca vitali *titulo de Duello, disq.* 2. Barbosa *in coll. ll. ad Clem. si furiosus de homicidio, num.* 10. videantur plures alij apud Nicolaum du Bois *hic.* 167

Hurtado inter cæteros laxior, contra laxiores tamen (vt ait) pro Thomistarum doctrina pugnans, sic scribit *cit. loco.* Cùm iniuria irrogata fuit Duci Medinæ Sidoniæ, cui crimen infidelitatis falsò impositum fuit, quod quasi hæresis, non solùm personam, sed & domum, & posteros inficit, & deturpat, quos auita nobilitate, & originaria splendore (si nocentes in suo capite probarentur) priuandos fore certum esset; in conscientia tenetur Dux se defendere, & immunem probare, offerendo aduersario singulare certamen; vt sic & ipse, & domus à nebula ignominiosi sceleris liberentur: & post nonnulla subiungit: Et vt vidimus in præsenti casu; offerre singulare certamen criminatori ad recuperandam famam, iniustè ablatam, medium est necessarium; ex quo peccatum erit lethale non offerre.

Sayrus verò audentior sic suam opinionem depromit: Duplex est honor, vnus qui ex spirituali bono resultat, siue ex parte intellectus, vt sapientia, prudentia, scientia, &c. siue voluntatis, vt virtutes: & ratione horum vir verè, tum apud sapientes, tum apud omnes insipientes, honorabilis dicitur. Est alter, qui ex Corporali bono procedit, vt ex viribus, valetudine, pulchritudine. Pro tuendo honore primi generis, cum aliter eum tueri nequeat, quam occidendo aut multitudo, nec peccat, nec irregularis erit. 168

Christianior tamen sententia habetur *sess.* 14. *Concilij Tridentini, cap.* 7. vbi manifestè omnibus prohibetur alterum aliter quam pro propriæ vitæ tutela voluntariè occidere, & qui secùs fecerit, ibidem irregularis declaratur: idem habetur *cap.* 18. ꝟ. *de homicidio, & Clement. si furiosus, de homicidio, can.* 8. *dist.* 46. vbi iniuriarum propriarum vindices à sacris Ordinibus arceantur. 169

Ratio etiam naturalis idem suadet; si enim vnicuique liceret, & iudicem & vltorem agere in propria

propria causa, omnis hominum societas, omnisque lex facilè peruerteretur: Nec esset, cur Dominus dixerit: *Mihi vindictam, & ego retribuam*, videantur S. Anton. 3.*part. tit.*4.*cap.*3. §.7. *num.*12. Panormitanus *in cap. sicut dignum, num.*14. *de homicidio, & cap.*2. *num.*3. *de vita & honestate clericorum.* Syluester *verbo bellum* 2.§.7.*num.*12. Ledesma 2.2.*quæst.*26.*art.*2.*tract. de irregular. pag.*364. Tabiena *verbo irregularitas*, §.25.*&* §.*vlt.* Maiol. *lib.*5.*c.*48. *in principio, num.*7. Nauarr. *in manual. p.*27.*num.*213. Mich. Salon. *in* 2. 2. *quæst.*64. *art.*8. *controu.*2. Valentia *tom.*3. *disp.*5. *quæst.*8. *p.*4. Sebastianus *part.*2. *summa, tit.*9. *quæst.*34. §.10. Arragon. 2.2.*quæst.*64. *art.*8.

170 IVRA quædam obiicit Sayrus, *è cap.* 12. *ij de restit. spoliat. & cap. dilecto de sententia excommunicationis in* 6.

RESPONDETVR, in priori capite agi de expulsione è domo, & de interdicto possessorio: homicidium verò in defensione honoris, aut, in tali casu, exemptio ab irregularitate, ibi non tangitur; sed potius statuitur, vt qui expellendo, aut vim alterius simili vi repellendo, moderamen inculpatæ tutelæ, seu debitum modum excesserit; excessum suum debita satisfactione recompenset.

RESPONDETVR etiam ad dictum caput *dilecto*: ibi tractari de boni alieni iniusta & violenta subreptione, & de subreptoris excommunicatione: occidendi autem licentia ibi prorsus non conceditur, sed tantum finem versus adiicitur: *Qui excommunicauit, poterit gladium temporalem quoque adhibere*, præmissis tamen quibusdam conditionibus, si nempè dictus inuasor præsumpserit violenter occupare, si cum armis venerit, &c. vnde colligitur, talem ibi permitti occisionem, qualis in iure permittitur: aliis rationibus, & obiectionibus hic supersedeo, eò quòd in propositione secunda de simili casu eas tradiderim. Vide Seraphicum *loc. cit.*

SECTIO XVII.

De Propositione decimaoctaua.

An liceat interficere falsum accusatorem, falsos testes, &c.

D. Bonauent. serm. 6. de 10. præceptis.

171 QVI priorem propositionem reprobauerit, hanc nequaquam probabit; vtpotè agentem de calumniatore, seu accusatore iudiciali: cùm prior egerit de extraiudiciali; isti etenim apparentior saltim iustitia suffragatur, cùm sub forma iuris crimina intentet: eam tamen refutauit Lessius *lib.*2. *cap.*9. *num.*47. *&* 82. Vasquez *de restit. cap.*2. §.1. *dub.*7. *num.*14. Layman *lib.*3. *sect.*5. *tract.*3. *cap.*5. *de duello, num.*2. Gordonus *lib.*5. *de restit. quæst.*4. *cap.*1. § 5. Coninch. *de actibus supernatural. disp.*32. *dub.*2. *num.*12. Valentia *tom.*3. *disp.*5. *quæst.*8. *punct.*4. Fagundez *lib.*5. *in dec. præcep. cap.*1. *n.*7. *& cap.*6. *n.*6. Sà *Aphor. confess. verb. homicidium* 5. Filliucius *tom.*2. *tract.*29. *cap.*3. *num.*48. Suarez *de charitate, disp.*13. *de bello, sect. vlt.* Turrianus *tom.*8. *in* 2. 2. *disp.*27. *dub.*2. Tamburinus *in Decalog. lib.*6. *cap.*1. §.1.

CONTRARIAM & affirmatiuam propositionem tradidere Bannes apud Nicolaum du Bois *hic*, Caietanus 2.2.*quæst.*41. *art.*2. Ioan. Suarez *in Enchiridio casuum, lib.*7. *verb. homicidium*, § 13. Duuallius *de charitate, quæst.*17. *art.*1. Reginaldus *tom.*2. *lib.*21. *num.*57. Strouersdof. *in* 2. 2. *quæst.*64. *art.*7. Diana *part.*8. *tract.*7. *resol.*51. & alij plures apud hos & præcipuè apud Syluium 2.2.*quæst.*41. Lugo *de iust. & iure, disp.*10. *num.*165.

Horum vnicum fundamentum est, quod lex naturalis dictet vnicuique propriam vitam, honorem, & bona tueri; esto, alterius occisione, si aliter defendi nequeant.

VERVM fundamentum hoc nullum est, cum permittat tantùm ius naturale, non verò præcipiat iniquum aggressorem occidere, vti variæ leges & canones testantur, vt *cap.*2. *&* 18. *de homicidio, l.*4 *&* 45. §.4. *ad legem. Aquil. cap.*6. *de sententia excommunicat. in* 6. *l.*1. *&* 2. *Cod. quando liceat vnicuique sine iudice*, Aliàs perperam egissent tot Martyres voluntariè se Martyrio tradentes, quod tamen eorum plurimi, vel se armis defendendo, vel mitioribus mediis potuissent subterfugere. 172

PORRÒ quæ iure naturali tantum permittuntur, iure positiuo, siue Ecclesiastico, siue ciuili possunt ob publicam vtilitatem, aliaque motiua huc conducentia prohiberi; ita vetatur cum proximo communicatio, si sit excommunicatus; prohibetur bonorum dispositio in quibusdam casibus à iure definitis, interdicitur ingressus ad quædam loca, & similia: vnde *lib.*6. *ff. de iustitia, & iure*, habetur: *Ius ciuile est, quòd neque in totum à naturali, vel iure gentium recedit; neque ei per omnia seruit.*

QVOD si machinantem vitæ nostræ excidium liceret præuenire, & occidere propria authoritate, quis deinceps, aut iudicis, aut testis, siue accusatoris munus obiret; vnde tumultuaria seditione omnia peruerteremur: Cautè igitur iure sancitum est, vt iurisdictionis executio non impediatur *cap.*1.7.8. *de offic. iudicis delegati, cap.*11. *de sentent. excommunicat. in* 6. *l. vnica, ff. si quis ius dicenti*, item pro testibus securitas exigitur *cap.*1. 2. 3. *&* 4. *ij de testibus cogend.* Propriæ verò vitæ defensio iuris est naturalis: Sed cum actualiter & violenter armis intentatur, cum moderamine inculpatæ tutelæ, inuasorem licet repellendo occidere; quod si insidiosè, & solum occultè occidere tentet, tunc vel Dei iussio, aut iudicis authoritas, vel militaris conditio impunè occidere statuit. 173

EXTRA hos casus præcipitur potiùs defensio proximi, quam qui non suscipit, cùm possit, à culpa non excusatur, vti ait *l.*50. de regulis iuris: *Culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest.* Vnde ait D. Ambrosius 1. de offic. cap.36. *Qui non repellit à socio iniuriam, si potest, tam in vitio est, quam ille qui facit.*

SECTIO XVIII.

De Propositione decimanona.

An peccat Maritus occidens propria authoritate vxorem, in adulterio deprehensam.

D. Bonauent. in 4. dist. 37. art. 2. q. 1.
D. Thomas ibid. art. 1. q. 2.

EXimiè hic S. Doctor sustinet, nec lege ciuili, nec canonica licere vxorem quantumcunque 174

adulteram

adulteram occidere; quod si aliqui Canones, vt C. non interfectores, infra relatus, videatur oppositum permittere, intelligendi sunt secundùm quasdam leges ciuiles, quæ id, in aliorum terrorem permisere. Et quæ, licet impunes vxoricidas relinquerent, non tamen à peccato poterant eos liberos probare: vnde cum Matrimonia, & res Matrimoniales debeant tractari lege Poli, non lege Soli, vt ait ibi Seraphicus, non licet facere quod ius ciuile dictat, aut quod etiam Ecclesia aliquando ad malorum terrorem tolerat. Sed potiùs faciendum, quod iudicat Sancta Ecclesia, vxorem scilicet adulteram dimittendam, non occidendam; latiùs de his, loco *infrà cit.*

174 Hanc propositionem cum secunda de occidente ad vitandam infamiam, componit Thomas Hurtado *tom. 2. variarum resolut. tract. vlt. resolut. 5. §. 7. num. 204.* vbi sic scribit: Licitum est patri occidere propriam filiam coniugatam, & adulterum ei commixtum, si eos, vel in sua domo, vel in domo generi reperiat actualiter adulterantes: Nam leges ciuiles non solùm impunitum relinquunt patrem, ita occidentem; sed etiam ei conferunt ad talem occisionem potestatem, & pœnæ executorem constituunt. Ob huius rationis consequentiam etiam vxoricidium impunè probare nititur. Ità etiam Iulius Clarus § *final. verb. homicid. n. 50.* Basil. Pontius *lib. 9. de Matrim. cap. 15. num. 4. propè finem*, ait plures Salmaticenses huic opinioni subscripsisse, quam tenuere etiam nonnulli Iuristæ; Menchaca *de successione creat. §. 7. num. 22.* Castill. *l. 82. Tauri, num. 6.* Gomez *ibid. n. 52.*

Peccare tamen maritum ità occidentem, tenent Theologi penè omnes, tam antiqui, quàm recentes cum Iurisconsultis plurimis, apud Barbosam *ad can. 6. caus. 36. quæst. 2.* Lessius *de iustitia, & iure, lib. 2. cap. 9. dub. 5.* Tamburinus *in Decal. lib. 6. cap. 1. §. 4. num. 3.* Valentia *tom. 3. disp. 5. quæst. 8. punct. 3.* Molina *tom. 4. disp. 7. num. 2. & disp. 99.* Azor. *Institut. moral. p. 1. lib. 5. cap. 20. quæsito 1.* Sà *verb. homicidium, num. 13. & 14.* Becanus *part. 2. tom. 3. de iustitia, & iure, in 8. de homicid. quæst. 5.* Sanchez *de Matrim. lib. 10. disp. 8. tract. 39.* rationes & authoritates citatas à D. Bonau. referam *tom. 5. de virtutib. disp. 26. quæst. 8.*

175 Probant primò è D. Augustino relato *can. 9. can. 33. quæst. 2.* vbi sic loquitur: *Cum vtrumque secundum legem Christi illicitum sit, siue adulteram occidere, siue alteram, illa viuente, ducere, ab vtroque abstinendum est.*

Idem probant ex lege ciuili, *l. 22. §. 4. ff. ad legem Iuliam de adulteriis*, vbi agitur expressè de marito vxoris mortem procurante; patet etiam è *l. 1. §. 5. ff. ad l. Cornel. de sicariis*, vbi dicitur: *In eum, qui vxorem deprehensam in adulterio occidit, D. Pius leuiorem pœnam irrogandam esse scripsit, & humiliori loco positum, in exilium perpetuum dari iussit; in aliqua autem dignitate positum, ad tempus relegari*, tales autem pœnæ, cùm graues sint, denotant delictum graue.

Pro hac sententia pari virtute militant, quæ in secunda, & duabus præcedentibus propositionibus adiecimus, cum omni priuatæ authoritati alterum occidendi facultas interdicatur, nisi in sui defensione, cum violenter ab impetitore armis compellitur.

Quod si aliquæ leges permiserint patri filiam in nefando coïtu, cum altero adulterantem, interficere, Ratio huius permissionis signatur in dicta l. 22. ff. ad legem Iuliam: *Ideò (inquit) patri, non marito mulierem & adulterum permissum est occidere, quod plerumque pietas paterni nominis consilium pro liberis capit: Cæterùm mariti calor & impetus, facilè decernentis, fuit reprimendus.*

Opponunt aduersarij quosdam Canones, vt *can. interfectores, 33. quæst. 2. cap. 3. de sententia excommunicationis, item can. 7. & 8.* 176

Verum hi canones agant solùm de temperanda pœna pro hoc crimine subeunda, vel de remittenda pœnitentia publica, aut excommunicatione, aut aliis siue ordinis, siue matrimonij impedimentis mitigandis, vt legenti facilè patebit.

Erat sane nonnullorum opinio, maritum iam à publica potestate constitutum ministrum huius executionis, posse sine crimine tale ministerium obire. Verum nec hanc laudo licentiam, siue in imperante, siue in exequente; cum inde variæ familiarum lites, & discordiæ, sicut & coniugum Zelotypij vitio furientium plura facinora facilè exoriantur. Vide D. Augustinum *quæst. 39. in Exod.* & Tamburin. *loco citato.*

SECTIO XIX.

De Propositione vigesima.

An restitutio à Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, &c.

Prima & probata sententia est Lessij *de iustitia & iure, lib. 2. cap. 34. dub. 32.* Reginaldi *lib. 30. tract. 3. cap. 4.* Escobar. *Theol. moral. examine 6. de religione, num. 62.* Busembaum *de horis canon. lib. 4. cap. 2.* Vasquez *in opusculo de beneficiis, cap. 4. §. 1.* Sà *verb. benef. num. 56.* Baunij *de beneficiis: disp. 36.* Layman *lib. 4. tract. 2. cap. 5.* Suarez *tom. 2. de religione, lib. 4. cap. 30.* Palai *de orat. spect. horar. canonic. disp. 2. parte 2. puncto 4.* 177

Secunda & reprobata sententia traditur apud Medinam *lib. 1. instruct. cap. 14. §. 11.* idem habet Henriq. *in Compendio casuum moralium.* Sotus *tract. de instit. Sacerdot. de vita Sacerdotum, lect. 4.* vbi ait: Hæc magis videtur pœna, quæ iuste à Prælatis imponi potest, quam vt quis ad eam per se teneatur. Videatur etiam Couar. *in respons. casuum conscient. quæst. 140.* Lopez *in instruct. conscientiæ, parte 2. cap. 95.* Ioannes de la Cruz, omissionem officij pro decem diebus à restitutione eximit, ea lepida ratione, quod *Deus sit bonus Dominus* qui multo minus, quam Dominus temporalis, ad pauca attendit. At cui facinori hæ facetiæ, si valerent, non darent ansam? bonus quidem Dominus, eóque nos sumus deteriores, quo ipsius bonitate in nostrum caput abutimur. Nec mirum si è sua iustitia per singulos dies pensum horarium ab huic oneri obstrictis exigat; cum è sua largitate singulis momentis sua ipsis beneficia exhibeat. Quare piè & iuste Concilium Oecumenicum Lateranense, *sess. 9.* huic debito satisfaciendo strictè sub his terminis obstringit.

Statuimus quoque, & ordinamus, vt quilibet habens beneficium cum curâ, vel sine curâ, si post sex menses ab obtento beneficio, diuinum officium non dixerit, legitimò impedimento cessante, be-

neficiorum suorum fructus, suos non faciat pro rata omissionis recitationis officij, & temporis, sed eos tanquam iniustè perceptos, in fabricas huiusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur: Si verò vltra dictum tempus in simili negligentiâ contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, beneficio ipso priuetur, cùm propter officium detur beneficium: intelligatur autem officium omittere quoad hoc, vt beneficio priuari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit: Deo tamen, vltra præmissa, de dicta omissione redditurus rationem, quæ pœna in habentibus plura beneficia reiterabilis sit, quoties contra facere conuincentur.

SEQVITVR in renouationem huius Decreti Constitutio Pij V. expressiùs declarans, non solùm vnius diei pensum, verum vnius officij dimidium, siue etiam horam vnam Canonicam non absoluentem, restitutioni, quæ tali omissioni respondeat, esse obnoxium.

Ad perpetuam rei memoriam, proximo Lateranensi Concilio, pia & salubris sanctio emanauit, vt quicumque habens beneficium cum curâ, & sine curâ, si post sex menses, quæm illud obtinuerit, diuinum officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis, & officij, & temporis, suos non faciat, *sed eos tanquam iniustè perceptos, in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur: verumtamen multorum animi suspensione tenentur, cuiusmodi ratæ prædictæ ratio sit habenda; nos huic rei euidentius, atque expressiùs prouidere volentes,* statuimus, qui Horas omnes Canonicas, vno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur; *qui verò Matutinum tantùm, dimidiam; qui cæteras omnes horas, aliam; qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei* amittat: *Tametsi aliquis choro adductus non recitans, omnibus horis canonicis cum aliis præsens adsit, fructusque, & distributiones fortè aliter assignatas solâ præsentiâ iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, aut alias, sibi lucrifecisse prætendat: is autem præter fructuum, & distributionum omissionem; item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusauerit, graue peccatum intelligat admisisse. Declarantes præstimonia, præstimoniales portiones, & qualiacumque alia beneficia, etiam nullum omninò seruitium habentia, obtinentes, cum prædictis pariter contineri. Ac quicumque pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas, vt Clericus percipit, eum modo prædicto, ad dicendum officium paruum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium.*

ANTE etiam generalis Concilij, sub Leone X. & Pij Pontificis Statuta, olim vigebat apud antiquos hæc eadem opinio; Imo naturali iure ad fructuum restitutionem teneri scienter officium prætermittentem, tenebant Calderinus *in cap. 1. de celebratione Missar.* Ancharan. *in consilio* 228. Gemin. *cap. vlt. de rescript. in 6.* Iason. *l. penult. Cod. de testam.* Baldus *in l. 1. Cod. de iis, qui vt indigni,* & alij apud Azorium *lib* 10. *cap.* 14. ob rationem *ibi* signatam, quia nimirum, quod ob causam datur, si causa non sequatur, iure repetitur: sed beneficium est propter officium *cap. vltimo, de rescript. in 6.* 178

HOC etiam iure, post prædictas constitutiones supposita inhabilitate alicuius ad acquirendum, sequitur obligatio ad restituendum; cum enim lex naturalis prohibeat alienæ rei retentionem, & insuper præcipiant Ecclesiastica iura, vt Horarium pensum non persoluens, pro rata omissionis *Fructus suos non faciat,* infertur, non dimitti peccatum, nisi restituatur ablatum, vt habet iuris regula *cap. 4. in 6.* vide Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap.* 30.

HINC sequitur non tonsuratum, aut canonica aliqua inhabilitate præpeditum, ante iudicis sententiam teneri obtentum beneficium dimittere; sicut & incapax hæres non potest obuenientem sibi hæreditatem, contra iuris præscripta, adire, siue postquam adiuerit, retinere.

Quæ ab aduersariis apud Nicolaum du Bois, hîc obiiciuntur, post præfatum Pij V. edictum, nullius sunt ponderis. Et primo quidem Soti suppositio, quod Constitutio Lateranensis non sit multis in locis promulgata, vti vrget Zipæus *in Analisi iuris Pontificij, tit. de clericis,* iam cessat, tum quod sequens confirmatio Pij V. omnem suspicionem huiusce rei abstulerit; tum quod contrarium viri, & sanctitate, & doctrina illustres, apud Azorium *loc. cit.* censeant; tum denique quod ceremonialis & solemnis illa promulgatio fieri solita in prouinciis regio mandato, de qua videtur agere Zipæus, non requiratur, vbi præcedentia iura ad Dei cultum obligant, vt ait Nicolaus *supra cit.* 179

Deinde

Deinde Lepor iste Ioannis de la Cruz, quod bonus sit Dominus, & ad pauca minus strictè attendens, supra retorquetur.

180 An autem omittens officium sex illis mensibus, in Concilio Lateranensi expressis, teneatur fructus toto illo tempore perceptos restituere, affirmat Sotus; arbitrio tamen boni viri, non pro rata prætermissi officij ait restituendos, quod probat dupliciter. Primò, quia aliàs nimis Concilium indulgeret, cum ità permittat non laborantem, seu feriantem, laborantis mercedem accipere. Secundò, quia Concilij textus videtur vitio Typographorum mutatus: vnde pro *post 6. menses*, censet debere legi *per 6. menses*. Hoc coniicit ex sequentibus terminis: *Si autem vltra dictum tempus in simili negligentia contumaciter perseuerit, legitima monitione præcedente, beneficio ipso priuetur, cùm propter beneficium detur officium*, quæ verba priorem omissionem esse negligentiam culpabilem videntur insinuare, cum dicatur *in simili negligentia*, ac proinde videntur sonare restituendi obligationem.

Meritò tamen ab Azorio citato, & Nauar. reiicitur; quia constanter apud omnes legitur *post*, non vero *per 6.* menses, & eadem verba fideliter in sequenti Constitutione Pij V. repetuntur. Deinde præfatis instantiis facili negotio satisfit: Concilium enim rationabiliter per sex menses vacare ab officio permittit, vt non extemplò & ignoranter primis vicibus persoluatur; sed opportunè addiscatur, vt deinceps debita & exactà reuerentià continuetur; vnde sequentia verba Soto non fauent: Significant enim beneficiatium per sex menses non recitantem, sibi fructus abdicare non teneri; Sed si imposterùm neglexerit, teneatur pro rata ad restituendum; si vero adhuc in simili negligentia contumaciter perstiterit, & præcedenti admonitioni non acquieuerit, ita vt bis quindecim diebus non persoluerit officium, beneficio priuetur. Ita Azor. *vt suprà*.

Etsi tamen restitutioni non sit obnoxius, à lethali culpa, qui ab officio cessauerit, non excusatur. Cum dicatur suprà apud Pium V. *Item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum eum excusauerit, graue peccatum se in elligat admisisse.*

Hoc verò iuxta nonnullos videtur implicare, vt quis, pro beneficio non exoluendo officium, peccet, & tamen non teneatur restituere: Cum enim ideo peccat, quia fraudat iustitiam; eo ipso, quod iustitiam fraudat officio, tenetur ei satisfacere è beneficio; vel si ab hoc debito liberatur, à culpa etiam videtur immunis.

Verum hæc non vrgent. Nam Ecclesia, in cuius dominio sunt beneficiaria bona, potest in hoc casu ius suum remittere; & ne nimis torpeat beneficiarius, cum pro modulo obligare, vt discat dicendo, & discendo dicat officium per illud semestre, ne postea debito tempore inhabilis inueniatur.

181 An verò beneficiatius, qui partita habet onera, possit fructus, oneri quod exequatur proportionatos, retinere, etsi aliud prætermittat: vt qui, omissis horis, prædicat, celebrat, & alia adiuncta onera pietatis præstat; Videtur quidem posse, tum quia, vt dicit l.10.ff.de annuis legatis, *tam labor, quàm pecunia diuisionem recipiunt*, tum etiam quia obligatio restituendi sit pœna, quæ alio opere pœnali recompensatur.

Contrarium tamen sentiunt Suarez *loc. cit.* & Azorius *quæsito 1.* ratio est, quia dicta constitutione habetur: *Omnes beneficij, vel beneficiorum fructus, qui illis diebus responderent, amittat*, vbi loquitur non de beneficio, sed de beneficiis, nec de *illa hora*, aut *officio*, sed de *illo die*. Deinde ibi ius nil distinguit: ergo nos distinguere non debemus. Denique, quia secundùm aliquos hæc obligatio potiùs est conditio, sub qua clerico datur beneficium; non pœna, quæ irrogatur contrarium facienti.

Hinc soluitur alia difficultas de eo, qui bona fide, inconsideranter, aut consilio viri alicuius docti, officium longo tempore prætermiserit.

Dicunt nonnulli hunc paris esse conditionis cum illo, qui aliena bona, diu bona fide occupauerat. Quare fructus extantes tenetur in pristinum ius restituere; quòd si nulli extent; dicunt ad nil teneri, si ditior ex eis non fuerit effectus: qualis regula in aliis bonæ fidei possessoribus obseruatur. 182

Fundamentum huius sententiæ est. Quia restitutio fructuum videtur conditio. Ita vt legis sensus sit: *Tibi do beneficium, si persolueris officium.* Vnde conditione non adimpletà, redit beneficium in statum aliorum bonorum.

Alii verò, quibus restitutio videtur pœna, ita vt lex statuat: *Puniam priuatione bonorum, si officium non exsolueris*, Sentiunt, bonam fidem, in considerantiam, aut similem rationem eximere beneficiatum ab obligatione restitutionis. Eò quòd absque culpa diuinum officium omiserit. Hanc opinionem multis piis & doctis viris placere ait Azor. *loc. cit. quæsito 7.* eò quod pœna non irrogatur, nisi vbi culpa aliqua patratur, quam hic abesse supponit. Arridet etiam Constitutio Pij V. quæ statuit tantùm, vt qui, legitimo cessante impedimento, officium non dixerit, restituat.

Quod si beneficiarius sit irretitus excommunicatione, suspensione, aut irregularitate, & diuinum persoluat officium, fructus tamen tenetur restituere, iuxtà Glossam *in cap. Pastoralis de appellation.* quam sententiam omnibus probatam docent Nauar. *in Manual. cap. 25. num. 124.* & ratio est, quia irregularis ipso facto est beneficij incapax, vt ex communi omnium sententia tradit Couarruuias *in cap. Alma mater, de excommunicat. in 6. part. 1. num. 6. §. 7.* 183

Quod si pensionarius sit officio paruo Beatæ Virginis obstrictus, illudque quotidiè non persoluat, ad pensionis restitutionem pro rata omissionis eum teneri decernit ex Concilio Lateran. præfata Constitutio his verbis: *Quicumque pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas vt Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium paruum Beatæ MARIÆ decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium:* vbi, *eum modo prædicto*, signant parem esse in hoc beneficiati & pensionarij conditionem.

Idem dicendum de Canonico, qui non interest cum aliis choro, nec horarias preces absoluit: Distributiones enim quotidianas, inter Canonicos distribui solitas, pro parte sibi obueniente dimittere tenetur. Vti declarat Concilium Trid. *sess. 24. cap. 12. de reformat.* hoc tenore: *Distributiones Canonici, qui statis horis interfuerint, recipiant; reliqui quauis collusione, aut remissione exclusa, his careant.* Ita prius etiam decreuit Bonifacius VIII. *in cap. consuetudinem, de Clericis non residentibus, in 6.* Ab his tamen satisfieri ait Azor. *loc. cit.* si in pauperes

peres curent tales fructus, aut distributiones impendendas.

SECTIO XX.

De Propositione vigesimaprima.

An habens Capellaniam collatiuam, aut quodlibet aliud beneficium Ecclesiasticum, &c.

184 DIVINVM officium recitandi onus adeo cuique beneficiato, seu alio titulo ad hoc obligato, personaliter incumbit; vt solius Summi Pontificis hæc dispensatio sit opus, vt habet Azor. *libro suprà citato, quæsito* 9. 10. *& seqq. cap.* 13. & licet olim penes Episcopos fuerit puero post 7. annos simplex conferre beneficium, (quod à Concilio Trident. *sess.* 23. *cap.* 6. est sublatum, & ad 14. annos determinatum) ipsum tamen ab officio eximere non poterant: cùm hoc iure communi sit cautum, cui ex toto vel ex parte derogare Episcopis non est concessum, nisi vbi ipsum ius id expresserit, ita ex Hostiensi, Innocent. Ioan. Andrea. Abbate, & aliis, docet Nauar. *cap.* 11. *num.* 24. *de orat.*

CVM verò olim plures Clerici, seu beneficiati, quos Pontifex ob grauiores causas ab hoc onere eximerat, tantam indulgentiam in nimiam licentiam conuerterint: ita Bonifacius VIII. *in cap. finali de rescript. in* 6. decreuit:

Quia per ambitiosam importunitatem, tam nos, quam nonnulli Prædecessores nostri, Romani Pontifices, indulgentias perpetuas multis concessimus de percipiendis fructibus beneficiorum suorum, distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis, siue in Scholis essent, siue in Ecclesiarum suarum alterâ residerent, aut in Romana Curia moram traherent, seu alio certo loco, vel etiam vbicumque: ex quo insolentiæ oriuntur, vagandi, & dissolutionis præparatur materia, minuitur cultus diuinus, quem desideramus augeri, & officium plerumque (propter quod beneficium Ecclesiasticum datur) omittitur; nos volentes emendare præterita, & quantum possumus aduersus futura cauere, omnes huiusmodi & similes indulgentias personis, non Ecclesiis vel dignitatibus datas, penitus reuocamus; & earum concessionem nostris volumus exulare temporibus. Quodque nobis licere non patimur, nostris Successoribus indicamus.

HVIC Decreto contra propositionem hanc damnatam adhærere Sanchez *consil. moral. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 62. Azor. *quæsito* 13. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 27. Garcias *de benefic. parte* 3. *c.* 1. & apud hunc plures Theologi & Iuristæ idem docent.

ADVERSÆ sententiæ duo tantùm sunt fundamenta: primum est iuris regula 78. in 6. *Qui per alium facit, perinde est, ac si faciat per se ipsum.* Secundum verò est, onus dicendi officium non esse personale, sed reale, quod ab alio potest præstari. 185

PRIVS tamen fundamentum, arenâ nixum, facilè defluit: Illa etenim iuris regula communi Canonistarum consensu cessat, vbi personæ, ob eius vitam, mores, industriam, aliasque circumstantias, opus aliquod iniungitur, vide Pecx. *ad cap.* 72. *de regulis in* 6.

PRÆTEREA falsò supponitur pensum horarium non esse onus personale, nam vbicumque non ipsius operis natura, sed operantis potiùs conditio attenditur, qualis hic requiritur, non potest hoc opus alteri exequendum demandari, sed personali ministerio est adimplendum; nisi ipsum ius aliter expressè statuat, vt patet *l.* 1. *ff. de officio eius qui. cap. ult.* & *de officiis iudic. deleg.* vbi habetur: *Salua legatorum Sedis Apostolicæ authoritate, nulli, cui commissum fuerit dispensare cum irregularibus, vel iniungere pœnitentias, liceat aliis demandare, quia ministerium ei committitur hac in parte:* ita etiam aliis innumeris legum statutis cautum est. Vt *l. inter artific. ff. de solut. l. post mortem, §.* 1. *de adoptionibus, l.* 2. *Cod. de his, qui veniam.* Item *cap.* 9. *de procuratoribus, in* 6. Vbi procuratori ad matrimonium alieno nomine contrahendum deputato prohibetur, alteri suas vices delegare, ea sola ratione, quia certæ personæ ministerium requiritur. Vnde *can. vlt. dist.* 92. Martinus Pontifex ita pronuntiat: *Si quis Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet Clericus Ecclesiæ deputatus intra Ciuitatem fuerit, aut in quolibet loco, in quo Ecclesia est, & ad quotidianum psallendi officium, matutinis, vel vespertinis horis, ad Ecclesiam non conuenerit, deponatur a clero; si tamen castigatus veniam ab Episcopo noluerit promereri:* vide de his plura *cap.* 3. *de Clericis non residentib. cap.* 3. *de Clericis coniug. & cap.* 5. *ibidem.* 186

SECTIO XXI.

De Propositione vigesimasecunda.

An sit contra iustitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator, &c.

D. Bonau. in speculo animæ suprà, cap. 1.

POSTQVAM Seraphicus perpulchrè ostenderit; Symoniam speciatim circa beneficia committi: Postea procedit probare ibi manifestè fieri iniustitiam contra Deum. Primò quia spiritualia non possunt cadere sub pretio temporali. Secundò, quia non sumus Domini, sed ministri rerum spiritualium, ad quod affert illud Pauli: *Sic nos existimet homo, &c.* Tertiò, quia gratis beneficia accipiuntur, ergo gratis debent conferri, iuxta illud Matthæi, *Gratis accepistis, &c.*

Deinde indicat dupliciter peccari circa beneficia, ea transigendo, vel ea permutando absque superioris

superioris authoritate, & concludit generaliter esse vitium Symoniæ, quoties quod spirituale est, datur vel accipitur pro temporali. His rationibus ferè omnes probant contra iustitiam esse beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quodcumque temporale emolumentum eis annectatur; Et probatur prima ratione Seraphici.

187 Omnium obtentu iustitiæ leges transgreditur, qui pro re non appretiabili pretium recipit: inde enim lucratur, vnde lucrari prohibetur; ac proinde restitutioni est obnoxius, tam ille, qui rem huiusmodi dat, quam ille qui accipit. Inanè autem est, temporale emolumentum, quod rei spirituali annectitur, ab ea discernere; cum Simonia definiatur non tantum studiosa voluntas, emendi aut vendendi id, quod spirituale est sed etiam, id quod spirituali est annexum: vt habet D. Bonauent. *in speculo animæ cap.2.* D.Thom. 2.2. *quæst.*100. *art.*1. Glossa 1. *quæst.*1. *in Summa.* Aliter enim vix, aut ne vix quidem, tot illicitos contractus potuisset vtrumque ius Diuinum & Pontificium damnare; cum ferè omnes, qui sic contrahunt, parùm ad emolumentum spirituale in his contractibus attendant, verum potius tepescente charitate, ad auaritiam inhient: vnde vt similibus distinctionibus obuiaret Pascalis Papa, ita scripsit *in can.*1. *si quis obiecerit*, *quæst.*3. *Si quis* (inquit) *obiecerit non consecrationes emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proueniunt, penitus desipere probatur; nam cum corporalis Ecclesia, aut Episcopus, aut Abbas, aut aliquid tale sine rebus corporalibus in nullo proficiat; nec anima sine corpore corporaliter viuit: quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum prouenit, neutrum inuendatum derelinquit.* Ita etiam decernitur *cap.vlt.* ꝟ. *de pactis*, *cap.*8. ꝟ. *de Simonia*, vbi dicitur: *Nec Capellaniæ clericorum vlla distractione vendantur; nec ab eo, cui regimen ipsarum committitur, pro earum commissione vllum pretium exigatur.* Et ne hos textus ad spirituale tantum commodum, vel emolumentum, aliqui restringerent, subscribit Pascalis *loco cit.* *Nullus igitur emat Ecclesiam, vel prebendam, vel aliquod Ecclesiasticum, nec pastellum, vel pastum antea vel postea pro huiusmodi soluat.*

188 Ratio porro in propositione assignata leuis est; nimirum quod pecuniam collator beneficij non exigat pro collatione beneficij, sed pro temporali emolumento, quod alteri conferre non tenebatur: Licet enim conferendi nulla vrgeret necessitas, cum tamen confertur, obseruari debet modus, quem iura præscribunt: vt in ipsis contractibus ciuilibus quotidiana docet experientia; ità etiam, qui ex charitate Sacramenta administrat, ea iuxta Ecclesiæ ritus tenetur administrare. Vnde 3. *Reg.* 13. reprehenditur Ieroboam, quod Sacerdotia pretio æstimauerit, licet ad temporale commodum, isthinc sibi obueniens, plùs respexerit: Modus autem conferendi beneficia in Ecclesia Dei, est ea gratis conferre; dicente Domino: *Gratis accepistis, gratis date*, quod si aliter conferantur, ea à conferentibus auferri statuunt præfata iura, iuxta illud etiam Domini: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.*

189 Ita omnes Canonistæ vnanimiter in allata Capitula, & Valentia *tom.*3. *disp.*6. *quæst.*16. *punct.*2. vbi egregiè probat, hanc beneficij collationem è Diametro iustitiæ opponi; quia nimirum temporale beneficij commodum, tam intimè connectitur titulo spiritualis officij, vt illud ab hoc nequeat vllatenus separari: tale enim commodum est relatio quædam, quæ nequit subsistere sine suo fundamento, spirituali scilicet officio; quo sublato, non potest perfectè competere alteri ius percipiendi fructus, qui conceduntur tantum in ordine ad spiritualem titulum; qui titulus, cum nullo sit pretio æstimabilis, in parem trahit conditionem omne sibi necessariò adiunctum; cum accessorium sequatur naturam principalis. Ita docent etiam Layman *lib.*4. *tract.*10. *cap.vlt.* §.*vlt.* Castropalaus *tract.*13. *de benef.* Filliucius *in præcepta, tract.*45. *de Simonia, cap.*5. Giballinus *de Simonia, cap.*20. *num.*35. Azorius *lib.*12 *Institut. moral.p.*3. *cap.*7. *quæsito* 3 vbi è Nauar. *cap.*23. ait esse communem omnium Theologorum sententiam.

Authores aduersæ sententiæ refert, & tefellit Nicolaus du Bois *hîc, art.*1. & 2. Quorum omnium vnum erat fundamentum, duo considerari in beneficiis Ecclesiasticis, sicut & in aliis, vt plurimum, rebus sacris: Alterum est spirituale, quod alienari non posse, apud omnes in confesso est. Alterum est temporale annexum, vt annuus redditus, vel in consecrato calice materia; & hoc vltimum posse inquiunt à priori distingui, & venditioni subiacere, vt latiùs dicam *tom.*5. *suo loc.* 190

Hæc tamen distinctio in beneficiis traditur à D.Thoma 2.2. *quæst.*100. vbi ait: *Aliquid potest esse annexum spiritualibus dependens, sicut habere beneficia Ecclesiastica*, quibus verbis ostendit quædam annecti spiritualibus, vt ad ea ordinantur; & hæc præsupponuntur; vt materia vestis, aut Vasis sacri: Quædam verò illis annectuntur ita vt subsequantur, & hæc ita à spiritualibus dependent, vt separata nequeant subsistere, vt supradictum est; Quale est ius percipiendi prouentus ob officium in aliqua Ecclesia præstitum, quod ius nequit alienari, nisi alienato officio ipso, quod quidem spirituale est, & ideò inalienabile.

Hinc sequitur, qua disparitatis ratione possunt vendi vasa, vestes, & similia sacra, sicut etiam iuspatronatus, & sepulturæ, licet spiritualibus annectantur; ratione enim materiæ, quæ ex se à sacro vsu non dependet, eoque est anterior, possunt appretiari, ita Azor. *lo. cit.*

SECTIO XXII.

De Propositione vigesimatertia.

An frangens Ieiunium Ecclesiasticum, ad quod tenetur, non peccet, nisi ex contemptu, vel inobedientia, &c.

D.Bonauent. in speculo animæ, cap.3. & cap.6. in dieta salutis.

Sanctus Doctor mirè Ieiunium extollens toto hoc cap.6. lepidè ait: *Sicut fames eiicit lupum de nemore; ita ieiunium Diabolum de homine.* Insuper illud comparat egregiè parietati: ignis quæ non finit, vt olla nimis ebulliat, agilitati auis, quæ celso volatu insequentem fugit accipitrem: Et denique concauitati Violæ, quæ non nisi vacua & inanis, sonoros reddit concentus, hæc insuper perpulchrè homini, ex pietate ieiunanti ibidem applicat.

Cap.

Cap. verò *tertio*, ad rem nostram dicit: Quicumque hoc ieiunium (scilicet Ecclesiasticum) non obseruat, absque dispensatione superioris, iustâ necessitate laboris necessarij, vel paupertatis notabilis, vel ætatis, vel infirmitatis, est transgressor præcepti, & sic peccatum mortale committit: vbi S. Doctor non excipit contemptum tantùm, & inobedientiam. Sed quacumque causâ sepositâ, præter allegata, docet præceptum ieiunij obligare. Et affert D. Hieronymum *epist.* 28. dicentem: *Vnaquaque prouincia abundet suo sensu, & præcepto maiorum, leges Apostolicas arbitretur, per quod patet ieiunium esse in præcepto.* Sed vt clarius hæc elucidemus.

191 Illvd primò præmonendum est, posse legem, vel Canonem, aliquem actum constituere in certa virtutis specie, quæ per se non sit officium, vel opus talis virtutis; Sic iubet princeps, vt sibi tale vectigal soluatur, quod dum soluitur, iustitiæ est actus; ita etiam mandat Ecclesia, vt statutis diebus Missam audiamus; vbi Religionis actus interuenit. Verùm qui his præceptis non obtemperat, non solùm contra obedientiam, sed etiam citra omnem contemptum, contra iustitiam, & religionem peccat, ita Azor. *suprà cit.*

Ita ieiunium certis diebus præscriptum, temperantiæ officium est. Si verò soluatur, intemperantiæ est vitium. Esto ieiunium colere illis diebus natura non præcipiat, sicut nec vectigalia principi tali anno, & tali quantitate soluere, seu Sacro tali die interesse non præscribat. Vbi tamen Ecclesiæ authoritate huiusmodi ieiunium indicitur, nullum ab eius obseruatione se posse subtrahere absque peccato, constans Conciliorum & Patrum, ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio, consensus obtinuit: nec ab his inobedientiæ, aut contemptus exceptio insinuatur sed omnimoda obseruantia, quantum cuiusque status permiserit, exigitur.

Ita Canone 68. Apostol. Laici, qui quadragenarium numerum non seruauerint, nisi corporis infirmitas eos impediuerit, anathemate feriuntur.

192 In Concilio Gangrensi *can.* 69. legitur: *Si quis eorum, qui exercentur, absque corporali necessitate se insolenter gerunt, & tradita ieiunia, quæ communiter traduntur ab Ecclesia, dissoluat; anathema sit.* Item Synodus in Trullo coacta sub Imper. Iustiniano *can.* 56. vbi Armenis Ouorum, & Butiri vsus tempore ieiunij interdicitur.

In Concilio Toletano 4. *can.* 7. sic statuitur; *Quicumque in die Passionis Dominicæ præter paruulos, senes, & languidos, ante peractas indulgentiæ preces, ieiunium soluerit, à Pascali gaudio depellatur, nec in eo Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini percipiat, qui diem Passionis eius per abstinentiam non honorauit.* Idem Toletanum VIII. decernit *can.* 9.

In Carthagenensi 4. *can.* 63. *Clericus, qui tempore ieiunij absque ineuitabili necessitate ieiunium rumpit, inter minores habeatur.*

In Agathensi *can.* 12. *Omnes Ecclesiæ filij, exceptis diebus Dominicis, in quadragesima, etiam die Sabbatho, Sacerdotali ordinatione, & districtionis comminatione ieiunent.*

Hinc liquet quanta, & qualis, apud omnes, culpa semper extitit præcepti ieiunij violatio, quod probat D. Ambros. *serm.* 25. exemplo ieiunij à Saulo Rege, vniuerso populo indicti, & ab eius filio Ionatha, ignoranter omissi; vbi nec contemptus, nec inobedientia vlla interuenerat: & ibidem bis ait, non esse leue peccatum Ecclesiæ ieiunium violare; & *quisquis* (inquit) *Christianus illud non impleuerit, præuaricationis & contumaciæ reus tenebitur.* Item.

D. Avgvstinvs sermone in Sabbatho, ante quadrag. *Aliis diebus ieiunare remedium est, ac præmium: in Quadragesima non ieiunare, peccatum est: alio tempore, qui ieiunat accipiet indulgentiam; in quadragesima, qui non ieiunat, sentiet pœnam.* Ita etiam Theophilus Alex. *lib.* 3. *Pasch.* & Sanctus Leo *serm.* 3. *de ieiunio decimi mensis.* 193

Adversarii nil habent, quod validè obiiciant; solùm prætendunt, non eo rigore Prælatos Ecclesiæ ieiunium indicere, vt vellent ad peccatum obligare; ita indicat Zabarella *ad cap. Consilium*, §. *cum autem*, *num.* 2. *de obseruatione ieiunij*, Angelus *verbo inobedientia.* Castro *verbo, Ecclesia, hæresi* 3. Caietanus *in Summa*, *verbo ieiunium.*

Verùm cùm contrarium certiùs constet è præmemoratis Conciliorum & Patrum sententiis, non est eur his diutiùs immoremur.

SECTIO XXIII.

De Propositione vigesimaquarta.

An mollities, &c. sint peccata eiusdem speciei infimæ, ideoque sufficit, &c.

D. Bonauent. in confession. particul. 1. 8. 14. 46. & in 4. dist. 17. p. 3. art. 1. q. 2. & 3.

Seraphicvs hic edocens, qualiter in confessione se debeat gerere Sacerdos, de his speciebus, cautissimè tamen, quærendum ait, vtpote varia specie distinctis: Quod patet ex pœnis, quas è variis Canonibus ibidem subdit, & præcipuè refert illa Gratiani verba 2. Reg. 12. *Hinc etiam Ecclesiastica consuetudine est vsurpatum, vt maiorum criminum pœnitentia 7. annorum spatio concludatur; nisi vel officij excellentia, vel criminum magnitudo vulgarem consuetudinem excedens, veluti dum contra naturam humanæ societatis, parentibus, vel liberis, vel aliis eiusmodi personis impudicè adhæremus, vel dum relicto naturali vsu, contra naturam, more Sodomico fornicamur, vel vsque ad coitum brutorum animalium prolabimur, præmissum spatium transcendere cogat:* hæc S. Bonau. è Gratiano.

Qvæstio porro hæc breuiter, & quidem meritò, ab omnibus expeditur; non enim castas mentes, castasve aures turpium rerum, in longum protracto discursu, decet occupare. Primò scire sufficiat grauitatem horum delictorum haberi *cap. vsus*, *cap. adulterij*, & *cap. flagitia, eadem causa, & quæstione*, vbi de peccato Sodomico in particulari. 194

Secundò sufficiat scire ex communi omnium Theologorum sensu, actus, tam honestos, quàm peccaminosos, sumere suas species à speciali conuenientia, vel disconuenientia obiecti cum recta ratione; Constat autem singula obiecta harum specierum, turpitudinem habere singularem, & specialem difformitatem cum recta ratione; quare specie differunt, & consequenter specialiter sunt in Confessione explicandæ. Ita Caietanus 2. 2. q. 154. art.

*art.*11. Tamburinus *in methodo exped. confess. lib.*2. *cap.*7.§.10. Ouiedo 1.2.*tract.*6.*cont.*5.*puncto* 3. Valentia *tom.*3. *disput.*9. *quæst.*3. *puncto* 3. Filliucius *tract.*30.*cap.*8. 6.*precept.Decalog.num.*142. Azorius *parte* 3. *lib.*3.*cap.*17. *quæsito* 1. & 2. Toletus *lib.*5. *cap.*13.*num.*1. Sayrus *lib.*8.*cap.*5. *num.*4. Lessius *de iustitia*, & *iure*, *lib.*4. *cap.*3. *dub.*13. Fagundez *in Decalog.lib.*6. *cap.*9. *num* 6. Hæc fundatur in Concilio Tridentino *sess.*14.*de Sacram.Pænit.cap.*5. vbi variantium circumstantiarum expressio requiritur; In prædictis autem peccatis variæ sunt circumstantiæ pro varietate obiectorum: ergo & motiuorum.

SECTIO XXIV.

De Propositione vigesimaquinta.

An qui habuit copulam cum soluta, satisfaciat præcepto Confessionis, dicens, &c.

D.Bonau.suprà, & in 4. dist.17. p.3. q.2. a.1.2. & q.3.

195 EA est Impudicorum infirmitas,potius dixerim instigatoris dæmonis astuta malitia, vt postquam audacter, & vt plurimum impudenter, omnes verecundiæ & castitatis fines transilierint, timidè, & pudibundè, & fucatis sæpè verbis, dum exprobrantis conscientiæ stimulis agitantur, impurum facinus solent in Confessionibus explicare; & quod hac in re magis deplorandum, probabilistarum patrocinium, quo minus occultas plagas salutari simplicitate detegant, sibi arripiunt. Hos ita verecundantes apertè meminit, ait Seraphicus *loco suprà cit.*

HANC quorumdam scriptorum in opinando laxitatem fusiùs impugnat Turtianus *de pænit. quæst.*9. *art.*2. *disp.*19. *dub.*2. Dicastillo *tract.*8. *de Sacram. Pænit. disp.*9. *dub.*8. *cap.*2. præcipuè Caramuelem *tom.*4. *disp.*2. *dub.* 2. incusat huiusmodi doctrinæ, Syluius *in supplem. quæst.*9. *part.*2. Ledesma *de Sacram. Pænit. cap.*18. Nauarrus *in Manuali*, *cap.*6. Reginaldus *in praxi*, *lib.*6. Lugo *de pænit. disp.*16. *sect.*5. Coninck. *de Sacram. tom.*2. *disp.*7. Henriq. *lib.*5. *cap.*6. & alij plures apud hos passim.

FVNDAMENTVM,probatio,& præceptum explicandi in specie huiusmodi delictum, habetur Concilio Tridentino *dict.sess.* & *cap.* vbi ait: *Constat, Sacerdotes incognita causa, iudicium hoc exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis seruare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.*

196 QVARE cùm teneantur Sacerdotes iuxta rationem culpæ, pœnas imponere; tenetur etiam pœnitens speciem suæ culpæ declarare; & licèt castitatis violatio cum soluta, sit specie ab aliis peccatis eiusdem generis distincta, non tamen ita est species infima, quin alia peccata, quæ specie inter se differant, sub se contineat, quæ confusè, & in genere enunciata, Sacerdos nequit recto iudicio ponderare, aut salutari satisfactione expianda iniungere.

PROINDE cùm præfatum Concilium Trident. *can.*7. *sess.*14. & *cap.*5. dicat: *Iure diuino necessarium esse confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum post diligentem discussionem habetur memoria*; & cùm consummata luxuria sit verè peccatum mortale; sub hac ratione speciali est confitenda.

HINC Nauarrus optimè aduertit *in suo Manual.cap.*6. non ideo posse quemvis ab hac obligatione eximi, eò quod actus exterior & interior versentur circa idem specie obiectum; vnde etiam fiunt eiusdem speciei: quia actus exterior secundum suam rationem indiuiduam plura inuoluit, quibus ab actu interiori in genere moris substantialiter distat: Inde enim proximi iustitia læditur, fama periclitatur,bona dilapidantur; vnde restitutionis, & maioris pænitentiæ vinculum enascitur, cui semper reus subiacebit, dum suam conscientiam sinceriùs, & particulariùs Confessario patefecerit. Vnde ait Caietanus è Reginaldo *in praxi fori pœnit.lib.*6. *num.* 112. Communem Doctorum sensum tenere, luxuriæ peccata specialiter esse explicanda, dicendo: offendi mortaliter fornicando, adulterando, &c. quam ob rem satis incautè à complutensibus tradita est hæc damnata propositio, & propugnata publicè, vt ait Turtianus *loc.cit.*& Dicastillo, *vt suprà.* 197

SECTIO XXV.

De Propositione vigesimasexta.

An quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, possit iudex accipere pecuniam, &c.

D.Bonau.in speculo animæ, cap.2. ante med.um, & ad o. sup.

TANTA est Iustitiæ deprauatio, & corruptela, hac nostra præsertim tempestate, etiam aliquando in his, quibus publica administratio creditur, vt non vna, aut altera pagina propositio hæc sit discutienda, sed integrum meritò tractatum requirat: verùm cùm plures de hac re scripserint, quæ necessaria sunt, hic subiiciam, aliis, quæ superflua videntur, supersedens. 198

EX Theologis hanc materiam tractarunt Lessius *lib.*2. *cap.*14. *d.*8. Azor. *parte* 3. *lib.*4. *quæsito vnic. post.*4. Angelus *verbo concussionis crimen*, Syluester *verbo restitutio*, Nauarrus *in manuali*, *cap.*17. Petrus Nauar. *de restitut.lib.*2.*cap.*2.*d.*12. Bannes 2.2. *quæst.*62. *art.*5. Rebel. *lib.*18. *quæst.*19. Dicastillo *lib.*2.*tract.*2.*de restitut.dub.*6. Paludanus *in* 4.*dist.*15. *quæst.*3. *art.*2. *conclus.*4. Molina *tom.*1. *tract.*2. *disput.*94. Couarruuias *in regula peccatum*, *p.*2.§ 2. Valentia *tom.*3. *disp.*5. *quæst.*6. *punct* 3. Corduba *lib.*1.*quæst.*31. Videantur etiam apud Azor.cit. Hostiensis, Innocentius,Andræas Panormitanus, Angelus *verbo concussionis crimen*. Adrianus, Gabriel, Rosella, Tabiana, & Armilla; & quotquot ex Iurisconsultis scripserunt *in l.*18. *ff.de officio Præsidis*,*l.*2. §.3. *ff. de offic. proconsul.l.*1. & *vlt. Cod. de pœna iudicis*, *qui*, &c. *l.*2. *de condictione ob turp. in causam*,ita apud Nicolaum du Bois *hic*, e Glossa, sentit Bartolus, Baldus, Salicetus, & alij.

QVONIAM verò sub varias considerationes traditio muneris, quâ flectatur & trahatur Iudex in 199

in fauorem tradentis, cadere potest, eam variis assertionibus dispertiar, licet tantoperè ad Theologicas dissertationes non pertineat.

ASSERO igitur primò, iudici non licêre munera accipere, aut conferre, animo prouocandi ad ferendam sententiam in causa etiam iusta, ita S.Doct. *suprà.*

PROBATVR primò è dicta *l.*18.*de officio præsid.* & *lege* 2.*ff.de condict. ob turpem causam*, vbi habetur: *Sed si dedi,vt secundum me in bona causa Iudex pronunciaret, est quidem relatum, condictioni locum esse, sed hic quoque crimen contrahit; Iudicem enim corrumpere videtur, & non ita pridem Imperator noster constituit, litem eum perdere*, & ratio est D.Bonauent. *suprà*, quia Iudex tenetur ex se iustè iudicare absque munere.

PROBATVR secundò, l.prima, vt suprà de pœna iudicis, qui, &c. *Cuicumque in quacumque causa, siue priuata, siue publica, data fuerit pecunia, vel iudici, vel aduersario, is amittat actionem, qui diffidentia iusta sententia in pecunia corruptelam spem negotij reposuerit*, vbi tam de dante, quam recipiente munus, expressè agitur.

200 HÆC tamen criminis contractio iuris est positiui; criminis scilicet in foro fori, aliàs æquè liceret litiganti iudicem præuenire, ne iniquè sententiam proferret, ac licet munere prouocare conductorem, depositarium, aut alium iniustè rem alienam retinentem, vt eam restituat.

PROBATVR tertiò ratione, quia Iudex habet publicum stipendium, vt rectè, & incorrupto animo iudicet, vnde si quid vltrà recipit, ad restitutionem tenetur, ita *cap. non sanè*, 14. *quæst.*5. iniquum enim est, duplex stipendium pro obeundo vnico officio recipere.

ASSERO secundò, ne quidem licere iudici à litigante pecuniam, aliudve munus, fouendæ amicitiæ gratia recipere, ita in dicta l.18.de offic. præsidis: *Plebiscito continetur, vt ne quis præsidum munus, vel donum caperet: nisi esculentum, poculentumve, quod intra dies proximos prodigatur.*

201 HÆC etiam iuris scripti & humani positio est; nè dum ab vna parte munus recipitur, alteri turpis suspicionis occasio detur: Ita plures Canones: *quia periculosum est coram iudice, alteri parti amico, litigare*, ita *cap.*6.36.& 41. *ij de appellation. cap.*5. *ij de exception. cap.*10. *de foro compet. cap.*5. & 11. *de officio iudicis deleg.in* 6. vide Marantam *de ordine iudiciorum*, *p.*6. verbo *& quandoque appellatur.* Alias autem, sicut cuiuis alteri ob amicitiam munera conferuntur iure naturali, idem liceret respectu iudicis. Vnde S. Doct. suprà colligit in hac materia peccatum ex intentione dantis, vel accipientis committi.

ASSERO tertiò, licet iniquissimum sit, & duplici peccato peccetur, munus pro iniqua sententia recipiendo, non dari tamen repetitionem, nec iudicem teneri ad restitutionem.

Assertionem hanc perperam fuisse ab Archiepiscopo Senonensi censuratam, refert hic *art.* 4. Nicolaus du Bois in Louaniensi vniuersitate eruditus Theologus, primarius Iurisconsultus, & Regius sacrarum litterarum Professor.

202 Cuius censuræ fundamentum vnicum erat, aliàs faueri iniquè recipienti, & ex crimine lucrum foueri. Ita refert Paulus etiam Extex *pag.* 452. *col.* 2.

SED inane hoc fundamentum inde iactum est, quod iuris decreta, vel nec lecta, vel non probè intellecta fuere; non enim hinc crimen iudicis fouetur, nam tenetur è *Nouella* 8. *cap.* 7. quadruplum soluere, & triplum pœnæ, simulque officio priuari, vide etiam *Nouellam* 124. *cap.* 2. & *l.*1. *Cod. de pœna Iudicis*, &c.

PROBATVR itaque assertio primò *leg.*3. *ff. de condict. ob turpem causam*, vbi habetur: *Si dantis & accipientis turpitudo versetur, non posse repeti dicimus, veluti si pecunia detur, vt male iudicetur.*

PROBATVR secundò *l.*4. & 8. ibidem, *Si ob turpem causam promiseris Titio, quamuis si petat, exceptione doli mali, submonere eum possis, si tamen solueris, non poteris repetere.*

PROBATVR tertiò ratione, quia si danti competeret repetitio, eique accipiens teneretur restituere, nimis dantis iniustitiæ iura indulgerent; & pro eo firmius staret fundamentum allatum pro opinione contraria. Vnde statutum est variis legibus de condictione ob turpem, &c. vt quamvis accipiens grauiter peccet, vbi tamen etiam dantis turpitudo versatur, restitutioni nulli sit locus; ità *l.*2. *tit. loco. Cum te propter turpem causam, contra disciplinam temporum meorum, domum aduersario dedisse profitearis, frustrà eam tibi restitui desideras.*

NOTANDVM tamen, quod licet iniustè sententiæ pretium accipiens non teneatur illud restituere priori Domino, non potest tamen istud sibi retinere, sed ante omnem condemnationem criminis, pauperibus illud distribuere in conscientia obligatur. Ità Azor. iuxtà iuris Canonici plura statuta *loc. suprà citato.* 203

OBIICIES qui recipit pretium pro æqua sententia, tenetur illud restituere ex dictis suprà: ergo à potiori, qui recipit pretium pro iniquo iudicio. Maior habetur *cap. non sanè*, suprà *cit.* minor videtur innui ibidem.

RESPONDETVR negando consequent. Iura enim prohibent retentionem, & præcipiunt restitutionem pretij pro iusta sententia, quia aliundè Iudex sufficienter recompensatur, & nefas est bis recompensari in idipsum; pro iniquè verò iudicando nullum habet stipendium; vnde licèt grauiter delinquat illud exigendo, aut recipiendo, non tamen tenetur restituere; eodemmodo quo quamuis peccent quædam fœminæ pretium pro pudicitia sumendo, illud tamen receptum restituere non tenentur, vt tenent Sotus, Couarruu. Adrianus, Alexander, Cordubensis, Nauar. apud Azorium *quæsito* 3.

IN *capite* verò *Sanè* innititur posse concedi ius ad repetendum pretium, Iudici, aut alteri iustitiæ ministro iniquè datum; quod longè differt ab obligatione eiusdem ministri restituendi danti, quod iniustè ab eo meruerit: vnde concludendum est nullam esse ius Canonicum, quo ad eiusmodi restitutionem obligetur; licet diuersa sint iura, quibus tenetur illud vel pauperibus erogare, aut in alios pios vsus conuertere, etiam ante criminis manifestationem, in pœnam, & odium Simoniaci contractus: iustum enim est, tam dantem, quam recipientem pretio suæ iniquitatis priuari. 204

ASSERO quartò, quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, iudicem non posse pecuniam accipere pro ferenda sententia in fauorem vnius præ altero.

Hæc est propositio illa 26. meritò à Summo Pontifice Alex. VII. damnata. Hanc etiam à multis sæculis damnarunt Ecclesiastica Concilia post D. Augustinum *epist.*54. Ex qua.

PROBATVR primò assertio, his verbis: *Cùm iudicia* 205

iudicia & testimonia, quæ, nec iusta, nec vera, vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur, multò sceleratius vtique pecunia sumitur: quia sceleratè etiam quamuis à volentibus datur: ille tamen solet, tanquam malè sibi ablatam pecuniam repetere, qui iniustum iudicium emit; quoniam venale esse non debuit, qui vero iniquo pro iudicio dedit, vellet quidem repetere, nisi timeret vel puderet emisse. Quâ sententiâ colligitur D. Augustini temporibus viguisse *legem 2. ff. de conditione ob turpem*, &c. quæ damnat iudicem recipientem munus, vt in bona causa sententiam proferat: non verò vigebat pro tunc *lex 3. ibidem*, vbi repetitio prohibetur, cum dantis & recipientis turpitudo agitur; dum dicit, *Dantem velle quidem repetere, nisi timeret, vel puderet emisse.* Ante tamen Augustinum *leg. 7. Cod. quando prouocare, &c.* venales Iudicum sententiæ, quæ ob mercedem proferebantur, ipso facto infirmabantur.

Ex prioribus autem D. Augustini verbis, validum pro hac sententia argumentum deduco. Vbi enim non licet mercedem recipere ob ferendam sententiam, pro causa iusta, & vbi vni soli euidenter debetur; ibi minus licet venalem exhibere iustitiam, dum vtraque litigantium pars, æquali probabilitate, parem iustitiæ executionem postulat: Sed ita est in causa, pro qua vtrinque militant rationes æquè probabiles: Ergo. Maior eò certiùs patet, quod *Exodi 23. vers. 8.* dicitur: *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum.* Si enim verba iustorum subuertunt, quantò magis, probabilem minùs causam pro probabiliori applaudere facient.

106 PROBATVR secundò è Concilio Vernensi, *can. 25.* in quo habetur: *Nec Episcopus, nec Abbas, nec vllus Laicus pro iustitia ferenda sportulas contradictas accipiat, quia vbi dona intercurrunt, iustitia euacuatur.*

PROBATVR tertiò è Concilio Turon. 3. eodem anno, scilicet 755. Congregato, vbi habetur, can. 35. *Nullus Christianus pro quolibet placito, vel iudicio, à qualibet persona munera exigere, aut accipere debet.*

PROBATVR quartò ratione ductâ è variis legibus, quarum quædam decernunt, vt dum pro causa, seu actione reali, in iudicio sistitur, & pro vtraque parte rationes, & probabilitates sese non excedunt, tunc *in pari causa, potior sit conditio possidentis*, cap. 65. de regulis in 6. & cap. ex litteris 3. de probation. vnde si pro non possidente iudicetur, in legum statuta impingitur, & iniquè oblatum munus accipitur. Dum verò de actione personali controuertitur, & par sit vtrobique ratio, Reo, non Actori, sententia deferenda est: sic enim loquitur *cap. 11. de regul. in 6. Cum obscura sunt partium iura, potiùs fauendum est reo, quàm actori.* Iura autem partium obscura habentur, quando pari probabilitate vtrobique pugnant, nec plus fauent, iuxta allegata, & probata, vni, quàm alteri, vide Peckium ad *dict. capue 11. numero 5.* licèt, secundùm indulgentiam, propensiores sint leges ad fauendum reo, potiùs quam parti aduersæ, ità l. 125. ff. de reg. *Fauorabiles sunt rei partes, magis quàm actoris.* Quare si à reo ad actorem in tali casu detorqueatur sententia, ius reo acquisitum violatur, & à Iudice iniuria infertur: His quadrant, *l. 47. ff. de oblig. & act. l. 128. 155. de regul. cit.*

207 QVOD si contingat, quod ferè nunquam euenit, vt de interdicto adipiscendæ, aut retinendæ possessionis agatur, nec dignoscatur, quisnam stet pro possessore, ita vt vterque, nunc actor, nunc reus appareat; & vtrique, pari vi, iuridicæ probationes adstipulentur; tunc cùm iura cessant, alia via capescenda est; Nam si iuridicè procedat, & iudex vni plus faueat quam alteri contra iura; in priora incommoda labetur: Proindè Lis vel peritorum consilio, vel arbitrorum iudicio, vel causæ diuisione, vel denique, si alius modus non superest, proprio ipsius Iudicis motu, pro alterutra parte terminanda est: Quod si interueniente pecuniâ aut munere, res euacuata sit, ipso iure cassatur iudicium, & in pristinum statum redit. Argum. *leg. 7. Cod. quando prouocare non est necesse.*

Ex dictis defluit fundamentum aduersæ sententiæ, quæ eò nititur, quod libertas iudici acquisita, qua pro vtrauis parte pro libito possit iudicare, quando vtrinque æquè probabiles rationes vrgent, sit pretio æstimabilis, ac consequenter, quod possit eam, accepta pecunia, in fauorem vnius præ altero deflectere; Non enim videtur rationi consonum, vt quis alteri absque obligatione in præiudicium propriæ libertatis seruiat.

VERVM quicquid sit de æstimabilitate libertatis, hæc ratio cessat, vbi agitur de libertate publicæ iustitiæ mancipata; & iam particularis causæ decisioni obligatâ; hæc enim libertas fauorabilis acquiritur reo, si sit actio personalis, & obscura causa; Si sit autem de adipiscenda possessione, possidenti debet fauere, cuius in re dubia potior est conditio; Si autem aliter, vt suprà, se res habeat; modis ibi designatis decidenda est causa; non verò iudicis libertas emenda, cùm iam emptori sit acquisita; rei enim propriæ, & iure acquisitæ, nulla est emptio, *l. 45. ff. de regulis iuris.* 208

SECTIO XXVI.

De Propositione vigesimaseptima.

An, si liber sit alicuius iunioris, & moderni, debeat opinio censeri probabilis, dum, &c.

D. Bonau. vt initio huius quæst.

HANC propositionem impugnant, D. Thom. *quodlib. 3. art. 10.* Gonet *in dissertat. Theolog. de probabilitate, art. 6.* Mercorus *in Basi Theolog. Moralis, part. 3. art. 30.* Bonacina, Salas, Vasquez, & Leand. de Sacram. & alij apud Andræam Mendo *de Bulla Cruc. d. 22. n. 109.* & Nicolaum du Bois *in proæmio ad has propositiones.* 209

ANDRÆAS Mendo *loc. cit.* diuidit opinionem in certò probabilem, & probabilem probabiliter: Prima est, quæ, & maiori doctorum numero, & potioribus nititur fundamentis, nec in praxi improbatur, aut ab ipsis aduersariis reiicitur.

SECVNDA est, quæ à quibusdam quidem tenetur, sed à pluribus improbabilis iudicatur, & hanc dicit in praxi minimè sequendam, cum assensum faciat dubium, & oppositi rationabilem ingerat formidinem. Cùm enim voluntas sequatur ductum intellectus; vbi hic vacillatur, illa se peccandi exponit periculo. Hæc videtur sententia D. Thom. *quodlib. 8. quæst. 13.* vbi dicit necessarium

cessarium esse ad benè moraliter operandum, vt ita authoritas concilietur cum ratione, vt nullam voluntas sentiat de contrario conscientiam; ita etiam Alensis *p.2. quæst.*112. *de ignor. memb.* 8. vbi casum proponit de contractu, de quo, ob probabiles vtrinque authorum rationes, intellectus dubitat: Et dicit, voluntatem debere à tali actu abstinere, ne discrimini se committat. Sic etiam sentire videtur Adrianus *quodlib.* 2. *art.* 1. & hæc quidem opinio vocatur probabilis, & sequenda, etto opposita sit in se verior; vide quæ suprà dixi initio.

210 Vnde liquidò constat, horum, & antiquorum omnium sensum fuisse plus debere vnumquemque fidere in opinionum delectu rationibus à grauibus authoribus ità traditis, vt intellectum moraliter conuincant, quàm nudæ vnius, aut alterius Scriptoris authoritati; Et multo minùs iunioris aut moderni alicuius libro ità credendum, vt si ab antiquioribus dissonet, pro conscientiæ regula habeatur; cum à iunioribus, vt plurimum, tepescentes sensim charitate, laxiores opiniones tradantur. Nec tamen ità antiquioribus adhærendum, vt horum numerus, non rationum pondus, & momentum pensetur; dicente Domino *Exod.* 23. *Plurimorum* (Hebræus habet *turba*) *sententiæ non acquiescas, vt à vero devies.* Non enim volucrum more eò leuiter aduolandum est, quo præcedentes, etsi rationabiliter, se verterint, vt supra ante decreta animaduerti, vbi nonnulla pro hac materia libaui, quæ hic etiam recurrunt, &, vt plurimum, coincidunt.

211 Quod si vnius, etiam iunioris, sententia eo firmo, & solido nitatur fundamento, vt non solùm suadeat propriam opinionem, sed etiam contrariam eneruet, aut saltem ei satisfaciat, non video, qua ratione sit spernenda ob nominis nouitatem; cùm & primarij in omni materia scriptores eo aliquando nomine prodierint: vndè malè à quibusdam adscribitur Tamburino, quod damnatam propositionem propugnauerit. Quæ sic sonat: *Si liber sit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, reiectam esse à Sede Apostolica, tanquam improbabilem.* Tamburinus verò apud du Bois *in proœmio.* Sic scribit:

Tunc solùm puto sufficere vnum, tametsi contra innumeros Doctores is doceat, quando idem est doctus, rem ex professo tradit, firmamque rationem pro se habet; nec apparet contra ipsum aliquid conuincens. Ratio est, quia ex tali authore, sic vallato, nascitur meritò prudens iudicium, quod si eiusmodi Doctor ratione alicuius momenti non fulciatur, idque tu doctus animaduertas, non vales illius sententiam regulariter excipere, nec illam aliis amplectendam proponere, &c. Quare immeritò hæc doctrina cum priori censuratâ confunditur, quæ ideo tantùm damnatur, quòd suam probabilitatem in hoc ponat, quòd *à Sede Apostolica, tanquam improbabilis,* non sit reiecta: Si enim liceret quibusvis ratiunculis & opinationibus, eò quod typis sunt mandatæ, assentiri, quo vsque Sedes Apostolica eas improbabiles declarasset; heu! quanta & qualis conscientiarum laxitas interim vndequaque proueheretur? E contrà verò; si antiquorum vestigiis esset tantùm insistendum, nec iunioribus, aut modernis liceret, quid sentirent, proferre; quanta hinc conscientiarum angustia & anxietas nascer-etur?

Cùm enim variæ humanæ conditionis vicissitudines, præsertim nunc senescente natura, & ad vesperascente mundo, strictioribus antiquorum regulis non sinant adhærescere, necesse est; nouis morbis, nouis obuiare medicamentis, vt ait D. Bernardus *epist.* 161. *ad Innocent. Papam.* Quare inter tot probabilistarum distinctiones, præsertim de probabiliori opinione sequenda, ea mihi non displicet, quæ ait probabilioritatem aliam esse *in se*, aliam verò *quoad me*: probabilior *quo ad me* opinio est ea, non quæ sit omnino in se tutior, sed quæ prudens ità consilium dictat, vt inde pacata conscientia nullam contra primorum principiorum habitum, seu synderesim, recalcitrationem horrescat, aut sentiat: & hæc in re est sententia D. Bonauent. D. Thom. *suprà cit.* Almaini, & aliorum, quos adduxi in principio huius quæstionis decimæ. 212

Hæc tamen non ita intelligitur, vt nulla sit partis oppositæ formido; cum de essentia opinionis, strictè sumptæ, sit, vt aliqualem habeat dubitationem, perpensis saltem rationibus opinionis contrariæ, vt suprà dixi ante decreta; Sed hæc, cùm talis non sit, vt Sinderesim succutiat, aut rationabilem ambiguitatem inducat, inter scrupulos computatur. Quare, qui ita rationi graui, moralem hanc certitudinem suadenti, adhæret, securè censetur operari: & hoc accidit viris doctis, dum ponderatis, & palpatis, (vt ità loquar) momentis, & fundamentis alicuius opinionis, ei, omni rationabili ambiguitate remota, accedunt. Accidit etiam imperitis & rudibus, dum ducti consilio boni alicuius & eruditi viri, se bene factitare non ambigunt, etsi res in se sit obscura, aut forsan falsa: nam ad conscientiæ securitatem subintrat ignorantia inuincibilis, & ad meriti cumulum hîc sufficit cum gratiâ bona voluntas. 213

Ex his licet colligere, quænam sit opinio probabilior in se, quæ est alterum allatæ diuisionis membrum; vide quæ suprà diximus in principio huius disputationis. Licet etiam hinc colligere, quàm meritò ab his, qui veram pietatem zelauerint, dicta propositio damnata dudum exulauerit.

SECTIO XXVII.

De Propositione vigesimaoctaua.

An populus non peccet, etiamsi absque vlla causa non recipiat legem, à principe promulgatam.

Cvm hanc materiam tetigerim *tract.*4. *de leg. disp.*6.*quæst.*7. Sufficiat hîc subiicere, quæ propiùs hanc propositionem respiciunt. 214

Propterea sciendum, acceptationem populi esse aliquando conditionem comitantem ipsius legis institutionem; vt cùm Regimen est Democraticum, vel saltem democratiâ temperatum, quale dicitur esse in regno Arragoniæ, vbi potestas leges condendi non est absolutè translata in Regem, sed solùm cum consensu populi in publicis Comitiis, vt habet Suarez *lib.*3. *de legib. cap.*19. *num.*6. Alia est acceptatio consequens ad legis institutionem; & hæc non est conditio, sed effectus, qui necessarius est, dum tota potestas suprema

prema resider penes legislatorem: De hac acceptatione hic agimus.

Ivxta hanc autem distinctionem facilè reconciliantur varij authores, qui in specie videntur huic propositioni adhærere, dum docent, legem obligare tantùm, quando à populo acceptatur; ita communiter Iuristæ, apud Suarez cit. *in cap. de treug. & pace*, Felinus *ibi, num.*12. Couar. *lib.*1. *variar. cap.*16. *num.*6. Nauar. *in summa, cap.*23. *num.*41. Iason *in l. rem non nouam, §. patroni, Cod. de Iud.* Maior *in* 4. *dist.*15. *quæst.*4. Driedo *lib.*1. *de libert.Christ.cap.*9.*docum.*2. Item Armilla, Angelus, Syluester, & alij apud Suarez *loc. cit.* qui quidem omnes, vel de consuetudine à populo, annuente principe, stabilita, vti indicat Glossa *in dict. l. rem non nouam, verb. patlis*, vel de lege, vbi ipsius populi suffragia interueniunt, intelligi possunt.

215 Qvi verò apud Suarez *num.*4. tuentur, populum legi, iam institutæ, teneri obtemperare, loquuntur de ea lege, quæ tota prouenit à voluntate legislatoris; de qua ait Zabarellus *in proœmio clement. verbo vniuersitati, quæst.*2. non receptionem indistinctè nihil operari, etsi transeat in consuetudinem, à legislatore non ignoratam: ita etiam Turrecremat. cum Archid. & Hugone dicunt, legislatorem posse compellere subditos, quia alias potestas eius esset illusoria, vide etiam Laurent. præpositum, Syluestrum, Gregor. Lop. Medinam, & Castro, in eandem sententiam concurrentes, apud Suarez *loc. cit.*

His suppositis improbatur dicta propositio à Suarez ratione, quam libauimus, *tract.de leg.* vt suprà. Primò quidem, quia vbicumque regimen non stat penes populum, translatum est cum suprema potestate in Regem, si sit Monarchicum, vel in Principem cum Concilio Procerum, si sit Aristocraticum; sed in his potestas suprema habet vim obligandi ex illo Pauli Rom.13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.*

216 Confirmatvr, quia aliàs, ad quid lex seruiret? Si enim Rex, aut Princeps teneretur præstolari populi consensum, iam non esset legislator, sed consultor.

Improbatvr secundò, lex obligans ad sui obseruationem, à fortiori obligat ad sui receptionem; sed talis est lex lata à principe: Ergo. Probatur minor. Illa lex, cuius violatio iustè pœnis corrigitur, obligat ad sui obseruationem; sed lex principis violata, iustè pœnis corrigitur, vt constat: Ergo.

Improbatvr tertiò, lex præceptiua non pendet à populi acceptatione; quæ enim lex ita proferretur: *præcipio, si populus acceptet.* Hoc namque ludicrum quid sonat; sed lex lata à principe, habente supremam potestatem, est præceptiua; vt patet ex ipsis verbis, præcipio, prohibeo, mando, impero, & similia: vnde in *Authentica* exigitur absolutè nouæ Constitutionis obseruantia, & de populi acceptatione nulla fit mentio: Ergo. Quare concludendum est cum Suarez *num.*10. subditos absque causa legem non acceptantes, contra illam peccare; quænam autem sint causæ excusantes, vide apud Suarez *loc. cit. num.*11. 12. & 13.

217 Fvndamenta reprobatæ opinionis eò nituntur, quòd dictum sit can.3. dist.4. *Leges instituuntur, cum promulgantur; firmantur autem, cum moribus vtentium approbantur*, dicit prætereà D. August. lib.de vera relig. cap.31. *Cum leges fuerint institutæ, & firmatæ, debet Iudex secundum ipsas iudicare*; habetur etiam apud Aristotelem lib.2. politic.cap.6. *Lex nullam vim habet obligandi, nisi ex more*, vti etiam dicitur l.32.ff.de legib. *Leges nulla alia de causa nos tenent, quam quod iudicio populi receptæ sunt.*

Ad primum fundamentum respondet Suarez *locis cit.* & du Bois *art.*2. *ad hanc proposit.* leges quidem firmari firmitate stabilitatis, dum moribus vtentium restituuntur, non verò firmitate authoritatis; quia nisi vtentium mores eas approbassent, tandem in desuetudinem abirent, & sic annullarentur. Quod verò authoritatem obligandi à populi acceptatione non recipiant, patet in ipso textu, vbi dicuntur *leges cùm promulgantur*; Si enim lex est, iam obligat; & impossibile videtur, quod acceptatio, quæ est legis effectus transeat in ipsius conditionem, vt ait Suarez *loco* primò *citato.*

Ad secundum fundamentum patet ex primo. 218
Loquitur enim D. August. de lege, iam non vsu, seu dissuetudine infirmata, secundam quam non debet Iudex iudicare, sed secundùm illam, quam institutio, & confirmatio denuò approbauerit.

Ad Aristotelem & *legem* 31. *ff.de leg* respondetur, legem quidem populi suffragiis institutam nullo alio iure obligare, nisi quod à populo recepta sit; nam si recepta non sit, signum est, eam à populo mox reprobari, tanquam inutilem: talis est lex, quam *Plebiscitum* vocant, & illa definita à Iustiniano his terminis: *Lex est, quod populus Romanus Senatorio magistratu interrogante, veluti consule, constituebat.* Institut.de iure natur. gentium, & ciuili; vide etiam *can.*1. *dist.*2. vbi huiusmodi lex definitur: *Populi constitutio, qua maiores natu simul cum plebibus aliquid sanxerunt.*

SECTIO XXVIII.

De Propositione vigesimanona.

An qui in die Ieiunij sæpiùs modicum quid comedit, etsi notabilem, &c.

Hæc difficultas occurrit in aliis casibus, vbi sæpe multiplicantur transgressiones veniales, 219
vt in parua violatione voti, sæpius repetità, & in paruo furto, variis vicibus patrato; has verò difficultates suis locis soluam, & etiam aliqualiter hinc patebunt ob paritatem rationis, vtrinque militantem.

Ratio autem, hanc improbans propositionem, desumitur ex fine ipsius Ieiunij; quia sicut finis præcepti est charitas, quæ, dum non attingitur ob media neglecta, aut violata, inducit reatum peccati mortalis; ita dum carnis debita castigatio, Christi Imitatio, & Sanctorum, quorum vigiliis ieiunatur, ipsiusque Dei cultus, in ieiunio ab Ecclesia præcepto, non obseruatur, lethalis culpæ reatus inducitur; quia finis præcepti eluditur.

Nil autem obstat, quod singulis vicibus venialiter tantùm peccatur, & quòd venialia, quantumlibet multiplicata, nunquam adæquent mortale, vt habet communis scholasticorum consensus cum Suarez 1.2. *quæst.*88. *art.*4. Hoc enim eo casu verum est, quo pura venialia non sunt plures partes vnius compositi, vel cum faciunt collectionem, seu multitudinem absque ordine vnius ad aliud; non verò quando præcedentia peccata, ita colligantur

gantur cum posteriori ratione materiæ, vt præceptum eludant, elidantque, vti hic cernitur, vt habet Suarez *lib.5.de Religione,tom.2.cap.5.*

Quicquid autem legis finem solet, aut potest impedire, ab ipsa lege censetur præcaueri, vt dicitur *cap.vlt.de regulis iuris, in 6.l.29. 30.& 31.ff. de legibus, l.5. Cod. de legibus*, & aliis ll. apud Nicolaum du Bois *hic*. Vnde cum paruæ commestiones, pluries factæ sint contra finem ieiunij ab Ecclesia intentum, censentur prohibitæ, eadem lege, qua ieiunium ipsum præcipitur.

220 His ferè rationibus dictam propositionem damnarunt apud du Bois *hic*, Bresserus *de conscient. lib.6.cap.10.num.703.& seqq.* Sanchez *in Decalog. lib.1.cap.4.num.11.* Vasquez 1.2.*disp.146.cap.2.* Hetinx *p.3.tract.2.disp.2.quæst.5.n.80.* Bussenbaum *lib.3.tract.6.de præcept. Eccles. dub.1.* Lessius *lib.4. cap.2. de ieiunio, dub.2.* Amicus 1.2.*disput.23. num.229.*

Qvod de commestione, respectu præcepti Ecclesiastici diximus, idem de potitatione in ordine ad euitandam ebrietatem, quod est iuris naturalis, concludit Bresserus, vt supra: Sicut enim per vltimam modicam manducationem sæpe prætermittitur finis præcepti, ratione notabilis materiæ, ex pluribus comestionibus coalescentis, ita etiam ratione postremæ potationis, etsi modicæ, incurritur mentis turbatio contra sobrietatem. Alios etiam casus huc recurrentes, vt suprà notaui, videbis *tom.5.de virtutibus*, propriis in locis.

SECTIO XXIX.

De Propositionibus, trigesima, & trigesimaprima.

An omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, &c. An excusentur absolutè à præcepto ieiunij omnes illi, qui iter agunt, etiamsi, &c.

D.Bonauent.supra in speculo animæ, cap.3.

221 HAs duas vnica sectione expediam, tum propter affinitatem fundamentorum, quibus nituntur; tum propter pauca, quæ restant de illis dicenda.

Cùm Eugenius IV. concessisset, vel potiùs declarasset, plures opifices, laboriosè sese exercentes, siue diuites sint, siue pauperes, à lege ieiunij esse immunes, vt testantur Rosella, Syluester, Tabiena, & Nauarrus apud Azorium *lib.6. Instit. moral. cap.27. num.8.* id sibi in consequentiam traxere nonnulli officiales reipublicæ, & alij iter equitando agentes, quasi verò & ipsi immodicè hisce exercitiis laborarent. In idipsum illis arrisere quorumdam opiniones, absque vlla restrictione paritatem rationis, & extensionem declarationis pro his æquè ac illis arguentes, ita Machado apud Dianam *p.8. tract.7. resolut.55.* & Ortis apud eundem *parte 1. resolut.46.* quod probabile existimat Tamburinus propter Doctorum authoritatem *lib.4. cap.5.§.7.num.28.*

Contra hanc tamen Ecclesiastici præcepti, & consuetudinis, plurium sæculorum tractu firmatæ, relaxationem, pugnant omnia concilia memorata *sectione 22. ad proposit.23.* quæ specificant, & præcipiunt ieiunia Ecclesiæ non esse soluenda, nisi rationabili de causa, absque necessitate corporea, absque infirmitate, & similibus. Hæ autem causæ cessant, vt plurimum in præfatis casibus, vbi labor tam modicus contingit, præsertim illis, qui vno die, & absque necessitate pro libito suauiter æquitant, aut officiantur, vt ipsum exercitium sit ipsis potiùs in solatium.

Quod si tamen aliquando accidat his, aliisue 222
ob conditionem ætatis, vel tenuem corporis sanitatem, etiam modico labore incommoda pati, non negatem ipsis indulgendum, & liberos fore à ieiunij obseruatione: vnde videndum est: An necessitate, an spontè ducti similibus exercitiis mancipentur; an illa commodè in aliud tempus possint differre; an pedibus, an æquo, celeri vel lento passu incedendum sit, & sic pro subiecta materia, benigniùs Benignæ Matris Ecclesiæ præcepta sunt declaranda, non verò luxurianti gulæ solutis habenis laxanda, vbi labor cum ieiunio benè compatitur.

Nec iuuat, quod dicta Eugenij declaratio excludat, absque determinatione personæ, opifices, siue diuites, siue pauperes, ab hac obligatione: Intelligenda enim est de his, qui operosiùs fodendo, remigando, & similia agendo, sæpiùs egent cibo refocillari; nam legislatoris declaratio de iure communi strictiùs, & seueriùs est interpretanda, & vbicumque leges generaliter loquuntur, trahuntur ad præcedentes, specialiùs affirmantes, vel negantes *argum.ll.26.27.& 28.ff.de legibus.*

SECTIO XXX.

De Propositione trigesimasecunda.

An non euidens sit, quod consuetudo non comedendi Oua, & Lacticinia in quadragesima obliget.

D. Bonau. vt suprà.

QVod ad hanc propositionem attinet; olim 223
cùm quadragesimæ tempore Christiani in Armenia Sabbathis, & Dominicis diebus, vescerentur ouis, & butiro; sanxit Synodus sexta Constantinopolitana in Trullo, Iustiniani Imperatoris tempore, celebrata: *Vt vniuersa Dei Ecclesia, quæ est in vniuerso terrarum orbe, vnum ordinem sequens, ieiunium perficiat, & abstineat ab ouis, & caseo, quæ sunt fœtus eorum à quibus abstinemus. Si qui autem non seruauerint, siquidem Clerici sunt, deponantur; si Laici, segregentur.*

Item Gregorius Papa, rescribens Augustino Anglorum Episcopo, sic decreuit in cap. Denique, dist.4. *Par autem est, vt quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam trahunt carnis originem, ieiunemus: à lactè videlicet, caseo, & ouis.* In hanc iuris communis determinationem scribit Fagundez *ad 4. præceptum Decalog.lib.2.cap.2.* probans vbicumque consuetudine sit firmata, ibi obligare ad mortale; sed virtute propria, præcisa omni consuetudine, ad veniale tantùm obligare. Ansam ita opinandi inde desumpsit, quòd in dicto *cap. Denique*, dicatur *par est*, quam voculam nonnulli intellexere de congrua quadam æquitate obseruandi, non verò

verò de æqualitate obligandi in vtroque præcepto, tam abstinendi à carnibus, quàm ab his, quæ inde originem trahunt.

Contra quam expositionem ait Dominicis Gemin. *in præfat. cap.* voculam, *par*, propriè æqualitatem apud omnes denotare; & rectè quidem, cùm paritas dicat æqualem comparationem vnius rei ad aliam in casu illo, de quo controuertitur; vnde cùm dicat Pontifex eo loco, vt sicut abstinemus à carnibus tempore ieiunij, ita *par est*, idest pariter à lacticiniis debemus ieiunare; inde concludit dictus Author vi istiusmodi iuris eos mortaliter peccare, qui contra fecerint.

224 Et quidem sepositа iuris communis obligatione, euidens est consuetudinem vim obligandi obtinere, vt patet è *lege* 32. *ff. de leg. b.* vbi habetur: *De quibus causis, scriptis legibus non vtimur, id custodiri oportet, quod moribus, & consuetudine inductum est.* Et Paulo infrà: *Inueterata consuetudo non immeritо pro lege custoditur, & hoc est ius, quod dicitur moribus constitutum: Nam cum ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, quam quod iudicio populi receptæ sunt, meritò & ea, quæ sine vllo scripto populus probauit, tenebunt omnes; nam quid interest, suffragio populus voluntatem suam declaret: an rebus ipsis, & factis.*

Qvam ob rem Sanctus Augustinus videns suam matrem, Romæ ieiuniis assuetam, Mediolani dubitare, an ibi etiam ieiunare teneretur, sic scribit epist. 118. cap. 1. *Mater mea Mediolanum me consecuta, inuenit Ecclesiam Sabbatho non ieiunantem; cœperat fluctuare quid ageret, tunc ego consului de hac re Beatissimæ memoriæ virum Ambrosium: At ille ait, cùm Romam venio, ieiuno Sabbato, cum Mediolani sum, non ieiuno: Sic etiam tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, eius morem serua.*

Hinc Nicolaus I. rescribens Photio Schismatico, qui Ecclesiæ Latinæ improperio verterat: *Quod septem ante Pascha hebdomadibus à caseo, & ouorum esu non abstineret*, respondit: *Calumnia est, cum in Italia nunquam fuerit in vsu; trans montes tamen magna ex causa alicubi apparet esse concessum*, in quibusdam enim locis vbi pisces, vel alia Esculenta quadragesimalia desunt, conceditur vsus Lacticiniorum, vel etiam ouorum; Mos tamen plerumque obtinuit, vt hisce locis eiusmodi concessionis publicatio fiat à Parochis, aut Capellaneis, Episcoporum iussu.

225 Hvic alia propositio affinis damnata est à quinquaginta circiter annis coram tribunali Sacræ Congregationis, quæ sic habet: *Non datur præceptum Ecclesiasticum, prohibens oua, & lacticinia in ieiuniis quadragesimæ.* Etiamsi enim præceptum deficeret, (cuius contrarium patet è dicto cap. *Denique*) consuetudo tamen diuturna pro iure, & lege, in his, quæ non ex scripto descendunt, obseruari solet, vt dicitur *l.* 33. *ff. de leg.* Item dist. 12. can. 6. *Diuturni mores, consensu vtentium approbati, legem imitantur*, iterum can. 7. *Quicquid contra longam consuetudinem fiet, ad solicitudinem suam reuocabit Præses Prouinciæ.* Quas quidem leges, & canones videntur ignorasse, qui incautè consuetudinem non comedendi oua, &c. non obligare docuerint. Vide S. Doct. suprà, vbi in fractione ieiunij quadragesimalis æquè lacticinia, ac carnes computat.

SECTIO XXXI.

De Propositione trigesimatertia.

An restitutio fructuum, ob omissionem horarum, suppleri possit per quascumque eleemosynas, quas anteà, &c.

Hæc quæstio non est confundenda cum altera, qua quæritur: Vt per eleemosynas satisfiat, an opus sit vltra actualem exhibitionem, quòd dans intendat debito satisfacere: An verò sufficiat sola intentio proximo subueniendi; sufficere enim docent Sanchez *lib.* 2. *consil. moral. c.* 3. *dub.* 121 Layman *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 12. Lugo *de iustit. & iure, tom.* 1. *disputat.* 4. *sect.* 3. Machado *tom.* 1. *lib.* 2. *parte* 3. *tract.* 23. *docum.* 4. & ratio est, quia modus præcepti non cadit sub præcepto, sed sufficit suo tempore adimplere substantiam eius, nisi & forsan ipse modus simul præcipiatur, sed sic non habet rationem modi. Propositionem verò damnatam traditur docuisse Bonartius *lib.* 2. *de horis canon. cap.* 11. *num.* 21. apud Nicolaum du Bois hic; & in suum sensum, nititur trahere Suarez *lib.* 4. *de orat. c.* 30. *n.* 19. & 21. immeritò tamen, longè enim ab hac sententia abit Suarez dicto loco; vbi solùm docet, satisfieri posse per eleemosynas, ex beneficij fructibus eo tempore erogatas, quo beneficiatus horas intermiserit; quod nemo inficiatur. 226

Porrò per eleemosynas ante officij omissionem elargitas non posse huic oneri satisfieri, probat ipsius obligationis finis, qui ideò intenditur à variis Ecclesiæ Statutis suprà *ad propositionem* 20. notatis, vt coerceretur quorumdam beneficiatorum negligentia, qui nullo negotio pro libito preces horarias solebant prætermittere; vnde pro pœna omissionis, & pro rata fructuum tenentur eleemosynas erogare; quod si per anticipatas solutiones id præstarent, iam ad officium non inde magis constringerentur, quin imò potiùs ab eo relaxarentur, cum nulla isthinc ampliùs pœna sit luenda. 227

Præterea absurdum arguitur, quempiam posse per anteriorem actionem satisfacere posteriori debito; veluti si ego donassem liberè centum libras Caio, & postea me iuris contractu eidem pro totidem obligassem; & prætenderem eum satisfactum iri per priores.

Insuper, quæ iam totum suum habent effectum, non possunt in alium effectũ disparatum distrahi: sed prior eleemosynæ erogatio habet iam, ante horarum can: omissionem, totum suum effectum, qui est subuenire pauperi ex charitate, & non ex iustitia, quæ oritur post prætermissas horas canonicas: Ergo. Quod si priùs detur eleemosyna titulo compensationis, seu Iustitiæ, necesse est, vt debitum supponat; quod tamen implicat in suppositione facta.

SECTIO XXXII.

De Propositione trigesimaquarta.

An in die Palmarum recitans officium Paschale satisfaciat præcepto.

228 NON quæritur, vtrum satisfaciat officio diei Paschatis, cum singuli dies habeant citra dubium, proprium officium, ex præcepto annexum; sed agitur de illo, qui vt breuiter & commodè se expediret, officium trium Psalmorum, dici solitum Dominica resurrectionis, commutaret pro longiori, quod aliis Dominicis per annum dicitur.

PROPOSITIO hæc inde ortum habuit, quod perperam sibi quidam persuasêre solùm sufficere substantiam præcepti adimplere, modum verò non requiri ex præcepto; vnde cum breue officium habeat septem horas canonicas quoad substantiam, æque ac paruum; vtrilibet quocumque tempore posse satisfieri opinati sunt.

HAC tamen distinctio inanis est: Nam licèt modus actionis non sit omnimode in præcepto, ita vt eum per singulas circumstantias oporteat obseruare; cùm tamen propiùs afficit actionem in ordine ad finem præcepti, & cum iure, vel canone specificatur, non iam est modus, quam ipsa præcepti substantia; vt patet in omnibus ferè antiquæ legis Cæremoniis, quæ pari rigore, & quo ad substantiam, & quo admodum præcipiebantur.

PORRÒ quibus tantùm diebus tres psalmos ad totidem lectiones liceat cantare, & legere, iam dudum cautum est in generali Synodo sub Gregorio VIII. cuius decretum habetur *distinct. 5. de consecr. can. 15.* his terminis:

In die Resurrectionis vsque in Sabbathum in Albis, & in die Pentecostes, vsque in sabbatum eiusdem, tres Psalmos tantùm ad nocturnas, tresque lectiones antiquo more cantamus, & legimus. Omnibus diebus aliis per totum annum, si festiuitas est, nouem psalmos, & nouem lectiones dicimus. Aliis verò diebus duodecim psalmos, & tres lectiones recitamus: In Dominicis diebus decem & octo psalmos (excepto die Pascha, & Pentecostes) & nouem lectiones dicimus. Illi autem, qui in quotidianis diebus tres tantummodò psalmos, & tres lectiones celebrare volunt, non ex regula Sanctorum Patrum, sed ex fastidio, & negligentiâ probantur hoc facere. Romani verò diuerso modo agere cœperunt, maximè à tempore, quo Teutonicis concessum est regimen nostræ Ecclesiæ. Nos autem & Ordinem Romanum inuestigantes, & antiquum morem nostræ Ecclesiæ, imitantes antiquos Patres, statuimus fieri, sicut superiùs prænotauimus.

PROBATVR adhuc è Concilio Agathensi *capite 3.* vbi dicitur de officio: *Conuenit ordinem Ecclesiæ ab omnibus æqualiter custodiri:* vnde concludit D. Thom. *quodlib. 1. art. 13.* vnumquemque debere in officio conformari eorum consuetudini, cum quibus viuit; quod confirmatur adhuc è *Clement. 1. de celebr. Missar.* vbi ex priuilegio conceditur Clericis sæcularibus, & commensalibus Cardinalium religiosis, vt possint se illis in officio persoluendo coaptare, nec ad aliud teneantur; quod aliàs ipsis non licère docet glossa *verb. indulgemus.* 229

QVOD si Cardinalium commensalibus, Pontificis, & Concilij dispensatio necessaria sit, vt possint officium horum persoluere, quomodo aliis passim pro libito licebit quodcumque commodiùs corripere:

Placuit huic Sancto Concilio, vt Metropolitanæ Sedis authoritate coacti, vniuscuiuscumque Prouinciæ ciues, rectoresque Ecclesiarum, vnum eundemque in psallendo teneant modum, quem in Metropolitanâ Sede cognouerint institutum, nec aliqua diuersitate cuiusque ordinis, vel officij à Metropolitanâ se patiantur Sede disiungi: Sic enim iustum est, vt inde vnusquisque sumat regulas magisterij, vnde honoris consecrationem accipit, vt iuxta maiorum decreta, Sedes, quæ vnicuique Sacerdotalis dignitatis est mater, sit Ecclesiasticæ magistra rationis. Abbatibus sanè, indultis officiis, quæ iuxta voluntatem sui Episcopi regulariter illis implenda sunt, cætera officia publica, id est, Vesperas, Matutinum, siue Missam aliter, quàm in principali Ecclesiâ, celebrare non liceat. Quisquis autem horum decretorum violator extiterit, sex mensibus communione priuatus apud Metrapolitanum, sub pœnitentiæ censura permaneat corrigendus, quatenus apud illum, & præteritæ transgressionis culpam lacrymis diluat, & necessariam officiorum doctrinam studiosè addiscat. Sub istâ ergo regulâ disciplinæ, non solùm Metrapolitanus totius suæ Prouinciæ Pontifices, vel Sacerdotes adstringat, sed etiam cæteri Episcopi subiectos sibi Ecclesiarum Rectores obtemperare his institutionibus cogant. Placuit omnibus, vt vnus, atque idem psallendi ordo in Matutinis, vel Vespertinis

tinus officiis teneatur. Et in Clem. vlt. de celebratione Missarum. *Dignum prorsus, & congruum arbitrantes quod Clerici tam Religiosi, quàm alij Cardinalium S. R. E. ac quorumque Pontificum, gratiam, & communicationem Apostolicæ Sedis habentium, commensales domestici se possint ipsis in diuinis officiis coaptare, vt illud quod iidem Cardinales, seu Pontifices dicent, officium licitè dicere valeant: nec ad dicendum aliquod aliud teneantur, sacri approbatione Concilij indulgemus.*

Deinde Pius V. præcipit in sua Bulla, initio Breuiarij Romani affixa, vt officium dicatur iuxta formam ibi præscriptam; forma autem illa respicit distributionem officij per tempora, festiuitates, & dies; ergo modus talis recitandi cadit primariò sub præceptum.

230 Vnde colligit Suarez *lib.4. de horis can. cap.23. num.13.* Legem hanc, licèt vna sit, esse veluti causam vniuersalem, quæ, singulis diebus applicata, multiformem effectum, & obligationem producat pro temporis & diei conditione; quare præceptum hoc non videtur homogeneum ex partibus similis rationis coalescens, sed (vt ita loquar) heterogeneum; quia si præcepta singulorum dierum considerentur, non sunt in se ipsis similia, cùm ad determinatum talis diei officium obligent.

Hinc omnium ferè obtentu conceditur, illum mortaliter peccare, qui ita officium alterius diei vsurpat, vt notabilis pars, in proprio officio præponderans, omittatur, ita Suarez *loc. cit.* Nauar. *de orat one, cap.19. num.211.* Idem tangit D.Antonin. *3.p. tit. 13. cap. 4. §.3. & 5.* vnde absque causa à nonnullis refertur pro contraria sententia, vt animaduertit Suarez *num.11.* sequitur Cardinal. *in Clem. de celebrat. Missar.* Tabiena *verb. Hora, quæst.10.* Armilla hìc, *num. 13.* Angelus *num. 14.* Diana *parte 11. tract. 1. resolut. 26.* Vasquez *in Opuscul. de benef. cap.4. §.1.* Bellarm. *tom.4. lib.1.* Herinx *tom.3. disp.2. de relig. quæst.3.* Reginald. *in praxi lib.18. cap.12. sect.6.* Palaus *tom.2. disput.2. puncto 2.* Ledesma *p.2. tract.1. cap.4.*

Optima id concludit ratione Suarez *num.13.* quoad modum; quia licèt præceptum in communi obliget ad recitandum officium quoad substantiam; cùm tamen non cadat in diem, nisi particulari temporis conditione vestitum, & (vt ita dicam) substantialiter circumstantiarum, non potest ritè absolui, nisi secundùm talem conditionem, & circumstantiam, idest, quatenus constat his, & non aliis psalmis; his, & non illis lectionibus; sicut Petrus non potest concipi, aut esse in indiuiduo, nisi quatenus habet substantialiter hæc ossa, hanc carnem, hos neruos, &c. quod confirmatur Epiphonemate D. Thom. quodlib.1. art.3. *Parum refert, quoad Deum, dicere: Dixit Dominus, vel Laudate pueri; dummodo dicatur id, quod statutum est.* Multum ergo refert modum obseruare, quando legibus præscribitur.

231 Ex his patere potest, non satis probè eos actitare, qui, relicta propria Ecclesia, in qua à ducentis annis ante Bullam Pij V. officia approbata peraguntur, ad Breuiarium Romanum proprio motu volitant; cum in verbis ipsius Bullæ habeatur: *Quibus vt inueteratum illud ius dicendi, & psallendi suum officium non adimimus; Sic eisdem, si forte hoc nostrum, quod modo peruulgatum est, magis placeat, dummodo Episcopus, & vniuersum Capitulum in eo consentiat, vt id in Choro dicere, & psallere possint, permittimus*, ita habet Suarez *num.9.*

Nec contra facit, quod ibidem specificetur de Choro, non de priuato vsu: Nam ius commune relinquitur integrum in illis Ecclesiis, vbi inueterato vsu à ducentis annis seruatum est, nisi pro Choro, publico consensu Romanum officium recipiatur; Sed ius commune habet, vt vnusquisque dicat officium iuxta morem suæ Ecclesiæ; vt benè colligitur è dicto *cap in die, & cap. penult. & vlt. dist.12.* Clariùs habetur *cap. nouit, ibidem,* vbi Pontifex dicit, in his rebus non oportere sequi consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, sed quod in vnaquaque Ecclesia institutum sit, vel consuetudine receptum.

Hinc fuit ratio Caietani, *verbo hora*, contrarium tenentis; quod eadem est septem horarum substantia in quacumque Ecclesia; & quod tota differentia sit solùm accidentalis: Addunt alij, Romanam Ecclesiam esse omnium Matrem, & ei ideò potius seruiendum. 232

Contra enim: Nam vt suprà diximus, illa differentia, seu modus diuersus proximè substantiam attingens, æquè primò præcipitur; aliàs vt ait Suarez *num.3.* liceret Monacho Benedictino omittere proprium officium, & recitare iuxta regulam Sancti Dominici; & sic facile periret, vt plurimum, perpulchra illa recitandi varietas, quâ Dei Ecclesia, terribilis vt castrorum acies ordinata, buccinare solet in insignibus Solemnitatum suarum diebus, ad debellandos tenebrarum incolas, & fugandos inferi principatus.

Nec obstat, quod Romana Ecclesia sit omnium Mater: Ecclesia enim particularis est, etiam veluti singulorum matrix, in qua quasi modo geniti infantes debemus foueri, vsque dum perfecti formemur in die Christi.

Cvm tamen aliquando contingat, officium à nonnullis citra culpam variari, animaduertere hic libet, quæ docet Bonartius *lib. 2. de Horis canon. cap. 16.* Vt quis in commutando officio à lethali culpa habeatur immunis, quædam sunt obseruanda, Primò, vt excessus, prætermissus in proprio officio, non sit notabilis; quare in peccatum mortale ait incidere eum, qui Dominicis per annum arriperet officium Paschale; & ratio est, quia si vnius, aut alterius Horæ, in qua tres tantùm psalmi leguntur, omissio inducat reatum culpæ mortalis, vti omnes sentiunt, quia sic in substantiam officij impingitur; multò potiori iure quindecim psalmorum, quibus Dominicæ per annum excedunt Horas Paschales, prætermissio in idem impinget. 233

Verum si in vtroque officio sit æqualitas, & contemptus absit, raróque fiat mutatio, vel ex inaduertentia, aliave, etiam minus rationabili, causa; censet esse peccatum veniale, & nihil repetendum. Secus verò vrgente charitate, in proximum impendenda, monente prudentia, vel interueniente alia causa rationabili, nullum ait committi peccatum.

Denique obseruandum monet, vt mutatio illa officij non sit nimis indecens; qui enim die Natiuitatis

tiuitatis Domini, vel alia primariæ classis solemnitate, recitaret officium Feriæ, eodem die occurrentis, proculdubio contra Ecclesiæ intentionem, & præcepti finem agere censeretur.

Notat autem Nicolaus du Bois hic *ad propos.* 34. non vrgere semper parem obligationem in non permutanda Missa, ac officio; licet pro vtroque militer idem *canon.* 13. *dist.* 12. quia sæpe non instat celebrandi necessitas, semper vero recitandi; non excusat tamen à mortali, & meritò, eum, qui tempore passionis, aliisvè diebus mœroris, decantaret Missam resurrectionis, propter authoritatem Concilij Toletani IV. *cap.* 11. sic declarantis: *Tunc enim opus est fletibus ac ieiuniis insistere, corpus cilicio, & cinere induere, animum mœroribus deiicere, gaudium in tristitiam vertere, quousque veniat tempus resurrectionis Christi, quando oportet,* Alleluia *in lætitia canere, & mœrorem in gaudium commutare: Hoc enim Ecclesiæ vniuersalis concessio in cunctis terrarum partibus roborauit.* Videatur Seraphicus Bonauent. *cap.* 8. *de* 6. alis Seraphim, vbi præclarè quinque de causis differit, Spiritum Sanctum in Ecclesia horas canonicas ordinasse.

SECTIO XXXIII.

De Propositione trigesimaquinta.

An vnico officio posit quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti & crastino.

234 Hanc sicut & præcedentem solus (in quantum inuenio) satis laxè & prolixè tradit Caramuel *in Theol. fundam. pag.* 520. contra quem ex Professo scripsere Sinnichius Louaniensis Doctor insignis *pag.* 436. *colum.* 1. & Franciscus bonæ spei, Carmelitarum in Prouincia Belg. duodecim ab hinc annis, Prouincialis emeritus, contrarium efficaciter probans, & argumenta soluens *num.* 546.

Et quidem semel admissa Caramuelis sententia tam de mutatione officij, quam de vnica pro duplici præcepto satisfactione, cuique liceret impunè, vna anni medietate ab omni officio vacare, dum alternis diebus pro præsenti, & pro die crastina sub Vesperum, Horas Matutinas cum Laudibus absolueret, vt optimè notat du Bois *hic, artic.* 2.

Sic enim proponit suam opinationem Caramuel *loc. cit.* Sint, feriâ secundâ, & tertiâ, Officia vel duorum Martyrum, vel duorum Confessorum; petit: an Philippus, qui tenetur ad recitandas horas, possit vtrique officio simul & semel satisfacere, dicendo Matutinas & Laudes sub Vesperum; Et probat posse, quia vna & eadem actione potest Philippus simul satisfacere duobus præceptis simul concurrentibus; sed in dicto casu, inquit, duo præcepta simul concurrunt. Maiorem probat exemplo præcepti audiendi Sacrum in festiuitate D. Petri, quæ si occurrat in Dominica, non ideò

235 teneberis bis Sacrum audire. Deinde insulsè subiungit, debere potius Ecclesiam laborare liberando fideles à peccato mortali, cum quo saluari nequeunt, quam præcipiendo officia plura, sine quibus saluari possunt. Roborat suam assertionem, eo quod aliquando Ecclesia contenta sit vnica confessione pro duobus annis; quantò ergo potius, ait, contenta esse debet, vt vnica vnius officij lectione pro duobus possit satisfieri. In subsidium sibi aduocat quasdam Theses Louanij defensas 3. die Iunij 1642. vbi id ipsum pro annua Confessione asserebatur.

At primò non video, qua ratione Caramuel requirat par officium in vtroque die, cum longioris pariter, ac breuioris officij mutationem suprà docuerit; quare cùm concedat, cuiuscumque festi horas posse commutari, & sub vesperum, præcedentis & subsequentis diei officio posse satisfieri: Gratum obsequium præstitisset pluribus, qui tanquam ab importuno onere, ab officio se solent expedire, eos eo grauamine pro dimidio anni leuando; Vnde Beneficiati multi, contra omnia iura suprà *ad proposit.* 20. allata, ab omni restitutione pro 6. mensibus liberi, ad mensas opportunè impinguarentur, dum ad fores clamarent importunè pauperes, quorum panibus essent illi saturati, nec nisi ægrè mitterent illis reliquias, vel micas suas.

Ad exempla & instantiam Caramuelis respondetur, disparem esse rationem in auditione Sacri, & recitatione officij; siquidem illa præcipitur ob motiuum Religionis, vel cultus Dei & Sanctorum eius, absque relatione ad alium diem, præter illum, in quem Festa cadunt; vnde quotacumque sint, eodem die possunt eadem Missæ vnica auditione peragi: Non sic officij recitatio, quæ singulos dies ex præcepto respicit; & præcipitur, vt Deus in se, vel in Sanctis suis, honoretur tali die & tali officio; cuius circumstantia ita affixa est certo & determinato tempori, vt absque præuaricatione præcepti, non possit anticipari; quod patet exemplo ieiunij, quod licèt concurrentibus pluribus obligationibus in eodem die potest absolui vna actione; Quis tamen dicet die Veneris & Sabbatho quatuor temporum, posse aliquem sub vesperum diei veneris vnica commestione, quantumvis lautâ, satisfacere vtrique ieiunio; & posse sabbatho liberiùs gulæ absque crimine vacare. Vel si quis teneatur per singulos dies erogare pauperi 10. solidos, qui ad quotidianum victum solùm sufficerent; quomodo per solutionem 10. solidorum ad vesperum primæ diei, satisfaceret etiam sequenti? aut quomodo pauper, qui nequit diem minori redimere, poterit victitare tantillæ eleemosynæ susceptione? Scio similitudinem non vrgere vtrinque æqua vi, cum Deus non sit bonorum nostrorum egens; quantum tamen est ex parte nostrâ, sequela euidens est, cum Caramuel ponat vim in eo, quod vtrumque officium non differant specie, sicut non differunt specie 10. solidi, hodie elargiti, à totidem cras erogandis; & æqua vrget vtrinque obligatio. 236

Quod si tandem valeret instantia de Ecclesia, 237
eadem ratione nulla lege deberet Fideles ad pietatem compellere, vt vbi nulla esset lex, nulla pariter esset præuaricatio; sed laxis habenis vnusquisque iret in adinuentionibus suis; Vti fit in Anglia, vbi pereunte Ecclesiasticâ disciplinâ, singuli sibi adaptant Religionem & Ritus, & excusso Christi iugo quiescere faciunt *dies festos Dei à terra*, Beneficiis absque Officiis possidentes; Vtinam mitteret Dominus seruos suos, qui compellerent eos intrare.

Quod vltimò de vna confessione premsit, non est ad rem, hæc enim esto ita sit, non ideò præcipitur, vt fixo tempore, & non alio, peragatur; sed vt animæ saluti securiùs prospiciatur, reliqua vide *tomo* 7. *de Sacram. tract. de pœnis.*

Sectio

SECTIO XXXIV.

De Propositione trigesimasexta.

An Regulares possint in foro conscientiæ uti priuilegiis quæ sunt expressè reuocata per Concilium Tridentinum.

238 NVLLVS dixerit, priuilegia, positâ expressè reuocatione S. Concilij Trident. valere, sed nonnulli docuere ea denuò quorumdam Pontificum Indulto, & viuæ vocis oraculo reuiuiscere; quo etiam posito, nemo arbitror pristinum eis valorem inficiaretur.

Orta est hæc difficultas occasione cuiusdam concessionis, Minoribus à Pio V. anno 1566. 13. Martij, viuæ vocis oraculo indultæ, vt possint vti omnibus gratiis, & priuilegiis in foro conscientiæ per Pontifices suos antecessores concessis, etiam illis, quæ sunt restricta, seu derogata. Ità refert Rodericus *tom. 1. qq. regular. quæst.8. artic.* 10. *&* *tom.3. quæst. 15. art.6.* Sorbo *verb. communic. priuileg.* Alfonsus de vera Cruz *in suo speculo coniugatorum.*

VERVM cum à Gregorio XV. in Bulla *Romanus Pontifex*, die 2. Iulij 1622. reuocata sint omnia viuæ vocis Oracula, quomodolibet confirmata, & innouata; præter ea, quæ vel effectum fuerant sortita, vel regum supplicatione concessa, vel denique manu alicuius Cardinalis signata. Quod & præstitit etiam Vrbanus VIII. in Bulla *aliâs felic. recordat.* anno 1631. 20. Decembr. in qua, quicquid eatenus sola voce fuerit indultum cuiuscumque intuitu, & qualicumque colore, seu prætextu, totum absque exceptione resecat; insinuando tamen, vt prius per Generales Ministros Prouincialibus, & per hos localibus Prælatis fieret intimatio, vt habet Cassaing. *tract.1. cap.2. prop.6.* Bonagratia Hasb. *verb. priuilegium.*

239 LIBENS hic prætermitto, cùm non sit huius loci institutum, quæ congerit dictus Hasbensis *loco cit.* super responsum ab allato Vrbano VIII. an. 1633. factum R.P.Mateo Antonio à Carpenedulo, nostri Ordinis Capucinorum pro tunc Ministro generali; sicut & aliam responsionem à præfato Gregorio XV. datam Patri procuratori an. 1623. de qua ibidem Hasbens.

VOLENS etiam supersedeo his, quæ scribit Elizeus de Bellegrand. *in rerum criminal. methodo, tract.10. de pœnis, & delictis, quæst.23.* indicans, Vrbanum VIII. declarasse coram P.Maria à Noto, Capucinorum Ministro Generali, se nihil quoad priuilegia huic ordini concessa innouasse, sed in pristino iure & statu reliquisse; item Paulum V. anno 1609. 1. Decembr. in Bulla *iniuncti nobis*, omnia prius illi priuilegia data confirmasse, vt amplius non sint viuæ vocis oracula, quod etiam ait fecisse Clementem VIII. anno 1569. 28. Decembr. in Bulla *Ratio pastoralis.* Sed hæc Altiori iudicio ruminanda remitto; vide Vechium *in praxi nouitior. disp.9. dub.13.* & alios passim rerum moralium tractatores.

Quod ad hunc locum attinet, Sciendum, ea esse expressè reuocata, vel modificata in Concilio Tridentino, quibus derogatoriam clausulam appo-fuerit, vt factum legimus *sess.7. cap.5. 7. 8. 10. & 14. sess.14. cap.4. & 13.* & aliis diuersis locis *de reformatione*, vti confirmatur *cap.1. de constitut. in 6.* vbi dicitur: *Per generalem legem, nouiter editam non intelligi derogatum particularibus locorum, & personarum consuetudinibus, nisi id expressè caueatur in ipsa.*

Talibus priuilegiis neminem Regularium posse vti in foro conscientiæ euidens est, & ex tenore ipsius Concilij, & ex nuperrima declaratione SS. Pontificis, Alexand. VII. qua prioribus concessionibus videtur derogare, *argum.* cap. *licet Rom.* de constit. in 6. *Romanus Pontifex condendo constitutionem posteriorem, priorem, quamuis de ipsa mentionem non faciat, reuocare noscitur.* Intellige si posterior priori aduersetur; & si prior non sit specialis, & posterior sit generalis; quia per generalem dispositionem posteriorem, non tollitur specialis præcedens, sine particulari expressione, *l. in toto iure, ff. de regulis, l.26.27. & 28. ff. de legib. cap.1. & 3. de rescriptis.* Vide Tuldenum *de Iurisd. ex temp. lib.1. cap.30.* 240

SECTIO XXXV.

De Propositione trigesimaseptima.

An Indulgentiæ concessæ regularibus, & reuocatæ à Paulo V. hodie sint reualidatæ.

CVM eò percrebesceret Indulgentiarum vsus, vt nullus ferè iis, ob frequentiam vilescentibus, vteretur; Paulus V. anno 1606. & Pontificatus sui primo, die 23. Maij, per suam Bullam, *Romanus*, omnes & singulas indulgentias à suis antecessoribus, cuiusvis ordinis Regularibus vtriusque sexus concessas, cassauit, & annullauit, & earum loco alias de nouo substituit, quas solas imposterum posse obtineri declarauit. Has referam *tom. vlt. de Sacram. tract. de Indulg. disput. 2. quæst. 11.* 241

SCRIPSIT de his indulgentiis, ante Paulum V. concessis, Rodericus *in Compendio*, Emanuel, *resolut.77.* ratus, eas adhuc valere eo argumento, quod idem Paulus V. & Clemens VIII per suas litteras in forma Breuis, omnia indulta spiritualia, gratias, & concessiones Fratribus Minoribus prius præstitas, confirmarint, exceptis iis, quæ vel Concilio Tridentino sunt contraria, vel decreto ipsius Clementis VIII. in fauorem Fratrum reformatorum aduersantur, non obstantibus quibuscumque aliis, &c.

OB has duas exceptiones nominatim factas, sibi persuasit dictus Rodericus, Indulgentias, ante reuocatas, in his Bullis reualidari, etsi id ipsæ Bullæ non expresserint, ea præcipuè ratione, quòd exceptio posita in generali concessione firmat regulam in contrarium.

VERVM etsi ratio illa sit valida, vbi lex prior nihil de contrario decreuerit; inualidatur tamen, quando ipse casus in posteriori iure omissus, in priori sit cautus, vt de Indulgentiis factum est. *Argum. l.12. Cod. de prædiis minorum, & lege 1. & seqq. C. quando decreto opus non est.* Patet exemplo adducto *in dicta l.12.* vbi dicitur, prædium Minorum tantum vendi 242

vendi posse ob æs alienum: Cum tamen constet illud vendi posse in aliis legibus expressos.

Vt autem sciatur, quænam Indulgentiæ reuocatæ sint præfatâ Pauli V. dispositione; animaduertendæ sunt quædam particulæ ibidem insertæ, vt: *Quibuscumque ordinibus, & institutis regularibus, & quibuslibet personis regularibus concessas.*

Hinc patet Indulgentias promiscuè Regularibus, & Sæcularibus concessas, ibi respectu regularium non reuocari, nec illas, quas eorum Capellis, Monasteriis, aut Ecclesiis, non verò ipsis regularibus speciatim Sixti V. & aliorum Pontificum indulta annexerint; aliâs ipsi Religiosi deterioris essent conditionis, quàm Sæculares, qui hasce indulgentias possunt absque restrictione obtinere, vt patet è tenore Bullæ.

143 Qvantvm ad Indulgentias, Visitantibus nostri Ordinis Ecclesias ab Vrbano VIII. die 13. Iulij 1636. concessas; monendum est, eas extendi ad omnia oratoria, sacella, siue amouibilia, siue occulta sint, vt patet ex ipso Breui, quod incipit, *Cum sicut:* Hoc obseruari in Conuentu Ara cœli scribit Franciscus de Tarano *in compend. regul. tit. de Indulg. num.* 4.

Patet etiam, Indulgentias sæcularibus, tam viuis, quàm defunctis intuitu Religiosorum concessas non esse reuocatas; si tamen ita sint concessæ, vt non primariò & directè ipsi Fratres eas obtineant, sed ab his independenter Sæculares: vnde ait Quintanad. Innocentij VI. Indultum non esse reuocatum, quo possint omnes consequi Indulgentias Vrbis, & Orbis. qui dixerint quinquies psalmum *Miserere*, cum oratione: *Deus qui inter Apostolicos*, in principalibus Ecclesiis Minorum.

Item reuocatæ non sunt Indulgentiæ concessæ ab Adriano VI. ter recitantibus *Aue Maria*, ad totidem signa Campanæ, cum tribus illis Antiphonis *Angelus Domini, &c.* Idem concessit Paulus III. sicut & Gregor. XIII. omnibus, qui orauerint pro defunctis, dum eum in finem pulsantur Campanæ horis Vespertinis: Hæ etenim, non solùm Regularibus, nec horum intuitu Sæcularibus, sed promiscuè his, & illis sunt concessæ: Sunt & aliæ plures omnibus communes, de quibus vide Bassæum vtroque tomo *verb. Indulgentia.*

His adiici possunt Indulgentiæ annexæ Altaribus priuilegiatis, quales sunt illæ in Diplomate Pauli V. edito, anno 1698. die 9. Iunij, & relato *tom. 2. Annal. Capucin.*

In quo conceduntur: *Tria altaria priuilegiata in tribus Ecclesiis cuiuslibet Prouinciæ Capucinorum, tam erecta, quam in futurum erigenda, per Superiores ordinis designanda; Ad quæ quotiescumque Sacerdos aliquis eiusdem ordinis Missam defunctorum pro anima cuiuscumque fidelis, quæ, in charitate Deo coniuncta, ab hac luce migrasset, celebrabit, anima de thesauro Ecclesiæ per modum suffragij indulgentiam consequatur, &c.* Quod & prius concesserat Gregorius XIII. vt habet Hasbensis *verbo Indulgent. num.* 127.

SECTIO XXXVI.

De Propositione trigesimaoctaua.

An mandatum Tridentini, factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi QVAM PRIMVM, *sit præceptum, non Consilium.*

D. Bonauent. 4. dist. 17. parte 2. art. 1. q. 4.

Præclare de hoc Tridentini Mandato ita præsago spiritu præsensit Seraphicus; Iudicare quidem non audens; hoc enim Concilio reliquit, obligationem tamen quam primum confitendi indicans, postquam de Laïcorum, vel libertate, vel necessitate, post patratam culpam, confitendi quædam prælibauerat; ita prosequitur: Et ideò aliter censendum est hic de religioso, aliter de laïco. Nam religioso totum tempus vitæ est tempus pœnitentiæ: & ideò habita copia Sacerdotis, si peccauit mortaliter, credo quòd tenetur sine mora confiteri, & ad ipsum recurrere. Et intelligitur sine mora, sicut ratio recta determinat. Laicus verò rationabiliter potest expectare tempus quadragisimale, quod est tempus pœnitentiæ: Vnde cùm tempus sit magis opportunum in eis ad satisfaciendum, & confitendum, si expectent, rationabile est iudicare, quod non peccent: dum tamen proponant firmiter tunc temporis confiteri. De Clericis verò iudicare non audeo: Consilium tamen sanum credo, quod omnes, qui cadunt per mortale, quam citius possunt, confiteantur: Non enim videtur verè contritus, qui tam longo tempore vulnus peccati portat occultum. 144

De hac propositione scripsit Barbosa in *Collectan. is* indicans nonnullos, opinari ea verba importare Consilium, non præceptum, vt Ledesma *in Summa de Euchar. parte* 1. *cap.* 11. *ante* 9. *concl.* Villalob. etiam *in Summ. tract.* 7. *difficult.* 37. *numero* 6.

Verum alij meliori iudicio præceptum inde colligunt. Vt Suarez *de Sacram. disputat.* 66. *sect.* 7. Sayrus *lib.* 2. *cap.* 7. *quæst.* 3. *art.* 2. *num.* 11. Hurtado *de Euch. disput.* 9. *diff.* 7. Coninch *de Sacram. quæst.* 80. *art.* 4. Bonacina *de Sacram. disp.* 4. *quæst.* 6. *punct.* 3. Filliucius *de Sacram. tractat.* 4. *de Euchar. cap.* 8. *num.* 221. Reginald. *in praxi Fori pœnitent. lib.* 29. *num.* 110. Sancius *disp.* 32. *num.* 12. Fagundez *in* 3. *Ecclesiæ præcept. lib.* 3. *cap.* 8. Præpositus *de Sacram. Eucharist. quæst.* 80. *art.* 5. *num.* 22. *dub.* 4. Lugo *de Euch. disput.* 14. *sect.* 7. *num.* 135. Hetinx *p.* 1. *disput.* 6. *de sump. Euch. quæst.* 6. *num.* 81. Castro Palaus, Dicastillo, Henriquez, Mascarenas, Amicus, Tannerus, quos citat & sequitur Nicolaus du Bois *hic, art. vnico.*

Verba autem S. Concilij Trident. *sess.* 13. *cap.* 7. *de Eucharistia.* Sic habentur: *Communicare volenti reuocandum est in memoriam Apostoli præceptum* Probet seipsvm homo. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumuis sibi contritus videatur, absque* 145

præmissa

præmissa Sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat: Quod à Christianis omnibus, etiam iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò seruandum esse decreuit, modò non desit illis copia Confessoris. Quòd si necessitate vrgente Sacerdos absque prauia confessione celebrauerit, quamprimùm confiteatur.

VBI vltima particula, *confiteatur*, prolata ab habente potestatem seu iurisdictionem, sicut & similia verba, *faciat*, *restituat*, &c. Denotant ex communi modo loquendi præceptum. Ita etiam in aliis vocibus, minus, secundum modum loquendi, vrgentibus, indicatur à Scriptura præceptum, *Memento vt diem Sabbathi sanctifices. Diliges proximum tuum, &c.*

246 QVOD si interdum verba imperatiui modi consilium suadent, vt *vade*, *vende omnia*, id ex sequentibus, vel præcedentibus colligitur. Si verò seorsim eiusmodi verba legantur, nec modificentur ex circumstantiis, apud iurisperitos pro præcepto habentur: Ità communiter ea verba intellexere prisci: *Hominem in vrbe ne sepelito, Regum ascia ne polito*, & alia similia, quibus *Lex 12. tabularum* abundat.

QVOD si verba in dubio versentur, nec clarè constent; num præceptum, num verò consilium ex adiectis indicent; Tunc in propria significatione interpretanda monent *l. non aliter ff. de legatis 3. l. 7. ff. de supellect. l. 1. ff. de exercitoria* §. 20. Propria autem significatio istiusmodi termini, vti iam insinuaui, præsertim cùm inseritur iuri communi, est, vt imperium & præceptum denotet. Vide suprà citatos.

SECTIO XXXVII.

De Propositione trigesimanona.

An illa particula QVAMPRIMVM *intelligatur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.*

QVÆSTIO hæc potiùs Grammaticalis, quam Theologica est; tota enim pendet à genuino sensu particulæ illius *quamprimum*, quam omnes linguæ Latinæ peritissimi ita intellexere, vt omnem prorsùs dilationem, & moram auferat, & subitam rei, quam afficit, executionem mandet. Ita
247 Alexander Scot. in *Apparatu Linguæ Latinæ*, & alij complures Grammatici; ita etiam Terent. in *Adelp.* vide Calepinum.

Inter Theologos autem eâ particulâ denotari præceptum, absque mora executioni mandandum, tradidere Præpositus *in 3. partem, quæst.* 80. *art.* 5. *dub.* 4. *num.* 21. Franciscus bonæ spei *de Sacram. Eucharist. tom.* 4. *disp.* 7. *dub.* 3. *resolut.* 4. Vasquez *in 3. partem, quæst.* 80. *art.* 5. *disp.* 28. *cap.* 3. Herinx *tom.* 4. *disputat.* 6. *de sumpt. Euch. quæst.* 6. *num.* 81. Suarez *de Sacram. Euch. quæst.* 80. *art.* 5. *disput.* 66. *sect.* 7. Reginald. *in praxi pœnitent. lib.* 29. *cap.* 6. *quæst.* 4. *sect.* 3. Dicastillo *tract.* 4. *de Sacram. Euch. disp.* 9. *dub.* 9. *num.* 173. Henriquez *lib.* 8. *de Euchar. cap.* 45. *num.* 4. Iasp. Hurtado *disput.* 9. *de Euchar. diff.* 7. Mascarenas *tract.* 4. *de Euch. disp.* 5. *cap.* 6. Palaus *de Sacram. parte* 4. *tract.* 21. *disput. vnica, puncto* 12. Tanner. *in* 3. *p. tom.* 4. *de Euch. quæst.* 8. *dub.* 2. Coninch. *de Euchar. quæst.* 80. *art.* 4. *dub.* 2. *num.* 24. De Schildore *Synopsi Theolog. de Euchar. cap.* 4. §. 35.

HANC denique esse omnium Doctorum sententiam docet Suarez *loco cit.* & probat primò esse præceptum, tum ex tenore verborum, tum ex grauitate materiæ; Deinde ex paritate aliorum mandatorum, quæ tenetur vnusquisque, cum primum oblata fuerit, vel institerit opportunitas, obseruare, si sunt affirmatiua; aut non violare, si sint negatiua.

Rationem optimè ibidem assignat, vti & Lugo 248
tom. 1. *de Sacram. tract. de venerab. Euch. disp.* 14. *sect.* 7. Quia scilicet Religio, & puritas, debita huic Sacramento, exigit, vt simili inconuenienti præcaueatur, ne scilicet denuò, repentinâ vrgente celebrandi necessitate, cogantur Sacerdotes inconfessi sacrum perficere; & cum ipsis frequentiùs accidat offerendi obligatio, si nullo vinculo mox confitendi obstringerentur, tandem in desuetudinem abiret præuia communioni confessio.

QVÆSTIO autem mouetur, an etiam Laici hoc præcepto teneantur, ita vt cum contritione, facta communione, obligentur quam primum sua peccata confiteri. Asserit Nauarrus *cap.* 2. *numero* 10. ea ratione, quod etiamsi formaliter, & expressè pro solis Sacerdotibus ponatur, tamen interpretatiuè etiam pro laicis intentio Concilij intelligi, & præsumi possit; ita vt, si eo tempore interrogata fuisset super hoc sacra Synodus, respondisset, se velle comprehendere & laicos.

CONTRARIVM tamen asserit Suarez *loco cit.* 249
ad solos Presbyteros sacrificantes hoc præceptum restringens; Quia in lege positiua, qualis hic cernitur, standum est propriæ verborum significationi; vnde cùm hic soli Sacerdotes nominentur, nulla facta Laicorum mentione, non nisi absurdè, ait, & temerè ad hos prædicta verba sunt extendenda.

AD rationem Nauarri respondet: Sicut nemo peccat in his, quæ, posita aliqua conditione, vel interrogatione, facturus esset; ita nemo superior obligat per ea, quæ, posita aliqua interrogatione, esset præcepturus: Sed sicut peccatur tantùm in his, quæ verè fiunt, ita obligatur quis ad ea, quæ verè præcepta sunt.

Ex his deducit idem Suarez, Sacerdotem, qui more laicorum non celebrando communicaret, non astringi huic præcepto; eò quod Concilium loquatur de Sacerdote celebrante, & quia etiam quo ad hoc factum, par est Sacerdotis, & Laici conditio. Oppositum vero affirmat de Sacerdote, qui die Parasceues officiatus fuerit, item de eo, qui inter consecrationem, & communionem mortaliter peccauerit; Pariter de eo etiam, qui alterius, inter celebrandum defuncti, ad consummandum inchoatum Sacrificium fuerit munere functus. Et ratio est, quia hæc peraguntur sub titulo, & officio Sacerdotis, & meritò celebrationis nomine comprehenduntur iuxta communem loquendi modum, & vsum; alios casus vide apud ipsum ibi. Quæ verò obiiciunt Molfesius, Thomas Hurtado, & alij apud Nicolaum du Bois ex præcedenti sectione diruta iacent: Incassum enim supponunt pro præcepto consilium.

250

SECTIO XXXVIII.

De Propositione quadragesima.

An sit opinio probabilis, quæ dicit tantùm esse veniale, Osculum habitum ob delectationem carnalem, &c.

D.B.2.d.24.p.2.q.2.art.2. in ref.& l.3. Comp.c. 11. & in speculo animæ,c.3. D.Thom. q. 15. de malo, art.2. ad 18.

251 CVM apud nonnullos legerim, quemdam Doctorem Louaniensem, non ignobilis notæ, super hac materia è D. Bonauentura Thesim excerpsisse; eamque publicè tuendam, anno 1666. 28. Aprilis sub nomine Seraphici Doct. his terminis exposuisse. *Placet delectatio, vt displicet peccati consummatio, si generatim sumatur, non semper est peccatum mortale.* Planè mihi displicuit illa Professorum licentia, quantumcumque Doctoratus infulis affulgeant, vt etiam canonizatam Doctrinam in turpis opinionis suspicionem adducant, & infida traductione, aut peregrina expositione in contrarios sensus distorqueant. Quàm longè autem ab huius propositionis sensu semper abfuerit Seraphicus, patet vel ex ipso loco, vnde præfata Thesis fuerit desumpta; vbi sic legitur.

Aut placet delectatio, sed tamen displicet peccati consummatio, & tunc est consensus semiplenus, & tunc dicitur manducare mulier; nihilominus tamen peccat mortaliter,cùm in illam consentit delectationem. Vbi S.Doctor refundit mortalem culpam in ipsam delectationem sensibilem, secluso omni consensus vlterioris periculo: Similia habet *in Compendio Theol. Veritatis*, vbi suprà. Sic enim habet:

Sciendum est ergo, quod delectatio si sistit citra consensum, veniale peccatum est, si verò procedit vlterius, ita quod vult interiùs delectatione voluptuari; nec tamen vult in opus procedere: talis consensus est inter mortalia computandus, quod maximè debet intelligi in peccatis carnalibus. Ità habet etiam S. Doctor passim in opusculis. Vnde liquidò constat, quid de dicta propositione senserit.

EXPRESSIVS verò *in speculo animæ, cap. 3.* prope medium, sic loquitur S. Doctor: *Vnde hoc circa istam materiam est tenendum, quod libidinosi tactus oscula, absque etiam consensu in opus carnale, habent rationem peccati mortalis, secundùm quod oritur in eis delectatio carnalis voluntariè, & deliberatiuè*, ad hoc probandum infert Glossam super illud, *Fornicatio & omnis immunditia, &c.* dicentem, *in osculis & amplexibus, de quibus dicit Apostolus ibidem, quod non habent hereditatem in regno Christi & Dei.*

Item, *lib. 3. Compend. Theol.cap.28.* sic effatur Seraphicus: *Sextus modus vocatur ab Apostolo turpitudo. Vt in osculis, & amplexibus, hoc etiam est peccatum mortale, tanto grauiùs, quanto magis libido per talia accenditur propter nimiam approximationem ad ignem.*

IPSVM sequuntur innumeri ferè Theologi: Præpositus 1. 2. *quæst.*174. *dub.* 3. *art.*10. Armilla, verb. *oscul. num.*1. Diana *parte* 4. *tract.*4. *resol.*36. Bonacina *tom.* 1. *de Sacrament. Matrim. puncto* 9. *prop.* 1. *num.* 5. Gerson 2. *parte reg. mor. de luxur.* Graffius *in dec. cas. conscient. p.*1. *lib.*2. *cap.* 75. *numero* 8. & 19. Lessius *de iustitia, & iure, lib.* 4. *cap.* 3. *num.*95. Vasquez 1. 2. *quæst.*74.*dub.*3.*art.*10. Trullench. *lib.*6. *cap. vnic. dub.*12. *num.*4. Valentia 2. 2. *disputat.*9. *quæst.* 3. *p.* 3. Gordonus *lib.*1. *quæst.* 11. *num.* 23. Filliucius *tom.*2. *tract.* 3. *cap.*9. *num.*172. & 179. Sanchez *de Matrimonio, lib* 9. *disp.*48. *num.* 7. Tannerus *disput.*4. *quæst.*8. *dub.*5. *num.*93. Rebellus *parte* 2.*de iustitia, lib.*3.*quæst.*19. *sect.* 2. *num.* 21. Baunius *Summa peccat. de peccat. contra castitat. cap.*8. *concl.*12. Toletus *lib.*5.*cap.*14. *num.*2. Bresserus *de consol. lib.*6. *cap.*17. *num.*226. Arriaga 1. 2. *tom.*1. *de Virtutib.* Herinx *p.*4.*disp.*1. *de spons. quæst.*1. *num.* 11. & apud hos plures alij, nixi ratione D. Bonau. quam infra signabo. 252

CVM autem contrariam, & reprobatam sententiam docuerint perpauci, & nullo planè fundamento; nimirum quòd in sensibili delectatione ex osculis ortâ, absque periculo vlterioris consensus, sit paruitas materiæ, à mortalì excusans; sequitur, eam nulla probabilitate niti: Constans, enim veterum, & modernorum Sumistarum (paucis exceptis) vox est, in materia luxuriæ, aduertentiæ, & consensus defectum à peccato excusare, vt videre est apud suprà relatos; non autèm materiæ paruitatem: Nisi paruitas illa confundatur cum modica rei turpis cogitatione, aut delectatione, quæ mox, vt cognoscitur, à voluntate repellitur. Aliàs, quæ facinora non liceret, aliquantulum saltem, attentare? Vti agendo *de veritate, & mendacio.* 2. *dubit.* 4. Demonstrauero cum D. Bonauentura. 253

PRÆTEREA dictam delectationem carnalem, fatentur omnes vno ore esse grauis peccati materiam; cùm enim sit medium à naturâ constitutum, & ordinatum ad maritalem congressum, & licitam prolis procreationem; non absque lethali culpa à debito fine deordinatur, vt dicam ad mentem D. Bonau. *tract. de virtutib. disputat.* 2. *dubit.* 1.

INSVPER; Eadem iuris regula, qua prohibetur principale, prohibetur etiam accessorium: sed illicitus coitus à suprema morum regula, diuino scilicet iure, omnibus interdicitur: Ergo. Deinde, ubi consensus in ipsum factum ex natura rei periclitatur; ibi occasiones talis facti, etiamsi non sequuti, damnantur, vti habet iuris regula: *Lex, quæ periculo occurrere vult, committitur, etiam non sequuta noxa.* Quantùm autem pudicitia labefactatur osculorum interuentu, & horum oblectatione, in omnium ore versatur: Quare ait Apostolus, 1. Thessal. 4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis à fornicatione, vt sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderij.* Hæc desiderij passio, quantum ad culpam, completur in delectatione mediorum, quæ, vt plurimum, sunt titillamenta carnis ad copulam.

HINC Patres nullum ferè discrimen posuêre inter actum ipsum carnalem, & sensibilem de carne delectationem: vnde ait D. Bernardus *lib. medit. cap.*4. post medium: *Si carnalibus distrahor desideriis, & illis, quod absit, consensero, etiamsi non sequatur factum, in morte quidem sum mortuus, vtique & consequenter sepeliendus in inferno.* 254

PERBELLE D. Gregorius apud D. Bonauent. *in Pharetra, lib.* 2. *cap.*2. differit de hac delectatione, non sequuta pollutione, aut in eam consentiendi

sentiendi periculo : *Illud ab omnipotente Deo pollutum esse in opere ostenditur, quod ex polluta cogitationis radice generatur.* Et ibidem, idem Gregorius *cap.* 2. ait : *Mentem nequaquam cogitatio immunda inquinat, cùm pulsat, sed cum hanc sibi per delectationem subiugat.*

255 MERITÒ igitur, ante etiam Alexandrum VII. veneream delectationem ex osculis, & amplexibus habitam, excluso omni ordine, & consensu ad copulam, reprobatunt Clemens VIII. & Paulus V. & qui secus senserint, aut à lethali culpa talem delectationem voluerint immunem asserere, eos fidei Inquisitoribus, tanquam temeritatis, & erroris reos mandarunt denunciari. Ita habet Sanchez *loco* suprà *cit.* Mendo verbo, *Matrimonium*; apud hos vide alios.

Pro Coronide subiicio verba Angelici Doctoris *quæst.* 15. *de malo*, vt supra : *In quantum tactus, amplexus, & oscula ordinantur ad solam delectationem, consequuntur consensum in delectatione, qui est peccatum mortale.*

SECTIO XXXIX.

De Propositione quadragesima-prima.

An sit obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, si hæc nimis vtilis esset, ad oblectamentum concubinarij, vulgò REGALO, *&c.*

D.Bonau. 4.dist. 33.art. 1. quæst. 1. & 3.

256 DVM res transit in affectum, omnem auidè arripit authoritatem, vt ociùs & impuniùs transeat in actum : quot autem mala parturiunt laxæ nonnullorum opiniones, dum sub probabilitatis specie, in omne nefas incuruatæ fauent naturæ, clamant, vbique terrarum, nefandæ libidinis partus. Quare Moralis Theologi munus est hisce sæculi corruptelis strenuè sese opponere.

DIVVS sanè Bonauentura *hic in corpore*, quocumque temporali commodo, aut emolumento non obstante, efficacissimè demonstrat, concubinam retineri non posse, dum concubinarium coitum legi naturæ docet aduersari; & proinde esse prohibitum, quia malum; non verò malum quia prohibitum. Malorum autem, quæ prohibentur, quia mala, ea est conditio, vt nulla circumstantia possint honestari : vt patet in mendacio, odio Dei, & similibus.

257 DISCVRRIT autem Seraphicus secundum triplicem definitionem legis naturalis, ab Isidoro traditam.

Prima habetur in principio Decreti his verbis : *Ius naturale est, quod in lege, & Euangelio continetur.* Contra legem naturæ sic acceptam, esse concubinarum vsum, constanter ipsa lex, & Euangelium concordant : Lex quidem hoc habet implicitè tantùm, quia non expressè præcipit, fornicatorem interfici, nisi in casu aliquo particulari. Explicitè tamen præcipit : *Non Mœchaberis*, quibus verbis prohibetur omnis coitus, præter coniugalem, vt vno ore fatentur omnes expositores. In Euangelio autem nihil habetur expressiùs, dum ibi pronunciatur, fornicatios non habere partem in regno Dei, & vnumquemque potiùs possidere debere suam vxorem, vt fornicationem euitet.

NOVIT quidem Legislator noster CHRISTVS, 258 plures hinc plura temporalia incommoda perpessuros. Strictè tamen iniunxit Matth. 5. *Si oculus tuus dexter te scandalizat, erue eum, & proiice abs te.* Quid autem charius homini, quàm oculus; per quem charissima, & gratissima quæque designantur : quem tamen abdicare tenemur, dum salutis æternæ periculum versatur; & vt validiùs inculcetur omnia mundi commoda propter Christum detrimenta arbitrari debere; idem de pedibus, & manibus repetitur, Matth. 18. *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, & proiice abs te : bonum tibi est ad vitam ingredi, debilem vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum. Et; Si oculus tuus scandalizat te, &c.* Super quæ verba ita præclare scribit D. August. *lib.* 1. *de sermone Domini in Monte*, cap. 13. *Magna opus est fortitudine ad membra præcidenda : Quidquid enim est, quod significat oculus, sine dubio tale est; quod vehementer diligitur : Solet enim & ab eis, qui vehementer volunt exprimere dilectionem suam, ità dici : Diligo eum vt oculos meos, aut etiam plusquam oculos meos.* Et postea explicans illam particulam (*Dexter*) additam in priori loco Matthæi, sic ait : *Dexter fortasse ad augendam vim dilectionis valet : quanquam enim ad videndum isti oculi corporis æqualiter possint : ampliùs tamen formidant homines dexterum amittere : quicquid illud est, quod ita diligis, vt pro dextero oculo habeas, si tibi impedimentum est ad veram beatitudinem, erue illud, & proiice abs te.* Et Paulo infrà : *Sinister quidem dilectus sit consiliarius, sed in rebus terrenis ad necessitatem corporis pertinentibus, de quo scandalizante superfluum erat dicere, quandoquidem nec dextro parcendum sit.* 259

Ex quibus verbis sic arguo contra Ioan. Sanchez, seu Sancium *Selectarum qq. quæst.* 10. Nullus est, sanæ saltem mentis, qui facili negotio non renunciaret concubinæ quantumcumque dilectæ, priusquàm sineret sibi erui oculos, præscindique manus, & pedes, per quæ intelliguntur, quæ maximè necessaria sunt, tum ad gubernandum; tum ad operandum in hac vita vt habet ibidem S. Augustinus : *Nam quemadmodum in oculo contemplatio, sic in manu operatio rectè intelligitur; vt sinistra manus intelligatur in operibus, quæ huic vitæ, & corpori sunt necessaria.* Sed hæc tenemur abiicere, quando obstant saluti : Ergo.

SIMILITER D. Hieronymus *in dicta capita* 5. & 18. *Matthæi*, sic scribit : *Omnis truncatur affectus, & vniuersa propinquitas amputatur, ne per occasionem pietatis, vnusquisque credentium scandalis pateat : Si ità est quis tibi coniunctus, vt manus, pes, oculus; & est vtilis atque sollicitus, & acutus ad perspiciendum; scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum te pertrahat in Gehennam; melius est vt propinquitate eius, & emolumentis carnalibus careas, nedum vis lucrifacere cognatos, & necessarios; causam habeas ruinarum.* Similia habent alij Patres in præfata loca *Matth.* Hilarius *can.* 4. Chrysost. *homil.* 17. Theophilactus, & communiter expositores.

QVARE non abs re tomus ille Sancij, Doctoris cuiusdam sæcularis, in quo damnata hæc propositio latè traditur, prohibitus est à S. Congregatione, 260

gatione, anno 1646. 18. Decembris; & inter libros erroris suspectos computatus, donec corrigatur, cuius prohibitionis Decretum fuisse Madriti, anno sequenti 1647. publicatum, refert Thomas Hurtad. *tom. 1. resolut. moral. tract. 1. c. 5. resol. 11.* ipsum acriter impugnans, & improbans, quod & præstat Arriaga *de Sacram. Pœnit. disp. 38. sect. 5. num. 35. & 36.*

Secunda definitio iuris naturalis habetur etiam in principio Decretorum sic: *Ius naturale est, quod est commune omnium nationum*, hoc est inquit Seraphicus, *loco cit.* quod dictat recta ratio. Sed recta ratio non dictat adhærendum concubinæ, etiamsi ex ipsius eiectione aliquæ sequantur sui temporalis iacturæ, præsertim si ex eius retentione periclitetur salus æternæ vitæ: Ergo. Prætereà secluso ordine etiam ad Salutem, Vir, & Mulier iure naturali conueniunt ad generationem prolis, quæ vtrique æqualiter succedat, & subsit, & cui illi æqualiter præsint: sed recta ratio dictat, vt ad hoc præstandum sit in vtroque æqualitas, & indiuidua societas; quæ in concubinatu facilè dissoluuntur: Ergo.

261 Tertia definitio iuris naturalis habetur etiam hîc in corpore. *Ius naturale est, quod natura docuit omnia animalia*; & secundùm hanc etiam definitionem, recta natura hominis exigit, vt vni indissolubiliter adhæreat. Licèt enim natura non docuerit omnia animalia indiuiduam copulam agere, cùm tamen illum instinctum pluribus dederit, & cùm virtutes, in cæteris animalibus dispersæ, in homine colligantur, sicut arma omnium animalium sunt in manu hominis, recta natura hominis postulat, vt si adhæreat mulieri, ita tantùm adhæreat, vt proles non sit vituperabilis, vt iustæ hæreditatis priuationi non subiiciat: Et si sit periculum huius vituperabilitatis, & hæreditatis iacturæ; ipsam, non obstantibus minoribus incommodis, qualia recensentur suprà, eiiciat è domo, & à societate abdicet.

262 Probatur adhuc à S. Doctore, *quæst. 3. in corpore*, vbi probat, concubinas nunquam licuisse retinere, nisi diuina inspiratione vel dispensatione, vt habetur *extra de diuorti* in quadam Decretali Innocentij. Insuper ostendit, Deum nunquam in hac re dispensasse, nisi concurrentibus quatuor conditionibus, Necessitate scilicet, Congruitate, Vtilitate, & Honestate; ibidem demonstrat, eas conditiones, tantùm in lege veteri pro aliquibus viguisse; in Noua verò pro omnibus omninò cessare: Quare cùm apud omnes Orthodoxos in confesso sit, copulam cum concubina esse mortale peccatum; eadem lege, & modo, quo prohibetur eiusmodi copula, censetur prohibita cum pelliciente ad illam cohabitatio, vtpote proxima illius occasio, & incentiuum ferè ineuitabile: Sed ob nullum temporale emolumentum licet concubinario concubinâ carnaliter abuti: Ergo nec eam retinere.

263 Quod autem hæc cohabitatio sit proxima, & ineuitabilis peccati occasio, patet è D. Bernardo super Cantica *serm. 65.* propè medium: *Cum fœmina semper esse, & non cognoscere fœminam, nonne plus est quam mortuum suscitare? Quod minus est, non potes, & quod maius est vis credam tibi? Quotidie latus tuum ad latus iuuenculæ est in mensa; lectus tuus ad lectum eius in camera; oculi tui ad oculos eius in colloquio, manus tua ad manus eius in opere, & continens vis putari? Esto vt sis, sed ego suspicione non careo. Scandalo es mihi, tolle scandali causam.* Hinc sequitur, non solùm ob peccati occasionem, sed ob scandali causam teneri concubinarium ad eiiciendam concubinam, eique interim, ad hoc non parato, absolutionem denegandam, cum aliàs satisfacere non possit.

Ob quas rationes propositionem hanc dudum fuisse censuratam à Facultate Theolog. Louaniensi 1657. instante Gandensi Episcopo, tradit Sinninchius in Saule, pag. 498.

SECTIO XL.

De Propositione quadragesima-secunda.

An licitum sit mutuanti, aliquid vltra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem vsque ad certum tempus.

D. Bonau. serm. 6. de 10. præcept. in cap. 6. Lucæ, & in speculo animæ, cap. 2.

HAc stante Doctrina, totus orbis vsurariis contractibus impunè scateret, omnisque difficultas, quæ tot sapientium super hac materia hactenus ingenia torserat, in solam de nomine quæstionem abiret; quod facilè probo rationibus D. Bonauent. *locis cit.* Supposita Vsuræ definitione, ab ipso tradita in *Declarat. terminor. Theolog. §. Auaritia*, quam omnes communiter acceptant, vt notat Valentia *disp. 1. quæst. 21. punct. 1.* *Vsura est auaritia, acquirens per mutuum aliquid præter sortem.* Ex qua definitione eruitur prima ratio sic: Quandocumque præcisè ratione mutui aliquid vltra sortem exigitur; Vsura committitur: Sed quando ita datur mutuum, & exigitur aliquid vltra sortem eâ conditione, vt non repetatur vsque ad certum tempus, exigitur aliquid vltra sortem præcisè ratione mutui: Ergo. Maior patet è definitione omnibus probata: Minor probatur. Mutuum non potest dari, nisi ea essentialiter ratione, vt non repetatur, nisi ad certum tempus. Ergo quando datur mutuum, & exigitur aliquid vltra sortem, ea conditione vt dans non obligetur repetere nisi ad certum tempus, exigitur aliquid præcisè ratione mutui. Consequentia est clara: nam si ratio essentialis mutui exigit vt non possit repeti, nisi post præfixum tempus, quicquid exigitur hac ratione, exigitur præcisè ratione mutui: Essentia enim, & (vt Metaphysicè loquar) res essentiata non patiuntur diuersas considerationes à parte rei, sub qua ratione cadunt res morales. 264

Antecedens probatur è definitione Mutui, quæ habetur *l. Mutuum ff. si certum petatur* apud Caspensem *tract. 19. disp. 3.* Bassæum verbo *Mutuum*; & colligitur è D. Bonau. ad præfatum locum Lucæ: *Et si mutuum dederitis*, vt dicam *tract. de Virtut. tom. 5. disp. 6. de mutuo, & vsura, quæst. 1.* 265

Mutuum est traditio rei quo ad Dominium, quæ statim fiat accipientis, cum obligatione reddendi aliam eiusdem rationis certo futuro tempore.

Respondet,

Respondet Caramuel *Theolog. sua fundam. num.* 1265. hoc verum esse, quando obligatio vrget pro breui tempore; secus si fiat pro longo, quia obligatio hæc posterior est pretio æstimabilis.

Verum hæc responsio eliditur à Francisco bonæ spei *in Noctua sua Belgica, num.* 691. quia mutuum, respectu longi temporis, non plus addit super mutuum in ordine ad breue tempus, (ratione cuius nihil posse vltra sortem exigi, ipsi concedunt aduersarij) quàm mutuum magnum super
266 mutuum paruum: Sed quantumcumque magnum sit mutuum, nihil potest ratione eius peti vltra sortem: Ergo. Minor apud omnes in confesso est; Aliàs mutuum, vt mutuum, esset pretio æstimabile, ac proinde idem respectu sui ipsius appretiaretur. Maior etiam patet, quia si temporis diuturnitas aliquid vltra exigeret; hoc esset vel ratione vtilitatis cessantis, vel ratione otiositatis, qua pecunia mutuata inutiliter tanto tempore iaceret in Arca: Non primum: quia sic cessat ratio in propositione prætensa: Non etiam secundum: Quis enim dixerit, eò quòd infructuosè penes me non habeam, quod mutuor, inde mihi licere emolumentum exigere à proximo. Vnde meruit Philippus de la Cruz à S. Congregationis Concilio prohiberi, quòd hanc Doctrinam tradiderit *tract. de interesse, fol.* 7. vt habet Diana *tom.* 11. *tract.* 1. *resolut.* 25. nec satis probè ei suffragantur Bertrand. Loth. *tract.* 9. *quæst.* 1. *art.* 4. *tit.* 2. Caramuel, *loc. cit.* & alij apud Bonacinam *disput.* 3. *de contract. quæst.* 3. *punct.* 6. *proposit. vnica.*

267 Secvnda ratio eruitur è D. Bonau. *loco* suprà *cit.* In mutuo interuenit iustitia commutatiua, vnde ratio mutui exigit, vt ex meo, fiat tuum, vt denuò ex tuo, post aliquod tempus, fiat meum in quadam æqualitate dari, & accepti: vt notat D. Bonauent. *serm.* 6. *de* 10. *preceptis in fine*: Sed hæc iustitia violatur, si petatur aliquid ratione non exactionis vsque ad præfixum tempus: Ergo. Minor probatur, quia plus accipitur quàm sit datum. Neque dicas datam, vel dimissam esse potestatem exigendi: Hæc enim dimissio potestatis includitur essentialiter in ipso mutuo.

268 Tertia etiam ratio colligitur è Seraphico *ibidem* & sequitur ex dictis, quam sequuntur omnes infrà citandi. Ibi exigi licet aliquid vltra sortem, vbi pecunia data deterioratur propter accommodationem: Sed non deterioratur, eò quòd non repetatur, vel quod careatur ad certum tempus. Probatur minor, mutuum, vt mutuum, non deterioratur, eò quod accommodetur: Ergo nec vt non repetibile ad certum tempus. Consequentia patet; quia hæc irrepetibilitas est intrinseca mutuo, vt mutuo, in qua distinguitur à Precario; quod hoc semper possit repeti; illud verò nequaquam, nisi post aliquod tempus. vt optimè notat Bonacina suprà.

269 Qvarta ratio validissima habetur apud Seraphicum *serm.* 6. *in fine.* Vbi pretio venditur id, quod commune est ementi cum vendente, ibi iniustitia committitur. Sed tempus, quantumuis longum, vel certum, est commune, tam mutuò danti, quam recipienti: Ergo.

Respondent nonnulli è suprà citatis, tempus in se non appretiari; sed quatenus includit obligationem non repetendi.

Verum responsio hæc includit obligationem semper repetendi suum principium. Nam cum obligatio non repetendi mutuum ad certum tempus, sit ipsi mutuo essentialis; aut hæc obligatio appretiatur, aut præcisè tempus: Si primum: Ergo ipsum mutuum venditur; quod implicat. Si secundum: Ergo venditur quod est commune: Ergo fit appropriatio communitatis, & peruersio ordinis, vt ait ibidem Seraphicus.

Qvinta ratio efficax habetur apud S. Doctorem *in speculo animæ, cap.* 2. Exigere aliquid pro eo, quod consequitur dominium iam translatum, habet rationem peccati mortalis, quia quod alterius est, exigitur: Sed obligatio non repetendi consequitur dominium iam translatum: Ergo. 270
Maiorem adhuc probat S. Doctor exemplo illius, qui aliquid peteret pro vsu pecuniæ, Vini, aut Bladi, aut alterius rei cuiusuis, quæ vsu consumitur; hic enim vsus est ipsius vtentis, postquam iam in ipsum fuerit dominium translatum; vnde animaduertit Seraphicus vsuram dici ab *Vsu æris*, quæ ideò non licet, quia supponit dominium abdicatum in dante, & translatum in accipientem.

Minor probatur. Ideò non potest quis ante determinatum tempus repetere mutuum, quia iam desinit esse suum, & fit alterius: Ergo obligatio non repetendi consequitur dominium, in alterum translatum. Vide Seraphicum, *ibi.*

His rationibus vtuntur Malderus 2. 2. *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 15. Hetinx *parte* 3. *de mutuo, disput.* 3. *quæst.* 2. *num.* 37. Bonacina suprà. Vviggers de *iustitia, & iure, tractat.* 5. *cap.* 6. *dub.* 12. *num.* 54. Bartholomæus à sancto Fausto *de vsuris, disp.* 16. *quæst.* 54. *num.* 2. Summa Theol. Facultatis Colon. 2. 2. *tract.* 2. *disp.* 13. *num.* 1801. Molina *tract.* 2. *disp.* 3c8. Lessius *dub.* 14. Reginald. *lib.* 23. *numero* 52. Turrianus 2. 2. *disp.* 61. *dub.* 3. *num.* 6. Salas *tract. de Vsuris, dub.* 9. *num.* 12. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 8. Hurtado *de iustit. disp.* 3. *de mutuo, difficult.* 11. Amicus *tom.* 5. *disp.* 20. *sect.* 8. *num.* 133. Tannerus 2. 2. *disput.* 4. *quæst.* 7. *dub.* 3. *num.* 86. *de iustit.* Lugo *de iustit. & iure, disp.* 25. *sect.* 3. *num.* 17. & apud hos alij ferè innumeri.

Hvic auaræ mentis subtilitati obuiauit etiam D. Augustinus *in Psalm.* 36. *litt.* C. exclamans contra huiusmodi fœneratores, *Quam detestabile sit, quam odiosum, quam execrandum, puto, quia & ipsi fœneratores nouerunt*, & paulò infrà: *Si fœneraueris homini, id est, mutuam pecuniam tuam dederis, à quo aliquid plus, quam dedisti, expectes accipere, non pecuniam solam, sed aliquid plus quam dedisti, siue illud triticum sit, siue vinum, siue oleum, siue quodlibet aliud, si plus, quam dedisti, expectes accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus, non laudandus.* 271

Paucis verò interiectis, Sanctus hic Doctor adiicit sanum consilium pro huiusmodi fœneratoribus: *Attende, quid facit fœnerator: Minus vult dare certè, & plus accipere. Hoc fac & tu. Da modica, accipe magna. Da temporalia, accipe æterna. Da terram, accipe cœlum. Vide quàm latè crescat fœnus tuum.* 272

Obiicies primò, cum Seraphico, *loc. cit. de decem precept.* & cum Bonac. vt suprà. Qui priuat se sua domo, Equo, veste, vel instrumento ad certum tempus, potest aliquid vltra domum, æquum, &c. exigere; quia hæc priuatio pretio est æstimabilis: Ergo qui priuat se sua pecunia, poterit pro tempore, quo illa priuatur, aliquid vltra recipere.

Respondet Seraphicus, & ex ipso Bonacina, & alij vbi supra, dissimilem esse rationem; nam qui locat suam domum, instrumentum, vel simile,

mile, non transfert eius dominium, sed vsum, ac proinde cùm hoc vsu res locata diminuatur, ac peioretur; talis vsus erit pretio æstimabilis; maximè cùm inde alius vtilitatem suam eliciat, qua tenetur recompensare dispendium alterius dominij. Pecunia autem mutuata, ex mea, fit tua, quo ad dominium simul & vsum, & ideò si aliquid ratione temporis postulo, quod tibi æque ac mihi commune est, ex non meo lucrifacio; quod iniquum est, eâ præsertim ratione, quod nulla temporis longinquitate pecunia minoretur, aut deterioretur, sed ex integro sit restituenda.

273 Obiicies secundò. Potest quis suscipere obligationem per certum tempus mutuandi ad libitum mutuatarij: Sed hæc obligatio est pretio æstimabilis: Ergo & obligatio non repetendi ad certum tempus.

Respondetur ex dictis à Seraphico, posse aliquem æstimare pretio obligationem mutuandi, quia libertatem, quæ sua est, obligat; non posse verò appretiare debitum non repetendi, quia suum non est, sed iam cum mutuo translatum in mutuatarium; quare iniustè pro re aliena absque alio titulo aliquid reciperet.

Obicies tertiò. Potest fideiussio ad certum tempus pretio æstimari; & sic pro ea aliquid recipi: Ergo & pro obligatione non repetendi ad certum tempus.

Respondet Bonacina fideiussorem suscipere onus, ad quod nullo titulo tenetur, & proinde posse pro re sua pecuniam recipere, mutuatorem verò ingerere se oneri, ad quòd prius tenebatur, eo ipso quod mutuauerit.

274 Cum hac propositione damnatâ nil habet Alia, quam refert Synnichius, *in suo Saule, pag.* 530. fuisse censuratam Louanij ad instantiam, vt ait, Episcopi Gandensis, anno 1657. *Vsura non est, dum aliquid vltra sortem exigitur, tanquam ex beneuolentia, vel gratitudine debitum, sed solum si exigatur ex iustitia.* Non video tamen qua ratione eam censurauerint eruditi illi Doctores, cùm inter nullas vsuræ species, tale beneuolentiæ testimonium recenseatur: Præterea eam D. Thomas, & D. Bonauent. Theologorum facilè principes tradidère. Et quidem Angelicus 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 3. sic scribit: *Dicendum est, quod si aliquis ex pecunia mutuata expectet, vel exigat, quasi per obligationem pacti taciti, vel expressi, recompensationem muneris ab obsequio, vel à lingua; perinde est ac si exigeret munus à manu, &c. Si verò munus ab obsequio, vel à lingua, non quasi ex obligatione rei exhibetur, sed ex beneuolentia, licet hoc accipere, & exigere, & expectare.* Et ibidem assignans, qua ratione differat debitum gratitudinis à debito iustitiæ; sic habet: *Compensatio alicuius beneficij potest fieri dupliciter; vno quidem modo ex debito iustitiæ, & sic, qui aliquid accepit, non tenetur ad plus restituendum, quàm mutuò acceperit.* Et paulò infrà: *Alio modo tenetur aliquis ad recompensandum beneficium ex debito amicitiæ, & tali debito non competit ciuilis obligatio.*

Concludit autem in summario responsionis eiusdem articuli sic: *Non licet aliquid pecunia æstimabile pro mutui recompensatione accipere; nisi, sicut quoddam gratuitum donum quis aliquid acceperit.* Ita Syluius *in dictam quæstionem,* 2. 2. idem refert Nicolaus du Bois *ad hanc propositionem.* Sic sentit etiam Bonacina *tom.* 2. *de contract. loco* suprà *citato, puncto* 2. *num.* 8. vbi citat Nauarrum, Reginaldum, & Filliuc. contra Salonium, Bannem, & Arragonium, locis ibi notatis. Quod etiam sentit, etiamsi mutuans non esset mutuò daturus, nisi sub spe lucri, vel commodi sibi ex beneuolentia, & gratitudine obuenturi.

Seraph. verò paucis idem concludit, vt ostendam *tract. de Virtutib. disput.* 6. *de vsura, quæst.* 6. *in fine.*

SECTIO XLI.

De Propositione quadragesimatertia.

An legatum annuum, pro anima relictum, non duret plusquam per decem annos.

Legata piis vsibus relicta, magna meritò veneratione suspiciunt iura, quare ea, indefinitè facta, perpetuò valitura, docent apud Bonacinam, *de contractib. disput.* 3. *quæst.* 17. *punct.* 8. §. 6. *num.* 2. Reminaldus *cons.* 219. Decius *cons.* 69. Peregrinus *de fideicom. art.* 30. & apud hos alij plures, idque Patauij vsu receptum *ibidem* denotant. 275

Alii tamen huiusmodi legata, etiamsi cum clausula *perpetuæ solutionis* relicta, ad centum annos restringunt. Ita Couar. 3. *variar. cap.* 9. *num.* 10. Menoch. *tom.* 13. *cons.* 1263. Molfesius *in Summa,* 2. *parte, tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 56. & alij *ad l. si vsusfructus muni ip. ff. de vsufructu leg. & l. annua,* §. *Titio, ff. de annuis legatis.*

Quod autem annuum legatum, pro anima relictum, non subsistat vltra decem annos, apud Iuristas, aliosve rerum moralium tractatores, neminem vidi, qui ita scripserit. Quisquis verò ità senserit, planè refutatur iisdem rationibus, quibus prima sententia stabilitur; nimirum quia indefinita, & illimitata dispositio, nullo clauditur temporis termino, nec eidem dispositioni valet ius ciuile vllatenus derogare; quæ rationes militant contra secundam sententiam, vt habent authores, initio sectionis notati. 276

Præterea ipsa lex ciuilis simile legatum nominat perpetuum, *l.* 20. *ff. de annuis legatis.* Item *l. penult. eodem,* legatum factum Reipublicæ, vt in alicuius defuncti memoriam aliquid fiat, perpetuum esse decernitur: his adiice *l.* 6. ibidem.

Deinde *l.* 16. *ff. de vsufr. legato* statuitur, vt, si contingat, testatoris memoriam in loco destinato iuxta legati tenorem non renouari, in alium locum dictum legatum transmittatur, vbi id commodè præstari possit. 277

Quod si legata ista, occurrentibus etiam loci vel personæ aliquibus incommodis, perpetuantur, quis rectè censuerit posse legatum, in fauorem animæ absque temporis determinatione relictum, decem annorum spatio concludi.

Quod si dicas, posse dictum legatum extingui præscriptione ad præfatum tempus. Occurrunt ius ciuile, & canonicum, quæ requirunt 40. annos computandos ab illo tempore, quo legati solutio primò cessauerit. *l.* 7. §. *vlt. Cod. de prescript.* 30. *vel* 40. *annor.* & *cap.* 6. 8. 9. *de præscript.*

Quod si adhuc opponas casum, quo hæres vltra vires grauaretur.

Respondet Bonacina, & apud illum Couarruuias, Molfesius, Peregrinus, & apud hunc Crauetta, Surdus, & alij, annuum legatum primo soluendum ex luculentiori hæreditate, cùm ita 278 præsumenda

præsumenda sit testatoris voluntas;& cùm illa hæreditas sit perpetuò duratura, non autem alia bona, aliis titulis obuenientia; Aliàs si ex his, non ex illa, esset soluendum; cùm talia bona sint finita, finiti tandem detractione exhaurirentur, & sic testamenti dispositio frustraretur.

Verum si nec ad soluendum ipsa hæreditas sufficeret, monent præfati authores, primò ei detrahendum, quod pro collecta solui sit solitum, quia hæc ex natura rei debetur. Cæterùm vltra hæreditatis vires nullus dixerit, hæredem teneri.

SECTIO XLII.

De Propositione quadragesima-quarta.

An quoad forum conscientiæ, reo correcto, eiusque contumacia cessante, cessent censuræ.

D.Bonau.4.dist.18.q.6. ad argument.

179 POSTQVAM Seraphicus egisset de ratione excommunicandi, perbellè demonstrans *quæst.1. in corpore* in Ecclesia non tantùm esse Sacramenta, tanquam medicamenta lenientia, tractabilibus, & plicabilibus applicanda, verum etiam asperantia, vt, gladium spiritus, quo duri, & rebelles amputentur: sicut in disciplinis non est tantùm modus instruendi, & insinuandi per ostensionem, sed etiam arguendi per impossibile; & in medicinalibus datur tam emplastri appositio, quam partis dolentis sectio, vti etiam in moralibus fit dulcis monitio, & aspera increpatio: Ad hæc subdit, dari communionem interiorem, occulta illa communicatione inter Deum, & hominem, nixam: Datur etiam communio exterior in hominum conuersatione posita: Datur denique media, quæ Sacramentalis dicitur, & in Sacramentorum susceptione sistit: Primum, ait, non posse nec debere Ecclesiastica excommunicatione tolli: non enim impedit Ecclesia, quo minùs Deus gratiam, virtutesque supernaturales immediatè infundat: Secundam autem, sicut & tertiam, docet omnibus per Ecclesiæ censuras interdici. Et ratio est. Quia bona illa, quæ alicuius administrationi sunt credita, possunt iuxta ipsius intentionem dari, vel negari. Sed dicta bona, quæ consistunt in publica dispensatione Sacramentorum, Sacrificiorum, Suffragiorum, Beneficiorum, & similium, credita sunt Ecclesiæ, vt per suos Ministros moraliter agentes, ea fidelibus, iuxta ipsius intentionem, administret: Ergo. Ita ex D. Bonauent. animaduertit Giballinus *de sacra Iurisdict. disquisit. 1. quæst.1. numero 3.* vt habet etiam Nicolaus du Bois *hic, artic. 1.*

180 QÆSTIONE verò sexta, Seraphicus *ad 1. & 3. argument.* probat, reo contrito aut quantumuis correcto, adhuc impendendam à censurâ absolutionem.

Et primò quidem, quia ei impendenda est absolutio, cui possit esse vtilis; sed correcto, vel contrito potest esse tantùm vtilis; Ergo ei impenpenda; Si impendenda; Ergo non cessat, reo solùm correcto.

SECVNDÒ. Censura non infligitur tantùm ad delinquentis emendationem verum adhuc ad aliorum instructionem, vt discant non contradicere, aut rebellare, exemplo Datan, & Abiron. Ergo debet continuari, donec vtraque causa sequatur, cùm per easdem causas aliquid dissoluitur, per quas contrahitur: Sed reo correcto & quantumuis contrito, non instruuntur alij, cum ipsum, vt excommunicatum adhuc suspiciant, donec absoluatur: Ergo tenetur hanc suspicionis, & scandali causam remouere. His quadrat *cap. 15. de sententia excommunicat.* vbi sic legitur:

Tertio loco tua discretio requisiuit: si Clericus verberatus, Episcopo mediante, cum suo verberatore composuerit, & ille reconciliatus sibi fuerit, an per hoc is debeat ad aliorum communionem admitti? Super quo tibi breuiter respondemus, quod licet ille, qui violentas manus iniecit ei, quem læsit, satisfecisse taliter videatur: Ecclesiæ tamen, quam offendit, ex hoc non satisfecisse dignoscitur: & nisi forma Ecclesiæ, quæ pro absolutione talium introducta est, obseruetur, non est communicandum eidem.

TERTIÒ id probat Seraphicus *quæst.1. in corpore* è similitudine clauis materialis, & spiritualis: nam sicut illa est principaliùs ad claudendum propter fures, & latrones; ita hæc principaliùs ordinatur ad aperiendum: vnde sicut claui materiali nil clauditur, quin ea Seræ applicetur, ita claue spirituali nulli aperitur Serato via in Ecclesiam, nisi illa priùs ei sit applicata. Idem iampridem docuit D. August. relatus *can. agite 44. de pœnit. dist. 1. bis verbis:* 181

Agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesiâ, vt oret pro vobis Ecclesia. Nemo dicat sibi, occultè ago, apud Deum ago: Nouit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergò sine causâ dictum est (quæ solueritis in terra soluta erunt & in cælo) Ergo sine causa claues datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Euangelium Dei: Frustramus verba Christi: Promittimus vobis, quod ille negat, nonne vos decipimus?

SIMILIA verba habet sanctus Bonauent. *art.1. q.1. ad argumenta,* & *q.6. in corpore,* docens, aliquem non habentem materiam excomunicationis, teneri tamen eam sustinere in facie Ecclesiæ, donec ab ea absoluatur, alias eo ipso merebitur excommunicari apud Deum: Vnde patet, in foro conscientiæ, reum etiam non contumacem, & iam correctum, irretiri censura, donec ei absolutionis beneficium impendatur, ita expressè definitur *cap. 28. de sentent. excommunicat.* 182

A nobis est sæpe quæsitum, vtrum si aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerint pœnitentiæ manifesta, nec per eum steterit, quo minus reconciliaretur Ecclesiasticæ vnitati, non suscepto beneficio absolutionis decesserit, pro absoluto ab Ecclesia sit habendus, & vtrum pro tali re-

cipienda sit eleemosyna, & à fidelibus sit orandum? Nos igitur consultationi tuæ breuiter respondemus, quod iudicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur: iudicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contigit, & falli. Propter quod contingit interdum, vt qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus: & qui liber est apud Deum, Ecclesiasticâ sit sententiâ innodatus. Vinculum ergo, quo peccator ligatus est apud Deum, in culpæ remißione dissoluitur: illud autem quo ligatus est apud Ecclesiam, cum sententia remittitur, relaxatur. Quod in suscitatione Lazari sermo Euangelicus manifestat, quem priùs Dominus suscitauit, & Apostolis præcepit postmodum soluere suscitatum. Vnde quantumcumque se quis iuramento præstito, quod Ecclesiæ mandato pareret, humilitate curauerit: quantacumque pœnitentiæ signa præcesserint, si tamen morte præuentus, absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus. Potest tamen, & debet ei Ecclesiæ beneficio subueniri, vt si de ipsius viuentis pœnitentia per euidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur.

283 Hinc facilè liquet, quàm immeritò dixerit Couarruuias *in cap. Alma mater*, §. 6. *num.* 4. in fine, relatu Nicolai du Bois hic, *art.* 1. hanc doctrinam, quæ tantopere Ecclesiæ authoritati derogat, haberi apud Hostiensem communiter receptum *in caput cum voluntate, de sententia excomm.* Martinum Aspilcuetam *in cap. quando, de consecrat. dist.* 1. *notab.* 19. *num.* 68. Turrecremat. *in cap. si quis Episcopus*, 11. *quæst.* 3. & Richardum 4. *distinct.* 18. Sed hos congerit Couarruuias, vt suæ opinioni patronos adsciscat, cùm ibidem dicat, huic (scilicet correcto, cessante contumacia) generalia Ecclesiæ suffragia vtilia esse, nec ab eis excludi.

Obiicies primò. Nulla necessitas est absolutionis, nisi quandò portæ, vel Ecclesiæ, vel paradisi, sunt clausæ. Sed cessante contumacia in reo iam correcto, ampliùs non sunt clausæ paradisi portæ, sicut nec Ecclesiæ. Minor patet è *Ioan.* 6. vbi Christus dicit, se esse ostium, & quidem apertum, cùm dicat: *eum qui venit ad me, non eiiciam foras*, Apocal. 4. vbi etiam dicitur: *Vidi & ecce in cœlo ostium apertum:* Ergo. Sic sibi obiicit D. Bonau. vt suprà *ad primum.*

Respondetur ibidem *in corpore*, Christum 284 quidem esse ostium, & semper apertum, ad recipiendum solutos à debito æterni supplicij, cùm ipse solus suæ gratiæ infusione ab hoc debito soluat: sed tamen adhuc restare debitum peccati dimissi, quod soluendum est, priùs quàm ad hoc ostium perueniatur, quod fit per clauem Ministerialem, traditam Ecclesiæ.

Et confirmatur ex *cap.* 38. *de sentent. excomm.* vbi Innocentius III. idem respondit.

Licet is, qui voluntarius excommunicatis illis communicauerat, qui cum omnibus fautoribus, & participibus suis excommunicationis sententiâ sunt adstricti, ad cor rediens, *de mandato Ecclesiæ, excommunicatos, quos prius fouerat, expugnauerit, non tamen priusquam absolutionis gratiam perceperit, habendus est absolutus: nec si occumbat in huiusmodi bello, sunt absolutiones, vel oblationes recipiendæ pro eo, vel orationes Domino porrigendæ, nisi cum de ipsius viuentis pœnitentia per euidentia signa constiterit, & iuxta cuiusdam constitutionis nostræ tenorem, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur.*

Confirmatur adhuc à Seraphico, *fundament.* 4. quia Rex terrenus non permittit aliquos 285 intrare in suam Curiam, nisi priùs ipsis Ianitores portas aperuerint: Ergo nec Rex æternus.

Obiicies secundò. Ille solus potest absoluere, qui potest claudere, & aperire; Sed hic est solus Christus, iuxta illud Isai. 22. *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius, & claudet, & non erit qui aperiat:* Ergo postquam Christus reo, iam correcto, aperuerit, non restat altera absolutio.

Respondet S. Doctor *ad* 3. *& in corpore*, Hanc clauem Christi esse authoritatis, & excellentiæ, qua reserat duas portas, quibus à paradiso excludimus, prima est debitum peccati commissi; & per hoc meremur æternum supplicium; Altera est debitum peccati contracti, id est, debitum solutionis pretij, quod solus Christus potuit soluere. Sed adhuc necesse est, vt aperiatur nobis tertia porta, vt pœna scilicet temporalis excludatur; & hoc fit per illos, qui possunt taxare peccati pœnam, quales sunt Ministri Christi, non Christus solus, per potestatem illis communicatam; & huius quidem potestatis vsus necessarius est, etiamsi quis correctus, & contritus è viuis decesserit, vt patet è formulâ, quæ iuxta Ecclesiæ praxim datur pro absolutione eius, qui cum excommunicatione reseruata obierit.

Quare si sic vobis visum fuerit, vobisque de prædicti N. viuentis pœnitentia per euidentia signa constiterit, vt eundem sic defunctum, dummodo illius hæredes iniuriam passis, quibus ille, si viueret, occasione præmissorum satisfacere teneretur, prius competenter satisfaciant, vel

vel per eos non stet, quo minus arbitrio vestro satisfaciant competenter in eo, in quo tenentur, ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa incurrit, absoluere in forma Ecclesiæ consueta, & in foro conscientiæ tantum, licitè valeatis, ad effectum dumtaxat, vt pro illius anima publicæ, & priuatæ orationes, ac preces fieri, eiusque corpus Ecclesiasticæ tradi sepulturæ possit, facultatem, & auctoritatem vobis concedimus.

SECTIO XLIII.

De Propositione quadragesima-quinta.

An Libri prohibiti, donec expurgentur, retineri possint, vsque dum adhibitâ diligentiâ corrigantur.

286 PROPOSITIO hæc paucos habet patronos, qui *scripto*, plures tamen qui *facto*, eam tueantur: Natura enim hominum eò, nouitatis auida, peruenit, vt quicquid antiqui scriptores solidiùs tradiderint, tanquam absoletum quid negligant; quod verò recenter phaleratis titulis sub deaurato cortice, & pumice politum prodit; inter litteratos multi, inter iuniores plurimi cupidissimè arripiunt: De his præclarè ait D. Augustinus, lib. 1. de ordine, cap. 11. *Qui similiter in legendos libros, atque in salutandos homines irruunt: Non enim cogitant quales ipsi, sed qualibus induti vestibus sint, & quanta pompa rerum, fortunaque præfulgeant.*

QVOD si de libris, nullâ prohibitionis censurâ notatis, ita senserit S. Augustinus, quantum nefas meritò censeret, libros, donec expurgentur retineri vetitos, liberiùs legere, aut retinere; præsertim cum in S. Concilio Tridentino hoc cautum sit, vt habetur *de prohibitione libr.* §. 1. Cui & consonat sacræ indicis Congregat. Decretum, editum anno 1662. vbi sic legitur:

Sacræ indicis Congregationis decreto damnati, prohibiti, ac respectiuè suspensi, fuerunt infrascripti omnes libri, vbicumque, & quorumque idiomate impressi, imprimendiue. Nemo cuiuscumque gradus, & conditionis eos imposterum imprimat, vel legat, vel retineat. Si quis interim habuerit, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis, à præsentis decreti notitia tradat sub pœnis in indice librorum prohibitorum contentis. Libri sunt, Benedicti Carpsouij censura iuridicarum positionum. Fasti Academici generalis Studij Louaniensis, donec corrigantur.

VT autem liber aliquis censeatur prohibitus donec expurgetur, necesse est, vt illæ particulæ *donec expurgetur*, apponantur expressè, vt videre est in variis librorum censuris apud Marchantium *in tribus Sacram. tom. 1. tract. 1. tit. 2.* & Nicolaum du Bois hîc. 287

CAVSÆ verò, propter quas libri prohiberi, atque expurgari indigent, habentur in Concilio Tridentino, vbi suprà. Vbi etiam iniungitur §. 2. vt *qui negotium expurgandi aut corrigendi susceperit, omnia attentè notet, & circumspiciat, non solùm ea, quæ in cursu operis manifestè se offerunt, sed quæ in Scholiis, in Summariis, in Marginibus, in Indicibus librorum, in præfationibus, aut in epistolis dedicatoriis, tanquam in insidiis delitescunt.*

QVOD & etiam spectare arbitror ad librorum, mox excudendorum, examinationem, cùm ibidem dicat sanctum Concilium, §. 5. *Curent Episcopi, & Inquisitores quorum muneris erit facultatem libros imprimendi concedere, & vt eis examinandis, spectatæ pietatis, & doctrinæ viros adhibeant, de quorum fide, & integritate sibi polliceri queant, &c.* 288

Præstereà dicitur in confirmatione Digestorum à Iustiniano; *Omnia nostra facimus, quibus authoritatem nostram impertimur.* Quare animaduersione dignus habetur Sinnich. Louan. Doctor, apud du Bois, quòd *Resolutiones orthodoxæ morales* Thomæ Hurtadi, eo nomine dignas censuerit: cùm tamen, plura heterodoxa in iisdem legantur; quod coniicio contigisse, eò quòd dictum opus (non Coloniæ, vt ei præfigitur) sed alibi inter heterodoxos fuerit excusum, vt licet ex chartæ, & characteris indiciis colligere.

NEC mihi sanè placet, quod respondet dictus du Bois, in fine sui libelli *ad 45. propositiones*, posse approbatorem suam alicuius operis commendationem apponere, eò quòd frequenter multa bona, & vtilia ibidem, nec hîc aut nunc errorem inueniat, vt sic approbatio librum respiciat in sua totalitate consideratum. Et enim hæretici, etiam scelestissimi, sparsim multa bona, & vtilia, vt triticum Zizaniæ, intermiscent; ita vt quæ perniciosè, veluti anguis in herba, delitescunt, non nisi attenta, & completa lectione possint discerni. Nec solum doctrinæ falsitatem, verùm & verborum ambiguitatem correctioni, & expurgationi subiacere, quantò magis examinationi, mandat Concilium Tridentinum suprà. 289

HINC mihi non probantur, qui approbant facili negotio, magna rerum moralium volumina, vbi plures opiniones, Ecclesiasticæ disciplinæ non multùm consonæ, traduntur vno aut altero verbulo, quas si fusiùs fortè legissent, non eis tam facilè sua nomina præmisissent, vt suspicari licet apud Authores 14. 29. 30. 34. & 35. propositionum, quas improbabilitatis, & laxationis censurâ vidimus notatas: & signanter libet expendere propositionem 17, quæ probabilis, & pro conscientiæ regula à suis authoribus insinuatur, donec Sedes Apostolica oppositum declarauerit: Quis enim nescit, plura in se, & publico etiam iudicio falsissima esse, de quibus nunquam Sedes Apostolica cogitauerit, aut imposterum cogitatura sit: Quod si liceret talia, etiamsi à pluribus putarentur probabilia, in praxi sequi, nullus opinandi esset nec finis, nec fructus. Verùm vt plura de his omittam, & opinionum probabilitates in aliis etiam rebus expendam; concludam claro D. Augustini eloquio, quod profert lib. 3. *contra Academicos*, cap. 17. & libro 1. *de Genesi* ad litteram, cap. 18. *Quare cum in falsas* 290 291

falsas opiniones ruere turba sit pronior, & consuetudine corporum omnia esse corporea facillimè, sed noxiè credatur. Libentiùs enim opiniones, fauentes magis corpori, quam spiritui, amplectimur: *In nullam eorum nos precipiti affirmatione ita proiiciamus, vt si fortè diligentius discussa veritas eam rectè labefactauerit, corruamus: Non pro sententia diuinarum Scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, vt eam velimus Scripturarum esse, quæ nostra est, cùm potius eam, quæ Scripturarum est, nostram esse velle debeamus.*

ALIAS sex propositiones, pari cum prioribus censurâ notatas, libens hîc prætermitto, tum quod nullum viderim, qui scripto eas propugnauerit, tum etiam, quod vnaquæque, quo tenore censurata sit, ibidem significetur.

QVÆSTIO XI.

An in administratione Sacramentorum tutior pars sit eligenda.

292 HANC quæstionem longiùs à præcedenti distuli, vt ex his, quæ per varias sectiones dixerim, clariùs eluceat quantâ cautela, in probabilitatis delectu quo ad Sacramentorum administrationem sit procedendum; cum plures propositiones, ex his quas censuratas & refutatas vidimus, huc accurrant, & præ cæteris, 11. 13. 14. 24. 25. & 41.

Quare vt non laxentur habenæ quò ad Religionem in Sacramentis exhibendam, aut charitatem proximis impendendam, ad veritatis trutinam examinabimus: An relicta tutiori & probabiliori, minùs tuta minusque probabilis opinio in his seligi queat.

Marcus Vidalis *Tract. de opinione probabili, inquis. 2.* asserit, in omni materia licere sequi opinionem minùs probabilem, tam Sacerdoti, aliisque in administrandis Sacramentis, quàm Iudici in ferenda sententia, Medico in applicandis medicamentis, Regi in bello gerendo; quod tamen communis sententia negat; vt dixi *quæst. 10.*

293 COMMVNIS sententia in hoc sæculo est; In administratione Sacramentorum, non posse eligi minùs tutam. Ita plurimi, etiam sententiæ quartæ, quæstionis præteritæ, præcipuè postremi. Ex illis Vasquez cum aliis *disp. 63. cap. 2. & 3.* dicit, duo in administratione Sacramentorum consideranda. Alterum est religio debita Sacramento; alterum est obligatio charitatis prouidendi proximo. Vult igitur, ratione primi, vti non sit Ecclesiæ consuetudo, vel præscriptum, posse nos, circa materias, formas, & ministeria Sacramentorum, sequi opinionem probabilem, relicta tutiori; & minùs probabilem, relicta probabiliori.

294 Quoad debitum verò prouidendi saluti proximorum dicit, teneri nos sequi partem, quæ securiùs salutem proximi consequatur. Sic & Caspens. *tract. de conscientia, disp. 3. sect. 4.* Hanc opinionem refellit Faber *4. d. 14. quæst. 1. disp. 16. num. 58.* Nam videtur sibi ipsi implicare; maior est enim obligatio ex charitate erga nos ipsos; quàm erga proximum: Ergo si non potest quis sequi opinionem minùs tutam, vbi sit periculum animæ proximi; multò minùs, vbi propriæ salutis discrimen occurrat. Sic arguit etiam Mastrius *numero 138. quæstione 3.*

HÆC tamen ratio non ponderat, nec impetit satis distinctionem. Cùm enim aliqua Sacramenta sint ad salutem necessaria; quisquis se exponit discrimini, non conficiendi illud Sacramentum, iacit aleam de salute proximi perimenda, quæ aliter non potest haberi, puta baptizandi Lixiuio; At verò, qui habito solo respectu Religionis conficit Sacramentum, sequens opinionem probabilem, quamuis minùs tutam, nec temerè, nec irreligiosè agere videtur contra Sacramentum, quod ad physicam securitatem non cogit; alioqui teneremur Sacramentum non administrare recipienti, nisi physicè esset dispositus: obligationi tamen satisfacimus prudenter intentantes salutem proximi, quam moraliter iudicamus alioqui periclitandam. 195

INSTAT Vidalis, quia si probabilitas sufficit pro implenda obligatione ex Religionis virtute, sufficiet pariter pro implenda obligatione, ex virtute charitatis orta. Probatur consequentia; quia charitatis obligatio requirit, vt proximo per Sacramenta prouideatur sufficiens ad salutem remedium: Sed totum id adimpletur prouidendo per illud remedium, quod opinio minùs tuta iudicat in praxi esse vtile, & bonum, ac salubre: Ergo. Minor probatur: nam sistendo in opinione non possumus de illa summam habere certitudinem, & euidentem cognitionem, cùm hoc repugnet rationi formali opinionis, quæ à notitia scientifica distinguitur: Ergo solùm requiritur quædam moralis certitudo conformis prudentiæ; sed hæc obtinetur in quauis materia per opinionem probabilem, & minùs tutam: Ergo. 196

Hoc fundamento ait Mastrius *num. 139.* benè à Vidali solui, quæcumque afferuntur in contrarium ab authoribus nostræ sententiæ.

AT suprà satis expressi discrimen, ex necessitate salutis petitum. Alij autem volunt, etiam ratione Religionis, teneri nos sequi opinionem tutiorem, quia aliter exponitur discrimini grauis irreligionis, & contemptus. 197

HANC tamen rationem refellit Vasquez: Nam operando probabiliter, non exponimur discrimini, nisi ad summum, faciendi materiale malum. Hoc medio vtuntur Arriaga *disp. 24. sect. 4.* & Serra *quæst. 19. art. 6. dub. 4.*

HÆC impugnatio tamen non placet Mastrio, quia Sacramentum est Mysterium omnimodæ veritatis, & ideò nequit vllam falsitatem, etiam materialem admittere. Adde, agi *hic* non de honestate actionis, sed de validitate Sacramenti, quæ non pendet ex iudicio nostro, etiam prudenti; sed ex institutione Christi, immutabili etiam ab Ecclesia. 198

Aliqui verò, in Sacramentis, non necessariis ad salutem, aiunt, posse nos vti opinione probabili minùs tuta; atque adeò conueniunt cum dicentibus, è sola charitate cogi nos sequi tutiorem, Lorca *prima secunda, tract. 1. disp. 39. memb. 2.* Diana *tom. 1. tract. 13. resol.* & alij *ibi*, atque Bassæo *numero 10.*

INFERVNT verò hinc, in casu necessitatis prouidendi saluti proximi, quando non est in potestate ministri seruare partem tutiorem, & prouidendum est saluti proximi, posse ministrum vti probabili, minùs tuta; vt tempore necessitatis, deficiente aqua, poterit vti lixiuio. Ita Diana *loco cit.* post Bonacinam *de Sacramentis, disp. 1. quæst. 1. p. 4. numero 19.* Martinez *2. 2. tom. 1. quæst. 19. art. 6. dub. 1. concl. 7.* Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 16. sect. 1.* Bassæus, Verb. *conscient. num. 10.* 199

Hoc

Hoc tamen refellit Vasquez, quia si extra proximi periculum non licet, ob discrimen, irritum faciendi Sacramentum, quæ vtilitas erit in necessitate, vel quæ necessitas erit, in qua id liceat?

100 Sed hæc impugnatio non vrget. Nam, vt dixi, cùm probabile sit, Sacramentum fieri; ea exhibetur securitas petenti in extremis, quâ suppono, eum priuandum, si priuaretur Sacramento.

Inferunt secundò; quando ex parte recipientis esset defectus tutioris dispositionis, tunc posse illi ministrum prouidere, secundùm opinionem minus tutam, vt si habeat solam attritionem, cognitam talem, & velit absolui; Excipiunt tamen in articulo mortis. Ita Sanchez *tract. 1. lib. 1. cap. 9. num. 34.* Malderus *prima secunda, quæst. 19. art. 5. disp. 86.* Diana *loc. cit.* Salas *p. 2. quæst. 21. tract. 8. disp. vnic. sect. 10. numero 93.* Sayrus *lib. 1. cap. 7. numero 6. & 7.* Vasquez *loc. cit. numero 19.* Addit tamen Sanchez *numero 35.* id licere, quando opiniones sunt circa iurisdictionem, ob rationem afferendam *quæstione sequenti.*

101 Addunt, id licere etiam casu, quo recipiens minaretur mortem, aut notabile damnum aliud ministro, nisi tunc ministraret Sacramentum; dummodo tamen minæ in contemptum non sint intentatæ. Ità Perez *in Laurea Salmatina, certam. 10. cap. 22.* Sanctius *in select. disp. 44. num. 12.* Quod si quæstio versetur circa iurisdictionem, dicunt, posse ministrum confessarium sequi opinionem minùs tutam. Ità Villalobos *summ. tom. 1. tract. 1. dub. 13. numero 5.* Malderus *loc. cit.* Sanchez *numero 35.* Martinez, Henriquez, Salas, Vasquez apud Dianam, contra Sanctium *in select. disp. 44. numero 19.* Ratio est, quia stante ea opinione probabili, Ecclesia præbet illi Sacerdoti iurisdictionem. De hoc verò, *quæstione sequenti.*

102 Addunt Suarez *3. p. tomo 4. disp. 26. sect. 6. numero 8.* Sanchez *in Summa tom. 1. lib. 1. cap. 9. numero 3.* Sanctius *select. disp. 44.* Diana *loc. cit.* Bassæus *numero 10.* & alij; semper debere se in his casibus accusare de veniali aliquo. Et cùm simplex Sacerdos ad hæc proculdubio habeat iurisdictionem; absoluendo eum opinione probabili, gratiam causare, & sic nullam irrogari iniuriam Pœnitentiæ Sacramento. Hanc opinionem aiunt Diana, & Mastrius esse communem.

103 Sententia D. Bonauent. *quæst. præcedenti, allegatis locis*, videtur esse, teneri nos partem sequi tutiorem. Idem colligo *ex 4. d. 3. p. 1. quæst. vlt.* vbi de forma baptismi agens, vult, sectari tutiorem opinionem. Idem habet *dist. 8. quæst. 2. de forma consecrationis vini.* Vbi quamuis concedat, probabilissimum, omnia verba in canone descripta ad consecrationem non esse necessaria; sed sufficere illa. *Hic est calix sanguinis mei*, ad morem Ecclesiæ Græcæ canonicum, omittentis aliqua è sequentibus verbis, quod apparet etiam in Liturgiis Sanctorum Iacobi, Basilij, & Chrysostomi; attamen addit, non esse aliquid resecandum, vel omittendum de sequentibus, quia sic procedimus securi in negotio; & absque magna difficultate id præstare valemus. Idem tenet Scotus *in 4. dist. 11. quæst. 6.* Faber *disp. 46.* Petrus Soto *lib. de institut. Sacerd. lect. 2. de Euch.* Suarez *tom. 4. in 3. p. disput. 26. sect. 6. numero 5.* & *tom. 3. disp. 11. sect. 4.* ad finem, & probabile fatetur Sanchez *lib. 1. in Decalogum, cap. 9. numero 33.*

104 Tannerus *prima secunda, disputat. 2. quæst. 4. dub. 3.* notat pro sua sententia, opiniones probabiles, à quibus honestas actionis, aliqua ratione dependet, alias esse speculatiuas, v. g. *Hæc res est mea*; vel *non mea*; *Sacramentum hoc modo ministratum valet*: Alias practicas, de honestate ipsius actionis, hìc, & nunc, exercendæ, vt: *Hæc res, quam possideo, iure à me retinetur.* *Sacramentum hoc, iure hìc, & nunc administratur.* Vult ergo, probabilitatem cadere super honestatem practicam rei, non speculatiuam; quasi in quouis casu, in quo probabile sit rem aliquam esse meam, possim eam mihi vindicare.

Hæc tamen doctrina non probatur; & primò 105
quidem discrimen Practici, & Speculatiui inter has duas propositiones. *Hæc res est mea. Hæc res iure à me habetur*, non valet; cùm omninò, quò ad praxim, sint eiusdem generis, vt notat D. Bonau. adducendus *quæst. 19.* Alterum enim practicum ex altero practico oritur. Ex eo etenim, quòd res est mea, iure detinetur. Ex quo fit, vt cadente probabilitate supra primum, cadat etiam super secundum, quod vidit etiam Diana *tom. 1. tract. 13. resol. 5.*

Assero contra primam opinionem Vidalis, 106
non posse in materiis, & formis Sacramentorum adhiberi opinionem minùs tutam.

Probatur ratione D. Bonauent. *loc. citato dist. 3.* qua vtitur Pallauicinus: Quia Sacramenta, cùm ex institutione Christi habeant suam veritatem, non adipiscuntur illam ex eo, quòd probabilis existimatio de illis habeatur; atque adeò extra necessitatem non potest minùs tuta opinio seruari. Confirmatur, quia in quæstionibus *Iuris*, licitus est probabilitatis vsus, quia honestas actus, & conformitas ad legem præcipientem in illis casibus totaliter pendet ex prudenti iudicio, & existimatione operantis, per quam ei proponitur lex
præcipiens: At circa quæstiones *Facti*, & valorem 107
alicuius actus, cum hic non pendeat ex iudicio nostro, quantumuis prudenti, sed ex natura rei, vel ex voluntate, & institutione alterius, contra prudentiam deseritur via tutior. Hac ratione probant Amicus *disp. 15. sect. 4. numero 62.* Becanus *tract. 1. cap. 4. quæst. 9.* Bardius *disp. 4. cap. 32.* Hacquetus *controuersia 17.* & alij, etiam ex obligatione virtutis religionis in Sacramentorum ministerio, licitum non esse sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam; quia Sacramenta non validantur nostra existimatione, sed pro vt in re, & iuxta Christi institutionem; & ideò si non conficiuntur in materia, & forma institutis, nihil fit, vt etiam ipse Vidalis fatetur *numero 7.* Ex quibus etiam ruit eius argumentum suprà allatum.

Assero secundò, non modò ex debito Chari- 108
tatis, sed etiam Religionis, teneri nos ad partem tutiorem eligendam in Sacramentis.

Probatur primò. Magis cogit maius præceptum, quàm minus; Sed præceptum Religionis maius est præcepto charitatis in proximum: Ergo si per vos obligat hoc; magis coget illud.

Probatur secundò. Si teneor præcisè ob charitatem securè operari: Ergo non possum absoluere eum, qui accedit, solâ attritione, cognitâ.

Respondet Vasquez, & alij apud Dianam 109
loc. cit. teneri ministrum in his, quæ se tenent ex parte ministri; dolor autem se tenet ex parte pœnitentis.

Contra primò; quia ministri est non absoluere indispositum.

Præterea Vasquez *disp. 62. cap. 7. numero 4.* vult, confessarium teneri absoluere pœnitentem secundùm eiusdem opinionem, etiam minùs tutam, dummodo

dummodo sit probabilis, vt dicam *quæstione* 13.

Imo ipse Vasquez subdit *hic*, quod pœnitens consilio Confessarij eligendo opinionem minùs tutam non peccat; consilium autem se tener ex patre minitare.

Assignetur igitur ratio, cur non lædatur charitas, tuendo, cum sua sponte iruere ex se in ruinam.

210 Neque verò ratio suprà allata lædit nos tenentes, sequendam partem tutiorem; Dico enim, tutissimam esse partem illam ad præscriptum Concilij Tridentini, vt ostendam 3. *p. tract. de Sacramento Pœnitentiæ.*

Addo tamen cum Diana *resol.* 13. Caspensi *tract.* 11. *sect.* 3. licère vti opinione probabili, minùs tuta, quando adest periculum mortis, & necessarium est Sacramentum; puta si puer moriatur, nec potest haberi aqua, baptizare lixiuio; quia sic non temerè conficio Sacramentum, quia operor probabiliter; ex altera verò parte intentatur nec temerè salus. Pro hac citantur à Diana decem, & octo Doctores.

211 Ex quo deducit, debere Confessarium absoluere, in mortis articulo, eum, quem audit ab aliquo, etiam infideli, signa pœnitentiæ dedisse; vel petiisse confessionem per signa, vel nutus. Addit Caspensis, exhibendam absolutionem absolutè. Sed de hoc *tract. de Sacramento Pœnitentiæ.*

Igitur sententia D. Bonauent. stat, debere nos, cùm possumus, tutiorem partem tenere.

Obiicit primò Vidalis. Eligens opinionem probabilem, prudenter operatur: Nec est maior ratio, cur opinio probabilis sit recta operandi regula in vna materia, magis quàm in alia.

212 Respondetur, patere ex dictis in assertionis primæ argumento differentiam, in his enim, quæ sunt *Iuri*, sufficit operari prudenti æstimatione; non sic in quæstionibus de validitate *Facti.*

Dices: Ergo in materiis Sacramentorum nullæ erunt opiniones probabiles.

Respondet Mastrius, tales opiniones in his materiis esse probabiles speculatiuè, non practicè.

213 Fateor, non exigi summam rei certitudinem, sed moralem sufficere pro capacitate materiæ.

Obiicies secundò. Præceptum charitatis non obligat ad id, quod est melius; sed ad id, quod est bonum. At in quauis materia eligatur opinio probabilis, eligitur bonum: Ergo. Confirmatur: Nam si charitas semper cogeret ad melius, semper essemus ancipites.

214 Respondetur, negando minorem: Verificatur enim solum in his, in quibus per probabilem opinionem potest operans peruenire ad gradum certitudinis moralem, qui necessarius est ad prudenter agendum, quod non contingit in materia, vbi agitur de natura, & valore actuum. Ad confirmationem negatur consequentia; quia in quæstionibus de facto extant regulæ moraliter certiores.

Obiicies tertiò. Probabile, & improbabile opponuntur contradictoriè: Ergo si improbabilis opinio in nulla materia eligi potest, poterit probabilis eligi in omni materia; alioqui contradictoriè non eligerentur.

215 Respondetur, negando consequentiam cum eius probatione: Non enim necesse est, vt quod negatur de vno contradictorio, asseratur de altero: Nam de Asino negatur quod intelligat, neque tamen de non Asino potest affirmari: Nam multa sunt, quæ non sunt Asini; neque tamen intelligunt.

Obiicies quartò. Satis prouidetur necessitati proximorum per remedium prudenter probabile.

Respondetur, in quæstionibus concernentibus validitatem *Facti*, non satis prouideri: Cum valor, seu validitas rerum, quæ pro proximi salute sunt institutæ, pendeat ex primi authoris institutione, non ex aliorum æstimatione.

QVÆSTIO XII.

An Confessarius cum iurisdictione probabili possit absoluere.

Bassæus, verb. *Conscientia*, *numero* 10. ait, Confessarium vtentem opinione probabili, inscio pœnitente, quoad iurisdictionem in absoluendo, delinquere contra charitatem; Quia ille certè si iurisdictionis incertitudinem nosset, ad alium accederet; Vt suæ saluti certiùs prospiceret.

Vniversi ferè Theologi docent, Confessarium cum iurisdictione probabili validè, & rectè absoluere. Ita Suarez 3. *p. tract.* 4. *disp.* 26. *sect.* 6. Granado *disp.* 4. *sect.* 4. Reginald. *lib.* 1. *num.* 102. Caspens. *tract. de consc. disp.* 3. *sect.* 4. Henriq. *lib.* 5. *cap.* 14. Basil. de Leone *lib.* 5. *de Matrim. cap.* 19. Bonacina *de Sacram. disp.* 5. *quæst.* 7. Coninch. *ibi disp.* 8. *dub.* 3. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 9. Trullench. *in Bulla Cruc. lib.* 1. §. 7. Sanch. *loc. citat. Decal. cap.* 9. *num.* 35. *& de Matrim. disp.* 22. *lib.* 3. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 29. *disp.* 8. *num.* 68. Diana *p.* 3. 8. 2. *resol.* 3. & *p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 4. Malderus *prima* 2. *quæst.* 19. *art.* 5. *d.* 86. Crousers. *ad cap.* 7. *Reg. lect.* 22. *fol.* 701. Salas *de leg. disp.* 12. *sect.* 6. *num.* 24. & alij apud istos. Fauent Iurisperiti *in cap. de Iurisdiction.* & *in leg. Barbarius, ff. de offic. Prætoris.* 216

Assero cum hac sententia, Confessarium cum iurisdictione probabili, validè, & rectè posse absoluere.

Probatur argumento ad hominem: Vbi est certitudo moralis, ibi est securitas operandi: Sed in materie iurisdictionis probabilis, est certitudo moralis: Ergo. Maior est certa, & conceditur *vers.* 22. à Bassæo *verb. conscient.* & aliis. Minor probatur: Non minùs est potens opinio sapientum, quàm vulgi error ad conferendam iurisdictionem: At error vulgi confert iurisdictionem certam, concurrente titulo putatiuo & in foro conscientiæ, vt communiter censent Doctores apud Bassæum, *verb. Confessarius*, 2. *numero* 16. Ergo. Hæc minor probatur, quia maiora inconuenientia emergerent in foro conscientiæ, si gesta ex errore essent inualida, vt ait Bassæus; nam pernicies animarum inde resultaret. At cum Summus Pontifex sciat, editos libros, asserentes, eum in tali casu dare iurisdictionem, ne tot animæ pereant, & hoc pendeat à sua voluntate, & prouidentia; tacens, cùm possit reclamare, dat causam ratihabitioni de præsenti, quæ expressæ æquiualet licentiæ ex omnium ferè Doctorum mente, vt ait Bassæus, *verb. conscientia*, *loc. cit. num.* 10. Hinc certam habemus sententiam. 217

Qvare non rectè Bassæus subdit, peccare absoluentem cum iurisdictione probabili, quæ communi sententia nititur Theologorum, quos recensui,

censui; quibus adde S. Bonauent. *in 4. distinctione 19. artic. 3. quæstione 1.* vbi absolutè concedit simplici Sacerdoti absoluere morientem, sanè etiam præsente Parocho. Quo ostendit, posse probabili iurisdictione iustè absoluere, vt colligit Diana *loco citato.*

QVÆSTIO XIII.

An Confessarius teneatur sequi opinionem Pœnitentis.

318 PRobabiliter assero, si opinio pœnitentis sit probabilis. Ità Montesin. *prima secunda, quæstione 5. disputatione 29. numero 198.* Syluius *in tertiam partem, quæstione 9. art. 2. quæritur quarto, casu 2.* Basilius Poncius *de Matrim. lib. 4. cap. 25. numero 8.* Salas *prima secundæ, quæstione 21. tractat. 8. sect. 9. à numero 82.* Valentia *tom. 3. disputatione 5. quæstione 7. p. 4.* in fine, Azorius *tom. 1. lib. 2. cap. 17. quæsito 10.* Villalobos *in summa, tom. 1. tractat. 1. dub. 12. numero 1.* Suarez *in tertiam partem, tom. 4. disputatione 32. sect. 5. num. 4.* Perez *in Laurea Salmant. certam. 10. cap. 13. numero 97.* Nungus *in Addit. ad 3. p. quæstione 8. art. 4. dub. 4.* Fernand. *in exam. Theolog. p. 3. cap. 6. §. 9. cap. 25.* Coninch. *de Sacramentis, disputatione 8, dub. 17. numero 135.* & alij communiter apud Dianam *tom. 1. tract. 13. resol. 11.* & Bassæum *verb. Conscientia, num. 13.*

319 Probatur; quia confessarius non potest denegare absolutionem pœnitenti disposito: At qui operatur opinione probabili, est talis: Ergo. Hinc deducunt, confessarium sic negando absolutionem peccare. Et licèt Vasquez 1. 2. *tom. 1. disputat. 62. cap. 7. numero 40.* Montesinus *disputat. 29. quæstione 5. num. 159.* Salas, vbi suprà, velint, solùm venialiter peccare confessarium non proprium in hoc casu; tamen Sanctius *in Select. disput. 33. numero 54.* Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 1. cap. 9. numero 24* quos sequitur Diana *loc. cit.* putant, esse mortale; si de mortalibus sit facta confessio: nam onus graue imponitur pœnitenti ad sua peccata alteri etiam detegenda, absque causa.

320 Addit Diana, hoc procedere etiam contra Rodriquez, tametsi confessarius falsam esse opinionem pœnitentis existimet; si tamen probabilis putetur inter Doctores probatos, vt docet Valentia *secunda secundæ, disputatione 5. quæstione 7. p. vlt.* in fine, Sanchez, & Sanctius *loc. cit.* & alij. Et hoc verum esse ait Diana non solùm in Confessario proprio; sed etiam in alijs, vt sunt Regulares.

QVÆSTIO XIV.

An quando inter Prælatum, & Subditum est varietas opinionum, teneatur subditus obedire.

FVit opinio Adriani *quodl. 2. p. 3.* nullum subditum obedire posse superiori contra suam opinionem. Sanctius verò *in select. disputatione 33.* asserit, saltem non teneri.

Sententia tamen communis est, illum teneri. Ita Villalobos *in summa, tom. 1. tractat. 1. dub. 11. numero 12.* Malderus *in primam secundæ, quæstione 19. art. 5. disputatione 86. §. Dico quarto.* Sayrus *lib. primo, cap. 12. num. 6.* Sanchez *tom. 2. lib. 6. cap. 3. numero 7.* Turrianus *2. 2. disputatione 50. dub. 5. numero 9.* 321 Salas *in p. 2. tom. 1. tract. 8. disputatione vnic. sect. octaua, numero vigesimo sexto, & sequent.* Vasquez *prima secundæ, tom. 1. disputatione 62. numero trigesimo secundo, & sequentibus*, Lessius *lib. 2. cap. 11. dub. 9. numero 76. & sequentibus.* Corduba *lib. 3. quæstione 9.* Bassæus *verb. Conscient. 21.* Est sententia D. Bonauent. *tom. 2. opuscul. in speculo disciplinæ ad Nouitios, parte prima, cap. 4.* & supra Regulam Fratrum Minorum *cap. 1. & 10.* & *in secundo sentent. quæst. vltima.*

322 Probatvr à D. Bonauent. *lib. 2. Pharetræ* ex D. Bernardo *de præcepto, & dispensatione*, ante medium, vbi ait: *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo; haud secus omninò accipiendum est, ac si præcipiat Deus.*

Similia habent alij Sancti Patres ibi à Seraphico adducti.

Excipe tamen casum, in quo dubium agatur de iurisdictione Prælati: An sit superior; An habeat in hoc iurisdictionem; tunc enim possessio stat pro subdito. Ità Caspensis *tract. 11. disputatione 4. sect. 7.* Quapropter, quia dubium fuit: An Prælatus, Guardianus loci, possit subdito imponere missas, dum in alio monasterio degit; & 323 probabile est, etiam secundum aduersarios, illum ei Prælatum esse pro tunc, vbi degit; Ideò consilium præbui, non esse applicandas necessariò. Addo improbabilem esse opinionem asserentem, quia nostræ Constitutiones nos sub[d]unt, etiam itineris occasione, superioribus, vbi degimus in itinere pro tunc; ita vt nil, etiam præceptum à proprij loci Guardiano, possim operari absque licentia superioris illius loci. Quare sic argumentor.

324 Non potest quis habere simul duos superiores, non subordinatos, circa idem forum: Sed duo Guardiani, duoue Vicarij non sunt subordinati; Ergo nequit habere duos ex his simul: Sed secundùm Constitutiones nostras illi pro nunc superior est is, vbi degit: Ergo ille, vbi est domicilium, non est illi superior. Quidquid in contrarium dicat absque fundamento Zezana.

Respondet aliquis huic argumento, satis tolli implicantiam, si superior domicilij ordinarius præceperit mihi aliquid; & alter superior itineris non præcipiat contrarium.

325 Hæc tamen responsio nullo modo vrget. Primò, quia satis à nostris Constitutionibus declaratur, teneri nos licentiam obtinere à superiore præsenti de quauis re, etiam præcepta à superiore domicilij: Ergo signum est, hunc non habere iurisdictionem; neque requiri contradictionem. Si enim essem subditus, dummodo hic non contradiceret, possem operari, quousque is contradiceret.

326 Deinde arguo, argumento S. Bonauent. *in 4. distinctione 19. artic. 3. quæstione 1. fundamento vltimo.* Ad vitandam confusionem in actibus secundis, seu in executione iurisdictionis, prouidetur per singularem vnius iurisdictionem. Vnde vnus est Parochus, vnus Episcopus; neque admittuntur duo, ea ratione, vt vtrique obediamus, dummodò alter alteri non præcipiat contraria; non enim expectandum est hoc, neque hinc sumenda

menda est ratio iurisdictionis; sed à iurisdictione, vt ità dicam, habituali. Ideò dicitur Matth. 6. *Nemo potest duobus Dominis seruire, aut enim vni adhærebit, & alterum contemnet*; adhærebit sanè legitimo, qui verè est Dominus, cùm non possint plures esse Domini; & contemnet illegitimum, qui non est Dominus, vt acutè arguit Seraphicus, *loco citato*.

QVÆSTIO XV.

An possit Iudex ferre sententiam iuxta probabilem opinionem, relicta probabiliori.

327 SVPPONO, Iudicem non posse iudicare absque ratione probabili, vt docent omnes cum D. Bonauent. *tom. 2. opusc. de Ecclesiast ca Hierarch. parte 2. cap. 2. & 1.* & *parte 4. cap. 3.* vbi mira de eorum munere habet. Et *lib. primo Pharetræ, cap. 45.* quæ prosequitur *secunda secunda, disputat. de Iustitia, quæstione 9.*

328 PRIMA igitur opinio in hac proposita quæstione est affirmatiua. Ità Medina *prima secunda, quæstione 19. art. 6. dub. penultimo ad vltimum.* Aragonius 2. 2. *quæstione 63. art. 4. d. penultim.* & ibi Salonius *controuers. 2. conclusione 4.* Ledesma dicens, esse sententiam multorum nostræ ætatis, *tom. 2. summa, tract. 8. cap. 22. post 11. conclusionem, difficult. 2.* Sayrus *lib. 1. cap. 11. numero 8.* Salas *prima secunda, quæstione 21. tractat. 8. cap. 22. post sect. 12. num. 118.* Diana *p. 1. tract. 13. resol. 3. & in addit. reso. 13.* Hieron. de Rua *t. 2. controuers. 6. schol.* Martinez *p. 2. tomo 2. quæst. 29. art. 6. dub. 6.* Lorca, *ibi, disp. 39. memb. 2.* Aluarez, *ibid. disp. 80.* Morla *in Emporio Iuris, p. 5. tit. 2. quæst. 2.* Delrius *Disq. Mag. lib. 5. quæst. 1. §. Quotiescumque*, vbi ait esse, communem Casuistarum; Sanctius *select. disp. 44. numero 50.* Triuignus *in praxi exam. fol. 2.* Eamque probabilem dicunt Sanchez *lib. 1. cap. 9. numero 47.* Bonac. *de leg. disp. 2. quæst. 4. p. 9.* Castro Palao *tomo 1. disput. 2. p. 11. tit. 7.* Pharaonius *de Sacramento Pœnitent. tract. 1. sect. 3. casu 6.* Leo *de pot. st. confess. p. 1. recoll. 2. numero 177.* Lazarius *de blasphem. quæst. 13. num. 63.* Bassæus *verb. Conscientia, num. 16.*

SECVNDA sententia est, teneri iudicem iuxta probabiliorem sententiam iudicare. Ità Layman *in Theologia moral. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 3. num. 16.* Sanchez *in summa, loc. cit.* cum Doctoribus, quos ipse citat, qui sunt Sotus *lib. 3. de iustitia, quæstione 6. art. 5.* Valentia 2. 2. *disputatione 5. quæst. 7. p. 4. dub. 3.* Bannes 2. 2. *quæstione 63. art. 4. dub. 1. ad 2.* Manuel. *primo tomo summa, in secunda edit. cap. 6. numero 1. conclus. 1.* Ledesma *tom. 2. summa, quæstione 54. artic. 6. fol. 472.* Vasquez *prima secunda, cap. 17. quæstione vltima.*
329 Limitat verò Vasquez, quem laudat Sanchez, nisi iudex inferior esset; & opinio, quam minùs probabilem iudicat, esset magis praxi recepta, & crederet, fore, vt minùs prudens à iudice superiori, ad quem appellatur, notaretur, & sententia reuocaretur, si lata esset, iuxta sententiam probabiliorem; tunc enim potest minùs probabilem sequi; nec tenetur tantam honoris subire iacturam ferendo sententiam inutilem. Quando verò est Iudex supremus, vult, eum teneri ad probabiliorem; Hæc tamen distinctio non placet Dianæ *loco cit.* vbi pro hac sententia citat Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 1. difficultate 15. numero 6.* Ma'derum *in primam secunda, quæst. 19. artic. 5. disputat. 86.* circa finem. Filliuc. *tom. 2. tract. 21. cap. 4. numero 144.* Becanum *in summa, tom. 2. tract. 1. cap. 4. quæstione 9. numero 13.* Tannerum 2. 2. *disputat. 4. dub. 6. numero 128.* Portellum *in Add. t. ad dub. Regular. verb. opinio eligenda, numero 12.* Azorium, & alios. Adde his etiam Bassæum. Neque placet Fabio *in 4. disputatione 6. numero 73.* sed vult cum Scoto, tutiorem semper esse sequendam.

HÆC mihi videtur opinio D. Bonauenturæ *lib. primo Pharetræ, cap. quadragesimo quinto*, vbi id probat ex D. Augustino contra Donatistas, vbi ait: *Non facile pro vno, vel paucis, aduersus innumerabiles religionis, & vanitatis viros, & magno ingenio, & vberi doctrina preditos, nisi pertractatis pro viribus, atque bene perspectis rebus ferenda sententia est.* Vbi probabiliorem sententiam, & à Sapientioribus acceptatam, præponi vult. Fateor, S. Augustinum ibi ex proposito agere, de non decidendis rebus fidei; sed alias etiam claudit. Idem videtur *cap. 2. & 4. speculi animæ*, vbi etiam de Aduocatis. Et *lib. 2. Eccles. Hierarch. cap. 2.* 340

ASSERO cum hac sententia, teneri Iudicem iuxta probabiliorem sententiam iudicare.

PROBATVR à Sanchez *loco citato* ratione D. Bonauent. *locis additis*, quia hic agitur de iure suo, cuique reddendo, secundùm merita causæ, & cùm ipse à Republica Iudex constitutus sit, hoc ipso ei committitur, vt sine acceptione personarum iudicet. Est autem acceptio personarum, posthabito digniori, fauère minùs emerito. Talis autem est, qui infirmioribus fulcitur rationibus, & authoritatibus. 341

QVOD si quæras ordinem à Iudicibus, in eligendis opinionibus, ac sententiis seruandum, optimè rem hanc explicat Seraphicus Bonauent. *locis in 10 additis*, quem sequuntur Vasquez *numero 6. & 7.* Sanchez *numero citato*, vt sufficiens examen sapienter circa ius, factumque præmittant, iuxta allegata, & probata. Si verò opiniones ambæ sunt probabiles æqualiter. Bannes *loco citato* tenet, non esse in potesta e iudicis vtramlibet sequi, sed teneri, vel componere litigantes, vel diuidere rem inter eos, vel, si fuerit indiuisibilis, vt primogenitum, diuidere fructus. Ità etiam Filliuc. *tom. 2. tractat. 21. numero 44.* Castrus Palaus *tom. 1. disp. 2. p. 10.* Coninch. *de Sacramentis, disp. 34. dub. 10. num. 94.* & alij, quos sequitur Diana *in additionibus secundariis, resol. 13.* Bassæus *numero 17.* 342

ALII tamen credunt, integrum esse iudici, secundùm alterutram iudicare. Ità Sanchez *numero 45.* quia vterque illo iudicio dignus est; & sicuti ex duobus, æqualiter dignis ad aliquod beneficium, potest Episcopus, v. g. alterutrum eligere; ità & in casu nostro. Nec obstat, rem esse diuidendam, quando æquales essent ex parte *Facti* probationes, quia hi se tenent ex parte *Causæ*, & sunt propria media, quibus ea decidenda est; puta, quia vtraque pars instrumentis, & testibus, æqualiter validis, nititur. At verò probabilitas ex parte *Iuris*, cùm lex, v. g. vel leges æqualis sunt apud Doctores ponderis, vel æqualiter expositis pro vtraque parte, tunc 343

tunc se tenet probabilitas ex parte Iudicis, qui prospicere communi bono secundùm rationes debet.

344 Pro hac sententia adducit Sotum, Manuelem, Valentiam, Bannes, vbi suprà, Medinam *prima secunda, quæstione 19. art. 6. fol. 309. conclusion. 2.* Salon. *secunda secunda, quæstione 63. art. 4. controuers. 2. concl. 7.* Sayrum *lib. 1. cap. 11. à numero 4.* Salam *prima secunda, quæstione 21. tractat. 8. disputatione vnica, sectione 12. numero 115.* Ledesmam *2. tom. summa, tract. 8. cap. 22. post 11. conclusionem, difficult. 1. fol. 745.*

Hæc tamen opinio displicet, nec consequenter sustinetur ab authoribus, qui secundam sententiam sequuntur cum D. Bonauent. Vnde arguo contra eos ad hominem. Ideò sunt constituti Iudices, vt sine personarum acceptione iudicent: Sed in hoc casu est, secundùm eos, acceptio personarum: Ergo. Minor probatur,
345 quia; Quotiescumque duo habent æquale ius ad aliud, sunt æqualiter emeriti: Ergo secundùm distributiuam debent æquale accipere; alioqui alter penitùs priuatus bonis, datis alteri, non habenti maius ius proprium, priuabitur debitis sibi bonis. Neque est ad rem similitudo de duobus concurrentibus ob beneficium; nam illi non habent ius propriè, nisi quatenus apti sunt seruitio Ecclesiæ, apud quam est ius. Ius ergo stat penes eligentem, dummodò prouideat Ecclesiæ de sufficiente; si non potest de sufficientiore; & acceptio personarum est in non prouidendo Ecclesiæ, eius bonis abutendo, & cùm beneficium sit indiuisibile, vnicum admittens,
346 non est cur alter conqueratur; esto ambo ius meriti ad bona Reipublicæ latum habeant; At verò *hic* ambo habent æquale ius strictum ad ea bona diuisibilia, puta super possessione, vel alio fundo, & æqualibus probationibus, quoad *Factum*, & quò ad *Ius* fulciuntur: Ergo debent secundùm suas rationes accipere beneficium; alioqui ille, contra quem fertur sententia, priuabitur suo iure, & postponetur ei, qui non est magis, quàm ipse, in possessione.

Occvrrit autem vltimò dubium: An iudex in causis criminalibus teneatur sequi opinionem probabilem in fauorem rei; non obstante probabiliori in fauorem fisci.

347 Primò quidem posse id facere asserunt Sayrus *lib. 1. cap. 11. numero 13.* Salon. *2. 2. quæst. 63. art. 4. controuers. 2. conclus. 2.* Pharaonius *de Sacrament. Pœnitent. tractat. 1. sess. 3. casu 8.* Fagundez *in 8. præcepto, lib. 8. cap. 26. numero 38.* Malderus *de iustitia, tract. 9. cap. 1. d. 4.*

Deinde teneri, etiam asserunt Alphonsus de Leone *tractat. de officio, & potestate confessarij, p. 2. recol. 2. numero 188.* Merolla *in disputation. Theolog. tractat. 1. disputatione 3. cap. 4 coroll. 4. numero 181.* Salas *in prima secunda, tractat. 8. disputatione vnic. sect. 12. numero 115.* Bassæus *numero 17.* Castrus Palaus *tom. 1. disputatione 2. parte 11. numero 4.* & alij, quibus subscribit Diana in additionibus secundariis *resol. 13.* Ratio est, quia nemo condemnandus est ad pœnam, nisi pro certa causa, & in criminalibus ad condemnandum reum debent probationes esse luce clariores, vt habetur *in Lege, sciant, Cod. de probat.* Sed quando Fiscus habet probabilitates, non sunt probationes luce clariores meridiana:
348 Ergo. Confirmatur ex illâ sententiâ de regul. iuris in 6. *Quando iura partium ambigua sunt, potius reo, quam actori fauendum.* Hæc sententia procedit non solùm quando opinio in fauorem rei est probabilis circa *Factum*, vt aiunt allegati; sed etiam quando est probabilis circa *Ius.* Ità Villalobos *tom. 1. tractat. 1. difficult. 15.* Emanuel de Moura *opuscul. 1. de Ensal: & incantat. section. prima, cap. 1. numero 25.* contra Bonacinam *de Legibus, disputatione prima, quæstione sexta, puncto primo, numero 15.* Adde Alphonsum de Leone *de officio, & potestate Confessarij, parte prima, recoll. 2. numero 182.* quando versatur varietas opinionum circa ius; quem imitatur Ioan. Sanctius *in select. disputatione 44. numero 52.*

Ad hanc reor inclinare Seraphicum Docto- 349
rem *parte secund. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 2.* vbi affert illud Prouerb. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.* Et cap. 3. benignitatem, & clementiam humanam, imò Angelicam, Principibus commendat. Clariùs ad *sextum Sapientia*, ad ea verba: *Non rectè iudicastis, neque custodistis legem iustitia, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis*; vbi ait: Tangit triplicem 350
modum, quo dicitur sententia iniusta. Primo ex causa, quando non subest causa iusta. Secundò ex ordine, vt quando non seruatur ordo *Iuris.* Tertiò ex intentione, quando corrupta intentione proceditur contra aliquem. Hinc subdit: *Horrendè, & citò apparebit: Quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet.*

QVÆSTIO XVI.

An Aduocatus possit defendere, & Consilium dare, iuxta opinionem minùs probabilem, in causa sanguinis & amissionis omnium bonorum.

Posse Aduocatum in causis ordinariis sequi 351
opinionem minùs probabilem, non solùm *Iuris*, sed etiam *Facti*, docent omnes; sed aduertunt, teneri Aduocatum pandere clientulo minorem probabilitatem causæ; aliàs restituet ei damna. Multò magis, si parum rationis habeat; tunc enim tenetur recedere. Vide Bassæum *numero 19.* Dian. *p. 2. tract. 13. resol. 4.*

Qvæstio est autem: An hoc valeat etiam in causa sanguinis, & expoliationis omnium rerum familiarium.

Prima opinio est negatiua. Ità Ioan. de la 352
Cruz *in Directorio Conscientiæ, parte prima, præcept. 8. art. 5. dub. 1. conclusione 2.* Malderus *prima secunda, quæst. 19. art. 5. disputat. 86. assert. 8.* Martinez *prima secunda, tom. 1. quæstione 19. artic. 6. dub. 6. conclus. 3.* & alij; quia in dubio melior est conditio possidentis, & in dubio fauendum est reo. Idem habet Sotus *lib. 5. de iustitia, quæstione 8. artic. 3.* Burgos *de Paz. in Proœmio Legum Tauri, numero 422.* Bannes *secunda secunda, quæstione 71. artic. 4. in prima parte, dub. 6.* Salonius *prima secunda, quæstione 62. artic. 3. controuers. 2.* Toletus *lib. 5. summæ, cap. 60. numero 2.* Manuel. *primo tomo summæ, cap. 2. numero 2. & 3.* Aragonius *disputatione 3. quæst. 62. artic. 3. colum. antepenultima.* Ledesma *tom. 2.*

summa, *tract.* 7. *cap.* 26. *post* 6. *conclusionem*, *difficultate secunda*, & 3. Mercado *lib.* 6. *de contract. cap.* 8.

354 Secunda tamen opinio est affirmatiua. Ità Vasquez *prima secunda*, *disputatione* 64. *cap.* 1. Salas *loco citato numero* 103. & 104. Sayrus *lib.* 1. *cap.* 11. *numero vltimo*. Azorius *tom.* 1. *lib. secundo*, *cap.* 17. *quæstione vltima*. Idque Valentia *secunda secundæ*, *disputatione* 5. *quæstione* 15. *puncto* 4. *quæstione* 1. probabile censet. Sequitur Sanchez absolutè *tom.* 1. *Decalog. lib.* 1. *cap.* 9. *numero* 53. Turrianus 2. 2. *tom.* 2. *quæstione* 71. *artic.* 3. Lorca *prima secundæ*, *tom.* 1. *disputatione* 39. *memb.* 2. Villalobos *in summa*, *tom.* 1. *tract.* 1. *difficultate* 14. *numero* 5. Fauentinus *in* 4. *disp.* 6. *num.* 70. & 77.

355 Quò ad D. Bonauent. primò supponit, non posse Aduocatum tueri causam euidenter iniustam. Ità *in locis adductis quæstione præcedenti*, & *lib. primo Pharetra*, *cap.* 26. In hoc omnes conueniunt, vt notat Fauentinus *disput. citata*, *numero* 66. Addit Nauarrus, si illam non aduertit, excusari. Addit Fauentinus, excusari etiam ignorantiam aliquam; quæ autem sit, promittit, alibi se dicturum.

In hoc S. Bonauent. aduertit, *locis adductis*, Iudicem, & etiam Aduocatum teneri scire ea, quæ sui muneris sunt, & in ea causa diligenter studio insudare: Non enim excusabitur dicens; *Nescio an*. Fateor, posse aliquam occurrere inuincibilem, similiter & inaduertentiam.

356 An verò teneat primam opinionem, vel secundam; arbitror, stare cum hac secunda; nam, *locis adductis*, solos patrocinantes causas, euidenter iniquas insectatur; imò recitat loca D. Bernardi *de consideratione*, *lib.* 1. & 3. vbi innuitur, posse Aduocatum patrocinari causas habentium aliquod ius, relinquendo ipsi Iudici sententiam ferendam. Itaque sequitur, non errare Aduocatum defendendo causas, secundùm opinionem minùs probabilem, quia Aduocatus non definit eam, sed solùm proponit sui clientuli rationes *Iuris*, & *Facti*, relinquens Iudicis conscientiæ definire. Hanc rationem assumpsit Vasquez *cap.* 1. quam efficacissimam clamat Faber, *numero* 70.

357 An verò etiam in causa dubia possit Aduocatus patrocinari; multi negant: Alij verò afferunt. Ità Diana *loc. cit. resol.* 6. Malderus, *prima secunda*, *disputatione* 86. *assert.* 8. Lorca *disputatione* 39. *memb.* 2. vbi ait: Non solùm quando probabiles sunt sententiæ, sed etiam, si res sit dubia omninò, Aduocatus non peccat patrocinando. Et probatur, quia Aduocatus, nec sententiam profert, nec iudicem cogit proferre, solúmque proponit, quæ sui clientis ius confirmare possunt, quæ proponere iudici in causa dubia non est iniustum; sed iuuat, vt causa melius à Iudice perpendatur; Quæ est ratio suprà allata ex D. Bonauent. Vide pro hac sententia etiam D. Antoninum *p.* 2. *tit.* 1. *cap.* 19. §. 8. Angelum *verbo Aduocatus*, *numero* 17. Armillam *numero* 20. Syluest. *quæstione* 10. Nauar. *in summa*, *cap.* 25. *numero* 28.

QVÆSTIO XVII.

An Medicus in medendo possit sequi opinionem minùs probabilem.

Svppono, Medicum teneri mederi iuxta præscriptum artis, eamque scire; negligentes verò in studendis esse vituperabiles, ac damnabiles, vt notat D. Bonauent. *ad caput* 8. *Luc*. & ad ea verba, *In medicos erogauerat omnem substantiam suam*, vbi præclara de Medicis scribit. Ipsum consule. 358

Negativam partem tenet Portel. *in addit ad dubia regul. verbo Opinio eligenda*, *numero* 10. vbi citat Sotum, & Suarez. Idem habet Villalobos *tom.* 1. *tract.* 1. *difficult.* 1. *numero* 6. Vasquez *prima secundæ*, *disputatione* 64. *cap.* 4. Bonacina *de Legibus*, *disputat.* 2. *quæstione* 4. *puncto* 4. *numero* 21. Becanus *in summa*, *tom.* 1. *tractat.* 1. *cap.* 4. *quæstione* 9. *numero* 13. Sanchez *in summa*, *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 9. *numero* 41. Fauentinus *in* 4. *disputatione* 6. *numero* 74. Vnde adducit è Summistis *verbo Medicus*. Angelum *numero* 2. Syluestrum *quæstione* 4. *p.* 1. Nauar. *in cap. si quis*, *de pœnitent. distinctione* 7 *numero* 58. qui dicunt, Medicum peccate, qui dat medicamenta dubium, An sint profutura. Sic & Bassæus *verb. Conscient. numero* 20. vbi ait esse communem omnium sententiam.

Secvnda opinio est affirmatiua. Ità Azorius *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *quæstio* 11. Aragonius 2. 2. *quæstione* 64. *artic.* 4. *dub. penult.* Salas *prima secunda*, *quæstione* 21. *tractat.* 8. *disputatione vnica sect.* 15. *numero* 158. Montesinus *prima secunda*, *disputatione* 29. *quæstione* 5. *numero* 214. Sanctius *in prælicis disputationibus*, *disputatione* 44. *numero* 36. vbi cum prædictis Doctoribus notat, quod si medicamentum esset certum, tenetur Medicus illud exhibere. 359

Addit Faber, si sit extremum periculum & speretur potiùs profuturum, quàm obfuturum; medicamentum debet applicari, etiamsi sit aliquod periculum nocendi, dummodo aliud melius non habeatur, quia sic iacitur alea, & sine illo remedio non speratur aliud. Subscribit Bassæus cum Valentia *disputatione* 3. *quæstione* 10. *p.* 2. Sanchez *l.* 1. *cap.* 9. *numero* 39. Laym. *lib.* 1. *tractat.* 1. *cap.* 5. §. 3. Filliuc. *tract.* 21. *numero* 151. Diana *p.* 5. *tractat.* 3. *resol.* 132. Rodriquez *tom.* 2. *Summ. cap.* 53. 360

QVÆSTIO XVIII.

An Rex, opinione probabili, possit bellum mouere.

Prima opinio est affirmatiua, si opinio probabilis versetur circa ius. Ità Sanchez *in disput. pract. disput.* 44. *numero* 58.

Secvnda sententia est negatiua. Ità Villalobos *tom.* 1. *tractat.* 1. *difficult.* 17. Vasquez *prima secundæ*, *disputatione* 64. *cap.* 3. Montesinus *disputatione* 29. *quæstione* 5. *numero* 224. & alij apud Dianam *tom.* 1. *tract.* 13. *resol.* 8.

Circa dubitationes præsentis materiæ. 361

Quando

Quandonam possit Rex bellum gerere. Vide Becanum *in Summa Theolog. p. 3. cap. 25. quæstione 8.* Molinam *de iustitia, tom. 1. tractat. 2. disputat. 103.* Maldcrum *prima secunda, quæstione 19. artic. 5. dub. 87.* Lorcam *2. 2. sect. 3. disputatione 53.* Valentiam *tom. 3. disputatione 3. quæstione 16. punct. 16.* Bannes *2. 2. quæst. 40. art. 1. dub. 5.* Vegam *in summa, tit. 1. cap. 121. casu 3.* Salam *prima secunda, quæstione 21. tract. 8. disput. vnic. sect. 15. à numero 121.* Turrianum *2. 2. tract. 1. disput. 90. dub. 2.* Perez *in Laurea, certam. 10. cap. 13. numero 98.* Tannerum *2. 2. disputatione 2. quæstione 6. dub. 4.* Reginaldum *in prax. tom. 1. lib. 21. num. 92.* Ægid. Coninch. *de actibus supernaturalibus, tract. 3. disputatione 31. dub. 1. & 4.*

362 Optime omnium Seraphicus *tom. 2. opusc. in speculo animæ, cap. 1.* finem versus, Laconicè omnia perstringit, dicens: Ad iustum bellum tria specialiter requiruntur, sine quibus habet rationem mortalis. Primum, Principis authoritas. Vnde Augustinus contra Faustum *lib. 22. cap. 75. tom. 6.* ait: *Suscipiendi belli authoritas penes principes sit.* Secundum, Iusta causa. Vnde D. Augustinus *quæst. super Iosue, lib. 6. quæstione 10. tom. 4.* dicit: *Iusta debent esse bella, quæ vlciscuntur.* Tertium, Intentio recta. Vnde idem *de verbis Domini* relatus *disputatione 23. quæstione 1. cap. Apud. Apud veros Dei cultores bella non crudelitate, aut cupiditate geruntur.* Vide Dianam *tractat. adducto*, multa alia de opinione probabili agentem.

QVÆSTIO XIX.

Quæ sit Conscientia dubia.

363 Dvbivm est suspensio animi circa vtramque partem contradictionis; tunc autem est in intellectu suspensio, quando, proposita vtraque parte contradictionis, neutri assentitur.

Dvplex est autem dubium: Aliud *Iuris*; aliud *Facti*. Dubium *iuris* est quod est de obligatione, vel facultate legitima agendi, vel de legitimo actus valore. Dubium verò *Facti* est, in quo dubitatur; An aliquid factum sit, nec ne. Ex dubio autem *Facti*, sæpè oritur dubium *Iu-*
364 *ris*, quando, v. g. dubitatur: An hoc sit factum; puta votum, an sit emissum. An Baptismus sit homini collatus: An emiserit votum Religionis; statim incipit dubitare; An teneatur.

QVÆSTIO XX.

An detur Conscientia dubia speculatiuè, non practicè.

365 Diana *tract. 3. resol. 1. parte 3.* ait, omnes Doctores ponere distinctionem inter dubium speculatiuum & practicum, excepto Lorca *p. 2. disp. 37. memb. 1.* Sic & Bassæus *verb. Conscientia*, communiter sic distingui, docet *num. 21.* Prælibat autem, hæc de rebus agendis intelligi; nam de his, quæ per se non ordinantur ad opus, clarum est. Potest enim quis scire essentiam sphæræ Mathematicæ perfectè, & dubitare, num fieri ità valeat, vt tangat planum in puncto.

Dvbivm speculatiuum aiunt, quo dubitatur in vniuersali: An hoc sit, vel non sit: An sit licitum, nec ne. Practicum verò in indiuiduo: An hoc, hic, & nunc liceat. Nituntur, quia circumstantiæ indiuiduantes additæ variant sæpè specificè, nec tarò aggrauando vel minuendo. Dant exempla dubij speculatiui, si anceps sis, num ieiunaueris; vel: An legitimè emeris, aut ingressus sis ad possessionem agri, vel beneficij, nil ampliùs cogitando. Practici vero: An liceat non ieiunare; vel tali modo emere; vel ad possessionem intrare. Supponunt autem, aliquem certum esse posse speculatiuè, & practicè dubium. Ita certus es non licêre furari, & dubitabis: An, hic, & nunc, necessitas sit tanta, 366
vt à furti malitia excuseris. Sic multa inuenies apud Nauar. *Man. Præl. 9. numero 9.* Claui Reg. *lib. 1. cap. 13.* Caietan. *opuscul. 17. tractat. 3. resolut. 13. disput. 7. & prima secunda, quæstione 57. artic. 5. ad 3.* Sanchez *de Matrim. lib. 2. disputatione 41. numero 4.* Guttiet. *de Matrimon. cap. 49. numero 25.* Syluius *p. 2. quæstione 19. artic. 5. quæstione 7.* Bonacina *de pecc. disp. 2. quæstione 4. p. 7.* Regin. *lib. 13. num. 79.* Filliuc. *tractat. 21. numero 154.* Becan. *de actibus human. cap. 4. quæstione 8. & 9.* Casp. *tractat. 11, disputatione 4. sect. 1.* Lessius *lib. 1. cap. 20. dub. 4.* Suarez *de leg. lib. 5. cap. 18. numero 20.* Sancius *select. disputatione 54. numero 11.* Valentia *disput. 1. quæst. 14. p. 4.* Bassæus *verb. Conscient. num. 10. & 23. ac 24.* qui malè concedit, ac probat, opinionem speculatiuè probabilem, esse & practicè talem. Tum quia probabilitas practicæ est effectus speculatiuæ, & ex eo quis benè, vel malè operatur, quia iudicauit speculatiuè esse licitum, vel illicitum. Probabilitas enim in eo consistit, quòd intellectus habeat aliquam rationem, ob quam moueatur ad iudicandum talem operationem esse licitam, vel illicitam. Sanè probabilitas practica oritur ex eo, quòd veritates speculatiuæ applicantur praxi.

M[illegible] verò admittit, aliquem esse posse speculatiuè certum, & practicè dubium; eò quòd addantur circumstantiæ, reddentes actum hic & nunc varium. Ideò posse esse propositionem in vniuersali certam; & in singulari dubiam. Sic & alij cum eo. Fallitur; quia propositio vniuersalis includit tanquam partes omnes singulares, vt notat Vasquez *prima 2. disputatione 62.* Quare debet esse eiusdem rationis. Si nimirum: Omnes 367
homines sunt rationales, risibiles; sequitur singulos esse tales; Ità si omne homicidium, vel furtum est malum; etiam singula erunt praua: Quod verò ex additis circumstantiis aliquando liceat hic, & nunc occidere, puta ad sui defensionem, vel tollere aliquid ab eo in necessitate, non facit, vt, quod erat vniuersaliter verum, sit varium, diuersumve in indiuiduo; quia tale indiuiduum non est amplius sub eo genere, puta homicidij vetiti, vel furti. Id aduertunt, & Corduba *lib. 3. quæst. 5.* Tanner. *prima 2. disp. 2. quæst. 6. dub. 4.*

Adde, non rectè allatos Doctores distinguere, vt speculatiuè sit verum, cùm est vniuersaliter verum; practicè verò, cùm hic, & nunc: Nam si vniuersale verum est, omne agendum in tali genere

genere esse iustum, sanè non erit tale verum vniuersale, nisi in omnibus singularibus verum sit: hæc enim est natura vniuersalis. Et cum de rebus agendis agamus, si omnes sunt licitæ, nulla erit vltra vniuersalis; Sicuti non esset verum: Omnis homo est risibilis, si vnus saltem non esset risibilis. Neque rectè de agendis proponunt, & ea vocant speculatiua.

368 Quæ enim Theoria videre;. An furari sit licitum? Exemplum verò allatum à Bassæo: An ieiunauerim, vel comederim: vel est extra chorum agendorum, vel ad agenda, confessione, emendatione, & simili, praxi ordinatur. Itaque si in agendis pedem sistant, vt initio spoponderunt; dic potiùs ea, quæ vniuersaliter practicè vera sunt, fore vera & in indiuiduis singulis, nisi mutentur nouis differentiis distrahentibus. Cæterùm omnia sunt practica, vt monet Seraphic. Doct. *in 2. distinctione 39. quæstione 1. in resol.* Probatur ab ipso ad hominem, quia omnes ad actiones diriguntur. Non enim conscientia inquirit: *An totum sit maius suâ parte.* Sed: *An liceat agere, nec ne.*

QVARE ad nihil inseruit illa diuersitas, adeò decantata, Speculatiui, & Practici; omnia enim practica sunt. Et si vniuersale est verum, seu æquum, tale erit etiam indiuiduum quodcumque.

369 QVOD si ad indiuiduandum actum aliæ superueniant circumstantiæ, iam is extra rationem illius vniuersalis egreditur; nam in moralibus, etiam accidentia variant actus sæpè substantialiter. Vide etiam Pasqualigum *decis.* 362.

Inane est igitur dictum Bassæi *numero* 25. militem dubitantem: *An bellum sit à suo Rege indictum*, speculatiuè esse dubium; iudicium verò practicum formare, dicendo, *sibi licere militare in illo.* Vtrumque enim est practicum, etsi secundum sibi sit tantùm applicitum.

HÆC sanè varietatem germinant opinionum, quæ iam adeò multiplicatæ sunt; non reor ad vias salutis nouas extruendas, vt iactant Sancius *in select. disp.* 44. *numero* 70. Caramuel *ad Reg. D. Bened. num.* 60. & Bassæus *verb. Conscientia, sub numero* 21. sed ad Labyrinthos incautis er[illegible]ndos, per quos in os Minotauri decidant.

QVÆSTIO XXI.

An liceat cum conscientia dubia operari.

370 ASSERO negatiuè. Ità communiter Doctores. Adrianus *quodl.* 2. *art.* 2. Angelus *verb. dubium, numero* 1. Nauar. *in cap. si quis de Pœnit. dist.* 7. *à numero* 81. Corduba *lib.* 3. *quæst.* 5. Valentia *quæstione* 14. *p.* 4. Azor. *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 18. Vasquez *prima secunda, disp.* 65. Tannerus *disp.* 2. *de Actibus Humanis, quæstione* 6. *dub.* 4. *numero* 41. Bassæus *verb. Conscientia, num.* 26.

PROBATVR à D. Bonauent. *loco adducto, quæstione* 10. ratione, quâ vtuntur communiter; quia talis se exponit periculo peccandi. Idem colligitur *ex illo* 14. *ad Rom.* ibi adducto à D. Bonauent. *Quod non est ex fide, peccatum est*, vt habet etiam Tanner. *loco citato*, idest, quod non est secundùm iudicium conscientiæ, peccatum est. Ibi enim per fidem intelligitur conscientia, vt exponunt PP. Atque de hoc dubio intelligitur illud *Iuris.* In dubiis tutior pars est eligenda, vt habetur *cap. Ad audientiam. cap. Significasti* 1. *& 2. de homicidio*, & *cap. Iuuenis, de sponsalibus.* Tametsi Diana *p.* 4. *tractat.* 3. *resolut.* 2. dicat, esse merum consilium, & ideò casus latè soluit.

HÆC tamen vera sunt, manente dubio; quod 371
si deponatur, cessat obligatio.

Deponitur autem, vel perpensâ causâ insufficienti ipsius dubij; vel si ratione aliquâ nitatur, deponitur perpensâ aliâ causâ probabili, quæ opus reddat licitum. Ità Vasquez *disputat.* 67. *c p.* 1. *numero* 3. Bassæus *numero* 28. Medina *tract. de conf. quæst. de tempore confess.* Tannerus *loco citato* post D. Bonauent. *in* 4. *distinctione* 38. *in dub. litt.*

QVÆSTIO XXII.

An in dubio iuris, coacti ad alterutram partem, sit eligenda tutior pars.

DVBIVM *Iuris* est, cùm dubitatur de Lege: 372
An sit lata. Dubium *Facti* est, cùm dubitatur: An factum sit, vt homicidium. Ità D. Bonauent. *in speculo animæ, cap.* 3. post medium, & omnes alij.

PRIMA opinio est quorumdam Recentiorum, in dubiis *Iuris*, non esse eligendam partem tutiorem, manente dubio, post actam sufficientem inquisitionem, quæ necessariò debet sanè præmitti. Ità Bartholomæus Medina *lib.* 1. *summæ, cap.* 13. §. 7. Sà *verbo Dubium.* Suarez 3. *parte tom.* 5. *disputatione* 40. *sect.* 5. *numero* 6. Henriquez *lib.* 8. *de Eucharistia, cap.* 15. Sanchez *tom.* 1. *de matrim. lib.* 2. *disputatione* 41. *quæstione* 3. *numero* 36. & significant Sotus *lib.* 6. *de iustitia, quæstione* 3. *artic.* 2. Valentia *tom.* 3. *disputatione* 6. *quæstione* 6. *p.* 4. & fauet Glossa *in cap. Cùm quis, de regulis iuris in sexto.* Idem sentit, aliis recitatis, Tannerus *prima secunda, de actibus humanis, disputatione* 21. *quæstione* 6. *dub.* 4. *numero* 45. qui *numero* 46. dicit, proponendo illud: *In dubio tutior pars eligenda*, quod habetur
cap. Iuuenis, de sponsalibus, & allegatur *in cap.* 373
Ad audientiam, de homicidio, obligare solùm, quando practicè, & in particulari dubitatur de honestate alicuius actionis exercendæ; non autem, quando dubium est abstractum speculatiuum. Idem habet Layman *in Theol. moral. lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 2. *numero* 8. Becanus *prima secundæ, tract.* 1. *cap.* 4. *quæstione* 9. *numero* 4. qui dicunt; quando dubium est speculatiuum, illud decretum esse consilij, non præcepti. Idem sentit Diana *tractat.* 3. *partis* 4. *resolut.* 3. Et quidem dubij speculatiui affert exemplum: An licitum sit cambium, quod dicitur *Della recorsa:* dubij verò practici: An liceat mihi hic, & nunc
hoc cambium: Quæ distinctio omninò est ina- 374
nis, vt probat Seraphicus Doct. adductus *quæstione* 19. Vterque enim casus practicus est; quod si ex aliqua addita circumstantia euenit, vt id, quod vniuersaliter licet, fiat illicitum; mutatur non quidem ratio speculatiui in practicum; sed ratio praxis. Cæterùm illud effatum. *In dubio tutior pars est eligenda*, esse in omni

omni casu merum consilium, sentiunt Malderus *prima secundæ, quæst.19. art.5. disp.87.* Castrus Palaus *tom.1. disput.3. p.6. num.4.* Merolla *tom.1.disp.3.cap.3. dub.2. num.67.* Emanuel Moura *opusc.1. de Incant. sect.1. cap.5. num.2.* At Viger. *2.2.quæst.19.art.6.dubio 6.num.55.* Naldus *in summa, verb. dubium, num.39.* ex Nauarro tenent, dictam regulam procedere, quando in iure exprimitur de casu aliquo speciali. Sic affertur à Pontifice ad sanciendum, vt qui dubius est de homicidio, maneat irregularis: Hoc verò non esse ad omnes casus extendendum clamant.

Hanc sententiam tenent plurimi allati à Diana *loc.cit. à resol.*4. per multas intercisas.

375 Vasquez *disp.65. cap.3.* putat, absque controuersia esse tutiorem partem eligendam, non modò quando dubitatur: An Lex sit lata, & solùm agitur de periculo peccandi; sed etiam quando dubium est: Vtrum votum fuerit emissum; an non. Et quidem in priori casu, quando est dubium: An Lex lata sit, seu existat, necne, ait, à se nullum adhuc Scholasticum inuentum, qui oppositum docuerit. Addit, se intelligere, quando in dubio illo solùm agitur de periculo peccandi; nam si prætereà adsint aliæ circumstantiæ, vt in materia iustitiæ, & a iis; alia erit ratio.

376 Et sanè profitetur, se non videre; quodnam sit discrimen inter dubium *facti*, & dubium *Iuris*, ita vt in dubio *facti*, concedant tutiorem partem eligendam, non autem in dubio *Iuris*.

Enim verò hoc discrimen colligitur euidenter ex D.Bonauent. *in 4 dist.3. p.2. quæst. vltima*; nam dubium *Iuris*, non est dubium obligationis. Lex enim non obligat, nisi postquam euidenter lata est, & promulgata, ità vt omnibus constet, quantùm est ex se.

377 Fateor, legem obligaturam, quando ex culpa, subditus eam ignoraret; quamdiu enim non est euidenter promulgata lex, stat possessio libertatis in subdito, & melior est conditio possidentis in dubio, vt habetur *cap. cùm quis, de regulis iuris, in 6.* & ideò authores primæ sententiæ dicunt, facta priùs diligentia, si manet dubium Iuris, non obligari. Illa verò propositio: *Melior est conditio*, &c. valet, non solùm in materia iustitiæ, sed etiam aliarum virtutum, vt docent duodecim Doctores apud Dianam *p.4.tract.3.resolut.2.* & alij Doctores apud allegatos ab eo.

378 At verò in dubio *facti*, iam est dubium obligationis; quia, cùm lex satis nota obliget, iam possessio stat pro lege, & eam non seruare, est se discrimini inobseruantiæ exponere, & periculum subire culpæ. Et: *Qui amat periculum, peribit in illo*, vt habetur *Ecclesiast.3.* Hæc est germana differentia, qua authores primæ sententiæ innituntur. Ex quo ruit omnis ratio Vasquez, ex quo non lædimur illo dogmate, quod habetur, *cap. Ad audientiam, cap. significasti 1. & 2. de homicidio, & cap. Iuuenis, de sponsalibus*, quod adeò Vasquez vrget contra nos. Ideò *in capitulo, Quid culpatur, 2. 3. quæst.1.* miles, dubitans de iustitia belli, potest adhuc militare, vt docet Tannerus *prima secundæ, disp.2.quæst.6.dub.4.num.45.* Petrus Nauarrus *de Restitut. lib.2. cap.2. parte 2. dub.12. num.260.* Salas *prima secundæ, quæst.21. tract.8. disp.1. sect.26. num.272.* & probabilem ait Diana, *parte 4.tract.3.resolut.7.*

379 Hinc multi casus deciduntur.

Primus est. Dubitans de reseruatione alicuius casus, potest absoluere, si sit confessarius; vel absolutionem prætendere, si sit pœnitens. Ita Sà *verb. casus reseru. num.5.* Ochagauia *de Sacramento Pænit. tract.2. quæst.13. num.8.* Hurtado *de Sacram. tom.1. difficult.21. de pænit. dubio 6.* Homobonus *in consult. casuum conscientiæ, vol.2. p.5. resp.87.* Filliuc. *tom.2. tract.21. cap.4. num.172.* Suarez *de Religione, tom.2. lib.4. cap.5. num.15.* & alij, quos refert Portellus *in dub. regul. verbo casus reseru. num.7.* Diana *parte 4. tract.3. resolut.4.*
Licèt oppositum doceant Armilla, Frias, & Corduba apud Sanchez *in summa, tom.1. lib.1.cap.10. num.74.* qui volebat limitare primam sententiam; sed eius limitationem infringit Merolla *in disput. Theolog. tom.1. disp.3. cap.3. dub.2. corol.23. n.370.* tuetur verò Alphonsus de Leone *de potestate Confessarij, parte 1. recollect.15.num.25.* 380

Secundus est relatus *quæst.14.* in dubio; an aliquis sit verè Prælatus, prælibato debito examine, & adhuc manente dubio, non teneri aliquem ei præstare obedientiam; si tamen sit Prælatus, & dubium sit: an res præcepta sit licita; iam tenetur, quia possessio stat pro Prælato, vt docent cum D.Bonauent. *in 2.dist.39. quæst.3.ad vlt.* Sanch. *summa, tom.2. lib.6. cap.3. num.3.* Azorius, *tomo 1. lib.2. cap.19. quæst. 9.* Valentia *tom.2.disp.2. quæst.24.p.4. quæstiuncula 4. §. Quartum est.* Suarez *de Religione, tom.2. lib.4. cap.15. num.20.* Molina *tom.1. tract.2. disp.113. conclus.3.* contra Vasquez *prima secundæ, disp.66. cap.6. num.51.* quem sequitur Diana *parte 4. tract.3. resol.9.* In casu, quo superior præciperet subdito aliquid, in quo timeret magnum sibi damnum, vt si interrogaret subditum de proprio, vel alterius delicto, & esset dubium: An iniustè interrogaret, tunc enim subditus non tenetur illi obedire. Ità Arragon. *2.2.q.69. art.2.* Medina *prima secundæ, quæst.19. art.6.* Henriquez *lib.14.cap.3.num.3.in Glossa littera X* Lessius *lib.2.cap 4 dub.9.num.77.* & alij apud ipsos.

Tertius est, in dubio: An censura sit lata, vel ferenda, non esse timendam. Ità Diana *parte 4. tract.3. resol.16.* cum Auila *de censuris t. 2. c.p.2. dub.2.* Coninch. *de Sacram. disp.13. num.22.* quos sequitur Hurtado *tract. de censuris in communi, difficult.5.num.22. & disp.2.de excomm. diffic.3. num.7.* 381
Similis est: An quando constat de lege, dubium autem est; an in aliquo casu obliget, liceat contra illam facere, de quo Diana *loc.cit.resol.22.* 382

Respondetur enim cum Sala *prima secunda, tom.2. tract.8. disp.vnica, sect.25. num.259.* affirmatiuè. Nam, licèt lex possideat in genere; attamen pro particulari, tibi dubio post diligentem discussionem, vestra voluntas possidet libertatem. Quidquid in contrarium alij dicant apud Dianam *loco citato.*

Quartus casus est. In dubiis, dandum locum Epyeheiæ. Ità Syluester *verb. Papa, quæst.16. dict.2. & verbo dispensatio, quæst.4.* Corduba *in qq. lib.3. quæst.13. ante reg. primam.* Salas *prima secunda, tomo 2. tract.8. disp.vnica, sect.25.num.260.* Henriquez *lib.14. cap.3. num.3.* in Glossa, *littera X.* & probabile putat Diana *loco adducto, resol.23.* 383

Quintus casus est: Quando ob tenuitatem beneficij dubius sum: An teneat recitare officium. Respondetur negatiuè cum Sala, *prima secunda, tract.8.disp.vnica.sect.17.num.154.* est enim dubium *Iuris.* Idem probabile putat Diana *loco citato, resolut.14.* 384

Sextus est, factâ diligentiâ: An res sit sua, posse possessorem bonæ fidei, manente adhuc dubio, rem illam retinere. Est communis sententia

Doctorum, vt refert Diana, *resol.*25. Ità Villalobos *in summa, tomo* 1. *tract.*1. *difficult.*1. Coninch. *de Sacram. disp.*34. *dub.* 10. *num.*93. Azorius *tom.*1. *lib.*2. *cap.*19. *quæst.*5. Vasquez *prima secundæ, disp.*66.*cap.*7. *a num.*36. Salas *prima secunda, tract.*8. *disp. vnica, sect.*23. *num.*233. Sanchez *in summa, tom.*1. *lib.* 1. *cap.*10. *num* 9. Molina *tom.*1. *tract.*2. *disp.*36. *conclus.*1. & *tom.*3. *disp.*721. *num.*4. Valentia *tom.*2. *disp* 2. *quæst.*14. *p* 4. Salonius 2. 2. *quæst.*82. *art.*6. *controu.*4. *conclus.*1. Bannez 2. 2. *quæst.*62. *art.*6. *dub.*5. *conclus.*4. Sanctius *in select. disp.*43.*num.*11. Merolla *tom.*1.*disp.*3.*cap.*3.*corol.*3. *num.*11. & alij apud ipsum.

385 Probatur; nam in pari casu melior est conditio possidentis. Confirmatur; nam in foro externo, talis possessor non esset spoliandus: Ergo neque in foro interno. Probatur consequentia; nam forum internum semper debet externo conformari, quando externum non sit in præsumptione non innititur, vt docet Merolla *loc.cit num.*7. Garcia *de benef. tom.*2. *p.*9. *cap.*1. *num.*10. Salas *prima secunda, tract* 8. *disput. vnica, sect.*18. *num.*176. & 226. Sanchez *de Matrim. tomo* 1, *lib.*1. *disp.*1. *num.*10. Suarez *de censuris, disp* 40. *sect.*5. *num.*16. Sancius *in select.disp.*48.*num.*55. Diana *loco citato.*

386 Qvod si dubius maneat, magis tamen propendens ad confitendum, rem esse alienam; aliqui dicunt teneri restituere aliquid, iudicio prudentum. Ità Bannez 2.2. *ante quæst.*62. *in præambulo ad illam, dub.vltimo, concl.*2. Ledesma *de Matrim. quæst.*45.*art.*1.*ad* 3. *prima sententia, dub.*2. Salonius 2.2.*quæst.*62.*art.*6. *controu.*4. *conclusione* 4. Sanchez *de Matrim. tom.*1. *lib.*2. *disp.*41. *num.*10. Videtur etiam. Sayri *lib.*10. *tract.*2.*cap.*3.*num.*29. Bartholomæi à S. Fausto *in spec. confess. disp.*4. *quæst.*260. quatenus dicunt, non teneri ad restitutionem, quando æquali lance manet dubium.

387 Enim verò Diana *parte* 2. *tract.*15. *resol.*10. & *tr. ct.*3. *partis quarta, resol.*26. negat, teneri ad aliquam restitutionem, adducens vtrobique Vasquez *prima secunda, disp.*66.*art.*7.*num.*42. Bonacinam *de restit. disp.*1. *quæst.*2. *p.*2.*num.*6. qui adducit Salam *p.*2.*quæst.*21. *tract.*8.*disp.vnica, sect.*23. *num.*231. & notat, Sanchez palinodiam canere; & adducit etiam Merollam *in disp. Theol. tom.*1. *disp.*3. *cap.*3. *corell.*3.*num.*24. Castrum Palaum *tom.*1. *disput.*3. *p.*2. *num.*11. Layman *lib.*1.*tract.*1.*cap.*5.§.3.*num.*21. Filliuc. *tom.*2. *tract.*21. *cap.*4. *num.*158. Ratio est, quia possessio præponderat omnibus rationibus, non conuincentibus. Hoc tamen videtur mihi potiùs dubium *facti.*

388 Septimvs casus, vtrum subditus in dubio: an iustum sit vectigal, teneatur soluere, aut posset fraudare, discutietur *tract.*4. *de legib.disp.*5. *quæst.*11. De hoc agit Villalobos *tom.*1. *tract.*1. *diffic.*26. *num.*3. vbi pro se citat etiam Castrum, & Aragonium. Adde Ludouicum Carbonem *tract. de restitut. quæst.*32. Idem cum illis sentit Molina *de iustitia, tomo* 3. *tract.*2.*disp.*274.*num.*7. qui, quoad tributa antiqua asserunt, esse soluenda, quia iam sunt in possessione; noua autem dicunt discutienda, & manente dubio, non soluenda. Adducit autem Molina etiam Caietanum, Angelum, Syluestrum, Gabrielem, & Medinam, eos sequitur etiam Filliuc. *tom.*2. *tract.*28. *parte* 2.*cap.*7. *n.*117. Ioan. de la Cruz *in directorio conscientiæ, parte* 1. *quæst.*7.*art.*3.*dub.*1.*concl.*2.

389 Octavvs casus est, iudicem, in dubio pari, teneri fauère possessori, quod si neuter possider, teneri inter vtrumque diuidere, quia æquum est vtriusque ius. Ita Diana *resol.*40. Tametsi Petrus Ledesma *quæst.*45. *art.*1. *dub.*2. *ad* 3. *prima sentent.* doceat, rem indiuiduam posse iudicem applicare, cui voluerit. Ità duobus æquè dignis petentibus beneficium, potest Episcopus eligere vtrum maluerit, quia indiuiduum est: Hoc autem ritè impugnat ex Sanchez, Ioan. Salas *prima secunda, tract.*8. *disp. vnica, sect.*23. *num.*240. quia in hoc 390
dubio iustitia petit strictissima, vt res illa strictè distribuatur, vel vni res, alteri verò dimidium æstimationis conferatur: Ergo Iudex, qui est iustitia animata, eiusque minister, sic tenetur facere; nec est simile de beneficio, quia nullus illorum, cum neutrius sit, habet ius aliquod iustitiæ etiam distributiuæ, vt sibi conferatur; sed hæc iustitia dictat, vt alteri illorum detur: in nostro autem casu vterque habet ius iustitiæ commutatiuæ, vt inter eos diuidatur. Ità Salas. Idem ego dixi *q.*15.*in calce*, & suprà ad prop.26. Vide etiam Ioan. Valerum *in differ.vtriusque fori*, verbo *Opinio, differentia* 3. Trischum *verbo Medium, concl.*170. Homob. *in consult.casuum Conscientiæ, p.*7. *resp.*26.*vol.*2.

Nonvs casus, eum, qui dubitat; an sit excommunicatus, posse audire Missam. Ità Diana *loc.cit. resol.*56. adducens Petrum Cornejo *prima secundæ, D.Thom. tract.*8.*quæst.*19.*disp.*4.*dub.*2. 391

Decimvs casus. Eum, qui est dubius; An possit recitare maiorem officij partem, & de hoc sit dubius etiam Medicus, non teneri, quia non cognoscitur tanto rigore velle Ecclesia cogere. Ità Bonac. *de horis canon. disp.*1. *quæst.*6. *p.*1. Castrus Palaus *tom.*2. *disp.*2. *p.*6. *num.*10. neque enim, vt putat Suarez *de relig. tom.*2. *disp.*4. *cap.*28. *num.*21. causa hæc est incerta; sed periculum est causa certa, non dubia; esto non sit certò futurum damnum, vt notat Diana *resol.*56. 392

QVÆSTIO XXIII.

An in dubio Facti *tutior pars sit eligenda.*

Prima opinio est, in dubio facti, præmissa diligenti discussione, non semper tutiorem partem eligendam. Ità Doctores adducti quæstione præcedenti, primo loco. 393

Secvnda sententia est Vasquez *disp.*66. *cap.*1. semper tutiorem partem eligendam. Idem videtur sentire Azorius *tom.*1. *lib.*2. *cap.*18. *quæst.*4. & 5. & *cap.*19. *quæst.*10. Hæc videtur sententia D.Bonau. *in* 2.*dist.*24. *p.*2. *art.*2. *quæst.*2. *in fine resol.* vbi adducit axioma illud: *In dubiis tutior pars est eligenda*, quæ habetur *in cap. Ad audientiam*, & *cap. Significasti* 1. & 2. *de homicidio*, & *in cap.Iuuenis de sponsalibus.* Quam regulam approbant etiam Syluester *verbo Dubium, quæst.*4. & *homicidium* 3. *q.*1. *regula* 1. Nauar. *in cap.si quis de Pœnit. disput.*7. *art.*35. *vsque ad* 42. & *in summa, cap.*27. *num.*229. & 284. Armilla *verbo Dubitatio, num.*2. & 3. Angelus *verbo Dubium*, Adrianus *quodl.*2.*p.*2. Couarruuias *in Clement. Si furiosus de homicidio, in initio num.*3. Vasquez, & Azorius *loc. cit.*

Vbi aduerte primò, non adduci hoc axioma solum pro eo casu, quem affert Pontifex *in cap. Ad audientiam*, nempè, cùm aliquis dubitat; an sit homicida, & præcipit, vt abstineat ab Altari; vt malè putant aliqui: Nam Pontifex potiùs definit, debere eum abstinere, & rationem reddit; quia 394

in

in dubiis tutior pars eſt eligenda; neque eſt ratio ſolùm congrua ad conſilium in aliis caſibus, vt putat Tannerus *diſp.2.quaeſt.6.dub.4.num.46.* & alij adducti *quaeſt.21.* Neque enim ad conſilium, ſed ad præceptum dandum, vtitur eo Pontifex.

395 ADVERTE ſecundò, non valere ſolùm pro foro interno, vt putant Hoſtienſis, & Panormitanus, ad illud Caput, quos ſequuntur Angelus, Armilla, & Syluester; nam, vt ritè aduertit Nauar. *lib.1.* caſus, illo capite relatus, iam erat ad forum externum deductus, incipit enim: *Ad audientiam Apoſtolatus noſtri peruenit.*

396 ADDIT Vaſquez *num.4.* non repugnare illam propoſitionem: *Odia ſunt reſtringenda, & fauores conuenit ampliari*; ſolùm enim definitur, in pœnis infligendis, non eſſe ab vno caſu ad alios extendendum, niſi ſint in iure expreſſi. Neque repugnare illam aliam regulam, quæ habetur, *in cap. Cùm ſunt, de regulis iuris, in 6.* vbi dicitur: *Cùm ſunt iura obſcura, reo fauendum potius, quam actori.* Hoc enim eſt verum de pœna, quæ habet paſſionem, non de ea, quæ conſiſtit in abſtinendo ab aliquo munere, qualis eſt irregularitas. Hinc multi caſus definiuntur.

397 PRIMVS eſt. In dubio, an matrimonium ſit validum, necne; puta, quia dubitatur adhuc poſt diſcuſſionem: An prior maritus viuat; quid faciendum, ſuppoſito, matrimonium ſecundum, factum eſſe bona fide, credito mortuo priori coniuge; nam ſi mala fide contraxerunt, inualidum eſt *ibidem*: At ſi ex leui coniectura de morte prioris coniugis contrahat cum alio, non excuſatur, vt probat S. Bonauent. *in 4. diſtinctione 38. ad litteram Magiſtri*, ex Extrauag. *de Sponſalibus. & Matrimonius.*

398 PRIMA opinio ſanè vult, ante diligentiam adhibitam ad dubium enubilandum, teneri coniugem dubitantem reddere debitum, non tamen poſſe petere; eà tamen ſufficienter adhibitâ, poſſe reddere, & petere. Ita Sanchez *tom.1.lib.2.diſp.41. num.46.* Suarez *de Relig. tom.2. lib.4. cap.5.num.16.* Henriquez *lib.12. cap.6. num.5. & 7* Emmanuel Sà *verbo Debitum coniugale, num.7.* Sotus *de iuſtitia, lib.4.quaeſt.5.artic.vltimo*, Bannes *2.2.quaeſt.62.art.6. dub.5. concluſ.4.* Ioan. Vuiger. *in prima ſecundae, D.Thom. quaeſt.19. art.6. dub.6. num.59. & 60.* Coninch. *de Sacram. diſp.34. dub.10.* Lorca *prima ſecundae, diſp.38.* Ratio eſt, quia eſt in poſſeſſione; & in dubiis, *melior eſt conditio poſſidentis.*

399 SECVNDA ſententia eſt D. Bonauent. *loc. cit.* contracto bona fide matrimonio, & ſuperueniente dubio de ipſius valore, coniugem in tali caſu, ità dubitantem grauiter, non poſſe petere debitum; quia in dubiis, pars ſecurior eſt tenenda; teneri tamen reddere coniugi petenti, cùm ſit in poſſeſſione; & *melior ſit conditio poſſidentis.* Dixi dubitantem grauiter, nam ſi ſit ſuſpicio leuis, debet per aliquem prudentem virum remoueri: Eum ſequuntur Baſilius Poncius *de Matrim. lib.10.cap.15.* Monteſinus *in primam ſecundae, D. Thom. diſp.39. quaeſt.4.* Vaſquez *prima ſecundae, diſp.66. cap.4.* Hurtado *de Matrimonio, diſp.10. diffic.9. num.39.* Rebellius *lib.2.quaeſt.16. ſect.2.* Turrianus *in opuſc. Theologicis, opuſc.10.diſp.4. dub.1. & diſp.5. dub.1.* Peſantius *prima ſecunda, quaeſt.19. art.6. diſp.4. ſect.6.* Inclinat Martinez *prima ſecundae, tom.1. quaeſt.19. art.6. dub.5. concluſ.2.* Diana verò *parte 4. tract.3.reſol.15.* eſt problematicus.

400 NOTAT autem Diana, authores iſtos non loqui, quando dubium vertitur de impotentia ad copulam; nam tunc adhuc concedunt, poſſe vtrumque coniugem petere, & reddere debitum.

Eandem ſententiam tenuere Paludanus *in 4. diſt.36.quaeſt.2.art.3.* Antoninus *3.part. tit.1. cap.9.* Angelus *verbo Matrimonium, tertio impedimento 18. num.4.* Syluest. *verbo Matrimonium, 6. quaeſt.8.* Armilla *verbo Matrimonium, num.45.* cæterique ſummiſtæ, Ioan. Medina, *Cod. de Reſtit. quaeſt.17.* Nauar. *in cap. Si quis autem, de Pœnitentia, d.7. num.101.* & *in ſumma, cap.27.num.288.* Couar. *2.p. de Matrimonio, c.7.§.2. num.7.* Corduba *lib.3. q.8.* & Recentiores aliqui.

ASSERO cum hac ſententia, vnum è coniugibus grauiter dubitantem de validitate Matrimonij, teneri non petere debitum, verùm petenti, teneri reddere. 401

PROBATVR à D.Bonauent. *loc.cit.* ex *cap.Dominus, ac Redemptor, de ſecundis nuptiis*, vbi id à Pontifice definitur. Idem habetur *cap. Inquiſitionis, de ſententia excommunicationis.* Hanc definitionem, ait Vaſquez *cap.2.* ſatis ſuperque eſſe ad hoc firmandum.

Hanc tamen definitionem variè Scholaſtici interpretantur.

PRIMÒ quidem Adrianus *in 4.quaeſt.2.de Sponſal. § Hic oportet*, & *quodl. illo 2. in ſecundo punctio, ad ſecundum argumentum*, dicit, *in cap. illo Dominus.* Sermonem eſſe ſolùm de foro exteriori; in interiori autem, non licere coniugi dubitanti de impedimento, & firmitate Matrimonij, petere debitum, nec reddere; eò quòd vtrouis modo faceret contra conſcientiam dubiam. 402

CONTRA tamen primò; quia in eo capite eſt ſermo de dubio, quod conſcientiam pulſat, non ad lites externas. Secundò, quia in eo capite dicitur: *Si dubium eſt leue, deponatur conſilio Paſtoris; ſi autem dubium leue non eſt, ſed diſcretum, reddat debitum: ſed non petat*, vt notat S. Bonau. & poſt eum Vaſquez *num.7.* Cùm ergo à Paſtore ſit excutiendum dubium, cuius iudicio relinquitur; ſequitur loqui de foro conſcientiæ. Præterea Pontifex Lucius III non ſcribit ad iudices, ſed ad Chriſtianos, qui erant in captiuitate Saracenorum, vt definiret pro tranquillitate conſcientiæ, vt notat Nauar. *cap.Si quis, de Pœnitentia, d.7.n.92.* & Vaſquez *loco citato.* 403

RESPONDET ſecundò Adrianus, illud decretum intelligi, quando ex petitione coniugis, alter dubius ſit certior, & poteſt dubium deponere, tunc igitur poteſt reddere. 404

Contra eſt primò, quia ex petitione debiti nullum habetur argumentum. Deinde, ſi ex petitione debiti ſit certior: ergo iam poteſt reddere, & petere; & tamen decretum ſtatuit, eum non poſſe exigere.

SOTVS *in 4. diſt.17. quaeſt.1. art.3.* & *lib.4. de Iuſtitia, & Iure, quaeſt.5. art.4.* reſpondet, prædictam definitionem obſeruandam in foro interiori, in dubio, ante ſufficientem diſcuſſionem; adhibito verò examine, ſi adhuc coniux dubius maneat, poſſet non ſolùm reddere, ſed etiam petere.

CONTRA, quia Pontifex definit, dubium leue deponendum iudicio Paſtoris: ſi autem diſcretum ſit, & adhuc ſibi exiſtimat dubitandum, reddat; ſed non petat. 405

Præterea Sotus ſupponit, coniugem, etiamſi non moraliter certum de morte coniugis, poſſe tranſire ad ſecundas nuptias, quod eſt contra Decretum hoc, & contra aliud, quod habetur *extrà de*

de sponsalibus, & *matrimoniis*, vt notat Vasquez *ante numerum* 14. post D. Bonauent. *loc. cit.* Hoc tamen rettactat Sotus *in* 4. *dist.* 37. *quæst.* 1. *articulo vltimo*, vbi respondet, caput illud *Dominus*, loqui de eo, qui mala fide contraxit, dubius de impedimento; & hunc sane manente dubio reddere debere, sed non petere; Si verò bona fide contraxit, posse petere; quia in dubio, melior est conditio possidentis. Idem docet Frater à Veracruce *in speculo*, 3. *parte*, *art.* 18.

406 Enim verò non dicimus nos, priuandum possessione coniugis, & separandum; sed non debere eo vti; & hoc ex speciali decreto Pontificis, per quod derogatur effectui huic possessionis; & sanè possessio consistit, non solùm in petendo, sed etiam in reddendo.

Probatur secundò à Couatru. *loc. cit.* Vasquez *num.* 11. quia in dubiis, *tutior pars est eligenda*, nisi alio dogmate excipiatur, & hoc est fundamentum D. Bonauent. sæpè refricatum. Illa verò est tutior, in qua non est peccatum. Itaque non

407 petendo, securus est, non esse peccatum: Similiter & reddendo petenti, quia petens est in possessione, & in dubiis melior est conditio possidentis. Itaque periculum est negando debitum, ne contra iustitiam delinquatur.

Obiicies primò. Pius V. ex Indiis requisitus: An, qui ex gentilitate ad fidem conuertebantur, ritè manerent cum vltima vxore; eò quòd inuenire non possent primam, etiamsi certi non essent de morte eius. Concessit, vt cum vltima permanerent, quæ esset ad fidem conuersa: Ergo adhibita diligentia, & adhuc manente dubio, licet viuere cum vxore absolutè, & reddere, & petere debitum.

408 Respondet Vasquez *num.* 26. Pontificem alia ex causa id concessisse; nempè, quia præsumebatur de aliis vxoribus infidelibus, nolle cohabitare cum coniugibus conuersis ad fidem, vel non posse sine contumelia Dei, & ità concessit, dissolui primum matrimonium, hoc enim statuitur *in cap. Gaudemus, de diuortiis.*

Obiicies secundò. Cùm quis ignoranter contrahit cum Serua, & posteà incipit dubitare de seruitute eius; ac proinde etiam de ipso matrimonio, potest reddere debitum; imò etiam petere, si velit denuò in matrimonium consentire, quia in potestate eius est cum Serua scienter contrahere, & ità firmum efficere matrimonium; At verò non possumus eum cogere ad reddendum debitum, si petatur. Nam vel ille redderet animo fornicario, & hoc non liceret; vel redderet animo maritali; & ad hoc nullo vinculo teneri potest: Sic enim ratum efficeret matrimonium, quod priùs ignorans contraxit, ad quod nulla ratione obligandus est.

409 Ob hanc rationem tenent Doctores plurimi, non posse huiusmodi coniugem obligari ad reddendum debitum. Ità D. Thom. *in* 4. *distinct.* 36. in expositione textus: D. Bonauentura *ibidem*, in expositione textus, *dub.* 1. Richard. *art.* 2. *quæst.* 1. Palud. *quæst.* 2. *art.* 2. post quartam conclusionem. Supplem. Gabrielis *quæst.* 1. *art.* 3. *dub.* 1. Adrianus *quodl.* 2. citato suprà, *puncto* 2. Ioan. Medina *Cod. de Restit. quæst.* 19. §. *Sed cum eorum bona venia.* Sotus *de teg secr. memb.* 3. *quæst.* 2. Couar. 2. *parte*, *de matrimonio*, *cap.* 7. §. 1. *num. vlt.* Nauarrus, Angles, & alij apud Sanchez, *loco cit. num.* 2.

410 Rationi tamen respondent Hurtado, Vasquez, Diana, & alij, quod potest accedere affectu maritali; non tamen intentione validandi matrimonium, sed solùm, vt reddat debitum, si fortè tenetur: secùs enim faciens, ponit se discrimini iniustitiæ, negando debitum, quod est periculum maioris peccati, quàm periculum fornicationis. Ex duobus enim malis, minus est eligendum, vt habetur *in cap. Duo mala*, *dist.* 13. quod est Concilij Toletani VIII. & *in cap. Nerui testiculorum*, *eadem dist.* & est Gregorij Magni *lib.* 32. *moral. cap.* 18. vt refert D. Bonauent. *lib.* 2. *Pharetræ*, *c.* 14. vbi addit etiam D. Isidorum *de summo bono*, *lib.* 3. *cap.* 5. *sent.* 21. & *de synon. cap.* 11. ex quo sequitur, quod cùm non debeat aliquis esse perplexus necessariò, si ex duobus malis alterum est eligendum; sequitur, eligentem minus malum, non 411
peccare, vt ait D. August. *De mendacio*, *cap.* 18. apud D. Bonau. *loc. cit.* Itaque sic dubius, tenetur reddere debitum.

Hoc verò maximè confirmari ait Vasquez per id, quod D. Bonauent. & alij dicunt, debere coniugem, si leuiter dubius sit, reddere debitum; non animo ratum habendi matrimonium, sed tantùm reddendi id, quod fortassè debitum est. Si ergo id potest coniux in dubio leui, cur etiam in graui id efficere non poterit, absque vllo suæ libertatis detrimento?

Enim verò, etiam atque etiam miror, Vasquez hæc dicere, cùm ipse *cap.* 3. *num.* 13. attulerit 412
discrimen: Dubium enim leue non est sufficiens ad priuandum iure maritali quempiam; vt definitur in allegatis capitibus: *Dominus*, *ac Redemptor*, & *Inquisitionis*, ab ipso Vasquez conclamatis. Ideò dubius leuiter de validitate matrimonij potest, & debet reddere, quia alter coniux est in legitima possessione, & sic definitum est à Pontificibus; At in dubio graui, cùm sibi imminens præiudicium de proprietate coniugis videat, & adhuc sit in libertate, non tenetur periculo eam amittendi se exponere. Itaque decreta illa *in cap. Dominus*, & *in cap. Inquisitionis* definiunt, in dubio debere reddere, absque iuris naturæ præiudicio; sicuti nec reddere teneretur, si mortem sibi imminentem videret ex illa copula. Canones enim Iuris positiui humani non detrahunt legi naturæ.

Confirmatur secundò contra Vasquez: 413
Quando est dubium de iurisdictione & dominio, non tenemur obedire, ex Vasquez *disp.* 61. *cap.* 6. sed ergastulus est dubius de iurisdictione; imò, vt magis propriè loquar, non habet iurisdictionem, cùm sit aliorum: Ergo.

Secundus casus est dubium: An lethali cri- 414
mine sit obstrictus, teneri illud confiteri. Ità D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 24. *p.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. vt dixi *quæst.* 10. quem sequuntur Sanchez *in summa*, *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 66. & alij, quos citat, & sequitur Merolla *tom.* 1. *disput.* 3. *cap.* 3. *dub.* 2. *correl.* 23. *num.* 353. Quibus Diana, *parte* 4. *tract.* 3. *resol.* 5. addit Syluium *in addit. ad* 3. *partem*, *quæst.* 6. *art.* 4. *ad tertium.* Homobonum *in consult. casuum*, *in volum.* 2. *p.* 5. *resp.* 131. Guilliel mum Mercerum *in* 3. *part. quæst.* 9. *art.* 4. *num.* 7. Hurtadum *de Sacram. disput.* 9. *de Pœnitentia*, *diffic.* 7. Filliucium *tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 4. *num.* 171. Faustum *in Theolog. Moral. tom.* 1. *lib.* 4. *quæst.* 72. Turrianum *de Pœnit. quæst.* 9. *art.* 2. *disp.* 29. *dub.* 6. Valentiam *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 9. *p.* 3. Azorium *tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 4. *quæsito* 3. Salam *prima secunda*, *tract.* 8. *disput.* 1. *sect.* 5. Sà *verbo Confessio*, *num.* 5. Henriquez *lib.* 2. *de Pœnit. c.* 4 § 5. & Suarez *tom.* 4. *de Pœnit. d.* 22. *sect.* 9. & indicat Concilium Triden

Tridentinum *sess.*14. *cap.*5. *cont.* Layman. *lib.*1. *tract.*1. *cap.*5. §.4. *num.*37. Ioan. Præpositum 3. *p. quæst.*5. *dub.*3. *num.*117. qui tamen in ancipiti versantur.

415 Assero cum D. Bonauent. eum, qui dubius est: An lethali crimine se obstrinxerit, teneri illud confiteri.

Probatvr à D. Bonauent. quia: *In dubio, tutior pars est eligenda*, nisi alio dogmate illud dubium soluetur, sed is non habet, vnde tale dubium soluat, vt supponitur: Ergo.

Respondent aduersatij; quando dubium est omninò practicum, tutiorem partem esse eligendam; si verò ex dubio speculatiuo, iunctis aliis principiis, elici possit conclusio practica, qua concludamus, nos non teneri aliquod onus subire, non semper tutior pars est eligenda.

416 Instant. Huic dogmati in hoc casu obstat aliud: *Melior est conditio possidentis*, quando est dubium. Nunc igitur habemus ius immunitatis ab hoc onere graui confessionis. Sicut autem dubitans: An emiserit votum, non tenetur illud implere, & qui dubitat: an debitum contraxerit, non tenetur soluere; ità etiam *hic*, idem dicendum.

Respondetvr tamen, possessionem stare pro lege, quæ vetuit factum illud; & cùm hoc sit forum Diuinum misericordiæ, tenemur reddere, quantum debemus, maximè cùm de summa rerum, quæ est propria salus, agatur. Ad casus allatos, infrà respondebo.

417 Tertivs casus est de eo, qui dubius est: An sit illegitimus, possetne adire hæreditatem cum aliis filiis legitimis; & quidem respondent affirmatiuè communiter. Ità Malderus *prima secunda, quæst.*19. *art.*5. *disp.*87. vbi ait: Qui dubitat; an sit legitimi thori, non tenetur sequi partem tutiorem, etiam contra possidentem, saltem in materia iustitiæ, v. g. quando adeunda est hæreditas. Probatur *ex lege, filium: ff. de his, qui sui, vel alieni iuris sunt.* Idem sentit Syluester, *verbo Filius, q.*12. & alij, quos allegat, & sequitur Diana *loc. cit. resol.*6. & Vasquez *disp.*66. *cap.*8. qui notat, id definitum *in lege filius, ff. de iis, qui sunt sui, vel alieni*, & in aliis legibus, quas referunt Doctores allegati. Ratio est, quia cùm dubia sunt, & obscura iura partium, fauendum est magis reo, quàm actori, quæ regula habetur *de regulis iuris, in* 6. per quam detrahitur illi, *Melior est conditio*

418 *possidentis*, sicuti (ait Vasquez) hæc detrahit illi: *In dubiis tutior pars est eligenda*, nisi aliquo casu hæc firmetur, sicuti diximus de eo, qui est dubius de homicidio, qui tenetur abstinere ab altari; & idem dicendum putant Couar. *in Clement. Si furiosus*; & Vasquez, dicendum de filio exposito, cuius parentes ignorantur, quem dicunt, non posse ordinari absque dispensatione; attamen in contrarium est Ananias *cap.*1. *de infantibus expositis*, & Gabriel Paleotus *tract. de filiis nothis.*

419 Qvartvs casus est in dubio, an res possessa sit sua; an aliena. Respondetur, facto debito examine, & dubio permanente, posse possessorem rem illam retinere, vt dixi *quæst. præcedenti, in sexto casu*; nam & dubium *Iuris*, & *Facti* multis videtur. Itaque vtroque modo etiam apud eos, qui censent, esse dubium *facti*, licet. Ità notat Vasquez, *disp.*66. *cap.*7.

Qvintvs casus est: An dubius de Voto; an illud emiserit, teneatur ad illud. Respondetur enim, negatiuè, quia est in possessione; & in dubio, *melior est conditio possidentis*, qua detrahitur alteri: *Tutior pars eligenda.* Vide Dianam passim in illo Tractatu, præcipuè *resol.*10.

QVÆSTIO XXIV.

De Conscientia scrupulosa.

Conscientia scrupulosa est sollicita quædam trepidatio, quæ reddit hominem nimis timidum, vel de præteritis, quasi non expiatis; vel de præsentibus, quasi malis. Ità D. Bonauent. *in Compend. Theolog. veritatis, lib.*2. *cap.*52. *tom.*2. *Opusc. & prima parte Centil. sect.*11. *tom.*1. *Opusc.* quem sequuntur Syluester, *verbo Scrupulosus.* Vasquez *prima secunda, disput.*67. *cap.*2. Valentia *tom.*2. *ad quæst.*19. *art.*5. *D. Thom. quæst.*14. *p.*4. Tannerus *disp.*2. *quæst.*6. *dub.*5. Gerson *p.*3. *tract. de remediis contra pusillanimitatem, & scrupulositatem*, vbi aphorismos aliquos de hac re tradit. Inter remedia verò statuit præcipuum, vt eligatur confessarius prudens, sapiens, eique credatur. Vide D. Antoninum *parte* 1. *tit.*3. *c.*10. §.10. Nauar. *in Manual. cap.*27. *num.*281. Granatam *de oratione, p.*2. *cap.*3. Arriam *lib. de oratione mentali, tract.*5. *cap.*2. Azorium *tom.*1. *lib.*2. *cap.*20. & omnes Summistas, *verbo Scrupulosus, vel scrupulus.* Præcipuum est oratio. Equidem vidi multos ob melancholiam in scrupulos adactos. Hi curentur, distrahantur, lætentur. Vide Bassæum, *verb. Conscientia, num.*31. 420 421

QVÆSTIO XXV.

An, & quomodo bonitas Actuum Humanorum pendeat ex conformitate ad Diuinam Voluntatem: & an huic semper conformare nostram voluntate possimus, vel teneamur.

D. Bonau. in 1. dist. 48.
D. Thom. 1. 2. q. 19. art. 4. 8. & 10.

Plvrimis quæstionibus de hac re edisserit S. Bonauentura *in ea distinctione.*

Notandum igitur primò cum ipso *art.*1. *q.*1. aliquid alicui conformari posse, primò per similitudinem substantiæ, aut qualitatis. Secundò per habitudinem, seu proportionem, aut proportionalitatem alicuius ad aliud; & quidem *hic* non est sermo de similitudine, quæ est inter Deum, & nos substantiali, ratione cuius, ad imaginem, & similitudinem eius sumus facti; sed de habitudine, & proportione, seu conformitate secundùm actus, & operationes, vt notat etiam Vasquez *prima secunda, disput.*72 *cap.*1. post D. Bonauenturam. 422

Notandum secundò ex eodem S. Bonau. *quæst.*1. *& sequentibus*, hanc conformitatem nostræ voluntatis ad Diuinam, posse esse quatuor modis. Primò in materia, seu in re, & obiecto volito, volendo id, quod vult Deus. Secundo in ratione formali, volendo, quod vult Deus, eâdem ratione formaliter, puta ex charitate. Tertiò in fine, vt si ob gloriam Dei operemur, sicut ipse Deus omnia ad laudem gloriæ suæ semper operatus est. Quartò in causa efficiente, scilicet volendo id, quod Deus vult, nos velle: Idem notat D. Thom. etiam *art.*10. & 423

& post eos Tannerus *prima secunda, disp.2.de Actibus Humanis, quaest.6.dub.6.num.70.* Vasquez *loc.cit.* Valentia *disp.2.quaest.14.p.8.* & alij.

424 NOTANDVM tertiò, posse nos conformari voluntati Dei omnibus hisce modis, quod S.Bonau. *tota quaest.1.* ostendit: tum è Scriptura 1.Corinth 6. *Qui adhaeret Deo, vnus Spiritus est.* Matth.12.*Omnis, qui fecit voluntatem Patris mei, ille meus frater, &c.* tum rationibus: Sic enim Deus multa praecepit, quae & materialiter, & formaliter, & finaliter tenemur exequi; v.g. diligere Deum propter seipsum super omnia, charitate supernaturali; at Deus nil impossibile praecipit.

425 NOTANDVM quartò ex D. Bonauent. *quaest.2.* conformitatem nostram ad Diuinam voluntatem, quoad rem volitam, seu materialem, non sufficere ad rectificandam nostram voluntatem: Nam etiam mali implent voluntatem Dei, suis poenis; imò & culpis, ideò ait D.August.in Enchir.c.101. quòd: *Voluntas Dei bona per hominum malas voluntates impletur.* Sic etiam prauus filius vult, Patrem suum mori, quem etiam Deus vult mori, vt notat S.Bonauent. post D. Augustinum. Requiritur ergo etiam proportio actus secundùm formam, vel secundùm finem, à Deo intentum.

426 PROBATVR à D.Bonauent. quia voluntas Dei omnia vult propter bonum summum, idest, seipsum; & ipsa est regula prima omnis bonitatis. Tunc sic: Ità se habet vluntas conformando se voluntati Dei; sicut intellectus conformando se veritati Dei: Sed intellectus conformando se veritati, quae est in intellectu Dei, fit verus: ergo & conformando se voluntati Dei circa bonum, fit voluntas bona. Hoc eodem argumento vtitur D. Thom. & post eos alij.

427 ASSERO primò. Non tenemur omnia ad eum finem operari, vt dixi *disp.14. quaest.11.* Patet ex dictis, & probatur à D.Bonauent. *art.2. quaest.1.in fundamentis*; alioqui non daretur actus indifferens.

ASSERO secundò. Quoad rationem formalem volendi, tenemur velle omnia, quae vult Deus, quoad specificationem absolutè, idest, ita velle illud, vt non velimus contrarium: At quoad exercitium, non tenemur omnia velle ex charitate, nec semper velle.

428 PRIOR pars, quòd, scilicet quoad specificationem actus, ità tenemur, ne vnquam quidquam nolimus sub ea ratione formali, quâ Deus illud vult, probatur à D. Bonauent. *art.2. quaest.1.* quia Deus vult omnia iustè, & ordinatè, iuxta suam Diuinam prouidentiam; si autem vellemus oppositum ei, quod Deus vult, nos velle; vellemus iniusta, non iuxta rectae rationis regulam disposita; sed confusa, & inordinata. Hac ratione nititur etiam Tannerus, *num.72.*

429 POSTERIOR pars probatur à D. Bonauent. *in corpore*, quia praeceptum charitatis est affirmatiuum; ideò non obligat pro semper, licèt semper obliget. Hac ratione vtitur etiam Tannerus *num.73.* & actus aliarum etiam virtutum per se sunt meritorij vitae aeternae, nedum honesti, vt ostendam *tract.de Gratia, disp.4.quaest.8.*

Addit verò S.Bonauent. obligari peccatorem ad conuersionem in Deum, quando visitatur inspiratione, exhortatione, & cor eius tangitur. Vide S. Doct. *in calce quaestionis*; sed de hoc *secunda secundae, tract.de Charitate, & tertia parte, de Poenitentia.*

430 ASSERO tertiò, nos teneri conformari Deo in genere causae efficientis, volenti praeceptiuè, nos velle illud; non tamen volenti ex consilio.

PRIOR pars est D. Bonauent. *art.2. quaest.2.* passim, quia sic conformamur voluntati Diuinae, tanquam regulae necessariae, vt ritè notat etiam Durandus *in primo, dist. vltima, quaest.2.* & Valentia *loc.cit.* §. *Quoad secundum*;

POSTERIOR pars patet; nam quae Deus vult, nos velle ex consilio, explicat, non cogere. Quoad 431
volitum materiale maior est controuersia: nam Gabriel *lect.68. in Canonem Missae, littera N.* & *in primo, dist.vltima, quaest.1.* Arimin. *in primo, dist.48. quaest.1.* docent, debere nos velle, quod Deus vult, si nobis talis voluntas innotescat, ità vt non displiceat nobis id, quod Deo placet, vt fiat. Citatur à Tannero *num.76.* & Diuus Bonau. *hic, art.2. quaest.2.* Ocham *in primo, dist. vltima, quaest.1.* sed alia est sententia Seraphici, vt dicam, & notat Vasquez *num.6.*

Eandem sententiam sequitur Magister *in primo, dist.48.cap.1.* Alexand *p.p.quaest.41.memb.5.* Richardus *in primo, dist.48. art.2. quaest.1.* cum hac limitatione, si tamen res, à nobis cognita euenire ex Dei voluntate, sit nobis conueniens.

SECVNDA sententia est, non debere nos conformari Diuinae voluntati in re volita, seu in obiecto materiali, vt si videat, v.g. mortem parentum, non sibi displiceat, debere nos tamen conformari in ratione volendi, seu in ratione vniuersali, ob quam Deus vult mortem illam, &c. ità saltem, vt talis ratio prouidentiae non sibi displiceat. Ità D. Thom. *art.10.* Contadus, & Recentiores Thomistae *ad eum articulum*, Durandus *in 1. dist. 48. quaest.2. num.11.* Alphonsus à Toleto, *eadem distinctione, quaest.1. art.2.* Aliacensis *in primo quaest.14. art.2.* Marsil. *in primo, quaest.47. art. 2. conclus. 6.* eamque probabilem putat Richardus *in primo, dist.48.art.2. quaest.1.* Altisiodor. verò eam apertè sustinet *lib.1.cap.13 quaest.8.* quem immeritò pro prima sententia adducit Vasquez *num.7.* 432

Ipse verò, pluribus dictis, suam opinionem, ad hanc secundam declinantem, exponit. Primò quidem, debere nos conformari voluntati Dei in his, quae absolutè vult independenter à libero arbitrio, aut absque occasione accepta ex eo. Stultum est enim talibus in rebus Deo reclamare. 433

Deinde, in operibus, quae è nostra pendent libertate, solùm nos debere conformari ad voluntatem Dei antecedentem, quae est voluntas praecepti, cui solùm aduersari valemus; nam voluntati Dei efficaci, comitanti consensum nostrum, non possumus esse contrarij. Tertiò ait, posse nos oppositum velle eius, quod Deus decreuit consequenter ex nostro arbitrio. 434

HINC eruit primò; cùm videmus aliquid ex Diuina voluntate fieri, cui potest remedium praeberi, posse nos dissentire; vt cùm videmus, patrem aegrotare, domum comburi, &c.

Eruit secundò; Si aliquis sciat à Deo suam damnationem, quod fieri posse, immeritò negatum à D.Bonau.dicit, posse adhuc niti ad suam salutem. Haec de conformitate efficaci.

QVOAD displicentiam. non debere nos conformari, gaudendo de morte patris, de pluuia, &c. debere autem conformari in formali, & fine, seu ordine prouidentiae. 435

VALENTIA *loc.cit.* dicit, non debere nos conformari in volito materiali, seu obiecto volito voluntate consequenti; bene tamen in volito, voluntate antecedenti.

TANNERVS

TANNERUS dicit, posse nos aliquid velle volitum à Deo antecedenter, sed per modum consilij: Similiter, posse nos velle aliquid à Deo vo-
436 litum, & factum, puta mortem patris. Tertiò, voluntate absoluta, & efficaci, non posse nos honestè nolle id, quod scimus, Deum absolutè, & efficaciter velle fieri; secùs autem, quando nescimus; an id Deus absolutè velit fieri? Quartò, posse nos velle aliquid, quod Deus non vult voluntate consequente, puta salutem æternam alicuius. Tandem addit ad hoc, vt voluntas nostra sit bona, non sufficere, si conformetur in volito; sic enim & Iudæi voluerunt mortem Christi, quam Deus voluit.

437 SERAPHICUS igitur cæteris veriùs docet *art.* 2. *quæst.* 2. Primò, teneri nos velle, quantùm ex nobis est, id, quod à Deo volitum scimus, quantùm est ex parte Dei, idest voluntate antecedente. Secundò ea, quæ vult voluntate consequente absolutè; licèt voluntate antecedente oppositum vellet, puta damnationem Iudæ, debemus efficaciter velle; attamen affectu displicentiæ possumus ex pietate ea nolle, cùm etiam ipse Deus quantùm in se est, ea nolit.

438 NOTAT autem primò, Deum aliqua nobis ostendere in se volita, quantùm in se est, circa quod consistit substantialiter ordo salutis, vt sunt ea, quæ præcipit, & prohibet; & hæc tenemur velle: Aliqua verò ostendit, se velle, quantùm in se est, in quo facilitas salutis stat; vt sunt consilia, & hæc non tenemur velle.

439 NOTAT secundò, voluntate rationali debere nos cum Deo conformari; etsi liceat voluntate compatiente nolle, & sensuali appetitu reclamare: Sic enim etiam Christus in passione reclamauit parte sensitiuà, consentiente parte animæ rationali, dicens: *Transeat à me*, &c. In *articulo verò primo*, *quæst.* 2. docet, non semper esse bonum conformari voluntati Dei, quando res volita habet rationem mali, si referas eam ad finem singularem, v. g. existens in peccato mortali non potest gaudere, se priuatum Dei gratia. Ita etiam Abulensis *in cap.* 2. *Iosue*, *quæst.* 38. & *in cap.* 3. *Iudic.* *quæst.* 3. Gabriel *in Can. lect.* 68. Marsil. *in* 1. *quæst.* 47. *art.* 1. Victoria apud Medinam *hic*, ad *art.* 10. *D. Th.* contra Vasquez *disp.* 72. *cap.* 5. Tanner. *loc. cit. n.* 81. qui malè adducit D. Thomam *art.* 10. *in corpore*, & *ad primum*; imò oppositum indicat, vt patet *in corpore*.

440 ASSERO primò. Voluntas humana, vt sit bona, non debet necessariò conformari complacentià cum Diuina in volito materiali, idest in particulari bono, quod habet pro obiecto.

PROBATUR à D. Bonauent. *in fundamentis*, primò ex D. August. *in Enchir. cap.* 101. vbi ait: *Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult. Tanquam si bonus filius Patrem vult viuere, quem Deus bona voluntate vult mori.* Hæc authoritas est præclara, eaque vtuntur Valentia, & alij.

441 Probatur secundò à Seraphico, quia viri Sancti sæpè volunt (& quidem rectè) opposita: Sic Apostolus volebat alligari in Hierusalem; at discipuli idem nolebant, etiamsi præcognoscerent ex Agabo, voluntatem Dei esse, vt alligaretur; *Actorum* 21.

TERTIÒ, quia sæpè volumus indifferentia, in quibus Diuina nobis voluntas non est determinata, & potest esse, vt velit oppositum.

QUARTÒ. Hieremias *in Threnis*, dolebat desolatam Hierusalem, super quam & Christus fleuit, nolens, eam perire, vt habetur *Lucæ* 19. dolor enim est de rebus, quæ nobis nolentibus accidunt. Similiter Apostoli, & B. Virgo scientes prædestinatam passionem Christi, dolebant. Et quidem voluntate absoluta Christus præcipuè, & B. Virgo voluntati Diuinæ erant summè conformes, quod probat S. Bonauent. etiam ex Hugone *lib. de triplici voluntate Christi.* Hoc est argumentum ex praxi proborum, quo vtuntur Valentia *loc. cit.* Vasquez *cap.* 4. Tannerus *num.* 77. Hinc habes, eos nil ampliùs velle, quàm id, quod vult etiam S. Bonauentura.

PROBATUR quintò à Seraphico *in responsione ad primum* argumento, quo nititur etiam D. Thom. *artic.* 10. quod Valentia sic format: Qui vult aliquid, quod sibi est bonum, attentis iis rationibus, quas solas ipse considerare debet: Is bona voluntate id vult; tametsi contingat, idipsum non esse bonum, secundum alias quasdam rationes, quas is tamen considerare non tenetur. Sed potest aliquis sic velle aliquid: Ergo. Maior patet. Minor probatur à S. Bonauent. nam bonum, quod est finis, potest esse volitum à duabus oppositis volunatibus, v. g. aliquis ex pietate vult vitam alicuius; alius verò ex iustitia vult mortem. Vbi argutè obseruat S. Bonauent. 443
non esse parem rationem, quæ assumebatur in argumento: Sicut intellectus non potest discordare à Dei cognitione in cognito, quin sit falsus; ità nec voluntas à Diuina voluntate, quin sit mala; non enim est eadem ratio de vero, & bono: Nam verum dicitur absolutè esse, vel non esse; & quia duo contradictoria esse non valent; ideò intellectus duo contradictoria asserendo, non potest dicere ambo vera: bonum verò dicitur in ordine ad finem, possunt autem plures, ex oppositis motiuis, habere pro fine idem bonum, sicuti duo itinerantes, ex oppositis viis, ad eandem portam vrbis conueniunt.

HINC habes, S. Bonauenturam noluisse, vt malè ei adscribebant Tannerus, & alij, sentire cum prima sententia; clarè enim dicit, posse nos ex motiuo pietatis velle, quod videmus, non esse volitum à Deo; quod tamen vt boni simus, cùm cognouerimus, esse absolutè à Deo volitum, debemus illud velle ea ratione, eoque motiuo prouidentiæ, quo Deus illud vult. Itaque loquitur cum moderamine, vt notat Vasquez *num.* 6. vt mox etiam dicam, & suprà etiam ostendi *artic.* 4.

ASSERO ergo secundò, debere nos, modo dicto, velle id, quod absolutè volitum à Deo scimus, esto alio ex motiuo illud displicere possit. 444

PROBATUR à D. Bonauent. primò, ex illo Matth. 12. *Qui non est mecum, contra me est.* Ergo si non consonat Deo in volito, est contra Deum.

SECUNDÒ ex Glossa, ad illud Psal. 101. *Non adhæsit mihi cor prauum*, vbi ait: *Prauum cor, & distortum habet, qui non vult hoc, quod Deus vult.*

TERTIÒ Amicitia est idem velle, & idem nolle in rebus honestis, ex Tullio *de off.* & Salustio *in Catil.* sed tenemur Deo seruare amicitiam: Ergo & idem velle. Hoc verò argumentum probat validè necessitatem conformitatis in rebus, quæ Deus ostendit 445

ostendit præcepto, se velle à nobis esse volita; non autem in rebus consilij, vt notat S. Bonauentura.

Probatur quartò à D. Bonauent. *in corpore*, ex D. Augustino; quòd non modò præcepta, sed etiam opera Dei debemus velle, qui ait: *Impius est, cui non placet Diuina prouidentia*, quod sanè certum est quoad specificationem, vt suprà dixi; & de eo, qui eam cognoscens id velle absolutè; attamen adhuc reclamat; nisi velis, hunc esse stultum, vt ait Vasquez *num.*11.

446 QVATVOR autem modis notat Valentia, posse intelligi voluntatem nostram conformari Diuinæ. Primò nil volendo, quod non sit volitum à Deo, voluntate consequenti; & hoc modo non tenemur; possumus enim, & debemus velle bonum, quod est volitum à Deo antecedenter; puta salutem omnium, quam etiam Deus vult, quantùm ex se est, vt ait etiam D. Bonauent. *in corpore*.

447 Secundò modo, non volendo, nisi, quæ sunt à Deo volita, voluntate antecedente; & hoc modo tenemur conformari Diuinæ voluntati; Nam vt voluntas sit bona, debet velle bonum. Sed quidquid est bonum, est volitum etiam à Deo antecedenter: Ergo.

PROBATVR à D.Bonauent. *artic.*1. *quæstione* 2. *argumento vltimo, primo loco.* Sicut intellectus non est verus, nisi conformetur intellectui Diuino, qui est prima veritas; ita neque voluntas potest esse bona, nisi ei conformetur volendo bonum.

448 Tertiò modo, volendo totum id, quod est volitum à Deo, voluntate consequenti efficaci, & hoc non est necessarium, nisi ad ea, quæ præcepta sunt, puta subire pœnitentiam: Reliqua verò iam explicata sunt duabus assertionibus postremis.

Quartò modo, vt velimus totum id, quod Deus vult voluntate antecedente; & hoc neque est necesse, nisi in his, quæ præcepto manifestantur nobis. Ita Valentia post D. Bonauent. *in corpore*.

RESTAT videre: An teneamur conformari in omnibus, quæ Deus vult, nobiscum cooperando; de quo Vasquez *à num.*12. Et quidem docet, non teneri; sed posse contra eam niti; nam voluntas Dei cooperans, cùm non præcedat liberum arbitrium, relinquit illud liberum in quamlibet partem.

449 HINC colligit primò, cùm videmus, Diuina voluntate fieri aliqua, quæ pendent ex nostra etiam diligentia, vt cùm videmus patrem ægrotantem, domum conflagrantem, posse nos adhibere remedia, ne malum continuet. Et hoc quamdiù de Diuina nobis voluntate oppositum non constat.

COLLIGIT secundò; si aliquis certò sciat suam damnationem, quam scire ex reuelatione Dei non est impossibile (quod immeritò negatum à D. Bonauent. *dist.*48. *ad litt. Magistri*, clamat) posse adhuc velle suam impedire damnationem

450 bonis operibus. Ratio est, quia tali reuelatione facta, adhuc manet libertas, & obligatio ad rectè viuendum vsque in finem; eò quòd damnatio non sit futura absolutè ex decreto Dei antecedente; sed consequente peccatum.

Infert tertiò, facta certa reuelatione damnationis propriæ, & peccati vsque in finem vitæ, non esse licitum alicui petere à Deo auxilium vocationis congruæ, aut ne damnaretur.

ERRAT tamen Vasquez: Nam supposita lege 451
Dei ordinaria, quâ omnes vocat: *Venite ad me omnes*; omnibus promittit auxilia: *Ego sto ad ostium, &c.* vt docet etiam Concilium Tridentinum, implicat, dari talem statum, quo non possimus in via petere auxilia necessaria ad salutem; neque verò libertas nostra sufficit ad obseruanda Diuina præcepta vsque in finem, vt millies concedit Vasquez. Ex quo sequitur, non teneri ad seruanda omnia Dei præcepta vsque in finem, vt putat Vasquez, cùm hoc sit tali homini impossibile. Itaque Vasquez secum ipse pugnat. Profectò decretum damnationis esset, supposito abusu gratiæ; cur igitur negatur petere gratiam congruam?

DISPVTATIO XVIII.

De Actibus Hominis communibus cum Brutis.

EGIMVS de actibus propriis homini, 1
qui & humani dicuntur. Iam agendum de iis, quos habemus cum irrationalibus communes; atque adeò agendum de Appetitu Sensitiuo, tanquam principio, & subiecto eorum actuum, qui humani impropriè dicuntur.

QVÆSTIO I.

Quid sit PASSIO.

PASSIONES à D. Augustino affectiones dicun- 2
tur 9. *de ciuitate, cap.*4. & Gregorio Nysseno *in disput. de resurrect.* ante medium, vbi ait: *Pati, idest affectus, passiones, siue perturbationes, & motus animi, certo quodam vsu voluntatis, & arbitrij, vel virtutis, vel vitij, sunt instrumenta.* Id notat D.Bonauent. *in Compendio Theolog. verit. lib.*2.*cap.*42. & *in Confessionali*, circa finem, *tomo* 2. *Opuscul.*

De horum naturâ refert, ex Sanctis Patribus, multa S. Doct. *lib.*4. *Pharetræ, à cap.*40. & 3.*part. Centil. sect.*23. *tom.*1. *Opuscul.* Est autem passio, siue affectio, motus virtutis appetitiuæ sensibilis, ex apprehensione boni, vel mali, ex S. Damasceno, *lib.*2.*de fide, cap.*22.

HINC oritur duplex diuisio passionum gene- 3
ralis; Altera ducitur ex obiecto, idest, bono, vel malo: Altera ex earumdem subiecto, idest appetitu.

Ex obiecto autem sic in vniuersum diuiduntur, vt aliæ sint passiones in prosecutione boni; aliæ in fuga mali, vt notat D. Bonau. *locis adductis*, quem imitatur D. Thom. *quæstione* 23. *artic.* 3. Id colligitur ex Aristotele 6. *Eth. cap.*3. vbi egregiè ait: Quod est in cogitatione affirmatio, & negatio, idem in appetitu prosecutio est, vel fuga;

fuga; tametsi in modo differant, vt notauimus, *disputatione praecedenti, quaestione vltima*, ex D. Bonauent. *in* 1. *distinctione* 48. *artic.* 2. *quaest.* 2. *ad* 4. Vide etiam Valentiam, *tom.* 2. *disputatione* 3. *quaest.* 1. *p.* 1.

4 ALTERA diuisio, quae ducitur è subiecto passionum, est; vt aliae sint motus appetitus sensitiui Concupiscibilis; Aliae Irascibilis, vt notat D. Bonauent. *locis adductis*, vbi ait, hos esse fontes omnium passionum. Ideò Aristoteles 1. *Rhet. cap.* 10. ait: *Appetitiones verò irrationales sunt ira, & Cupiditas.* Idem habet 3. *Eth. cap.* 1. D. Damascenus 2. *de fide*, *cap.* 12. & S. Hieronymus *in cap.* 13. *Matth.* & D. Thom. *quaestione* 23. *art.* 1.

Quomodo autem distinguantur, actum est à nobis *p. p. tract.* 10. qui est de Anima, *disput.* 7. *quaestione* 1. vbi vidimus idem de Concupiscibili, & Irascibili, rationalibus, & de sensitiuis dicendum cum D. Bonauent. & sanè de rationalibus communis fert sententiae, esse vnam realiter potentiam, vt fatetur Tannerus *prima secundae*, *disputat.* 2. *quaest.* 4. *dub.* 1. *num.* 2. post D. Thom. *p. p. quaest.* 82. *art.* 5.

5 SCIO eum respondere *num.* 8. cum D. Thom. *loc. cit.* diuersam esse rationem voluntatis, quae cùm tendat in bonum, velut obiectum, secundum communem rationem boni, non distinguitur re ipsa per differentias essentiales, sub illâ ratione communi contentas. Accedit, hoc in naturis ordinarium esse, vt, quae sunt in inferioribus sparsa, vniantur in superioribus.

ENIM verò cùm diuersi habitus necessarij sint ad iuuandam voluntatem, vt feratur in bonum simpliciter, quod est obiectum charitatis; & in bonum, vt arduum, quod est obiectum Spei, signum est, etiam voluntatem ad haec habere vires distinctas.

6 SIC etiam in parte sensibili distinguitur appetitus Irascibilis à Concupiscibili penes, rationem ardui, vt cum S. Bonauent. *locis citatis*, & *in* 3. & S. Thoma, docent caeteri, relati à Tannero *numero* 9. Imò arguo ad hominem contra Tannerum *numero* 4. & D. Thom. *p. p. quaest.* 81. *artic.* 2. ab eo adductum. Virtus in inferioribus sparsa, vnitur in superioribus, & hoc in nostro casu allegatur à Tannero *numero* 8. Sed in merè naturalibus inanimatis vna est potentia, quâ prosequuntur conuenientia; & refugiunt nociua:
7 Ergo in sensibilibus vniuntur. Minor euidenter probatur, supposita vulgari doctrina de qualitatibus elementorum, quae ità dispertitae sunt elementis, vt & actiuae, & resistitiuae sint; ità tamen, vt quae magis actiuae sunt, sint minùs resistentes. Sic calor, qui est actiuissimus, est minoris resistentiae, quàm caeterae qualitates. Itaque calor & prosequitur escam, vt transmutet alia in se, & resistit frigori: Sic frigus etiam agit, vt infrigidet, & resistit calori, & sic de reliquis; ita vt humiditas, & siccitas, quae sunt magis resistitiuae, sint minùs aliis actiuae, vt sic contemperari valeant per actiones, & repassiones ad mixta compingenda; si enim qualitates, quae sunt maximè actiuae, forent in eodem gradu etiam resistentes, nunquam repaterentur, neque adeò ad mixtiones conuenirent.

8 Cùm igitur inferiora per eandem potentiam realem ferantur in bonum, & retundant malum; atque adeò bonum arduum prosequantur, multò magis in aduersantium doctrina id dicendum de superioribus sensibilibus.

AVREOLVS *in* 3. *dist.* 15. *art.* 3. praeter appetitum internum suprà recitatum, vnumquemque in corde ponit, qui sequitur apprehensionem interiorem: alterum ponit externum, in sensibus externis inhaerentem, qui sequitur externam sensationem, cui duplicem passionem adscribit, Delectationem, scilicet & Dolorem.

Quod probat primò, quia si pes, vel manus laeditur, non sentitur dolor primò in corde, sed in parte illa laesa. Secundò; quia ex eodem obiecto potest quis interiùs habere tristitiam, & exteriùs delectationem, vt in Virgine violenter deflorata. Tertiò, quia passio interior sequitur imaginationem: dolor verò, & delectatio interior sequitur actionem Physicam, puta scissionem, palpitationem, &c. 9

HAEC tamen doctrina falsa est, & contra vnanimem consensum Doctorum, vt notat Tannerus *num.* 13. & refert S. Bonauent 3. *part. Centil. à cap.* 10. Nam duas tantùm vires appetitus sensitiui, & has internas, distinguunt. 10

IDEM habet S. Doct. aliis locis suprà adductis. Et quidem certum est, potentias ità connecti, vt sensationem externam sequatur illicò interna, vt habet Tannerus *loc. cit.* post D. Bonau. *locis citatis*, & *dist.* 24. *art.* 3. & *in Itinerario mentis in Deum*, *c.* 2. Atque adeò frustrà ponit Aureolus, dolorem secutum è sola externa sensatione.

PRAETEREA *Dolor est dissensus ab his rebus, quae nobis nolentibus accidunt*, ex D. August. 14. *de ciuit. Dei, cap.* 15. vt ostendit D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 44. *quaestione vltima*, & aliis locis adductis *p. p. tract. de anima*, qui est 10. *disput.* 7. *quaest.* 5. Itaque obiectum doloris externi non est ipsum sensibile externum, alioquin esset sensus externus; sed est ipsa sensatio externa, disconueniens animali: Ergo ad eum requiritur apprehensio ipsius sensationis externae, quod fieri non potest, nisi per sensum internum; atque adeò impossibile est, dolorem etiam externum sequi è sola sensatione externa, non interna. Ità Tannerus *loc. cit.* post Diuum Bonau. 11

AD argumentum primum Aureoli respondent aliqui cum Scoto *in* 2. *dist.* 16. & *in* 4. *dist.* 43. Phoxio *lib.* 5. *naturalis Philosophiae*, *cap.* 22. vtramque vim appetitus, etsi habeat sedem in corde, simul tamen per totum animal dispersam esse, & ità quali-bet parte corporis dolere posse. 12

RESPONDET Tannerus *num.* 1[?]. dolorem solùm esse in Corde aut Iecore, & tamen sentiri in quavis parte corporis laesa, non secundùm se, sed secundùm sui causam, idest ipsam sensationem dissonam, ex qua sequitur. Sicut dulcedo mellis sentitur quidem in lingua; sed tamen delectatio animum ipsum afficit, & ad affectum cordis, seu iecoris pertingit. Haec est doctrina D. Bonauent. adducti, *loco citato*.

QVAESTIO II.

Quot sint Passiones.

NOTA saepè D. Bonau. numerare tantùm quatuor passiones; sed profitetur, se loqui ex aliorum sententia. Ità *parte* 4. *Pharetrae*, *cap.* 40. & *in* 3. *dist.* 26. *quaest.* 1. & *lib.* 3. *Pharetrae*, *cap.* 41. 13

PASSIONES enumerauimus *p.p. tract. de anima*, qui est 10. *disp.7.quæst.1.* Et quidem sex sunt appetitus Concupiscibilis, & quinque Irascibilis. Passiones Concupiscibilis sunt: Amor, Odium, Desiderium, seu Concupiscentia, & Abominatio, Delectatio, & Tristitia, seu Dolor. Passiones Irascibilis sunt: Spes, & Desperatio, Timor, Audacia, & Ira.

14 HANC diuisionem communiter tradunt Theologi præcipuè Richardus *in 3.dist.16.art.1.quæst.3.* S. Antoninus *p.p. tit.6. cap.2.* Gerson *Alphabet.72. littera X. consid.5.* Vigueriis *cap.10. §.10.* Valentia *tom.2. disp.3.quæst.1. p.2.* Tannerus *disp.2. quæst.4. dub.2.* & omnes Thomistæ, ac Moderni; nam, ante S.Thom. nullum tradidisse hunc numerum distinctè, asserit Tannerus *loco citato.*

HIC oportet aliquantulum morari, vt ostendam Seraphicum ab hac sententia non recedere, tametsi aliquando pauciores passiones pro re tractata numeret.

15 Et quidem *in Confessionali*, tradit regulas interrogandi de passionibus, quæ circumstant vt plurimùm in peccatis, & sunt: Spes, Timor, Gaudium, Mæror, Amor, Pudor, & Odium.

AT *lib.4. Pharetræ, a cap.40.* tradit istos affectus; & quidem cùm appetitus Concupiscibilis versetur circa bonum, vel malum absolute, tot erunt vtique passiones, quot erunt modi, quibus bonum, vel malum mouere potest appetitum: Tales autem sunt sex, complectentes tres combinationes. Aut enim bonum, vel malum consideratur absolutè, prout abstrahit à præsentia, vel absentia; & ecce Amor, & Odium. Vel consideratur bonum, & malum, vt futurum, & ecce Desiderium, & Abominatio; Aut consideratur bonum, vel malum, vt præsens; & ecce Gaudium, & Dolor.

16 NVMERVS verò passionum Irascibilis sic colligi potest. Diximus suprà cum D. Bonauent. obiectum Irascibilis esse bonum arduum, & malum, superatu difficile. Iam igitur aut possibile æstimatur, aut impossibile. Si possibile; excitare potest spem, quæ ipsum bonum arduum respicit, vt finem; & Audaciam, quæ difficultates aggreditur: Si verò impossibile æstimetur; ingeret Desperationem. Malum verò præsens, gignens Tristitiam, excitat etiam Iram ad vindictam mali, & habet pro obiecto, non malum illud præsens, sed potiùs bonum quoddam, quod in retributione ad æquale consistit, vt docet D. Bonauent. *in 1.dist.10.quæst.2. ad argumenta.* Si verò malum est futurum, ingerit Timorem, qui est passio, Audaciæ contraria.

17 Hic modus habebitur explicatiùs infra, dum singulas affectiones scrutabimur.

OBIICIES. Sub hoc numero non comprehenduntur Fames, & Sitis, Nemesis, seu Indignatio, Zelus, & Æmulatio, aliòque Zelotypia: Item, nec Inuidia, Misericordia, aut Verecundia.

RESPONDETVR, has, vel non esse passiones, vel sub enumeratis complecti. Etenim, fames, & sitis sunt passiones, vt sequuntur apprehensionem, & sic ad Desiderium reuocantur, vt notat D. Bonau. *in Collationibus, ad cap.7. Ioan. collat.38.* est enim appetitus delectabilis, vt notat D.Bonau. *ad cap.4. Ioannis*, ad ea verba: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet.*

18 INDIGNATIO est quædam displicentia, seu ira, & tristitia, eò quòd indignis bene accidat, vt notat D Bonauent. *ad 13 Lucæ, num.41.* ad ea verba: *Indignans, quia Sabbatho curasset*, & *ad Lucæ 15.* ad ea verba: *Indignatus, nolebat introire*, & *ad cap.7. Ioan. 23.* ad ea verba: *Mihi indignamini.*

ZELVS est vehemens amor, vt notat D.Bonau. *l.b.4. Pharetra, cap.36.* & *lib.3. cap.35. tom.1. Opusc.* & *in Bibliis pauperum, cap.51.* & *52. tom.1. Opusc.* vbi notat, sæpè zelum indiscretum degenerare in Iram, & Æmulationem. Inuidia est tristitia de bono aliorum; sicut misericordia est tristitia de malo alieno, vt docet D. Bonauent. *prima parte, Centil. sect.19.* ex D.Damasceno *2.de fide, cap.14* ex Remigio, atque Aristot. *2.Rhet. cap.8.* & *9.*

VERECVNDIAM, ait Tannerus. *num.19.* esse timorem turpitudinis: At Doctor iste, qui in cæteris secutus est Seraphicum, in hoc deficit; nam verecundia est etiam tristitia, seu dolor de malo turpi patrato, vt ostendit S.Doct. *lib.3. Pharetra, cap.16.* ex SS.PP. & *in 4.dist.16. quæst.1. ad 1.* est enim pudor quid sequens ad dilectum rei turpis patratæ. Tametsi esse timorem etiam turpitudinis ostendat S. Bonauentura *in Alphabeto Religiosorum, collat.5.* 19

QVÆSTIO III.

De Amore.

PRIMA inter affectiones est Amor, qui est primogenitus passionum, vt docet D. Bonau. *in 1. dist.10.quæst.2. in corpore*, ex D.August. 14. *de Trinit.* De quo multa videnda sunt. 20

SVPPONO autem ex D.Bonauent. *3.part. Centil. sect.47.* hoc inter charitatem, & Amorem esse discrimen, vt Charitas, & Dilectio, solis rationalibus competant, Amor verò, etiam irrationalibus. Licet sæpè pro eodem sumantur, vt notat D.Bonauent. mox citandus. Ideò D. Dionysius *cap.4. de Diuinis nominibus, part.2* quinque Amores, ex parte subiecti distinguit, vt notat S.Bonauent. *de septem Itineribus Æternitatis, Itinere quarto, dist.2.* hi sunt, Diuinus, Angelicus, Spiritualis Rationalis, qui est hominis proprius, Animalis, qui est communis brutis, & Naturalis, qui est appetitus corporum, & quasi pondus, vt ait D.August. 11. *de ciuit. cap.28.* & D. Bonau. *de septem Itineribus, loc.cit.dist.4.art.4.* Idem notat Valentia *disp.3. quæst.2. p.1.* Amores istos egregiè explicat S.Bonau. *loco adducto.*

Nos de amore Animali præcipuè agimus, qui est inclinatio ad bonum, qui supponit cognitionem sensitiuam. Hic igitur est solùm in habentibus sensibilem appetitum, vt in Homine, & Brutis, vt notat D. Bonauent. *ibi.* Hunc amorem ait Philosophus *7. Top. cap.3.* & *8. Eth. cap.5.* esse passionem appetitus concupiscibilis. Hic definitur ab Hugone: *Amor est spontanea quædam, ac dulcis ad aliquem inclinatio.* Ita refert D.Bonauent. *de septem Itineribus Æternit. itinere quarto, dist.3.* 21

DIVIDITVR autem præcipuè in Amorem Amicitiæ, & Concupiscentiæ. Amor Amicitiæ dicitur inclinatio appetitus in bonum, secundùm seipsum, & tanquam in terminum. Concupiscentia verò in bonum, non secundùm se, vt terminum, sed vt relatum ad alterum. Oritur autem hæc diuisio ex definitione Amoris, quæ habetur *2. Rhet. cap.4* vbi dicitur: *Amare, esse bonum velle.* Potest enim bonum velle alicui propter se, & hic est amor amicitiæ; vel referendo ad aliud; & est Concupiscentiæ. Vide S. Bonauent. *lib.4. Pharetra, c.15.* 22

tom.1.

tom.1. opusc. & *in primo, distinct.17. parte prima, quaest.1.* & *in Compend. Theologicae veritatis, lib.5. cap.24.*

23 CAVSAE Amoris sunt praecipuè tres. Prima est Bonitas cognita. Ideò D.Dionysius *cap.4. de Diuinis nominibus, parte prima*, ait: *Pulchrum, ac bonum omnibus est diligibile, & amabile.* Idem ait Aristot. 8.*Eth.cap.5.*

Ideò Deus, quia summè bonus, summè etiam diligibilis. Meritò Deus dicitur pulcher, & decorus, quia trahit, & vocat omnia ad se, vt ait D. Maximus *in cap.4. de Diuinis nominibus, S. Dionysij.*

De hoc argumento nil refero ex D. Bonauent. cùm eius opuscula sint integra, praecipuè Stimulus Diuini Amoris: Diaeta salutis: Itinera Aeternitatis: De alis Seraphim, &c. quae maximopere cuperem, vt perlegerentur ab omnibus Diuini amoris studiosis.

24 SECVNDA causa amoris est similitudo. Vnde Aristot.*lib.7. Eudemiorum Moral.cap.4.* ait: *Similia similibus mox gaudent; & homo homini iucundissimus.* De hoc vide S.Bonau. *in Stimulo Amoris.*

TERTIA est amor. Ideò Seneca *epistola 9.* ait: *Monstrabo tibi amatorium sine medicamento, sine vllius veneficae carmine: Si vis amari, ama.* Hinc D. Ioan.epist.1.cap.4. *Nos ergo diligamus Deum, quia ipse prior dilexit nos.* Sunt verò aliquae res, quae beneuolentiam conciliant, de quibus Aristot.*lib.2. Rhetor.cap.4.*S.Ambrosius *l.2. offic. cap.7.*& *cap.19.* vbi exempla affert. Prosequitur D. Bonauent. *de septem Itineribus Aeternit. Itinere 4 dist.3.* De hoc plurima in omnibus Seraphici opusculis. Vide *loc. cit. de 7.Itineribus Aeternit.art.4.*

25 VERVM enim verò, quia amor iste saepè immoderatus sit, ideò ad illum moderandum, eumque internoscendum, optimas regulas assignant Sancti, praecipuè S. Bonauent. *de profectu Religiosi, lib.2. cap.27.* Ex hoc enim amore, scelera omnia oriri docet D.August.*22.de ciuitate Dei, cap.22.*

PRIMVM quidem remedium est ab aspectu rei adamatae recedere; nam ex aspectu, prima scelera orta, notat D.Bonauent.*in Bibliis pauperum, cap.92.* Sic Genes.3. *Eua videns pomum.* Genes.6. *Videntes Filij Dei filias hominum, &c.* & plura alia loca Scripturae ad hoc refert, quem sequitur Valentia *disp.3. quaest.2.p.2.*

26 SECVNDVM est, consideratio malorum, quae ex prauo amore oriuntur. De quibus vide S.Bonauent. *opusc. de tribus ternariis peccatorum, cap.5.* & *cap.8.* vbi etiam primam regulam de vitando aspectu tradit.

TERTIVM est, conuertere cor ad alia amabilia, praecipuè in Deum. Vide D. Bonauent. *in stimulo Diuini amoris, & in Itinerario.* Sic enim veluti clauo truditur clauus, sic sensere Philosophi apud Ciceronem *quaest.4 Tuscul.*

27 QVARTVM est, fugere otiositatem. De quo vide D.Bonauent.*in Compendio Theologicae veritatis, lib.3. cap.18.* quem sequitur Valentia *loc.cit.*& Tannerus *disp.2.quaest.4.dub.3.*

EFFECTVS amoris sunt plurimi. Primus est vnio amantis cum amato, vt patet ex Platone *in Symposio*, & Aristot. 2. *Polit.cap.2.* vbi ex Aristophane, ait: *Ex amantibus fieri quasi vnum.* Et ex D. Dionysio *cap.4. de Diuinis nominibus, parte 1.* vbi vocat amorem, *virtutem commiscentem.* Vnit autem amor dupliciter. Primò formaliter, quatenus ipse est propensio quaedam amantis in bonum amatum; atque adeò nexus, & vinculum vtriusque. Secundò effectiuè, quatenùs excitat amantem, vt quaerat praetereà coniunctionem aliam realem, quantùm possit, cum re amata. Vtrumque modum vnionis 28 attigit D.Aug. *lib.8. de Trinitate, cap.16.* dicens: *Amorem esse veluti iuncturam quandam, quae amantem cum re amata copulat, vel copulare appetit.* Ità Valentia *loc. cit.* post D. Bonauenturam. S.Doctor *de 7.Itineribus Aeternit. loc.cit.* & *de Stimulo Diuini amoris, & in primo sent.* vbi de emanatione Spiritus sancti, & *in tertio* de Charitate disputans.

SECVNDVS effectus est extasis, seu abstractio 29 cogitationis à rebus aliis in rem amatam. Hunc effectum considerat in amore Diuino S.Dionysius, *cap.4. de Diuinis nominibus, parte prima*, & post eum D.Bonauent.*loc.cit.art.4.* quem obsecro legite, habet enim *ibi* praeclara. Similiter, & *in opusc. de 7. gradibus contempl. tom.2. Opusc.*

TERTIVS effectus est zelus, de quo suprà. Similiter Languor *Cantic.2.* Liquefactio *Cantic.5.* Feruor *Cant.8.* Vide S.Bonauent.*loc.cit. de 7.Itineribus, toto opere*, & *in stimulo Amoris Diuini.* Et *de Alis Seraphim*, quem sequitur Valentia *p.3.*

QVAESTIO IV.

De Odio.

ODIVM est secunda passio Concupiscibilis, 30 opposita Amori. Est autem odium fuga, seu auersio appetitus à malo, hoc est; eò quòd ab operante, velut malum concipitur. Sicut autem amor est duplex, Amicitiae, & Concupiscentiae; ita etiam duplex est odium, Abominationis, & Inimicitiae. Odium Abominationis est, quo aliquid, velut malum nobis, vel aliis, inconueniens refugimus. Odium inimicitiae est, quo alicui nolumus bonum, sed potiùs volumus mala, vt docet D.Thom.*q.46. art.6.* Caietanus *quaest.29.art.1.* Valentia *disp.3.q.3. p.1.*Tannerus *disp.2.quaest.4.dub.3.num.37.* & D.Bonauent.*in opusculo declaratorio terminorum Theologie, tom.1.opusc.* De quo multa refert exempla *in Bibliis pauperum, cap.47. tom.2. opusc.* & *in 3.dist.30.quaest. vltima.*

ET quidem Abominatio, cùm sit fuga, habet 31 pro obiecto malum: Inimicitia verò pro obiecto malum alteri inferendum; imò duo mala, idest, *Quod*, & *Cui*, vt docet D.Thom.*quaest.46.art.6.* Attamen habet pro obiecto malum illud, vt sibi conueniens; & bonum proficuum, vt notat Valentia *loc.cit.* qui ideò dicit, inimicitiam non esse ità propriè odium, sicuti est Abominatio, quae est mera fuga à malo. Idem docet Tannerus *loc.cit. num.37.* & consentit D.Bonau. *locis citatis.*

CAVSAE odij sunt Ira, Detractio, Calumnia, vt docet Aristot.*3 Rhet.cap.4.*

PORRÒ odium potest esse bonum, & malum, 32 vt docet D. Bonauent. *in 3. loc. cit.* cum D. Gregorio Nysseno *homil.8. in Eccl.* De quo 3. *parte, tract. de Charitate.* Nunc satis sit, odium esse malum, quando ità proximum animo auersamur; vt vel nolimus ei suppetere aliquod bonum ex iis, quae per charitatem cuilibet proximo velle tenemur; aut velimus aliquod malum euenire, contrarium bono alicui, quod ex charitate teneamur proximo velle. Si autem auersetur quis in proximo malum ipsum culpae, aut propter

culpam oportet ei iustum malum pœnæ, bonum est odium. Ita Dauid in Psal. 138. *Nonne qui oderunt te Domine, oderam?*

Si igitur fuerit prauum debet pelli, excitando mentem ad charitatem, quia *præceptum Domini est.* Vide Valentiam *p.2.* post D. Bonauent. *in 3. sent. loc. cit.* Effectus odij sunt rixæ, contumeliæ, offensæ, & aliæ iniuriæ innumeræ.

QVÆSTIO V.

De Desiderio.

33 PAssio hæc est appetitus quidam sensibilis boni futuri, quæ etiam Cupiditas dicitur, vt docet D. Bonau. *lib. 4. Pharetræ, cap. 40.* post D. Gregorium Nyssen. *in disp. de resurrect. & anima*, ante medium, vbi ait: *Concupiscentiam esse appetitionem eius, quod deest, vel desiderium fruendæ voluptatis.* Hoc enim desiderium trahit ad se nomen commune concupiscentiæ, & cupiditatis, vt docet etiam D. Ambrosius *in psal. 37.*

34 Enim verò appetitus hic vehemens cùm sit, moderamine indiget, quo sanè compescitur etiam amor nimius. Nam & Seneca *lib. 1. de tranquillitate vitæ, cap. 11.* ait: *Facilius est initia affectuum prohibere, quàm impetum regere.*

Cupiditates in duplici differentia ponuntur ab Aristot. *3. Eth. cap. 11.* & *primo Rhet. cap. 11.* Altera est naturalis, quæ oritur ex natura ipsa animalis, & qua expetuntur ea, quæ competunt naturæ animalis: Altera innaturalis, quæ oritur ex æstimatione, siue cogitatione, quæ putat hoc, & illud sibi conue-

35 nire, vt si quis concupiscat adorari. Et quidem naturales concupiscentias communes esse nobis cum brutis, docet D. Thom. *quæst. 30. art. 3. ad 3.* At innaturales esse proprias hominis, ait Valentia cum D. Thom. quia, licèt sint in potentia sensitiua; sequuntur tamen potentiam cogitatiuam, quæ, licèt sit potentia sensitiua in homine, respondens cogitatiuæ brutorum, tamen ob affinitatem cum intellectu multa attingit, quæ sensus non assequitur. Idem habet Valentia *disp. 3. quæst. 4. p. 2.*

36 Hoc tamen non probatur; nam cùm animalia habeant omnia, quæ habet homo, secundùm esse sensitiuum: alioqui non essent vniuocè conuenientia in natura sensibili, non video, cur hanc cogitatiuam sensibilem, propriam hominis, eis addant.

QVÆSTIO VI.

De Abominatione.

37 ABominatio est fuga mali cuiusque futuri: Sicut Timor est fuga mali, euitatu ardui, & difficilis: Itaque hæc passio assumit nomen commune cuique fugæ mali. Sumitur etiam pro odio vehementi. Sic dicitur Lucæ 16. *Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum*, vt exponit ibi D. Bonauent. & post eum Valentia *quæst. 4. p. 3.*

QVÆSTIO VII.

De Delectatione, seu Gaudio.

DElectatio, seu Gaudium, atque Voluptas 38
est affectus quidam, ortus è consecutione boni amati, & concupiti, in quo non modò quiescit more inanimatorum, quæ assecuta sunt finem, puta centrum, aut sphæram, sed sentit animal, se illud assecutum, vnde & gaudet, ac delectatur.

Mvltæ sanè delectationes sunt non prauæ; pleræque tamen prauæ sunt, atque adeò comprimendæ. Et quidem è pœnis, quæ imminent, frænantur, vt ait D. Gregorius 14. *Moral. cap. 4. circa finem.* D. Hieronymus *epist. 50. ad Pammach. tom. 2.* & *epist. 34. ad Iulianum.* Bernardus *declam.* ad illud: *Ecce nos*, ante medium, Boëtius *de consol. lib. 3.* 39
prosa 7. Interl. *Leuit. 2.* Glossa ord. *Oseæ 4.* Seneca *epist. 51. in fine*, & *lib. 2. in cap. de Luxuria*, quos refert S. Bonau. *lib. 3. Pharetræ, cap. 16. tom. 1. Opusc.* Præclara verò remedia affert *collat. 79. in cap. 16. Ioan. ad finem Commentarij in Ioannem.*

Cavsam delectationis constat esse bonum aliquod præsens apprehensum, vt suprà diximus de dolore, *quæst. 1.*

Effectvs delectationis sunt multi. Primus est 40
dilatatio Cordis, iuxta illud Isa. 60. *Tunc videbis, & afflues, & dilatabitur cor tuum*, ab hoc effectu dilatationis denominatur *delectatio.*

Secvndvs effectus est, afferre sitim ex insufficientia boni; & fastidium ex vilitate, quam rem præclarè explicat D. August. *tract. 15. in Ioan.* ad ea verba: *Qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum.* Et post eum S. Bonau. ad eum locum Ioan. vbi affert alia ad id testimonia. Et D. Thom. *quæst. 33. art. 2.* Valentia *disp. 3. quæst. 5. p. 4.* vbi cum D. Bonau. *loc. cit.* explicat quomodo *Ecclesiastici 24.* dicitur: *Qui bibunt me,* 41
adhuc sitient, nempe quia cum haustus bonorum spiritualium in hac vita sit tenuis, sitit anima, vt vberior detur in gratia, & perfectissimè, ac continuè in gloria. Sic de Angelis, ait D. Petrus, prima epistola, cap. 1. *In quem desiderant Angeli prospicere.*

Affert verò fastidium delectatio, quando eâ illectus animus excedit modum in operatione; vt, quando quis nimium comedit. Sed hoc proprium est delectationum corporalium: Nam spirituales per se quidem nequeunt modum excedere, vt neque ipsæ spirituales operationes, nisi per accidens, ratione alicuius operationis corporalis con- 42
currentis in vsu operationum spiritualium, vt notauit D. Thom. *quæst. 33. art. 2.* Huc spectat illud D. Gregorij *homil. 36. in Euangelia*, vbi ait: Hoc distare inter delicias corporis, & cordis solet; quod corporales deliciæ, cùm non habentur, graue in se desiderium accendunt; cùm verò auidè eduntur, comedentem protinùs in fastidium per satietatem vertunt.

At contra, spirituales deliciæ, cùm non habentur, in fastidio sunt: cum verò habentur, in desiderio: tantoque à comedente ampliùs esuriuntur, quantò & ab esuriente amplius comeduntur. In illis appetitus satietatem, saturitas fastidium generant: In istis autem, appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit. Ita refert Valentia ex D. Bonau. *loc. cit. Ioan. 4.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO VIII.

De Dolore, atque Tristitia.

43 DOLOR aliquis est rationalis, alius sensualis, vt docent omnes cum D. Bonauent. *in Compendio Theolog. veritatis, lib. 6. cap. 21.* Hic igitur de sensuali agendum.

DOLOR est passio, qua appetitus detestatur malum iam præsens, præsens inquam, vel secundùm rem, vel secundùm apprehensionem, vt docent communiter cum S. Bonauent. *in 4. dist. 16. quæst. 1. ad argumenta.* Detestatur autem cum perturbatione, & ità dolor est noxius dolenti. Ità S. Augustinus *lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. 7. & 8.* dolorem vocat ægritudinem, & D. Gregorius Nyssen. *in disp. de resurrect. & anima*, vocat eum passionem tetricam.

44 Ex his habes, omnem dolorem secundùm rationem communem, opponi delectationi cuicumque. Ex quo sequitur, vt se inuicem debilitent. Si verò sint de eodem obiecto sub eadem ratione, sunt incompatibiles, vt docet Valentia *quæst. 6. p. 1.* post D. Bonauent. *in 3. dist. 16. art. 2. quæst. 2.* Si verò sint ità ordinati, vt vnus sit materia alterius, vt cùm dolor pœnitentis est illi materia gaudij, non se expellunt.

45 QVAMVIS autem dolor nonnunquam tribuatur corpori, seu externo sensui, iuxta D. August. *lib. de vera religione, cap. 12.* & Aristotelem, vt dixi *p. p. tractatu* 10. qui est de Anima *disputat. 7. quæst. 5.* id tamen non nisi causaliter intelligendum ibidem vidimus, quia causa doloris est in corpore, siue externo sensu, puta in tactu; At dolor est in anima. Nam corpus nequit dolere, nisi dolente anima, ex D. August. *l. 12. super Genes. c. 24.* & D. Thom. *quæst. 35. art. 1. & 2.* Quare dolor non est in ipso sensu externo, sed solùm in appetitu. Vasquez *3. p. quæst. 15. art. 6. disput. 14.* Tannerus *disp. 2. quæst. 4. dub. 3. numero 47.* post D. Bonauent. *locis ibi adductis*, & *in 3. dist. 16. quæst. 1.* Hinc Seraphicus *ibi*, & D. Thom. *locis citatis*, duplicem
46 dolorem discernunt: Alterum, qui causatur ab aliqua læsione corporis; Alterum, qui causatur à sola apprehensione interiori. Ille dicitur propriè dolor: hic verò dicitur Tristitia, quæ magis est propria hominis, licèt aliquo modo etiam brutis competat.

CAVSÆ Tristitiæ sunt plurimæ, vt docet D. Bonauent. *in cap. 16. Ioan.* ad ea verba: *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Prima est amissio alicuius boni, vt docet D. Augustinus *lib. 14. de Ciuit. Dei, cap. 7.* Hinc etiam sequitur, aduentum alicuius mali esse causam Tristitiæ. Secunda est malum proximi amati; & dicitur misericordia.
47 Tertia est bonum proximi nobis inuisi, & dicitur Inuidia. Quarta est angustia, quæ opprimit cor, vt nullum videatur superesse effugium. Quinta est, Bonum operabile nobis displicens, & causat Accediam. Sexta est, Malum præteritum nobis displicens, & dicitur Pœnitentia. Septima est, Bonum alicuius, qui reputatur indignus, & dicitur Nemesis, vel Indignatio. Octaua est, Bonum alicuius, quatenùs nobis deest, & causat Zelum; Ex his aliquas referunt Sancti, Damascen. *lib. 2. de fide, cap. 14.* Nemesius *lib. 4. Philosoph. cap. 12.* D. Bonauent. *loc. cit.* Ioannis, *& lib. 4. Pharetra, c. 40.* & *in 3. sent. loco suprà adducto*, & *dist. 15. art. 2. quæst. 2.* & *aliis locis adductis, quæstione 2. ad argumenta.*

AD has reducuntur Dilatio boni concupiti, vt 48
habetur Prouerb. 13. *Spes, quæ differtur, affligit animam*, & aliæ, quas habet S. Bonauent. *locis adductis*, & post eum Valentia *disputat. 3. quæst. 6. p. 3.* vbi etiam ex D. Bonauent. *loc. cit. in Ioan.* enumerat Tristitias, quæ sunt secundùm Deum, de quibus *2. Corinth. 7.* Vide Seraphicum *loco cit.*

REMEDIA verò Tristitiæ, quæ non est secundùm Deum, multa sunt, præcipuè tradit S. Bonauent. *ad locum citatum Ioan.* remedium traditum à S. Iacobo, cap. 3. *Tristatur aliquis vestrum? oret.*

SECVNDVM traditur à D. Bonauent. *ad 18.* 49
Lucæ in ea verba: *His ille auditis, contristatus est; quia diues erat valdè.* Est autem efficacissimum, nempè euocatio cordis à bonorum temporalium cupiditate, considerando, ea leuia, fugacia, molesta, pernitiosa; quæ pungunt ad modum spinarum, vt habetur *Matth. 13.* Ideò de diuite dicitur, Iob. 15. *Sonitus terroris semper in auribus illius: & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur.* Hinc iusti tristitiam ex raptis sibi bonis gaudio retuderunt, cognoscendo, habere meliorem, & manentem substantiam; vt habetur *Hebræor. 10.* Hæc S. Bonauent. *loc. cit.* Et sanè homini fideli hæc sunt exquisita remedia, quæ sæpè repetit Apostolus *Philip. cap. 1. 2. Tim. 2.* & Dauid *Psalm. 24. 90.* & aliis. Et Seneca *lib. 1. de Tranquillitate vitæ, cap. 9.* & *lib. de Prouidentia*, & refert Valentia *loc. cit.* post D. Bonauent. qui etiam *collat. 73. in cap. 16. Ioan.* præclara edisserit.

Aliud remedium affert Valentia, quia sic exercentur virtutes. Vide S. Bonauent. *lib. 4. Pharetræ, cap. 40.* 50

TRISTITIÆ effectus plurimi sunt. Aggrauare cor, & corpus, & reddere operationibus tardum. Estque maximè omnium passionum noxia, vt dicitur *Prouerb. 17. & 25.* & *Ecclesiastici 30.* Vide Cassianum *lib. 9. de Instit. Cœnob. cap. 1. & 3.* apud Valentiam *loc. cit.* & D. Bonau. *locis adductis.*

QVÆRVNT Doctores: An delectatio, & dolor, vt afficiunt animam, sint meræ passiones; 51
An verò actiones. Primò aliqui dicunt, esse passiones. Ità Scotus *in 3. distinct. 15. quæst. vnica*, & Nominales.

SECVNDA sententia est, esse actiones. Ità S. Bonauent. *in 2. dist. 20. quæst. 4.* quem plurimi sequuntur apud Tannerum *prima secundæ, disput. 2. quæst. 4. dub. 3. numero 52.* vbi ait, esse communem Recentiorum.

PROBATVR à D. Bonauent. ex Aristotele, quia 52
dolor est sensus, seu sensatio, quæ est operatio vitalis. Quo argumento nititur Tannerus.

SECVNDÒ probatur à D. Bonau. *in 4. dist. 16. quæst. 1.* ex D. Augustino *lib. 14. de Ciuitate*, vbi definit dolorem, *esse dissensum ab his, quæ nobis nolentibus accidunt.*

QVÆSTIO IX.

De SPE.

IAM de passionibus Irascibilis agendum, è quibus prima est Spes, vt ait S. Doctor *in Centil.* 53
citando, & *in 3. dist. 26. quæst. 1.* Nam de Spe, quæ est virtus Theologica agitur *2. 2. suo loco.*

Est autem Spes : *Appetitio boni ardui, possibilis obtentu.* Hæc definitur ab Aristotele, 2. Rhetor. cap.5. *Spes est suspicio futuri boni*, vt refert D. Bonauent. 3. *p. Centil. sect.* 39. De hoc ait S. Bonau. *loc. cit.* locutum Boëtium *de consol. l.*1. *metro.* 7.

Gaudia pelle,
Pelle Timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adsit.

54 Moderandam verò spem, cùm est nimia, considerationе vanitatis bonorum, quæ ista passio proponit, docet D. Bonauent. *in Dieta salutis, titulo* 5. *cap.*4.

NOTAT autem D. Thom. *quæst.*40. *artic.* 3. *ad primum*, non esse necesse, vt percipiatur à sperante ratio arduitatis rei; sed benè debet apprehendi possibilis. Vide Valentiam *quæst.*7. *p.*1.

55 CAVSATVR verò ex his, quæ facultatem suppeditant ad aliquid arduum consequendum, vel certè rem possibilem ostendunt. Ideò Aristoteles 3. *Eth. cap* 8. ait: *Ebriosos esse benè sperantes.* Et 2. *Rhet. cap.* 12. ait: *Iuuenes solere esse bonæ spei, quia, vel non cognoscunt, vel non aduertunt difficultates.* Vide D. Thom. *quæst.* 40. *artic.* 6. Causatur etiam ab experientia similis boni habiti.

56 EFFECTVS spei est, reddere operationem alacrem. Vnde prima Corinth. 9. *Debet in spe, qui arat, arare.* Vide D. Basil. *in Psalm.* 1. & Valentiam *loco citato.*

NOTA verò absentiam, obiecti esse brutis pro futuritione, quam ipsa percipiunt; Debere autem, non esse admodum remotum bonum: Sic Accipiter non mouetur ad Columbam, nimis remotam; nec Canis ad Leporem, longiùs distantem.

QVÆSTIO X.

De Desperatione.

E Spe contraria noscitur Desperatio. Est autem motus, per quam appetitus, victus difficultate adipiscendi rem arduam, succumbit, & refu-
57 git eam æstimatam inacquisibilem. Ità Valentia *disput.*3. *quæst.*7. *p.* 2. Tanner. *disputat.*2. *quæst.*4. *dub.* 3. post D. Bonauent. *Opusc. Explic. termin. Theol.* & *lib.*3. *Pharetræ, cap.*4.

QVÆSTIO XI.

De Audacia.

58 AVDACIA aggreditur vehementer media ad rem arduam speratam. Ideò sequitur spem, vt ait Aristoteles 3. *Eth. cap.* 8. Itaque quæcumque apta sunt causare spem, apta sunt etiam causare audaciam ex Aristotele 2. *Rhet. cap.*5. Præcipuè verò audaciam causant, quæ faciunt calorem circa cor. Quare Aristoteles *lib.*3. *de partibus animalium*, *cap.* 4. docet, eos, qui habent paruum cor esse audaciores; è contrariò animalia, habentia magnum Cor, esse timida, quia calor naturalis in paruo corde est magis vnitus: & ideò etiam *sect.*27 *Problem. num.* 4 docet, habentia magnum pulmonem sanguineum, esse audaciora, ob caliditatem cordis.

HABET igitur Audacia opus arduum, quatenus est vtile ad finem arduum. Eos esse audaciores ait Aristoteles 2. *Rhet. cap.* 5. qui rectè se habent erga diuina, quia certiùs sibi pollicentur omnipotens auxilium: Similiter eos, qui iniuriam aliquam acceperunt, audaciores reddi, quia Deus iniuriâ vexatis creditur opitulari. De hoc aliquid attigit D. Bonau. *lib.*3 *Pharetræ, cap.*44. 59

Ex hac oriri rixas ait S. Bonau. *in declaratione Terminorum Theologiæ.*

QVÆSTIO XII.

De Timore.

D.Thom.q.41. & 42.

TIMOR est contrarius Audaciæ, quoniam horret per illum imminens periculum, quod Audacia spernit. Definitur à D. Augustino, *lib.*14. *de Ciuitate Dei*, *cap.* 7. *Est amor fugiens quidquid ei aduersatur*, vt refert S. Bonauent. *loco* mox citando *de* 7. *Donis.* 60

Describitur ab Aristotele, 2. Rhet.cap.5. *Timor est perturbatio quædam ex imaginatione futuri mali.* Et D.Augustinus *lib.*83. *quæstionum*, *quæst.*33. ait: *Nullum metum esse, nisi futuri, & imminentis mali.*

EIVS obiectum est malum, euitatu difficile; 61
Nam malum, quod à nobis liberè potest vitari, non gignit timorem, vt docent communiter cum S. Bonauent. *in* 3. *dist.* 15. *in dub. litt.* potest verò habere pro obiecto etiam bonum materialiter, quatenus est causatiuum mali. Sic timetur Deus vt infligens pœnas, vt docet D. Thom. *quæst.*42. *art.* 1. Debet autem malis esse vicinum. Ideò Aristoteles 2. *Rhet. cap.* 5. ait: *Quæ valdè longè sunt, non timeri.*

Similiter debet esse, secundum aliquos, malum vitabile; alioqui non esset obiectum Timoris, qui est fuga efficax mali, sed potiùs esset obiectum tristitiæ, vel desperationis. Definitur enim Timor: *Fuga efficax mali ardui imminentis.* Verum alij etiam, malum futurum inevitabile, ponunt obiectum timoris, vt dicam 3. *p. tract.* 1. *disputat.*17. *quæstione* 8. 62

DIVIDITVR timor in naturalem, qui est fuga efficax à malo corruptiuo, quod natura refugit propter naturale desiderium essendi, vt docet Aristoteles 2. *Rhetor. cap.* 5. Et in non naturalem, qui est fuga à malo contristatiuo, quod non repugnat naturæ, sed desiderio appetitus, vt docet D. Thom. *quæst.* 41. *art.* 3. Hic verò subdiuiditur in Seruilem, Mundialem, Initialem, & Filialem, vt notat D. Bonauent. *de* 7. *Donis, cap.*1. *tom.*1. & *in Compendio Theologicæ veritatis*, *lib.*5. *cap.*39. & *sequentibus.* 63

D. Damascenus *lib.*2. *de fide*, *cap.* 15. sex quasi species timoris recenset pro diuersitate obiectorum, circa quæ timor versatur: Segnitiem, Erubescentiam, Verecundiam, Admirationem, Stuporem, & Agoniam. Vide D. Thom. *quæst.* 41. *art.*4. Diuiditur etiam in Naturalem, Gratuitum, & Libidinosum à D. Bonauent. *prima parte Centil. sect.* 25. 64

CAVSA timoris, primò est amor boni, cui opponitur malum, quod timemus ex D. Augustino *lib.*

lib.83. quæstionum, quæst. 33. Ideò D. Augustinus *in Psal.67. & tract.4. in Ioan.* vt habetur in Glossa *Ioan.*10. dicit: *Timor est fuga, ne perdat homo, quod amat*, D. Bonauent. *de septem Donis, cap.*1. *tom.*1. *opusc.*

65 Secunda causa est defectus virtutis, seu imbecillitas timentis.

Effectvs timoris sunt multi. Primus contractio caloris, & spirituum ad interiora, ex Damasceno *lib.3. fidei, cap.* 23.

Secundus est consiliari. Timor enim facit consiliarios, ex Aristotele 2. *Rhet. cap.*5.

Tertius est Tremor, Pallor, quia ob contractionem caloris remanent externa destituta: Ideò multiplicatur intus calor, atque consumpto humido consequitur sitis, & interdum solutio ventris, & vrinæ emissio, vt docet Aristoteles *sect.27. Problem. numero* 11.

QVÆSTIO XIII.

De Ira.

66 Ira, vt dixi, est passio, habens pro obiecto bonum quoddam, in compensationem accepti mali: Ex quo sequitur vindicta. Differt verò in multis ab odio, præcipuè quia tendit in obiectum arduum, ex Aristotele 2. *Rhet. cap.*2.

Definitvr Ira: *Appetitus vindictæ*, vt videre est apud D. Thom. *quæst.* 46. *art.*2. *&* 4. post Aristotelem 1. *Rhet. cap.* 2. Ciceronem 4. *Tusc.* Senecam *lib* 2. *de Ira, cap.*3. Niceænum, seu Nemesium *lib.*4. *Philosophiæ, cap.*13. Lactantium *l.*6. *diuin. Institut. cap.*19. & *lib. de ira Dei, cap.*17. vt refert D.Bonauent. *in* 3. *dist.* 15. *quæst. vltima*, ex D. Augustino *lib.* 14. *de Ciuit. Dei, cap.* 4. Eandem definitionem affert D. Bonauent. *lib.* 2. *Pharetræ, cap.*9.

67 Enim verò non videtur adæquata definitio: Nam animalia sæpè, non adhuc læsa, irascuntur, vt cùm, præsente riuali, ad pastum, vel voluptatem irascuntur, vt notat Tannerus *disp.*2. *quæst.*4. *dub.*4. *numero* 5.

Definitur à Cassiodoro: *Est animi motus concitatus, ad pœnam prouocans inferendam.*

A Rabano: *Est omnis malus motus ad nocendum*; Sed hæc cum Odio confunditur.

68 A Damasceno, lib.2. de fide, cap.16. *Est accensio eius, qui circa cor est, sanguinis ex vaporatione fellis.* Ab Aristotele, 2. Rhet. cap. 2. *Est appetitus contrarij doloris propter apparentem exanimationem, & appetitus inferendi dolorem sibi aduersanti, ob illatam iniuriam apparentem, quæ quodammodo exanimat per hoc, quod debito ordine hominem, quantum ad iudicium animæ, priuat.* Ità refert S. Bonauent. *prima parte Centil. sect.*20.

69 Definitvr latiùs à D. Augustino, epist. 15. *Ira est turbulentus appetitus auferendi, vel repellendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt.* Itaque sæpè irascimur non tantùm hominibus, sed calamo inter scribendum. Sic Aleatores irascuntur tesseris: Pictores penicillo, & cuique instrumento quilibet, ex quo difficultatem se pati arbitratur. Hac autem assiduitate fel crescere docent & medici, sicut & huius incremento iram, nulla ferè ex causa, excitari. Ità D. Augustinus *loc. cit.* & in eundem sensum Gregorius Nyssenus, seu Nemesius *lib.*4. *c.*13.

70 ait: *Iram esse armigeram concupiscentiæ ad non modò vindictam, sed etiam defensionem, institutam*, vt refert Tannerus *numero* 76. post D.Bonauent. *loc. cit. argumento secundo loco.* Itaque nomen vindictæ in definitione illa Iræ sumitur, non modò pro compensatione iniuriæ, sed etiam pro repulsa mali imminentis, vel boni auferendi: vt in brutis dixi.

Hinc, quia ira non appetit malum, nisi sub 71 aliqua ratione iusti, cùm odium velit alteri malum, vt malum; ideò odium est peius irâ, vt notat D. Thom. *quæst.*46. *artic.*6 & D. Bonauent *in speculo animæ, cap.*1. circa medium *tom.*2. *opusc.* & *lib.* 3. *Pharetræ, cap.* 9. Vbi odium dicitur Ira inueterata.

Addit Aristoteles 7. *Eth. cap.*6. Iram esse naturaliorem, quàm Concupiscentiam, quatenùs natura magis inclinatur ad sui conseruationem, quàm ad voluptates sectandas.

Præterea Ira sequitur complexionem cholericam; Cholera autem, inter alios humores, citiùs mouetur, cùm sit ignea; & ideò citiùs cholericus irascitur, quàm sanguineus concupiscat. Hinc etiam Aristoteles 7. *Eth. cap.* 6. ait, Iram magis traduci à parentibus in filios, quàm concupiscentiam, vt notat D. Thomas *quæst.* 46. *art.*5. 72

Species hæ tres numerantur à S. Damasceno, 73 *lib.*2. *cap.* 16. Fel, Mania, & Furor, vt refert D. Bonau. *prima parte Centil. sect.* 20. & *in explicatione Terminorum Theologiæ, tom.* 1. *opusc.* Fel, siue fellea passio, dicitur subitus animi motus, immaticus læsionis; Et accidit ex parte corporis, è commotione fellis; & ex parte animæ, ex commotione vis irascibilis, & tunc mouetur Fel ad vindictam, vt expellatur Tristitia; de qua dicit Augustinus: *Ira est commotio passionis illatæ.* Hæc ira citò transit. *Mania* dicitur *manens Ira*, & memoriæ tradita. *Furor*, seu *Cotus*, est Ira obseruans tempus ad vindictam. Cum D. Bonauent. loquitur Tannerus *numero* 78. Valentia *disp.*3. *quæst.*10. *p.*1. *in fine.*

Hinc Aristoteles primi generis iracundos vocat acutos: Secundi amaros: Tertij difficiles. Hæ vero sunt differentiæ accidentales, vt notat etiam Caietan. *ad quæst.*46. *art.*8 *D. Thomæ.*

Hinc causæ Irarum elucent, nempe aliquod 74 malum illatum, vel inferendum irato; vel aliquod bonum ablatum, vel auferendum, seu attentatum.

Id verò, quod contra aliquem factum, iram potest concitare, reducitur ad paruipensionem, ex Aristotele 2. *Rhet. cap.* 2. vbi etiam tres species paruipensionis refert, idest, *Despectum*, *Epereasmum*, idest Impedimentum voluntatis implendæ, & *Contumeliationem.* Ad hæc tria omnia motiua iræ reduci, ait D. Thom. *quæst* 47. *art.*2.

Hinc ait *cap.*2. *secundi Rhet.* homines non irasci, 75 si putarent, se ab iis, qui eos læserunt, esse iustè passos, vel si putaremus ex passione, vel ignorantia, eos nobis intulisse iniuriam. Hæc verò motiua paruipensionis non vigent in brutis, quæ nec honorem, neque excellentiam, nisi materialiter, cognoscunt; quod tamen ad huiusmodi passionum rationem satis est, vt rectè notat Valentia *quæst.* 10. *p.* 2. Tannerus *numero* 80.

Hinc, quò excellentior est, qui patitur iniuriam, eò etiam irascitur vehementiùs; & eò ardentiùs, quò à viliori contemnitur. Aliunde tamen 76 defectus excellentiæ, aut commoditatis in eo, qui iniuriam patitur, incitare solet ad iram; quoniam reddunt hi defectus hominem procliuiorem ad tristitiam, ex qua ira societ oriri. Hinc oppressi calamitate, vel ægritudine, facilè irascuntur; vt notat

notat D. Thom. *quæstione* 47. *art.* 3. ex Aristotele 2. *Rhetor. cap.* 2. vbi ait : *Ægrotantes, pauperes, amentes, sitientes, & vniuersaliter cupientes, & non assequentes, iracundi sunt, ac facilè accenduntur.*

77 Effectvs iræ sunt multi ex D.Thom. *questione* 48. & D.Bonau. *in Diæta salutis, tit.* 1. *de peccatis, cap.* 5.

Primvs est voluptas quædam ob æstimationem vltionis; Ità Aristoteles 2. *Rhetor. cap.* 2. De hac Exodi 15. *Dixit inimicus: persequar, & comprehendam, diuidam spolia; implebitur anima mea.*

Secvndvs est, feruorem in corde concitare, feruorem quidem, non dulcem, vt amor solet, qui aëreus est, sed amarum, & igneum. Vnde ollæ bullienti *ex Prouerb.* 15. & aliis rebus similibus à D. Bonauent. *loc. cit.* quem vide præclara ediscentem, comparantur.

78 Tertivs est impedire rationis vsum, vt docet D.Gregorius *lib.* 5. *moral. cap.* 31. & *lib.* 10. *c.* 5. ad quod facit illud Psalm. 6. *Turbatus est à furore oculus meus*, & *Psalm.* 30. vt notat Valentia *p.* 3. post D.Bonauent. *loco citato.*

Mvlta mala, & peccata ex Ira germinantia recenset S. Bonau. *lib.* 3. *Compendij Theologicæ veritatis, cap.* 17. & *de Profectu Relig. lib.* 1. *cap.* 15. *tom.* 2. & *p. p. Centil. sect.* 20. *tom.* 1. *opusc.* & *lib.* 2. *Pharetræ, cap.* 9. *tom.* 2.

Remedia Iræ sunt multa. Primum est, tacendò, flammam in corde suffocare, ad quod meditatio mortis iuuat, vt docet D. Ambrosius *lib.* 1. *offic. cap.* 21. *tom.* 4. 79

Secundò, per deuotionem, & compunctionem, se ad Deum conuertere, vt docet Ioan. Climacus *grad.* 8 initio.

Tertiò, se ipsum reprehendendo, sibi potiùs irasci, vt docet D. Bonau. *de pugna spirituali contra septem vitia, cap.* 4. *tom.* 2. *opusc.* Multa de iracundis exempla Biblica affert S. Bonau. *in Bibliis Pauperum, cap.* 90. & 91. *tom.* 2. Multa è sanctis Patribus aggerit *lib.* 2. *Pharetra, cap.* 9. *tom.* 1. *opusc.*

Quartò, exempla patientiæ in Heroibus, præci- 80
puè in Sanctis, meditando; vnde glorias adepti sunt. His sparsa sunt Seraphici opuscula, è quibus Valentia, Tannerus, & alij mira decerpunt.

Hic multi agunt de quibusdam Passionum accidentibus, nempe esse posse bonas, & malas, & indifferentes. De ordine earum inter se, siue generationis, siue dignitatis; & ordine earum ad voluntatem, egi 3. *parte tract.* 10. qui est *de anima, disput.* 7. passim.

Ira non habet passionem contrariam, ex Aristotele 4. *Ethic. cap.* 5. Vide D. Thomam *quæstione* 23. *artic.* 3. & *quæstione* 46. *articulo primo ad secundum.*

TRACTATVS

TRACTATVS II.

DE HABITIBVS.

POTENTIAS animæ innatas, principia esse Humanorum Actuum intrinseca, ostendi *tractatu* 10. Verùm cùm ex se insufficientes sint, vt expeditè agant, quo intensiùs mereantur; adventitios habitus sibi adciscunt in coadiutores, non quòd innatis omninò careant, vt dicam *quæst.* 3. sed quòd etiam hi egeant specierum acquisitione expeditiores reddi: Et hic quidem finis est habituum per se, sicut & liberum arbitrium ordinatum est per se ad benè agendum; sed cùm penes nos sit habitibus vti, quando & quomodo volumus, bonis quidem per accidens; malis verò per se ad malum abutimur; Hinc habitus non sunt solùm velut pondera, quibus Potentiæ inclinantur in obiecta, & habilitantur ad actus; sed insuper animam suo vel afficiunt decore, vel inficiunt prauitate, seque suis actibus intimius in Animæ vires adigunt, oppositorum habituum, si quæ sunt, reliquias abigentes, quò liberius in actus exeant. De horum acquisitione, distinctione, intensione, remissione, aliisque non paucis circumstantiis hîc agendum est. Supernas etiam virtutes inter illos computabimus, vtpote inter alia principia vberiùs ad Humanorum Actuum meritum influentes, & inter habitus potiori iure præcellentes. De habitibus agit etiam Angelicus *à quæst.* 49. *ad* 54. ipsius ordinem, & Seraphici mentem mihi sequendam proposui.

DISPVTATIO I.

De Habitibus in genere.

MVLTA de habitibus in communi præmittenda sunt, quæ illis in specie facilè adaptantur: cùm enim in genere conueniant specificæ rationes ex illius præcognitione, hæ melius dignoscuntur, Actusque tandem è principiorum notitia, à quibus prodeunt, clariùs elucescunt: De habitus igitur quidditate priùs inquirendum est.

QVÆSTIO I.

Quid sit HABITVS.

1 VOCABVLVM *Habitus* quinque modis assolet accipi ex Aristotele *in postprædicamentis, cap. de Habitibus*, & 5. *Metaph. text.* 25. & 18. & ex Diuo Augustino *lib.* 83. *quæstionum, quæstione* 73.

HIC accipitur pro quadam virtute, & perfectione accidentali, naturâ suâ durabili, & difficile amouibili à subiecto, per quam res benè, vel malè se habet, naturâ eius spectatâ. Sic accipitur ab Aristotele *cap. de Qualitate*, & D. August. *loc. cit.*

2 HOC pacto definitur Habitus ex Aristotele *loc. cit.* & *lib.* 5. *Metaph. text.* 25. *Habitus est dispositio durabilis, & difficulter mobilis, secundùm quam, benè, vel malè disponitur subiectum, aut secundùm se* (puta spectata rei natura:) *aut in ordine ad aliud* (puta operationem.)

Hæc sanè descriptio est ad mentem etiam Aristotelis 2. *Eth. cap.* 5.

Hanc laudat Valentia *prima secunda, disp.* 4. *quæst.* 1. *p.* 1. Vasquez *prima secunda, disp.* 78. *c.* 1. Tannerus *prima secunda, disputat.* 3. *quæstione* 1. *dub.* 1.

3 Ex his apparet, habitum qualitatem esse, vt docet D. Thom. *art.* 1. reddit enim *Qualem*. Colligitur etiam, esse de prima specie qualitatis; Nam modus, quo substantia per Habitum redditur habilis ad operationem benè, vel malè, est distinctus à cæteris, vt patet discurrenti, & probat Valentia *loc. cit.* quæ omitto, quoniam philosophica omninò sunt.

In

4 In definitione autem aduerte, cùm dicitur, *Habitus est dispositio*; non sumi illam, quæ est ei combinata qualitas, quæ differt ab habitu, secundùm esse perfectum, & imperfectum, vt docet D. Bonauent. *in 4. dist. 6. p. 1. quæst. 3.* Accipitur ergo dispositio, vt dicit habilitationem, & comprehendit directionem, facilitatem, & robur, vt docet D. Bonauent. *in 3. dist. 33. quæst. 1.* non quidem simul, sed sub disiunctione, vt omnes habitus complectatur; nam per hos confortatur potentia, &

5 habilis fit. Addit verò Aristoteles *in cap. de Qualitate*, alias conditiones Habitus; vt sit durabilis, & difficulter mobilis; & has ponit, vt distinguat Habitum à Dispositione, quæ facile est mobilis, & dicit, Habitus necessariò esse dispositiones; non è contra. Per has verò differunt inuicem accidentaliter, vt docet D. Bonauent. *loc. cit.* & post eum Vasquez *disp. 78. num. 10.* cum aliis.

6 Sic igitur potest describi Habitus: *Dispositio durabilis, & difficulter mobilis, qua homo benè, vel malè se habeat, spectatà primariò, vel naturâ ipsius, vel operatione.* Ita Valentia *disputat. 4. quæstione 1. p. 1.*

Dispositio est ordo partes habentis, aut secundùm locum, aut secundùm potentiam, aut secundùm speciem. Cùm igitur Habitus sit Dispositio, videtur habere partes, & earum ordinatione fieri Habitus, neque esse simplex qualitas.

Et quidem, Habitum non esse aggregationem meram specierum, ostendi *prima parte, tractat. 9.* qui est de Anima, *disp. 9. sect. 3. quæst. 2.*

7 Esse verò vnam simplicem qualitatem contra Nominales, qui ex hac definitione Aristotelis ansam desumpserunt dicendi, Habitum esse qualitatem vnam tantùm ordine, non autem vnam simplicem.

Vasquez verò *prima secunda, disputat. 78. cap. 2.* vult, Habitum & esse ordinem plurium qualitatum, & esse simplicem qualitatem, prout definitur ab Aristotele *ibi, cap. 2. 5. Metaph.* idest vtroque modo vsurpari.

8 Et quidem esse simplicem qualitatem docent Caietanus, & moderni Thomistæ *p. p. quæst. 1. art. 3.* & *prima secunda, quæst. 54. art. 4* Capreolus *quæst. 3. Prol. sent. art. 1. concl. 1.* Albertus *in summa, tract. 1. quæst. 3. memb. 2.* & *in primo, distinct. 1. art. 3.* Henricus *in summa, art. 6. quæst. 3.* Ægid. *2. parte prol. quæst. 1.* Richardus *quæst. 3.* qui dum asserunt, Theologiam nostram esse vnam scientiam, supponere planè videntur, esse vnam qualitatem, vnumque habitum. Idem sentit D. Bonau. vt vidimus *prima parte, in disputatione Proœmiali, quæst. 4.*

9 Quod verò sit ordo plurium, patet ex Aristotele *5. Metaph. cap. 20.* vbi, Habitum esse dispositionem, ait; Dispositionem autem esse ordinem, idem Aristoteles *ibi, cap. 19.* definierat, eam sanè, quam in definitione Habitus assumpturus erat *cap. sequenti*, vt notat Vasquez *numero 7.* & ideò *c. 20.* tradita definitione Habitus, assignat pro exemplo sanitatem, dicens: *Vt sanitas, quidam Habitus est: dispositio enim, talis est*; ac si diceret: Sanitas est Habitus à nobis definitus; eò quòd sit dispositio, secundùm quam benè disponitur dispositum.

10 Quis autem dicat, sanitatem esse qualitatem simplicem, cum reuera sint quatuor qualitates, & humores corporis ad temperamentum reducti. Nam ex illis vnam simplicem qualitatem conflari non posse; aut præter illas quatuor qualitates, nullam aliam esse sanitatem, Philosophis, & Medicis satis perspicuum est. Concludit igitur Vasquez, Habitum vno modo vsurpari ab Aristotele pro plurium qualitatum ordine inter se.

Addit verò *numero 10.* Habitum dici quamlibet partem illius ordinis, nam *loc. cit. Metaph. cap. 20.* postquam definiuit Habitum: *Est dispositio, secundùm quam benè vel malè disponitur dispositum*; subdit: *Item, habitus dicitur, si particula talis dispositionis sit.* Quare partium quoque virtus habitus est. Itaque non modo sanitas est habitus, sed etiam Calor, Frigus, &c. 11

Hic sisto, arguens contra Vasquez ad hominem: Ipse *cap. 1. num. 2.* Omnem Habitum, qui est species qualitatis, ait definiri ab Aristotele, *illo capite 20. 5. Metaph.* Ideò alias aliorum elidit definitiones, tanquam non vniuersales omnibus habitibus. Sed sic est, quòd Habitus ibi definitur *dispositio*, & dispositio, quæ est partium ordo ex eodem Vasquez *numero 5.* Et hæc dispositio, quæ est partium ordo, est habitus, & non est simplex qualitas, vt patet de sanitate *ibi*, in definitione adducta pro exemplo, vt notat Vasquez *numero 1.* Ergo ibi vel ponitur in Prædicamento *Qualitatis* multitudo partium, vel ordo. Non partium multitudo; alioqui Prædicamenta ex aggregatis componerentur, quod est falsum, vt ait Vasquez *numero 12.* vel ponitur ordo, & hoc neque; quia ordo est potius relatio; Ergo à primo ad vltimum ibi non definiuntur habitus, qui ex pluribus speciebus confluunt, nec aliquid resultans ex eis: Ergo non est definitio vniuersalis habituum; & alia contradictoria in doctrina Vasquez consequuntur. 12

Respondetur ergo, Habitum esse vnicam qualitatem, non quidem simplicissimam, sed ex pluribus speciebus ad vnam formam redactam; ita, vt species sit loco materiæ; & vnitas illa, quæ non in solo ordine stat, sed in perfectione absoluta constituente potentiam habilem, vel in se, vel ad aliud, quæ non est omninò simplex, vt cogitur fateri Vasquez *numero 12. in fine*, sit loco formæ. 13

Non nego Aristoteli, etiam qualitates, ex quibus resultat ordo ille, esse habitum, v. g. calorem in sanitate; sed dico, non loqui Vasquez consonè.

QVÆSTIO II.

De subiecto Habitvvm.

Dvplex subiectum exquiri potest, nempe Remotum; & Proximum. Remotum est suppositum, habitu præditum: Propinquum est potentia, seu quodcumque aliud, in quo habilitando immediatè habitus recipitur. 14

Quò ad subiecta remota, quæ nobis possunt esse in quæstionem, nempe Deus, Angeli, Homines, & Bruta: Certum est, in Deo non esse accidentia; sicuti certum est, in Angelo, & homine adesse habitus, licèt multi negent in Angelo acquisitos habitus, vt notat Vasquez *disp. 78. cap. 3.* Solùm est quæstio de Brutis, in quibus sanè sunt species sensitiuæ in phantasia, & appetitus permanentes, naturæ seruitio mancipati: De cætero, non esse aliam qualitatem ex actibus frequentatis resultantem in eis, docent Suarez *tom. 2. Metaphys. disp. 44. sect. 3. numero 3.* Vasquez *disp. 78 cap. 4. numero 29.* & Palatius *in 2. distinct. 23. disputat. 1.* Azotius

Azorius *tom.1.lib.1.c.20.quæsito 5.* & magis inclinat Valentia *disp.4.quæst.2.p.3.*

15 Attamen in brutis aliquos habitus admittunt D.Thom.1.2.*quæstione 50.art.3.ad 2.* Almainus *in 3.dist.23.quæstione 1.art.3.* Caietanus *hic,quæst.50. artic.1.* Conradus *artic.3. & quæstione 56. artic.4.* Tannerus *prima secunda, disp.3.quæst.1. dub.1. n.4.* Hæc videtur sententia D.Bonauent.*in 3.distinct.33. quæstione 3. ad argumenta*, vbi habilitates quasdam pro facultate sensuali admittit absolutè. Idem indicate videtur *in Diæta salutis, tit.5. de virtutibus, cap.5.* vbi de operationibus brutorum, prudentiâ directis, agit. Similia in sermonibus percurrit, vbi multa à pluribus animalibus ex industria, & habitu fieri concedit. Et sanè plura videmus huiusmodi fieri faciliter, quæ alioqui non arrident naturæ, vt Canes ad sonum saltant. Similiter, & Vrsi; multaque laboriosa faciunt, etiam sine actuali apprehensione conuenientis, aut noxij, solumque ex eo, quòd assuetudine illis actibus frequentes sunt. Hæc est ratio etiam Tanneri *disp.3. quæst.1.dub.1.num.4.* De equis, qui assuetudine habitum contrahunt ad benè portandum, affert S.Bonau. exemplum *in 3. distinct.33. art.2. quæst.5. in corpore.*

Quoad subiectum proximum, Assertionibus cuncta statuemus.

16 Assero primò; in corpore, ac membris externis non esse propriè habitus operatiuos, tametsi in eis latiori quadam significatione sit habitus, quatenùs dicit bonam, vel malam dispositionem naturalem; qua homo benè, vel malè afficitur secundùm se; vt sanitas, ægritudo,&c. Ità S.Thom. *prima secunda, quæstione 50. artic.1. & artic.3.ad 3.* Caietanus, & Medina *ibidem.* Conradus *ibidem,* & *quæst.56. artic.4.* Angestus *in Moral. cap.5. §.1.* Viguerius *cap.3. §.8. num.4.* Palarius *in 3. dist.23. disp.1.* Valentia *quæst.2.p.1.& 2.* Fonseca *4.Metaph. cap.5. quæst.3. sect.1.* Suarez *tom.2.Metaph.disp.44. sect.2.* Vasquez *disp.78. cap.4. numero 28.* Azorius *lib.3.c.20.quæsito 8.* Tannerus *disp.3. quæst.1.dub.1.*

17 *num.6.* contra Scotum *in 3. dist.33. quæstione vnica,* Ocham *in 3. quæst.4.& 10. & quodl.3. quæst.17.* Gabrielem *in 3.dist.23.quæst.1.art.3.* Maiorem *quæst.2.* Almainum *3.Moral.cap.6.* è quibus aliqui adducunt pro se D.Bonau. *in 4.dist.14.p.p. art.2. quæst.1.* sed perperam.

Probatvr. Illius sunt habitus, cuius & sunt actus; sed actus ex habitu, vel ad habitum, non sunt corporis; alioqui & mortuum corpus operaretur, sed animæ, corporis verò, vt instrumenta: ergo. Confirmo; nam in manu ad sonandum est solus motus localis: neque est aliquis habitus in ore ad recitandum, atque ad hoc sat est habitus in memoria, nec nullum in ore experimur. His Poncius vacillat.

Hinc deducunt; si alicui Citharædo abscinderetur manus, & alia eiusdem dispositionis redderetur diuinitùs; eum æquè benè pulsaturum cytharam. Ità Valentia *p.1.* Tannerus *num.9.* Hinc ruit ratio Poncij *disp.8. Physic.quæst.1.* de facilitate in manibus acquisitâ ad sonandum, pingendum, scribendum,&c.

18 Qvod verò aliquis latior habitus sit in membris, patet ex sanitate; de qua suprà dixi, enumerari ab Aristotele inter habitus. Idem colligitur *ex 7.Physic. cap.3. text.17.* vbi sanitatem, ægritudinem, pulchritudinem inter habitus corporis recenset.

Assero secundò, nec in potentia loco motiua, vel in vegetatiuis dari habitum propriè operatiuum, assuetudine genitum. Ità authores allati pro prima assertione.

Probatvr prior pars: Nam potentia, loco motiua, in membris ex se non habet indifferentiam; sed ad vnum determinatur ab appetitu, nec vllam habet resistentiam, aut difficultatem per se; sed solùm per accidens, puta ratione appetitus sensitiui contrarij, vt in sui flagellatione, vel ex indispositione organorum, quæ tamen non eget habitu, vt aptetur, sed sufficit, restitui dispositionem naturalem. Redditur verò habilis ad Choræas,&c. ex subtiliatione partium, vt notat Vasquez *cap.3. num.28.* 19

Qvoad vegetatiuas itidem probatur, quia sunt determinatæ ad vnum: Habitus verò indeterminatis tantùm supponuntur. Sic enim ait Aristoteles *2. Ethic. cap.1.* Nihil eorum, quæ naturâ fiunt, aliter assuescit, vt lapis, cui natura competit ferri deorsum. Cùm ergo hæ potentiæ sint planè naturales, ità vt nec cognitionem sequantur, nec voluntati subiiciantur; sequitur, nullum in eis acquiri habitum per assuetudinem, vt pluribus tradit Azorius *tomo 1. lib.3. cap.20. quæsito 1. & 4.* Vasquez *loco citato, cap.4.* Tannerus *num.10.* 20

Non negauerim tamen, etiam vires animæ vegetatiuæ consuetudine disponi ad abstinentiam, siue temperantiam, quia consuetudine mediante, vel qualitates primæ remittuntur, vel partes corporis exsiccantur, vel contrahuntur, aut aliam huiusmodi subeunt mutationem, quæ difficultatem, vel facilitatem ad operandum afferat. Ità etiam circa somnum, sanguinis minutionem, frigus, calorem, medicinas, &c. consuetudo operatur. 21

Idem in purè vegetabilibus accidit. Sic plantæ irrigationi assuetæ, hac deficiente, arescunt; cùm tamen aliæ non assuetæ seruentur, vt notat Caietanus, *quæst.50.art.1.*

Assero tertiò, nec in sensibus externis dari habitum operatiuum,additum potentiis, seu requisitum. Ità D.Thom. *quæst.50.art.3.ad 3.* 22

Probatvr primò ex dictis assertione præcedenti; Nam potentiæ, determinatæ ad vnum, non disponuntur per aliquem habitum ad operationem; tales autem sunt sensus externi: ergo. Ità D.Thom. *quæst.50. art.1.* Dices: Sensus externi sunt indifferentes ad plura obiecta. Respondetur, non esse indifferentes ad varios modos operandi circa ea.

Assero quartò. In appetitu sensitiuò, & in sensibus quibusdam internis, puta Æstimatiua, Imaginatiua, &c. sunt veri habitus per species acquisiti. Ità D. Thom. *quæstione 50. artic.3.* Sumitur ex Aristotele *3. Ethic. cap.10.* vbi ait, aliquas virtutes, vt Fortitudinem, & Temperantiam esse irrationabilium partium: hoc tamen intellige quoad aliquas materialitates habilitatum studiosarum; Nam virtus formalis non est in parte sensitiua, vt docet D.Bonauent. *in 3.dist.33.quæstione 3.* & ostendam *disputat. 2. quæstione 9.* Videtur sanè D.Bonauent. *in 3.dist.23.quæst.3. in corpore,* admittere habitum videndi, sed loquitur de latiori modo habitûs. 23

Qvoad Appetitum probatur: habet enim capacitatem, & indifferentiam ad plures modos operandi, quibus sæpè repugnat, & potest habitu assuescere imperio, saltem rationis. Et ità dixi etiam suprà in appetitu brutorum, quatenùs 24

X ab

ab homine ad certas actiones assuefiunt, habitum esse posse.

QVOAD sensus internos cognitiuos, in his esse habitus, sentit D. Thom. *quæstione* 50. *artic.* 3. *ad* 3. Ocham *in* 3. *quæstione* 10. *& quodl.* 2. *quæst.* 16. *& quodl.* 3. *quæstione* 17. Maioris *in* 3. *dist.* 23. *quæst.* 2. Durandi *quæstione* 1. *numero* 10. Palacij *disputat.* 1. Capreoli *in* 1. *distinct.* 17. *quæstione* 1. Angest. *in Moral. cap.* 5. Almaini 3. *Moral. cap.* 6. Conradi *prima secundæ*, *quæst.* 50. *artic.* 5. Valentiæ *quæst.* 2. *p.* 2. Suarez *disputatione* 44. *sect.* 1. *num.* 14. *Metaph.* *& sect.* 3. *numero* 6. Vasquez *loc. cit. cap.* 4. Tanneri *numero* 12. S. Bonauent. *initio capitis.* Tametsi contrarium innuat Azorius *lib.* 3. *cap.* 20. *quæsito* 4. *& cap.* 21. *quæsito* 5.

25 Ratio est, quia species solæ non dant facilitatem ad memorandum, apprehendendum, &c. excipiunt tamen Sensum Communem, qui cùm non sit operatiuus, nisi ex præsentia externi sensibilis, non est capax habitus proprij à speciebus distincti.

ASSERO. In Intellectu, Voluntate, & Memoriâ intellectiuâ dantur proprij habitus. Hoc, experimento satis, & plusquam satis constare, ait Vasquez *num.* 26.

RATIO est, quia Intellectus, & Voluntas habent magnam latitudinem in ordine ad obiecta, & actus suos, & quandam indifferentiam, & libertatem. Voluntas quidem à se: Intellectus autem à Voluntate.

Quoad memoriam, patet ex dictis de memoria sensibili.

26 ASSERO sextò, in essentia animæ nulli sunt Habitus operatiui.

PROBATVR à Tannero *numero* 15. quia hi sunt principia immediata operationum; anima verò per se non est operatiua; sed solùm per potentias, quæ formaliter ab ea distinguuntur. Habitus quoque acquisiti acquiruntur per actus eiusdem subiecti, in quo existunt; anima verò per se non elicit actus vllos. Hæc est ratio D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 26. *quæstione* 5. *in fundamentis*, *& corpore*, vbi idem de Gratia sanctificante docet.

QVÆSTIO III.

An detur aliquis HABITVS, *homini innatus.*

27 IAM de Habitibus quoad efficientiam agendum est. Et quia Habitus in Angelis diuidi solent in Innatos, Acquisitos, & Infusos, vt dixi *Tractatu de Angelis.* Videndum est: An idem de homine dicendum. Et quidem quoad innatos.

ASSERO, dari Habitus, homini innatos quoad lumen, qui sunt acquisiti quoad species. Ita latè ostendi *p. p. tract.* 10. *disputat.* 9. *sect.* 3. *quæstione* 3. quæ quæstio, cum cæteris, huc erit transferenda.

QVÆSTIO IV.

An dentur HABITVS *Infusi.*

NOTA è Vasq. *disp.* 79. *cap.* 2. Valentia *disp.* 4. 28
quæst. 3. *p.* 4. alios esse habitus infusos per se, qui aliunde nequeunt produci; alios per accidens, qui aliunde possunt acquiri. Primò de Habitu gratiæ sanctificantis, de fide est, nos iustificari per infusionem gratiæ inhærentis; vt dicam *Tractatu de gratia*, *disp.* 1. *quæst.* 2. An verò semper id fiat infusione talis Habitus, ibi latè discutiam, & assetam.

PRO nunc asserere teneor, Iustificationem semper fieri infusione iustitiæ, seu gratiæ habitualis: nam Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 7.
ait: *Demum vnica formalis causa* (supple iustifi- 29
cationis) *est iustitia Dei: non quâ ipse iustus est: sed quâ nos iustos facit; quâ videlicet ab eo donati renouamur spiritu mentis nostræ; & non modò reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes, vnusquisque secundùm suam mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundùm propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.* Hoc sumitur ex D. Bonauent. *in Compend. Theolog. verit. lib.* 5. *cap.* 16.

PRIMO autem dictum Concilij, vnicam esse 30
formam nostræ iustificationis: ex quo sequitur, neque contritionem, neque amorem Dei habere rationem formæ; sed tantùm dispositionis, quæ est sententia D. Bonauent. *in* 4. *distinct.* 17. *p. p. artic.* 2. *quæstione* 2. *in corpore*, *& ad* 1. vbi apertè sustinet, etiam in actu contritionis non iustificari formaliter animam, nisi per infusionem gratiæ. Quidquid dicat Vasquez, *prima secundæ*, *disputatione* 203. Sic enim definit Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 6. *&* 7. vbi inter dispositiones, quibus ad iustificationem præparamur, recenset dilectionem Dei, & contritio-
nem, & *cap.* 7. ait: *Hanc dispositionem, seu præ-* 31
parationem iustificatio ipsa consequitur: quæ non est sola peccatorum remissio; sed & iustificatio, & renouatio hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Et *eadem sess. can.* 3. sic loquitur: *Si quis dixerit, sine præuenientis Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit.* Idem habet *sess.* 14. *cap.* 4.

ADDO verò, nunc etiam Gratiam sanctifi- 32
cantem esse etiam operatiuam, quod *in Tract. de Gratia* ostendam. Attamen hunc esse habitum, ait Valentia *loco citato* non esse de fide.

QVOAD Virtutes Theologicas fidei, Spei, & Charitatis.

Multi asserunt, esse de fide, tales habitus à solo Deo infundi; & ideò dici infusos per se. Ità Gabriel *in* 3. *distinct.* 23. *quæstione* 2. *artic.* 2. *conclusione* 3. Vega *lib.* 7. *super Concilium Tridentinum*, *cap.* 24. Almaynus *in Moral. tract.* 3. *cap.* 2. *prop.* 3. quibus addere potes Sotum *in* 3. *dist.* 23. *quæstione vnica*, §. *Ad quæstionem*, & probabilius putat Valentia *tom.* 2. *disputat.* 4. *quæstione* 3. *p.* 4.

Alij

33 Alij verò dicunt, rem non esse de fide, tametsi certam. Ità Sotus *lib.2. de Natura, & Gratia, cap.17.& 18.* Canus *lib.7.de locis Theologicis, cap.2.* Bartholomæus Medina *prima secunda, quæst.51. artic.4.*

SVPPONO hìc, ante Seraphici tempora, non fuisse à Conciliis id definitum; nam in Concilio Lateranensi, sub Innocentio III. *in cap.Maiores,* quod fuit initio Ordinis Minorum, solùm astruitur, id esse probabilius. In Concilio autem Vien. sub Clemente V. *De summa Trinitate*, idem tantùm asseritur.

34 ET quidem S. Doct. id tanquam certum supponit, quoad fidem *in 3.dist.13.art.2. quæst.2.* De Spe *in 3. dist.26. quæst.1.* De Charitate *dist.27. quæst.3.* Neque video, vsquam à Seraphico, id asseri de fide.

Moderni aliqui volunt, id definitum in Concilio Tridentino *sess.6.cap.7.* vbi dicitur, infundi Iustitiam, Fidem, Spem, & Charitatem. Deinde, quia *cap.11. eiusdem sessionis*, definit sub anathemate, Charitatem infundi in cordibus renatorum per Spiritum sanctum, iuxta illud Rom.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ex quo deducit Vega, id definitum. Quod est argumentum S. Bonauent. *de 7. Itineribus Æternitatis: Itinere quarto, dist.3. post medium.*

35 IDEM ostendit D. Bonauent. *in 3.dist.27.quæst.1.* illo primæ Corinth.13. *Manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc.* Ergo si est aliquid manens, est habitus distinctus.

Idem ostendit S. Bonauent. *in 3. dist.27.* passim, & *in Diæta salutis, titulo 5. de virtutibus, cap.2.* vbi affert ea loca: *Charitas nunquam excidit.* 1.Corinth.13. *Charitas patiens est, benigna est, &c.* vbi ex permanentia, & actibus, eam colligit esse habitum, maximè ex actibus, qui ei adscribuntur, & gratiæ renouandi, abluendi, sanctificandi, regenerandi, faciendi participes Diuinæ naturæ. Quibus argumentis nixi Moderniores, suprà indicati, hoc ad fidem aiunt pertinere.

36 QVÆSTIO autem est: An ex moralibus etiam virtutibus sint aliquæ suaptè naturâ infusæ, quæ ab alia causa, quàm à Deo, nequeant produci. Suppono autem è moralibus aliquas acquisitas, quarum propria causa est exercitatio, quæ tamen à Deo possunt infundi,& tunc dicuntur per accidens infusæ.

PRIMA opinio est, nullas,è moralibus, virtutes esse per se, & naturâ suâ infusas. Ita Henricus *quodl.6. quæst.12.* Scotus *in 3.dist.36.quæst.1. §.Contra hoc est August.* Durandus *in 3. dist. 33. quæst.6.* quibus consentit Ocham; nam licet *in 3. quæst.12. ad quintam dubitationem*, concedat virtutes morales infusas propter rationem S. Thom. tamen *in 4. quæst.3. ad 3.& 4.* dubitat; nullaque ait ratione id conuinci, quem in hac parte sequitur Gabriel *in 4.dist.4.quæst.1.art.2.& 3.* Marsil.*in 4.quæst.10.art.1.* Argent.*in 3.dist.33.quæst.1. art.1.* Henricus *quodl.6. quæst. 12.* è reliquis, omnes sequuntur Scotistæ prisci, & recentes apud Mastrium *tom.3. disp.7. quæst.2. num.24.*

37 OPPOSITAM verò sententiam asserentem sectantur D.Bonauent. *in 3.dist.33. art.2. quæstione 5.* D.Thom.*prima secunda, quæst.63. art.3. & 4.* Et *in 3.sent.dist.33.quæst.1. art.2. quæst.2. & in qq. disputatis,quæst.vnic.de virtutibus in communi.* S. Antonin. *4.part.summæ, tit.1.cap.1. §.3.* Richardus *3. dist.33. art.1,quæst.1.* Palud. *quæst.1.art.2.* Capreol. *quæst.1. art.1.* Gabriel *dist.33. quæst. vnic. dub.2.* Vega *lib.2. in Tridentinum, cap.124.* Caietanus, Conradus *prima secunda, quæst.63. art.3.* vbi alij Thomistæ, præsertim Medina, & *quæst. 51. artic.4.* Valentia *quæst.6. p.1.* Azorius *lib.3. cap.18.* Lorca, Ouiedo *p.2. tract.3. controu.2. p.7.* Curiel, Montesinus, Granado, Lezana *p.2.tom.2. tract.4 quæst.3.* Aueisa *quæst.55.sect.8.* Arriaga *disp.35. sect.2.* & alij Recentiores passim, è quibus aliqui dicunt ad fidem spectare; ita vt opposita sit erronea.

ASSERO cum hac sententia, dari Virtutes morales per se infusas, diuersas ab acquisitis. 38

PROBATVR à D. Bonauent. primò, Iacobi cap.1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Virtutes autem sunt id, quod est optimum, vt ait ibi Glossa, S. August.*lib.2.de lib.arbitr.cap.19.* apud Sanctum Doctorem *lib.2. Pharetræ, cap.21.*

PROBATVR secundò à S. Doct. *illo Sapientiæ 8.* quod vrget etiam in secundo dist.28.art.2.quæst.2. in resol. *Scio, quod aliter non possum esse continens, nisi Deus det.*

RESPONDET Vasquez *num.11.* hoc testimonio nil, vel leuiter insinuari; & quidem, si de castitatis continentia ibi est sermo, ait indicari, non habitum; sed opera esse à Deo; vel habitum esse acquisitum, etiam Dei auxilio; sicut *disp.190.* docet. Hanc responsionem videtur elicere e D.Bonauent. *ad 2.*

Cæterùm ibi, non loqui de continentia castitatis; sed de continenda, seu seruanda intus sapientia, ait: Dicit ergo, esse donum Dei conseruare Sapientiam, sicut & eam adipisci.

AST verò *ibi* sermonem esse de castitate, probatur ex D.Augustino, qui vbique ità intelligit, vt fatetur Vasquez *hic*, & *disp.189. cap.5.* & quidem habitum continentiæ esse donum Dei, probatur. Nam Patres Concilij Milleuitani apud D. August. *epist.9.* adducunt contra Pelagium, ad probandam necessitatem gratiæ per Christum, illud Apostoli, Rom.7. *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum.* Hic loquitur de necessitate gratiæ Dei contra luxuriam, vt concedit Vasquez *disp.189.cap.5.num.19.* Hinc deduco cum Patribus illis,& D.Innocentio I. tale adiutorium necessarium, vt retundat naturalem, & continuam repugnantiam carnis contra leges rationis: ergo habitus supernaturalis necessarius est. 39

QVOD verò ait Vasquez, Salomonem loqui de continentia Sapientiæ, gratis dicitur; loquitur enim de effectu illo Sapientiæ; de quo dixerat, cap.7. *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.* Vnde innumeras honestates quidem virtutum asserit, sed præcipuè eam, quæ est decor honestatis, vt explicat S. Doct. *loco citando*, qui præcipuè, & *de septem donis, de dono Sapientiæ* ostendit, & probat ex Patribus, originem harum virtutum esse à Deo, non quoad actus, vt putat Vasquez; sed quoad habitus. 40

Affert etiam *loc.cit. cap.1.* id Prouerb.8. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Et *in Diæta, tit.5. cap.1.* vbi de Virtutibus, illud *Sapientiæ 8.* Sobrietatem, Prudentiam, Iustitiam, & Fortitudinem docet. En de qua conti- 41

nentia loquitur, nempè de Cardinali. Idem admonet *in 3. dist. 33. quæst. 1.* & cum eo Valentia *loc. cit.* Tannerus *num. 17.*

42 RESPONDET Mastrius, nomine sapientiæ intelligi Charitatem, è communi sententia, quatenùs Deus, qui eius obiectum est, continet eminenter omnia bona; & in Virtute Charitatis, omnes virtutes continentur.

At, si Charitas est huiusmodi, obsecro, cur admittuntur habitus acquisiti earum virtutum? Si quidem, & nobis obiiciunt, eas fore superfluas.

IDEM probatur ex Patribus; D. August. *tract. 8. in primam epistolam Ioannis*, Ambrosio *lib. 6. Hexaëmer. cap. 7.* Hieronymo *in Proœm. Lament.*

43 *Hierem.* & Gregorio *homilia 5. in Ezech.* quo in loco, illa notatu dignissima sententia est, quæ etiam refertur cap. 11. disp. 2. de Pœnitentia: *In Sanctorum quippe cordibus, iuxta quasdam virtutes semper permanet; iuxta quasdam verò recessurus venit, & venturus recedit. In fide etenim, Spe, atque Charitate; & in bonis aliis, sine quibus ad cælestem patriam non potest veniri, sicut est humilitas, Castitas, Iustitia, atque misericordia, perfectorum corda non deserit*, & paulò post: *In his itaque virtutibus, sine quibus ad vitam minimè peruenitur, Spiritus sanctus in electorum suorum cordibus permanet.*

44 Hic sanè de virtutibus infusis loquitur: nam Spiritus sanctus inhabitat in cordibus nostris per has solas, non per acquisitas, quæ etiam in impiis sunt. Neque de inhabitatione per actus acquisitarum loquitur, vt putat Mastrius. Affert S. Doct. *lib. 4. Compendij Theolog. cap. 9.* aliud dictum D. Augustini, in Psal. 118. *Quis enim facit in homine iustitiam; nisi qui iustificat impium.*

45 ALLVDERE visus est ad sententiam communem Theologorum, quam posteà Concilium Viennæ amplexatum est *in Clementina vnica*, vbi dicitur: *Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi (qua per Baptisma pariter applicatur omnibus baptizatis) opinionem secundam, quæ dicit tam paruulis, quam adultis conferri in Baptismo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum Modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem, Sacro approbante Concilio, duximus eligendam.* Vt autem in ore aduersariorum illicò refrangatur responsio, loqui Concilium de virtutibus Theologicis; audiamus de quibus loquitur.

46 Loquitur sanè ad normam Concilij Magni Lateranensis; in quo Innocentius III. refert negantes nostram sententiam; & eos refellit *cap. Maiores: Illud verò* (sic loquitur Summus Pontifex) *quod opponentes inducunt, fidem, aut charitatem, aliasque virtutes paruulis, vtpotè non consentientibus, non infundi.* Vbi sedulò aduertito, Concilium, præter Virtutes fidei, & Charitatis, plures alias infundi declarare: ergo præter Theologicas, etiam Morales intelligit; nam si Theologicas intelligeret, dixisset, præter fidem, & charitatem in eorum sententia, non infundi aliam virtutem, cùm vna Spes superesset, vt peracutè vrget Arriaga.

47 Ad hoc testimonium Vasquez respondet solùm, non fuisse ibi recitatam controuersiam inter Theologos: An infunderentur etiam virtutes Morales, quia neque Innocentius, neque Clemens referunt, aliquos vnquam id asseruisse; sed tantùm virtutes Theologicas, & gratiam: contrarios verò sanè negasse infundi fidem, charitatem, & alias virtutes. Ideò ità respondent Scotistæ, præsertim Aretinus *3. dist. 26. quæst. vnic. art. 17.* Mastrius *num. 31.*

ENIM verò hoc non est ad rem; nam Clemens *ibi* asserit, se recedere à prima opinione, & sequi secundam, quæ asserebat, infundi virtutes, & gratiam. Cùm igitur dicat, infundi virtutes, contra primam opinionem, quæ negabat, præter charitatem, & fidem, plures alias virtutes; indicat, se velle etiam morales includere, non autem Theologicas; nam è Theologicis vna, non plures, remanebat, nempè Spes. 48

SI autem velit Vasquez, dici virtutes in plurali, includendo in virtutibus etiam Gratiam sanctificantem; inane est responsum, quia Pontifex testatur, eos loquutos de virtutibus operatiuis, quas in paruulis, non habentibus consensum, & vsum libertatis, frustrà poni dicebat, nec ad aliquid eis deseruire: Gratiam verò non esse virtutem omnes clamant, neque esse operatiuam, ipse Vasquez mordicus defendit. 49

Plures rationes pro hac sententia afferunt Doctores, quas Vasquez vocat imbelles; ipse verò aliam, quam vocat optimam, affert, indicatam à D. Thom. *1. 2. quæstione 63. artic. 4.* eamque secutum Richardum *loco cit.* ait, cæteras sibi adscribens; cùm tamen hæc sit ratio fundamentalis, in qua totum corpus quæstionis insumit S. Bonauent. qua nititur etiam Valentia *disp. 5. quæst. 6. p. 1.* Tannerus *num. 18.* 50

PRO fundamento ponit, ad rationem operis studiosi, & virtutis, quam agnoscit Aristoteles, non satis esse, si fiat opus studiosum; sed requiri, vt fiat studiosè. Id docet *2. Eth. cap. 4.* Assignat verò discrimen inter facere studiosum, puta iustum; & facere iustum iustè; sicuti, si aliquis idiota, casu orationem contexat, dicetur fecisse aliquid Grammaticum, non tamen Grammaticè; si verò componat secundùm regulas Grammaticales, dicetur, fecisse Grammaticè. 51

Assignat deinde discrimen inter opera artis, & virtutis; nam opus artis habet bonum in se, nec indiget bono affectu; & ideò sufficit, si fiat certo quodam modo, nempè regulis artis: At verò opus morale non habet in se totam bonitatem moralem, sed pendet ex affectu, qui operi nomen imponit; ideò exigit vt fiat studiosè, vt ait Aristoteles ibi, his verbis: *At ea, quæ à virtutibus procedunt non iustè, aut temperatè aguntur, si sint iusta, aut temperata, sed si & agens, sic se agens agat, primò quidem si sciens; deinde si eligens propter ipsa: tertiò si firmo animo, & immutabili agat.* 52

Cùm igitur opus studiosum debeat fieri ex honestate virtutis; ex diuersis honestatibus, propter quas fiunt opera nostra, distinguendæ sunt in nobis virtutes. Quod si eadem sit ratio honestatis mouens ad electionem, frustrà distinguemus diuersas virtutes, è diuersis principiis efficientibus. 53

Itaque, si actus virtutis sint ob honestates diuersas, diuersos etiam habitus exigent; & si altera honestas sit supernaturalis, ei respondebit actus; & actui habitus supernaturalis.

IAM verò sciendum ex Aristotele *lib. 3. Polit. cap. 3.* eatenus diuersas esse virtutes ciuium, quatenus ad diuersas politias referuntur: homo autem duobus modis potest considerari: Primùm quidem, 54

quidem, vt ciuis humanæ ciuitatis, nempe quatenus homo rationis capax est. Secundò, pro vt est ciuis, & domesticus Dei, nempè quatenus ordinatus ad æternam vitam, meritis sanè adipiscendam. Iuxta hanc duplicem considerationem possumus considerare hominem operantem in duplici honestate: altera est, quæ decet hominem, quatenus est rationis capax: altera, vt rendit per
55 opera bona ad beatitudinem æternam. Et quidem cùm ad hunc scopum operetur, solâ reuelatione eruditus, non immeritò & actus, & habitus respondentes, ordinis supernaturalis esse debent: Erit ergo habitus infusus per se supernaturalis; ratione verò prioris, erit acquisitus, & naturalis. Hoc per singulas virtutes discurrendo euidens fiet, v.g. in materia iustitiæ, reddendo suum cuique ius; vel ex hoc, quod ità decet hominem conciuem, seruari debet; vel quia ità decet hominem à Deo ad vitam æternam, & ciuitatem illam æternæ pacis destinatum.

56 RESPONDET Scotus *in 3. dist. 36. §. contra hoc est Augustinus.* Et Faber *in 4. dist. 14. disp. 13. n. 4.* simul arguens contra nos; non esse necessariò ponendas has virtutes infusas morales; imò esse superfluas. Satis enim esse virtutes morales acquisitas, quæ, tametsi ex sua specie ordinent nos ad finem supernaturalem, tamen ad hunc finem satis ordinantur à charitate; alioqui, si dantur aliæ infusæ; sequeretur, acquisitas non habere ordinabilitatem ad supernaturalem finem; & si haberent; hæc ordinabilitas esset superflua. Hoc responsum amplificat Meldula *num. 37.*

57 RESPONDENT Valentia *disp. 5. quæst. 6. p. 2. ad secundum*, cum Caietano *prima secundæ, quæst. 63. artic. 3.* Vasquez *disputat. 78. numero 29.* Tannerus *prima secundæ, disput. 3. quæst 4. dub. 2. in fine*, ex D. Bonauent. *in 3. dist. 33. ad 1.* quo obiiciebatur etiam locus D. Augustini, quo forsan Scotus nititur, charitatem ordinare per alias virtutes mediatè, non autem primò; atque ideò non satis esse ad perfectionem illius modi, qui, licèt non sit necessarius, vt fatetur S. Bonauent. est tamen speciali modo conueniens; eò quòd modo, cuique virtuti proprio, supernaturalem operationem causet.

Et quidem pœnitentiam esse infusam fatetur Scotus cum Fabro *disputatione 13. citata*; neque id negare possunt: est autem pœnitentia pars Iustitiæ. De hoc *tertia parte* latiùs, *tractatu de Pœnitentia.*

58 Ideò enim Concilium Tridentinum attritionem, quæ est pars Sacramenti Pœnitentiæ, asserit, esse donum Spiritus sancti, quia cùm pœnitentia sit virtus, necessariò disponens ad gratiam, debet esse eiusdem ordinis cum forma ipsa, ad quam disponit, quæ sanè proportio, in dispositionibus ad formas, ab omnibus conceditur.

CONFIRMATVR à D. Bonauent. 3. *dist. 33. quæst. 1.* quia, licèt Charitas habeat virtutem imperandi virtutum aliarum actus; attamen oportet, vt dentur iustificato habitus ad singularum actus eliciendos, cùm in singulis sint diuersæ honestates, diuersæque difficultates, purà, circa castitatem alia est difficultas, quàm circa amorem Dei, quæ est regula Aristot. 3. & 5. *Eth.* ad multi-
59 plicandos habitus virtutum. Confirmatur, quia cùm actus virtutum moralium sint meritorij vitæ æternæ, vt ostendam *tract. de Gratia, disputatione 3.* requiritur, vt sint supernaturales; atque adeò ex radice supernaturali, non solùm materialiter, quatenus procedunt ab homine in charitate constituto; hoc enim adhuc non facit actu meritorium; sed formaliter ex virtutum ipsarum vi, vt adnotarunt Auersa, & Arriaga post D. Bonauent. *in corpore.* Neque verò ex imperio solo charitatis virtutes aliæ sunt meritoriæ; sed ex se, vt ibi ostendam; atque adeò supernaturales esse debent, vt vrget Arriaga, eamque doctrinam admittit Mastrius *tom. 2. disput. 7. quæst. 9. artic. 1.*

Confirmatur à Lezana. Homo per gratiam 60
eleuatur ad vitam supernaturalem: ergo debet habere etiam potentias ad operationes supernaturales substantialiter, non extrinsecè tantùm ex imperio charitatis: Alioqui, vt arguebat Concilium Viennese, non satis prouisum esset infantibus, si solæ Theologicæ infunderentur, quæ circa finem sunt, non respectu mediorum. Si enim debent eas primò acquirere, vt operentur, iam multo tempore erunt ferè inhabiles.

Confirmatur adhuc ex D. August. *serm. 1. Dom. 4.* 61
Epiph. vbi ait: *Charitas in se includit omnes virtutes Cardinales.*

RESPONDET omnibus argumentis Mastrius, charitatem omnes includere, & per eam satis prouisum.

CONTRA arguit S. Doct. *dist. 32. quæst. 1.* quià sequeretur, Cardinales, etiam acquisitas, esse superfluas. Probatur sequela. Vbi est continentia virtualis alicuius formæ, frustrà additur concomitantia formalis illius. Quod vniuersaliter esse verum, constanter asserit Mastrius *numero 28.* Si igitur charitas virtualiter omnes virtutes continet, ad modum, quo anima continet gradum vegetatiuum, & sensitiuum; vnde superfluas infert plures animas; ità sufficiet charitas, quæ reddet voluntatem facilem, ac stabilem ad actus omnium
virtutum. Profectò non video, quid respondeant 62
aduersarij, si pedes in suis doctrinis fixos tenere velint, neque huc, illucque titubando declinent.

Confirmatur: nam sicuti amor non est tota ratio aliarum affectionum; ità neque Charitas omnium aliarum virtutum; itavt eas virtute claudat; sed requiruntur singuli habitus. Non enim eos producit Charitas suis actibus elicitis, neque imperat, nisi in potentiis habilibus obedire, & exequi; ac proinde requiruntur habitus earum, vt eliciant actus, vt arguit S. Doctor.

OBIICIES primò. Experimentum, quo euincitur, hos habitus exercitatione acquiri; nam homines etiam infideles, & mali acquirunt hos habitus.

RESPONDET S. Bonauent. eos habuisse virtu- 63
tem illam ad terrenam politiam spectantem, non eam, quæ est ad cœlestem.

OBIICIES secundò. Neque fideles sentiunt istos habitus, sed repugnantiam magnam ad opera studiosa. Imò deberent stare cum contrariis vitiis aliquando, si infunderentur in Baptismo.

RESPONDETVR, cæteris paribus, baptiza- 64
tum esse habiliorem ad actus supernaturales. Quod si aliquando difficultatem sentiunt magis, quàm in acquisitis, id euenit; quia in acquisitis per actus frequentes euertunt contrarias dispositiones, quas tamen habitus supernaturales infusi adhuc inueniunt: Imò non repugnat, hos habitus cum habitibus

habitibus vitiosis oppositis esse, quia non sunt è diametro oppositi; debilitantur tamen quasi indirectè, vt ait Tannetus *numero* 23. ex D. Thom. *quæstione* 65. *artic* 3. *ad* 2. quæ est doctrina D. Bonauent. *in* 4. *distinctione* 4. *artic*. 2. *quæst*. 2. *in corpore*, & *in* 2. *distinctione* 32. *quæstione* 2. & aliis in locis.

Obiicies tertiò. Scriptura testatur, habitus cæterarum virtutum moralium, etiam in Deum relatos, sine charitate nil valere. Id edisserit Apostolus *prima Corinth*. 13. vbi etiam eam omnes virtutes continere, ait: *Charitas patiens*, *&c*. & Rom. 13. dicitur, Legem charitate impleri.

65 Respondet Seraphicus Doctor, Charitati attribui perfectionem, non autem formalitatem actuum aliarum virtutum, quia extra gratiam non iuuant aliæ virtutes ad gloriam, cùm charitas sit forma aliarum virtutum, extrinsecè eas perficiens ad perfectionem moralem: Attamen necessarij sunt singularum virtutum habitus, ad earum actus eliciendos.

Obiicies quartò. Concilium Tridentinum *sess*. 6. nullam habet mentionem habituum moralium infusorum; sed solùm Theologicarum virtutum, & gratiæ.

66 Respondetur; imò *cap*. 7. indicari nostrum assertum. Ibi enim definitur, Iustificationem fieri per infusionem gratiæ, & donorum, nempe virtutum. Neque debemus illas ad Theologicas coarctare; Ideò Catechismus ad normam Concilij Trident. de Baptismo ait: Gratiæ adhæret nobilissimus virtutum comitatus, quæ in anima simul cum gratia diuinitùs infunduntur. Nec solæ Theologicæ absolutum virtutum comitatum complent, vt putat Mastrius.

Obiicies quintò Sanctos Patres, qui virtutes tantùm acquisitas inter morales agnoscunt. Qua ratione D. Augustinus *de vera*, *& falsa pœnitentia*, duplicem secernit pœnitentiam. Vnam fructuosam, à charitate imperatam: Alteram infructuosam, humanis viribus possibilem.

67 Respondetur, Sanctos Patres allegatos pro nobis stare; vt ostendi de S. Augustino, qui iustitiam totam pœnitentis à Deo agnoscit, etiam quò ad actus inferiores; sicuti de Attritione, quæ est imperfecta, declarat Concilium Tridentinum, esse Spiritus Sancti donum; ea verò non dictatur à charitate. Porrò ideò *lib*. 1. *retract*. *cap*. 9. & *lib* 2. *de libero arbitrio*, *cap*. 18. Virtutem definit: *Est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur, quam Deus in nobis, sine nobis operatur*; vt ostendam *tract*. 1. *disp*. 2. *quæst*. 2.

68 Similiter D. Gregorius *loc. cit*. asserit, Spiritum sanctum, iuxta quasdam virtutes, semper permanere, numeratque Humilitatem, & Castitatem: Non autem tantùm secundùm operationes earum, quando sunt cum charitate, vt putat Mastrius.

69 Sic & D. Hieronymus *præf. in Threnos* deplorans statum animæ in peccato, ait: *Animam ante peccatum radiare, non metallo auri, aut argenti, sed virtutibus, eaque omnia per peccatum auferri, & denudari domum Domini omnibus ornamentis*. Certè non loquitur de habitibus acquisitis, qui manent etiam post peccatum, neque solùm ait obscurari, sed auferri; quod non vidit Mastrius.

Obiicies sextò. Nulla est necessitas harum virtutum supernaturalium, cùm satis sint acquisitæ morales ad finem naturalem, & Theologicæ ad supernaturalem. Cæterùm, si morales ducunt ad finem supernaturalem, hoc eis conuenit ratione charitatis; Neque enim vlla virtus moralis habet obiectum, per se connexum cum bono diuino. 70

Respondetur, satis superque ostensam necessitatem harum virtutum; nam morales infusæ ad finem supernaturalem ducunt, etiam præcisò imperio charitatis, è quibus Pœnitentia satis è Concilio Tridentino ostensa est infusa.

QVÆSTIO V.

Vtrum Habitvs *acquisitus, per vnicum actum generetur.*

Egimus de Habitibus Innatis, & Infusis. Iam agendum de his, qui exercitatione comparantur.

Prima opinio est omninò negatiua. Ità Burlæus 2. *Ethic*. *cap*. 1. *p*. 3. Flaminius 2. *de fælicitate*, *cap*. 2.

Secvnda opinio est absolutè affirmatiua. Ità Durandus *in primo*, *distinct*. 17. *quæstione* 8. *ad* 2. Scotus *quæstione* 3. Maior *quæstione* 4. Palatius *disputatione* 6. Gabriel *in* 3. *distinct*. 23. *quæstione* 1. *art*. 3. Argentina *quæstione* 1. *art*. 2. Angelus *Moral*. *cap*. 5. §. 1. Almainus *tract*. 1. *cap*. 17. Conimbricenses *Eth*. *disp*. 3. *quæst*. 3. *art*. 2.

Tertia opinio affirmat de habitibus euidentibus intellectus: de cæteris verò tum appetitiuis, tum apprehensiuis, negat. Ità D. Thom. 2. 2. *quæst*. 24. *art*. 6. & *quæst*. *vnica*, *de virtutibus in communi*, *art*. 9. *ad* 11. & *in primo*, *dist*. 17. *quæst*. 2. *art*. 3. *ad* 4. & *prima secunda*, *quæst*. 51. *art*. 3. & *quæst*. 71. *art*. 4. vbi Caietanus, Conradus, Medina; Item Ægidius *in primo*, *dist*. 17. *quæst*. 6. Valentia *disput*. 4. *quæst*. 3. *p*. 3. Aragonius 2. 2. *quæstione* 27. *art*. 4. 71

Qvarta opinio est, habitum quoad essentiam, primo actu generari, non tamen quoad perfectum statum, & nomen habitus. Ità Henricus *quodl*. 5. *quæst*. 16. Viguerius *cap*. 3. *&* 8. *Instit*. Suarez *tom*. 2. *Metaph*. *disp*. 44. *sect*. 9. Vasquez *prima secunda*, *disp*. 79. *cap*. 7. *&* 8. Azorius *lib*. 3. *cap*. 21. *quæst*. 2. *&* 3. Tannerus *prima secunda*, *disp*. 3. *q*. 2. *dub*. 3. *num*. 31.

Sententia S. Bonauent. *in* 3. *dist*. 33. *artic*. 2. *quæst*. 5. *ad* 4. ea esse videtur, vt vnico actu non generetur habitus, neque dispositio semper perfecta, sed aliquid tamen, quod dispositionem inducat, seu aliquid perfectæ dispositionis, iuxta illud Poëtæ: 72

Gutta cauat lapidem, non bis, sed sæpè cadendo.

Quod carmen non ità intelligitur, vt nihil primò, & secundò relinquatur, vt putat, à nobis intelligi Vasquez *num*. 33. esset enim frustrà, priorem guttam cadere; sed quia primò non producitur perfecta dispositio.

Assero primò, nullum habitum primo actu produci. 73

Probatvr primò ex Aristotele 2. *Eth*. *cap*. 1. quem initio quæstionis adducit S. Bonau. vbi ait: *Ædificatores etenim ædificantes, & cytharœdi pulsantes fiunt: pari modo, iusta agentes iusti; modesta modesti; atque, vt breuiter dicam omnes habitus*

bitus ex operationibus similibus fiunt. Idem docet *cap.* 2. Vbi loquitur de habitibus, non modò voluntatis; sed etiam intellectus.

Probatur secundò à D. Bonauent. quia habitus est quid impressum in potentia firma, & aliquo modo sæpè resistenti, & firmiter impressum, difficile est amouibile, sicut cauitas guttæ in lapide: sed lapis non cauatur primâ guttâ: Ergo. Est enim hoc vulgarum sermone prouerbium.

74 Assero secundò, produci primo actu aliquid, saltem disponens.

Probatvr; alioqui frustra poneretur primus actus, & sic etiam secundus, quia iam esset in efficiendo primus, & sic de reliquis. Fateor, non induci primo actu perfectam dispositionem, ità vt primo actu sit subiectum perfectè dispositum.

Probatvr secundò à D. Bonau. *argumento* 2. Eisdem principiis habitus generatur, quibus conseruatur, & intenditur; sed singulis actibus conseruatur habitus, & sæpè intenditur: Ergo.

An verò actus sint tantùm causa materialis, seu dispositio ex parte subiecti, sicut mollities ceræ ad impressionem, vt vult Durandus *in* 3. *dist.* 33. *q.* 2. *num.* 9.

An autem mera via, qua producitur habitus, vt vult Buridanus 2. *Eth. quæst.* 3.

An potiùs sint causa efficiens, vt docet Vasquez *num.* 39. puto, esse causam efficientem: nam experimento videmus, per actus expelli gradus oppositi habitus, sicut frigus tollitur è ligno ab igne: Vt autem resoluatur hæc difficultas.

75 Qværes: An per actus habituum infusorum possint generari alij habitus.

Respondet D.Thom. *quæst.* 51. *art.* 4. *ad tertium* negatiuè. Fatetur tamen augeri, & roborari, & quidem tantùm moraliter, non Physicè, vt docet *quæst. de virtutibus*, *art.* 10. *ad* 14. Ratio est ex Caietano, quia isti sunt habitus supernaturales: ergo non possunt per actus nostros acquiri. Hæc est ratio etiam D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 23. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 3.

76 Obstabis. Actus, qui fiunt per habitus supernaturales, essent etiam supernaturales, & ideò possent producere habitus supernaturales. Ideò Valentia, *disp.* 4. *quæst.* 3. *puncto vltimo*, rationem S.Bonau. infirmam putat.

Attamen non percipit rationem, quæ stat in hoc, vt habitus, secundùm suam substantiam merè supernaturales, non possent produci per actus nostros, qui, licèt adiuti habitu supernaturali, tamen habent aliquid naturæ substantiale, quam rationem videtur assecutus Vasquez *disput.* 79. *sub numero* 45.

77 Neqve etiam posse augeri Physicè, probatur argumento S.Bonauent. *in* 3. *dist.* 33. *art.* 2. *quæst.* 5. *argumento* 2. Iisdem augetur Physicè habitus, ac roboratur, quibus & generatur. Sed per actus nostros non generantur habitus supernaturales: Ergo. Maior est Aristot. 2. *Eth.* Hoc argumento vtitur Vasquez *loco citato*.

Probat autem Valentia, non posse actibus nostris produci habitus supernaturales, quia vel illi essent eiusdem speciei, vel diuersæ. Non diuersæ speciei; nam ex Aristotele 2. *Eth. cap.* 1. & ex
78 Philosophis, ac Theologis communiter, præcipuè D.Bonauent. *quæst. citata*, per actus non producuntur nisi habitus similes, eiusdem speciei cum actibus, circa sanè idem formale obiectum. Neque erunt eiusdem speciei; quia duo accidentia, solo numero diuersa, nequeunt esse in eodem numero subiecto natura enim abhorret superfluum; vt non fiat per plura, quod per vnum fieri potest; vt docet D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 8. *art.* 2. *quæst.* 2. & *in* 2. *dist.* 3. *parte* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corpore*, cum D.Thom. *p.p. quæst.* 85. *art.* 1. & *quæst.* 41. *art.* 6. & 3. *p. quæst.* 35. *artic.* 5.

QVÆSTIO VI.

Vtrum intensio Habitvvm *fiat per additionem nouorum graduum.*

D.Bonau. in 1. dist. 17. p. 2. q. 1. & 2.

HÆc quæstio currit, non modò de habitibus sanè acquisitis, sed de cæteris formis accidentalibus.

Prima opinio est Durandi *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 7. 79
pro qua Augustinus Nyphus 8. *Metaph. disput.* 11. *cap.* 3. citat Albertum, Gilbertum Porret. & Auicennam, eamque tradunt Goffredus *quodl.* 7. *q.* 7. Burlæus *tract. de intensione formarum.* Hi docent, intensionem habituum fieri per gradum perfectiorem formæ, quo adueniente, corrumpatur gradus præcedens imperfectior. Hanc opinionem antè recitauit D. Bonauent. *quæst.* 1.

Secvnda sententia est Thomistarum, inten- 80
sionem qualitatum non fieri, addito nouo gradu formæ, aut parte qualitatis præcedente, sed alia ratione; & quidem Ægidius *quodl.* 1. *quæst.* 14. Capreolus *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. *art.* 1. *concl.* 3. 4 *&* 5. Didacus de Astudillo *lib.* 1. *de gener. quæst.* 9. 5. *Istis suppositis teneo*, asserunt, intendi non per additionem essentiæ ipsius formæ, quæ inuariata manet, sed variari ipsum esse formæ, in quo varietatem, & gradus admittunt. Alij volunt per maiorem eductionem de subiecto, siue ipsa forma subiectum magis informet, & maiorem tribuat effectum, vel subiectum magis radicata sibi subiiciat, quæ apud D. Thom. sunt idem. Ita Iauel. 8. *Met. quæst.* 6. Caietan. 1. 2. *quæst.* 52. *art.* 2. Souc. 8. *Met. quæst.* 21. Complutenses *in Physic. disp.* 4. *quæst.* 9. Conrad. 1. 2. *quæst.* 52. *art.* 2. Medin. *ibi*, Sotus 4. *Physic. text.* 84. Martinez 1. 2. *loc. cit.* Zanar. 8. *Met. quæst.* 10.

Tertia opinio est, intensionem fieri per in- 81
tensionem graduum. Ità D. Bonauent. 1. *dist.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *&* 2. Albert. *dist. cit. num.* 10. Rich. *quæst.* 2. *art.* 1. Henr. *quodl.* 8. *quæst.* 5. & *quodl.* 4. *quæst.* 15. Scotus 1. *dist.* 17. *quæst.* 5. Ocham *quæst.* 6. Gregor. *quæst.* 4. *art.* 1. Gabr. *art.* 2. Marsil. 2. *quæst.* 1. *art.* 1. Nyphus 8. *Met. disp.* 5. 6. *&* 11. Tolet. 1. *de Gener. cap.* 3. *quæst.* 4. Vasq. 1. 2. *disp.* 82. *cap.* 3. Suar. *Met. disp.* 46. Hurt. *Physic. disp.* 5. *sect.* 4 *&* 5. Auersa *quæst.* 23. *sect.* 6. *&* 7. Rnu. *de Gener. quæst.* 5. Arriaga *de Gener. disp.* 3. *sect.* 1. *subs.* 3. Granad. *p.* 2. *controu.* 4. *disp.* 38. Valent. *disp.* 4. *quæst.* 4. *p.* 2. Azor. *lib.* 3. *cap.* 22. *quæsito* 2. Tanner. *p.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 1. *dub.* 3. Macedo *collat.* 7. *diff.* 3. *sect.* 1. Ex his aliqui allegant Angelicum: at ipse tenuit *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 7. *art.* 2. & *prima secunda*, *quæst.* 52. *art.* 2. & 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 5. & *quæst.* 1. *de ver. art.* 11. vt enixè ostendit P. Macedo, initio, & ipsi Thomistæ.

Assero primò, Intensionem Habituum, & 82
aliarum qualitatum, non fieri modo Durandi, adueniente vno gradu, & alio desinente.

habitibus vitiosis oppositis esse, quia non sunt è diametro oppositi; debilitantur tamen quasi indirectè, vt ait Tannerus *numero* 23. ex D. Thom. *quæstione* 65. *artic.* 3. *ad* 2. quæ est doctrina D. Bonauent. *in* 4. *distinctione* 4. *artic.* 2. *quæst.* 2. *in corpore*, & *in* 2. *distinctione* 31. *quæstione* 2. & aliis in locis.

Obiicies tertiò. Scriptura testatur, habitus cæterarum virtutum moralium, etiam in Deum relatos, sine charitate nil valere. Id edisserit Apostolus *prima Corinth.* 13. vbi etiam eam omnes virtutes continere, ait: *Charitas patiens*, *&c.* & Rom. 13. dicitur, Legem charitate impleri.

65 Respondet Seraphicus Doctor, Charitati attribui perfectionem, non autem formalitatem actuum aliarum virtutum, quia extra gratiam non iuuant aliæ virtutes ad gloriam, cùm charitas sit forma aliarum virtutum, extrinsecè eas perficiens ad perfectionem moralem: Attamen necessarij sunt singularum virtutum habitus, ad earum actus eliciendos.

Obiicies quartò. Concilium Tridentinum *sess.* 6. nullam habet mentionem habituum moralium infusorum; sed solùm Theologicarum virtutum, & gratiæ.

66 Respondetur; imò *cap.* 7. indicari nostrum assertum. Ibi enim definitur, Iustificationem fieri per infusionem gratiæ, & donorum, nempe virtutum. Neque debemus illas ad Theologicas coarctare; Ideò Catechismus ad normam Concilij Trident. de Baptismo ait: Gratiæ adhæret nobilissimus virtutum comitatus, quæ in anima simul cum gratia diuinitùs infunduntur. Nec solæ Theologicæ absolutum virtutum comitatum complent, vt putat Mastrius.

Obiicies quintò Sanctos Patres, qui virtutes tantùm acquisitas inter morales agnoscunt. Qua ratione D. Augustinus *de vera, & falsa pœnitentia*, duplicem secernit pœnitentiam. Vnam fructuosam, à charitate imperatam: Alteram infructuosam, humanis viribus possibilem.

67 Respondetur, Sanctos Patres allegatos pro nobis stare; vt ostendi de S. Augustino, qui iustitiam totam pœnitentis à Deo agnoscit, etiam quò ad actus inferiores; sicuti de Attritione, quæ est imperfecta, declarat Concilium Tridentinum, esse Spiritus Sancti donum; ea verò non dictatur à charitate. Porrò ideò *lib.* 1. *retract. cap.* 9. & *lib* 2. *de libero arbitrio*, *cap.* 18. Virtutem definit: *Est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur, quam Deus in nobis, sine nobis operatur*; vt ostendam *tract.* 1. *disp.* 2. *quæst.* 2.

68 Similiter D. Gregorius *loc. cit.* asserit, Spiritum sanctum, iuxta quasdam virtutes, semper permanere, numeratque Humilitatem, & Castitatem: Non autem tantùm secundùm operationes earum, quando sunt cum charitate, vt putat Mastrius.

69 Sic & D. Hieronymus *præf. in Threnos* deplorans statum animæ in peccato, ait: *Animam ante peccatum radiare, non metallo auri, aut argenti, sed virtutibus, eaque omnia per peccatum auferri, & denudari domum Domini omnibus ornamentis.* Certè non loquitur de habitibus acquisitis, qui manent etiam post peccatum, neque solùm ait obscurari, sed auferri; quod non vidit Mastrius.

Obiicies sextò. Nulla est necessitas harum virtutum supernaturalium, cùm satis sint acquisitæ morales ad finem naturalem, & Theologicæ ad supernaturalem. Cæterùm, si morales ducunt ad finem supernaturalem, hoc eis conuenit ratione charitatis; Neque enim vlla virtus moralis habet obiectum, per se connexum cum bono 70
diuino.

Respondetur, satis superque ostensam necessitatem harum virtutum; nam morales infusæ ad finem supernaturalem ducunt, etiam præciso imperio charitatis, è quibus Pœnitentia satis è Concilio Tridentino ostensa est infusa.

QVÆSTIO V.

Vtrum Habitus *acquisitus, per vnicum actum generetur.*

Egimus de Habitibus Innatis, & Infusis. Iam agendum de his, qui exercitatione comparantur.

Prima opinio est omninò negatiua. Ità Burlæus 2. *Ethic. cap.* 1. *p.* 3. Flaminius 2. *de fœlicitate*, *cap.* 2.

Secvnda opinio est absolutè affirmatiua. Ità Durandus *in primo*, *distinct.* 17. *quæstione* 8. *ad* 2. Scotus *quæstione* 1. Maior *quæstione* 4. Palarius *disputatione* 6. Gabriel *in* 3. *distinct.* 23. *quæstione* 1. *art.* 3. Argentina *quæstione* 1. *art.* 2. Angelus *Moral. cap.* 5. §. 1. Almainus *tract.* 1. *cap.* 17. Conimbricenses *Eth. disp.* 3. *quæst.* 1. *art.* 2.

Tertia opinio affirmat de habitibus euiden- 71
tibus intellectus: de cæteris verò tum appetitiuis, tum apprehensiuis, negat. Ità D. Thom. 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 6. & *quæst. vnica*, *de virtutibus in communi*, *art.* 9. *ad* 11. & *in primo*, *dist.* 17. *quæst.* 2. *art.* 3. *ad* 4. & *prima secunda*, *quæst.* 51. *art.* 3. & *quæst.* 71. *art.* 4. vbi Caietanus, Conradus, Medina; Item Ægidius *in primo*, *dist.* 17. *quæst.* 6. Valentia *disput.* 4. *quæst.* 3. *p.* 3. Aragonius 2. 2. *quæstione* 27. *art.* 4.

Qvarta opinio est, habitum quoad essentiam, primo actu generari, non tamen quoad perfectum statum, & nomen habitus. Ità Henricus *quodl.* 5. *quæst.* 16. Viguerius *cap.* 3. & 8. *Instit.* Suarez *tom.* 2. *Metaph. disp.* 44. *sect.* 9. Vasquez *prima secunda*, *disp.* 79. *cap.* 7. & 8. Azorius *lib.* 3. *cap.* 11. *quæst.* 2. & 3. Tannerus *prima secunda*, *disp.* 3. *q.* 2. *dub.* 3. *num.* 31.

Sententia S. Bonauent. *in* 3. *dist.* 33. *artic.* 2. 72
quæst. 5. *ad* 4. ea esse videtur, vt vnico actu non generetur habitus, neque dispositio semper perfecta, sed aliquid tamen, quod dispositionem inducat, seu aliquid perfectæ dispositionis, iuxta illud Poëtæ:

> *Gutta cauat lapidem, non bis, sed sæpè cadendo.*

Quod carmen non ità intelligitur, vt nihil primò, & secundò relinquatur, vt putat, à nobis intelligi Vasquez *num.* 33. esset enim frustrà, priorem guttam cadere; sed quia primò non producitur perfecta dispositio.

Assero primò, nullum habitum primo actu 73
produci.

Probatvr primò ex Aristotele 2. *Eth. cap.* 1. quem initio quæstionis adducit S. Bonau. vbi ait: *Ædificatores etenim ædificantes, & cytharœdi pulsantes fiunt: pari modo, iusta agentes iusti; modesta modesti; atque, vt breuiter dicam omnes habitus*

bitus ex operationibus similibus fiunt. Idem docet *cap.* 2. Vbi loquitur de habitibus, non modò voluntatis; sed etiam intellectus.

Probatur secundò à D. Bonauent. quia habitus est quid impressum in potentia firma, & aliquo modo sæpè resistenti, & firmiter impressum, difficile est amouibile, sicut cauitas guttæ in lapide: sed lapis non cauatur primâ guttâ: Ergo. Est enim hoc vulgatum sermone prouerbium.

74 ASSERO secundò, produci primo actu aliquid, saltem disponens.

PROBATVR; alioqui frustra poneretur primus actus, & sic etiam secundus, quia iam esset in efficiendo primus, & sic de reliquis. Fateor, non induci primo actu perfectam dispositionem, ità vt primo actu sit subiectum perfectè dispositum.

PROBATVR secundò à D. Bonau. *argumento* 2. Eisdem principiis habitus generatur, quibus conseruatur, & intenditur; sed singulis actibus conseruatur habitus, & sæpè intenditur: Ergo.

An verò actus sint tantùm causa materialis, seu dispositio ex parte subiecti, sicut mollities ceræ ad impressionem, vt vult Durandus *in* 3. *dist.* 33. *q.* 2. *num.* 9.

An autem mera via, qua producitur habitus, vt vult Buridanus 2. *Eth. quæst.* 3.

An potiùs sint causa efficiens, vt docet Vasquez *num.* 39. puto, esse causam efficientem: nam experimento videmus, per actus expelli gradus oppositi habitus, sicut frigus tollitur è ligno ab igne: Vt autem resoluatur hæc difficultas.

75 QVÆRES: An per actus habituum infusorum possint generari alij habitus.

RESPONDET D.Thom. *quæst.* 51. *art.* 4. *ad tertium* negatiuè. Fatetur tamen augeri, & roborari, & quidem tantùm moraliter, non Physicè, vt docet *quæst. de virtutibus, art.* 10. *ad* 14. Ratio est ex Caietano, quia isti sunt habitus supernaturales: ergo non possunt per actus nostros acquiri. Hæc est ratio etiam D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 23. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 3.

76 OBSTABIS. Actus, qui fiunt per habitus supernaturales, essent etiam supernaturales, & ideò possent producere habitus supernaturales. Ideò Valentia, *disp.* 4. *quæst.* 3. *puncto vltimo*, rationem S.Bonau. infirmam putat.

Attamen non percipit rationem, quæ stat in hoc, vt habitus, secundùm suam substantiam merè supernaturales, non possent produci per actus nostros, qui, licèt adiuti habitu supernaturali, tamen habent aliquid naturæ substantiale, quam rationem videtur assecutus Vasquez *disput.* 79. *sub numero* 45.

77 NEQVE etiam posse augeri Physicè, probatur argumento S.Bonauent. *in* 3. *dist.* 33. *art.* 2. *quæst.* 5. *argumento* 2. Iisdem augetur Physicè habitus, ac roboratur, quibus & generatur. Sed per actus nostros non generantur habitus supernaturales: Ergo. Maior est Aristot. 2. *Eth.* Hoc argumento vtitur Vasquez *loco citato*.

PROBAT autem Valentia, non posse actibus nostris produci habitus supernaturales, quia vel illi essent eiusdem speciei, vel diuersæ. Non diuersæ speciei; nam ex Aristotele 2. *Eth. cap.* 1. & ex
78 Philosophis, ac Theologis communiter, præcipuè D.Bonauent. *quæst. citata*, per actus non producuntur nisi habitus similes, eiusdem speciei cum actibus, circa sanè idem formale obiectum. Neque erunt eiusdem speciei; quia duo accidentia, solo numero diuersa, nequeunt esse in eodem numero subiecto natura enim abhorret superfluum, vt non fiat per plura, quod per vnum fieri potest, vt docet D. Bonauent. *in* 3. *d ist.* 8. *art.* 2. *quæst.* 2. & *in* 2. *dist.* 3. *parte* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corpore*, cum D.Thom. *p.p. quæst.* 85. *art.* 1. & *quæst.* 41. *art.* 6. & 3. *p. quæst.* 35. *artic.* 5.

QVÆSTIO VI.

Vtrum intensio HABITVVM *fiat per additionem nouorum graduum.*

D.Bonau. in 1. dist. 17. p. 1. q. 1. & 2.

HÆc quæstio currit, non modò de habitibus sanè acquisitis, sed de cæteris formis accidentalibus.

PRIMA opinio est Durandi *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 7. 79
pro qua Augustinus Nyphus 8. *Metaph. disput.* 11. *cap.* 3. citat Albertum, Gilbertum Porret. & Auicennam, eamque tradunt Goffredus *quodl.* 7. *q.* 7. Burlæus *tract. de intensione formarum.* Hi docent, intensionem habituum fieri per gradum perfectiorem formæ, quo adueniente, corrumpatur gradus præcedens imperfectior. Hanc opinionem antè recitauit D. Bonauent. *quæst.* 1.

SECVNDA sententia est Thomistarum, intensionem qualitatum non fieri, addito nouo gradu 80
formæ, aut parte qualitatis præcedente, sed alia ratione; & quidem Ægidius *quodl.* 2. *quæst.* 14. Capreolus *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. *art.* 1. *concl.* 3. 4. & 5. Didacus de Astudillo *lib.* 1. *de gener. quæst.* 9. §. *Istis suppositis teneo*, asserunt, intendi non per additionem essentiæ ipsius formæ, quæ inuariata manet, sed variari ipsum esse formæ, in quo varietatem, & gradus admittunt. Alij volunt per maiorem eductionem de subiecto, siue ipsa forma subiectum magis informet, & maiorem tribuat effectum, vel subiectum magis radicata sibi subiiciat, quæ apud D. Thom. sunt idem. Ita Iauel. 8. *Met. quæst.* 6. Caietan. 1. 2. *quæst.* 52. *art.* 2. Sonc. 8. *Met. quæst.* 21. Complutenses *in Physic. disp.* 4. *quæst.* 9. Conrad. 1. 2. *quæst.* 52. *art.* 2. Medin. *ibi*, Sotus 4. *Physic. text.* 84. Martinez 1. 2. *loc. cit.* Zanar. 8. *Met. quæst.* 10.

TERTIA opinio est, intensionem fieri per intensionem graduum. Ità D. Bonauent. 1. *dist.* 17. 81
part. 2. *art.* 1. *quæst.* 1. & 2. Albert. *dist. cit. num.* 10. Rich. *quæst.* 2. *art.* 2. Henr. *quodl.* 8. *quæst.* 5. & *quodl.* 4. *quæst.* 15. Scotus 1. *dist.* 17. *quæst.* 5. Ocham *quæst.* 6. Gregor. *quæst.* 4. *art.* 1. Gabr. *art.* 2. Marsil. 2. *quæst.* 1. *art.* 1. Nyphus 8. *Met. disp.* 5. 6. & 11. Tolet. 1. *de Gener. cap.* 3. *quæst.* 4. Vasq. 1. 2. *disp.* 82. *cap.* 3. Suar. *Met. disp.* 46. Hurt. *Physic. disp.* 5. *sect.* 4 & 5. Auersa *quæst.* 23. *sect.* 6. & 7. Ruu. *de Gener. quæst.* 5. Arriaga *de Gener. disp.* 3. *sect.* 1. *subs.* 3. Granad. *p.* 2. *controu.* 4. *disp.* 38. Valent. *disp.* 4. *quæst.* 4. *p.* 2. Azor. *lib.* 3. *cap.* 22. *quæsito* 2. Tanner. *p.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 1. *dub.* 3. Macedo *collat.* 7. *diff.* 3. *sect.* 1. Ex his aliqui allegant Angelicum: at ipse tenuit *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 7. *art.* 2. & *prima secunda*, *quæst.* 52. *art.* 2. & 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 5. & *quæst.* 1. *de ver. art.* 11. vt enixè ostendit P. Macedo, initio, & ipsi Thomistæ.

ASSERO primò, Intensionem Habituum, & 82
aliarum qualitatum, non fieri modo Durandi, adueniente vno gradu, & alio desinente.

Probatvr primò, à Vasquez *numero* 20. argumento D. Bonauent. *in corpore, quæst.*1. & *in argumentis:* nam, licèt in entibus successiuis, ex duobus sibi succedentibus, fiat vnum continuum, etiamsi alterum recedat; tamen in entibus permanentibus id nequit fieri, cùm eorum natura sit permanere cum omni eo, quod secum facit vnum.

Probatvr secundò, à D. Bonauent. *in argumentis.* Id, quod non excidit, sed in augmento perficitur, manet idem; sed talis est charitas, quæ nunquam excidit ex Apostolo, & *Meretur augeri, vt aucta, mereatur, & perfici*, ex D. Aug. ad Bonifacium: Ergo.

83 Probatvr tertiò à Vasquez, *numero* 11. nam gradus subsequens, vel est minor præcedenti, vel æqualis, vel maior; Si minor non potest augere se solo subiectum, altero desinente; Si æqualis. Vel est indiuisibilis, & tunc non facit maius, vt arguit S. Bonauent. *argumento secundo ad opp. quæstione* 20. Si diuisibilis, non auget. Si maior: Ergo habet plures gradus, idest, præcedentem, & alium, Satiùs erit igitur dicere, manere primum gradum, & nouum alium accedere; quàm dicere, præcedentem gradum corrumpi, & alium maiorem succedere.

84 Assero secundò, intensionem Habituum non fieri, inuariatâ essentiâ, soloque esse variato.

Probatvr primò, à D. Bonauent. *quæstione prima, argumento quartò*, quoad habitus spirituales. In spiritualibus idem est maius, & melius: sed habitus fit substantialiter melior, cùm non sit semper in tota perfectione: Ergo substantialiter maior; sed substantia est entitas ipsa graduum: Ergo. Maior est D. Aug. 6. *de Trinitate c.*8.

Probatvr secundò, à D. Bonauent. *loco citato, argumento* 5. Qualis est essentia, talis est virtus ad eam sequens: sed habitus secundùm virtutem augetur, vt patet ex operatione: Ergo & secundùm essentiam.

85 Assero tertiò, non fieri intensionem per solam eductionem è subiecto, vel subiectionem subiecti.

Probatvr à D. Bonauent. *quæst.* 1. *ad primum.* Forma in se inuariabilis, quæ pendet à subiecto; variato subiecto, variatur & ipsa, quæ subiectum reddit tale, vel quale; sed in intensione habitus variatur subiectum, vt sit magis tale: Ergo forma, quæ illud reddit tale. Hoc argumento nititur Henricus *quodlib.*4. *quæst.*15. Vasquez *numero* 8.

86 Assero quartò, fieri intensionem per additionem substantialem graduum ipsius Habitus.

Probatvr à D. Bonauent. *quæst.* 1. *ad argumenta.* Sicut se habet motus ad quantitatem molis; sic & motus ad quantitatem virtutis, seu ad qualitatem, è D. August. 6. *de Trinitate, c.*7. Sed per motum ad quantitatem, qui est augmentatio, producitur vera entitas quantitatis: Ergo per motum ad quantitatem virtutis, qui est alteratio, produci-
87 tur vera qualitas. Alioqui æqualis charitas, æqualeque lumen gloriæ erit in cæteris, ac in Christo.

Hoc argumentum assumit Vasquez *numero* 17. sed non rectè: arguit enim ita, vt sequeretur ex opposita sententia, nunquam produci qualitatem aliquam per alterationem, sed solùm varios modos inhærendi, quibus forma intendatur, & remittatur; nam intensio, & remissio sunt tantùm modi qualitatis. Non inquam benè arguit vniuersaliter; nam & prima gradus qualitatis producitur per alterationem, & in hoc saluaretur productio vera qualitatis per alterationem. Alia etiam argumenta contra Durandi opinionem, è Seraphico deprompta, id probant.

Obiicivnt primò Durandus, & alij primæ opinionis. In omni motu, terminus *a quo* abiicitur, & perditur adueniente termino *ad quem.* Sed intensio est motus à forma imperfecta ad perfectam: Ergo.

Respondet Vasquez *numero* 20. ex D. Bonauent. *quæst.*1. *ad vltimum:* In omni motu secundùm substantiam, qui est generatio deperdi terminum *à quo* (in simplicibus) vt cùm ex ligno fit ignis; At in motu, qui est ab imperfecto ad perfectum, deperdi id, quod habet rationem termini *à quo:* id autem non est entitas imperfecta, præcedens secundùm rem, sed secundùm modum, vt euadat perfecta. 88

Obiicivnt secundò. In intensione, vel acquiritur aliquid distinctum, vel non. Si secundùm: Ergo non fit mutatio: si aliquid distinctum, sanè erit eiusdem speciei, vt fiat ex eis vnum; hoc autem non potest esse; quia duo accidentia eiusdem speciei nequeunt esse in eodem subiecto, vt concedis *quæst. præcedenti.*

Respondet D. Bonauent. *in responsione ad vltimum*, quæstionem futilem: An primus gradus cum adueniente sit eiusdem rationis: & quidem, aliquos dixisse, esse diuersos, & manere distinctos in subiecto, sicut duo lumina in eodem aëre; Attamen ipse respondet, esse diuersæ rationis sanè, & facere vnum; quia prior, qui est imperfectior, habet esse materiale, & potentiale respectu sequentis perfectioris; alioqui si secundus esset indiuidualiter eiusdem perfectionis, non perficeret, & actuaret eum; nec ille haberet ad hunc potentiam, vt per eum perficiatur, quia ex duobus non fit vnum, nisi vnum sit materiale respectu alterius. 89
Hac supposita doctrina, quæ tempore D. Bonauent. erat controuersa, quod sanè non vidit Vasquez, quæ *numero* 23. dicit, controuersiam hanc: An, scilicet gradus subsequens, sit eiusdem, vel diuersæ perfectionis cum præcedente, nouissimè esse excitatam, nec apud supra allegatos antiquos; è quibus est S. Bonauent. haberi. Hoc posito, respondet S. Bonauent. ad argumentum, illos gradus, diuersos dissimilitudine indiuiduali, ità esse ordinatos, vt perfectior adueniens actuet primum, ità vt non transmutet; sed vt cum eo vnum numero constituat Habitum intensum vt duo. Hanc responsionem assumit Vasquez, licèt in hoc discrepet à S. Bonauent. quod vult, omnes gradus intensionis esse eiusdem rationis, & dicit, non esse cur hanc diuersitatem compingamus, & soluit aliorum rationes, sed rationem suprà allatam S. Bonauent. non adducit. 90 91

Obiicivnt tertiò. Essentia qualitatis intensa; & essentia remissa, essentialiter diuersæ sunt: Ergo non sunt eadem essentia qualitatis permanens; quia idem non potest variari secundùm essentiam, & tamen manere idem.

Respondet Vasquez *numero* 21. ex D. Bonauent. *quæst.* 1. *ad vltimum*, qualitatem intensam, puta vt quatuor, diuersam esse à remissa vt tria, hoc sensu, vt plus habeat de essentia, & perfectione qualitatis, non quia sit diuersæ speciei; eo autem modo repugnat esse idem omninò; nam se habent vt includens, & inclusum: qualitas enim intensa vt quatuor continet perfectionem vt duo, & aliquid ampliùs. Ex hoc autem non sequitur, qualitatem remissam perire omninò, adueniente perfectiori, sed sequitur, nouo gradu perfectionis augeri. 92

OBICIES primò, cum secunda sententia. Si intensio formarum fieret, addito aliquo nouo gradu ipsius formæ præcedenti; vel gradus ille esset eiusdem speciei cum præcedente, vel diuersæ. Si diuersæ, non potest componere cum præcedente vnam numero qualitatem: si verò eiusdem speciei, non potest esse in eadem parte subiecti; quia duo accidentia solo numero distincta, non possunt in eodem subiecto esse.

93 RESPONDET Vasquez *numero* 21. ex dictis cum D. Bonauent. esse eiusdem speciei; neque tamen repugnare in eodem subiecto; quia non faciunt duas, sed vnicam tantùm numero, modo dicto, intensiorem; natura verò abhorret plura, solo numero distincta, manentia in subiecto, ob superfluitatem; quia id potest fieri per alterum illorum accidentium: At verò in casu nostro fit vnum accidens perfectius priori: vnde non superfluit.

94 HINC habeo contra Vasquez argumentum, ad confirmandum, hos gradus aliqua perfectione indiuiduali excedere; alioqui secundus non faceret qualitatem intensiorem, sed extensam duobus gradibus. Deinde, si omnes essent æqualis perfectionis, cur luminosum vt quattor, in aere illuminato vt quatuor, non producet alios quatuor, ità, vt aër remaneat illuminatus vt octo?

95 RESPONDET Vasquez *numero* 29. hoc euenire, quia quando agens assimilauit sibi passum ad suam perfectionem, non possunt vltrà procedere, & idem euenit, quando inuenit ab alio agente tantundem productum in passo illo.

Enim verò hoc est, quod vrgeo, cùm ibi sint duo agentia, singula habentia quatuor gradus luminis, virtutem vt quatuor, non est assimilatum passum vtrique agenti, quia simul habent octo gradus, & virtutem vt octo, quæ non exigit perfectionem maiorem in quarto, quàm in primo, & in octauo, quàm in primo.

OBICIES secundò. Si intensio fieret per additionem noui gradus, sicut in extensione; sequeretur, intensionis non dari terminum, sicuti non datur in extensione, addita noua quantitate.

96 RESPONDET Vasquez *numero* 21. non sequi intensionem posse fieri in infinitum; sicut neque extensionem ab agente creato, cùm sit limitatæ virtutis. Adde enim Diuo Bonauent. *ad vltimum, quæst.* 1. etiam subiectum esse finitæ capacitatis, seu potentiæ. Similiter & gradus, cùm ad subiectum limitatum finitè actuandum ordinentur, habere finitam capacitatem: imperfectos quidem actualem, & potentialem; perfectissimum verò, quia est octauus, habere actualem.

OBICIUNT tertiò cum Ægidio. Formæ sunt indiuisibiles, sicut numerus: Ergo si vna alteri addatur, variatur species.

97 RESPONDET Vasquez *numero* 22. ex D. Bonauent. *quæst.* 1. *ad vltimum*, formas esse, sicut numeros in esse formali prædicationis essentialis, & ipsius essentiæ, ità vt, addito nouo prædicato, varietur; sicut addita vnitate numero ternario fit quaternarius; Attamen substantiæ habent entitatiue suos gradus, vsque ad perfectionem sibi debitam; sic etiam quantitas habet partes, quæ sunt obiectum augmentationis, & idem dicendum de quantitate virtutis, vt possit fieri additamentum, non quidem noui prædicati, sed noui gradus secundùm multitudinem, qui sit substantialis, non dans esse simpliciter, sed esse perficiens complementum.

98 Idem respondet S.Doct. etiam *ad primum*, essentiam scilicet esse inuariabilem quoad naturam vniuersalem, & prædicata; similiter & naturam, seu essentiam singularem, à qua vniuersalis sumitur; non autem prout in alio, quia potest aliquid minùs, vel magis perfectè naturam illam possidere intra eandem essentiam. Sic Aristoteles *in cap. de Qualit.* iuxta translationem Argyropyli, & Boetij, ait, valetudinem, iustitiam, albedinem, &c. magis, & minus suscipere, ac recipere intensionem, & remissionem, vt refert Vasquez *à num.* 8.

NON nego tamen, accidentia seipsis priùs indiuiduari, antequam respiciant hoc, vel illud subiectum, cùm & ab omni subiecto possint creari separata: ex quo deducit Scotus *in* 1. *dist.* 17. *quæst. vltima*, formas mutari in seipsis, per additionem graduum, non autem per solum respectum ad subiectum; & quia prædicamenta sunt impermixta, nec ratio vnius sumitur ex ratione alterius, vt notat Fauentinus *Theor* 90. *cap. vltimo.* Ideò & duæ qualitates contrariæ, sunt incompatibiles in eodem subiecto; quia sunt in sua perfectione iam indiuiduali. 99

QVÆSTIO VII.

Vtrum HABITVS *per quoslibet Actus augeatur.*

PRIMA sententia est affirmatiua. Ità Henricus *quodl.* 5. *quæst.* 16. Scotus *in* 1. *dist.* 17. *quæstione* 3. Durandus *quæst.* 8. *num.* 6. & 9. Maior *quæstione* 4. Palarius *quæst.* 6. Richardus *art.* 2. *quæst.* 3. Gabriel *quæst.* 4. *art.* 1. Aliacensis *in* 1. *quæst.* 9. *art.* 3. Angestus *in Moral. cap.* 5. Vasquez *prima secunda*, *disput.* 80. *cap.* 1. qui tamen contra Durandum limitat, nisi sit actus nimis remissus. Gregorius de Valentia *disp.* 4. *quæst* 4. *p.* 3. Suarez *tom.* 1. *Metaph. disp* 44. *sect.* 10. hi tamen duo addunt, reipsa, non per quoslibet actus augeri habitus; sed augeri, si multiplicentur, quod etiam docet Ægidius *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 6. si actus remissi multiplicentur, vt æquiualeant vni actui intenso. In hanc sententiam inclinat Azorius *tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 21. *quæstio* 4 eamque tuetur Tannerus *disp.* 3. *quæst.* 1. *dub.* 3. *num.* 34.

SECVNDA sententia negat, per actus remissiores intendi Habitum. Ità Caietanus, Conradus, Medina, & alij Thomistæ *ad primam secundæ, quæst.* 52. *art.* 3. Bannes, & Arragon. 1. 2. *quæst.* 16. *art.* 6. Caietanus etiam 1. 2. *quæst.* 24. *art.* 6. *ad* 2. Victoria *relect. de augmento charitatis*, *parte* 1. *à num* 2. Corduba *lib.* 1. *quæst.* 9. *dub.* 3. Zumel. *prima secunda*, *quæst.* 113. *art.* 8. *disp.* 3. Consentit Almainus *tract.* 2. *Moral. cap.* 11. Fauet Scotus *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 1. & *dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 2. Idem sentit D. Thom. *prima secunda*, *quæst.* 52. *art.* 3. 100

HÆC est sententia D. Bonauent. *in* 1. *dist.* 17. *p.* 2. *quæst.* 2. *ad vltimum*, vbi vult, actum intendentem debere se habere, vt actum respectu potentiæ, & vt formam respectu materiæ, in comparatione ad præcedentem. Idem indicat *in corpore*, dum intensionem habitus comparat intensioni luminis, quæ non fit nisi per additionem luminis perfectioris; nam lumen vt quatuor non intenditur ab alio luminoso vt quatuor. Idem habet *in* 2. *dist.* 40. *quæst. vltima*, vbi agens de augmento gratiæ per actus meritorios, docet, eam non augeri, nisi per intensiores, sumpta comparatione ex acquisitis. Eum secutus est Scotus *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 1. 101

§. De

§. *D. secundo articulo*, & *disp.21. quæst.1.* §. *In ista quæstione.* De hoc verò agemus *tract. de Gratia, disp.4. de merito, quæst.12.*

102 ASSERO cum hac sententia, habitum non produci, nisi per actus intensiores.

PROBATVR primò, argumento S. Bonauent. *in primo, distinct. 17. quæst.2 in corpore*, quo nititur etiam D. Thom. *quæst.51. art. 2.* Agentia naturalia talis sunt naturæ, vt quando inueniunt in subiecto productum totum id, quod ipsa producere valent, non augeant effectum; & ità nil in eo substantiæ operantur. Veluti, si lumen vt quatuor, inueniat aërem illuminatum vt quatuor, non augebit lumen; aliàs qui illa duo Luminosa, mutuò

103 se intenderent vsque ad octauum gradum, quod est absonum. Cùm igitur, post actum intensum vt quatuor, elicitur alius actus intensus vt quatuor, nil producet in habitu substantiale, quia ipse non habet virtutem producendi actum intensiorem, quam vt quatuor, & hunc iam inuenit productum: Vt igitur actus producat aliquid in habitu, enim intendendo, debet esse intensior actu præcedente.

104 RESPONDET Vasquez *numero* 7. & Tannerus *numero* 34. id verum esse de causa vniuoca, quæ non potest producere effectum præstantiorem sua virtute, At verò causa æquiuoca potest producere effectum intensiorem se, quia causa æquiuoca debet esse nobilioris naturæ, quàm effectus; & ità parum refert, si intensione minor sit effectu. Huiusmodi autem esset actus, comparatus cum habitu, quem producit: Ergo posset producere habitum intensiorem se.

105 VERVM hæc responsio est inanis: Nam vt arguit D. Bonauent. *dist. illa 17. fundamento vltimo*: perfectio effectus venit à perfectione virtutis; & perfectio virtutis ex perfectione essentiæ, seu naturæ, à qua fluit; & hoc verum est in omni agente, & ideò vniuersaliter dicitur: *Operari sequitur ad esse.* Itaque nihil potest dare quod non habet, vel formaliter, vel virtute: & cum virtus non excedat essentiam, cuius est effectus, non video, quomodo causa æquiuoca acclametur posse effectum, nobiliorem se, producere, nisi aliâ concausâ adiuuetur. Sicuti, cùm Sol producit animantia. Imò, quia causa æquiuoca esset debet nobilior effectu, nequit producere nobiliorem se.

106 PROBATVR secundò, à D.Bonauent. *quæst.2. argumento vltimo, addito responso.* Id, quod perficit aliud, debet se habere ad illud, vt actus, & forma, respectu materiæ, & potentiæ: sed actus adueniens, intendens habitum, illum perficit: Ergo se habet ad illum, vt forma ad materiam: sed non potest se habere vt actum, nisi perfectior sit, & intensior: Ergo.

RESPONDET Vasquez, verum esse de eo, quod vnitur, vt forma, subiecto.

107 Contrà. Nam si de omnibus non est verum; cur dicitur vna aliam intendere potiùs, quàm extendere, si secunda non est perfectior? sic annulus æqualis ferreus solùm extendit catenam; Si verò validior; etiam intendet.

Actus verò æquè intensos aliquid dispositionis operari, docet D.Thom. quod enim neque auget, neque minuit, videtur saltem disponere, & hoc videtur D. Bonauent. *in 2. dist. 40. citata*, dum, actus æquales aliquam accidentalem perfectionem operari, ac dispositionem, admittit. Enim verò videtur tantùm admittere dispositionem moralem: nam physicam non est facile percipere: si enim nil ampliùs habet, quàm habeat habitus, quoad essentiam, neque poterit producere aliquid ampliùs, ob rationes suprà allatas.

OBICIES primò, cum Vasquez *numero 6.* Tannero *numero 34.* Experimento claro constat, actum, quantumuis remissum, memorandi, perficere habitus memoriæ.

RESPONDETVR, id esse falsum. Fateor verò, multiplicari alias species, atque alios habitus partiales, non autem eum priorem intendi. 108

OBICIES secundò. Quilibet actus potest producere substantiam habitus: Ergo & augere.

RESPONDETVR, negando antecedens, *ex dictis qu.st.5.*

OBICIES tertiò. Lucidum æquale, vel minus, alteri superueniens, auget, & intendit lumen æquale, vel intensius, à maiori, vel æquali lucido productum: Ergo.

RESPONDETVR, negando antecedens, vt dixi cum D.Bonauentura suprà. 109

OBICIES quartò. Quilibet actus remissus, minuit habitum contrarium: Ergo auget proprium, quo contrarius formaliter expellitur.

RESPONDETVR primò, negando antecedens: nam si habitus sit vt quatuor, debet esse actus contrarius maioris virtutis, vt illum retundat.

RESPONDETVR secundò, negando consequentiam: Nam intensio, præter expulsionem contrarij, requirit virtutem aliam inducendi nouum.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum HABITVS *extendantur ad Obiecta, & quomodo.*

D.Thom. p.p. q.54. art 4.

QVÆSTIO nostra est: An aliquis Habitus extendatur, intra latitudinem sui obiecti formalis, ad alia obiecta materialia. Et quidem est quæstio de Habitibus acquisitis; nam de infusis dispar est ratio, vt dicam *in calce.* Quoniam verò de habitibus acquisitis intellectus alia est controuersia, ac de habitibus voluntatis, seorsim de vtrisque disputabo. 110

Quoad Habitus Intellectus.

PRIMA sententia est, totales habitus intellectus non esse vnum habitum simplicem per se, sed esse plures habitus partiales; atque adeò per acquisitionem cognitionis noui obiecti, sub obiecto totali comprehensi, non fieri extensionem habitus primi, sed noui habitus acquisitionem. Ità videntur sentire Scotus *in quæst. 5. Prolog.* Gabriel *in 3. dist. 23. quæst. 2. art. 2.* Gregorius *quæst. 3. prol. art.3.* Marsil. *quæst.2. prol. art.4.* Aureolus *quæst.3.* præsertim *art. 2.* Maior *quæst.7.* Bassol. *quæst.6. art.2.* Palacius *quæst.9.* Molina *p. p. quæst.1. art.3. disp.3.* Fonseca 5. *Metaph. cap 7. quæst.5. sect.2.* Toletus in Logica *quæst. 3. Proœm.* Suarez *Tom. 2. Metaph. disput. 44. a numero 54.* Loquuntur autem omnes de habitibus acquisitis.

SECVNDA opinio est, habitus omnes intellectus esse vnum per se; & quodam sensu simplices qualitates, quæ ad plura obiecta extendantur. Videtur mens D. Thom. *prima secunda, quæst.52. art. 1. & 2.* & *quæst. 54. art. 4. in corpore*, & *ad tertium.* 111

tertium. Et *quæst.* 66. *art.* 1. & 2. 1. *quæst.* 24. *art.* 5. Ideò malè Petrus Bergomas *in Concordantiis D. Thomæ*, *dub.* 676. & 1108. exponit, D. Thomam solùm velle, scientiam, sumptam pro aggregatione specierum, augeri; non autem secundum se, prout est simplex qualitas; cùm S. Doctor apertè dicat, habitum augeri, qui est simplex qualitas, & quidem secundùm se. Ideò hoc vltimum immeritò in dubium reuocat in D.Thom. Gregorius de Valentia *disput.* 5. *quæst.* 4 *p.* 2. & *quæst.* 7. *p.* 4. Hanc sententiam tenent Henricus *quodl.* 9. *q.* *æst.* 4. Ægidius 2. *p. Proleg. quæst.* 2. Richardus *quæst.* 3. Capreolus *quæst.* 3. *Proleg. art.* 1. Aquarius *in* 3. *d. st.* 23. Ferrar. *contra Gent. cap.* 56. Caietanus, Conradus, Medina *hic*, *quæst.* 54. *art.* 4. Sotus *quæst.* 3. *proœm. Logicæ*, Caietanus 2. 2. *quæst.* 74. *art.* 4. & *p.p. quæst.* 1. *art.* 3. Viguerius *Instit. cap.* 12. §. 1. Bannez *relect. de charitate, quæst.* 1. Aragonius 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 5. Valentia *disput.* 4. *quæst.* 6. *p.* 3. & *p.p. quæst.* 1. *p.* 3. Vasquez *disp.* 80. *à cap.* 3. & *disp.* 78. *cap.* 3. & *p.p. disp.* 1. *numero* 8. & *disp.* 9. *numero* 2. & *disp.* 43. *numero* 21. Ex antiquis vero Altisiodorensis, Alensis, & alij innumeri, vt ait Maior *quæst.* 7. *Prologi*.

112 Ex his aliqui seueriores volunt, Habitum ità esse simplicem, vt neque ex gradibus extensiuis componatur, modisve integrantibus intrinsecis in ordine ad plura obiecta, rati, vnam eamdemque simplicem qualitatem scientiæ, non secus ac potentiam, per indiuisibilem entitatem extendere se ad omnia obiecta totalis scientiæ, modò accedat ex parte obiecti debitum specierum supplementum.

Cæteri verò dicunt, habitum esse quidem vnum habitum per se, & hoc sensu qualitatem simplicem, compositam tamen intrinsecè è pluribus, siue modis, siue partibus, seu gradibus extensiuis, qui etiam successiuè acquirantur, prout intellectus in variis huiusmodi actibus se exercet. Hi sunt Viguerius, Aquarius, Soto, Caietanus, Medina, Bannez, Aragonius, Vasquez *locis adductis*, quos adducit, & sequitur Tannerus *prima secundæ*, *disp.* 3. *quæst.* 1. *dub.* 4. *numero* 42.

113 Hæc mihi videtur sententia S. Bonauenturæ. Nam *in* 3. *dist.* 23. *quæst.* 3. docet, Habitus ex pluribus materialibus facere vnum habitum formalem, & hoc non modò asserit de habitu fidei, qui extenditur ad plura credibilia; at sub vna ratione reuelati à prima veritate; sed etiam de cæteris habitibus, adeò extendi ad alia, & alia obiecta. Idem habet *in primo*, *quæst.* 1. *proleg. in corpore*, loquens de Theologia, comparata cum fide.

Assero cum hac sententia primò, habitus intellectus esse vnum per se, non per aggregationem.

114 Probatur primò, à D. Bonauent. *in* 3. *loco citato*, quia. Sic se habent proportionaliter obiecta habituum acquisitorum intellectus ad habitus ipsos intellectus acquisitos; sicut habitus fidei ad suum obiectum: sed habitus fidei est vnus, sicuti plurimi ex authoribus primæ sententiæ confitentur, vt notat Tannerus *numero* 43. qui hac ratione nititur: Ergo, &c. Maior probatur à D.Bonauent. quia omnis habitus vnificatur in obiecto suo formali, non in materialibus, & cùm sit scientificus, debet esse vnum formale per se; alioqui de scientiis non fieret diuisio formalis; sed tantùm de aggregatis: veluti fit de cumulo Tritici; Diuiduntur quidem scientiæ, sicut res; sed sub aliqua ratione; alioqui quænam esset ratio, cur ex tot rebus fieret vna scientia, quàm ex pluribus, nisi sub vna ratione conuenirent ad vnicum formale per se faciendum?

Probatur secundò, à D. Bonauent. *loco citato*, ratione à simili, Negari non potest, sensum visus esse vnum, vnamque cognitionem, tametsi ad plura visibilia extendatur. Sic videt Equum, & lapidem, & plantam, & hominem: videt album, nigrum, & luminosum, quæ, licèt essentialiter differant, attamen vnum obiectum constituunt per se sub vna ratione atoma visibilis. Cùm igitur magis vnum sint superiora, quàm inferiora; eò quòd perfectio sparsa in inferioribus, vnitur in superioribus; sequitur, idem dicendum de habitibus intellectus. 115

Assero secundò, habitus intellectus, & voluntatis extendi, per additionem graduum, ad obiecta. 116

Probatur ratione superiori adducta è D. Bonauent. qua nititur Tannerus *numero* 42. Certum est, visionem, auditionem, & alias sensationes crescere intrinsecè, & extendi, aucto obiecto secundùm intensionem, vel extensionem. Sic visó albo, extenditur ad nigrum, & his visis, extenditur ad luminosum; & experimento constat, oculum ad vnum obiectum facilem, puta ad viride, habere tamen difficultatem ad album; & habilem ad albedinem, habere difficultatem ad luminosum. Idem currit de cæteris sensibus. Idem experimur in scientiis, vt qui ad vnam conclusionem est habilis, patiatur ad alias difficultatem.

Probatur idem aliis exemplis. Et primo quidem illo, quod indicat ad hoc S. Bonauent. *in* 3. *dist.* 3. *quæst.* 5. Ità virtutum exercitia reducuntur ad habitum perfectum, sicuti ars frænefactiua reducitur ad domandum in omnibus equum, ex D. Augustino *in Enchiridio*, *cap.* 31. sed ars frænefactiua est vna, domans equum, & assuescens eum ad ambulandum, cùm tamen maneat difficultas ad saltandum, & postea ad tales saltus, *verbi gratia*, Arietis, & deinde ad portandum, mox ad trahendam rhedam: Ergo & prudentia, primò habilitans ad iudicandum ea, quæ spectant ad Iustitiam; inuenit difficultatem ad iudicanda, quæ spectant ad Temperantiam: Similiter etiam priùs habilis ad iudicanda, quæ spectant ad temperantiam à cibis, sentit difficultatem ad iudicanda ea, quæ ad tactus pertinent. Vel ergo concedant, plures habitus, ac virtutes Prudentiarum, & ità multiplicent virtutes Cardinales. Similiter, & plures Artes frænefactiuas; aut tandem fateantur, hos habitus habere extensionem. 117

Hoc argumentum idem probat de virtutibus moralibus: nam sicuti domitor equorum, postquam reddidit equum habilem ad ambulandum rectè, inuenit inhabilem ad saltus, ad portandum, & his superatis, ad trahendam rhedam; ità etiam gratia, quæ est veluti sessor, postquam domuit hominem, & reddidit promptum ad opera temperantiæ in cibis, inuenit renitentem ad frænandam concupiscentiam voluptatum, & ad temperantiam in tactibus; & sic de reliquis. 118

Hoc argumentum refricat S. Bonauent. *in* 3. *dist.* 36. *quæst.* 5. *in corpore*, vbi inæqualitatem virtutum ostendit, quia in vna habet facilitatem ad actus; & habebit difficultatem ad actus aliarum, *verbi gratia*, aliquis habet habitum, & facilitatem ad actus abstinentiæ, & tamen non habet ad actus iustitiæ; sic & habebit facilitatem ad actum vnius virtutis, & difficultatem habebit ad actum aliarum 119

alium eiusdem virtutis, secundùm sui dispositiones varias, & inclinationes. Ex quo deducit inæqualitatem eiusdem habitus; inæqualitas autem est passio quantitatis modo proportionali, scilicet inæqualitas corporea est passio quantitatis molis; & inæqualitas spiritualis quantitatis virtutis. His fundamentis nititur Vasquez, quibus ait *numero* 19. male torqueri aduersarios.

120 Et quidem quoad Habitum prudentiæ nil respondent, ne plures quatuor virtutibus Cardinalibus ponant. Similiter nec ad argumentum de arte fræ nefactiua.

Quoad argumentum de virtutibus moralibus voluntatis; respondent, eum, qui habet facilitatem ad actus Temperantiæ in gustu, egere habilitari ad ea, quæ sunt tactus, non per extensionem habitus, sed quia ad vnum obiectum est magis dispositus intellectus, & aliæ potentiæ, quæ voluntati deseruiunt, quàm ad aliud; nempè, quia facilius proponit obiectum voluntati, & repræsentat ei honestatem & conuenientiam in vno obiecto, quàm in alio: nam memoria præteritæ consuetudinis multum confert; multum etiam iuuat phantasia, & ipsa corporis dispositio, passiones, &c.

121 Itaque coguntur dicere, hanc facilitatem nouam acquiri per nouos habitus intellectus, memoriæ, & phantasiæ.

Enim verò, cùm habitus isti sint in voluntate, vel intellectu, vt ipsi nituntur, & in his experiamur facilitates, & difficultates, oportet, vt ibi inueniant, & admittant habitus, facilitates, difficultates, &c. vt rectè arguit Vasquez *numero* 22. Scio, etiam è passionibus, &c. oriri difficultates, vt ante Suarez, & alios, dixit D. Bonauent. *in* 3. *distinct.* 36 *quæst.* 1. *ad vltimum*; Attamen in acquisitis exercitium, per quod habitus acquiritur, est maxima ratio.

122 Respondent secundò, id euenire, quia vnus actus circa idem obiectum est difficilior alio; quod in agentibus etiam naturalibus videmus.

Contra, quia si habet habitum totalem ad omnes operationes totius habitus, cur eget acquirere facilitatem ad has specialiter operationes? Ergo vel noui habitus acquiruntur, vel antiquus extenditur.

Probatur tandem à priori à D. Bonauent, *in* 3. *dist.* 36. *quæst.* 5. *fundamento vltimo*, quo nititur Vasquez *cap.* 4. Tannerus *numero* 49. Habitus acquisiti ideò necessarij sunt, vt potentia facilè, & promptè operetur, & ideò quoties constiterit nobis, ad aliquam operationem necessarium esse comparare aptitudinem aliquam ad promptitudinem; eò quòd circa eam sit aliqua difficultas in potentia, & facultate; fatendum ingenuè est, ad eam necessarium esse aliquem habitum.

123 Præterea habitus virtutis non est necessarius in voluntate, vt feratur in honestatem obiecti abstractè consideratam sine materia. Ideò virtus dicitur esse habitus electiuus; affectus enim electiuus est circa honestatem in hac electa materia, quia ratione materiæ, in qua est, habet admixtum aliquid difficultatis, quo retardatur voluntas ab affectu; ideò electio virtutis, quæ est affectus circa honestatem contractam in materia, difficilis nobis est. Ideò egemus habitu intellectus, vt de illa iudicemus, & habitu voluntatis, vt promptè eligamus. Hanc vocamus virtutem voluntatis: illam autem virtutem intellectus. Ideò rectè definitur: *Virtus est Habitus electiuus*, &c.

124 Quoties ergo circa obiectum peculiare honestum, quod est obiectum formale virtutis, est noua difficultas, necessarius est vel nouus habitus, vel noua extensio ad illud obiectum in habitu iam acquisito; vt homo reddatur promptus circa hanc materiam.

Hinc deducit Vasquez, ob quam rationem habitus infusi non recipiant hanc extensionem; quia enim nobis dantur, non ad facilitatem; sed ad substantiam actuum, non deseruiunt ad superandas difficultates, sicut habitus acquisiti; atque adeò vbicumque fuerit eadem ratio obiecti, quam vocant motiuam, circa quam operatio ipsius habitus versatur, idem simplex habitus erit principium illius operis.

Obiiciunt primò. Si vnus, & idem habitus haberet extensionem, deberet habere duas illas partes, quibus extenditur, inuicem vnitas; Atqui eas vnitas habere non potest: Ergo neque habere potest extensionem aliquam. Minor probatur; Aut illæ vnirentur, vt actus, & potentia; & hoc dici non potest, quia vna pars habitus non potest esse subiectum alterius; & ità non potest vna esse potentia, & altera actus; sed vtraque comparatur, vt actus cum subiecto, in quo est: aut illæ duæ partes habitus vnirentur, sicut vniuntur duæ partes lineæ per indiuisibile. Et hoc neque potest dici, quia vtraque illa pars esset indiuisibilis secundùm extensionem, secundùm quam vniuntur; eò quòd vnaquæque versaretur tantùm circa vnum obiectum: Ergo non possunt vniri per aliquod indiuisibile, quia vnum indiuisibile non vnitur alteri per tertium indiuisibile. Præterea illud indiuisibile medium deberet esse diuisibile, & participare naturam vtriusque partis, quod est indiuisibile impossibile; vel vnius tantùm, quod est falsum; cùm non sit maior ratio, cur de vno, quàm de altero participet 125

126 Respondet Vasquez c. 5. Tannerus *num.* 45. ex D. Bonauent. *in prim.*, *dist.* 17. *p.* 2. *quæst.* 1. *ad secundum*, non esse necessaria indiuisibilia quantitatiua, sicuti ad vniendas partes quantitatis. Nam habitus habent quantitatem tantùm virtutis, quæ est ipsa essentia graduum, & ideò non egent vniri alio modo, sicut & intensione; neque statim in in omnibus vnionibus ad indiuisibilia est recurrendum. Addit S. Bonauent. *dist. citata*, *quæst.* 2. *ad vltimum*, vniri hos gradus per modum actus, & potentiæ, non quidem ad modum subiecti & formæ; sed ad modum vnibilis cum alio vnibili perficiente; sicut annulus ferreus est vnibilis alteri, cùm tamen alter non sit subiectum, & alter forma.

Obiiciunt secundò In habitibus infusis non datur aliquod augmentum intrinsecum: Ergo nec in acquisitis.

127 Respondet Tannerus *numero* 45. ex D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 23. *quæst.* 3. etiam fidei habitum habere latitudinem extensiuam intrinsecam, non quidem quasi per ipsos actus circa diuersa obiecta effectiuè augeatur, vt monet D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 36. *quæst.* 5. *ad quartum*. Hoc enim in habitibus infusis locum non habet, tamen si in fide acquisita verum sit, & quoad fidem paruulo infusam, per actus fidei circa diuersa obiecta dispositiuè augeatur. Vnde orat Ecclesia: *Da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum.*

Obiiciunt tertiò. Voluntatis habitus habent eandem rationem formalem appetibilis; non sic intellectiui.

Respondet Tannerus *circa finem*, rationem formalem obiecti sufficere ad constituendum vnum formalem

formalem habitum; vt docet etiam D. Bonauent. *in 3. dist.23. loco citato*, non tamen excludi extensionem.

QVÆSTIO IX.

Quomodo HABITVS *acquisiti corrumpantur.*

128 CERTVM est, habitus corrumpi, ad corruptionem subiecti; quo quidem modo per mortem corrumpuntur potentiæ materiales, & habitus in eis insidentes, vt sunt illi, qui in appetitu sensitiuo, vel aliquo sensu interno versantur; Si quidem supponamus, potentias illas immediatè non esse in sola anima; sed in toto composito, vt docet D. Bonauent. *in 4. dist. 50. p. 2. quæst. 1.* D. Thom. *prima secunda, quæst. 53. art. 1.* Almainus *1. Moral. cap.18.* Angestus *Moral. cap.5. § 3.* Suarez *Tom.2. Metaph. disput. 44. sect. 12. numero 13.* Tannerus *prima secunda, disputat. 3. quæstione 1. dub. 5.*

129 AN verò, aliqui habitus minuantur, vel corrumpantur ex indispositione subiecti, etiam seclusa corruptione; Affirmat Suarez *loco citato, numero 14. & sequentibus*, quando habitus pendet ab organi dispositione, puta ab humiditate, vel siccitate cerebri, quod etiam indicat S. Thom. *prima secunda, quæst. 53. art. 3. ad tertium.* Alios verò habitus, nedum intellectus, & voluntatis; sed etiam appetitus sensitiui virtutum, ac vitiorum, non immutari ob solam organi mutationem, quia non nituntur certa dispositione organi. Hinc oppositum malè docet Ocham *in 4. quæst. 11. ad primum dubium.*

130 QVÆSTIO præcipuè est: An per solam cessationem, siue otium, corrumpantur habitus acquisiti.

PRIMA opinio est affirmatiua. Ità Gabriel *in 3. dist.23. quæst.1. art.3.dub.6.* Ocham *in 4. quæst.12. ad primum dubium*; Almainus *tract. primo Moral. cap.18.* & Fauet Aristoteles *2. Eth.cap.3.* & *Lib.de longitudine, & breuitate vitæ, cap.2.* docet, scientiam corrumpi, errore, deceptione, & obliuione.

131 OPPOSITA sententia est, habitum per se nunquam è sola cessatione corrumpi, vel minui; sed solùm per accidens, si ob cessationem actus contrarij insinuentur. Ità D. Thom. *quæst. 53. art. 3.* Henricus *quodlib. 5. quæst.18.* Maior *in 3. dist.23. quæst.5.* Angestus *in Moral. cap.5. §. 3.* Caietanus *p.p. quæst. 79. art.5.* Medina *prima secunda, quæst. 53. art. 3.* Suarez *loco citato, numero 6.* Valentia *disp.6. quæst. 5. p. 3.* Tannerus *loco citato, numero 54.* Aragonius *2.2. quæst.24.art.6.* Azorius *Tom.1. Lib.3.quæsito 23. cap. 4.* Vasquez *disp.80. cap.2.*

132 Hæc mihi videtur sententia D. Bonauent. *de profectu religiosi, Lib.1, cap.1.* Idem habet *in Compend. Theolog. veritatis, Lib. 3. cap. 18.* vbi lapidis comparationibus id ostendit, *in Diæta Salutis, Titulo primo de peccatis, c. 7.* vbi eleganter id habet, ac probat Scripturis *Matth. 12.* de spiritu, qui inuenit vacantem, & assumit septem spiritus nequiores se, &c. Prou. 24. *Per agrum hominis pigri transiui & ecce totum repleuerant vrticæ.*

Est etiam controuersia: An Habitus corrumpantur ab Actibus; an vero ab Habitu contrario.

133 PRIMA opinio est, destrui ab actibus, & ità priorem habitum priùs expelli, quam nouus inducatur. Ità Arim. *in primo, dist. 17. quæst. 3. art. 2. ad 10.* Maior *in 3.dist.23. quæst.3.* Argentina *quæst. 1. art.2.* Angestus *in Moral. cap.3.§.3.* Almainus *Tract.1. cap.18.* Paludanus *in 3.dist.33. quæst.2.art. 2.* Molina *p.p. quæst.27. art. 1. disput.8. membro 2.* quorum tamen aliqui supponunt etiam, Habitus contrarios, etiam in gradu remisso, simul esse non posse.

SECVNDA sententia est, Habitus corrumpi ab actibus, non per se, sed introducto habitu contrario. Ità Gabriel *in 3.dist.23.quæst.1. art.3.dub.6.* Medina *prima secunda, quæst.53. art.1.* Zumel *quæst. 71. art.1. disput.2.* Azorius *Lib.3.cap.23. quæsito 1. & 2.* Suarez *Tom.2. Metaph. disp. 44. sect. 12. numero 21.* Vasquez *prima secunda, disput.81. cap.2.* post D.Bonauent. *in primo, dist.17. p.2. quæst.3.*

ASSERO cum hac sententia, habitus corrumpi, vt suprà. 134

PROBATVR à Tannero *disp. 3. quæst.1. dub.5. numero 57.* & aliis huius sententiæ. Nihil immediatè corrumpitur, nisi à suo contrario; sed habitui contrarius est habitus; non actus: Ergo.

Alia minoris momenti quærunt Vasquez, Tannerus, & alij, *locis adductis.*

QVÆSTIO X.

Vtrum HABITVS *sit Causa Efficiens actuum.*

EST quæstio *hic* de habitibus acquisitis: An concurrant cum potentia, in qua sunt, ad efficiendos actus. 135

SCOTVS *in primo, dist. 17. quæst. 2. art.1.* dicit, tales habitus non concurrere effectiuè ad actus potentiarum, sed solùm afficere potentiam, determinando ad obiectum, vt ipsa sola eliciat actus delectabiliter.

Durandus *in 3. dist. 23. quæst. 2. 3. & 4.* ait, habitus concurrere cum potentia, non ad actus substantialiter, sed solùm ad intensionem, vel bonitatem, aut malitiam actus.

COMMVNIS tamen sententia Thomistarum *in 3. dist.23.* est, habitus concurrere effectiuè ad substantiam actuum, tanquam perfectiones complentes vim actiuam potentiarum, vt ea, tanquam principia completa, eliciant actus perfectiores, & quoad intensionem, & quoad substantiam singularem. Ità refert Valentia *disput.4. quæst. 1. puncto vltimo*, vbi hanc sequitur sententiam. 136

Vasquez *prima secunda, disp. 83. cap.2.* tria dicit: Primum est, habitum non concurrere ad substantiam actuum. Secundum est, habitum non concurrere ad modum intensionis. Tertium est habitum concurrere ad modum facilitatis, & delectabilitatis.

In D.Bonau. nil apertè inuenio; aliquid tamen huic vltimæ sententiæ arridens habeo, vt infrà.

ASSERO primò, habitum non concurrere ad substantiam actus, sed ad facilitatem.

PROBATVR à Vasquez *cap. 2.* argumento S. Bonauent. *in 2. dist. 25. quæst. 4. argumento primo, & quæst.5. argumento 2. & in corpore*; licet in modo differant, vt mox dicam. 137

Quotiescumque ad aliquem effectum plures causæ subordinatæ sunt necessariæ, debent omnes habere suum effectum; alioqui frustra ponerentur, contra morem Dei, & naturæ, qui nil frustra

frustra faciunt; sed ad actus humanos facilè eliciendos concurrunt potentia, & habitus: Ergo singulis debet assignari proprius effectus; sed potentia præcisa dicit posse substantiam actus, *verbi gratia*, intellectiua ad producendas intellectiones, & volitiua ad volitiones: Ergo habitui debet dari alia ratio peculiaris, quæ sit facilitas, non autem substantia; & licèt hoc in causis subordinatis intelligatur, & pateat, tamen etiam in duabus con-
138 causis non subordinatis appatet, quod Vasquez non percipit, *verbi gratia*, cùm vnus homo se solo sufficiens est ad trahendam nauim; vel ad portandum lapidem, & aduenit alius adiuuans; esto concurrat & iste ad substantiam actionis; non tamen addit potentiam simpliciter alteri ad portandum, quia sine illo adhuc habet potentiam ad substantiam illius actus; sed addit facilitatem, quia alter, ab hoc adiutus, portat facilè, qui se solo portabat quidem, sed difficilè; & hoc exemplum, licèt non sit in omnibus simile; attamen rem nostram clarè explicat, vt multi Theologi, post Seraphicum, docent, quos immeritò Vasquez *num.* 10. reprehendit; exempla enim non in omnibus sunt conquadrata, & collimata. Fateor quidem cum Vasquez, simili exemplo non benè Scotum *in pri-*
139 *mo, dist.* 12. *q.* 2. §. *Tenendo tertiam viam*, deducere, habitum concurrere ad eliciendum actum intensiorem; eò quòd duo agentia, mutuò se iuuantia, qualia sunt grauitas lapidis, & impulsus impressus, producunt velociorem motum, quàm singula eorum seorsim producerent; in hoc enim similitudo cum potentia, & habitu non currit; si enim habitus concurreret ad intensionem actus, concurreret ad substantiam, vt notat Vasquez *numero* 12. nam intensio est secundus gradus eiusdem substantiæ, vt docet etiam D. Bonauent. *in primo, dist.* 17. *parte* 2. *quæst.* 1. *ad argumenta*.

140 Obiicies. Sine habitu artis, *verbi gratia*, Sculpendi, non potest fieri sculptura: Ergo habitus necessarius est ad substantiam actus.

Respondetur, negando antecedens. Priùs enim, quàm acquirat Sculptor habitum, facit sculpturas, dummodo didicerit regulas faciendi, etiamsi adhuc eis non potiatur.

DISPVTATIO II.

De Virtutibus.

Agentes de principiis Humanorum Actuum, idest, de Habitibus, postquam de illis in genere egimus; iam, vti suprà sumus policiti, agendum de Virtutibus, & etiam de Vitiis; Hæc enim sunt genera Habituum subalterna, & eandem occupant scientiam, cùm sint contraria, quæ iuxta se posita magis elucescunt; Et quidem Virtus ex vitij fœditate non tantum lucet, sed & fragrat. Vitium verò ex præsentia virtutis fugatur, suâque fugâ, quantum obest, prodit.

QVÆSTIO I.

In quo genere sit Virtus.

< D Bonau. 3. p. Centil. sect. 36.

Nota ex Diuo Bonauent. *tertia parte Centil. sect.* 36. multis modis accipi Virtutis nomen. 1

Primo quidem, Virtus dicitur quælibet perfectio rei, & facultas ad efficiendum aliquid; vt dicitur Psalm. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et Aristoteles *primo cæli*, *text.* 116. ait: *Virtus est perfectio potentiæ, habilitans ad vltimum perfectissimum, in quod potest.* Ideò S. Dionysius in quolibet viuente creato distinguit Essentiam, Potentiam, & Virtutem, vt adnotat S. Bonauent. *primo, dist. inst.* 3. *p.* 2. *quæst.* 3. & alibi.

Secundo accipitur pro effectu facultatis, atque operatione. Vnde Marci 6. *Quæ est sapientia, & virtutes tales? &c.* & infrà: *Non poterat ibi virtutem vllam facere.* Quo sensu Diuus Augustinus *Lib.* 2. *de libero arbitrio, cap.* 19. ait: *Virtutem esse bonum vsum Liberi arbitrij.* Fortasse etiam hac metaphora fructus, significatur propria virtus: nam sine virtute homo est arbor Syluestris, aut vinea germinans labruscas: Ergo etiam paradiso terrestri arboribus præclaris consito comparatur, vt egregiè disserit Diuus Bonauentura *in Diæta salutis, Titulo* 5. *de Virtutibus*, *cap.* 1. De hoc locutum, ait, Sapientem, Ecclesiastici 24. *Flores mei, fructus honoris, & honestatis.* 2

Sumitur tertiò, pro bona quadam dispositione, & perfectione ad operandum, ideò nomen, *Virtus*, sonat quasi virum tuens; vel quasi virens intus; quia animam tuetur, conseruat, atque exornat, vt notat Diuus Bonauentura *de Eccles. Hierarchia, parte prima*, *cap.* 1. Vel dicitur *Virtus*, quasi viribus nitens, vt habet Diuus Bonauentura *in Compendio Theologicæ veritatis*, *Libro* 5. *capite* 5. 3

In qvo genere autem sit Virtus; communiter adducitur Scotus *in primo, distinctione* 17. *quæst.* 2. §. *Quantum ad istum articulum*, & *in quodlib. quæst.* 18. *art.* 1. Virtutem non esse habitum, sed potiùs relationem conformitatis cum ratione, quæ relatio adueniat accidentaliter habitui. Enim verò Scotus *in primo, loco citato.* Fatetur, Virtutem esse habitum cum illa conformitate ad rationem, vt dicit etiam Vasquez *prima secunda*, *disp.* 84. *numero* 2. & ostendit Mastrius *disputatione* 7. *quæstione* 1.

Probatur, quia inclinatio habitus ad operationem est ab intrinseca natura illius: Ergo ad eandem operationem, secundùm naturam, & secundùm ea, quæ intrinseca sunt, eodem modo inclinabit; nam ea, quæ extrinseca sunt, non possunt variare essentiam. 4

Et sanè hunc ordinem virtutis ante Scotum posuit D. Bonau. *de Profectu religiosi*, *Lib. primo*, *cap.* 23. ob id, opinionem Scoti, Vasquez *cap.* 2. asserit firmo esse nixam fundamento.

Itaqve opinio D. Bonauent. est, Virtutem esse habitum. Id docet *in Compendio Theolog. veritatis*, *Lib.* 4. *cap.* 5. & *in primo, dist.* 24. & sæpè *in sequentibus*, & *in* 2. *dist.* 27. *in dubiis litt.* & *in qq.* & *alibi.* Eum imitantur cæteri Theologi.

Probatvr à Diuo Bonauentura *in Compend. loco citato*, ex Aristotele 2. *Eth. cap.* 6. vbi ait: 5

ait: *Virtus hominis nihil aliud est quàm habitus; ex quo & bonus homo ipse efficitur, & bonum opus suum reddit.* Et infrà ait: *Virtus est habitus electiuus, in mediocritate, quantùm ad nos, consistens.*

6 PROBATVR secundò, à D. Bonauent. *loco citato* ex D. Augustino *Lib.2. de libero arbitrio, cap. 18. & 19. Tom. 1.* vbi definitur: *Virtus est bona qualitas mentis, qua benè viuitur; & qua nullus malè utitur: quam solus Deus in homine operatur.*

Quæ est definitio tantùm infusarum, vt monet D.Thom. *quæst.55. art.4.* & D. Bonauent. *hic.* Probatur ab eo & ex D. August. *de spir. & litt. cap.4.* (si opus sit eius:) *Virtus est habitus mentis benè constituta.*

7 PROBATVR tertiò, à D.Bonauent. ex D. Isidoro: *Virtus est naturæ habitus, animæ decus.* Vbi aduertit S. Doctor, poni qualitatem, vel habitum in definitione Virtutis, loco generis, quod etiam Moderni imitantur. Item probat S.Bonauent. *in 2. dist.27. in dub.litt.* è Cicerone, qui sic etiam definit Virtutem.

PROBATVR quartò, ratione à D.Bonauent. ex his definitionibus deducta, quæ habetur etiam *in 3. dist.23. quæst.1.& dist.26.quæst.vltima,& dist.33. quæst.3.* Qualitas durabilis benè disponens ad operandum est habitus; sed talis est Virtus: Ergo. Minor est certa è petitorum consensu. Maior patet.

8 HIS fundamentis S. Bonauent. vtuntur Valentia *Tom.2. disp.5. quæst.1. p. 1.* Tannerus *prima secundæ, disput. 3. q. 2. dub. 1. numero 2.* Vasquez *art.2.* Caietanus *ad articulum primum, quæst. 55.* Conradus *ibidem,* Medina, *art.3.* vbi S.Thom. Conimbricenses *Eth. disp.7. quæst.1. art.2.* Ex antiquis verò Capreolus *2.2. dist.23. quæst. vnica, art.3.* Gabriel *quæst.1. ar.1.* Ocham *in 3. quæst.10. 12. & 13. & quodl.4. quæst.5. & quodl. 2. quæst.16.* Altisiodorensi *3. p Tract.2.cap.2.*

OBIICIT primò, Scotus Aristotelem 7. *Phys. text. 17.* vbi ait: *Virtutem esse ad aliquid.*

9 RESPONDET S. Bonauent. *in Compend. Theol. verit. Lib.4 cap.5.* hanc *ibi* dici relationem aliquo modo, idest in ordine ad finem, sic enim dicitur: *Virtus est dispositio perfecti ad optimum.*

OBIICIT secundò. Idem numero habitus successiuè potest esse bonus, & malus, atque adeò vitium, & virtus, v.g. habitus abstinentiæ, acquisitus per actus, à ratione dissonos, si postea consonantia cum ratione accedat, fit virtus. Sic & habitus continentiæ ob inanem gloriam, posteà bono fine rectificatur. Confirmatur à Mastrio, & Arriaga: quia, si aliquis ex malo fine oret, mox mutato fine, adhuc sentit inclinationem ad orationem.

10 RESPONDET Valentia *disp.6.quæst.1. p.2.* Vasquez *disp.84. cap.2.*Tannerus *disp. citata,numero 9.* ex S. Bonauent. *in 2. dist. 27. dub. 2. litt.* negando, eundem habitum posse esse priùs vitium; deinde virtutem; Nam cùm virtus secundùm rationem suam formalem ad bonum dirigat, non potest ad malum ordinari: ideò dicitur à D. August. *Vsus bonæ voluntatis.* Quod verò obiecto virtutis possit abuti voluntas, nil facit ad mutandam intrinsecam naturam habitûs.

11 ADDO, quòd sicuti de actionibus dixi, *disp.14. quæst.3. Tractatus primi*; cùm fit mutatio in actione, vt de bona fiat mala, mutatur actio numero; cùm enim bonitas virtutis ab obiecto formali sumatur, habeatque virtus ad honestatem intrinsecè habitudinem; non potest mutari, quin destruatur actus, vel habitus. Ita etiam Tannerus.

Ex his sequitur, neque ex actibus indifferentibus gigni posse habitum virtutis, sed ex actibus propriis bonis secundùm suam rationem honestatis; quia vnaquaque res iisdem conseruatur principiis, quibus generatur; ideò virtus, quæ actibus bonis conseruatur, & promouetur, iisdem etiam debuit gigni, vt notat D. Bonauent. *in 3. dist.33. quæst.5. argumento secundo*, & post eum Tannerus *numero 9.* Vnde aliud ruit aduersariorum argumentum: Dantur actus indifferentes: Ergo & habitus, qui circa bonum, & malum obiectum successiuè versari valent; atque adeo esse virtutes, & vitia. 12

OBIICIT tertiò. Sequeretur, quaslibet virtutes, quò sunt nobiliores habitus, etiam esse nobiliores virtutes, contra D. Thom. *quæst 66. art.3.* Probatur sequela; quia secundùm vos, virtutes sunt intrinsecè habitus ex genere.

RESPONDET Tannerus, negando sequelam, quia potest aliqua ratio generica alicui conuenire; in quo rationes specificæ sint ignobiliores. Ita potentia visiua est in Aquila nobilior, quàm in homine, cùm tamen sit, secundùm rationem specificam, homo nobilior. Ità possunt virtutes intellectuales, in ratione habitus, esse nobiliores moralibus; cùm tamen, in ratione virtutis, sint ignobiliores. 13

COLLIGE ex his, Virtutem esse habitum bonum. Ità D. Bonauent. *locis adductis*, colligit cum Diu. Thom, *quæst. 55 art.3.* Probatur ab vtroque Sanct.Doctore, & quidem à D. Bonauent. *in Compendio Theolog. veritatis, loco citato*, quia id, quod perficit in ordine ad optimum, & vltimum, est habitus bonus: Sed talis est virtus, ex Aristotele *loco citato 7. Phys. text.17.* & *7.Eth. cap.5.* vt habet S. Bonauent. *in 2. loco citato*, & ex D. Augustino *Lib.1. de moribus Ecclesiæ, capite 6.* 14

QVÆSTIO II.

Quid sit VIRTVS.

MVLTAS definitiones virtutis affert S. Bonauent. variis in locis, quas breuiter libabimus.

Aliquas primò definitiones afferemus ex Aristotele *in Ethicis.* 15

PRIMA est, 2.Eth. cap. 6. *Virtus est habitus electiuus voluntatis, in mediocritate consistens, quoad nos, recta ratione determinatus, prout prudens determinauit.* Hanc habet S. Bonauent. *Lib.5. Compendij Theolog. cap. 5.* & *3. p. Centil. cap. 36.* Ponitur habitus, vt genus. Dicitur *electiuus*, prout electio, non modò respicit media ad finem; sed etiam vt respicit, & seligit fines particulares, circa hanc materiam, vel illam. Dicitur *voluntatis*, quia loquitur de virtutibus moralibus; de quibus toto illo Libro agit, vsque ad quintum. Dicitur *consistere in mediocritate*, quia electio virtutis est circa mediocritatem, de qua infra agam *quæstione 10.*

HINC notat S. Bonauent. hanc definitionem dari in ordine ad actum, circa quem est. 16

SECVNDA definitio habetur 7 *Phys. text.17.* & *5. Eth. cap. 7.* *Virtus est dispositio perfecti ad optimum.* Hanc habet S. Bonauent. *locis adductis*, & *in 2. dist.27. dub. 2. litt.* Sed hæc est latior, vt ait Seraphicus Doctor.

Tertia definitio habetur, 2. Eth. cap. 6. *Virtus est, quæ perficit habentem, & opus eius bonum reddit.* Hucusque virtus communis est etiam ad quamlibet vim, siue Equi ad currendum, siue Oculi ad videndum: subdit verò: *Quod si virtus ità se habet in omnibus, & virtus ipsius hominis, habitus is erit, à quo bonus efficitur homo, & quo benè suum opus ipse reddet*, idest efficietur. Hæc est propria definitio complectens virtutes morales, non verò intellectiuas, vt notat D. Bonauent. *loco citato Centil.* & post eum Vasquez *numero* 21. Complecti potest etiam Gratuitas, vt ait D. Bonauent. *loco citato*, & post eum Vasquez, si per habitum intelligitur infusum. Hic igitur tradens definitionem virtutis moralis, per bonum intelligit id, quod in moribus reperitur, & solet appellari studiosum, & dignum laude, vt notat D. Bonauent. *hic & alibi.*

17 Definitvr etiam à Tullio, apud D. Augustinum *Lib. de spiritu, & anima*, Tom. 3. *Virtus est habitus mentis benè composita.* Hanc refert *loco citato Centil.* S. Bonauent.

Multas definitiones etiam ex D. Augustino refert S. Bonauent *allegatis locis.*

Prima sit, quæ habetur, lib. de quantitate animæ, cap. 16. Tom. 1. *Virtus est æqualitas quædam vitæ, rationi vndiquè consentientis.*

Secvndam habet in soliloquiis, Lib. 1. cap. 5. Tom. 1. *Virtus est habitus, ratione recta ad suum finem perueniens.*

Tertia habetur passim Libris de ciuitate Dei, *Virtus est bona voluntas.* Hæc definitio traditur in ordine ad suum subiectum, vt notat D. Bon. *loc. cit.*

18 Qvarta habetur in Lib. de moribus Ecclesiæ, cap. 6. *Virtus est ordo amoris; siue amor ordinatus.* Vide S. Doct. *in 2. dist. 27. loco citato*, vbi egregiè edisserit, quomodo tot definitiones virtutis dentur, pro variis eius acceptionibus, & considerationibus.

Vltima, quæ non habetur integra in aliquo loco D. Augustini, sed colligitur ex eo, variis in locis. Primò ex *Libro primo, Retract. c. 9.* & *Lib. 2. de libero arbitrio, cap. 18. & 19. Tom. 1.* vt notat D. Bonauent. *loco citato Centil. & in Compend. loco citando*, & post eum Vasquez *numero* 17. Ideò & *loco citato in 2. distinctione* 27. eam refert S. Bonauent. ex dicto Magistri. Idem notat D. Thom. quæst. 55. art. 4. *Virtus est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.*

19 Adverte cum D. Bonauent. *in Compend. Theologicæ veritatis*, poni *hic* Qualitatem, idest, habitum, pro genere. Dicitur *bona qualitas*, ad differentiam malarum, & quia à Deo bono datur, & bonos facit. Dicitur *mentis*, ad differentiam qualitatum, quibus benè intelligitur, sicut est scientia. Dicitur, *qua nullus malè vtitur*, ad differentiam qualitatum, quibus benè, & malè vti possumus, quod ita debet intelligi, vt exponit S. Bonauent. *in 2. dist. 27.* vt possit quidem aliquis vti virtute, tanquam obiecto, ad malum finem, puta eleemosyna ad ostentationem; non tamen, tanquam habitu directiuo; quia virtus quantùm ex se est, semper dirigit ad bonum, nec vnquam per virtutem aliquid ordinatur ad malum. Hæc est doctrina etiam D. Thom. *art. 4. ad 5.* Vasquez *num. 20* Tanneri *num. 4.* Valentiæ *p. 2.* Vnde D. Augustinus *lib. 2. de lib. arb. cap. 19.* ait: *Virtute neminem malè vti*; intellige ad id malum, quod ei virtuti opponitur.

20 Hic verò aliqua est quæstio: An non modò verum sit, non posse aliquem vti malè aliqua virtute formaliter, idest, malum, vt malum non posse esse à virtute, sed etiam materialiter, ità, vt actus, qui sit malus, non possit esse à virtute; vndecumque sit malum, & per accidens ex aliqua addita circumstantia mala.

Caietanvs *prima secunda, quæst. 55. art. 4.* & *2. 2. quæst. 5. art. 2.* & *quæst. 57. art. 1.* quoad virtutes morales attinet, docet, non posse quidem actum esse malum, quatenùs est à virtute ex suo fine, obiecto, vel circumstantiis propriis, & intrinsecis; posse tamen aliquem actum, e circumstantia extrinseca, ad obiectum virtutis illius non spectante, per se procedere à virtute, nisi virtus sit formata. Huic enim repugnat, vt actus vndecumque malus ab ea procedat. Addit Caietanus, ab habitu fidei informi, posse procedere actum, ex fine intrinseco malum; nempè elicitum ob vanam gloriam, quod etiam docet Medina *hic, quæst. 56. art. 3.* Aragonius *2. 2. quæst. 5. art. 2.* & probabile hoc putat Suarez *3. parte tom. 3. quæst. 62. art. 2.* Auersa *quæst. 55. sect. 9.* Vasquez & Salas apud Mastrium *Tom. 3. disp. 7. quæst. 1.* vbi adducit Scotum *primo, dist. 57. quæst. 3.* Vulpem *disp. 90. art. 1.* Poncium *disp. 23. quæst. 1.* & alios Scotistas, qui etiam, essentialiter posse virtutem ad malum inclinari, aiunt. 21

Attamen verior est sententia, nullum actum malum ab ea posse prodire. Ità S. Bonauent. *in 2. dist. 27. loco citato*, D. Thom. *hic, quæst. 55. art. 4.* & alibi. Medina *hic, quæst. 55. art. 3.* Valentia *disp. 3. quæst. 1. p. 2.* Vasquez *disp. 84. cap. 2.* Tannerus *disp. 3. quæst. 1. dub. 2.* Lorca, Montesim, Lezana, Ouiedo apud Mastrium. 22

Probatvr primò à Valentia, & Tannero ex D. Augustino *Lib. 2. de Libero arbitrio, cap. 18. & 19.* vbi ait: *Virtute neminem malè vti*; qua authoritate nititur D. Bonauentura.

Probatvr secundò ab iisdem cum D. Bonauent. ex eodem D. Augustino, vbi suprà, qui definit Virtutem, esse bonum vsum liberi arbitrij.

Probatvr tertiò à Tannero cum D. Bonauent. *loco citato*, ex Aristotele *2. Eth c. 6.* vbi definit Virtutem, esse habitum, qui perficit habentem, & opus eius bonum reddit: Ergo nunquam malum. 23

Idem probat S. Bonauent. ex aliis definitionibus suprà allatis, vbi definitur: *Virtus est Habitus bonus, bonum faciens.* Neque id solùm dicitur ratione Prudentiæ adiunctæ, alioqui non esset definitio; nec omnibus virtutibus conueniret.

Probatvr quartò, ratione deducta è Seraphico. Id, quod dicit bonitatem in abstracto, & in suo exercitio bonum denominat totum id, quod est operationis, & operantis, non potest esse malum; Sed actus virtutis est bonitas denominans bonum ipsius arbitrij vsum, ex D. Augustino: Ergo. Maior probatur: nam bonum fit ex integra causa, excludens omnem defectum, ex D. Dionysio, *cap. 4. de Diuinis nominibus.* Cùm ergo Virtus efficiat intrinsecè actum bonum, modo dicto: Ergo longè est omne malum. Hoc argumento nititur etiam Tannerus *numero* 18. & Valentia, qui hanc rationem efficacem agnoscit. Neque satisfacit Mastrius *numero* 18. dicens, verum esse de virtute reduplicatiuè; at specificatiuè, posse conuenire ei, esse malam, vt notat etiam Arriaga *disp. 33. sect. 1. num. 15.* 24

Contra enim est, quia virtus, ex coniunctione cum errore, non amittit essentiam, aut inclinationem: Ergo neque potest fieri, aut vitium, aut non virtus. 25

Obiicies primò, cum Caietano. Quævis virtus

virtus habet propriam bonitatem obiecti, nec ad eam pertinet, ad bonitatem aliarum attendere: Ergo actus eius potest ex aliquo extrinseco esse malus.

16 Respondetur, etiamsi habeat rationem propriam formalem bonitatis, nec contineat bonitatem aliarum, habere tamen rationem etiam genericam bonitatis, quæ malum excludit vndecumque, & hoc, dictamine prudentiæ: hoc enim ad communem rationem spectat virtutis.

Obicies secundò. Habitus virtutis producitur ab actibus physicis, & inclinat ad omnes similes in esse physico; At verò multi actus in esse physico similes, sunt boni, & mali, *verbi gratia*, esus carnium die Dominica, & die Veneris.

27 Respondetur ex D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 33. suprà *citato loco*; licèt habitus virtutis ab actibus physicis producatur, tamen eos esse moraliter diuersos, ratione modi concurrendi cum potentia.

Obicies tertiò. Ars potest concurrere ad opus malum: Ergo & Virtus.

Respondetur, non ità repugnare arti malitiam, sicut repugnat virtuti. Cætera facilia sunt.

28 Ponitur tandem in definitione virtutis; *eam Deum operari in nobis*: per quam particulam, definitio virtutis, quæ esset omnibus virtutibus communis, contrahitur ad virtutes infusas, vt notant cum D. Bonauent. & D. Thom. supradicti authores; neque apertè in D. August. habetur.

Quoad virtutes intellectiuas, certum est, Intellectum, scientiam, & sapientiam tales esse habitus, quibus semper Verum dicitur, vt ait Aristoteles *sexto Eth. cap.* 3.

29 De Prudentia aliqui dicunt, ab ea procedere posse iudicium speculatiuè falsum, etsi practicè sit verum. Ità Vasquez *disput.* 85. *cap.* 1. *numero* 3. Sed neque prudentia excludenda est à numero Virtutum, vt dicam *quæst.* 5. Virtus intellectiua definitur ab eo 6. *Eth. cap.* 3. esse illa, qua anima verum dicit, affirmando, vel negando, vt dicam *quæstione sequenti*.

QVÆSTIO III.

Vtrum ad Verum actum Virtutis *requiratur expressa intentio honestatis eiusdem Virtutis.*

30 Hanc quæstionem egi *disputatione* 15. *quæstione prima*, *Tractatu primo*. De Actibus virtutis ago, quia ad eos essentialiter ordinatur habitus, nec sine illis potest explicari. Quæritur autem: An ad hoc, vt aliquis sit actus alicuius virtutis, necesse sit eum fieri ex motiuo illius eiusdem virtutis; puta, si actus est temperantiæ, ex motiuo fiat Temperantiæ, &c.

Et quidem videtur expressa Aristotelis sententia, affirmans 2. *Eth. cap.* 4. ibi enim, comparans artem cum virtute, primò dicit, in hoc assimilari, quia vtraque debet operari non casu, sed ex scientia; nam si aliquis contexat casu Grammaticam compositionem, licèt rem Grammaticam texuerit, non tamen Grammaticè. Sic & actus virtutis debet, ex cognitione

31 virtutis esse: At verò, quia rectitudo artis non est posita in bonitate morali, ideò totam in se suam continet bonitatem, ideò potest absque affectu illius bonitatis opus arte facere; *verbi gratia*, Sculpere Imaginem artificiosam ad præscriptum artis. At Virtus debet operari actum virtutis, non solùm sciens; sed etiam volens, seu eligens illud opus eo motiuo propter ipsam; quia eius bonitas in moribus versatur. Hæ sunt conditiones actus studiosi alicuius virtutis. Tertiam verò conditionem ponit, vt procedat ex habitu, si firmo animo, atque immutabili agat. Ità exponunt Diuus Thomas, *in Ethicis*, *hic* cum Argyrophylo, Vasquez, *prima secunda*, *disputatione* 73. *cap.* 7. & *disputatione* 86. *cap.* 5. Tannerus *disputatione* 3. *quæstione* 2. *dub.* 3. vbi ait, idem de virtute sentiri communiter. Hunc locum sic videtur intelligere etiam Diuus Bonauentura *in* 2. *distinctione* 40. *quæstione* 3. *argumento* 4. *secundo loco*; & *in* 3. *distinctione* 33. *quæstione* 4. *in corpore*; sed attentè legenti nil facit pro hac sententia; sed solùm, intendi aliquo modo debere honestatem. 32

Assero igitur, non esse necesse ad actum alicuius virtutis, vt sit vltimò propter eam. 33

Probatur à nonnullis. Ad vitium non requiritur, vt quis feratur in illud secundùm rationem formalem eius: Ergo nec in virtute. Hæc ratio non placet Tannero *numero* 31. Vasquez *locis addictis*. Ideò post D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 40. *quæst.* 1. *ad argumenta*, negat paritatem; plura enim requiruntur ad constituendum bonum, quàm ad malum; nam bonum fit ex integra causa, vt ait Diuus Dionysius *cap.* 4. *de Diuinis nominibus*, & ideò, vt sit bonum morale requirit, vt sit ex obiecto bonum, & fiat benè ex affectu honestatis; at malum, vt sit tale, sufficit, ex quocumque defectu sit.

Probatur secundò. Sequeretur, non posse actum alicuius virtutis apperi propter finem alterius virtutis, ità, vt rationem propriæ virtutis retineat, quia hoc est, apperi propter seipsum, non propter aliud. Consequens autem videtur absonum: Ergo; & ità non possent virtutes imperatæ habere suam rationem propriam. 34

Respondent Vasquez *loco citato*, concedendo sequelam. Melius ait Tannerus *numero* 30. acquiri sanè, vt feratur in honestatem propter ipsam; sed non vltimatè, vt non possit ad alium finem vlteriorem referri.

Probatur tertiò. Durum est cogere ad operandum ex honestate eius virtutis ad hoc, vt actus sit studiosus: pauci enim sunt, qui ità exactè operentur, imò cognoscant ita operari. 35

Dicunt, non esse durum, neque enim cogimur ad percipiendam honestatem virtutum terminis Theologicis; sed sufficit aliquo modo percipere eam, quod facilè est, *verbi gratia*, vt quis refectionem ex temperantiæ motiuo sumpturus, proponat sibi moderatam refectionem ad sustentationem.

QVÆSTIO IV.

Quotuplex sit Virtus.

Monet Valentia *disputatione* 5. *quæst.* 3. *p.* 1. species subalternas, in quas genus Virtutis diuiditur, esse minùs notas; Ideò solere differentias virtutum specificas assignari è diuersitate causarum 36

rum virtutis, tanquam ex indiciis differentiæ essentialis. Sunt autem tres potissimæ diuisiones generales virtutum, quæ sumuntur ex diuersitate causarum. Primò enim ex causa efficiente diuiditur Virtus in Naturalem, Acquisitam, & Infusam. Acquisita, pro diuersitate subiecti, in Moralem, & Intellectiuam; ex parte verò obiecti, vt aliæ sint Theologicæ: aliæ Cardinales.

37 NOTAT tamen Tannerus *disp.* 3. *quæst.* 4. *dub.* 1. ex D. Bonauent. *in Compend. Theolog. cap.* 16. Virtutes primò diuidi ex parte subiecti ab Aristotele 1. *Ethic. cap.* 13. in Intellectualem, & Appetitiuam *Consuetudinalem*, quæ est moralis, quæ cùm ex consuetudine acquiratur, hoc nomen obtinuit: sicuti Virtus Intellectualis, quæ ex doctrina, vt plurimum, habet generationem; cuius incrementum experientia, & tempore indiget, vt ait Aristoteles 1. *Ethic. cap.* 1. Subdiuidit verò *lib.* 1. *cap.* 13. Intellectuales in Sapientiam, Perspicaciam, & Prudentiam. Morales verò in Temperantiam, seu Honestatem, quæ ordinat hominem ad se, quam D. Thomas *quæst.* 59. & 60. & D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 33. *quæst.* 4. aiunt, versari circa passiones: & Liberalitatem, quam aiunt occupari circa actiones, & ordinat hominem ad proximum; in qua ordinatione magis actiuè se haber, donando, reddendo, restituendo, &c.

38 RVRSVS, Virtutes Intellectuales diuidit Aristoteles *6. Eth. cap.* 3. in Artem, Scientiam, Prudentiam, Sapientiam, & Intellectum.

Morales, quæ versantur circa operationes, numerantur decem. Prima est Iustitia, quæ ius suum cuique tribuit. Secunda, Religio, quæ debitum cultum affert Deo. Tertia, Pietas, quæ officia debita impendit patriæ, & parentibus. Quarta, Obseruantia, quæ personis, etiam virtutis dignitate præstantibus, reuerentiam exhibet. Quinta, Veritas, cuius est veritatem dictis, & factis significare. Item promissum reddere, qua ratione vocatur etiam Fides, siue fidelitas. Sexta, Gratitudo, quæ agendâ, vel referendâ gratiâ acceptum beneficium

39 compensat. Septima, Vindicatio, siue Iustitia Vindicatiua, cuius est conuenienti modo vindictam quærere. Octaua, Liberalitas, quæ in aliorum vtilitatem officia aliqua confert, præsertim largitiones pecuniarum. Nona, Magnificentia, quæ versatur in magnis sumptibus, causa vtilitatis aliorum susceptis. Decima, Amicitia, seu Affabilitas, quæ officiis variis inseruit amico: Has omnes species nominat D. Bonauent. *in Opusculis*, & aliis operibus, vt dicam *secunda secundæ* cum D. Thom. præcipuè verò *in Compend. Theolog. veritatis, lib.* 5. *à cap.* 33.

Morales, quæ versantur circa passiones, decem

40 colliguntur ab Aristotele 2. *Ethic. cap.* 7. Prima est Temperantia, quæ moderatur Passiones concupiscibilis circa delectabilia, secundùm tactum. Secunda, Liberalitas, quæ moderatur appetitum circa pecunias. Tertia est Philosimia, quæ moderatur appetitum circa dignitates, & honores. Quarta est Magnificientia, quæ versatur circa pecunias, vt sunt bonum arduum ad consequendum; atque adeò, vt sunt obiectum Spei, vel Desperationis, & est in Irascibili. Quinta est Magnanimitas, quæ moderatur, & Spem, & Desperationem circa dignitates, & honores, vt sunt bonum arduum. Sexta est Veritas, qua exhibet se quis alteri manifestum verbis, & factis decentibus, quatenus est ipsi delectabilis ista manifestatio. Septima est Amicitia, qua aliquis se exhibet 41 affabilem, & iucundum in rebus seriis, vt est sibi delectabilis. Octaua est Eutrapelia, per quam se accommodat aliis in iocis, & ludis, sicut decet; cuius proinde obiectum est hæc iocosa communicatio sui. Nona est Fortitudo in Irascibili, circa Timores, & Audacias, quas moderatur. Decima est mansuetudo, cuius est iram regere, atque est in Irascibili.

Ad has verò aliæ reuocantur; sicut Patientia, & Perseuerantia, vt docet D. Bonauent. *lib.* 2. *Pharetra, cap.* 33. & 34. ad Fortitudinem. Castitas est quædam species Temperantiæ, vt docent communiter cum D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 33. *quæstione* 4. *ad argumenta*, ad quam reducitur etiam Continentia, similiter & aliæ ex D. Bonauent. *loc. cit.* An verò dentur in appetitu sensuali aliæ decem (vt volunt multi) istis correspondentes, infrà ostendam *quæst.* 9.

ADVERTE autem, eas virtutes, quas in primo, & secundo ordine repetitas narrauimus, in hoc 42 diuersas esse, vt quæ primi sunt generis, attingant obiecta sua formaliter, vt sunt bonum proximi, vt Liberalitas, Magnificentia, Veritas, Amicitia; quæ verò in secunda serie, attingunt obiectum suum formaliter, vt est bonum proprium operantis. Inter virtutes, quæ versantur circa bonum morale consentaneum rectæ rationi, quatuor principales numerantur, quæ Cardinales nominantur; eò quòd in eis aliquid virtutis speciale reluceat, & sunt veluti cardines, quibus vertitur moralitas: Sunt autem Prudentia, Iustitia, Fortitudo, & Temperantia, vt docet Valentia *disput.* 5. *quæst.* 4. *p.* 3. & alij cum D. Thom. *quæstione* 61. & D. Bonauent. *Opusc. de quatuor virtutibus Cardinalibus, tom.* 1. & aliis in locis, vt infrà.

SVNT præthereà virtutes multiplicatæ, ratione 43 efficientis; è quibus aliæ sunt acquisitæ; aliæ infusæ (de naturalibus satis dixi non existere *disp.* 1. *quæst.* 3.) Virtutes infusæ, aliæ sunt morales; aliæ Theologicæ, ratione obiecti subdiuisæ. Theologicæ habent Deum, seu finem pro obiecto: Morales verò media quædam ad Deum; de quibus infrà. Theologicæ sunt tres, Fides, Spes, & Charitas: Morales verò sunt multæ; de quibus *quæst.* 6.

QVÆSTIO V.

De Virtutibus Intellectualibus.

VIRTVTEM intellectualem definit Aristoteles 44 6. Ethic. cap. 3. *Est illa, qua anima verum dicit, affirmando, vel negando.* Sicut enim moralis perficit voluntatem in bono, ita Intellectiua intellectum in vero, vt dixi *quæst.* 1. Diuiditur ab eodem Aristotele sic *loc. cit.* Hæc verò sunt Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia, Intellectus. Ex his, Artem, & Prudentiam ad Intellectum practicum spectare, reliquas ad verò speculatiuum, ait Vasquez.

De his primo dubitari potest: An sint Virtutes.

ASSERO affirmatiuè, nimirum habitus etiam 45 intellectuales esse virtutes.

PROBATVR à D. Bonauent. *in Compend. Theol. lib.* 5. *cap.* 16. ex Aristotele 1. *Ethic. cap.* 13. & aliis adductis suprà.

PROBA

Probatur secundò à D. Bonauent. ibi, & *de septem donis Spiritus sancti, cap. 3. & in 3. distinct. 33. quæst. 5. in fine*, & D. Thom. *quæst. 57. art. 1.* Ille habitus, qui benè disponit potentiam ad actus rectos, est Virtus: sed Habitus isti disponunt potentiam intellectiuam ad actus rectos, & ordinant etiam ad bonum voluntatem: ergo, &c. Eodem argumento nititur Valentia *disput. 5. quæst. 3. p. 1.*

46 Vbi aduertit, Habitus scientiæ, & sapientiæ non perficere quidem potentiam ad actum adæquatè humanum. Sic enim solùm perficit in ordine ad actum, vt est intellectiuus, quod est inadæquatè humanus. Verùm D. Bonauent. *loc. cit.* vult, etiam per sapientiam ordinari voluntatem, mediante cognitione.

Scientia definitur 6. Ethic. cap. 3. *Est habitus demonstratiuus circa rem necessariam, quæ non potest aliter se habere*: quam definitionem passim recitat S. Bonauentura.

47 Ars definitur ab eodem Philosopho, cap. 4. *Ars est habitus cum ratione vera effectiuus*, quam definitionem indicat S. Bonau. *Opusc. 1. de reductione Artium ad Theologiam.*

Prudentia sic definitur ab eo, cap. 5. *Est habitus cum vera ratione actiuus circa ea, quæ & bona, & mala homini sunt.* Hanc definitionem è sanctis Patribus, quoad rem; affert S. Bonauent. *3. part. Centil. sect. 41.* & de quatuor virtutibus Cardinalibus *tom. 1. Opusc.* & *in Compend. Theol. g. verit. lib. 5. cap. 24.* & *in 3. dist. 33. quæst. 4.*

Intellectum definit Aristoteles, illo cap. 6. *Esse habitum principiorum*, de quo satis cum D. Bonauent. *disp. 1. quæst. 3.*

48 Sapientiam definit, cap. 7. *Esse exactissimam quandam scientiam, quæ non solùm ea, quæ ex principiis sunt, cognoscat, & per vniuersalissimas causas; sed etiam de principiis aliarum scientiarum iudicet.* Quam quidem Aristoteles initio Metaphysicorum dicit esse Metaphysicam, quamvis idem Aristot. *cap. 7.* afferat, sapientem dici, qui in alia quavis scientia excellit; sumitur etiam pro dono quodam. De quibus omnibus agit S. Bonau. *Opusculo de septem Itineribus Æternitatis. Itinere 3. dist. 4. art. 3. tom. 2.* egregiè disserit, & *de septem Donis. De dono sapientiæ, cap. 1. tom. 1.* & post eum Moderni *hic.*

49 Circa has quinque virtutes oportet aduertere primò, Artem definiri effectiuum habitum, qui propriè significat Artes Mæchanicas, & alias relinquentes opus post se, vt habetur *6. Metaph. cap. 1.* & *9. Metaph. textu 16.* attamen videtur accipere nomen factiui pro operatiuo cuiusvis operis transeuntis, vt ibi includat etiam artes Liberales, quo sensu etiam Grammatica, Musica, &c. artes sunt: Qua ratione satis Ars distinguitur à Prudentia, quæ per se, & principaliter circa actiones tantùm internas voluntatis versatur, consequenter verò circa externas.

50 Addit Aristoteles, artem versari circa singularia, quæ contingentia sunt, sicuti naturalia sunt necessaria. Vnde colligit Valentia *quæst. 3. p. 2.* & Tannerus *disp. 3. quæst. 4. p. 1. num. 3.* falsò quosdam dicere, Logicam docentem esse, qualem Philosophus hic definiuit; siquidem considerat suum obiectum vniuersale, & demonstrabile.

Similiter etiam Prudentia circa singularia incerta contingentia versatur, propter quod in dubium vertitur, quomodo possit esse virtus; nam ob eam rationem *6. Ethic. cap. 3.* excludit à serie virtutum Æstimationem, & Opinionem, quia fieri potest vt mentiamur.

Respondet Vasquez *disputatione 85. num. 3.* nil referre ad hoc errorem artis, vel Prudentiæ, quia non errant ex propriis principiis, sed ex opinione aliqua speculatiua addita, qua adiuuantur; sicut in casu, quo quis existimaret, hanc esse vxorem; prudenter iudicaret illi reddendum debitum. Idem in ædificatione eueniret, si aliquis ignorans naturam alicuius ligni, malè eo vteretur ad ædificandum. 51

Tannerus *disput. 3. quæst. 2. dub. 2. numero 23.* dicit, aliquos sustinere à Prudentia procedere iudicium speculatiuè falsum; & si practicè sit verum: Et id sentire videri eos, qui docent rectam rationem, qui est actus prudentiæ, & regula humanarum actionum, non desumi à conuenientia cum ipso obiecto, seu veritate speculatiua, sed solùm à conuenientia cum recto appetitu, quos relatos à se *disput. 2. quæst. 6. dub. 1.* ait; vbi explicuisse dicit rectam rationem, adeoque actum prudentiæ, regulantem humanas actiones, semper etiam speculatiuè verum esse, & consentaneum ipsi obiecto. 52

Hoc verò mihi durum videtur, vt dixi *tract. 1. disput. 17. quæst. 4.* Nam sæpè contingit, vt iudicium non conformetur rei, vti est; vt in argumento illo trito, ibi assignato: Ad eam, quæ est vxor, licet accedere; hæc est vxor: Ergo licet ad eam accedere. Esto autem iudicium prudentiæ non esset in Minori; sed in Conclusione; Attamen est falsa, deducta ex minori falsa; neque verò benè deducit *num. 12.* esse veram, eò quòd deducatur ex falsa, quod aliquando, vt Dialectica docet, euenit; non enim semper id euenit, nec per se, sed per accidens. Neque in casu nostri argumenti sequitur, etiam formato iudicio de re ipsa, hîc, & nunc, vt prætendit Tannerus *numero 11.* quamvis enim, spectatâ præuiâ inquisitione, inuincibiliter ignoretur Minoris propositionis falsitas; attamen consequentia adhuc deducitur non vera, & consequenter nec recta; (nam secundùm ipsum *num. 11.* idem est propositio vera, quòd recta) tametsi ratione ignorantiæ inuincibilis, neque sit culpabilis. Video consequentiam hanc: *Ergo ad eam licet accedere*, supposito quòd existimetur vxor, esse veram; at hæc consequentia non deducitur ex hac minori: *Sed hæc prudenter existimatur vxor*; sed ex alia: *sed ista est vxor*, quæ est falsa, vt suppono; neque oppositum probatur à Tannero *num. 13.* vbi id enititur. Ex quo non benè Tannerus deducit, Prudentiam semper verum dictare in eo, quod speculatiuum dicitur. 53 54

Quod verò dixit Tannerus, induci ad sustinendum nobiscum eos, qui dicunt rectam rationem, quæ est regula humanarum actionum, non sumi à conuenientia cum ipso obiecto, seu veritate speculatiua, sed solùm à conuenientia cum recto appetitu, adeò falsum est, vt potiùs hi tenêre cogantur, infallibilem actum rationis, & prudentiæ; nam prudentiæ actus semper est cum affectu consonus, vt ipse Tannerus probat *disp. 3. q. 4. dub. 1. num. 6.* cum Aristotele, vt mox dicam, & id in omnibus actibus, vnde vnam esse prudentiam colligit *num. 7.* E contrà, quicumque actum prudentiæ, qui est regula humanarum actionum, tenent habere suam veritatem in conformitate cum re ipsa à parte rei, sicuti nos dicimus, coguntur etiam asserere, posse iudicium prudentiæ esse falsum, quod suprà satis ostendi. 55

56 Ad Prudentiam igitur requiri, quasi per modum principij, rectam affectionem animi erga ipsos fines virtutum, quibus homo ad benè viuendum disponitur, docet Aristoteles 3. *Ethic. cap.6.* alioqui principium, quod est intentio finis, corruptum erit, vt infert idem Aristoteles. Id docet etiam D. Bonauent. 3.*part.Centil.sect.*41.& *in opusc. de Virtutibus Cardinalibus*, *tom.*1. & *in Compend. Theol.verit. lib.*5. *cap.*34.

Ex his ferè soluitur quæstio: An Prudentia sit vna, quod negat Scotus *in 3.dist.* 36.*quæstione vnica*, Gabriel *quæst. vnica*, *art.*1. Ocham *in 3. quæst.*12. & *quodl.*4. *quæst.*6. *art.*1. Almainus *tract.*3. *Moral. cap.*7.

57 Nobiscvm verò sentiunt D. Thom. *prima secunda*, *quæst.*60.*art.*1.*ad* 1. & 2. 2. *quæst.*47. *artic.*5. Aristoteles 6. *Ethic. cap.*13. Durandus *in 3.dist.*36. *quæst.*3.*num.*5. Buridanus 6. *Eth.quæst.*13. Caietanus *hic*, *quæst.*60.*art.*1. Vasquez *disp.*85.*cap.*2. Tannerus *disp.*3. *quæst.*4. *dub.*1. *num.*7. D. Bonauent. *omnibus adductis locis*, & *in 3.dist.*33.*quæst.*4.

Sermo autem est de Prudentia, quæ circa bonum proprium versatur, & *Monastica* dicitur. Cum quo non pugnat, quo minùs circa bonum alienum plures species prudentiæ constituantur, nempè. Regnatiua, Politica, Oeconomica, & Militaris, propter diuersum modum consultandi, & iudicandi de agibilibus circa se, & circa alios, vt post S. Bonauent. *locis adductis*, & S. Thom. 2. 2. *quæst.*50. docent Vasquez *loc. cit.* Tannerus *loc.cit.* cum Aristotele 6. *Ethic. cap.*8. vbi triplicem statuit prudentiam; Monasticam, Oeconomicam, & Ciuilem.

58 An autem *Eubulia*, qua rectè consultatur. *Synesis*, qua rectè iudicatur ex communi lege; & *Gnome*, quæ est rectè iudicatiua de rebus, præter communes regulas, secundùm ipsum lumen naturale rationis, in his, in quibus deficit lex communis, sint partes prudentiæ potentiales, adeóque diuersos habitus significent, Monasticæ subordinatos, vt docet D.Thom. *prima secunda*, *quæst.*57. *art.*6. & 2.2.*quæst.*51. & Thomistæ; incertum putatur. Aliquibus videntur non esse diuersi habitus, vt Tannero *lib.*5.*num.*8. Vasquez *disp.*49.*cap.*8. & *disput.*85. *cap.*2. *num.*13. Idem videtur sentire D. Bonauent. vbicumque de his edisserit.

59 Partes Prudentiæ, quasi integrantes, sunt Memoria præteritorum: Intelligentia præsentium: ac Prudentia futurorum. Ex his enim tribus pendet prudens iudicium de rebus eligendis, vt ex Cicerone *lib.*2. *de Inuentione*, docet D. Thom. *art.*6.*ad* 4. & D. Bonauent. *in declaratione terminorum Theologiæ*, vbi ad hæc reducit Circumspectionem, & Cautelam contrariorum vitiorum, Cautionem, & Discretionem virtutis à Vitio, speciem virtutis præ se ferente; & Docilitatem in erudiendis imperitis. Idem habet 3. *part. Centil. sect.*41. & *de quatuor Virtutibus Cardinalibus*, vbi addit Cohibitionem peccatorum, & Exercitationem virtutum. Ipsum vide præclara hac de re disserentem *tom.*1. Similiter, & *in Compend. Theologicæ veritatis*, *lib.*5.*cap.*34 *tom.*2.

60 Qvomodo verò differat Prudentia ab Ethica, aliquas assignat differentias S. Bonauent. *in Compend. Theologicæ veritatis*, *lib.*5. *cap.*16. Prima est, quia Ethica est scientia, quæ dicitur moralis, quia circa mores versatur; qua de causa, antiquissima diuisione, Philosophia vniuersim diuiditur in Naturalem, Moralem, & Rationalem, vt videre est apud Ciceronem *in Academ. qq.* Plutarchum *de placitis*, *cap.*1. S. Augustinum *lib.*8. *de ciuitate*, *cap.*4. Prudentia verò non est scientia. Secundò, Ethica consequenter versatur circa propositiones vniuersales: Prudentia verò circa particularia agibilia tantùm. Tertiò, Ethica, quia vniuersalis, non ità requirit rectam animi dispositionem, & 61
affectionem erga ipsos fines virtutum: Prudentia verò eam requirit, vt dictum est suprà cum D Bonau. Quare potest aliquis, Ethicæ scientissimus, & tamen improbus, atque imprudens esse. Quo fit, vt prudentia regat, ac dirigat voluntatem ad bonum; non sic scientia. Has desumpsit Tannerus *loc.cit. num.*10.

Ex his colligere potes, rectam rationem, quæ est regula humanæ actionis, latiùs patere, quàm dictamen, seu iudicium prudentiæ. Illa enim etiam firmat, & dirigit ipsam intentionem finis, seu honestatis cuiusque virtutis, etiam vniuersim: dictamen verò Prudentiæ affectum debitum finis supponit, eoque supposito consultat, & iudicat, vel de materia particulari cuiusque virtutis, vel de mediis ad eum finem assequendum. Ità Vasquez *disp.*88.*cap.*3. Tannerus *num.*13. ex Aristotele 8. *Eth. cap.*12.

QVÆSTIO VI.

De Virtutibus Moralibus.

Qvid sit morale in genere, diximus *tract.*1. 62
*disp.*3. Est autem id, quod ad mores componendos conducit, & aliquando, quod ex consuetudine oritur.

Iam verò virtutes morales è subiecto distinguunt Theologi variis modis, prout varia subiecta eis assignant: de quo agam infrà *quæst.*9. Enim verò, pro nunc, cùm sint in variis viribus, vt aliquæ sint in Irascibili voluntatis; aliæ in Concupiscibili, varias virtutes constituunt, distinctas genere ab eis, quæ sunt in Rationali, seu Intellectu. Alij verò, qui ponunt virtutes etiam in passionibus sensitiuæ partis, alias ponunt distinctiones virtutum.

Celebris est diuisio virtutum moralium in 63
eas, quæ versantur circa actiones erga alterum; & in eas, quæ versantur circa passiones. Hanc distinctionem docet Aristoteles *lib.*2.4.& 5. *Ethic.* eamque adhibet D. Thom. *quæst.*59. & 60. in qua Thomistæ explicandâ, & sustinendâ insudant, quos refert Vasquez *disp.*85.*cap.*3. eam verò recitat S.Bonau. *in 3.dist.*33. *quæst.*4. licèt inferat, pati aliquam oppositionem, & sanè grauem.

Posito, Virtutem moralem esse habitum, qui essentialiter versatur circa obiectum, rationi consonum; vt docet S.Bonauent. *loc.cit.* quem omnes sequuntur, exceptis relatis *quæst.*1. necesse est vt diuisio generalis virtutum moralium oriatur è diuerso modo generali, quo obiectum aliquod est rectæ rationi consonum. Est autem quorumdam 64
obiectorum rectitudo sita in quadam operantis commensuratione, seu habitudine erga alterum, vt obiectum iustitiæ, quod rectæ rationi consonum iudicamus; quia per illud ius alterius ad æquale reducitur, vel compensatur. Aliorum verò obiectorum rectitudo sita est in habitudine quadam, non erga alterum; sed erga ipsum operantem; vt obiectum Temperantiæ, vt docet D.Bonau. *loc. cit.* & post eum Valentia *disp.*5.*quæst.*4.*p.*1.

Sic

65 Sic igitur assignat Valentia hanc diuisionem Virtutum; vt illæ virtutes, quæ sunt ad alterum, dicantur versari circa operationes, quia obiectum earum solemus attingere actionibus voluntatis: obiectum autem earum, quæ sunt ad ipsum operantem, attingimus etiam passionibus appetitûs sensitiui. Enim verò fatetur ingenuè, Iustitiam, & alias virtutes, quæ versantur circa operationes erga alterum, habere adiunctas suis operationibus passiones, nempè delectationem, & tristitiam, ex illis operationibus consequentes; sicuti quæ versantur circa passiones, habent coniunctas operationes, licèt dicantur passiones ob transmutationem corporis adiunctam.

66 Et hoc fateri videtur D.Thom. *quæst.60. art.2.* vbi tradens hanc diuisionem, non ait absolutè, alias versari circa operationes; alias circa passiones: sed alias præcipuè circa passiones, alias circa operationes, vt ibi rectè aduertit etiam Caietanus. Igitur in hoc est diuisio, vt Iustitia, & aliæ ei adnexæ versentur primò, & præcipuè in operationibus; aliæ verò in passionibus.

67 Addit, Iustitiam, sumptam in genere virtutum moralium, habere rectitudinem etiam ad operantem; quod omnibus virtutibus moralibus commune est; attamen distingui postrà secundum speciem subalternam; quia hæc ad alterum ordinatur: illæ verò ad operantem.

Hæc expositio, ad quam ferè confugit Buridanus 3. *Ethic. quæst.*1. videtur expeditior in sententia D.Thom. ad fugiendam difficultatem, quæ iam indicata est, quod membra diuisionis se videntur confundere; nam & Virtutes, quæ sunt ad operationem, sunt etiam ad moderandas passiones; & quæ ad moderamina passionum, sunt etiam operatiuæ; alioqui torquebimur cum Thomistis, nec expediemur; vt ait Vasquez *loc. cit.* qui se adinuenisse gloriatur facilem, & genuinam solutionem, & explicitam manere difficultatem, non satis huc vsque elucidatam.

68 Ait ergo, sic distinctionem virtutum moralium assignandam, iuxta sensum D. Thomæ, vt quæ versantur circa passiones, sint, quæ respiciunt ipsum operantem; quia hi habitus ponuntur in passionibus ob earum repugnantiam, quam non habet voluntas; atque adeò non est cur in ea ponatur habitus ad promptè operandum in ordine ad proprium bonum: Illæ verò, quæ sunt ad alterum, habent habitum in voluntate ad supplendas difficultates, quas ipsa habet etiam præcisis passionibus; & ideò illæ virtutes, puta iustitiæ, &c. necessariæ sunt ad operationes ipsas, etiamsi ex nulla passione oriatur difficultas in eis operationibus.

69 Itaque Aristoteles, qui primò hanc distinctionem enarrauit, id voluit; vt non ex eodem capite necessitas harum virtutum sumatur; nam quædam sunt necessariæ propter operationes ipsas secundùm se, etiamsi nulla passio resistat: quædam verò tantùm sunt necessariæ ad vincendas passiones contrarias, easque moderandas, quæ, præcisis passionibus, non forent necessariæ.

70 Hæc tamen expositio multas patitur oppositiones, nec omninò probatur. Et primò quidem, cùm ratione repugnantiæ, quam afferunt passiones in bono ad se, assignentur virtutes morales illæ in appetitu sensitiuo, aliæ debeant collocari in voluntate, quæ maximas patitur difficultates in obiecto Fortitudinis, & Temperantiæ, vt patet: Et probatur à Valentia *disp.5. quæst.2.p.2* quia voluntas habet pro obiecto bonum delectabile; & ideò fertur in illud, & potest pati difficultatem circa bonum honestum præceptum: Esto id eueniat pro hoc statu ex consortio cum appetitu, vt asserit D. Thom. vt dicam *quæst.9.* Ergo istæ virtutes, vtpotè appetitus sensitiui, malè distinguuntur per hoc ab iis, quæ sunt in voluntate. Ergo S.Thom. sibi contradicit.

Deinde, non adhuc benè diuidit membra diuisionis; Nam adhuc verum est, eas, quæ versantur circa passiones, esse etiam circa operationes; & quæ circa operationes, etiam esse circa passiones; Et, quod caput est, ob eandem rationem, quâ Vasquez conatur distinguere has virtutes: 71
Nam & quæ circa passiones sunt habilitandas; habilitant etiam circa earum operationes. *Exempli gratia.* Temperantia, quæ concupiscentiam moderatur circa tactus, &c. confert appetitui facilitatem, non modò ad passiones; sed etiam ad operationes, nempè ad amorem honesti, oppositi inhonesto tactuum, &c. Similiter & virtus Iustitiæ, quæ confert promptitudinem voluntati ad reddendum cuique, quod suum est; tribuit etiam facilitatem ad frænandam iniustitiam, vt docet Vasquez *num.*18. Qua ergo ratione manet diuisio virtutum moralium in eas, quæ sunt circa operationes; & eas, quæ circa actiones?

Omitto alios modos Thomistarum, à Vasquez ritè confutatos. Sanior mihi videtur expositio Valentiæ, quæ est aliquorum etiam Thomistarum; hoc excepto, quòd non admittam virtutes in appetitu sensitiuo. Ideò dixi, esse optimam expositionem in via D.Thomæ.

Hunc modum arbitror magis consonum D.Bonauent. (eo excepto, quod mox dixi:) nam cùm eam diuisionem reiecisset virtutum moralium, vtpotè calumniæ obnoxiam; Affert aliam, qua virtutes diuidit Cardinales, dicens: Cùm Virtus Cardinalis versetur circa bonum creatum, quod est medium ad finem Deum, in his homo comparatur vel ad se, vel ad alterum: Si ad se; hoc potest esse tripliciter, secundùm triplicem potentiam, idest Rationalem, circa quam est Prudentia: Irascibilem, circa quam est Fortitudo: & Concupiscibilem, ad quam componendam est Temperantia. Si verò ad alterum ordinatur; sic est vna virtus Iustitiæ; quia vna est ratio, qua ad proximum ordinatur, idest ratio debiti. Et in responsione *ad secundum* dicit, virtutes, quæ sunt ad se, attendi penes actus principales virium, quas sanè moderantur, & dirigunt imperando. 72

Quod verò assignatur pro Cardinalibus, etiam pro toto genere morali assignari potest, vt an ipse S. Bonau. quam illæ sunt, ad quas plurimæ aliarum reducuntur, & cæterarum omnium Cardines; vt docent, *in responsione ad argumenta*, cum D. Bonau. Buridanus *lib.5. Ethic. quæst.1. & lib.2. quæst.9.* Almainus *in Moral. tract.3. cap.5.* Martinus *quæst.1. de Fortitudine*, apud Azorium *lib.3. cap.28.* Valentia *loco cit.* Imò Aristoteles 2. *Ethic. cap.3.* vbi ait, Virtutem moralem circa voluptates, & dolores versari; Contra alios, (ex quibus perperam Tannerus *disp.3. quæst.4. dub.3. num.33.*) D.Bonauent. *loc. cit.* D.Thom. *quæst.60. art.3. & 4.* & 2.2. *quæst.58. art.9.* qui satis cum D. Bonauent. exponitur à Valentia. 73

Quod verò addit Tannerus, post Azorium, *tom.1. lib.3. c.28. quæst.10.* Iustitiam tantùm circa operationes versari; & quod si in Iustitiæ exercitio sinister affectus irrepserit, non per Iustitiam; sed per alias virtutes corrigendum, ità vt tenacitatem liberalitas, quæ & prodigalitatem, ad mediocritatem redigat; 74

redigat; falsum est, vt notat Vasquez *num.*18. Et primò quidem, cùm Liberalitas sit ad alterum, & pars potestatiua Iustitiæ, vt notat Vasquez, post D. Bonauent. *in Compendio Theolog. veritatis, lib.*5. *cap.*3. non potest Tannerus, absque sui contradictione, illam collocare inter eas virtutes, quæ moderantur passiones; nam, dum ab ea remouêre conatur Iustitiam, eam impellit in foueam; & naturam vnius generis, alteri tribuit.

QVÆSTIO VII.

De VIRTVTIBVS ex parte Efficientis diuersis.

75 EX parte efficientis diuiduntur Virtutes in *Acquisitas*, & *Infusas*; & quidem acquisitas vidimus modò: Infusas autem tum Theologicas, tum etiam morales, discussimus, *disp.*1. *quæst.*4. Non dari verò Habitum innatum, vidimus *quæst.*3. *eiusdem disputationis.*

VIRTVTES verò infusas ab acquisitis varias esse secundùm essentiam, asserunt communiter.

PROBATVR à Valentia *disp.*5.*quæst.*6.*p.*2. Vasquez *disp.*86. *cap.*6. Tannero *disput.*3. *quæstione* 4. *dub.*2. *num.*19. cum D. Bonauent. *in* 3. *distinct.* 33. *quæst.*5. *in corpore.* Habitus, habentes obiectum formale diuersum, differunt essentialiter, sed Virtutes morales infusæ habent obiectum formale diuersum ab acquisitis: Ergo. Maior patet. Minor probatur à D. Bonauent. nam habent diuersam honestatem; acquisitæ quidem naturalem conformem homini; vt est rationalis: infusæ verò supernaturalem, conformem homini, vt destinato ad vitam æternam. Infusas, absque dubio, Theologicas, omnes admittunt, Fidem, scilicet Spem, & Charitatem: Morales verò ostendimus *loco citato*.

QVÆSTIO VIII.

De distinctione VIRTVTVM ex parte Obiecti.

76 ALIA distinguendi virtutes ratio est ex parte obiecti, eademque omnes virtutes complectitur: Omnes enim obiectis propriis formalibus distinguuntur. Hic verò de iis tantùm agimus, quæ ad vitam rectè instituendam conducunt; & sic includitur etiam Prudentia: excluduntur verò merè intellectuales. Nam Prudentia etiam moralibus intermiscetur.

HAC verò ratione distinguuntur, Primò in Theologicas, quæ habent finem Deum pro obiecto: & in Morales, quæ habent media creata ad finem inducentia, vt docet D Thom. *quæst.*62. & D. Bonau. *in* 3. *dist.*33. *quæst.*1. *& sequentibus*, & aliis locis, sæpè in hac disputatione repetitis.

77 SECVNDÒ diuiduntur Morales in eas, quæ versantur circa operationes internas; & quæ circa passiones, de quibus egimus *quæst.*4. *&* 6.

TERTIÒ inter virtutes Morales, (adnumerando in eis etiam Prudentiam) aliæ sunt Cardinales, seu Principales, & sunt quatuor: Prudentia, Iustitia, Fortitudo, & Temperantia, quas etiam recenset Sapientia *cap.*8. per Sobrietatem, Prudentiam, Iustitiam, & Virtutem, quibus vtilius nihil ait esse in vita hominibus. Easdem, iisdem nominibus, recenset Ambrosius, in illud Lucæ 6. *Beati pauperes.* Idem verò *lib.*1. *offic. cap.*14. Prosper *lib.* 3. *de vita contemplatiua*, *cap.*18. Gregorius *lib.*2. *Moral. cap.*36. eas vocant Principales; de quibus etiam S. Augustinus *lib. de Genesi contra Manichaos*, *cap.*10. & *lib.*1. *retract. cap.*7. & *lib.*1. *de Moribus Ecclesiæ*, *cap.*15. Ambrosius *lib.*1. *de Paradiso*, *cap.*3. & alij apud D. Bonauent. *lib.*2. *Pharetra*, *cap.*26. *& sequentibus*, & *lib. de quatuor Virtutibus Cardinalibus, tom.*1. *Opusculorum.*

VOCANTVR autem Cardinales, quòd inter cæteras humanas virtutes obtineant principatum, 78
& præcipuum vsum in humanæ vitæ consuetudine habeant, quodque in suo vnaquæque ordine perfectissima sit: Prudentia inter Intellectuales: Iustitia inter eas, quæ sunt ad alterum: Temperantia inter eas, quæ sunt in Appetitu Concupiscibili: Fortitudo inter eas, quæ sunt in Irascibili.

SVMITVR autem Metaphora à Cardinibus, 79
quibus ostium reuoluitur, vt latè disserit S. Bonau. *de quatuor Virtutibus Cardinalibus*, *tom.*1. *Opuscul. fol.*233. & *in Compendio Theologica veritatis*, *lib.*5. *cap.*33. *& in* 3. *dist.*33.

EARVM numerum multis modis venantur Theologi, è quibus S. Bonauent. cæteris vberiùs *in* 3. *loco citato, quæst.*2.

PRIMVS modus sumitur è diuersitate subiectorum. 80
Subiecta enim proxima virtutum sunt potentiæ, seu vires animæ, quæ sunt tres, videlicet Rationalis, Concupiscibilis, & Irascibilis. Itaque Fortitudo est in Irascibili; Temperantia in Concupiscibili; sed Iustitia, & Prudentia in Rationali, secundùm quod ad alias vires habet comparari, vel in ratione consilianris; & ecce Prudentia: vel in ratione iudicantis; & ecce Iustitia: Siue secundum, quod habet considerari in se, & sic perficitur habitu Prudentiæ: vel secundum, quod habet alias regere, & ordinare; & sic perficitur habitu Iustitiæ.

SECVNDVS modus sumitur è diuersitate 81
actuum intrinsecorum. Tres enim sunt actus, qui concurrunt ad actum Virtutis. *Velle*, *Scire*, & *Immutabiliter operari*; vt dixi *quæst.*3. cum Aristotele 2. *Ethic. cap.*4. Scire autem est *Prudentiæ*: Velle verò *Iustitiæ*: Impermutabiliter autem operari *Fortitudinis*, & *Temperantiæ*, huius in prosperis: illius verò in aduersis.

TERTIVS modus sumitur per comparationem 82
ad opposita, quæ sunt quatuor, nobis propter peccatum inflicta; nempè, Ignorantia, Concupiscentia, Infirmitas, & Malitia. Contra Ignorantiam est Virtus Prudentiæ: Contra Concupiscentiam est Temperantia: Contra Infirmitatem est Fortitudo: Contra Malitiam est Iustitia: Qui modus videtur rationalis; Verumtamen (ait S. Bonau.) à posteriori; quia non Virtus per vitia; sed vitia per virtutum merita dignoscuntur.

QVARTVS modus sumitur ex obiectis; & hic 83
modus videtur rationabilior; quia habitus per actus; & actus per obiecta distinguuntur. Nam virtutes aut sunt circa Passiones, aut circa Actiones, vt dixi *quæst.*6. Si circa passiones, aut nobis illatas, & est fortitudo: aut innatas, & est Temperantia: si circa actiones, vel circa actiones intrinsecas, quæ consistunt in eligendo; & sic est Prudentia, aut extrinsecas, quæ consistunt in exequendo; & sic est Iustitia, ad quam spectat tribuere vnicuique ius suum. Alio modo potest sumi ex parte obiecti: Quia virtus negotiatur circa malum, vel circa

circa bonum. Si circa malum; aut est innatum; & sic est Temperantia: Aut est illatum; & ecce Fortitudo. Si circa bonum, aut in ratione vtilis expedientis; & sic est prudentia: Aut ratione honesti, & laudabilis; & ecce Iustitia.

84 Alio etiam modo sumitur sic: Quia virtus Cardinalis aut ordinat ad proximum, aut ordinat ad seipsum. Si ad seipsum; aut in eligendis, & sic est Prudentia; aut in respuendis, & ecce Temperantia. Si verò ordinat ad proximum, hoc est, vel in reddendis; & ecce Iustitia: vel in sustinendis; & ecce Fortitudo.

85 Omnes istos modos, aliquo modo reprehensibiles, confitetur S. Bonauentura. Affert verò septimum, qui sumitur ex quadruplici honestate, quam procurant. Cùm enim virtus Cardinalis dicatur; quia ordinat hominem circa ea, quæ sunt ad finem; siue circa quid creatum, cùm homo habeat comparari ad seipsum, vel ad alterum. Virtus Cardinalis vel est regulatiua actuum hominis, respectu sui, aut respectu proximi: Si respectu sui; hoc potest esse tripliciter, secundùm actum principalem triplicis virtutis, videlicet Rationalis, circa quam est prudentia: Concupiscibilis, circa quam est Temperantia: Irascibilis, circa quam est fortitudo. Si verò ordinet ad alterum; sic est vna virtus, quæ dicitur Iustitia; quia vna est ratio, secundùm quam ordinat ad alterum, idest ratio debiti.

86 Similes modos affert in opusculo de virtutibus Cardinalibus, *tom.1. & in Compend. Theolog. veritatis, lib.5. cap.33.* vbi affert modum expresse, quem habet S.Thom. quem in aliis etiam *allegatis locis* indicauit. Vt sumatur ex quatuor principalibus virtutum subiectis. Itaque Rationale per essentiam perficit Prudentia; cæteræ verò virtutes perficiunt Rationale per participationem, quod diuiditur in tria, idest in Voluntatem, quæ est subiectum Iustitiæ, in Concupiscibilem, quæ est subiectum Temperantiæ; & in Irascibilem, quæ est subiectum Fortitudinis, vt ait etiam S.Thomas *quæst.61. art.2.* Hinc addit S. Bonauent. *prælibatis locis*, Iustitiam, quia in voluntate perficienda elaborat, euagari ad alia multa, & per varias virtutes; imò per omnes discurrere. Vide etiam Tannerum *disp.3. quæst.4. dub.3 num.17.*

87 Hæ autem virtutes quadrupliciter considerari debent ex D. Thom. *quæst. 61. artic.5.* Primò vt sunt illarum ideæ, & exemplaria in perfectione Diuina; quo pacto habent esse quoddam in Deo. Secundò, considerantur prout sunt in hominibus, secundùm formales earum rationes; & sic vocantur *Politicæ*, quia homo politicum est animal. Tertiò sumi possunt, vt per eas, studio roboratas, potest homo imitari Diuinas perfectiones; ità vt per prudentiam, humana præ Diuinis despiciat: per Temperantiam, renuntiet, quantum natura humana fert, iis rebus, quæ ad corporis vsum pertinent. Per fortitudinem, adeò infracto animo sit, vt non terreatur, ipsa etiam morte, quo minùs ad Diuinam perfectionem, quantùm

88 potest, accedat: per Iustitiam sic affectus sit, vt omnes animæ vires consentiant in illud animi propositum accedendi ad perfectionem Diuinam, quantùm fieri potest. Et hoc modo consideratæ hæ virtutes, vocantur *Purgatoriæ*, ex sententia Macobrij *lib.1. in Scipionem.* Quartò considerari possunt, vt obtinere solent summum perfectionis gradum, vt in beatis, aut hominibus aliis perfectissimis, ità vt Prudentia ea solùm intueatur, quæ sunt Diuina. Temperantia terrenas cupiditates nesciat: Fortitudo passiones ignoret: Iustitia cum Diuina mente perpetuo fædere societur, eam imitando, vt ait præclarè, & deuotè D Bonauent. *de quatuor virtutibus Cardinalibus, tom.1. Opuscul. & lib.5. Compend. Theologicæ veritatis, à cap.33.* & D.Thom. *loco citato*.

Hoc idem volunt Sancti Doctores, dum aliis verbis aiunt, Virtutes Cardinales diuidi, ex sententia Macobrij, & Plotini, *in Exemplares, Politicas, Purgatiuas, & Purgati animi:* Nam hæc diuisio non est in virtutes, vt notat Caietanus ibi, sed in diuersas rationes virtutum; quæ ipsæ possunt conuenire in vna virtute. Itaque differunt secundùm statum tantùm imperfectiorem, & perfectiorem. Idem habent Gregorius de Valentia *disp.5. quæst.4. p.3.* Tannerus *disp.3. quæst.4. dub.3. num.17.* 89

Scias tamen, Virtutes has, vt sunt in Deo exemplares, longè diuerso modo reperiri, ac sunt in nobis; nam Prudentia, vt est in Deo, est ipsa Diuina mens. Temperantia est quædam conuersio, & conformatio Diuinæ intentionis ad seipsum; sicut in nobis per Temperantiam conformatur appetitus cum ratione recta: Fortitudo in Deo est Dei immutabilitas: Iustitia in Deo est obseruatio quædam legis, seu ordinationis æternæ in Diuinis operibus, vt explicat S. Bonau. *locis adductis*, & D.Thom. *quæst.61.* 90

Hinc falsum colligitur id, quod ait Scotus *in 3.dist.33.quæst.vnica, ad primum*, vbi ponit has virtutes morales in Deo, secundùm eandem rationem formalem; nam vt arguit Caietanus *hic*, & Valentia *loc. cit.* de ratione formali huiusmodi virtutum est, vt cum electione quadam versentur circa proprias passiones, quod satis declarat D. Bonau. *locis adductis*; at in Deum, imò atque in Angelos, non possunt huiusmodi passiones cadere. 91

Obiicit Scotus. Possunt Angeli expetere talem moderationem passionum in nobis; Ergo habent has virtutes.

Respondet Valentia, per hoc eos non euadere studiosos harum virtutum, sicut si mater velit filiam castam, & ipsa sit impudica, non ob id erit continentiæ laudanda. 92

Obiicit secundò. Potest Angelus habere actus conditionatos moderandi eas passiones, si ipsas haberet.

Respondetur, nullum euadere studiosum per actus conditionatos; sed per absolutos.

Advertit *hic*, Valentia, Virtutes Purgatorias, & Purgati animi, de quibus D.Thom. & D. Bonau. ex sententia Macobrij, & Plotini, loquuntur, non esse virtutes morales, per se infusas, vt falsò putat Caietanus; sed morales acquisitas. Probatur, quia D. Thom. loquitur de illis virtutibus, prout, lumine naturali, ducunt in cognitionem Dei, quomodo ab illis Philosophis agnosci potuit: virtutes autem infusæ tendunt in Deum, vt cognitum lumine supernaturali. In hoc videtur D. Bonau. inclinare ad opinionem Cajetani: nam virtutes *purgati animi*, asserit defixas in bonis æternis, quæ sanè ex fide nobis sunt nota; attamen video, eum sic interpretari, virtutes illas adaptando modo, fidei Catholicæ conuenienti, non sistendo in modo philosophico, vt patet legenti. 93

Quoad

Quoad Virtutes THEOLOGICAS.

94 CERTVM est, eas esse infusas, quæ sunt, FIDES, SPES, & CHARITAS, quod à Clemente V. in Concilio Viennensi, tanquam probabilius astruitur. De quo satis *disp.1.quæstione* 4. & latè ostendemus etiam *secunda secundæ*, cum D. Bonauent. *in 3.dist.23.art.2. quæst.2.* de Fide, & *disp.26.quæst.1.* de Spe, & *disp.27.quæst.3.*

95 HÆ sanè virtutes ideò Theologicæ dicuntur, quia respiciunt Deum vltimum finem. Fides respicit Deum, vt veracem. Spes in Deum tendit, vt est beatitudo nostra. Charitas in ipsum, tanquam summum bonum. De his Apostolus, 1. Corinth. 13. *Manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc.* D. August. *lib.1. de Doctrina Christiana, à cap.37. & in Enchiridio, cap.3. & 4.* & D. Gregorius *lib.1. Moral. cap.28. & aliis in locis*, aliique Patres, relati à D. Bonauent. *lib.2. Pharetra, à cap.22. & de quatuor virtutibus Cardinalibus, tomo 1. Opuscul.* vbi præclara edisserit, quæ & *in Compendio Theologicæ veritatis, lib.5. à cap.18.* refricat, quæ repetit Valentia *disp.5.quæst.5.p.1.* vbi cum D. Bonauent. *in 3. loc. cit.* & aliis in locis adductis, ait posse virtutes Theologicas diuidi in eas, quæ sunt in Intellectu, & eas, quæ sunt in Voluntate, è quibus Fides stat in intellectu, eo modo, quo dicam 1. 2. *tract.1. disp.1. quæst.18.* Spes in Irascibili; Charitas autem in Concupiscibili.

96 CIRCA ordinem harum virtutum notat D. Bonauent. *in 3.dist.26. art.2. quæst.3.* vbi ex professo id agit, duplicem ordinem posse considerari; nempè, generationis, & perfectionis: Et quidem dari ordinem generationis, vel considerando habitus istos in se, vel in ordine ad actus.

In se consideratos istos Habitus, docet simul infundi. Idem docet D. Thom. *quæst.62. artic.4.* hoc intellige per se loquendo; nam per accidens potest infundi Spes, & Fides sine Charitate in adulto baptizato, habente affectum ad peccatum mortale.

Consideratis verò his habitibus in ordine ad actus: Prima est Fides, secunda Spes, tertia Charitas.

97 QVOD prima sit Fides, Probatur à D. Bonau. primò ex Glossa *ad 1.Matth.* vbi dicitur: *Fides generat Spem, & Spes Charitatem.*

SECVNDÒ, Quia ità se habent istæ virtutes ad ædificium spirituale, sicut materia & forma ædificij materialis; sed in ædificio materiali priùs sunt fundamenta, deinde parietes, tertiò est forma perfecta in tecto: Ergo & in ædificio spirituali prima est fides, quæ est fundamentum, vt ait Apostolus ad Hebræos, cap.11. *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, seu vt ait Græcus: *Substantia, vel subsistentia.* Secunda est spes, per quam ædificium spirituale erigitur; Tertia est charitas, per quam perficitur.

98 TERTIÒ. Ordo naturalis est, vt ab imperfectis ad perfecta gradiamur; sed perfectissima est charitas, vt ait Apostolus, 1. Corinth.13. *Maior horum est charitas*; deinde spes, vt in ordine, quem adhibet Apostolus, patet: Erga prima est fides, &c.

QVARTÒ. Nullus amat bonum, quod non sperat, se posse consequi; nec sperat, nisi cognoscat, quia in incognitum non fertur voluntas, vt ait D. Augustinus *lib.1. de Doctrina Christiana*, vbi ait: *Non potest quis diligere, quod esse non credit.*

ALIO quodam respectu Valentia, *disp.5.quæst.5. p.2.* ait, Amorem præcedere spem in generatione actuum, si consideretur amor, & spes, vt respiciunt bonum Diuinum, tanquam obiectum suum quoddam, & non vt id à quo sit tale obiectum obtinendum; nam circa obiectum absolutè consideratum, vt bonum quoddam, primus motus appetitus est amor, vt docet D. Thom. *quæst.62. artic.4.* & sic intelligi debere (ait) D. Augustinum *lib.1. de doctrina, cap.37.* vbi ait: *Si quis credit, & diligit, benè agendo, & præceptis bonorum morum obtemperando efficit, vt etiam speret se, ad id, quod diligit, esse venturum*; & id quod ait ipse S. August. 13. *de ciuitate Dei*, vbi habet: *Omnis affectio oritur ex amore.* 99

RESPONDET D. Bonauent. *ad 2. & 3.* amorem imperfectum esse principium aliarum affectionum; at è contra, amorem perfectum esse terminum, & complementum. Vnde omnes affectiones ordinantur, vt Deus ametur perfectè. Charitas verò est amor perfectus, non imperfectus. Addit verò ad 3. amorem concupiscentiæ supponere spem, non enim amatur aliquod bonum, nisi speretur sibi obueniendum. Similiter & amor amicitiæ, quo amatur bonum propter se, supponit confidentiam; nullus enim vult bonum alij magis, quàm sibi, nisi in illum totaliter confidat; neque diligit illud bonum, ad quod non sperat se peruenturum, vt in eo quiescat; quia dilectio est per electionem, quæ in impossibile non fertur. 100

Ex his habes, ordinem horum habituum in perfectione hunc esse, vt nobilissima sit Charitas, & post eam Spes, vt habetur *in secundo argumento.* Hæc ferè omnia habet Valentia *loc. cit.* Vide etiam D. Bonauent. *locis adductis in Opusc.* vbi hæc omnia refricat.

QVÆSTIO IX.

De subiecto VIRTVTVM.

D. Bonauent. in 3. dist. 33. quæst. 3.

DVPLEX subiectum virtutum potest assignari. *Remotum*, & *Proximum.* De remoto satis est, quod diximus de habitibus *disp.1. quæst.2.* eo excepto, quòd in brutis non admittimus virtutes, quamvis habitus concedamus. 101

Quoad subiectum proximum, certum est, illud esse potentias; non essentiam animæ, vt ibi ostendi *assertione 6.* & probat *hic*, S. Thom. *quæstione 56. artic.1.*

PROBATVR à D. Thom. ex Aristotele *primo cœli, textu 116.* vbi docet, Virtutem versari circa vltimum potentiæ, & esse perfectionem eius: Hic tamen locus non est adeò efficax, vt notat D. Bonauent. *3. parte, Centil. sect.36.* ibi enim loquitur de virtute communi, comprehendente etiam naturalem, quod non satis aduertit Tannerus *disput. 3. quæst.3. dub.1. num.2.* Id tamen notat Valentia *disp.5. quæst.1. p.2.* paulò post initium: Sicut etiam illo 7. Physic. text.17. *Virtus est dispositio perfecti ad optimum*, vt S. Bonauent. exponit *loc. cit.* communiter significat virtutem; imò Vasquez *disp.78. cap.1. & disp.84. cap.3.* ait, ibi loqui Aristotelem, non de aliquo habitu, sed de robore, & pulchritudine. 102

PROBATVR ergo à D. Bonau. *ibi*, ex aliis locis Aristotelis 103

Aristotelis, quibus loquitur de virtute, propriè sumpta.

Primvs habetur, 2.Ethic.cap 6. *Virtus est habitus, qui perficit habentem, & opus eius bonum reddit.* Tunc sic: Virtus est in eo subiecto, cuius est opus, seu operari; sed operari est potentiæ: Ergo. Ideò ibi S.Doct. notat, Virtutes ad potentias animæ rectificandas ordinari. Qua ratione nititur Tannerus *loc. cit.*

Secvndvs habetur ibidem: *Virtus est habitus voluntarius, in mente consistens, recta ratione determinatus, prout prudens determinauit.*

Aliæ etiam definitiones, ab eodem Seraphico ibi allatæ, idipsum demonstrant, quas cum aliis retulimus *quæst.*2.

104 Deinde verò, licèt habitus concesserim *disp.*1. *quæst.*2. in potentiis apprehensiuis, sensitiuis internis, non tamen in eis admitto virtutes, vt docet etiam D.Thom. *quæst.*56. *art.*5. & habetur ex Aristotele 1.*Eth.cap.*1.& *lib.*6.*cap.*1. vbi docet, virtutes omnes, vel esse morales, vel intellectuales, & has esse in ratione; illas in appetitu. Nos verò multo magis id ostendemus cum D.Bonau. Scoto, & aliis, qui etiam ab appetitu sensitiuo rationem virtutis excludunt.

105 Præthereà, cum virtutes variæ sint, varia etiam eis subiecta tribuunt, non modò voluntatem; sed etiam intellectum intellectualibus; in quibus etiam est fides, vt notat D. Bonauent. *in corpore*, & quidam etiam appetitum sensitiuum, vt mox dicam.

Præterea multas virtutes morales esse solùm in voluntate, nullus negat: Tales sunt Iustitia, eique adhærentes, ac partes potestatiuæ; quinimò & partes aliquæ potestatiuæ Temperantiæ; illæ nimirum, quæ circa delectationes spirituales, & intellectiuæ partis moderandas laborant, quales sunt humilitas, & studiositas; cum enim hæ virtutes moderentur, & temperent delectationes spirituales, sanè in subiecto spirituali esse debent. Virtutes autem Theologicæ sunt in potentiis animæ spiritualissimis, vt dixi *quæst.*8.

106 Tota igitur controuersia est de Virtute Fortitudinis, & Temperantiæ; & si quæ aliæ sunt moderandis passionibus appetitus irrationalis destinatæ. Vtrum sint in voluntate: an in appetitu sensitiuo.

Prima opinio est D. Thom. *prima secundæ, quæst.*56.*art.*4. asserentis, has virtutes esse in appetitu sensitiuo; Temperantiam in Concupiscibili: Fortitudinem autem in Irascibili, & *art.*6. negat, has esse in voluntate. Hanc Tannerus *disp.*3. *q.*3. *dub.*1. dicit esse communem Philosophorum, & Theologorum sententiam; non quidem esse has virtutes in appetitu brutali præcisè, cùm sit communis cum bestiis; sed esse in eo, vt rationi subordinato. Idem docent Caietanus, Conradus, aliique Thomistæ *quæst.*56.*art.*6. Ægidius *quodl.*4 *quæst.*18. Capreolus *in* 3 *dist.*23.*quæst.*1.*art.*4.Heruæus *Opusc. de virtutibus. quæst.*4.*& quodl.*4.*quæst.*12. Durandus *in* 3.*dist.*33.*quæst.*4. *&* 5. Argentina *quæst.*1.*artic.*2. Ferrar.1.*contra Gent. cap.*92. Viguerius *Instit. cap.*3. §.8.*vers.*4.*&* 11. Sotus *lib.*3.*de Iustitia,quæst.*2.*art.*4. *& lib.*9.*quæst.*5.*art.*14.

107 Enim verò D. Thom. admittit in voluntate, etiam habitus ad bonum proprium, quatenus illud in homine ex repugnantia passionum appetitus sensitiui difficile redditur, vt exponunt Heruæus *quodl.*4. *quæst.*12.Conradus *loc.cit.* Molina *quæst.*56. *art.*5. Azorius *lib.*3.*c.*26.*quæsito* 3. Vasquez *disp.*87. *cap.*2. Nam D.Thom.*quæst.*58. *art.*3. *ad* 2. ponit in voluntate habitum continentiæ, & perseuerantiæ; illum, ne ob vehementiam delectationum; hunc, ne ob tristitiæ vehementiam succumbat appetitui, & deserat officium virtutis. Et in hoc alij conueniunt, apud Tannerum *dub.*2. qui dicunt, virtutibus existentibus in appetitu sensitiuo circa passiones, respondère alias similes eiusdemque nominis in voluntate, inter quos malè connumerat S. Bonauenturam *in* 3.*dist.*33.*q.*3. Richardum *art.*1. *q.*1. Scotum *eadem dist.*33. *quæstione vnica*, Gabrielem *quæst.vnica*, & ferè Vasquez *disp.*87.*cap.*2. qui omnes cum aliis in appetitu sensitiuo negant penitus virtutem formalem. Tamen benè adductus est Valentia *disp.*5.*quæst.*2.*p.*2.Azorius *tom.*1.*lib.*3. *cap.*20. *quæsito* 4. Fonseca 9. *Metaph. cap.* 5. *quæst.* 3. *sect.*3.

Secvnda opinio est; in parte appetitus sensitiui nullam esse virtutem. Ità D. Bonauent. *in* 3. *dist.*33.*quæst.*3. Scotus *ibi, quæst.vnica*, §.*Hæc opinio improbatur.* Richard.*art.*1.*quæst.*1. Vasquez *disp.*87. *cap.*2. imò videtur etiam Gabriel *in* 3. *dist.*23. *q.*1. *dub.*5. vbi docet, in sola voluntate virtutem intrinsecè reperiri; in aliis autem potentiis extrinseca tantùm denominatione. Hanc sententiam defendunt Scotistæ communiter, & Recentes reliqui. Valentia verò *disp.*5. *quæst.*2. *p.*2. Arriaga *disputat.* 33. *sect.* 2. probabiliorem aiunt. Alios refert, & sequitur Mastrius *disputatione septima, quæst* 4. 108

Assero cum hac sententia, in appetitu sensitiuo nullam prorsus esse virtutem. Hanc assertionem variè ab authoribus eius probari, ait Vasquez, atque à Bonauentura, & Richardo sic: Virtus est principium merendi, & omnibus virtutibus æquè conuenit hæc ratio: Ergo vbi non est primariè opus meritorium, ibi non est virtus; at in appetitu non est primariò meritum, quia ibi non est libertas: Ergo in eo non potest esse virtus. 109

Hæc sanè ratio D. Bonauent. sola è tot efficacissimis affertur à Vasquez, atque ipsa mutila, & recisa, cùm alias etiam habeat; præcipuè eam, quam sibi Vasquez adscribit *cap.*2. quod sanè plorandum, in more id positum, apud istiusmodi modernos, vt alienas elucubrationes propriis studiis (nescio qua ratione) arripiant.

Probatvr ergo primò à D. Bonauent. ex D. August. *in soliloq.* vbi ait: *Virtus est ratio recta perducens in finem*; hæc autem prædicatio est causalis materialis: Ergo subiectum virtutis est pars rationalis. 110

Probatvr secundò à Seraphico, argumento expilato à Vasquez, quod est huiusmodi, & validissimum. Omnis virtus in ea potentia est, quæ est capax meriti, laudis, ac vituperationis: sed huiusmodi est sola pars rationalis: ergo. Maior patet ex multis definitionibus virtutis, allatis *quæst.*2. Minor probatur, & explicatur; nam meritum apud Scholasticos, prout consequitur actionem humanam, dicit dignitatem laudis, & præmij; aut vituperij, & pœnæ, quod magis propriè demeritum dicitur, vt notat ipse Vasquez *prima secunda, disp.*77.*num.*8.*&* 11. & Aristoteles 3 *Eth. cap.*1. vbi ait: *Et in iis quidem, quæ sua sponte quis agit, laudes, & vitupera iones versantur.* Et D.Gregorius Nyssenus *lib.*5. *Philosophiæ,cap.*1. cùm dixisset, voluntarium in actione positum esse, ait: 111

Actio est rationalis operatio; actiones autem laus, vel conuitium consequitur. Hoc autem dixêre, quia hoc genus operationis tantùm est capax laudis, & vituperationis, vt exponit Vasquez *prima secunda, disputatione 25. numero 14.* Ideò etiam D. Thomas *prima secunda, quæstione 6. artic. 2. ad 3.* ait: Laus, & vituperium consequuntur actum voluntarium, secundùm rationem imperfectam voluntarij. Quamvis autem dentur virtutes intellectuales; attamen hæ non sunt laudabiles, nisi vt à voluntate reguntur. Præterea nostrum est probare tantùm de virtutibus moralibus, quæ passionibus edomandis destinantur. Hac ratione vtitur etiam Scotus apud Mastrium *num.* 74.

112 PROBATVR tertiò à D. Bonauent. In eo subiecto est virtus, in quo est imago Dei; sed non est imago, nisi in potentia rationali: Ergo. Maior probatur, nam cæteræ virtutes habent ortum à gratia, cuius anima est capax per hoc, quod est imago Dei.

PROBATVR quartò à S. Bonauent. *argumento*, quod Vasquez adscribit recentioribus. Virtus est habitus electiuus, circa mediocritatem, quæ est quid optimum, ex Aristotele 2. *Ethic. cap. 6.* non longè à fine: Ergo non potest inesse virtus moralis illi potentiæ, quæ non est principium electionis; sed appetitus sensitiuus nullo modo est talis: Ergo. Hoc argumento vtitur Scotus.

113 HIS rationibus ait Vasquez *numero 6.* posse responderi; & respondet Valentia, in appetitu esse libertatem deriuatam, ratione cuius, ei conuenit etiam electio deriuata; & inde etiam laus, &c. Et hoc satis esse, vt ei vera ratio virtutis conueniat. Addit Caietanus, appetitum esse alio modo principium electionis, quatenùs indirectè mouet voluntatem ad electionem.

CONTRA primò. Sic enim etiam in sensibus internis posset virtus residere; nam & ad hos deriuatur libertas, quatenùs à Voluntate liberè imperantur ad actus studiosos exercendos.

114 CONTRA secundò. Nam subiectum virtutis debet esse illud, non ad quod deriuatur efficientia electionis; sed in quo est ipsa efficientia. Virtus enim est habitus ad habilitandam potentiam difficilem ad operationes. Igitur in ea debet esse, in qua est difficultas; in ea autem est difficultas, in qua est etiam facultas; nam facultas est virtus, quæ, si difficultatem habet, eget perfici. Hoc idem mox etiam confutabitur *ad quintum*. Confirmatur, quia mediocritas, quæ est quid optimum, est bonum honestum, quod solùm est obiectum virtutis; at appetitus sensitiuus nullo modo potest ferri in honestatem, vt notat Mastrius.

115 PROBATVR quintò à D. Bonauent. *argumento*, quod sibi adscribit Vasquez, quodque cæteris validius putat. In ea potentia non est collocandus habitus virtutis, quæ non potest vllo modo attingere, actione sua; formalem rationem, & finem in materia, & obiecto talis virtutis; nam cùm habitus sit propter actionem propriam illius, vbi non potest esse actio, ibi frustra esset habitus; actio autem esse non potest in ea potentia, quæ circa formale obiectum actionis operari nequit; quis hoc non videat? appetitus autem sensitiuus, actione suâ, nullo modo attingere potest formalem rationem, & finem in materia, & obiecto virtutis; quoniam formalis ratio obiecti, ad quam fertur affectus virtutis studiosus, est honestas in materia, & in ipsa mediocritate obiecti. Ideò à Tullio dicitur virtus esse in genere honesti; vt dixi *quæstione 2.* & *in quæstione 3.* diximus, vt aliqua actio sit virtutis, debere esse propter ipsam honestatem expressè: sed appetitus sensitiuus, non potest ferri in ipsam honestatem; sed solùm circa delectabile, vel commodum operatur: Ergo appetitus sentiens, actione suâ, non potest attingere formalem rationem, & finem in materia, & obiecto virtutis.

DICES. Fertur obediendo rationi, & voluntati, 116
& hoc satis esse.

CONTRA. Nam eatenus obedit, vt feratur in proprium obiectum, non vt feratur in alienum; & ideò nunquam obedit voluntati, vt appetat honestum sub ratione honesti, quod est proprium formale obiectum voluntatis; non appetitus.

RESPONDET Tannerus *loco cit. numero 14.* non requiri ad virtutem propriè dictam, vt in actu quasi signato, & reduplicatiuè feratur in bonum honestum, quia tale est; sed satis esse, vt in actu exercito, & quasi specificatiuè feratur in aliquod obiectum, quatenùs in operante libero rationem boni honesti, & laudabilis necessariò adiunctam habet. Quod etiam facit appetitus sensitiuus, dum formaliter fertur in conuenientem, & moderatam corporis refectionem, quæ in tali agente, saltem denominatiuè libero, rationem boni honesti necessariò habet adiunctam, vt patet.

ENIM verò hæc responsio est labilis. Virtus 117
enim est habitus, habens proprium obiectum materiale, & formale; & à formali quidem accipit suas distinctiones. Et sicut virtus moralis est, quæ circa obiecta creata ad vitam honestè traducendam dirigit, vt docet ipse Tannerus *disputatione 5. quæstione 4. dubio 3. numero 24.* Ita singulæ, in suam specialem honestatem tendentes, ab aliis distinguuntur; atque adeò formaliter in talem honestatem, vt talis est, feruntur; alioqui si in suam honestatem tantùm materialiter ferrentur, nullam omninò formalem distinctionem ex obiectis, variâ honestate indutis, sumerent.

PROBATVR vltimò à D. Bonauent. *in corpore*, 118
quia Virtutes Cardinales sunt eiusdem generis: Ergo non sunt aliquæ in subiecto genere inferiori.

Ex his satis iam probata remanet exclusiua, in Appetitu non esse habitus veros virtutum, contra asserentes; à quibus non omninò declinat Vasquez, sed ex parte, vt ipse fatetur.

OBICIES primò. Aristoteles 3. *Ethic. cap. 10.* ait: *Hæ namque virtutes partium earum esse videntur, quæ sunt rationis expertes.*

RESPONDET Vasquez, Aristotelem solùm 119
velle, Fortitudinem, & Temperantiam esse earum partium, quæ sunt rationis expertes, non quia in illis sint; sed quia in moderandis earum passionibus versantur; cùm tamen aliæ in moderandis spiritualibus affectibus laborent.

VALENTIA *p. 2. ad finem* respondet, Philosophum

phum intelligere per irrationalem partem, etiam voluntatem; at esto per irrationalem partem intelligat appetitum sensitiuum, vult esse in eo, at non solo, sed etiam in voluntate.

Hoc tamen non probatur: Non enim vnus numero habitus, in pluribus realiter diuersis potentiis, adæquatè potest esse subiectiuè, hoc ingenuè fatetur Tannerus *disp. 3. quæst. 2. dub. 3. numero 3.* post D. Thom. *quæst. 56. art. 2.* potentiæ autem sunt
120 apud eos diuersæ res, Assumptum probatur. Cùm enim potentiæ omnes penes generales quasdam rationes obiectorum inter se, specie differant, ipsique habitus non alia obiecta habeant, quàm obiecta potentiarum, quibus insunt, necesse est etiam, vt ipsi habitus, qui diuersis potentiis insunt, specie inter se differant, ità, vt vbicumque est diuersitas potentiarum, sit etiam diuersitas habituum, licèt non è contra. Quæ doctrina sumpta est ex D. Bonauent. *in 2. dist. 25. quæst. 3. ad vltimum.*

121 Hinc non rectè Valentia *quæst. 2. p. 2. in fine*, dicit, in opinione D. Bonauent. Scoti, Richardi, & Gabrielis, posse dici eandem virtutem secundùm similitudinem, puta Fortitudinis, vel Temperantiæ, esse in diuersis subiectis, puta in appetitu, & voluntate; hoc enim apertè Seraphicus, & hi ipsius assectæ negant.

122 Obiicies secundò, cum D. Thom. Virtus, ad aliquod obiectum inclinans, in ea potentia collocanda est, in qua inest difficultas attingendi rectè eiusmodi obiectum; sed omnis difficultas operandi, circa bonum proprium, est in appetitu sensitiuo: Ergo. Maior patet. Minor probatur, tum quia bonum proprium rationi consentaneum, est obiectum proprium voluntatis: Ergo circa illud non habet ipsa difficultatem, sed solus appetitus sensitiuus, qui interdum fertur in bonum sensibile, rationi contrarium. Secundò patet experientiâ: nam, si quis, quando ex recto dictamine rationis debeat, *verbi gratia*, appetere mortem, refugiat illam, hoc non ob aliquam difficultatem voluntatis accidit; sed ex passione Timoris. Similiter, cùm quis non abstinet, iuxta dictamen rationis, ab aliquibus voluptatibus, aut immodicè his vtitur, hoc passiò Concupiscentiæ efficit, non autem inclinatio voluntatis.

123 Confirmatur, quia enim difficultas rectè equitandi proueniat ex equo, non ex perito equite; ideò non equiti, sed equo ponendum est frænum, quamuis eques debeat habenas tenere.

Respondet Valentia ex D. Bonauent. *ad argumenta*, licèt bonum honestum sit obiectum voluntatis, nec ad illud habeat, quoad specificationem, aliquam difficultatem per se; tamen quia potest allici magis à delectabili, quod etiam est obiectum eius, potest esse, vt habeat difficultatem in præferendo bonum honestum ipsi delectabili vehementi, & ideò egeat habitu disponente ad illud
124 bonum. Quamuis autem initium difficultatis, & curuitatis sit in appetitu sensitiuo è fomite, attamen curuitas formalis, opposita virtuti, est in voluntate, in qua est vitium, & peccatum oppositum virtuti, & actui studioso, & ideò illa eget rectificari ab habitu. Neque exemplum de equo est ad rem: Non enim eques eget fræno, quia non vult sequi præcipitia equi, sicuti voluntas inclinat ad sectandum appetitum, offerentem bona delectabilia. Quapropter, & ipsum liberum arbitrium equo potius assimilatur à D. August. *in Enchir. c. 32.* egenti sessore moderante, idest, gratiâ, & habiti-

bus supernaturalibus virtutum, vt notat D. Bonauent. *in 3. dist. 33. quæst. 5. in corpore*, & alibi passim.

Fatetur tamen S. Bonauent. in appetitu sensitiuo aliquas habilitates, vel impressiones virtutum, vt explicat eius discipulus Richardus; & quibus aliqualiter declinat Gabriel *in potentia quarta propositionis.* 125

Quoad virtutes, quæ sunt ad alterum, omnes eas ponunt in voluntate. Probatur, quia sensitiuus appetitus non versatur, nisi circa bonum proprium, seu commodum, & delectabile. Quà ratione vtitur D. Bonauent. *argumento vltimo*, & D. Thom. *loco citato*, & post eos Valentia, & Thomistæ, suprà adducti.

Obiicies tertiò. Ibi ponendæ sunt virtutes, vbi est earum contrarium, idest, vitium: & vbi est obliquatio vitij, ibi ponenda est rectitudo virtutis; sed obliquatio, & deordinatio est in parte sensibili: Ergo.

Respondet D. Bonauent. Maiorem esse veram; at Minorem falsam; nam ibi est vitium, vbi est etiam peccatum, & ibi peccatum, vbi est obliquatio, & deordinatio: hæc autem sunt in voluntate, quæ cum habeat pro obiecto totam bonitatem, neque solùm honestum; sed etiam vtile, & delectabile, quod sæpè rationi repugnat; sequitur, eam habere difficultatem in prosequendo honesto; atque adeò egere habitu virtutis ordinatæ. Vnde S. Bonauent. argumentum retorquet, quo Valentia conuictus ait, se ignorare quomodo id à D. Thom. negari possit. Hoc responso vtitur Scotus, apud Mastrium *numero 91.* 126

Confirmatur: Nam appetitus sensitiuus ideò dicitur difficultatem habere in prosequendo bono sensibili honesto, & rationi consono, quia etiam habet inclinationem ad bonum sensibile, rationi contrarium; sed voluntas etiam, vt dixi, habet inclinationem ad tale bonum, quippè quod est suum obiectum: Ergo, &c. habet difficultatem ad bonum honestum; atque ideò necessarius est habitus in ea. Confirmatur secundò: Nam etiam Thomistæ fatentur, hominem habere difficultatem ad bonum honestum; eò quòd voluntas colligata est sensui, qui in contrarium nititur. Hoc verò satis est, vt voluntas egeat habitibus virtutum circa huiusmodi obiecta; parum enim refert vnde difficultas nascatur. Satis autem est, vt, omnibus consideratis, potentia difficultatem habeat ad aliquas actiones, vt censeamus, eam habitu indigere. Quam rationem antequàm in Valentia inuenerim, vel in alio, assignaui etiam *quæstione sexta.* 127 128

Obiicies quartò. Voluntas est ex se determinata ad bonum simpliciter, cùm hoc sit eius obiectum; & si indeterminata esset, iam satis posset determinari à iudicio rationis: Ergo non est necessaria virtus. 129

Hoc argumentum probaret, nullam virtutem omninò necessariam: nam & virtutes Theologicæ inclinant voluntatem per modum naturæ. Voluntas igitur, licèt ad bonum in genere sit determinata, per modum naturæ; tamen libera est ad genera bonorum; & quia sæpè ex vnione cum corpore sequitur bonum delectabile, eget habitibus inclinantibus ad bonum honestum. Neque satis à ratione inclinatur, quam non agnouit imperantem. Hoc totum colligitur è D. Bonauent. *loco citato.*

Obiicies quintò. Virtus moralis est moderatiua

ratiua passionum; at in voluntate non sunt passiones, sed solùm in appetitu sensitiuo: Ergo.

130 RESPONDETVR, etiam in voluntate reperiri passiones, quæ sunt voluntatis, vt voluntas est, vel eius, vt coniunctæ cum appetitu sensitiuo, cui nata est condelectari, & contristari: Ideò in voluntate sunt ponendæ virtutes morales. Nec oportet, virtutem esse formaliter subiectiuè, vbi est passio moderanda; sed potius in voluntate moderante. Concedo quidem, ponendum etiam in appetitu sensitiuo aliquem habitum; sed ille non est propriè virtus.

INSTANT aliqui ad probandum, talem habitum esse debere virtutem; quia appetitus sensitiuus, prout in homine, natus est obedire potentiæ superiori, nempè rationi, & ab ea regulari, etiam actus virtutis moralis, cum sua rectitudine in appetitu consummatur: ergo nil deest, quin prædicti actus sint propriè virtutes.

131 RESPONDETVR, negando consequentiam, quia sicut actibus appetitus sensitiui non competit primariò ratio libertatis, sed solùm per deriuationem ab actu voluntatis; ità etiam habitibus appetitus non conuenit per se ratio honestatis, & virtutis.

INSTAT Arriaga ad probandum, nullum habitum esse in appetitu sensitiuo; nam fortitudo respicit bonum arduum, seu pericula; ibi autem non potest appetitus sensitiuus inuenire suam rationem formalem motiuam; nempè, obiectum delectabile. Ergo non potest acquirere habitum fortitudinis: Idem dicitur de habitu Temperantiæ.

132 RESPONDETVR, hoc tantùm probare, non dari in appetitu sensitiuo virtutem propriè. Siquidem perfectio virtutis est perfectio hominis, vt excedit appetitum sensitiuum, & distinguitur à brutis; perficitur tamen quibusdam habitualibus impressionibus, quæ non sunt virtutes essentialiter; sed solùm quatenus appetitus sensitiuus subordinatur voluntati. Hoc sensu, fortitudo non ponitur in appetitu sensitiuo secundùm rationem concupiscibilis, cuius obiectum est delectans, sed secundùm rationem irascibilis, cuius obiectum est offendens. Neque ob id concedit S. Doct. eos habitus esse virtutes similitudine.

DICES. Si ex obedientia sola, quam præstat sensus appetitui, conceditur habitus, poterit dari etiam in manu.

RESPONDETVR, dari habitus, & in manu ad citharizandum, &c. non quidem in manu formaliter; sed vt animatâ.

QVÆSTIO X.

De mediocritate VIRTVTVM.

133 ARISTOTELES sanè virtutibus moralibus mediocritatem adscribit, asseritque in definitione Virtutis, eam in medio stare inter extrema, 2. *Ethic. cap.6.* vt notat D. Bonauent. *locis relatis* initio *quæst.1.* & post eum Vasquez *disput.86. cap.8.* hoc verò de omnibus virtutibus intelligi potest, vt notat idem Vasquez *initio capitis*, & Valentia *disp.5. quæst.7. p.1.* Tannerus *disp.3. quæst.5. dub.1.* cum D. Bonau. *in 3. dist.36. quæst.1.* & *in Compendio Theologicæ veritatis, lib.4. cap.6.* & D. Thom. *quæst.64.*

Mediocritas, seu medium, in quo stat Virtus, est hoc, attingere obiectum suum ità conuenienter rectitudini suæ, vt neque illam excedat, neque ab illa deficiat.

ASSERENDVM, omnes virtutes in medio consistere. Ità S. Thom. & S. Bonauent. cum omnibus ferè Theologis *prima secunda*, *q.64.* & *in 3. dist.33.* & *37.* contra Fauentinum *in 4. dist. 14. disput. 1. num.70.* 134

PROBATVR primò à D. Bonau. primò, *loc. cit.* ex Aristot. 2. *Eth. cap.6.* quoad morales.

PROBATVR secundò Vniuersaliter à D. Bonau. *loc. cit. in Compendio* è Scriptura, quæ sæpè refricat, virtutis viam esse mediam inter vitiosa extrema. Deuteron.5. *Non declinabitis, neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Idem habet *Prouerb.4. Isa.30. Rom.12.* vbi dicitur: *Dico autem omnibus, qui sunt inter vos: non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, idest, nec plus, nec minùs, quàm oportet. Et ibidem ait: *Rationabile sit obsequium vestrum*, quibus authoritatibus nituntur allegati Doctores.

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *lib.2. Pharetra, cap.21.* è Sanctis Patribus. 135

PRIMÒ ex D. Isidoro *de summo bono*, *cap.36.* vbi cum dixisset, *cap.35.* Virtutes in media transire, cùm suum medium excedunt; infert, recedendum ab extremis, *quia non potest virtus cum vitio coharere; sic coniungi non potest Veritas cum mendacio, pudor cum petulantia, fides cum perfidia, Castitas cum Luxuria.*

SECVNDÒ ex D. Bernardo, *sermone 58. in Cant.* finem versus: *Medium vitiorum virtus tenet, ac proinde sedula eget, non solùm putatione, sed circumcisione.*

TERTIÒ affert testimonium Senecæ, epist.66. *Cùm virtus vtique medium, & modus sit, æque peccatum est, quod excedit, sicut quod deficit*, & subdit: *Virtus, nec ea, quæ bona sunt, nec ea quæ mala vocantur, aut cupit nimis, aut expauescit.* Hinc *lib.5. Compendij Theolog. cap.6.* medium virtutis ponit in agendis, modo debito; in habendis moderatione; in sustinendis moderatè. Primum exemplificat, illo *Rom.12.* Secundum, illo Prouerb.30. *Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi: sed tantùm necessaria.* Tertium, illo Deuter.5. *Non declinabis, &c.* 136

IDEÒ affert etiam Tullium *de Inuent. lib. 2.* definientem: *Virtus est animi habitus, natura, modo, rationi consentaneus.* Hæc est regula mediocritatis virtutum. Idem habent SS.DD. Gregor. Nyssenus *homil.8. in Cant.* Nazianzenus *oratione de seipso*, Ambrosius *lib.1. de offic. cap.46.* 137

E Philosophis Plutarchus *lib. de liberis educandis*, Aristoteles 2. *Ethic. cap.7.* quos refert Valentia, Tannerus, &c. Hanc mediocritatem ostendit S. Bonauent. *loc. cit.* in agendis, in habendis, & in sustinendis, seruari.

SCIENDVM verò, virtutes non eodem modo habere suum medium, licèt omnes quidem habeant. 138

Et sanè virtutes, quæ in passionibus edomandis versantur, ità in medio consistunt, vt declinent ab extremis vitiorum sibi insidiantibus. Sic Fortitudo declinat à Timiditate, & Temeritate. Mansuetudo ab Iracundia, & Vecordia, &c. vt latè discurrit Arist. 2. *Eth. c.7.* & consentit D. Bonau. *locis adductis*, & *lib.5. Compendij*, per multa capita, præcipuè *c.35.* vbi de Temperantia, multa præclara affert etiam testimonia Patrum, præsertim D. Bernardi *lib.3. de consider. c.20.* vbi ait: *Tene medium, si non vis perdere modum.* Hoc medium multis Scripturis expressum refert.

Non

139 Non adeò tamen stant in medio, quin magis ad alterum declinent extremum: Sic fortitudo magis ad Audaciam declinat, quàm ad Timiditatem; Liberalitas ad Prodigalitatem magis, quàm ad Auaritiam.

Virtutes verò, quæ ad alterum sunt, vt Iustitia, habent medium, sed diuerso modo à supradictis: nam, licèt ex vna parte habeant vitium, puta Iniustitiam, dando minùs, quàm debet; tamen non statim in altero extremo inuenit vitium, dando plus, quàm debet, licèt postea per accidens ex prodigalitate, vel ex neglectu dandi iis, quibus debet, peccetur, dando aliis supra id, quod debetur, vt indicat S. Bonau *3. part. Centil. sect. 44. in calce*, & cum eo Theologi.

140 Occurrit verò specialis de his virtutibus difficultas: quo pacto suam habeant mediocritatem. Videtur enim Aristoteles *2. Ethic. cap. 6.* in hoc distinguere has virtutes, quæ sunt ad alterum ab iis, quæ versantur in passionibus moderandis; quod hæ habeant medium rationis, quippè non ex re sola mensurantur: Temperantia enim non habet idem medium, seu eandem mediocritatem ciborum, respectu omnium; alia enim est mediocritas, cui tenentur sani; alia, cui tenentur ægri: & quantitas, ac qualitas cibi, quæ est vni, puta sano, vel robusto, mediocritas; erit imbelli, & ægro intemperantia: Quare debet mediocritas in his ad iudicium Prudentiæ assignari, quæ ratione regitur; ideò dicuntur hæ virtutes habere medium rationis, vt ait Aristoteles *2. Ethic. cap. 9* at
141 Iustitia habet suam mediocritatem in æqualitate, aut rei, ad rem, secundùm proportionem Arithmeticam; vt dentur quatuor pro quatuor, & deficientibus duobus, non reducitur æqualitas, dando vnum; vel proportione Geometrica seruata, atque ità, qui duplo in meritis alium præcellit, non habet medium Iustitiæ debitum, si tantumdem, & nil plus altero, recipiat de bonis communitatis.

Propterea sustinent plurimi hanc differentiam, dicentes, Iustitiam habere medium tantùm rei: alias verò Virtutes medium rationis. Ità sentit D.Thom. *quæst. 64. art. 2.* quem secuti sunt non solùm Thomistæ, sed plurimi Recentiores apud Tannerum *disp. 3. quæst. 5. dub. 1.* & videtur supponere Vasquez *disp. 86. cap. 8.*

E regione Scotus *in 3. dist. 34. quæst. 1.* & *in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 2.* & Scotistæ passim dicunt, etiam medium Iustitiæ esse rationis. Sic Mayro *3. dist. 37. quæst. 2.* Aretinus *disp. 33. quæst. 2.* Vulpes *disp. 119. art. 2.* Maior *3. dist. 36. quæst. vltima*, Buridanus *lib. 5. Ethic. quæst. 13.* Mastrius *tom. 3. disp. 7. quæst. 3. num. 52.*

142 Hæc mihi videtur Seraphici sententia *in Compendio Theologicæ veritatis, lib. 5. cap. 5. & 6.* vbi id etiam vt probatum supponit ex Aristotele *2. Eth. cap. 6* dum Virtutem definit: *Est habitus electiuus, in mediocritate consistens, quoad nos, definita à ratione, vt definierit ipse prudens.* Hæc autem definitio cuique virtuti est essentialis.

Respondet Vasquez, Aristotelem, per illa verba, significasse tantùm, medium in qualibet virtute morali per Prudentiam proponi; non verò determinari, vel taxari.

Contra enim est; quia hæc sunt verba Aristotelis, ibi: *Virtus est habitus electiuus in mediocritate, quantùm ad nos consistens, quæ quidem mediocritas ratione præfinita sit; atque ità vt prudens præfiniret.*

143 Probatur etiam ratione de vtraque Iustitia, Distributiua, & Commutatiua. Distributiua sanè consistit in medio rationis; nam debet distribui de bonis, honoribus, &c. communicatis, non æqualiter, sed proportione Geometrica inæqualiter, secundùm gradus meritorum cuiusque ciuis, cuiusque militis; hæc autem proportio meritorum ad præmia à ratione pendet. In Commutatiua, etiam in commerciis, pretia variantur, pro varietate temporum, locorum, personarum, multitudinis ementium, copiæ, vel inopiæ earum rerum; in quibus ratio debet præfinire; quantum, v.g. debeat in hoc tempore, in hac inopia vendi triticum, quantum in hoc loco, incommodo commerciis, aut commeatibus, &c. quæ omnia ostendunt, etiam commutatiuæ dari medium rationis, vt conuictus fatetur Auersa *quæst. 55. sect. 22.*

144 Confirmatur; quia sæpè res, naturâ suâ pretiosiores, minori pretio venduntur, quàm viliores; & hoc præfiniente ratione ob varias circumstantias. Hac doctrina soluitur difficultas suprà facta. Ad Aristotelem dico, Iustitiam seruare etiam mediocritatem rei, magis quàm alias virtutes; ideò sic de ea locutum. Hanc eandem doctrinam reor indicatam à D.Bonauent. *in 3. dist. 27. art. 2. quæst. 5. in corpore*, vbi ait, omnes virtutes Cardinales, & Politicas, habere medium inter superfluum, & diminutum, ex hoc ipso, quod habent obiectum creatum finitum, nempè, quia sexcentis mutationibus obnoxium habent obiectum; ideò è ratione, & prudentia habent, vt ab extremis etiam creatis, quæ varietatem patiuntur, per virtutem remoueantur.

145 Quoad virtutes Intellectuales: Aristot. *6. Eth. cap. 7.* eis etiam mediocritatem assignat, & id videtur supponere S.Doct. *loc. cit. Compendij*, quem sequuntur Scotus *3. dist. 36. quæstione vnica*, Mayro *dist. 37. quæst. 3.* Vulpes *disput. 19. art. 3.* Mastrius *loc. cit. num. 58.*

Ratio Scotistarum est, quia speculatiuæ virtutes intellectuales, scilicet *Intellectus*, *Sapientia*, *Scientia*, respiciunt suum obiectum indiuisibiliter ad regulas veritatis, ità vt neque aliquid attribuant rebus ampliùs, quàm habent, neque denegent de eo, quod habent; in vtroque enim sunt extrema, non tamen diuersæ rationis formalis; sed tantùm materialis, quia vtrinque est mendacium; & ibi, qui diceret, hominem habere tres manus, diceret mendacium; sicuti qui vnam tantùm ei assereret. Practicæ verò habent medium, respiciendo suum obiectum ad modum, quo fieri debet; ità vt Ars non faciat statuam hominis habentem quatuor pedes, &c. sed artefacta ad naturæ imitationem componat: Prudentia verò operibus moralibus præscribat medium, quo fieri debent. Hæc eruta sunt è D. Bonau. *locis allegatis, quæst. 5.*

146 Quoad virtutes Theologicas disertè de earum mediocritate disserit *in 3. dist. 27. loc. cit.* Asserit igitur, has seruare quidem mediocritatem, non ex parte obiecti sui formalis; sed ex parte actus, & exercitij illarum. Cum D.Bonauent stant Scotus, *dist. 26. citata, ad 2. principale*, & communiter Scotistæ, atque omnes ferè Recentiores Vasquez, Valentia, Tannerus, Montesinus, Salmaticenses, Lezana, Auersa, Ouiedo, Salas, Arriaga, & alij, nec aliter loquitur D. Thom. *quæst. 55. art. 4.* Quare immeritò Caietanus hanc sententiam carpit.

147 Quod ex parte obiecti nequeant hæ virtutes habere medium, probatur à Scoto, ratione D. Bonauent. *loc. cit. in corpore*, quia Deus est obiectum infini

infinitum; ac proinde summo amore dignus. Ità nunquam peccabitur, intensissimè quantumlibet ames Deum; nunquam enim plus amabis, quàm amari debeat. Vnde D. Bernardus *lib. de diligendo Deo*, initio ait: *Modus diligendi Deum, est sine modo diligere.* His conceptibus respersa sunt omnia Seraphici opuscula. Est enim Deus summè bonus; vnde non potest excessiuè amari. Est infinitè verus; vnde non peccabis credendo in Deum, quantumvis intensè. Sic est omnipotens, & potest omnem arduitatem in beatitudinis consecutione pro nobis superare; ideò non excessiuè sperabis in illum.

148 Deinde probatur de singulis: Et primò quidem de Virtute fidei. Potest enim credi plusquam debet, vt credebat Caluinus, animam Christi doloribus, & pœnis inferni excruciatam; vel minùs, sicuti credebat, eum non esse passum pro omnibus. Similiter & leuitate in credendo; aut peruicacia in non credendo, peccari potest.

CONTRA spem peccatur per excessum, præsumptione salutis absque meritis; & desperatione, per diminutionem spei.

149 CHARITATI Dei formaliter opponitur, non diligere Deum omnibus circumstantiis, vt ait S. Doct. puta, quando debet, & hic est defectus: vel excessu, si, vt intendamus in Deum, grauiter lædamus cerebrum, vel eligamus medium occidendi nosmetipsos. Hoc tamen non erit vitiare actum amoris Dei, qui habet rationem finis, & hic supernaturalis; sed tantùm conatus illos. Sic enim & sapientia vitiatur fine curiositatis in perscrutando, vt ait S. Doct. sed tunc non erit actus habitus supernaturalis; sed extrinsecæ cupiditatis: actus enim supernaturales vitiari nequeunt, vt asserunt Vasquez *disput.* 68. Ouied. *tract.* 3. *controu.* 3. *p.* 1. Auersa *loc. cit.* Caspensis, & alij allegati *quæst.* 2. Vide Tannerum *disp.* 3. *quæst* 5. *dub.* 1. *num.* 7. Valentiam *disp.* 5. *quæst.* 7. *p.* 1. *in calce.*

RATIO est, quia omnis actus supernaturalis fit è speciali Dei auxilio, nobis sanguine Christi comparato; Christus autem non emit nobis actus malos, alioqui esset author peccati.

Neque dicas, Deum exhibere auxilium ad materiale peccati, puta occisionis.

150 RESPONDETVR, disparem esse rationem; nam, vt author naturæ, mouet auxilio, seu concausa generali; at verò, vt author gratiæ, speciali antecedenti voluntatis conatu, quo vult omnium salutem.

Itaque si quis eliceret actum alioqui virtutis, à mala circumstantia infectum, dic eum fore actum, non virtutis supernaturalis; sed naturalem.

151 SPECIALITER verò perfectum actum charitatis implicat esse malum, quia dicit voluntatem placendi Deo in omnibus, nec eum lædendi, vel etiam venialiter; huic autem efficaci voluntati implicat includere aliquam circumstantiam, qua nolit Deo placere, vt rectè vidit Auersa *quæst.* 55. *sect.* 12. si tamen sit actus imperfectus, non implicat habere malam circumstantiam non placendi Deo in re leui.

QVÆSTIO XI.

De connexione VIRTVTVM.

D. Bonauent. in 3. dist. 36. q. 1. & 3.
D. Thomas q. 65. art. 1.

VIRTVTES sanè in subiecto aliquo vniri, satis dictum est suprà Quæstio vero est: An per se omnes adeò sint connexæ, vt vna nequeat esse sine reliquis. Suppono autem duplicis generis esse virtutes: aliæ enim sunt, quæ omnibus conuenire possunt, vt Temperantia, & reliquæ Cardinales; aliæ sunt propriæ alicuius status, vt paupertas religiosa, Magnificentia, quæ Principum est, &c.

Præmittam ea, quæ faciliora sunt, quæque S. Doct. *quæst.* 1. expedit.

QVOAD virtutes intellectiuas certum est, non esse connexas, hoc excipe, quod habitus principiorum est fundamentum reliquarum, ità vt sine illo, nulla queat consistere, vt monet Valentia *disp.* 5. *quæst.* 7. *p.* 2. Tanner. *disp.* 3. *quæst.* 5. *dub.* 2. cum D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 39. *quæst.* 2. 152

QVOAD virtutes morales, comparatas cum charitate. Dico primò, infusas non esse absque Charitate; nam ad hoc necessaria est prudentia infusa, quæ de mediis ad finem, vsque vltimum supernaturalem, iudicet; hæc autem absque charitate non est; quia necesse est, vt talis iudicans sit benè affectus erga finem vltimum. Ità Tanner. *loc. cit.* & indicat D. Bonau. 3. *dist.* 33. *quæst.* 5. & *lib.* 2. *de profectu religiosi, cap.* 24. vbi ostendit, Prudentiam à Charitate imperari, & perfici ad finem supernaturalem.

DICO secundò, virtutes morales acquisitas, absque charitate esse posse. 153

PROBATVR à Tannero *loc. cit.* Vasquez *num.* 3. Valentia *loc. cit.* ex D. Bonau. 3. *dist.* 33. *quæst.* 5. *fund.* 3. & 4. nam experimento viderunt sæcula, homines infideles habuisse has virtutes, cuius signum erant actus perfectissimi harum virtutum, ab eis exerciti.

HINC deduco, fuisse veras virtutes. Ità S. Doct. *hic*, & passim *in sermonibus*, quem sequuntur Scotus 3. *dist.* 36. *quæst. vnica*, Faber *quæst. vnica, art.* 2. Caiet. & Medina 1. 2. *quæst.* 65. *art.* 2. cum D. Thom. Gregor. de Valentia *quæst.* 7 *p.* 2. Vasquez *disp.* 88. *c.* 1. Quod si aliquando S. Patres, è quibus Hieronym. *ad Galat.* 5. August. *lib.* 1. *retract. cap.* 3. & *lib.* 4. *cont. Iulianum, cap.* 3. & *lib.* 5. *de ciuit. cap.* 12. & *lib.* 19. *c.* 25. & Glossa ordinaria *in cap.* 14 *Rom.* videntur dicere, non fuisse virtutes eorum infidelium veras virtutes; scias, eos locutos esse vt Theologos Christianos, qui flocci faciunt omnia, nisi adsit charitas. Sicut Apostolus 1. *Cor.* 13. ait: *Si tradidero corpus meum ità vt ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest: & si habuero omnem fidem, &c. Charitatem autem non habuero, nihil sum.* Certum est autem, fidem sine charitate, esse veram fidem, licèt non sit perfecta; eò quòd non ducit ad finem supernaturalem, vt docet D. Bonau. *in* 3. *dist.* 23. *art.* 2. *q.* 1. & post eum suprà allegati Doctores, qui tamen rationibus id non probant. Addit Vasquez, D. August. solùm velle, eas non fuisse virtutes, quoad actus; quia ob fines inanis gloriæ erant eliciti, &c. 154

PROBATVR à D. Bonau. ibi primò ex D. August. *lib. de vera Innocentia*, vbi ait: *Cùm cæteræ virtutes possint bonis, & malis esse communes, sola dilectio est propria, & specialis virtus piorum, atque Sanctorum.* Idem habet *lib. de Spiritu, & litt. c.* 2. & 28. & *in epist. ad Marcellinum*, & alias, vt notat Tannerus *num.* 9. & Valentia *loco citato.* 155

PROBA

Probatvr secundò è D. Bonauent. *ibi*, & *in* 3. *dist.* 33. *quæstione* 5. *loc. cit.* Quandocumque aliqua potentia cernitur facilè elicere actus virtutum, censetur habere habitus; sed homines, etiam peccatores, visi sunt elicere actus virtutum facilè, puta Temperantiæ, Iustitiæ, Fortitudinis: Ergo. Hoc est argumentum irrefragabile, quod etiam *in corpore* refricat. Sic enim Iulius Cæsar, à Tullio pro Marcello; sic Alexander à Quinto Curtio, & alij à Plutarcho laudantur ob virtutes heroïcas.

156 Dico tertiò, Charitatem posse esse absque virtutibus moralibus acquisitis; nam hæ sæpè desunt eo adulto, impiissimo, qui baptizatur; sicuti & in infante non sunt. Non tamen potest esse absque infusis; non enim infunduntur, vt dixi ex Concilio Viennensi *in Clement. De summa Trinitate*, &c. *disp.* 1. *quæst.* 4.

Dico quartò. Fides, & Spes possunt esse absque Charitate. Id de fide est, & probatur à S. Bonau. *loc. cit. in* 3. *dist.* 23. licèt non habeant sine charitate perfectionem completam, prout à Theologo virtus consideratur.

157 Prior pars probatur à D. Bonauent. quia peccator fidelis adhuc esse potest, & credit articulos omnes; & communicat, vt membrum Ecclesiæ. De quo *secunda secundæ, tractatu de fide*, & definitur à Concilio Tridentino *sess.* 6. *cap.* 5. & *can.* 28. Idem de Spe dicendum.

Posterior pars probatur à D. Bonau. *loc. cit.* ratione, qua nititur Tannerus *num.* 10. Perfectio virtutis est, vt prosit homini ad finem supernaturalem beatitudinis. Sed fides, & spes informes, seu absque charitate, non prosunt ad hunc finem, vt ad eum perducant; vt ait Apostolus 1. *Cor.* 13. Ergo.

158 Dico quintò, Charitatem non posse esse sine Fide, & Spe. De fide patet: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Probatur à D. Bonauent. *in* 3. *distinct.* 26. *art.* 2. *quæst.* 3. Charitas est amicitia cum Deo; non potest autem aliquis amare amore amicitiæ aliquod bonum, quod non credat esse bonum, & in quo non confidat, nec speret cum eo vnionem; neque amore concupiscentiæ diligere bonum, quod nec nouit, nec sperat sibi aliquando obuenturum. Hoc argumento nititur etiam D. Thom. *quæst.* 65. & ferè omnes Thomistæ, ac Tannerus *loco citato, num.* 11.

159 Controversia autem præcipua est de virtutibus moralibus inter se comparatis: An adeò sint inuicem connexæ, vt vna sine reliquis esse non possit; de quo S. Bonau. *quæst.* 3.

Prima sententia est, Virtutes morales acquisitas, nullo modo, vel statu, esse connexas inter se, sed singulas in quouis statu esse connexas cum Prudentia. Ità Scotus *in* 3. *distinct.* 36. *quæst. vnica*, §. *Quantum ad primum, & tribus sequentibus.* Gabriel *quæst. vnica, artic.* 2. *in prima parte, conclusione prima, secunda, & tertia.* Ocham *in* 3. *quæst.* 12. præcipuè *art.* 3. *principali*; & *quodl.* 4. *quæst.* 6. Almainus *tract.* 3. *Moral. cap.* 8. & 9. & omnes Scotistæ apud Mastrium *disput.* 7. *quæst.* 5. *tertij sententiarum.*

160 Secvnda sententia est, Virtutes morales ità absolutè semper inter se connexas, vt qui vnâ caruerit, cæteris etiam iaceat expoliatus. Hanc dicit Vasquez, *disput.* 88. *cap.* 2. fuisse communem Stoicorum, Magistri, D. Thomæ, & Thomistarum, Alensis, &c. post Aristotelem, quod tamen falsum est; Nam omnes sunt cum D. Bonauent. in tertia sententia; vt refert Tannerus *num.* 12.

Tertia igitur sententia est, Virtutes morales, quoad statum vndique perfectum, & suis numeris absolutum, necessariò inter se esse connexas. Ità docuere Stoïci apud Ciceronem 2. *quæst. Tuscul.* & *lib.* 1. *offic.* & *lib.* 1. *de Oratore.* Idem est videre apud Senecam, Plutarchum, Macrobium, & cæteros Philosophos Platonicos. Eandem è Scholasticis secuti sunt Magister *in* 3. *distinct.* 36. *cap.* 1. & 2. Alensis *quarta parte, quæstione* 65. *memb.* 3. *art.* 3. *ad* 3. D. Thom. *hic, quæst.* 65. *artic.* 1. vbi Caietanus, Conradus, Medina, & cæteri Thomistæ. Consentiunt Valentia *quæstione* 7. *p.* 2. Granado, Morisana, Lezana, Suarez apud Mastrium, Tannerus *disput.* 3. *quæst.* 5. *dub.* 3. *num.* 12. post Aristotelem 6. *Ethic. cap.* 13. Hæc est germana sententia D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 36. *quæst.* 3. & *de profectu religiosi, lib.* 2. *cap.* 24. At *in Compend. Theol. lib.* 4. *cap.* 8. includit etiam Gratuitas, seu infusas, vt qui vnam habeat in statu perfecto, (vt ibi innuit) habeat & alias. 161

Vasqvez *disput.* 88. *cap.* 4. Primò dicit, si sermo sit de connexione virtutum essentialiter, vnam virtutem non esse connexam aliis, quia vna virtus non habet essentiam suam in ordine ad aliam virtutem; sed solùm in ordine ad obiectum per Prudentiam propositum. 162

Deinde ait, omnes connecti in vna prudentia, quæ est etiam connexio essentialis. Postremò, si sermo sit de connexione virtutum, ratione propriæ cuiusque materiæ, tria ait probabiliora videri.

Primvm est, omnes virtutes connexas esse participatione, vt docet D. Hieronymus *lib.* 1. *contra Pelagianos*, paulò post initium. Per participationem autem intelligit similitudinem quandam virtutis, secundùm generales quasdam rationes. Etenim in quolibet actu cuiuslibet virtutis tria sunt, quæ assimilantur actibus trium virtutum, ita vt hac ratione videatur vnus actus participare actûs trium virtutum, sub quibus reliquæ continentur. Nam in quouis actu est firmitas animi in operando, in qua assimilatur fortitudini: Est enim rectitudo operationis, & æqualitas cum regula, in qua assimilatur Iustitiæ: Est denique moderatio, in qua similatur Temperantiæ. Hanc verò connexionem, vnico illo verbo *participationis*, expressit Hieronymus *loc. cit.* & S. Thomas *hic*, prædicto modo, id ingenuè concedit. Hoc idem volunt Ocham, & Gabriel *locis suprà*, dum aiunt, virtutes omnes esse sibi inuicem connexas in quibusdam principiis communibus; nam omnes operantur eodem modo ob honestatem virtutis cum medioctitate, &c. ac proinde vna disponit ad aliam, vt refert Vasquez *num.* 11. Hoc est, quod dixit S. Bonauent. & argumento vltimo, primo loco. Virtutes esse connexas quoad appropriata, quia aliquæ proprietates, quæ sunt communes, appropriantur alicui, vt firmitas, in operando circa ardua, Fortitudini; seruare regulam æqualitatis, & tendere in finem, quod Iustitiæ adscribitur; Moderatio, seu Mediocritas, quæ Temperantiæ; ac discernere, quod Prudentiæ attribuitur; cum tamen ad quamlibet virtutem requirantur. 163 164

Secvndò dicit, non omnes virtutes proprietate connecti, ratione materiæ occurrentis, siue in statu heroïco cuiusque, siue in statu perfecto virtutis. Hinc patet, cum malè à Tannero adduci pro D. Bonauentura. 165

Tertio dicit, multo perfectiori modo esse quamlibet virtutem, cæteris paribus, cum omnibus virtutibus, quàm vnam solam, aut cum aliquibus tantùm. Hæc est sententia Senatoris; Quis enim hoc non videt?

166 Assero igitur primò, simpliciter in statu omni, non esse connexionem virtutum, vt qui vnam habet, & reliquas possideat.

Probatur à Diuo Bonauent. primò ex Diuo Augustino *in epistola* 29. quæ est ad Diuum Hieronymum, vbi ait: *Si autem quod puto esse verius, & sacris litteris congruentius, ità sunt animæ intentiones, vt corporis membra: non quod videantur locis, sed quod sentiantur affectibus, & aliud illuminatur ampliùs, & aliud minùs, aliud om-*
167 *ninò caret luce, & tenebroso vmbratur obstaculo, profectò, ità vt quisque illustratione piæ charitatis affectus est, in alio actu magis, in alio minùs; in alio nihil: sic potest dici, habere aliam, & aliam non habere; aliam magis, aliam minùs habere virtutem,* (& paucis interpositis.) *Et in ipso vno homine, quòd maiorem habeat prudentiam, quàm patientiam, & maiorem hodie, quàm heri, si proficit: & adhuc non habeat continentiam, & habeat non paruam misericordiam.*

168 His verbis luce clariùs ostendit, virtutes non esse connexas vbique. Hic verò quæstionem è proposito discutit S. Aug. & ideò magis hìc audiendus, quàm aliis locis, vbi oppositum dicere videtur. Et licèt adducatur pro opposita sententia hic; tamen non asserit ex proprio sensu, id esse verum, neque esse suam sententiam, sed fuisse solùm opinionem aliquorum hominum, sanè doctorum; vt notat D. Bonauent. *fundamento primo.* Enim verò oppositum patet esse verius, & Scripturæ congruentius.

169 Probatur secundò à D. Bonauent. argumento, quod sumpsit Vasquez *numero* 21. & Mastrius *numero* 600. illud ampliando ad omnem statum, etiam heroicum Sanctorum, in quo decepti tamen sunt. Habitus virtutum politicarum, & similium sunt ex actibus; sed actus non sunt connexi: Ergo neque habitus. Minor probatur. Nam non omnibus occurrit materia exercendæ omnis virtutis; sed multi aliquibus virtutibus exercentur, neque vnicum habent actum, puta puer Cœnobio sacer, posteà religionem ingressus, nunquam exercuit actus magnificentiæ, quæ est in magnis sumptibus: Similiter nec fortitudinis, in inuadendis periculis mortis.

170 Hæc tamen ratio malè extenditur à Vasquez ad omnem statum personarum: nam perfecti, esto etiam religiosi, sæpè cogitant de omnibus virtutibus, in quibus potuissent Deo seruire, appetuntque actibus fortitudinis mortem aggredi ad martyrium; eliciunt actus liberalitatis, magnificentiæ, cogitando, ac proponendo desideria seruiendi in his; vel saltem si essent in statu capaci; neque has cogitationes conantur auertere tanquam inutiles, vt putat Vasquez *num.* 12. sed eas mente reuoluunt, vt patet è Paradiso interiori P. Ternensis nostri, & aliis.

171 Probatur tertiò, à D. Bonauent. ratione, quam desumit Vasquez *numero* 23. & solùm id, quod intendimus probat. Sicuti se habent habitus scientiarum, & artium in connexione, ità etiam & virtutum: Sed habitus scientiarum, & artium non ità sunt connexi, vt qui vnam scientiam, aut artem possideat, habeat omnes: Ergo. Maior probatur, & explicatur: Sicuti scientiæ simul ordinantur ad faciendum hominem Sapientem; ità & virtutes hominem iustum, & hoc fit actuum exercitatione. Imò in actibus, & scientiis acquirendis videtur aliqua maior connexio, cùm aliquæ aliis subalternentur, & subiectum subalternantis respiciant, addita circumstantia. Sic Musica nume- 172
ros Arithmeticæ respicit, addito sonoro: Sic Perspectiua respicit figuras Geometriæ, addito prospectu; At morales virtutes sunt obiectis omninò diuersæ, neque vna respicit obiectum alterius, nec vnius obiectum est circumstantia alterius; alioqui, vt benè deducit Vasquez, ille, qui se in vna exercet, simul eiusdem virtutis actibus acquireret etiam aliquid aliarum. Cùm igitur vnum obiectum non sit circumstantia obiecti alterius, poterit quis elicere actus circa vnum, nullo respectu habito aliorum, neque de illis curare (nisi esset Virtus ad salutem necessaria, quod non de omnibus verum est) puta posset esse continens, nec de magnificentia exercenda cogitare.

Probatur quartò à D. Bonau. ratione, sum- 173
pta ex D. Augustino *loco suprà adducto*, ex euidenti ducta experimento: videmus enim aliquos, aliqua virtute præditos, aliis carere. Sic aliqui prudentia pollentes, non sunt liberales, aut patientes, aut continentes. Similiter aliqui iustitiam ad proximum facilè seruant, nec tamen in se sunt temperantes. Ratio est, quia cùm vnaquæque virtus habeat propriam honestatem, & proprium obiectum, circa quæ operetur, potest operari circa vnum, aliis seclusis, vt probat S. Bonauent. *loco citato*, & post eum Vasquez *loco citato*, & Tannerus *numero* 14.

Infert Tannerus, posse haberi virtutem ali- 174
quam etiam intensissimam absque multis aliis; eò quòd solùm circa huius obiectum sedulò, ac semper laborarit; attamen moraliter ità rem se habere, vt heroï, in aliqua virtute præclaro, occurrerint difficultates aliarum virtutum superandæ; ac proinde in eis se exercuerit. Hoc tamen infrà discutiam.

Probatur quintò à D. Bonauent. *in corpore, & ad secundum*, ratione, qua nititur Scotus, eaque probat, virtutes secundùm essentiam non esse connexas; & ità vnam posse absque cæteris esse: Ratio autem est, quia singulæ virtutes non sunt tota hominis perfectio, sed pars quædam, alioqui vna solùm virtute constaret tota hominis perfectio; idem autem subiectum potest actuari secundum vnam partem perfectionis, etsi secundum aliam maneat imperfectum. Ità potest homo perfectus esse visu, & non auditu: Ergo potest homo perfectus esse vna virtute, & non alia. Deducit verò Scotus: Ac proinde nec in vno statu, etiam perfecto, connexæ erunt virtutes inter se.

Probatur sextò à Scoto, ratione elicita è 175
D. Bonauent. *argumento tertio*. Sicuti se habent scientiæ in acquisitione; ità & virtutes: Sed scientiæ non sunt connexæ: Ergo. Minor probatur; nam si scientiæ ità essent connexæ, vt acquirens vnam, cæteras acquireret; sequeretur, omnes simul acquiri, & vnam esse priorem, & posteriorem aliâ: Sed hoc est absonum, vna enim est alia prior, & quæ est prior, non est posterior: Ergo. Probatur sequela, quia vna virtus esset causa alterius, & è contra, ità, vt acquisitio Physicæ, esset acquisitio Theologiæ, & è contra; & ità vna esset 176
causa, & effectus; Ergo & prior, & posterior. Hinc etiam sequeretur, aliquam esse scientiam, antequam sit scientia, quod implicat. Probatur sequela. Si enim Physica non potest esse scientia, nisi

nisi sit comitans Theologia: ergo Theologia prius est scientia, quàm Physica; cumque Physica non possit esse scientia absque Theologia; sequitur, Theologiam esse scientiam prius, quàm sit scientia. Idem igitur de virtutibus sequeretur, vt Temperantia esset virtus, antequam esset virtus, ob eandem rationem.

177 Assero secundò, virtutes in statu perfecto esse connexas.

Quia tamen Vasquez conqueritur, non explicari quinam sit iste status perfectus; Scias è D. Bonauent. *lib. 2. de profectu religiosi, cap. 24.* Triplicem esse statum studiosorum virtutis, ternæ Hierarchiæ adaptatum. Primus est incipientium, qui in expurgandis, & expugnandis passionibus enititur; & dicitur Continentiæ, in quo adhuc magna est pugna. Secundus est proficientium, in quibus sunt passiones moderatæ; & dicitur Temperantiæ. Tertius est heroïcus in perfectis, in quo sunt passiones, quasi sopitæ, quod idem Vasquez notat *numero* 26. & Tannerus *numero* 15. Rursus hic tertius status heroïcus, vel dicit heroïcam perfectionem simpliciter, & hic exigit omnes virtutes; vel eam habet secundùm quid, & hic potest habere aliquam virtutem excellentem, aliam non habens, quia essentiæ earum non sunt connexæ, vt dixi; & ità vna essentialiter virtus est sine alia; attamen illa virtus circa proprium obiectum aliqua carebit perfectione, nisi alias habeat: debet enim, vt sit perfectissima, ob nullius generis difficultatem, siue in materia propria, siue extranea deficere ab officio recto; Sed immutabiliter in

178 eo contineri, ità scilicet, vt Temperantia, *verbi gratia*, non solum deuicta difficultate, quæ oritur ex Concupiscentia (contra quam directè pugnat) sed etiam compresso, ac neglecto timore, quem fortitudo cohibet, exequatur officium suum in suo obiecto delectabili comprimendo, vt ob metum mortis non consentiat turpitudini; hæc enim sic lapsa censetur peccare non modò contra Fortitudinem; sed etiam contra Temperantiam, quasi munus etiam Temperantiæ sit quoque abstinere in

179 eo casu à turpi delectatione. Similiter, si aliciatur spe pecuniarum, dignitatum, honorum, vt labatur, tenetur hæc omnia spernere; quæ tamen ad alias virtutes directè pertinent. Quod si alternatiua exhibeatur, vel adorare Idolum, vel ad Lupanar trahi, ac violari; debet vtrumque moderari, vt neque verecundia Idolo thus adhibeat; qui est actus religionis, nec præferat corruptionem violentam Diuino honori. Similiter, si à parentibus pelliciatur, debet intra limites pietatis consistere infracta: Sic etiam si alliciatur à maioribus, quibus obseruantia debetur; sic etiam habere debet propositum non violandi thorum, contra Iustitiam, aut votum castitatis, contra Religionem: in his enim omnibus, aliisque delinquens, etiam contra Temperantiam peccat. Idem discurrendo de reliquis.

180 Probatur ergo à D. Bonauent è Seneca: *Omne quod benè fit, fit iustè, fortiter, prudenter, & temperatè.*

Secundò è sanctis Patribus, è quibus refert, *quæstione prima*, D. Hieronymum ad illud Isaiæ 16. *Venter meus ad Moab, quasi cithara sonabit, Philosophorum sententia est, hærere sibi virtutes.* Quæstione verò tertia, affert locum D. Hieronymi *epistola ad Pammachium*, vbi ait: *Quatuor virtutes describunt Stoici, ità esse sibi connexas, & mutuò cohærentes; vt qui vnam non habuerit, omnibus careat; & qui vnam habuerit, omnes habeat.* Idem habet *epistola ad Fabiolam.*

Affert deinde D. Augustinum *lib. de quantitate animæ, cap. 16.* vbi definiens virtutem, ait: *Virtus est æqualitas vitæ, vndique, rationi consentientis*; & lib. 6. de Trinitate, cap. 4. ait: *Virtutes, quæ sunt in animo humano, nullo modo separantur ab inuicem.* 181

Affert etiam D. Bernardum *libro primo, de Consideratione, cap. 6.* vbi ait: *Aduertere etiam est suauissimum quendam conceptum, complexumque virtutis, atque alteram pendère ex altera, sicut vides Fortitudinis matrem esse prudentiam.* His authoritatibus nituntur Moderni, tertiæ sententiæ Sectatores.

Et quidem quoad D. Hieronymum, Fatetur ingenuè D. Bonauent. *ad 1.* quem sequitur Vasquez *numero* 17. eum locutum è sententia Stoicorum, qui tantùm statui perfecto solius sapientis, in quo solo virtutem ponebant perfectam, id attribui asserit; sic alios etiam Patres exponit, ne primæ assertioni repugnent. 182

Probatur deinde à D. Bonauent. *argumento vltimo.* Cuiuslibet virtutis est discernere quid eligendum, tenere medium, tendere rectè in finem, & negotiari circa difficile. Sed primum est Prudentiæ, secundùm Temperantiæ, Tertium Iustitiæ, Quartum Fortitudinis: Ergo ad quemlibet actum studiosum concurrunt necessariò istæ virtutes.

Multi argumentantur, quia prudentia non potest esse sine omnibus virtutibus; nisi enim quis sit benè affectus circa fines virtutum, prudens esse non potest; nulla etiam virtus esse potest sine prudentia: Ergo in vna prudentia omnes concluduntur virtutes. Sed de hoc *in calce.* 183

Respondent tamen aduersarij, prudentiam esse necessariam omnibus virtutibus; attamen non esse necessariam, vt extendatur bono affectu ad omnes virtutes, ad hoc, vt hanc, vel illam dirigat; satis enim est, esse benè affectum ad finem illius virtutis, quam dirigit. Itaque erit prudentia, etiam si non extendatur ad omnes.

Paulò validiùs Tannerus *numero* 13. sic arguit: Prudentia non potest in aliqua materia, constanter præscribere quod rectum est, & omnes euincere difficultates, quæ vndecumque ex qualibet virtute oriri possunt, nisi associata cæteris virtutibus moralibus, quibus appetitus afficiatur circa cuiusque virtutis finem, à quo, velut principium, recta mediorum ordinatio pendet, *verbi gratia*, prudentia debet dirigere Temperantiam in omnibus difficultatibus, etiam indirectis, vt suprà dictum est; vt autem dirigat, debet erga omnes illas virtutes esse benè affecta, quæ possunt esse necessariæ ad superandas difficultates, puta Temperantiæ: hæ sunt autem omnes, vt inductione suprà ostendi. 184

Respondet Vasquez *numero* 30. ad veram essentiam castitatis non esse necessarium, vt habeat etiam omnes alias virtutes adnexas. Itaque potest esse castitas sine Fortitudine; quia potest ex se vincere etiam alias difficultates, puta auaritiæ ex promissis pecuniis, vel timoris incussi, mortis, &c. Vel potest vincere ex alio motiuo, puta è timore Inferni, & ità non operabitur è Fortitudine, vel Liberalitate, cùm è motiuo honestatis earum non operetur. Adde, cuicumque virtuti, etiam perfectissimæ, posse occurrere tentationem, quæ difficilem reddat actum illius virtutis, dum sumus in 185

hac

hac vita, quæ est militia; neque tamen sequitur, eam non esse virtutem veram.

186 Enim verò, cùm habitus eas tantùm difficultates sit aptus superare, quæ actibus, quibus acquisitus est, euinci possunt, non rectè adscribitur vui; quod est alteri proprium; veluti euincere timores mortis, quod est Fortitudinis, &c. vt docet, & refricat S. Bonauent. *hic.* Nam quantumuis excellens sit virtus Temperantiæ, vel alia, non egreditur limites sui proprij obiecti, ne virtutes confundantur. Quòd verò subdit Vasquez de aliis motiuis, si quid probat, probabit etiam, Virtutem Temperantiæ non esse necessariam ad superandas cupiditates oppositas; quia possunt vinci ex motiuo timoris Inferni, sicut vincebat D. Antonius, vt refert D. Athanasius; actus enim, qui non sunt ex motiuo honestatis illius virtutis, non est actus illius virtutis, vt sæpè repetit Vasquez *hic,*

187 & *loco adducto quæst.* 3. Similiter quod possint occurrere difficultates circa eam virtutem, etiam quæ perfectè possidetur, & his euinci homo, hoc solùm probat, eam virtutem non esse perfectam, omnibusque numeris absolutam; quia de natura habitus acquisiti est, reddere facilem operationem: imò hoc est proprium vnicum munus eius, sicut infusi ad substantiam operationis concurrere, vt repetit ipse Vasquez. Prætereà non dico, necessarias esse alias virtutes ad retundendas omnes difficultates Temperantiæ; eò quòd ipsa sit remissa; sed quia extra eius obiectum egrediuntur; qualibet enim virtus non habilitat extra suum obie-

188 ctum. Quod si oppositio Vasquez inferat, frustra esse virtutem ipsam Temperantiæ ad actus Temperantiæ, quia hoc habitu potest adhuc impugnari, & expugnari: Fateor, necessariam esse Dei Gratiam, vt dicam *Tractatu de Gratia, disput. prima, quæst.* 9. attamen etiam habitus plurimum confert, nempè vnusquisque circa suum obiectum.

Tandem, si aliquid probat Vasquez, hoc est solùm, quod virtus, secundum suam essentiam virtutis, non pendet à cæteris, atque potest esse intensa sine illis, non tamen probat, eam sufficere ad omnes difficultates, etiam extensiuas euincendas, atque adeò omnibus numeris absolutissimam esse, quod solùm prætendit S. Bonauent, & id solùm probant argumenta Mastrij, & aliorum.

189 Hac distinctione satisfit etiam cuicumque argumento contrario, vt notat Seraphicus.

Hinc tandem habetur, etiam Prudentiam perfectam cum virtutibus moralibus perfectis esse connexam, sicuti & virtutes morales debent esse cum Prudentia connexæ. Quod docuit D. Bonauent. *parte secunda de Ecclesiastica Hierarchia,* & *in hac quæstione* cum D. Thom. *quæst.* 65. *art.* 1. quem sequuntur Caietanus, Medina, Suarez, Granado, Vasquez, Salas, Morisanus, Conimbricenses, Ouideo & alij contra Scotum 3. *dist.* 36. *quæst. vnica, art.* 2. quem sequuntur Rubion, Angelus, Passolis, Lichetus, Rada, Aretinus, Vulpes, Azorius, Arriaga, Auersa, & alij apud Mastrium *disput.* 7. *quæst.* 6.

190 Probatvr primò, à D. Bonauent. *in hac quæstione,* è D. Bernardo, *lib.* 1. *de Consideratione,* vbi ait: *Prudentiam esse matrem aliarum virtutum.* Ideò enim Aristoteles 3. *Eth. cap.* 1. ait: *Omnis malus ignorans.* Ex errore enim, & defectu prudentiæ omnia peccata proueniunt, vt indicat S. Doctor, *prima parte Centiloquij, sectione* 16. & è *sexto Eth. cap.* 5. argumentatur: Si voluntas malè eligit, intellectus malè dictauit, & sanè inordinatio appetitus rationem subuertit, & iudicium obcæcat prudentiæ perfectum: vnde 4. *Eth. cap.* 4. malitia dicitur corruptiua recti iudicij rationis; Perfectissimè 191 enim prudens, quodammodo habet voluntatem stabilem in bono, quamuis enim possit recto dictamini reclamare; tamen voluntas, perfectissimâ prudentiâ prædita, fælicissimè ad actus virtutum, tensis velis adnauigat; & sanè prudentia firma in intellectu non est, nisi voluntas per virtutes morales sit ei subordinata, vt fatetur Mastrius. Confirmatur; quia Prudentia dirigit media, quæ conferunt ad finem virtutum; inquisitio autem mediorum supponit intensionem finis: Ergo voluptas debet prius esse benè affecta ad honestatem virtutis, per virtutes morales. Sanè ergo Prudentia absque virtutibus moralibus esse non potest: Esto 192 verò ad Prudentiam spectet dirigere; ne dum media, & fines virtutum, vt ait Scotus *dist.* 36. §. *Licet istud,* Mastrius *numero* 135. Auersa *quæst.* 55. *sect.* 23. Arriaga *disp.* 34. *in fine*; tamen fines, qui propriè sunt vltimi, assumuntur à voluntate; parùm enim consultationis, vel nihil remanet.

Obiicies. Intellectus non determinat voluntatem; atque adeò, quouis recto dictamine præcedente, potest peccare, & à bono deficere: Ergo potest dari habitus prudentiæ in intellectu absque virtutibus moralibus in voluntate.

Respondetvr, hæc concludere de Prudentia imperfecta; at perfecta non est, si voluntas ei 193 aduersatur, vt notant Salas, *tract.* 11. *disp.* 6. *sect.* 2. & Morisanus *disp.* 5. *Eth. dubio* 4.

Hvic responsioni acquiescens Mastrius *numero* 126. innatâ suâ ingenuitate fatetur, totam inter nos esse de nomine disceptationem. Et hoc vult Ouiedo, *tract.* 3. *contron.* 3. *p.* 2. cùm argumento respondet, Metaphysicè posse dari perfectam Prudentiam sine aliis virtutibus; moraliter tamen non posse.

QVÆSTIO XII.

De Æqualitate Virtvtvm.

S. Bonau. in 3. d. 36. q. 5.
D. Thom. q. 66. art. 4.

Facile est afferre ea, quæ hanc quæstionem 194 soluant; ideò assertionibus satisfaciam.

Assero primò, Virtutes infusas esse perfectiores acquisitis.

Probatvr à Tannero *disput.* 3. *quæst.* 5. *dub.* 3. ex D. Bonauent. *dist.* 35. *quæst.* 5. *in* 3. Illæ virtutes, quæ habent præstantiorem honestatem pro obiecto formali, sunt præstantiores; Sed virtutes infusæ sunt huiusmodi; habent enim honestatem supernaturalem ad finem beatitudinis supernæ consequendum: Ergo.

Assero secundò, è virtutibus infusis nobiliores sunt Theologicæ, & ex his Charitas. Probatur 195 ex dictis, *quæst.* 8. nam Theologicæ respiciunt immediatè, tanquam obiectum, Deum, qui est vltimus finis; aliæ verò media creata, quæ sunt ad finem. Ità probatur à Tannero post D. Bonau. *loco citato,* & passim *in* 3. *à dist.* 23. & *tertia parte Centil. sect.* 36. vbi sic probat: Illæ virtutes sunt præstantiores, quæ immediatè feruntur in Deum, perficientes superiorem partem animæ: Sed tales sunt virtutes Theologicæ, è quibus Fides fertur in Deum, vt veracem; Spes, vt Liberalem; Charitas, vt

vt bonum, & ità prima perficit partem superiorem rationis, seu intellectus. Secunda Irascibilis. Tertia Concupiscibilis: Ergo.

Hinc etiam habetur maxima charitatis præcellentia, quia respicit Deum modo perfectissimo. Hoc idem probat S. Doct. *hic* ex Apostolo, prima Corinth.13. *Manet Fides, Spes, Charitas, tria hæc: maior autem horum est Charitas.* Sic probatur etiam à D.Thom. *loco citato.*

196 Hinc habetur inæqualitas essentialis virtutum contra Stoïcos apud Senecam *epistola* 72. Probatur à D.Bonauent. *argumento tertio.* Priuationes cognoscuntur per habitus, & è contra. Sed ex vitiis oppositis aliqua sunt maiora, vt est de fide; vt dicam: Ergo & inter virtutes.

Quoad morales acquisitas, non est facilè iudicare, vt ait etiam Tannerus *numero* 19. Ideò & S. Bonauent. quæstionem de solis gratuitis, seu infusis instituit. Tamen, sicuti nobilior est Voluntas, quàm Intellectus; ità nobiliores censeo virtutes Morales, quàm Intellectiuas.

197 Aristoteles 1. *Rhet. cap.* 9. ponit præclaram esse Iustitiam, & Fortitudinem, quippe quæ homines faciunt apud alios honorabiles; ait enim: *Propter hoc, fortes, & iustos maximè honorant; hæc quidem*, idest Fortitudo, *facit in bello*; *Iustitia verò in pace, & bello.*

Assero tertiò, dari inæqualitatem accidentalem inter virtutes, tum in intensione; tum in extensione. Ità etiam D. Thom. *quæst.66. art. primo, & secundo.* Patet, quia virtutes intendi possunt gradibus, & maiori firmitate in subiecto, vt dixi, *disp.* 1. *quæst.* 6. & possunt etiam extendi, vt dixi *quæst.*8. *eiusdem disputationis.*

198 Assero quartò, etiam in attingendo medio virtutis, esse inæqualitatem. Ità etiam D.Thom. *quæst.66. art.*1.

Patet, quia cùm medium virtutum moralium circa passiones non sit indiuisibile, consequenter habet latitudinem. Itaque melius attinget medium Temperantiæ in ieiunio vnus, quàm alius.

Idem etiam dicendum quoad alacritatem, & vehementiam, quam S.Bonauent.vocat feruorem, quo heroïcè operamur.

199 Assero quintò. Omnes virtutes, provt in vsu, aliquo modo ab inuicem pendent, atque adeò, vt in actibus suis vim eiusdem prudentiæ, gratiæ sanctificantis, & charitatis participant, sunt in eodem subiecto æquales, secundum quandam proportionem. Ità D. Thom. *art.*2. & D.Bonauent. *in corpore*, quos sequuntur Tannerus *numero* 23. Valentia *disp.*5. *quæst.*7. *p.* 3. circa finem. Quamuis enim, secundùm proprios gradus, vna esset aliis intensior, secundùm quod etiam magis se exercuerit; attamen quadam proportionis æqualitate participant regimen prudentiæ, & meritum gratiæ, ac pretium charitatis, atque sic crescunt; sicuti digiti manus, qui, licèt materialiter inæqualiter crescant, tamen secundùm suum esse formale, quod in ea organica proportione posita est, æquales sunt. Ità etiam D. Thom. *quæstione* 66. *articulo* 2.

200 Sic igitur etiã Prudentia sub vno regimine alias adæquat, esto singulis propria exhibeat dictamina varia. Sic & Gratia sanctificans eas auget in merito. Dat exemplum S.Bonauent. *ad quartum.* Sicut enim in communitate fraternitatis in aliquo negotio, licèt vnus magis negotietur, quàm alius, attamen lucrum est omnibus æquale, & bona acquisita æqualiter distribuuntur; ità & in casu nostro. Hanc verò æqualitatem S. Doctor vocat *essentialem*, & D. Thom. *formalem*: Inæqualitatem verò peculiarem secundùm gradus singularum virtutum vocat S.Bonauent. *accidentalem*, & S.Thom. *materialem*, quia considerant virtutes in vno, vt constituunt vnum iustum, tendentem ad supernum beatitudinis finem, regente gratiâ, & charitate, quæ simplex est; vel vnum hominem studiosum à regimine prudentiæ directum ad vnum esse moralis bonitatis, vt consideratur à D. Thoma.

QVÆSTIO XIII.

De Duratione Virtutum

D.Bonau. in 3.dist.33 per multas qq.& d.33.q.6.
D.Thom. q.67.art.1.

Qvia de singulis speciebus virtutum agendum *secunda secundæ*, quoad hoc, nunc breuiter expediam. 201

Assero primò: Virtutes morales permanebunt post hanc vitam; non tamen eosdem actus habebunt.

Probatvr à D. Bonauent. *dist.* 33. *loco citato in corpore*, & à D.Thom. ex D. Augustino 14. *de Trinitate*, *cap.*9. vbi ait: *Prudentia ibi erit sine vllo periculo erroris, Fortitudo sine molestia tolerandorum malorum, Temperantia sine repugnatione libidinum erunt in illa felicitate: vt Prudentiæ sit nullum bonum Deo præponere vel æquare, Fortitudinis ei firmissimè cohærere; Temperantiæ nullo defectu noxio delectari.* De Iustitia verò clariùs apparet, beatum esse subditum Deo: Sic horum actuum essentiæ in patria permanent.

Itaqve manebunt quoad essentiam; non verò quoad actus materialiter spectatos, in quantùm refrænant motus appetitûs, *verbi gratia*, Temperantia circa cibum & potum. Sic D. Thom. *hic*, & *lib.*4. *cont. Gent. cap.*83. Magister *in* 3. *dist.*33. Capreolus *ibi*, *quæst. vnica*, *conclusione* 4. Gabriel *ibi*, *dubio* 3. Medina, aliique Thomistæ *prima secundæ*, *quæst.* 67. *art.* 1. Valentia *quæst.* 7. *p.*4. Tannerus *disp.*3. *quæst.* 5. *dub.*4. *numero* 26. cum D. Bonauent, *hic*, licet contrarium docuerit Cicero *in Hortensio* apud Augustinum *lib.* 1. *de Ciuitate*, *cap.*9. qui & ipse, licèt Iustitiam afferat permansuram, vt habetur Sapientiæ primo, versu 15. *Iustitia enim perpetua est, & immortalis*, quo testimonio nititur D. Bonauent. *argumento primo*; reliquas tamen virtutes Cardinales asserit fortè permansuras. 202

Probatvr etiam *secundo argumento*, à D.Bonauent. quia fuerunt virtutes Cardinales in Christo, qui habuit charitatem comprehensoris. 203

Tertio ex Beda *in Exodum*, adductio à Magistro *dist.* 33. Columnæ, ante quas expansum est velum, sunt potestates cœli quatuor eximiis virtutibus præclaræ, idest, Fortitudine, Prudentia, Temperantia, & Iustitia, quæ aliter in cœlis seruantur ab angelis, & animabus iustis, quàm *hic* à fidelibus. Vbi assignat actus earum hîc, & in patria, ad conditum sancti Augustini suprà adducti.

Probatvr etiam à D. Bonauent. ex Macrobio *lib.*1. *in somn. Scipionis*, vbi ait, Virtutes Cardinales 204

dinales esse in statu etiam purgati animi; hoc verò non potest esse perfectè in via: Ergo.

PROBATVR etiam ratione à D. Bonauent. *in corpore*, qua vtitur Tannerus *numero* 26. quia cùm perfectiones istæ sint animæ perfectiones quædam, statum beatitudinis non dedecentes, & in hac vita fuerint instrumenta ad meritum gloriæ, decens est, vt maneant etiam cum præmio, cùm ad dotes animi conducant actibus suis, tanquam dispositiones; neque verò actus earum dedecent; imò decent,

205 & benè afficiunt beatos ad eorum operationes. Itaque Prudentia consilium præbet, & imperat eas actiones, quas circa obiecta creata liberè exercere, vel non exercere possunt. Cæteræ verò virtutes dant complacentiam in propriis honestatibus, & actibus earum, in hac vita exercitis, vt notat Tannerus, & hoc vult S. Bonauent. dicens, has virtutes manere cum præmio, & ad præmium actuum, quos exercuêre in via.

NEQVE verò nobis negocium facessit id, quod eos torquet, qui in appetitu sensitiuo ponunt Fortitudinem, & Temperantiam, in explicando: quomodo corrupto appetitu in morte, quoad organa, maneant in radice; quomodo in resurrectione resurgant eædem; nos enim eos in voluntate ponimus, vt dixi *quæstione* 9.

206 ASSERO secundò, manere in patria virtutes intellectuales, quoad essentiam. Ità Diuus Bonauentura *distinctione* 3. *loco citato*, *ad vltimum*, & *distinctione* 31. *quæstione* 3. Diuus Thomas *quæstione* 77. *articulo* 2. Caietanus, Conradus, Medina *ibi*, Valentia *quæstione* 7. *p*. 4. & ferè alij Theologi *in* 3. *distinctione* 31. vel 33. Probatur à Diuo Bonauentura *ibi* ex Diuo Anselmo, & exemplo Christi, & Angelorum, qui in patria has habent virtutes.

ASSERO tertiò: E virtutibus Theologicis manebit sola Charitas. Diuus Thomas *quæstione* 76. Thomistæ *ibi*, Valentia *loco citato*, Tannerus *numero* 29.

Probatur à Diuo Bonauentura *distinctione* 31. *articulo tertio*, *quæstione prima*, quoad charitatem, ex prima Corinth. 13. *Charitas numquam excidit.*

207 QVOAD Fidem, probatur à Diuo Bonauentura *articulo* 2. *quæstione* 1. *ex* 11. *ad Heb.* vbi dicitur: *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Et Corinth. 13. *Cùm venerit, quod perfectum est euacuabitur, quod ex parte est. Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Ratio Diui Bonauentura in vtraque quæstione est, quam adhibent cæteri Theologi, quia fides, & spes inuoluunt imperfectionem, beatitudini supremæ repugnantem. Fides quidem obscuritatem, cui opponitur clara visio; Spes autem absentiam, cui opponitur præsentia boni.

208 NEQVE oritur solùm ex hoc, quod forent hi duo habitus superuacanei, vt concedit Valentia Durando.

Sed de his *secunda secundæ* latiùs: interim desisto.

DISPVTATIO III.

De Donis Spiritus Sancti.

NON de quibusuis Spiritus Sancti donis est nostra disputatio; sed de his præcipuis, quæ sunt virtutibus affinia; de quibus Isaias, cap. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini; Spiritus Sapientiæ, & Intellectus, Spiritus Consilij, & Fortitudinis, Spiritus Scientiæ, & Pietatis, & replebit eum Spiritus Timoris Domini*, quæ sunt præcipua Dona Spiritus Sancti, vt notat D. Bonauent. *lib.* 5. *Compendij Theologiæ, capite* 38.

QVÆSTIO I.

Vtrum dona SPIRITVS SANCTI *sint à Virtutibus distincta, & Quomodo.*

D. Bonau. in 3. dist. 34. q. 1.
D. Thom. prima secundæ, quæst. 68. art. 1.

PRIMA opinio est, Dona à Virtutibus non distingui; sed esse ipsas virtutes, prout à Deo donantur. Ità Magister *in* 3. *dist.* 34. Altisiodor. *lib.* 4. *summæ*, *tract.* 8. *quæst.* 1. Vincentius *in speculo Moral. lib.* 1. *parte* 4. *dist.* 1. Scotus *in* 3. *dist.* 34. *quæst. vnica*, Ocham *in* 4. *quæst.* 3. Almainus *tract.* 3. *Moral. cap.* 23. & probabilem putat Vasquez, *disp.* 89. *cap.* 2. & 3. *p. disp.* 44. 1

SECVNDA sententia est, Dona esse habitus distinctos à Virtutibus. Hi tamen in varios modos explicandi diuiduntur, qui à D. Bonauent. & D. Thom. referuntur.

Aliqui enim dicebant, dona ità distingui à virtutibus, vt donis perficiatur liberum arbitrium, quatenùs est facultas rationis; virtutibus autem, vt est facultas voluntatis. Hunc verò modum impugnant S. Doctores; quia nec omnes virtutes sunt in Voluntate, nec omnia dona in Intellectu. 2

ALII volunt, virtutes ordinari ad benè operandum; dona verò ad resistendum tentationibus, quales sanè in vitiis capitalibus euenire solent.

Hic verò modus confutatur à D. Bonauent. quia etiam virtutes resistunt tentationibus. Vnde contra hunc modum vrget argumentum D. Bonauent. vltimum, quo vtitur Scotus.

ALII volunt, virtutes ordinari ad operandum opera à Christo edocta: Dona verò ad eum in passionibus imitandum. 3

Contrà arguit S. Doctor, quia neque in natura institura, neque in gloria est hæc necessitas patiendi; & tamen sunt dona.

PRÆTEREA, Virtutes Christi nos satis parant ad patiendum, vnde erunt superflua dona.

Alij volunt, Virtutes ordinari contra peccatorum morbos; Dona verò contra eorundem morbo-rum

rum affectus; vt sunt stultitia, hebetudo, præcipitatio, quibus opponitur Sapientia, Intellectus, & Consilium.

Contra arguit S. Doct. quia habitus per priuationes non debent recipere distinctiones, cùm sint priores suis priuationibus. Prætereà virtutes etiam valent contra sequelas vitiorum, vt arguit Durandus cum Diuo Bonauentura, *argumento vltimo.*

4 Alii sic distingunt, vt virtutes perficiant animam, modo humano: Dona verò superhumano: Beatitudines autem non humano: Siue habitus virtutum esse ad rectè agendum: donorum verò, ad expeditè: Beatitudinum verò, ad perfectè agendum, iuxta tres gradus virtutum suprà allatos *disp.* 2. ex Macrobio *lib.*1. *in somnium Scipionis*, vt aliæ Virtutes sint Politicæ, aliæ Purgatiuæ, aliæ purgati animi. Ità Henricus *quodlib.*4. *quæst.*23. apud Scotum *loco citato*, Argentina *disp.*34. *quæst.*1. eamque probabilem putat Durandus *in* 3. *dist.* 34. *quæst.*1. Pro ea Tannerus *disp.*3. *quæst.*6. *dub.*1. *sub numero tertio*, adducit præcipuè D.Bonauenturam *hic*, sed mutilum; vt mox dicam.

5 Alii volunt, dona, & virtutes differre, sicut excedens, & excessum: omnes enim virtutes esse dona; sed non omne donum esse virtutem; atque adeò dona esse plura quàm septem, correspondentia tribus Theologicis, & quatuor Cardinalibus virtutibus. Hanc putat Durandus probabilem.

Postremo alij ità distinguunt dona à virtutibus, vt dona sint habitus quidam supernaturales, & infusi ad mouendam animam ad aliqua opera insignia pro temporis opportunitate, & Dei prouidentia singulari, præter communem legem. Itaque dona faciunt hominem expeditum ad heroïca quædam patranda, alioqui difficilia, atque adeò ad dona se habet potiùs passiuè; sicuti in virtutum
6 actibus, magis se habet actiuè. Idem igitur opus, *verbi gratia*, à Virtute Fortitudinis emanat, & à Dono Fortitudinis; sed à virtute redditur habilis ad operandum; imò & expeditè, vt mos est horum habituum; sed à Dono redditur facilis ad opus aliquod exantlandum heroïcum circa obiectum Fortitudinis. Ità D.Thom. *hic*, vbi Caietanus, Conradus, Medina, & alij Thomistæ. Richardus verò *in* 3. *dist.*34. *quæst.*1. Carthusianus *quæst.* 1. Valentia *quæst.*8. *p.*1. & communiter Moderni, quos sequitur Tannerus *loco citato*, *numero* 4. qui, hoc modo posse intelligi authores quinti modi, ingenuè fatetur cum D. Thom. & Carthusiano.

7 Et sanè D. Bonauent. non eget huc pertrahi, cùm sponte Angelico det manus; nam conf. tatis aliis modis, ipse postremò refert suum modum, vt Virtutes sint habitus rectificantes; est enim de ratione virtutis ad agendum, erigere, & vigorare: Dona verò sint habitus expedientes, quâ dicunt quandam vlteriorem abundantiam bonitatis ad agendum, ac per hoc attestantur magis diuinæ liberalitati, & propter hoc rectè censentur nomine doni.

Et *in responsione ad vltimum*, quod Scotus desumpsit, quo arguitur, superflua fore dona distincta à virtutibus; & quòd per virtutes satis anima instituatur, & habilitetur ad opera bona, respondet S. Bonauent. rectificari, & vigorari, ad opera bona, &c. quantùm ad ea, quæ sunt necessitatis, attamen, vltra hoc, liberalitas benignitatis diuinæ prouidit homini, & contulit habitus, per quos expediretur, non solùm ad opera necessaria rectitudinis, sed etiam perfectionis, & supererogationis.

Vnde si obiiciatur, quod idem est habilitare potentiam, & eam expedire; & ità, quòd eadem sit virtus, quæ facit rectum, & expeditum. Dicendum, quod illud est verum, respectu operis eiusdem generis, sed respectu operis alterius, & alterius gradus, & rationis, non habet veritatem. Magis au- 8
tem dicuntur dona expedire, quàm virtutes; quia, etsi virtutes expediant ad actus proprios, adhuc tamen remanent symptomata quædam imperfectionum, per quæ homo impeditur in benè agendo, & ratione quorum, homo adhuc ineptus est ad opera maioris excellentiæ, nisi ad hæc iuuaretur per habitus donorum. Hæc S. Doctor.

Vbi S.Bonauent. cæteris præclariùs, indicat necessitatem donorum, etiam virtute præditis. Virtus enim reddit sanè aptum, atque expeditum ad opera sui generis, iuxta suæ intensionis gradus proporrionatos; attamen in quibusdam occasionibus occurrunt repentè aliqua opera insigniora, quæ summas vel intrinsecè afferunt difficultates, quæ ex parte etiam Aristoteles agnoscit, 7.Eth.cap.1. *Hæc* 9
(dicit) *opera esse extraordinaria, quæ reddunt homines quasi diuinos.* Adde aliis è causis extrinsecis, & ex multarum causarum singulari concursu hìc, & nunc (quos casus *Symptomata* Medicorum more nominat; in quibus aliqua excellentia remedia extraordinaria requiruntur,) quibus necessarius est singularis Dei concursus, & præcellens Dei auxilium. Quamuis autem virtus esset (esto) intensissima; adhuc tamen eget anima aliunde confortari, vt, inter tot oppugnationis, opus illud præclarum valeat gloriosè exantlare; & sic à Spiritu Sancto mouetur, & per dona disponitur ad recipiendas motiones. Idem habet: *De septem Donis Spiritus Sancti*, *cap.*2. vbi diffusè de hoc agit.

Assero primò, Dona à Virtutibus realiter distingui.

Probatur à D. Bonauent. primò ex D. Gregorio, 1. *Moral. cap.* 28. aliàs 12. vbi per septem filios Iob, intelligit septem dona Spiritus Sancti; per tres autem filias, tres virtutes Theologicas. Et 2. *Moral. cap.* 36. aliàs 26. distinguit quatuor virtutes Cardinales à septem donis, dicens, quatuor virtutes Cardinales esse quatuor angulos domus, quibus concussis opprimuntur septem filij; idest, septem dona sepeliuntur. His nituntur Tannerus, Valentia, & alij, locis citandis. 10

Respondet Vasquez *numero* 7. hoc testimonium non conuincere; non enim constat: An distinguat septem dona à Virtutibus, tanquam diuersos habitus; an verò, tanquam diuersos actus; nam & dona Spiritus, ipse appellat virtutum sensus, idest, effectus; Fidem autem, Spem, & Charitatem vocat sorores horum donorum. In septimo verò Libro, dona distinguit, non ab omnibus virtutibus, sed à Cardinalibus, & forsan ab acqui- 11
sitis tantùm; & solùm de dono fortitudinis difficultas esse poterat: an esset distinctus habitus, à virtute Fortitudinis. Doctrina verò S. Gregorij stat, etiamsi non distinguatur donum Fortitudinis, à virtute Fortitudinis, tanquam diuersus habitus; quoniam sublatâ virtute Fortitudinis cum aliis Cardinalibus, effectus illius, qui est donum Fortitudinis, dicitur opprimi; sicut diruto angulo domus, oppressi fuêre filij Iob intra domum. De aliis verò donis nulla manet difficultas, etiamsi à Gregorio distinguantur à virtutibus Cardinalibus, vt constat.

Enim verò subtilior hic vir, nodum in Scirpo quærit: nam septem dona Spiritus sancti vocat posteri

posteritatem mansuram: Ergo significat habitus, non actus; ex hoc enim Vasquez *num.2.* infert, esse habitus; eò quòd de his ait Isaias, cap.11. *Requiescet Spiritus Domini; Spiritus Sapientia, &c.* Et Ioannis 11. ait Christus: *Spiritus sanctus apud vos manebit.* Sic igitur sumpta dona, subdit, habere tres sorores, dicens: Sed habent in nobis septem filij, tres proculdubio sorores suas; quia quidquid virile hi virtutum sensus faciunt, Spei, Fidei, Charitatique coniungunt.

12 Neque enim ad denarij perfectionem septem filij perueniunt, nisi in Fide, Spe, & Charitate fuerit omne, quod agunt. Eatenus igitur virtutes Theologicas vocat sorores donorum, quatenus illis in operando coniunguntur, atque denarium, numerum perfectionis, constituunt perfectè in operationibus se illis vniendo, & dona ad perfectionem plenam non perueniunt, nisi Fide, Spe, & Charitate fiat omne, quod agunt, quia inuicem cooperantur; vt notat D. Bonau. *de septem Donis Spiritus sancti, cap.3. ad medium*; Quod si de solis operationibus ageret, non esset, cur, potiùs numerum quartumdecimum non constituerent. Neque verò ea dona vocat sensus virtutum viriliter agentes, non effectus; sed viuificantes, seu vigorantes virtutes ad aliquid virile, seu praeclarum opus.

13 Secundus verò locus, indicatus à D. Bonau. *in corpore*, est clarus. Et primò quidem loqui S. Gregorium de virtutibus Cardinalibus infusis ostendit, dicens: *In quatuor ergo angulis domus ista subsistit, quia in his quatuor virtutibus, tota boni operis structura consurgit: Vnde & quatuor Paradisi flumina terram irrigant; quia dum his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni desideriorum carnalium aestu temperatur.* Ecce comparantur fluminibus Paradisi, quia infusae sunt. Quòd verò non solam fortitudinem, sed singulas virtutes à donis distinguat, etiam Theologicas, luce clarius apparet legenti; atque id probat à posteriori ex oppositis

14 priuationibus, simul asserens virtutes, de quibus loquitur, esse infusas, dicens: *Donum quippè spiritus, quod in subiecta mente, ante alia, Prudentiam, Temperantiam, Fortitudinem, & Iustitiam format, eandem mentem, vt contra omnia tentamenta erudiat*: in septem mox virtutibus temperat; vt, contra stultitiam, sapientiam: contra hebetudinem, Intellectum: contra praecipitationem, Consilium: contra Timorem, Fortitudinem: contra ignorantiam, Scientiam: contra duritiem, Pietatem: contra superbiam det Timorem: &

15 subdit ostendens, de virtutibus omnibus, vt habitus sunt, ipsum loqui: *Euersa igitur domo, moriuntur filij, quia obruuntur in corde genita virtutes. Qui profectò filij intus per spiritum viuunt, dum exterius carne moriuntur, quia virtutes nostra, tentationis tempore, & si in momento turbata, à statu sui incolumitate deficiunt, per intentionis tamen perseuerantiam, integrè in mentis radice subsistunt. Cum quibus etiam tres sorores occumbunt, quia in corde nonnunquam per flagella turbatur charitas; per formidinem concutitur Spes; per quaestiones pulsatur Fides. Sed tamen viuunt filia, quia has tamen, ante Dei oculos, viuas perseuerantia recta intentionis seruat.* Ecce comparat quatuor virtutes Cardinales, quatuor angulis domus: & loquitur de habitibus, quia dicit, his subsistere spirituale aedificium; comparat septem filios, septem donis, & tres virtutes Theologicas habitu, tribus filiabus. Neque video, vbi Vasquez illas suas expositiones eruerit. Haec longius protraxi, quia hic author in erodendis Sanctorum Patrum authoritatibus multus est, quando suis opinionibus opponuntur.

In his etiam habes, saepè dona vocari virtutes, idest, vires animae, prout differunt à caeteris virtutibus. Sic nominantur à D. Gregorio his locis, vt notat etiam Tannerus *numero 6.* Valentia, *loco citato.* 16

Idem probat S. Doct. *in opere de septem Donis*, ex eodem D. Gregorio, & Hugone de S. Vict. *lib.2. de caelesti Hierarchia D. Dionysij.* Idem habent alij Patres, adducti ab aliis.

Probatur etiam ex Aristotele *lib.7. Moral. ad Eudem. cap.18.* vbi docet, eos, qui Dei instinctu impelluntur ad aliquid agendum, non debere humanam rationem consulere, quia Principium habent, intellectu, & voluntate praestantius; quod sanè intelligere debemus de quibusdam motionibus ad opera illa heroïca, praeter virtutes communes, quae reddunt homines, veluti diuinos, vt ait idem Aristot. 7. *Eth. cap.1.* Hoc idem vult S. Bonau. *loc.cit. de septem Donis*, dicens, Donorum munus, esse reddere hominem benè mobilem à Spiritu sancto, & omnes vires animae subdere motionibus Spiritus sancti faciles. Idem docet D. Thom. *hic*, & *2.2. quaest.8.* 17

Hinc D. Bonau. *loc.cit.* eruit rationem cum D.Th. qua vtitur Tannerus *num.6.* & Valentia *loc.cit.* Homini praeter actus ordinarios occurrunt occasiones aliquorum operum, quibus egent motione speciali Spiritus sancti, etiamsi habeant virtutes: ergo necessarij sunt aliqui habitus Spiritus sancti extraordinarij adaptati ad has motiones recipiendas: Probatur antecedens ex multis Scripturae locis à D. Bonauent. *Opusculo de Donis*, maximè *de Dono fortitudinis.* Actorum 5. vbi Apostoli: *Ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*; Et saepè resistebant, responderuntque alacriter Principibus: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*, vt refert etiam D. Gregorius *homilia 30. in Euangelia.* 18

Ita Sampson *Iudicum 6.* columnas concutiens, sibi, & Philisthaeis necem attulit: & ex sacris Historiis D. Andreas ad Crucis aspectum exultabat. Et B. Agatha laetanter ibat ad carcerem, quasi ad epulas. Sic & Simon venit exultans in templum, vt habetur *Luca 2.* & Christus plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane, vt habetur *Luca 4.* vt habent Tannerus *num.6.* & D. Bonau. ad ea loca. Sic etiam Salomon accepit Donum sapientiae, vt habetur *3. Reg. 3.* & obseruat D. Bonau. *de dono sapientia.* Plurimi his similes casus euenêre. Consequentia probatur: Omne, quod mouetur, debet esse proportionatum suo motori; atque adeò, quo perfectior est motus, atque mouens altior, necesse est, vt ei conformetur. Cùm ergo motus ad haec mira patranda à Spiritu sancto immissus sit altissimus, necesse est, etiam mobile proportionari dispositionibus proportionatis; sed haec sunt opera superhumana. Igitur etiam debent esse dispositiones supra virtutes, quae modo humano ad opera disponunt. Ex his corruunt aduersariorum responsa, quibus nituntur, ad id sufficere virtutes. 19

Probatur quartò, à Diuo Bonauentura. Quaecumque habent alias, & alias differentias diuidentes, necesse est, ab inuicem differre; sed diuisio virtutum alia est à diuisione donorum, & per alias differentias: Ergo. Maior patet. Minor probatur, 20

batur, nam virtutes diuiduntur in Theologicas, & Cardinales; quod nequaquam competit donis, quæ in eodem ordine in septem diuiduntur.

21 Probatvr quintò à Diuo Bonauentura. Sicut se habet intellectus ad fidem; ità se habent alia dona ad alias virtutes: Sed donum Intellectus differt à virtute fidei, quia credere, est assentiri sine ratione; intelligere verò, cum ratione, quæ diuersos habitus exigunt: Ergo si Donum Intellectus differt à virtute fidei, different & aliæ virtutes ab aliis donis. Maior est Scoti, & aliorum.

22 Probatvr sextò. Donum Timoris non potest esse in genere alicuius ex his virtutibus: Ergo nec alia. Quòd verò dicunt, apud Valentiam, donum Timoris esse Temperantiam, quæ timore iusto coercet appetitum à prauis voluptatibus, falsum est: Nam si motiuum formale Temperantiæ est Timor: Ergo cum ex alio motiuo se cohibet à voluptatibus, non exercet actum virtutis Temperantiæ. Et quidem ex amore honestatis huius virtutis formaliter Temperans dicitur; quod si Timor dat formalitatem, sequitur, idem posse dici de Iustitia; sicut dicitur de illo Iudice, qui Viduam nolens primò audire; posteà, ex metu, Iustitiam exercuit.

23 Respondet Vasquez *numero* 5. Timorem esse actum veræ Charitatis: Est enim timor filialis, qui pauet separationem ab ipso Deo.

Contra, quia etiam Timor seruilis clauditur in hoc dono, vt habet D. Augustinus *lib. primo, de serm. Domini in monte, cap.* 9. & latè probatur à D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 34 *quæst.* 1. Imò Concilium Trident. *sess.* 6. ponens motiuum attritionis, timorem Gehennæ; ait, esse donum Spiritus Sancti: Ergo hic timor non est Charitas: Ratio affertur à D. Bonauent. *in corpore, quæstione citata*, quia sicut donum Dei est nosse pœnarum æternitatem, easque credere; ità donum Dei est pœnas illas refugere, & timere, & hoc ait inferri Psalm. 118. *Confige timore tuo carnes meas, a mandatis enim tuis timui.*

24 Obiiciunt etiam multos Patres, qui Dona vocant virtutes, D. Gregorius *locis adductis*. D. Augustinus *quæst.* 8. *in Euangelia*. Ambrosius *lib. de Spiritu Sancto, cap.* 20.

Respondet D. Bonauent. loqui sanctos Patres de dono, vt ampliatur ad omne desuper datum, & de virtute, vt dicit omnem habitum, qui expedit ad bonum: Ità respondet etiam. D. Thom. *ad* 1. *&* 3. Richard. *loco citato*, Tanner. *numero* 8. Valentia *in fine*.

Obiiciunt adhuc, Virtutem infusam sic definiri: *Virtus est bona qualitas mentis, qua nullus malè vtitur, & quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Hæc autem definitio conuenit etiam Donis.

25 Respondetvr, donum esse specialem habitum ad motiones Spiritus insignes, & præclara quædam patranda, ad quæ non ordinatur virtus, vt dixi.

Obiiciunt verò omnes: Nulla est ratio, ob quam asseramus, hæc dona à virtutibus distingui: Ergo superfluè asseruntur. Probatur antecedens; quia, vt sint diuersi habitus, debent esse etiam diuersi actus; vt autem sint diuersi actus, oportet assignare, ex parte obiecti voluntatis, diuersam rationem *boni*, & *honesti*, quod moueat: ex parte verò intellectus, diuersam veritatem, aut diuersum modum cognoscendi: hoc autem assignari non potest in donis: nam dona, quæ pertinent ad intellectum, qualia sunt dona Intellectus, & Scientiæ; si sint de obiectis supernaturalibus, non pos-

26 sunt non inniti testimonio Dei, quod est obiectum formale fidei, nempè in penetratione peculiari rerum diuinarum, & mysteriorum, circa quæ ponitur donum Intellectus. Idem patet de Sapientia, quæ est circa veritates increatas; Scientia autem circa res creatas. De dono vero Prudentiæ non est assignare distinctionem à Prudentia infusa, quæ consultat per principia supernaturalia, & ad rationem practicam spectat.

In aliis etiam donis, quæ spectant ad voluntatem, idem omninò constat, vt patet in Timore filiali, qui est actus veræ Charitatis: Nam timor filialis est, cùm quis timet à Deo separari ex reuerentia, & amore.

Respondet D. Bonauent. *locis citatis*, non esse necessarium assignare rationem formalem diuersam boni, sed tantùm excellentiam quandam, quæ facit, vt actio illa non computetur in eo genere ordinario operationis, & egeat aliquo auxilio singulari, ad conglobationem tot obstaculorum vincendam, quæ reddunt illud opus symptoma grauissimum; vt habet S. Doct. etiam in referendo secundo modo explicandi secundam opinionem. Itaque virtutes non perficiunt omni modo, neque omnem actionem excellentem, vt deuictis difficultatibus, repentè, & vndecumque emergentibus, modo præclaro opus illud heroïcum exantletur. Ità respondent etiam Caietanus, Valentia, Tannetus, & alij. Imò etiam Durandus, & Henricus post D. Thom. *ad primum*, & D. Bonauent. *locis citatis*, maximè *ad vltimum in hac quæstione*. 27

Ab hoc verò argumento non satis se expediunt omnes alij modi dicendi, qui confutantur à Sanctis Doctoribus, Bonauentura, & Thoma, & sunt suprà aliis etiam mediis confutati, quos sequitur Tannerus, & alij; nam inde sequitur, dona distincta à virtutibus, esse superflua.

Libet hìc addere, non satis consequenter hoc argumentum vrgeri à Vasquez, ex quo illud desumpsi. Cùm enim *disp.* 79. *cap.* 2. & *disp.* 81. *cap.* 7. & *disp.* 187. *cap.* 2. teneat, virtutes infusas non ad facilitatem operis, sed ad substantiam operis iuuare, quod videtur innuere etiam D. Bonauent. *in corpore*, vt patet, quia pueri, quibus in baptismo infunduntur omnes septem virtutes; tamen cùm ad annos peruenerunt discretionis, sentiunt in bonis operibus difficultates. Quare, dona ad expeditè operandum supernaturaliter, satis superque necessaria probantur. 28

Dices: quomodo dona infunduntur pueris, vt dicetur *quæstione* 5. cùm inueniantur difficiles ad actus virtutum? Respondebitur *ibi*. 29

Dices; motio Diuina, vel se habet vt ratio obiectiua formalis, respectu actuum ipsorum donorum, vel se habet tantùm effectiuè: Non primum, quia deberet apprehendi illa ratio motiua, cuius contrarium experimur; Deinde in eundem actum conuenirent duæ rationes formales disparatæ. Si secundum: Ergo dona non sunt habitus distincti à virtutibus, quia ad diuersitatem actuum, & habituum, non sufficit diuersitas principij extrinseci; sed requiritur diuersitas rationis formalis obiectiuæ, vt patet in actu Charitatis, elicito ex habitu.

Respondet Tannerus, concurrere primo modo, quod si non sentitur, est ex nostra imperfectione, & non ex habitu inaduertentiæ, vel distractionis. Neque est absonum, ad eundem actum concurrere plures rationes formales diuersas, sic in oratione concurrit actus Religionis ex se: Pietatis verò, si exhibeatur pro parentibus: Charitatis, si pro inimicis. 30

QVÆSTIO II.

Quot sint dona Spiritus Sancti.

D.Bonau.in 3.d.34.p.1.art.1.q.1.
D.Th.prima secundæ,q.68.art.4.

Tametsi ausi sint nonnulli plura, quàm septem dona præcipua Sancti Spiritus, numerare, quorum sensum probabilem putat Durandus.

31 Assero tamen, septem esse dona Sancti Spiritus. Ità sancti Doctores *hic*, quos sequuntur Thomistæ omnes. Scotus, Richardus, Gabriel *locis citatis, quæstione præcedenti*. Valentia *quæst.* 8. *p.*2. Tannerus *disput.*3. *quæst.*6. *dubio* 1. *numero* 11. Vasquez *disput.*89. & cæteri.

Probatvr à D. Bonauent *hic*, & *de septem donis*, *cap.*1. ex *Isaia* 11. vbi ait: *Requiescet super eum Spiritus Domini; Spiritus Sapientiæ, & Intellectus, spiritus Consilij, & Fortitudinis, spiritus Scientiæ & Pietatis, & replebit eum spiritus Timoris Domini.*

32 Sic ea enumerant, huic Scripturæ inhærentes, sancti Patres, quos refert Tannerus *numero* 11. cum D. Bonauent. *locis adductis*, maximè toto opere de septem Donis, vbi plurimos affert, quos vide apud ipsum.

Si obiicias, in textu Hebræo non haberi donum Pietatis: Respondet Tannerus primò, tàm LXX. quàm D Hieronymum, ex hebraïco, translata versione, id habere. Addit, quod vox Hebraïca Iirath meritò videri poterat etiam pietatem significare, vti apud Germanos idem vocabulum gottsforcht, & pietatem, & timorem Domini significat) cum aliàs ibidem de timore distinctè subiungatur id, quod nostræ versioni Latinæ respondet: *Et requiescet super eum spiritus Timoris Domini*, repetito eodem vocabulo Iirath.

33 Ita verò legit, iuxta translationem Pagnini, Requiescet super eum spiritus Timoris, & odorari faciet eum in timore, vbi Hebræus habet: יראת Iirath.

Hvivs numeri sufficientiam multis viis Theologi venantur, vt refert S.Bonauent. Aliqui enim eam è septem numero habituum virtutum connexione cum Donis inferunt, vt septem virtutibus Theologicis, & Cardinalibus respondeant septem dona; quem modum desumpsit Scotus, ità vt Sapientia respondeat charitati, Intellectus fidei, Consilium verò spei, Fortitudo Fortitudini, Scientia Prudentiæ, Pietas Iustitiæ, Timor Temperantiæ, seu Modestiæ.

34 Alio modo, ex habitibus virtutum, alij colligunt Dona. Quia enim fides credit temporalia, & æterna; quantùm ad articulos diuinitatis, habet gemina dona, quæ reddant expeditum Intellectum, scilicet circa æterna; & Scientiam circa temporalia. Sic Charitas circa duo afficitur, idest, circa Deum; & ob hoc habet Sapientiam; & circa proximum; & ad hoc inseruit Pietas. Spes etiam potest à statu suo auerti, vel ob excellentiam in prosperis; & ad hoc adiuuatur dono Timoris; vel potest frangi in aduersis; & ad hoc iuuat donum Fortitudinis; &, vt sine errore percurratur, additur donum Consilij, vt cum maturitate cætera procedant.

35 Alii hunc numerum colligunt ex oppositis septem vitiis; vt Timor sit contra Superbiam. Pietas contra Inuidiam. Scientia contra Iram, quæ mentem perturbat. Fortitudo contra Acediam, quæ mentem deiicit. Consilium contra Auaritiam, quæ contra Diuinum consilium vult omnia retinere. Intellectus contra Gulam, & ebrietatem, quæ rationem suffocat. Sapientia contra Luxuriam, quæ non sapit, nisi carnalia.

Alii, è symptomatibus, quæ sunt effectus, resultantes è septem peccatis, colligunt dona cum D. Gregorio, vt dixi *quæstione præcedenti*. Alij ex fine, dupliciter colligunt Dona. Vide D.Bonau.

Postremo sumitur magis ad rem ex actibus; vel prout egrediuntur è variis animæ viribus; vel prout deseruiunt vitæ actiuæ, & contemplatiuæ.

Priori sanè modo sic habetur: Quia enim in nobis est triplex vis: Concupiscibilis, Irascibilis, & Rationalis. Irascibilis indiget expediri dupliciter, scilicet in prosperis, ne superrollatur, eget Timore; in aduersis, ne frangatur, eget Fortitudini. Concupiscibilis indiget expediri, quoad affectum respectu Dei, per Saporem Sapientiæ, & respectu proximi, per Pietatem. Rationalis quoque eget expediri in veritatis speculatione, per donum Intellectus; in veri electione, per Consilium, & in electi executione, per donum scientiæ. Per hoc enim donum rectè conuersamur in medio nationis prauæ; siue quia Rationalis, quæ potest tripliciter impediri, eget confortari, contra ignorantiam eget scientia: contra tarditatem in deliberando, eget Consilio: contra hebetudinem in altioribus scrutandis, Dono Intellectus. Vide D. Thom. *hic*, & D.Bonauent.*lib.*3. *Compendij Theol. verit. cap.*38. 36

In ordine autem ad vitam actiuam, & contemplatiuam dona sic venatur Seraphicus Doctor. Contemplatiua enim tria dona requirit: Timorem ad reuerentiam Maiestatis, Intellectum ad intelligentiam veritatis. Sapientiam ad gustum bonitatis. Actiua verò pluribus distracta, pluribus indiget: Pietate ad agendum; Fortitudine ad sustinendum; scientia ad directionem Pietatis; Consilio ad directionem Fortitudinis. Plurima ergo dona sunt ad Intellectum spectantia, quia lux cognitionis multum expedit ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Propterea fit donorum sæpè combinatio, vt alterum ad actionem conferat; alterum ad passionem. Vnde Diuus Gregorius *homil.* 10. *in Ezech.* ait: *Quod sumus per Sapientiam maturi, per Intellectum prouidi, per Consilium cauti, per Fortitudinem intrepidi, per scientiam discreti, per Pietatem misericordes, per Timorem humiles.* 37 38

Qvamvis autem Valentia *quæst.*8. *p.*2. Timorem, & Fortitudinem in appetitu Irascibili sensitiuo ponat; rectiùs tamen Conradus *ad art.*4. *q* 68. & Tannerus *disp.*3. *quæst.*6. *dub.*1. *numero* 13. cum D. Bonauent. vtrumque in voluntate ponunt, quia appetitus sensitiuus rationem Diuinæ motionis formaliter nequit attingere, quæ est ratio D. Bonauent. *tertio, dist.* 33. *quæst.*3. qua nituntur alij, vt indicat S. Bonauent. *de septem donis*, *cap.*2. & 3. 39

Qvo autem fundamento Isaias à Sapientia vsque ad Timorem ordinet seriem donorum, Vide D. Bonauent. *quæst.*2. *articuli citati.*

Qvæstio

QVÆSTIO III.

Vtrum DONA *sint priora* VIRTVTIBVS.

D.Bonau. in 3.d.34.p.1.q.1.
D.Thom.q.68.art.8.ad 2.

SVPPONIT Seraphicus Doctor, habitus donorum simul cùm virtutibus infundi; Vnde, quoad hoc, simul sunt.

QVOAD vsum verò, asserit, virtutes in eodem esse donis priores, contra D. Thomam, qui hoc de Theologicis negat.

40 PROBATVR à D. Bonauent. primò, ex D. Gregorio, *primo moral.* loco latiùs recitato *quæstione* 2.

SECVNDO. Quod est vltimum in resolutione, est primum in generatione. Sic enim fundamenta domus sunt in destructione vltima, quæ in ædificatione fuere prima: Sed in ruina animæ, primò destruuntur dona, deinde vltimò, tanquam fundamenta, fides, & spes, ex Glossa ad illud *Præcipitauit omnia mœnia eius*, Thren.2. Ergo.

41 TERTIO. Prius est rectè agens, quàm expeditè agens, sed virtutes dant simpliciter agere actus supernaturales; dona verò expedite eos agere: Ergo.

QVARTO. Id quod est prius primo alterius generis, est prius cæteris eiusdem generis; sed Timor, qui est primus donorum, est prior prima virtute Theologica, idest, fide: Ergo est prius cæteris virtutibus. Maior est Aristotelis 3. *T.p.Tr. ctu* 1. *cap.*4.

OBIICIES primò. Id, quod est principium operandi, est habitus primus: sed donis operamur mandata, ex Glossa *ad* 6. *Matthæi*: Ergo.

42 RESPONDET S.Doct. *ibi* per dona intelligi virtutes; vel si pro donis accipitur, intelligitur operari, pro expeditè operari; vnde nostra beatitudo pendet.

OBIICIES secundò. Prius est sanari à morbo, quàm benè operari; sed per dona sanantur potentiæ, & per virtutes habilitantur ad operandum: Ergo.

RESPONDET S. Bonauent. dona non esse ad sanandum simpliciter à morbo culpæ, à quo sanatur anima per infusionem gratiæ, & charitatis; donis verò sanatur à symptomatibus, & affectibus morbi, ante quam curationem datur operatio virtutum simpliciter.

OBIICIES tertiò. Prius est declinare à malo, quàm facere bonum; sed per dona declinamus à malo; per virtutes verò ordinamur ad benè faciendum: Ergo.

43 RESPONDET Seraphicus Doctor, à virtutibus primò esse declinare à malo, vt patet de pœnitentia, iustitia, &c. Quod autem declinare à malo adscribatur timori, hoc euenit, quia expeditè à malo reuocat, sicut tonitru Ceruæ ad partum accelerantur.

OBIICIES quartò. Prius est generans, quàm generatum; sed per scientiam generatur fides, vt ait Diuus Augustinus 14. *de Trinitate, cap.* 1. Ergo donum scientiæ est prius fide; sed fides est prima virtutum: Ergo si est prius hac prima, erit prius cæteris.

44 RESPONDET Seraphicus Doctor, in eodem prius esse fidem, quàm scientiam infusam; sanè scientia in vno est generatiua fidei, quæ est ex auditu in audiente.

OBIICIES quintò. Intellectus est prior affectu; sed dona maiori ex parte sunt in intellectu, virtutes verò ferè omnes in affectu: Ergo.

RESPONDET Seraphicus Doctor, maiorem veram esse de actibus, & habitibus subordinationis eiusdem; vnde cognitio dirigens ad affectionem, est illi præambula: ob id prius est credere, quàm amare; sed de habitibus, & actibus, qui non sunt eiusdem coordinationis, non est verum; Non enim prius est videre Deum, quàm amare Deum; & quoniam actus, & habitus donorum non sunt eiusdem coordinationis cum habitibus, & actibus virtutum, quia actus virtutis sunt in primo gradu; actus verò donorum in medio; hinc non est necesse, dona esse priora virtutibus, quamuis habitus illi magis respiciant intellectum, & isti magis respiciant affectum.

QVÆSTIO IV.

Vtrum DONA *sint virtutibus præstantiora.*

D.Bonauent.loc. cit. q.3.
D.Thom. q.68.art.8.

DIVVS THOMAS vult, Virtutes Theologicas esse donis præstantiores; reliquas autem, virtutes esse inferiores asserit. 45

ASSERO tamen cum Diuo Bonauentura, Virtutes omnes esse donis inferiores.

PROBATVR à Diuo Bonauentura primò ex Diuo Bernardo *lib. de amore Dei, cap.* 15. vbi ait: *Amor proficit in Charitatem: Charitas in Sapientiam*, profectus autem est ad aliquid excellentius: Ergo donum Sapientiæ est excellentius charitate. Tunc sic: Quod est melius optimo aliquo alterius generis, est etiam melius eis, quæ sunt sub illo optimo continentur; sed Sapientia est melior optimâ inter virtutes, idest, charitate: Ergo.

SECVNDO. Nobilitas habituum ex nobilitate actuum colligitur; sed actus donorum sunt excellentiores, quàm actus virtutum: Ergo. Minor probatur: nam dona ordinata sunt ad perficiendas Virtutes ad quosdam actus excellentiores, puta ad actus insigniores charitatis, &c. & ideò supplent, quod habitibus virtutum deest, vt ipse D.Thom. *quæst. hac, art.* 1. *in fine* admittit, &c. 46

RESPONDET D.Thom. cæteras quidem virtutes perfici donis; at Theologicas potiùs perficere, & regulare actus ipsorum donorum. Ideò D. Gregorius *primo Moral. cap.*28. ait: *Neque ad denarij perfectionem septem Filij*, idest dona, *perueniunt, nisi Fide, Spe & Charitate fiat omne, quod agunt.*

ATTAMEN hæc non est recta responsio, nam, vt ipse S. Thom. fatetur *ad tertium*, dona Spiritus Sancti sunt cum charitate; vnde sicuti charitas absque fide non rectè agit, neque tamen fides est perfectior; ita etiam dona, licèt non agant actus suos heroïcos, absque charitate, quam supponunt; attamen, quia adueniunt Charitati, tanquam perfectio eius ad opera suprema, & ad reddendam animam ad ea opera præclatiora expeditiorem, ideò ipsa dona sunt virtutibus præstantiora. 47

Quòd verò addit D. Thom. quòd sicuti virtutes intellectiuæ perficiunt, & regulant morales, & ideò sunt 48

sunt his perfectiores; ità etiam virtutes Theologicæ regulant dona, & ideò his sunt meliores; dico, virtutes quidem intellectuales exhibere lumen moralibus eo modo, quo intellectus illuminat voluntatem, ei deseruiendo, tanquam seruus lumen præferens; attamen non ob id est nobilior, quia penes voluntatem stat imperium, libertas, & dominium actionum. Sic igitur; esto charitas dirigat ad actus donorum; attamen, quia dona addunt potestatem ad opera illa, secundum eum modum, quem chatas non attingit, vtpotè eminentissimum, ideò non est nobilior, sed ignobilior Donis.

QVÆSTIO V.

Vtrum DONA *sint connexa.*

D.Bonau.in 3.d.36.q.1.
D.Thom.q.1. art.5.

49 ASSERO primò: Dona omnia, suprà enumerata, connectuntur inuicem in gratia sanctificante, à qua deriuantur omnes habitus gratuiti; & in qua sunt virtualiter, & implicitè, & possunt oriri, si nos velimus susceptæ gratiæ cooperari.

PROBATVR à D. Bonauent. *argumento tertio*, & D. Thom. *in corpore*, quia omnes vires animæ per dona disponuntur in ordine ad motiones, & infusiones Spiritus sancti, qui habitat in nobis per gratiam. Hoc verò probat S.Bonauent. præcipuè, quia quicumque habet charitatem, habet vnde possit delectari, & gustare *quàm suauis est Dominus*; sed Donum Sapientiæ consistit in gustu illius summæ dulcedinis: Ergo quicumque habet charitatem, habet donum Sapientiæ: sed donum Sapientiæ est supremum omnium donorum, cætera supponens: Ergo quicumque habet charitatem, habet omnia dona S. Spiritus: Ergo omnia sunt connexa in charitate.

50 PROBATVR secundò à D. Thom. quia, virtutes morales sibi inuicem connectuntur in Prudentia, & eodem modo etiam dona in charitate, vt qui eam habet, omnia dona habeat; hanc tamen rationem ait *in corpore* S. Bonauent. non omninò esse efficacem, quia non est tanta necessitas donorum, quanta virtutum; & ideò nec tanta connexio requiritur.

ASSERO secundò, dona, quoad vsum, non connecti.

51 PROBATVR à D. Bonauent. *in corpore*, primò ex D. Gregorio, ad illud Iob 38. *Numquid coniungere valebis mirantes stellas Pleiadas?*

SECVNDO, quia ista dona reddunt facilem, & expeditam potentiam ad actus præclaros, non modò necessitatis; sed etiam supererogationis, & cuiusdam excellentiæ: Sed ad hos actus non omnes habent vsum perfectum, qui in Christo solo fuit, secundùm omnes, vt ait D. Gregorius *ibi*; alioqui sanarentur omnia symptomata; atque expeditus esset omnis fidelis ad opera omnia meritoria, etiam præclara; quod falsum esse, ipsâ experientiâ deprehenditur, vt arguit S. Bonauent *argumento penultimo*.

52 CONFIRMATVR *argumento vltimo*. Dona, vt plurimum, ordinant ad ea, quæ sunt supererogationis, sicut patet in dono Consilij, & Fortitudinis; ea verò, quæ supererogationis sunt, non concomitantur inseparabiliter ea, quæ sunt necessitatis: Ergo inter dona non est connexio necessaria inter se.

Hoc intelligitur illud Apostoli, prima Corinth. 12. *Alij datur per spiritum sermo Sapientiæ: alij datur sermo scientiæ*, quod, non quoad radicem, sed quoad vsum, intelligendum est, & ità etiam D. Augustinus, *de sermone Domini in monte*, ponit gradus inter dona, ita vt paulatim progressus fiat ad aliud perfectius, quia, scilicet, non potest quis assuefieri in vsu doni superioris, qui non assuefiat priùs in inferiori faciliori. Et hoc sensu ait D.Gregorius *loco citando*, beatitudo minor est Sapientiâ, si intellectu caret; quia, si quis per saltum, omisso dono Intellectus, progrediatur ad exercitium doni Sapientiæ, minùs proficit, quàm si ordinatè procederet. Hinc etiam D.Augustinus 14. *de Trinitate*, ait: *Dono scientiæ non pollent plures fideles, quamuis polleant ipsa fide.* 53

Igitur dantur radicaliter in gratia, vt posteà, orationibus, cooperatione, & bonis operibus, nos disponamus ad operationes heroicas donorum.

HINC D. Gregorius *lib. primo, Moral. cap.32.* ponit, differentes adeò esse actus, puta Sapientiæ, & intellectus; vt illi sine his esse possint; quod probat, quia reperiuntur quidam, qui æterna sapiunt, & tamen intelligere non possunt, idest, qui habent actum quidem vnius doni illorum, non autem actum alterius; tametsi alioqui propter connexionem ipsam donorum habeant vtriusque doni habitus. Neque verò ista pugnant. Potest enim 54
fieri, vt qui habet habitum aliquem infusum cum aliis, nondum tamen queat in actum prodire talis habitus; quia alioqui exercitium talis habitus sit difficile; eò quod requirat peculiarem aliquem mentis ad id promptitudinem, ac facultatem, quæ vsu, vel instructione aliqua, aut instinctu diuino obtinenda sit, vt notat etiam post D. Bonauenturam Gregorius de Valentia *disp. 5. quæst.8. p.3. ad finem.*

Ex his remanet soluta difficultas, opposita *quæst. prima*, circa finem.

QVÆSTIO VI.

Vtrum dona SPIRITVS SANCTI *sint ad salutem necessaria.*

D.Bonau.in 3.d.34.p.1.q.1. & d.36. q.2.
D.Thom.loco citato, art.2.

VTILISSIMA esse dona sancti Spiritus, latè ostendit S. Bonauent. *Opusc. de septem donis, cap.4.* quem, obsecro, Consulite, præclara disserentem, nec huc eum transfero, quia ad litteram esset referendus. Attamen *hic* asserit, illa dona non esse necessaria. E regione videtur D.Thom. asserere, ea esse necessaria, non tamen sunt contrarij. Vterque enim vult esse necessaria in radice, quatenus in charitate sunt vnita, charitatem enim sine donis nullus habet. Huc referuntur loca, quibus Valentia *disputatione 5. quæstione 8. p. 3.* nititur probare donorum necessitatem, vt Rom. 8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Et ibi: *Qui spiritum Dei non habet, hic non est eius.* Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris* 56

nostris per Spiritum sanctum, &c. Huc spectat id, quod Sancti Doctores dicunt, hæc dona in charitate esse connexa, vt vidimus *quæst.5.* & notat Valentia *hic*. Ideò *psal.142.* dicitur: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* E quibus, solam habituum necessitatem colligi, cum D. Bonauent. *quæstione præcedenti* explicito, fatetur Valentia.

Qvod enim vsus istorum habituum non sit ad salutem necessarius; Probatur à Valentia, argumento S. Bonauent. *locis adductis*, quia satis per virtutes necessaria saluti exercemus, vt experimento patet: non enim omnes saluandi exercent actus extraordinarios heroïcos supererogationis, siue Fortitudinis, siue Sapientiæ, siue Consilij. Multi enim sunt, qui credunt, sed creditos articulos perfectè non percipiunt, vt notat S. Bonau. *dist.36. quæst.2. in corpore.*

QVÆSTIO VII.

Vtrum Dona *maneant in patria.*

D.Bonau. loc.cit.
D.Thom. art.6.

57 Assero primò, mansuros in patria habitus Donorum.

Probatvr à D. Bonauent. primò ex D. Anselmo *lib.1. de Spiritu sancto, cap.20.* vbi perpendens illud psal.85. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*, ait: *Neque enim ciuitas illa Hierusalem meatu alicuius fluuij terrestris abluitur, sed ille ex vitæ fonte procedens Spiritus sanctus, cuius nos breui satiamur haustu; redundantius in illis cælestibus spiritibus videtur affluere, pleno septem virtutum spiritualium feruens meatu.* Hac authoritate nititur etiam Valentia *disp.5.quæst.8 puncto 4.*

58 Secvndò. Christus fuit comprehensor, & tamen in eo erant septem dona, vt habetur *Isa.11.* & dicam *3.parte, tract.1.disp.12.quæst.5.*

Tertiò. Perfectiores sunt habitus donorum, quàm virtutum Cardinalium, & magis ornant animam; sed illæ manebunt in patria, vt diximus *disp.2.quæst.13.* Ergo. Hoc argumento nititur Valentia *loc. cit.* Probatur consequentia à D. Bonau. quia status patriæ perfectior est, & maiores exigit perfectiones.

Qvartò. Inter dona, Timor est infimus: sed hic manebit in patria, vt dicitur psal.18. *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi:* Ergo.

59 Assero secundò, non mansuros actus eiusdem omninò rationis, sed seclusis imperfectionibus, & similes prioribus, secundùm quandam analogiam, vt dixi de virtutibus *loc. cit.* Explicatur à D. Bonauent. *ad argumenta.* Quamvis enim dona in statu hoc naturæ lapsæ sint ad curationem; attamen fuissent in natura instituta, & fuere in statu comprehensoris in Christo ad ornamentum, & conseruationem, seclusis imperfectionibus.

Sic ibi erit donum Intellectûs absque inquisitione laboriosâ Dei per creaturas; quia sicuti, qui esset supra Lunam, non laboraret in inquirendis causis eclypsis, vt ait Philosophus; ità neque nos. Sic & Consilium erit absque dubitatione, & conferentia, seu collatione; sed tamen erit ibi melioris, & dignioris partis electio. Donum Fortitudinis, absque periculis imminentibus, 60 faciet animam fortiter Deo adhærere, etiam inseparabiliter, secundùm quandam excellentiam. Donum Scientiæ, non docebit quidem conuersari cum natione praua, sed docebit quo modo ad alterum se habere deberet; non quidem ad prauos, qui ibi non erunt. Donum Pietatis absque compassione dabit affectum benignitatis, & dulcedinis erga alios. Donum Timoris non retrahet, aut terrebit à malo, sed dabit erga bonum reuerentiam. Hæc S.Bonauentura.

DISPVTATIO IV.

De Beatitudinibus.

Qvæ propiùs ad finem accedunt, potiori iure inde denominationem sumunt, nec absque fundamento; Cùm enim finis tantæ sit communicationis, vt etiam obuiando ad se tendenti, suas ei qualitates infundat: hinc habitus illi perfectionum, qui vltimo fini magis approximant, Beatitudines dicuntur.

Mirabitvr tamen Vasquez, me sub Habitibus assignasse Beatitudines; cùm etiam *disp.89.* miretur; Henricum eas reducere ad Habitus, attamen videamus: an aliqua id fiat ratione.

QVÆSTIO I.

Vtrum Beatitvdines *sint Habitus.*

D.Thom. q.69.art.1.& q.70.art.1.& 2.

Prima sententia est D. Thom. Beatitudines esse actus quosdam bonos, ac studiosos, tamen constanti quadam exercitatione, veluti in habitum, vel immobilem statum confirmatos, iuxta illud Matthæi 7. vers. 17. *Omnis arbor bona bonos fructus facit.* Cum D.Thoma sunt discipuli Thomistæ, Argentina *loco citando.* Adde Valentiam *disput. 5. quæst. 9. p. 1.* Tannerum *disput. 3. quæst. 6. dubio 2.* Vasquez *loco citato*, & alios. 1

Secvnda sententia est, Beatitudines esse Habitus studiosos. Hi tamen diuisi sunt.

Aliqui enim dicunt, esse habitus virtutis, sed heroïcos, seu intensione perfectos. Ità Scotus *in 3. dist.34. quæst.vnic.* Tartaret, & Ockam *ibidem*, Gabriel *dist. 34. quæst. vnica, art.1.*

Alii, teste Argentina *dist.34. quæst.vnica, art.2.* volunt, *Virtutes, Dona, Beatitudines, & fructus*, esse quatuor distincta genera Habituum, ordinem inter se habentium. 2

Alii apud eumdem Argentinam *loco citato*, volunt, eosdem Habitus, quoad rem, vocari illis quatuor nominibus, sub diuersa tamen ratione, diuersum statum boni habitus denotantem; ita nimirum, vt *Virtus* dicatur prout huiusmodi habitu

bitu operamur benè, & studiosè. *Donum*, prout ipso operamur faciliter, & expeditè. *Beatitudo*, prout per illam operamur perfectè, & *Fructus*, prout eodem operamur iucundè: Tannerus *loco citato*, adducit pro hac D. Bonauenturam *in 3. dist.34. art.1. quæst.1.* nisi quòd virtutes, & dona distinctos esse habitus, docet.

3 SENTENTIA D. Bonauent. hæc est, *dist. citata*, quam eius verbis libet exponere: *Quartus modus assignandi differentiam, attenditur per comparationem ad actus proprios; sunt enim quidam actus primi, quidam vltimi, siue perfecti: & secundùm illam trinam differentiam actus, sunt in nobis tres differentiæ habituum gratuitorum, videlicet Virtutum, Donorum, & Beatitudinum. Virtutes sunt ad actus primos: Dona ad actus medios: Beatitudines ad actus vltimos, vt patet, quia munditia cordis est ad Deum videndum.* Fructus verò dicit esse eorundem habituum perfectum statum, & vsum, in quo ipsum sequitur Henricus. Et quidem Beatitudines esse habitus; docet S. Bonauent. etiam *quarta parte Breuil. cap.6.* & *tertia parte Centiloquij, sect.46.* vbi eas ponit habitus distinctos à virtutibus, & donis. Et primò quidem non video apud Thomistas rationem alicuius momenti, qua reprobetur sententia S. Bonauenturæ.

4 ASSERO cum D. Bonauent. Beatitudines esse Habitus.

PROBATVR à D. Bonauent. primò, *loc. cit. in 3.* ratione. Vbicumque est inuenire maiorem perfectionem in actibus, & hanc extra genus, ibi est reperire habitus diuersos: sed beatitudines sunt actus transcendentes in perfectione, accedentes ad supernam beatitudinem videndi Deum, qualis est munditia cordis; de qua dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: Ergo.

5 PROBATVR secundò à D. Bonau. *loc. cit. Breuiloquij.* Agens perfectissimum, perducens ad finem altissimum supernaturalem, debet prouidere habitus perfectionis, attingentis vltimum finem, modo proportionato: Sed Deus est tale agens perducens nos ad supernam beatitudinem, quæ est permanens, tametsi actibus continuata, ideò egens habitu gloriæ perfectissimo: Ergo debet prouidere habitu attingente confines beatitudinis. Tales autem sunt beatitudines: Ergo sunt habitus. Hoc argumento retunditur etiam ratio D. Thomæ qua nititur probare eas esse actus.

QVÆSTIO II.

Quot sint BEATITVDINES.

{ D. Bonau. locis citatis.
  D. Thom. art.2.

6 ASSERO septem esse Beatitudines, secundùm distinctionem graduum, quæ sunt, Paupertas spiritus, Mititas, Luctus, Iustitiæ fames, Misericordia, Munditia cordis, & Pax. Ità numerantur à Christo *Math.5.* vt notat D. Bonauent. *lib.5. Compendij Theologiæ, cap.47.* vbi ait, octo esse, secundùm essentiam, & *cap.55.* explicat octauam beatitudinem, quæ est *Sustinentia mortis pro Christo*; eamque cum pace componit.

7 NVMERI huius sufficientia multimodè colligitur à Sanctis Doctoribus. Supponit autem S. Bonauent. *in Breuiloquio, loc. cit.* Deum esse principium perfectissimum restauratiuum, & reformatiuum hominis, per dona gratuita. Hinc gratiam infert ramificari in Virtutes, quibus operemur opera vitæ; in Dona, quibus expeditè præclara quæque patremus; & in Beatitudines, quibus ad perfectionem æternæ Beatitudinis accedamus. Harum igitur sufficientiam colligit ex triplici capite. Primò ex integritate perfectionis. Secundò ex modis perfectionum. Tertiò è dispositionibus ad perfectionem.

IGITVR ad integritatem perfectionis requiritur necessariò perfectus recessus à malo; perfectus processus in bono; & perfectus status in optimo. 8
Quoniam autem malum, vel procedit ex tumore superbiæ, aut ex rancore malitiæ, aut ex languore concupiscentiæ: ideò ad perfectè elongandum ab hoc triplici genere mali, tres sunt necessariæ beatitudines, scilicet, Paupertas spiritus elongans à tumore; Mititas à rancore; & Luctus à libidine. Quia verò perfectus processus in bono attenditur secundùm Diuinam imitationem; & *vniuersæ viæ Domini, misericordia, & veritas*, hinc est, quod duplex est beatitudo, secundùm has duas vias, scilicet esuries, siue zelus Iustitiæ; & affectus Misericordiæ. Quoniam autem status in optimo est, vel per limpidam cognitionem, vel per tranquillam affectionem; hinc est, quod sunt duæ vltimæ beatitudines, scilicet Munditia cordis ad Deum videndum; & Pax mentis ad perfectè fruendum.

SECVNDO ex modis perfectionum ità colligit S. Doct. septem habitus beatitudinum: Nam est perfectio Religionis, Prælationis, & priuatæ Sanctitatis internæ. Ad perfectionem autem Religionis requiritur abdicatio boni priuati; acceptatio boni fraterni; & appetitio boni externi. Primum fit per Paupertatem spiritus: Secundum per Mititatem affectus: Tertium per amaritudinem luctus. Ad perfectionem verò Prælationis duo requiruntur, scilicet zelus Iustitiæ, & affectus Misericordiæ: *Misericordia enim, & veritas custodiunt regem*, vt habetur *Prouerb. 20.* Secundùm hæc duo disponi debet regimen prælationis in Ecclesia Militante. Ad perfectionem verò internæ Sanctitudinis requiritur puritas conscientiæ, seu cor mundum; & tranquillitas totius animæ per pacem Dei, *quæ exuperat omnem sensum*, vt habetur *Philippensium 4.* 9

TERTIVM caput est è dispositionibus præambulis, vnde septem beatitudines colliguntur. Timor enim facit recedere à malo, & mali occasione. Et quia radix omnium malorum est Cupiditas; ideò timor disponit ad spiritus paupertatem; in qua simul iungitur humilitas cum paupertate, vt sic elongetur vir perfectus à fonte omnis culpæ, idest, à superbia, & cupiditate. Hinc est, quod paupertas spiritus est fundamentum totius perfectionis Euangelicæ. Vnde oportet primum hoc fundamentum struere, qui vult ad culmen perfectionis peruenire, iuxta illud Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Ecce perfecta paupertas nil retinet. Et subditur: *Et sequere me.* Ecce humilitas, quæ facit, 10
vt homo abnegando seipsum tollat crucem suam, & sequatur Christum, qui est totius perfectionis fundamentum. Disponit ergo Timor ad spiritus paupertatem: Pietas ad mititatem; nam qui piè ad aliquem afficitur, nec eum irritat, nec irritatur ab illo. Scientia verò disponit ad luctum, quoniam per scientiam cognoscimus nos à statu beatitudinis relegatos in hac valle miseriæ, & lacrymarum. Fortitudo disponit ad esuriem Iustitiæ; 11
qui

qui enim fortis est, tam auidè se tenet cum Iustitia, vt malit à vita corporali, quàm à Iustitia, se-
12 parari. Consilium verò disponit ad misericordiam: nihil enim Deus magis suadet consiliis in Scriptura, quàm misereri, quod super omnia reputat holocausta. Intellectus autem disponit ad cordis munditiem: nam speculatio veritatis mundat no-
13 strum cor ab omnibus phantasiis. Sapientia disponit ad pacem; nam Sapientia iungit nos summè vero & bono; in quo est finis nostri rationalis appetitus; Quâ pace adeptâ, sequitur superabundans delectatio spiritualis, quæ in duodenario fructuum spiritus continetur ad insinuandam vniuersitatem, & superabundantiam delectationum. Hi sunt, Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Longanimitas, Bonitas, Benignitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continentia, & Castitas; quæ dicunt delectationes consequentes opera perfecta, vt habetur *Galat.* 5.

14 ITAQVE ex his colligitur, quòd Habitus virtutum ad exercitium principaliter disponunt vitæ actiuæ: Habitus donorum ad actus contemplatiuæ: Habitus beatitudinum ad perfectionem vtriusque. Fructus verò spiritus dicunt delectationes, consequentes opera perfecta. Hæc S. Bonau. *quarta parte Breuiloquij, cap.* 6. Eadem ferè habet *tertia parte Centiloquij, cap.* 46. & *lib.* 6. *Compendij Theologicæ veritatis, cap.* 47. verbum pro verbo. Vnde colligo, malè aliquos suspicari, opus illud esse Alberti Magni; aut D. Thomæ; aut Ægidij. Nam in Bibliotheca Vaticana habetur inscriptio:
15 *Compendium Theologicæ veritatis Bonauenturæ*: Et in alio peruetusto codice, in fronte, impressus est D. Bonauentura. Præterea diuisus est hic tractatus in sex libros, ad normam Breuiloquij, & sæpè iisdem verbis exaratus, vt etiam in hoc capite libet videre, vt aduertit Compilator operum S. Bonauenturæ. Idem habet S. Bonau. *ad* 6. *Lucæ*.

QVÆSTIO III.

An præmia, quæ attribuuntur Beatitudinibus, ad hanc vitam pertineant.

D. Thom. quæst. 69. art. 2.

VARIETATE vniformi hac de re locuti sunt Patres: Aliqui enim beatitudines ad patriam, completas sanè, reseruant; alij inchoatam in spe viris perfectis beatitatem concedunt, vt ait S. Thomas.

16 ASSERO ergo, præmium perfectum ad patriam reseruari, nunc tamen prælibari.

PROBATVR à D. Bonauent. *ad* 6. *Lucæ*, è singulis quatuor, ab eo numeratis: alias verò, locis suprà adductis affert.

Primò ex prima Beatitate: *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Vbi obseruat primò, Christum hæc dicturum, eleuasse oculos in discipulos pauperes, quasi iam in alto constitutos, ob lætificam hæreditatem regni cœlorum. Ita enim Iacobus, cap. 2. fatetur: *Elegit Deus pauperes in hoc mundo, diuites fide, hæredes regni.*

17 DEINDE notat verbum (*est*) esse temporis præsentis, siue ob certitudinem; siue quia ex nunc inciperent esse reges, vt innuitur 2. Corinth. 6. *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.*

Affert & illud Senecæ effatum: *Nemo nascitur diues, quisquis exit in lucem, iussus est pane, & lacte esse contentus; & nemo in hoc pauper est. Inter quæ, si quis desiderium suum clauserit, cum Ioue poterit de fælicitate contendere.*

DEINDE secundam perpendit: *Beati qui nunc esuritis: quoniam saturabimini.* Esurientes iustitiam 18
alloquitur, qui se ideò incommodis exponunt, vt refert Apostolus, Hebr. 11. *Circuierunt in melotis, &c.* Hi non esurient, neque sitient. Apocal. *Saturabuntur.* Psal. 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria. Inebriabuntur.* Psal. 35. *Faciet enim Dominus in monte hoc conuiuium pinguium.* Isa. 25.

Hi tamen pascuntur in hac vita, cœlesti pane. Eccli 24. *Qui edunt me.* Et Ioan. 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris.*

Aspicit deinde flentes: *Beati qui nunc fletis.* Hi 19
sunt iusti, è quibus exempla refert. *Isa.* 38. in Ezechia. *Iob* 30. in Iob, in Dauide 2. *Reg.* 1. In Christo. *Luca* 19. In Paulo. *Rom.* 12. Vel peccatores. *Iudicum* 2. Hebræi; *Matth.* 2. Petrus; *Nunc autem flere*, ait, idest breui momento. 1. Petri 1. *Modicum nunc si oportet contristari.* Hos ridere etiam in hac vita ostendit, Iob 8. *Impleatur risu os meum, & labia mea iubilo.* In nouissimo tamen ridebunt completè, vt dicitur *Prouerb.* 3.

ACCIPIT deinde patientes. Hos alloquitur Pe- 20
trus, prima, cap. 4. *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis.* Ideò & Christus: *Gaudete in illa die, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Rom. 12. *Spe gaudentes.* Sic enim inchoatur in spe vicini boni gaudium, sicuti & iam maturescentibus fructibus gaudet agricola, vt ait etiam D. Thom. Hinc, Act. 5. *Ibant Apostoli gaudentes, &c.* Hinc, Hierem. 31. *Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia est merces operi tuo.* Et Dauid Psal. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam.*

Affert S. Doct. etiam Bedam *lib.* 2. *in cap.* 6. *Lucæ*, præclara perorantem. Mox scripturas aggerat, mercedem magnam iustis promittentes: Hinc obiecta D. Thomæ soluuntur.

QVÆSTIO IV.

Vtrum præmia* BEATITVDINVM *conuenienter numerentur.

D. Thom. quæst. 69. art. 4.

ASSERVNT D. Thomas *hic*, & D. Bonauent. *ad* 6. *Lucæ.* Et primò quidem satis Domini testimonio probatum est: Adhuc tamen sciendum est è D. Ambrosio *lib.* 5. *in cap.* 6. *Lucæ*, licèt 4. tantùm beatitudines S. Lucas posuerit, S. Matthæus verò octo, in illis tamen 4. istæ octo includuntur, & vicissim illæ in istis.

COLLIGIT autem S. Doctor conuenientiam promissionum, quas his Beatitudinibus fecerat Dominus, iuxta illud Ephes. 3. *Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profunditas*: Promittit enim Christus pauperibus regnum opulentiæ, quod est regnum omnium sæculorum, & est longitudo æternitatis. Secundò promittit esurientibus

bus conuiuium abundantiæ, propter desiderium spiritualium, quod consistit in gustu Diuinæ bonitatis; & est latitudo bonitatis. Tertiò pollicetur risum iucunditatis detestantibus mala culpæ; & hi sunt flentes, quorum præmium est contemplatio veritatis, & ecce profunditas sapientiæ. Spondet denique sustinentibus mala pœnæ, mercedis multitudinem, & hæc signatur, dum dicitur: *Beati eritis cum vos oderint homines*, aut: *Beati qui persecutionem*, &c. Et quia subiectioni debetur imperium, hinc sublimitas potestatis.

Subdit autem S. Doctor, *in his quatuor clauditur perfecta oratio voluntatis humanæ*; & conuenienter quidem; cùm enim admissio in participationem præmij cœlestis fit propter dimissionem boni terrestris, iuxta id: *Qui reliquerit patrem suum*, &c. rectè contemnentibus temporalem affluentiam, datur spiritualis opulentia; & fastidientibus gustum mundi, datur saturitas, & conuiuium cœli; idem dic de flentibus, & persecutionem patientibus.

His Beatitudinum præmiis contraponit Seraphicus Doct. quatuor Væ reproborum; væ scilicet cupidorum, in amissione boni temporalis: Væ gulosorum, in amissione boni spiritualis; væ lasciuorum flendo afflictionem mali corporalis. Væ denique vanè glœriantium in passione opprobrij sempiternalis. Propter primum dicitur: *Væ vobis diuitibus*, &c. Propter secundum: *Væ vobis, qui saturati estis*. Propter tertium: *Væ vobis qui ridetis*. Et propter vltimum: *Væ vobis, cùm benedixerint vobis homines*. Hæc epilogando tantùm tetuli; pro cætero remittendo ad ipsum S. Doctorem, qui fusè, cœlica quadam suauitate, & gustu hæc prælibat.

SECTIO VNICA.

De Fructibus Spiritus sancti.

QVÆSTIO VNICA.

Quid sit Fructus SPIRITVS SANCTI *& quot.*

D.Thom.quæst.70.

DE his D.Bonauent. *de 7. donis, cap.3.* vbi docet, hos fructus esse effectus Virtutum, Do-
1 norum, atque Beatitudinum; & esse delectationes consequentes opera perfecta. Idem habet *5. part. Breuil. cap.6. & 3. part. Centiloq. sect.46.* vbi inter fructus spirituales hoc ponit discrimen; vt fructus affectualis delectationes sint circa bonitatem Dei: sensus verò actuales intellectiones, circa veritatem eiusdem Dei amati per contemplationem, quæ fuit in prophetis per reuelationem. Et *lib.6. Compend. Theolog. cap.57.* vocat fructus, statum consolationum, quibus Deus iustos recreat, quæque opera perfecta consequuntur.

2 OBSERVANT autem SS. Doctores, fructum, à corporalibus ad spiritualia translatum, significare id, quod est ab homine productum quasi è planta suauitatem ferens, vel quod ex homine, veluti agro, colligitur, nempè opera, de quibus est Parabola *fructus centesimi, sexagesimi, & trigesimi*, vt notat D.Bonauent. *4. part. Centil. sect.1.* Ex hac arbore, & hoc agro exiguntur fructus duodecim, de quo mirificè disserit S.Doct. *ad 19. Lucæ*, quem videte.

HI sanè fructus, prout virtute Spiritus sancti producuntur, sunt fructus Iustitiæ, & Sapientiæ, in Scriptura mirè laudati. Ita D. Bonauent. & D.Thom. *suprà*.

Hinc colligunt differentiam inter beatitudines, 3
& fructus. Hi enim sunt virtuosa opera; in quibus homo delectatur: Beatitudines verò, secundum D.Bonauent. sunt habitus, modo suprà explicito; at secundum D. Thomam, sunt opera perfecta, quæ magis attribuuntur donis, quàm virtutibus.

ESSE autem diuersa ostendunt D. Thom. *hic*, & D.Bonauent. *in 3. dist.34. p.1. q.1.* habent enim diuersa nomina, diuersas definitiones, diuisiones, &c.

Duodecim numerantur à SS. Doctoribus, ex 4
Apostolo *Galat.5.*

Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continentia, Castitas.

Horum connexionem, conuenientiam, & virtutem referunt Sancti Doctores, *relatis locis*. Latè verò S.Bonau. *in Diæta salutis, tit.8.*

HI etiam explicant, quo pacto operibus carnis aduersentur, sed de his reagam *secunda secundæ* propriis locis.

DISPVTATIO V.

De Vitiis.

VITIVM cùm aliud non sit, quàm deordinatio potentiarum Animæ, & harum quasi subuersio, non autem subtractio, inquit D. Bonauent. *lib.1. de profectu Relig. cap.8.* perpulchrè eius peruersionem delineat similitudine instrumenti musici, quod integrum, & benè ordinatum dulcem reddebat melodiam; confractum verò, & deordinatum pro cantu, horrendum reddit stridorem: habitualis enim in malum corruptio, horrendè in Dei auribus stridet.

QVONIAM igitur de Habitibus est no- 1
stra pertractatio; & de bonis iam disputauimus; Nunc agendum est in genere de Habitibus malis, qui sunt Vitia; è quibus actus Peccatorum erumpunt; sicut autem Virtutes sunt habitus conformes rationi; ità Vitia sunt dissona rationi: Hæc autem breuiter expediam; cum ferè iam ex oppositis virtutibus eorum cognitio eluxerit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

An, & quomodo VITIA *opponantur Virtutibus.*

D.Thom. quæst.71. art.1.

2 SVPPONO autem primò, è *disput.1. quæstione 1.* Virtutem non esse relationem rationis, vt putat Scotus, quem idem sentire de vitiis, certum est, vtpotè oppositis, quod Scotus asserit *in primo, dist.17. quæst.2. §. sed oppositum huius*; & post eum Fauentinus 4 *dist.14.disp.1. num.47.* Quos sequuntur Vasquez, & Cano, relati à Fabro, quos impugnat Medina *prima secunda, quæst.71.art.6.* Satis patet ex dictis *ibi* de virtutibus. Opposita enim sub eodem genere maximè distant: sed virtus est sub genere Habitus: Ergo & Vitium oppositum.

3 SVPPONO secundò, ex dictis *eadem disput.2. quæst.10.* Virtutem stare in medio (excepta, ex parte, iustitia;) ità vt hinc, & inde, tam in excessu, quàm in defectu, vitia contraria stent. Itaque Liberalitas in excessu habet Prodigalitatem, à dextris aduersariam; & secundùm defectum, à sinistris Auaritiam. Et ità virtus habet vnam sanè formaliter rectitudinem, quæ tamen includit virtualiter duas oppositas vtrique extremo: hæc autem explicatur per negationem accessus ad vtrumvis extremum. Igitur hac regula distinguuntur vitia per comparationem ad medium, in quo stat virtus. Ità aduertit Fauentinus *in 4. dist.14. disp.1. num.70.* post D. Bonauent. *de profectu Religiosi, cap.50.* & *in 2.dist.42.circa litteram,* & *dist.34.art.2. quæst.2.ad vltimum*, vbi ideò ait; vnum vni opponi vno genere oppositionis, & secundum idem, & per se loquendo.

4 ASSERO, vitia opponi virtutibus contrariè. Est communis Theologorum sententia.

PROBATVR primò à D.Bonauent. *in 2.dist.34. art.2.quæst.2.ad 2.* Id, quod reddit habile ad actus oppositos, alteri opponitur positiuè; sed vitium est tale, v. g. Vitium Luxuriæ reddit habilem ad actus, oppositos virtuti castitatis: Ergo.

SECVNDÒ, quia mutuò se expellunt, & ab vno ad alterum est regressus.

PROBATVR tertiò à D.Bonau. *ibi*, & D.Thom. quia Virtus, & Vitium sunt habitus oppositi, vt patet ex dictis: Ergo positiuè oppositi. Et quidem pugnam virtutum cum vitiis describit S. Doctor *lib.2. Pharetra, cap.15.*

5 PROBATVR quartò à D. Bonau. *in 2. dist. 34. art.2. quæst.2. ad vltimum*, quia vitium est contra naturæ rectæ inclinationem, virtus verò est iuxta naturæ rectæ inclinationem: ergo opponuntur positiuè. Hac ratione vtitur Valentia *disput.6. quæst.1. p.2.*

QVÆSTIO II.

An, & quomodo VITIA *sint contra naturam hominis.*

D.Bonau. in 2.dist.30.q.1. D.Thom. art.2.

MVLTI adeò suas sibi opiniones desponsatas sustinere moliuntur, vt si semel sibi propositionem aliquam ad eam attinentem aluerint, omnibus modis vniuersalem esse sarram-tectam velint.

IN *hac quæstione*, D. Thomas sanè *hìc* sustinet, 6
vitia, atque adeò etiam peccata, esse contra naturam hominis; quia enim homo rationalis est, quidquid rationi opponitur, naturæ hominis inimicum proclamat; inter quæ nominat etiam vitium: quia sicuti Virtus est perficiens secundùm conuenientiam naturæ rationalis ad bonum: ità vitium oppositum, est deformans naturam rationalem in ordine ad malum. Itaque plurimi trahunt hanc 7
sententiam ad vniuersalem propositionem, vt virtus sit iuxta naturam etiam sensitiuam hominis; & vitium contra eandem portionem; quia vis sensitiua appetitiua inclinat quidem ad obiecta sensibilia, quæ sunt bonum sensibile, quod D.Bonau. *loc. cit.* vocat bonum hìc, & nunc, seu præsens; non tamen ad illud, vt est contra rationem, & hoc etiam post lapsum originarium asserunt; in quo appetitum spoliatum fatentur gratuitis, quibus tamen etiam in statu integro esset nudus; atque adeò iisdem solis inclinationibus præditus esset ad bonum delectabile. Itaque Vasquez *disp.90.* Zumel *articulo hoc, D. Thom.* Tannerus *prima secunda, disp.4.quæst.1.dub.1.*

SIC Franciscus Victoria, *relectione de homicidio,* 8
num.2. volens, in nobis esse naturalem inclinationem ad virtutem, & auersionem à vitiis, infert ideò homicidium esse malum, quia est contra naturalem inclinationem; excipiunt tamen aliqui eas virtutes, quæ infusæ sunt, ad quas non habet homo appetitum naturalem; vnde nec vitia opposita erunt contra naturam. Itaque neque Infidelitas, neque Desperatio erunt contra naturam. Ità Medina *hic, quæst.71. art.2.* Hos tamen redarguit Vasquez *cap.2.* asserens, etiam Virtutes infusas esse secundùm naturam hominis, quippè quæ sint naturæ hominis consentaneæ; atque adeò etiam vitia opposita, esse contra naturam. Ità etiam Zumel. *ad hunc articulum D.Thomæ, disp.2.*

D.BONAV. *loc.cit.* quærens, An corruptio appe- 9
titus habeatur ab origine naturæ; an vero ex originali morbo; sustinet, haberi ex peccato, atque adeò appetitum quidem inclinare naturaliter ad bona delectabilia, non tamen contra rationem; imò naturâ suâ habere potentiam passiuam, vt rationi subdatur; at ex originis lapsu habere, vt ad peccatum rebellis feratur; atque adeò peccata non esse contra naturam sensitiuam infectam; licèt sit contra naturam rationalem. Eum sequuntur multi Theologi, quos minùs solidè locutos, ait Tannerus, *num.8.*

IN secundo verò sensu, *loco citato* in fine quæ- 10
stionis præcedentis, dicit, virtutem, & vitium opponi, quia illa est iuxta inclinationem naturæ: vitium verò è regione.

NOTAT verò *p.p. Centil. sect.18.* dari peccatum contra

contra naturam specialiter, vt Sodomiticum; at peccatum esse etiam contra naturam rationalem, quæ est naturale iudicatorium, dictans bonum sectandum; malum fugiendum. Idem admonent alij Doctores cum eo.

11 Assero primò, omnia vitia esse contra naturam, vt rationalis est. Ità Sancti Doctores *hic*.

Probatvr à D. Bonauent. *p. p. Centil. sect.* 3. ex Damasceno *lib.* 4. *de fide, cap.* 31. vbi definit peccatum: *Est ab eo, quod secundum naturam, ad id, quod præter naturam, conuersio.*

Probatvr secundò. Sicut Virtus benè disponit ad perfectionem naturæ secundùm regulam Diuinæ sapientiæ, & bonitatis; ità vitium ad ea, quæ sunt contra eandem regulam; ac proinde contra naturam, quæ appetit perfectionem. Ità arguit S. Bonau. *primo loco*, & *in corpore.* D. Thom. *loc. cit.* Tannerus *num.* 5.

12 Probatvr tertiò, ex D. Bonau. *ad* 10. *Luce*, ad parabolam illius peregrini, in via Hierico vulnerati, vbi ex sententia D. Ambrosij *lib.* 7. *in Lucam, cap.* 10. *tomo* 3. misericordia ostenditur, iuxta naturam hominis. Idem de cæteris virtutibus.

Probatvr quartò à D. Bonauent. *argumentis primo loco.* Omnis potentia appetitiua est ad aliquod bonum; & nulla est indifferens. Sed omnis appetitus est à Deo: ergo est ad bonum, nullusque naturaliter ad malum. Probatur consequentia, si inclinatio aliqua naturalis esset ad malum, Deo, vt authori, tribueretur, non tantùm inclinatio ipsa ad peccatum, & malum; sed etiam ipsum peccatum; esset enim peccatum secundùm inclinatio-

13 nem naturalem, quàm Deus indidit. Confirmatur: Sicut homini inducenti ad peccatum imputatur peccatum illius; sic potiori ratione Deo tribueretur peccatum, ad quod ipse naturalem inclinationem indidisset: magis namque ad peccatum inclinat, qui naturalem ad illud tribuit inclinationem, quàm, qui solo consilio mouet. Quod verò id Deus non fecerit, probat D. Bonauent. è Diuina æquitate, quæ nullam curuitatem culpæ producit: è Diuina sapientia, quæ nihil producit turpe: è Diuina bonitate, quæ malum culpæ exhorret; nihilque dignum maledictione facit.

14 His argumentis nititur Victoria.

Hinc ruit effugium Vasquez *cap.* 1. dicentis, posse responderi, appetitum quidem non esse ad malum; sed neque benè probari, esse ad bonum, cùm sit indifferens. Iam enim ostendi, esse ad obiectum aliquod in aliquo genere boni. Ideò *n.* 11. re melius considerata, hæc argumenta admittit.

Assero secundò, appetitum sensitiuum, ex peccato originali deprauatum, ad peccatum tendere, atque adeò vitium non esse contra naturam, sic infectam, sensitiui appetitus.

15 Probatvr à D. Bonauent. primò ex Scripturis, quas indicat *corpore huius quæstionis*, & latè affert *quæstionibus venientibus*, præcipuè quæstione proximè sequenti, ex illo Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.*

Respondet Vasquez *num.* 9. hanc repugnantiam inesse homini à natura; nam in pura natura, eodem modo appetitus repugnaret.

16 Contra est manifestè Apostolus, qui statim subdit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Certum est autem, ipsum loqui de morte, vt tendit ad peccatum formaliter; nam subdit: *Gratia Dei.*

Idem ostendit S. Doct. *art.* 2. *quæst.* 1. ex tertio ad Rom. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Vbi Glossa. Peccatum, idest, fomes peccati, non est aliud, quàm concupiscentia. Et Rom. 7. *Concupiscentiam nesciebam esse peccatum*: Vocari autem peccatum, quia ad peccatum inclinat, ipse S. Doct. sæpè aduertit, præcipuè *hic*, atque *in* 2. *dist.* 32. *q.* 1. præsertim *ad tertium argumentum.*

Quod posteà definiens Concilium Tridentinum 17 *sess.* 5. *in decreto de originali peccato, canone* 5. ait, Fomitem peccati, qui est ipse appetitus, ideò peccatum appellari, quia à peccato est, & ad peccatum inclinat: ergo ex sua natura talem inclinationem non habet; sed ab originali.

Respondet Vasquez *num.* 10. Concilium non dicere, appetitum ideò inclinare in peccatum, quia est à peccato; sed ideò peccatum appellari, quia à peccato est, & ad peccatum inclinat; non quia verè peccatum sit. Quare cùm in pura natura ad idem omninò obiectum contra rationem propenderet, eodem modo diceretur peccatum, & cum Paulo affirmare possemus: *Non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum.*

At verò si attentè legatur Concilium, luce clarius intuebimur, inanem Vasquez fugam. Ibi enim 18 S. Concilium protestatur, se velle definire causas, & effectus peccati originalis. Tandem definit, in Baptismo tolli totum id, quod ex peccato originali, idest, quod veram rationem peccati habet: subdit verò, manere concupiscentiam, vel fomitem ad pugnam. Tandem concludit: *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè, & propriè in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit; anathema sit.*

Cum igitur Concilium statuat, concupiscentiam 19 esse effectum peccati originalis, atque ad formale peccatum inclinare; sequitur, non esse futuram in natura etiam nudatâ gratiis iustitiæ originalis, &c. alioqui cum esset à Deo, iam Deus esset causa peccati, vt rectè infert S. Bonauentura, & post eum Victoria; non modo quia appetitus tenderet in bonum delectabile, sed quia tenderet contra rationem. Confirmatur ex Concilio Arausicano secundo, *can.* 13. *&* 25. vbi definit, liberum arbitrium per peccatum infirmatum, & attenuatum. Quæ doctrina D. Augustino est familiaris.

Probatvr secundò à D. Bonauent. *in corpore.* 20 Natura sensitiua, in puris naturalibus esset ordinata sub imperio rationis, non autem ei rebellis; alioqui hæc inordinatio esset à Deo: Ergo ferretur ordinatè in suum obiectum, quod est bonum delectabile, hic, & nunc, sub regimine rationis: Ergo non appeteret suum obiectum contra rationem: Ergo non esset hæc concupiscentia.

Quod enim ait Vasquez, tunc futurum fuisse, 21 vt tenderet, non quidem in peccatum formaliter; sed in bonum, quod à ratione acceptatum, esset peccatum, nullius est momenti. Nam adhuc inordinatè appeteret, & egrederetur extra naturalem subordinationem, quæ cùm sit à Deo, non potest esse ad malum, etiam formaliter. Sanè etiam nunc post peccatum non tendit appetitus sensitiuus in peccatum formaliter, sed in bonum delectabile, quod est materiale peccati; nam peccatum formaliter est à sola voluntate; & tamen dicitur peccatum ab Apostolo, quia inordinatè tendit ex rebellione,

bone, quæ non potest esse à Deo in natura mera; esto denudata gratiis, cùm sit à Deo, vt dixi.

22 Probatvr tertiò à D. Bonauent. ex *Lucæ* 10. ex illa Parabola peregrini Hierico, qui dicitur spoliatus à Latronibus, & vulneratus. Hanc Patres exponunt de Adam viatore, qui spoliatus fuit gratuitis; & vulneratus in naturalibus, &c. sic exponitur etiam à Caietano. Quare non video, qua ratione ipse *quæst.* 109. *art.* 2. *D. Thomæ*, asserat, hanc solam differentiam esse inter naturam simplicem, & statum hunc, quòd in pura natura appetitus esset nudus; at nunc est spoliatus, vt refert Vasquez *num.* 10. Verè enim admittenda est ab omnibus rebellio, tanquam proprius effectus culpæ, vt concedit etiam Tannerus *num.* 8. vbi ait, forsan velle nos esse contentos in admittenda rebellione in actu secundo, qua appetitus præuenit deliberationem: At si hunc actum secundum nobis concedit; cogetur concedere actum primum, qui est huius causa, quique non fuisset in natura, gratiis destituta.

23 Hinc S. Bonauent. *ad tertium* conuellit fundamenta, quibus nituntur Vasquez, & Tannerus, quæque adeò magnificant; nempè, naturam humanam in statu mero naturali conuenienter à Deo habituram appetitum, qui ad bonum delectabile ferretur, etiam ad illud, quod est contra rationem; atque adeò etiam tunc appetitum fore ad peccatum inclinatum; sicut etiam nunc est, non quidem ad peccatum formaliter, sed ad materiale, nempè, ad bonum delectabile, ità vt peccatum formaliter nec sit naturæ sensibili consentaneum.

24 Respondet secundò, decuisse Diuinam bonitatem dare vnicuique rei inclinationem, saluo ordine, qui attenditur inter res ad inuicem consideratas, secundum quem ordinem corpus debet esse subiectum animæ, & sensualitas rationi: sic ergo debuit dare inclinationem sensualitati, vt in nullo præiudicet rationis rectitudini. Hinc, licèt sensualitas bonum, vt nunc, appeteret; non tamen debuit esse præter rationis rectitudinem, sicuti fuit in primo homine; nunc autem præter iudicium rationis appetit; ideò factus est similis iu-
25 mentis (vt cum Dauide loquar) insipientibus. Addunt aliqui, probabilem esse oppositam sententiam, quippè non impugnet forsan D. Bonau. qui comparat hominem status lapsi, non cum illo, qui esset in nudis naturalibus; sed cum Adam vestito iustitia originali; in qua non erat pugna, ob habitum iustitiæ comprimentem.

Deinde S. Doct. *in* 2. *dist.* 34. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad vltimum* dicit: Virtus directè opponitur vitio, & quia naturalis habilitas quodammodo inclinat ad virtutem; hinc est quod vitio opponitur quodammodo, licèt non omninò, vt virtus.

QVÆSTIO III.

An Vitium *sit deterius actu vitioso.*

26 Hic, vbi de bonitate morali est quæstio, inquirunt etiam Doctores: An habitus sit perfectior, in genere entis, suis actibus.

Qvidam dicunt, semper habitum esse suis actibus perfectiorem essentialiter. Ità Alensis 2. *p. quæst.* 104. *memb.* 5. Henricus *p. p. summæ*, *art.* 37. *quæst.* 1. fauet D. Thom. *prima secundæ*, *quæst.* 51. *art.* 7. *ad tertium.*

Alii è regione existimant, actum esse perfectiorem. Ità Scotus *in* 4. *dist.* 49 *quæst.* 1. & 2. Caietanus, Conradus, Medina *prima secunda*, *quæst.* 71. *artic.* 3. fauet Aristoteles 1. *Ethic. cap.* 8. 9. & 13. & *lib.* 10. *cap.* 10. & *lib.* 9. *Metaph. cap.* 7. & *lib.* 12. *cap.* 4. & 6. Citatur etiam S. Thom. *hic*, *quæst.* 71. *art.* 3. Sed ipse loquitur solùm de bonitate morali, quæ malitiæ morali opponitur, vt notat Suarez *disputat.* 44. *Metaph. sect.* 8. *à numero* 17. Vasquez *ad articulum tertium*, *quæstionis* 71. Tannerus *disputat.* 4. *quæst.* 1. *dub.* 1. *numero* 17. 27

Qvoad morale, suppono, tria in hoc casu assignari; nempe Potentiam peccandi, Vitium, & Peccatum. Et quoad potentiam, ipsa indifferens est ad vtrumque, idest bonum, & malum; vt ait Aristoteles 9. *Metaph. textu* 19. & S. Bonauent. *in* 1. *distinct.* 44. *quæst.* 1. ac propterea eam esse à Deo ostendit; & *in* 2. *dist.* 34. *art.* 2. *quæst.* 2. vbi edisserit differentiam inter potentiam, habitum, & actum malum; vt potentia dicat ens, seu facultatem, cum hac imperfectione ordinabilitatis ad malum: habitus dicat aliquam habilitatem positiuam ad malum; actus verò formalis peccati meram priuationem bonitatis. Licet autem etiam habitus malus includat, priuationem boni; attamen dicit etiam aliquod ens positiuum: at peccatum formaliter sumptum, præcisum à substrato actionis Physicæ, est mera priuatio, vt dicam *quæst.* 2. *disp. seq.* 28

Assero igitur primò, peccatum esse vitio peius, in omni genere. 29

Probatvr à D. Bonauent. *loc. cit.* Id, quod magis recedit ab ente, recedit à bono; tale est peccatum, cum vitio comparatum: Ergo. Maior patet: Minor probatur ex dictis. Confirmatur: nam habitus vitiorum manent etiam in iustis, quoad eorum substantiam, licèt non dicantur mali, quia non sunt voluntarij; vnde non habent rationem vitij perfectè, vt notat Zumellus *prima secunda*, *quæst.* 71. *art.* 1. *disp.* 2. Tannerus *disput.* 4. *quæst.* 1. *dub.* 1. *num.* 12. post D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 32. *quæst.* 1. *ad* 2. Confirmatur, quia per habitum, vt sic, non peccatur formaliter, sicuti per actus, vt notat S. Bonauent. *loc. cit.* & post eum Tannerus *num.* 12. Vasquez *quæst.* 71. *art.* 1. D. Thom. *argumento, sed contra.*

Assero secundò. Actus virtutis acquisitæ sunt nobiliores habitu, omni modo. Ità D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 37. *quæst.* 5. *ad* 3. D. Thom. *quæst.* 71. *art.* 3. & est communis, vt ait Tannerus *loc. cit. num.* 13. & est Aristotelis 9 *Metaph. text.* 19. 30

Probatvr à D. Bonauent. *loc. cit.* quia Dans complementum alteri, est illo perfectius; sed actus est complementum habitus; & finis eius in omni genere entitatiuo, & morali: Ergo.

Assero tertiò, idem dicendum de Habitibus infusis, ob eandem rationem. Ità D. Thom. *quæst.* 71. *art.* 3. vbi Caietanus, Medina, Zumel. *ibi*: Fateor tamen, si comparentur in ordine ad subiectum, habitus præcellere actibus; quia ipsi expellunt formaliter peccatum mortale, & permanenter sanctificant subiectum: actus autem causaliter, & dispositiuè tantùm, vt notat Tannerus *num.* 15. post D. Bonauent. *tract. de Gratia*, *disp.* 2. *quæst.* 4. contra Vasq. *disp.* 203. Infusi verò præcellunt Habitus. Nam infusi, reddunt poten- 31

tiam substantialiter potentem ad actus; non sic acquisiti, q i dant solam facilitatem.

32 Obiicies. Habitus est causa actus: Ergo est nobilior; nam causa est nobilior suo effectu.

Respondetur, habitum esse merum instrumentum actuum producendorum, vt notat Caietanus *quæst.71.art.1.* & Valentia *disp.6.quæst.1.p.2.*

Dices secundò. Contrariorum eadem est ratio; sed habitus boni, & mali sunt contrarij: Ergo sicuti infusiuæ sunt meliores actibus suis Physicè; ità & habitus mali sunt peiores actibus suis.

Respondet Valentia *loco citato*, negando 33 paritatem: non enim conueniunt vitium, & actus vitiosus in malitia; sicut virtus, & actus virtutis in bonitate. Nam bonitas intrinseca denominatione attribuitur virtuti; non autem vitio malitia; sed solùm per ordinem quendam ad actum malum, & vitiosum. Atque ita potest virtus, quoniam permanens est, censeri Physicè melior actu virtutis; non autem vitium censeri peius actu vitioso. Hæc doctrina eruitur è D. Bonauentura *loco citato*. Hæc de Habitibus sufficiant.

TRACTATVS III.

DE PECCATO.

PEccatvm latè prosequitur D. Bonauent. *in Dieta salutis, tit.* 1. & alibi passim: ibi verò mirâ ipsum varietate similitudinum describit: Est (inquit ibi) peccatum, sicut putredo in pomo, auferens animæ decorem, famæ odorem, gratiæ valorem, & gloriæ saporem: Est sicut falsitas in panno; vti enim Mercator falsi panni solum speciosum ostendit initium, non medium, aut finem, ità peccati Mercator diabolus suggerit tantùm delectationem, quâ peccatum incipit, non remorsum conscientiæ, in quo progreditur, aut pœnam gehennæ, in quam finaliter labitur. Alias peccati Analogias, cum vinculo ducente porcum ad Macellum, bouem ad victimam, cum rete inuoluente incautos pisces, cum virga, inuiscante colludentes aues, *Ibidem* perbellè depromit Seraphicus Doctor, quibus demonstrat quanta & qualia impedimenta sibi peccator struit ad vltimum finem. Nobis itaque pro nostro munere de fine Hominis agentibus, expedit non modò ea, quæ ad finem perducunt pertractare; sed etiam de obstaculis retrahentibus ab eodem fine.

1 Cvm igitur de Actibus Humanis, de Habitibus, ac Virtutibus disseruerim, quibus homo ad finem suum tendit; decens est, vt de impedimentis peragamus; ex quibus sunt Habitus vitiorum, quæ præmisimus: Inter cætera autem sunt peccata, quæ sunt Actus Humani, à recto finis tramite diuertentes. Et quidem cùm adeò ampla sit hæc pertractatio, eam in multas Disputationes intersecabimus. Ac primò de Peccato in genere agendum.

DISPVTATIO I.

De Peccato in Genere.

2 NOn agimus de peccato in genere, vt complectitur peccata, seu defectus etiam naturæ, & artis; de quibus Aristoteles 2. *Phys. text.* 82. qua ratione monstra dicuntur ab eo peccata naturæ: Et artis errores, puta Grammatici in dicendo, vel Medici in curando, peccata artis nuncupantur; sed loquimur hîc de defectibus Morum.

QVÆSTIO I.

Quid sit Peccatvm.

3 MVltæ definitiones peccati circumferuntur. Prima est D. Augustini, lib. 22. contra Faustum, cap. 27. *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam.* Hanc habet S. Bonauent. *in Dieta salutis, tit.* 1. *de Peccatis, cap.* 1.

Hæc definitio complectitur etiam peccata omissionis contra Vasquez; non ea tamen, quæ manent ad modum habitus; vt originale, & personale, à quo post actum, denominatur homo peccator: neque peccatum veniale, vt posteà dicam.

Secvnda est D. Augustini lib. 1. de consensu Euangelistarum, cap. 4. *Peccatum est legis transgressio*; quam definitionem in textu Græco habet D. Ioannes, epistola prima, cap. 3. *Peccatum est exorbitatio à lege*, id, quod vulgatus vertit: *Peccatum est iniquitas*, quam definitionem habet S. Bonauent. *in declaratione Terminorum Theologiæ.* Est enim iniquitas exorbitatio quædam ab æquo, & recto, quod præscribitur per legem. 4

Tertia definitio habetur à D. Augustino, lib. de natura boni, contra Manich. cap. 4. tomo 6. *Peccatum est defectus, & corruptela, qua scilicet corrumpitur modus, species, & ordo in voluntate creata.* Hanc habet D. Bonau. 3. *part. Breuil. cap.* 1. & 1. *part. Centiloq. cap.* 1. & 3.

Alias definitiones peccati refert *sect.* 3. 1. *part.* 5

Centil. dicens; alias definitiones esse formales peccati, prout dicit priuationem; alias materiales, prout substernit ibi aliquam actionem.

Vt igitur dicit recessum à bono, definitur à D. Augustino lib. 11. de ciuitate, cap. 9. *Peccatum est absentia boni, vbi debet esse.* Secunda habetur, lib. de natura boni, cap. 34. tom. 6. *Peccatum non est appetitio naturarum malarum, sed desertio meliorum.* Tertia habetur ibidem, cap. 4. *Peccatum est corruptio speciei, modi, & ordinis*, quod explicatum reliquerat *sect.* 1. dicens, *Modum* consistere, vt continuetur virtuti Diuinæ mouenti, quippè quæ pendet ab eo, vt efficiente: *Speciem* consistere, vt conformetur ei, vt regulæ dirigenti: *Ordinem*, vt vniatur ei, vt fini quietanti, quæ omnia deserit peccans.

6 Secvndò aliæ sunt definitiones peccati, vt est recessus à naturæ rectitudine, & sic tripliciter definitur. Primò à Damasceno, lib. 4. de fide, cap. 21. *Peccatum est ab eo, quod est secundum naturam, ad id quod est præter naturam conuersio.* Secundò à D. Anselmo, *lib. de conceptu Virginis*, & peccato originali, cap. 6. *Peccatum est carentia debitæ iustitiæ.* Tertia habetur à D. Augustino lib. 1. de libero arbitrio, cap. 16. *Peccatum est defectus quidam à luce veritatis, naturam non perimens, sed obscurans.*

Tertiò aliæ tres definitiones traduntur peccati, prout dicit recessum ab omnis boni complemento. Prima est D. Augustini, lib. 1. de lib. arbitr. cap. 16. *Peccatum est auersio à bono incommutabili.* Secunda habetur in lib. de Christiana religione: *Peccatum est carere bonis incommutabilibus, quibus fruendum est.* Tertia habetur ab eodem: *Peccatum est tenebræ mentis.*

7 Qvatenvs verò peccatum habet materiale, nempè, actionem substratam, potest tripliciter comparari, aut ad Deum, quem offendit; & sic tripliciter definitur: Primò à D. Augustino contra Manichæos, cap. 8. tomo 6. *Peccatum est in præceptis veritatis, vel in ipsa veritate errare.* Secundò à D. Ambrosio, lib. de Paradiso, cap. 8. tom. 1. *Peccatum est præuaricatio Legis Diuinæ, & cælestium inobedientia mandatorum.* Tertiò à D. Augustino, lib. 22. contra Faustum, cap. 27. tom. 6. *Est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam.* Hæc verò definitio includit etiam peccati formale, idest, deuiationem à lege, vt notat D. Bonau. *loc. cit.* & post eum Bellarminus *tom. 4. controu. 2. cap. 1.* vbi ait, magno applausu à Theologis id excipi. Ibi omnis lex comprehenditur; omnes enim à lege æterna habent esse. Includitur etiam voluntas, alioqui enim opus non esset contra legem. Hanc tamen definitionem Tilmanus Hesuuius vituperat, *in libro de 600. erroribus Pontificiorum.*

Obiicit sibi S. Bonau. *in 2. dist. 35. dub. 2. litt.* Peccatum omissionis, non est dictum, factum, vel concupitum; ergo definitio allata non est bona.

8 Respondet, etiamsi non sit tale, tamen ortum habet à concupito aliquo; sic aliquis omittit surgere ad matutinum, quia vult in lecto quiescere. Addit, non complecti originale; quia non est factum, &c. Nec veniale, quia non est contra legem. Vide D. Bonauent. *ibi*, vbi cæteras etiam Peccati definitiones explicat.

Secvndò, potest comparari ad virtutem, quam excludit; & sic triplicem habet definitionem. Prima est S. Basilij, oratione de virtutibus, & vitiis: *Peccatum est dispositio animæ, contrariè se habens ad virtutem.* Secunda est D. Augustini, lib. 1. Retract. cap. 15. *Peccatum est voluntas recipiendi, vel assequendi, quod iustitia vetat;* 9
quæ definitio tradit radicem omnium peccatorum, quæ est amor libidinosus, vt notat D. Bonauent. *in 2. dist. 35. dub. 1. littera.* Tertia est eiusdem D. August. de vera Religione, cap. 16. tom. 1. *Peccatum est appetere, quæ Christus contempsit, vel contemnere, quæ Christus appetiit.*

Tertiò potest comparari ad bonum, quod prætendit. Et sic tripliciter definitur. Primò à D. Augustino, lib. de ciuitate Dei: *Peccatum est malè vti bono.* Secundò ab eodem, lib. 33. quæstionum, quæst. 30. tom. 3. *Peccatum est frui vtendis, & vti fruendis.* Tertiò ab eodem, lib. 1. de libero arbitrio, cap. 16. *Peccatum est, spreto bono incommutabili, rebus commutabilibus adhærere.* 10

Alias duas affert. Prima est: *Peccatum est actus incidens ex defectu boni.* Secunda est: *Peccatum est meritum pœnæ æternæ.* Hæc omnia S. Bonauentura.

Easdem ferè definitiones habet *lib. 3. Compendy Theologiæ, cap. 2.* vbi addit etiam illam: *Peccatum est auersio à Deo; & conuersio ad creaturam*; quæ sumitur ex D. Augustino *lib. 1. de libero arbitrio, cap. 16. tom. 2.* Vbi aduertit, auersionem à Deo, esse formale peccati: conuersionem verò, esse materiale, cuius signum est, quod potest esse conuersio ad creaturam venialis; vt, cùm quis delectatur nimis aliqua pulchritudine, animo leuiter vano, & similibus. 11

E tot definitionibus primò colligit *cap. 9.* Peccatum non esse aliquid positiuum, sed defectum. 12

Colligit secundò, *cap. 4.* varia nomina peccati. Vocatur enim *Macula*, quia imaginem conspurcat. Dicitur *Reatus*, quia morti æternæ obstringit. Dicitur *Pollutio*, quia inficit delectatione terrena. Dicitur *Pœna*, in quantum respicit peccatum primi hominis, in quo natura nostra corrupta est. Dicitur *Offensa*, quia contra Deum est. Dicitur *Delictum*; secundùm quod est recessus à dignitate gratiæ habitæ. Dicitur *Culpa*, prout respicit pœnam. Dicitur *Præuaricatio*, quatenus mandatum Dei respicit. Dicitur *Vitium*, idest defectus bonorum naturalium. Dicitur *Peccatum*, prout est conuersio ad bonum commutabile. Dicitur *Scelus*, propter iniuriam Dei magnam. Dicitur *Nefas*, vt est illicitum personæ patranti. Dicitur *Crimen*, vt est dignum accusatione, & pœna.

Ex his definitionibus colligit tertiò Peccati definitionem, qua vtitur Valentia, disputat. 6. quæst. 1. p. 1. *Peccatum est defectus quidam voluntarius perfectionis, ex Diuina, & æterna lege homini debitæ; quo proinde homo descisit ab ea lege æterna, tanquam à prima, & certissima regula, determinante modum necessarium ad consequendum vltimum finem, idest Beatitatem.* Vide Valentiam, hæc explicantem. 13

Qvæstio

QVÆSTIO II.

Quæ sit formalis ratio PECCATI.

D.Bonau.in 2.dist.34.art.1. q.3. in corpore, & ad 1. & dist.36.3ub.3. litt.
D.Thom.quæst.71.art.6.

HÆc quæstio erit de peccato *Commissionis*, quod habet actum positiuum, cui nexa est deformitas; quoad peccatum verò *Omissionis* videndum erit *quæstione* 7. An habeat aliquem actum positiuum, qui possit prætendere in essentia peccati; an vero sola priuatione actionis contentum, in ea totam suam habeat essentiam.

14 PRIMA opinio est, peccati essentiam esse quid positiuum: Variis tamen modis eam sustinent. Primò quidem Caietanus *prima secunda, quæstione* 18. *artic.* 5. & *quæstione* 71. *artic.* 6: & *quæstione* 72. *artic.*1. duplicem malitiam in peccato ponit: alteram, quam vocat *simpliciter talem*; quàm dicit priuationem, & vult, esse auersionem à Deo: alteram positiuam, quam asserit esse conuersionem, quam dicit esse priorem, ac fundamentum malitiæ priuatiuæ; eamque esse in peccato potiorem formalem. Vocat hanc malitiam *secundum quid talem*, quia in se est quoddam bonum, licèt homini dumtaxat malum. Vocat etiam eam moralem, non quod etiam prior non sit moralis, sed quia hæc est magis voluntaria; & secundùm suam rationem propriam deficit à communi ratione malitiæ in genere entis, quæ est priuatio; adeoque moralis

15 est propriè. Hanc sententiam plurimi, nec indocti, iam sequuntur, è quibus Bartholomæus Medina *prima secunda*, *quæstione* 71. *artic.* 6. Bánnes *prima parte*, *quæstione* 48. *artic.*1. & *quæstione* 49. *artic.*1. & Cabrera 3.*parte*, *quæst.*1. *artic.*2. *disput.*12. §5. *numero* 28. licèt dubitans. Item Zumel, Curiel, Cornexo, Salmaticenses, & alij.

ALII addunt, hanc positiuam entitatem esse quoddam intrinsecum, essentiale actui per modum cuiusdam respectus transcendentalis, intimè penetrantis totam entitatem actus peccaminosi, secundùm quem, actus intelligitur positiuè realiter intrinsecè difformis, siue naturæ rationali, siue rectæ rationi, aut obiecto honesti. Ità Recentiores nonnulli, quibus accedit Zumellus *tom.*2. *quæstione* 114. *artic.*5. *disput.* 2. *conclus.*1. vbi distinguens duplicem malitiam peccati, ait, primam consistere in ordine transcendentali ad obiectum indebitum, seu in priuatione conformitatis ad legem, vel in positiua difformitate

16 ad illam. Addit verò, hanc relationem aduenire accidentaliter entitati ipsius actus, in quo secum pugnare videtur. Nam relatio transcendentalis non est extrinseca rei absolutæ, cui inest, sed vnum per se cum ea efficit, vt videre est in relatione potentiæ ad actum, & in relatione actus ad obiectum, vt notat etiam Tannerus *disputatione* 12. *quæstione* 5. *dub.* 2. *numero* 20. Non longè abit Angles *in* 2. *dist.* 37. *quæst.*1. *artic.*2. *diffic.*1. nisi quòd ille, relationem illam transcendentalem cum Scoto, vocat prædicamentalem, extrinsecùs aduenientem. Accedit Fuliensis *lib.*2.*cap.*2.

Huc reducuntur etiam, qui dicunt, peccatum esse aggregatum ex positiuo, & priuatione, & tribuitur à nonnullis Francisco Victoriæ, & Soto *in manuscriptis*, *ad artic.*7. *quæst.*71. *D.Thom.* Hæc vario modo exponitur apud Vasquez *disp.*95.*cap.*3. Allegantur etiam à Mastrio *disp.*6.*quæst.*1.Doctores suprà, *primo loco* adducti. 17

POSTREMÒ addunt nonnulli Recentiores contra omnes citatos, nullam aliam malitiam esse in actu peccaminoso, præter malitiam positiuam realem intrinsecam actui. Quod tamen ipse Caietanus non est ausus negare, ne Sanctis Patribus contraires, qui malitiam in priuatione constituerunt, vt notat Vasquez *loc.cit.cap.*1.*num.*2.

SECVNDVM agmen primæ sententiæ est dicentium, malitiam moralem esse quidem formaliter aliquid positiuum, non reale; sed morale, seu rationis, adeoque relationem rationis. Ità Cano apud Zumel. *cit. quæstione* 71. *artic.*6. *disp.*7. Idem tradunt Perez *Scholast. Certam* 8. *p.*1. Vasquez *disput.*95. *cap.*9. vbi vocat hanc relationem, seu respectum oppositionis humanæ operationis cum natura rationali, vt rationalis est, quam *relationem disconuenientiæ*, aut *inconuenientiæ* (ait) vocare possumus. Addit verò hanc non esse formalem rationem peccati Omissionis, quæ nullum habet positiuum, aut etiam nihil relationis inconuenientiæ. 18

ADDVCITVR à Vasquez *loc. cit.* etiam Scotus *in quodl. quæstione* 18. *artic.*1. *&* 2. vbi adducitur etiam à Tannero *numero* 22. Sed Fauentinus *in* 4. *distinct.*14. *disput.*1. *num.*14. Scotum ab hac opinione eximit: At verè *eo loco* videtur consentire; tametsi *in* 2. *dist.*35. in principio, §. *Iste quæstiones*, in priuatione ponat rationem formalem peccati. 19

Vera tamen, & perantiqua sententia est, formale peccati in priuatione positum esse, ac constitutum. Ità D. Bonauent. *hic*, & aliis plurimis locis, quæ in argumentis recitabo. Altisiodor. *lib.*2. *Summa tract.*7. *cap.*1.& *tract.*14. *cap.*1. Alensis 2.*parte*, *quæstione* 94. *memb.*2. *&* *quæstione* 97. *art.*1. Richardus *in* 2. *distinct.*34. *arti.*1. *quæst.*7. & *distinct.*35. *quæst.*1. Scotus *loc. cit.* Durandus *dist.*34. *quæst.*2. Gabriel *dist.*35. *quæst.*1. *art.*1. *&* 2. Capreolus *dist.*35. *quæstione vnica*, *art.*3. Marsil. *in* 2. *quæstione* 21. *art.*1. Henricus *quodl.*1. *quæst.*25. Ocham *quodl.*3. *quæst.*15. Almainus *tract.*3. *Moral. cap.*17. *assert.*2. Bellarminus *de peccatis*, *lib.* 2. *cap.*5. *&* 18. Gregorius de Valentia *disputat.*2. *quæst.*13. *p.*3. & *disp.*6. *p.*1. Azorius *tom.*1. *lib.*4. *cap.*1. *quæsito* 6. Molina *parte* 1. *quæst.*5. *disp. vnica*, Tannerus *disput.*2. *quæst.*5.*dub.*2. vbi *num.*29. adducit etiam plurimis in locis, D.Thomam consentire; præsertim verò id tenet *prima secunda*, *quæst.*71. *artic.*6. Salas *tom.*1. *tract.*7. *disp.*3. *sect.*2. & *tom.*2. *tract.*13. *disp.*2. *sect.*3. qui innumeros refert; Pasqualigo *disput.*25. *sect.*5. Lezana *tract.*5. *disput.*2. *quæstione* 3. Morandus *tract.* 3. *quæstione* 2. Mæratius *de Peccatis*, *disput.*1. Baldellus *lib.*2. *disp.*10. Granado, Molina, Lorca, Montesin. & alij, quos sequitur Hacquet. *tract. de Peccatis*, *controuers.*16. Mastrius *disput.*5. *Metaph. quæst.* 13. & *tom.*2. *Theolog. disput* 6. *quæst.*1. omnes Scotistas allegans, excepto Pontio *disput.* 22. *quæst.* 2. Hi tamen varij sunt in assignando, cuius boni priuatio sit peccatum. Sed hoc *quæst.* 6. elucidabitur.

ASSERO, formale peccati in priuatione boni, non in aliquo positiuo consistere. 20

PROBATVR primò à D. Bonauent. *in hac quæstione, argumento primo*, & in *Ioan. cap.* 1. ex illo Ioan. 1. *Sine ipso factum est nihil*; ad quem locum S. Bonauent. affert multos PP. explicantes, hoc *nihil* esse peccatum. Hi autem sunt

D. AVGVSTINVS *tract.* 1. *in Ioan.* vbi sic exponit, Sine ipso factum est nihil: *Videte, ne sic cogitetis, quia nihil aliquid est. Solent enim multi malè intelligentes, Sine ipso factum est nihil, putare aliquid esse nihil. Peccatum quidem non per ipsum factum est: & manifestum est, quia peccatum nihil est, & nihil fiunt homines, cùm peccant.* Hac authoritate maximè nititur Scotus *loc. cit.* & Faber *num.* 21. Manifestum est autem loqui D. Augustinum, non de materiali, sed de formali.

21 D. ANSELMVS *lib. de conceptu Virginis, cap.* 5. obiicit sibi: *Si peccatum nihil est, cùm nihilo nemo debeat puniri; cur ergo punit hominem pro peccato?* Et respondet: *Quod licet nihil sit absentia iustitiæ Deus tamen punit peccatores, non pro nihilo, sed propter aliquid, quia debitum honorem sibi, quem sponte reddere noluerunt, ab inuitis exigit, & ne deordinatum sit aliquid in regno, eos separatim à iustis, ordine competenti, disponit.* Hunc Patrem etiam Scotus adducit, & dicit, esse diligenter legendum *hic*, & *de casu diaboli, cap.* 16.

22 D. AVGVSTINVS *lib. de vera Religione, cap.* 14. *tom.* 1. ait: *Peccatum est voluntarius defectus assumpta essentia*: Deficere autem, priuatio est, vt notat etiam D. Bonauent. Idem D. August. *in Enchir. cap.* 11. definit peccatum, dicens: *Quid est autem aliud, quod malum dicitur, nisi priuatio boni.*

D. GREGORIVS *lib.* 14. *Moral. cap.* 10. ad ea verba Iob, cap. 18. *Habitent in tabernaculo eius socij eius; Qui non est* (ait) *idest, Apostata Angeli, qui dicitur non esse, quia à summa essentia recessit, & per hoc excrescente defectu, quasi ad non esse tendit; idcircò iam non est, quia benè esse perdidit, quamuis natura essentiam non amiserit.*

23 D. AVGVSTINVS *lib.* 12. *de ciuitate, cap.* 6. ante medium, *tomo* 5. vbi ait: *Peccatum non habere causam efficientem, sed deficientem.*

Deinde S. Bonauent. 3. *parte Breuil. cap.* 1. affert D. August. *lib. de natura boni*, contra Manichæos, *cap.* 4. *tom.* 6. vbi definiens peccatum, ait; *non esse essentiam aliquam, sed defectum, & corruptelam, quia scilicet corrumpitur modus, species, & ordo in voluntate creata.* Sic & *lib.* 2. *contra epistolam fundamenti*, ait, cap. 35. *Quod dicimus malum, nihil aliud est, quam corruptio boni.*

24 IN *prima parte Centil.* affert, cum supradicto testimonio, alia, *sect.* 3. Primum est D. August. 11. de ciuitate, cap. 9. & 22. tom. 5. *Peccatum est absentia boni, vbi debet esse.* Secundum est 11. *de ciuitate, cap.* 9. vbi ait: *Immundi spiritus nec iam sunt lux in Domino, sed in seipsis tenebræ, priuati participatione lucis æternæ. Mali enim nulla natura est, sed amissio boni, mali nomen accepit.* Vbi vult, peccatum esse tenebram, quæ est priuatio. Alias refert etiam definitiones peccati ex D. Augustino, relatas *quæst.* 1. *primo loco* in eis, quæ formale peccati explicant, idest, priuationem. Refert etiam D. Ambrosium *de Paradiso, cap.* 8. vbi ait: *Quid est peccatum, nisi legis Diuinæ præuaricatio, & cælestium inobedientia præceptorum?*

25 LIBRO 2. *Pharetra, cap.* 5. affert D. Augustinum ad Orosium, quæst. 16. tom. 4. *Malum natura non est, sed priuatio boni nomen hoc accepit.*

IN hac verò quæstione ponit testimonium D. Augustini *in Enchir. cap.* 23. vbi ait: *Nequaquam dubitare debemus rerum bonarum, quæ ad nos pertinent, causam non esse, nisi bonitatem Dei: malarum verò ab immutabili bono deficientem boni mutabilis voluntatem, priùs Angeli, postea hominis.* Hoc primum est creaturæ rationalis malum, idest prima priuatio boni.

ET *cap.* 11. sic loquitur: *Quid est autem aliud, quod malum dicitur, nisi priuatio boni? nam sicut corporibus animalium nihil est aliud morbis, & vulneribus affici, quàm sanitate priuari, &c. ità etiam & animorum quæcumque sunt vitia, naturalium sunt priuationes bonorum. Quæ cùm sanantur, non aliquo transferuntur, sed ea, quæ ibi erant, nusquam erunt, quando in illa sanitate non erunt.* Hinc colligit S. Bonauentura, fallere in hoc regulam Dialecticorum, dum aiunt, bonum, & malum esse contraria. 26

Hæc latè prosequitur S. Bonau. *in Dieta salutis, titulo* 1. *de Peccatis, cap.* 2.

IN quæstione autem præcedenti affert testimonium D. Dionysij *cap.* 4. *de Diuinis nominibus*, vbi ait: *Malum non est existens, neque in existentibus*, (idest quatenus existentia sunt, sed quatenus deficientia, vt notat D. Bonauent.) *Neque enim hoc est appetitus, sed veri appetitus declinatio. Atque, vt summatim dicam, malum, quemadmodum sæpè diximus, infirmitas, imbecillitasque, ac priuatio est, aut scientiæ, aut fidei, aut appetitus, aut actionis bonæ.* Huic Patri non facit responsio, quòd loquatur contra Manichæos dicentes, peccatum esse aliquam substantiam; nam S. Dionysius multis sæculis ante ortam Manichæorum sectam vixerat. 27

Idem habet S. Gregorius Nazianzenus *oratione* 9. *numero* 36. vbi comparat malum tenebris, & videtur velle, priuationem esse: & *oratione* 40. ait: *Crede, nullam mali essentiam esse*; quæ verba sic explicat Nicetas. Iam lumen etiam erat, neque enim mali substantia nulla est; sed boni priuatio. 28

Omnium tamen clarissimè D. Anselmus *locis adductis* à S. Bonauent. suprà, & *lib. de præscientia, & prædestinatione, cap.* 1. vt notat Vasquez, præcipuus est locus de conceptu Virginis, *cap.* 3. allatus à D. Bonauent. *fundamento secundo.* Iniustitia omninò nihil est, sicut cæcitas. Hinc habes, falsò dixisse Fuliensem, nullum è Patribus dicere, peccatum esse priuationem.

RESPONDENT Caietanus, & Medina, Sanctos Patres definire peccatum per priuationem, quæ sanè coniuncta est positiuo, in quo est ratio formalis peccati, & idem respondet etiam Vasquez *cap.* 11. dicens, SS. PP. non definisse peccatum per formale. Addit Fuliensis, Patres Oratorio stylo eloqui, vt à culpis arceant. 29

ENIM verò falsum est omninò responsum: Nam Sancti Patres non modo definiunt peccatum per priuationem, sed etiam omninò negant aliquid esse positiui, vt notat D. Bonau. *locis adductis*, & post eum Fauentinus *num.* 27. quomodo ergo in positiuo posset esse formalitas peccati. Mehercule magnus vir Vasquez, qui Sanctos Patres edocuit definitionem peccati. Hoc sanè temeritatis incusat Fauentinus *numero* 26. Adde S. Augustinum *in Enchir. cap.* 11. & aliis locis definire peccatum per priuationem; Loquebantur sanè Theologicè, non oratoriè.

PROBATVR

30 PROBATVR secundò à D. Bonauent. Bonum, & ens conuertuntur: Ergo de quocumque prædicatur ens, prædicatur & bonum. Si igitur peccatum est ens positiuum formaliter: Ergo formaliter est bonum. Tunc sic: (resumit *fundamento quarto*, S.Bonauent.) Omne ens positiuum à summo ente procedit; nam omne ens per participationem, est ab ente per essentiam; sed à Deo non potest esse peccatum. Absit enim, Deum authorem culpæ incusare: Ergo peccatum non est ens positiuum. Hoc argumento nituntur Valentia §. *Postremò accedet*. Bellarminus *loco citato*, Faber *numero* 25. & ferè omnes.

RESPONDET Caietanus *quæst.*79. *art.*2. Deum concurrere etiam ad formale peccati, licèt Deo non possit tribui, quia peccatum habet solùm causam deficientem, cuiusmodi non est Deus; sed sola voluntas creata.

31 HÆC tamen responsio primò supponit implicantiam Si enim peccatum formaliter est quid positiuum: Ergo non est sola deficientia, neque habet solam causam deficientem, vt sæpè assolet dicere S. Bonauentura.

DEINDE verò non satis excusaretur Deus à peccato, vt notat D.Bonauent.& post eum Bellarminus *loco citato*, *cap.*2. Si enim Deus est author efficiens peccatum: Ergo peccat. Id ostensum est *Tract.*1. *primæ partis, disput.* 16. *quæst.* 13.

32 RESPONDENT Thomistæ quod si in priuatione peccatum consistit, adhuc sequitur, Deum concurrere; nam sicut homo peccando non est causa positiua priuationis, sed solùm faciendo actum, ad quem priuatio sequitur; ita & Deus concurrit ad eundem actum. Ità Auersa *quæstione* 18. *sectione* 29. Addit Poncius, se non percipere. Quomodo Deus non sit causa peccati ex eo, quod peccatum est priuatio; nam Deus est causa etiam cæcitatis. Sic etiam discurrit Arriaga *disputatione* 20. *numero* 24.

33 RESPONDENT aliqui Scotistæ ex Diuo Bonauentura passim, Deum non causare peccatum, quia non causat formale peccati, quippè est causa efficiens, non deficiens; & licet possit facere positiuum naturæ tali pacto, vt includat priuationem naturæ, vt oculum cæcum; non potest tamen facere positiuum, ex quo sequitur per se, ex vi actionis Dei, carentia rectitudinis moralis; quia hæc esse debet à voluntate deficiente liberè culpabiliter, atque adeò Deus ad talem carentiam se habet per accidens, quia est priuatio voluntaria boni honesti. Et sanè id sequitur ex nostra sententia; at dicendo, peccatum esse ens positiuum; sequitur, Deum esse causam directè, quod est damnatum in Concilio Tri-
34 dentino *sess.* 6. *can.* 6. Neque meretur Poncius, quod magis euitetur, Deum esse causam peccati, ponendo illud in priuatione, quàm ponendo in positione; id enim disertè docuit Diuus Augustinus 12. *de ciuitate*, *cap.* 7. dicens: *Nemo ergo quærat efficientem causam malæ voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens: quia nec illa effectio est, sed defectio: deficere enim ab eo, quod summè est, ad id quod minus est, hoc est incipere habere voluntatem malam.*

35 Ex quo ruit instantia Arriagæ dicentis, argumentum æquè vrgere in vtraque sententia. Alio enim modo dicimus, Deum esse causam entis positiui peccati, quàm sit homo; nam Deus vult illud, solùm voluntate consequenti; atque adeò non vult necessariò adnexam malitiam consequentem, vt notat Mastrius *numero* 10. ex Diuo Bonauentura *primo, distinctione* 46. *quæstione* 2. *ad vltimum*: homo verò, quia voluntate antecedente vult illud materiale; consequenter vult etiam consequens malum adnexum. Quare turpior est responsio Fuliensis, Deum ad formale peccati inculpatè, quia præter intentionem, vt primam causam, concurrere.

36 Confirmatur ratio. Si peccatum est quid positiuum, vel est ens per essentiam, vel est participatum. Non per essentiam; nam hic est Deus. Si participatum: Vel à Deo; vel ab alio. Non à Deo, qui non est author peccati: Ergo participatum ab alio principio: Ergo duo erunt principia, entis positiui: alterum, malus, à Manichæis excogitatus: En eorum hæresis.

37 PROBATVR tertiò à D. Bonauent. Omne, quod est ens positiuum, habet aliquam formam in vltimo suo esse; atque adeò etiam pulchritudinem; sed peccatum non habet pulchritudinem, cùm sit deformitas animæ: Ergo dicit meram priuationem. Maior patet ex terminis, & constat à contrario, quia nulla res est, aut dicitur mala, nisi in ordine, aut ad carentiam formæ, seu bonitatis transcendentalis; vnde oritur transcendentalis malitia. Minor probatur, quia peccatum est maximum malum, quod dicitur malitia, de quo, prima Ioan. c.3. *Peccatum est iniquitas*, vbi Græcus legit, *deuiatio a lege*. Confirmatur à D.Bonauent. 4. *parte Breuil. cap.*3. quia secundum omnes Scripturas, & Patres peccatum deformat Diuinam imaginem, redditque hominem Deo odibilem, & abominabilem. Hæc latè prosequitur S. Doct. *in Diæta, Titulo primo de peccatis*, & *lib.*2. *Pharetræ, à cap.* 5. & *in Bibliis pauperum, cap.* 105. & aliis capitibus.

RESPONDET Vasquez, Poncius, Auersa, malum naturale non dicere tantùm negationem; nam habere tres manus, esset malum; est tamen aliquid positiuum.

38 AT hoc inaniter dicitur; nam sub ea ratione, qua malum, est carentia debitæ compositionis, & formæ; esto materialiter dicat eam carnem, ea ossa, &c.

RESPONDENT secundò, malum morale non dicere quid vniuocum, cum malo naturali.

At profectò bonitatem moralem explicare solemus per comparationem ad bonitatem physicam; ità & malitiam moralem explicare debemus per physicam, cùm oppositorum eadem sit ratio, vt nimirum, sicut bonitas naturalis consistit in perfectione naturali; ità bonitas moralis in perfectione morali debita: Et sicut malitia naturalis consistit in defectu naturali; ita malitia moralis in defectu morali.

39 PROBATVR quartò à Diuo Bonauentura *libro tertio, Compendij Theolog. cap.* 2. & *in* 2. *distinctione* 35. *articulo* 2. *quæstione* 1. argumento, quo vtitur Scotus *disputatione* 35. Faber *loco citato, numero* 30. Tannerus *numero* 32. Mastrius *numero* 13. Illa est ratio formalis peccati, qua posita, actus est peccaminosus: & qua ablata, non est peccatum: sed actus, carens debita rectitudine, est peccatum; ea verò non priuatus, non est culpabilis: Ergo carentia debitæ rectitudinis est formalitas peccati. Maior patet ex terminis. Minor probatur; nam subordinatio creaturæ Deo, necessaria est, non modò in dependentia physica,

40 fica, sed etiam morali: quo fit, vt peccatum in eo consistat, vt voluntas auertatur à diuina regula; atque adeò, vt omnes Theologi concedunt, in hac curuitate stat culpa.

Conversio verò ad creaturam profectò non facit peccatum, quia potest esse sine peccato, vt cùm vir ad vxorem, & vxor ad virum conuertitur. Imò potest esse conuersio meritoria, vt dicitur Psal. 91. *Delectasti me Domine in factura tua*; vt ostendit D. Bonau. *loco citato*. Confirmatur ex D. Bonauent. *in 2. dist. 42. art. 3. quæst. 2. in corpore*. Odium Dei habet auersionem sine conuersione, quod fatetur etiam Vasquez *disp. 96. in fine*.

41 Hoc idem explicaui *quæstione 6. in secundo argumento, pro quarta Assertione* cum Diuo Bonauentura.

Respondet Medina 2.2. *quæstione* 71. ex Caietano, rationem, ob quam actus est peccatum, esse deordinationem à regula; sed hæc deficientia est duplex; alia priuatiua, vt in peccato Omissionis: alia positiua, cùm quis regulam violat, vt fit in peccato Commissionis. Sic respondent etiam alij, maximè Arriaga.

At verò responsio seipsam destruit. Concedit enim, formale peccati esse deficere à regula: Ergo est deficientia: Ergo priuatio. Inane verò est, ponere aliquid positiuum speciem priuationis; nam Diuersorum generum, non subalternatim positorum, sunt diuersæ species, & differentiæ, *ex secunda regula Antepredicamentali*. Cùm ergo priuatiuum, & positiuum sint diuersa genera, & non subalternatim posita, vt patet, cùm sint repugnantia; sequitur, positiuum non posse esse speciem generis priuationis.

42 Vide Fabrum retundentem *à numero* 30. & Mastrium *à numero* 14. Igitur in violatione præcepti positiui rectitudo debita deficiens, non est aliquid priuatiuum, sed est conformitas ad præceptum negatiuum. Neque miscetur aliquid in peccato positiuum ipsi negationi, faciens vnum peccatum; quia è priuatiuo, & positiuo non potest vnum per se metaphysicè componi, cùm sint genere omninò diuersa: genus autem, & differentia ad idem genus pertinent, vt docet Aristoteles *primo de partibus animalium*: malitia autem dicit vnum in genere moris.

Respondent Auersa, & alij, hanc compositionem esse ex actu, & potentia, seu subiecto, & forma. At hoc non facit, vnum esse actum in genere moris.

43 Respondet Serra, facere vnum modaliter in obliquo.

Contra; quia modus non spectat ad essentiam formaliter constituendam; sed constitutiuum ad illam pertinet in recto.

Vasquez *cap. 2.* negat peccatum consistere in deordinatione à regula superiori; aliquando enim actus est malus; non quia caret aliquo sibi debito; sed quia est omninò rationi contrarius; vt odium Dei; & reliqua huiusmodi peccata Commissionis.

Respondet secundò, actum Comissionis esse peccatum, ex priuatione quidem aliqua; eam tamen non esse carentiam rectitudinis, sed esse carentiam alicuius circumstantiæ necessariæ; vt cùm quis celebraret sine vestibus sacris: hæc igitur circumstantia, in qua stat peccatum, non est bonitas actus, sed quid pertinens ad bonitatem eius.

Enim verò iam confitetur, ideò esse malum, 44 quia caret integritate debita, iuxta regulam D. Dionysij *cap. 4. de Diuinis nominibus, parte 4.* vbi integram causam ponit ex omnibus etiam circumstantiis. Ecce igitur in priuatione ponit peccatum. Quod verò dicit de odio Dei, non impedit, quin sit malum ex carentia debiti, quia odium non debet ferri in summum bonum. Deinde, vt arguit S. Bonauent. odium Dei, nonne est auersio à summo bono, ex priuatione? Vide etiam Fabrum *à numero* 35.

Vrgeo, sequi in sententia Vasquez, Deum 45 esse causam peccati. Probatur sequela, quia Deus est causa omnis entis positiui; sed per te peccatum est ens positiuum: Ergo.

Respondet Vasquez *disput. citata, numero 61.* se huic satis, superque facturum *disput. 129. cap. 7.* vbi respondet, à Deo non esse peccatum; quia peccatum est à Voluntate liberè operante; hæc autem est sola voluntas creata, non diuina; quia libertas actus est à solo libero arbitrio creato, in quo solo est fundamentum esse moralis. Ideò ex eo solo potest oriri malitia. Et hoc dicit, assertum etiam à Diuo Bonauentura *in primo, distinctione 40. articulo 2. quæstione 1.* nempè Deum, ideò non causare peccatum, quia secundùm esse morale, quod in libertate fundatur, est à solo arbitrio creato: Deus verò concurrit per modum naturæ, ideò non est culpandus.

At D. Bonauentura hoc non dicit; solùm enim 46 docet, prædestinationem non esse necessariam, quia non est à causa per necessitatem, sed per voluntatem; & non est tota causa, sed cum alia causa contingente, scilicet cum libero arbitrio. Subdit verò, Dari hanc regulam: Quod, quando aliquis effectus pendet à duabus causis, altera vniuersali necessaria; altera contingente particulari, tunc effectus denominatur contingens à causa particulari. Non vult inferre, Deum non agere cum libero arbitrio liberè, aut agere necessariò in se; sed vult dicere; etiamsi Deus prædestinaret necessariò, adhuc esset libera prædestinatio; quia saltem altera causa est contingens. Imò *in 2. di-* 47 *stinct. 37. quæst. 1. in corpore*, dicit, omnem causam creatam, quia defectiua est; ideò necesse est, eam adiuuari à causa prima, quæ est actus purus; & ideò infert, omnem actionem, etiam substratam peccato, esse à Deo: Et argumento, quod contrarium nitebatur ostendere; eò quòd Deus concurrendo faceret contra suam prohibitionem, respondet; Deum non prohibuisse sibi cooperationem suam; sed prohibere creaturæ operationem illam (intellige) prout deficit à sua regula; & secundùm quod ideò est vetita, vt S. Doct. se declarat. Ideo enim vbique dicit, peccare non esse formaliter facere; sed deficere à recta intentione.

Deinde, cùm sibi obiecisset. Omnis actio, 48 prodiens à bona voluntate, est bona in genere moris: sed omnis actio, quæ egreditur à Deo, est à Voluntate optima: Ergo est bona; sed actio substrata peccato non est bona: Ergo non est à Deo.

Respondet, non sequi illationem de bonitate moris è bonitate sola Diuinæ voluntatis; quia cùm concurrat etiam voluntas creata, quæ deordinatur, ideò manet defectus moralis. En igitur vult, Deum ad esse morale concurrere, vt causam moralem, non autem ad modum naturæ.

Præterea

49 Præterea S. Doct. *eadem dist. art. 2. quæst. 1.* vbi quærit: An actio iniusta, quatenus iniusta, sit à Deo. Respondet negatiuè. Cùm autem sibi vltimò obiecisset; debere actionem omnem deliberatiuam esse à Deo, quia est actio nobilior, quàm actio naturalis, ad quàm Deus semper concurrit.

Respondet, omne, quod est à voluntate deliberatiua, esse à Deo; sed malitiam ideò non esse à Deo; quia non est effectus voluntatis deliberatiuæ, vt deliberatiua, sed vt defectiua est. Vult igitur, Deum concurrere ad actionem, etiam vt liberam, & ideò moralem, quia etiam in genere moris habet bonitatem, & entitatem, quæ debet esse à prima causa, vt arguit Seraphicus Doctor.

50 Deinde certum est Deum concurrere cum causis secundis ad modum earum; cum necessariis necessariò; cum liberis liberè, vt clamant sancti Patres: quomodo autem ageret cum liberis liberè, si solùm ad esse naturale concurreret; & per modum naturæ?

Præterea. Vel Deus non concurrit ad actum moralem, prout est in genere moris à voluntate liberè operante; vel vt est à voluntate sic operante deordinatè. Si primum: Cùm actio moralis sit actio positiua, dabitur creatura operans absque Deo, quæ est opinio Durandi, quam Vasquez *cap. 3.* proclamat iam ab omnibus Theologis erroris notâ sigillari. Neque dicas, Durandum negare, Deum concurrere ad aliquod opus creaturæ; ideovè reprehendi; nam id falsissimum est etiam in actione peccati substrati, vt ipse Vasquez fatetur *loco citato, numero* 10. Omnes enim Theologi (vt ipse notat) post D. Anselmum *lib. de casu diaboli, cap. 20.* & *de concordia liberi arbitrij, & prædest. c. 2.* fatentur, Deum concurrere ad actionem peccati, vt actio est; ad malitiam verò solùm permissiuè. Ità inter alios docet D. Bonauent. *in 2. dist. 37. quæst. 1.*

51 Si verò dicat Vasquez (vt cogitur dicere,) Deum concurrere ad actionem, vt actio est, non verò ad solam deordinationem, quæ malitiam facit, & hanc positiuam ponit, rursus petit principium; quia actio, eo ipso, quòd est quid positiuum ens, est bona, quia ens, & bonum conuertuntur, vt arguit S. Bonauent. hìc *in fundamentis.*

52 Ex dictis infero, malitiam non consistere in aliquo positiuo morali, quod dicatur relatio dissonantiæ; nam hæc relatio oritur ex negatione consonantiæ ad legem, & rationem; sicut relatio inæqualitatis oritur ex vnius extremi defectu. Posito autem illo defectu consonantiæ, habetur malitia. Quare superfluit omnis positiua relatio disconuenientiæ, aut ea est resultans, atque posterior.

53 Obiiciunt primò. Si peccatum formaliter est mera priuatio, non poterunt distingui plures species peccatorum. Probatur sequela: Priuationes specie diuersæ distinguuntur per actus, quibus opponuntur, etiam secundùm vos: at duo peccata specie, sunt duæ priuationes specie diuersæ: Ergo debent habere duos actus oppositos positiuos, quibus opponuntur. At eos non habent, sed vnum, quia opponuntur actui eiusdem virtutis; nam prodigalitas, & auaritia opponuntur liberalitati: Ergo peccata non erunt diuersa specie, sed idem.

Confirmatur. Eidem actui iustitiæ opponuntur multa vitia, scilicet furtum, homicidium, adulterium, quæ specie differunt: Ergo ratio formalis peccati non est priuatio, quia cùm vnumquodque peccatum specie distinguatur per actum proprium positiuum, distinctum specie, iustitia non esset vna virtus specie, nec actus eius essent vnus speciei, sed plurium, & diuersarum specierum.

Confirmatur secundò à Vasquez. Si furtum esset carentia debitæ rectitudinis, deberet esse carentia alicuius rectitudinis debitæ ipsi iustitiæ; sed non inuenitur hæc rectitudo: Nam vel est defensio rei familiaris proximi, vel iusta acceptio; sed neutrius priuatio est furtum: Ergo. 54

Idem probatur de homicidio. Quæ enim est rectitudo, quâ priuatur? Vel enim est defensio alterius, vel alius actus; sed neutrum dici potest: Ergo.

Idem probatur de adulterio: Nam adulterium opponitur iustitiæ; & tamen non est assignare, cuius rectitudinis sit priuatio. Similiter in aliis, vt in Infidelitate, & odio Dei, quæ non carent aliqua debita rectitudine, cùm nullam sint apti habere; atque adeò nulla sit eis debita. 55

Respondetur ex D. Bonauent. *prima parte, Centil. sect. 22.* virtutes consistentes in medio, habere à dextris, & à sinistris vitium aduersarium penes superabundantiam, & defectum. Et ideò ratione eorum, quæ sunt declinationes ab obiecto virtutis, quod in sua ratione formaliter duplicem habet virtutis rectitudinem inclusam, quatenus eius mediocritas hinc habet, vt hos terminos non excedat; illinc, vt non deficiat ab illis terminis, vt notat S. Bonauent. *in 2. dist. 42. ad litteram Magistri*; ideò potest fundare diuersas priuationes, *verbi gratia*, Liberalitas priuationem illius rectitudinis, quæ respicit excessum, ad quam declinat prodigalitas, quæ hinc sumit speciem; inde verò priuationem mediocritatis per defectum; vnde oritur auaritia. Hæ autem rectitudinis non multiplicant virtutes Liberalitatis; sed vnam constituunt in mediocritate formatam, vt late edisserit D. Bonauent. *lib. 1. Compendij Theologicæ veritatis, cap. 50.* & post eum Fauentinus *à numero* 70. qui tamen *numero* 78. non benè addit, has duas rectitudines non nominari, & posteà subdit, Prodigalitatem esse carentiam mediocritatis præfixæ Liberalitati per excessum declinantem; auaritiam verò, carentiam mediocritatis per defectum; & ipse nominat hanc duplicem rectitudinem, virtualiter inclusam in Liberalitate; idest mediocritatem eius, declinantem ab excessu, & è defectu. 56 57

Ad confirmationes respondetur facilè ex D. Bonauent *in 3. dist. 27. art. 2. quæst. 5. in corpore*, Virtutes Cardinales consistere in medio, eo ipso, quòd habent obiectum creatum, & finitum. Sic igitur Iustitia, licèt vna sit virtus, habet tamen sub se plures specificas rectitudines, nempè, vt respiciat rem familiarem suam; & eâ sit contentus: vxorem, & eam solam amplectatur; vitam, vt eam conseruet absque præiudicio vitæ alterius. Itaque rectitudo Iustitiæ dictat ei, vt vnicuique relinquatur propria vita, propria vxor, propria res familiaris. Ità respondet etiam Fauentinus *à numero* 79. Quoad odium Dei, opponitur rectitudini, quam dictat ratio volendi bonum Deo. Similiter Infidelitas opponitur rectitudini, vt homo 58

homo credat Deo reuelanti aliquam veritatem; neque verò suprà oppositas dictorum peccatorum rectitudines benè diuinauit Vasquez; sed finxit.

59 Fateor, has rectitudines sæpe explicari per negationes, iuxta morem loquendi; neque enim in rebus moralibus tam exacti sunt modi dicendi, sicuti in speculatiuis, vt sæpè docet Aristoteles *primo Eth.* Hæ tamen rectitudines habent in positiuo suam radicem, *verbi gratia*, *Non furaberis*, fundatur in relinquendo cuique, quod est eius. Igitur rectitudo, cui opponitur priuatio peccati, est dictamen rectum; *verbi gratia.* Inuidia, quæ tristatur bono alterius; vel gaudet malo, opponitur illi dictamini Charitatis, vt diligamus proximum, ita vt & bono eius lætemur, & malum eius nobis displiceat.

60 Igitvr præceptis negatiuè explicitis etiam respondet definitio peccati à D. August. tradita, vt dixi quæst.1. *Est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei.* Hæc verò definitio continet etiam substratum culpæ, vnde non explicat solam formalitatem culpæ; sed etiam materiale, idest actionem, vt notat D. Bonauent. *ad primum*, Dum dicit: *dictum, factum, vel concupitum*; ponit materiale, dum ait: *contra legem.* Ponit formale, quod non significat contrarietatem positiuam, sed priuatiuam. Hanc responsionem S.Bonauent. desumpsit Scotus *in 2. dist. 35. ad primum principale*, & Faber *numero* 87.

61 Obiiciunt secundò. Bonum, & malum morale opponuntur contrariè, non priuatiuè: Ergo ratio formalis peccati non est priuatio; sed quid positiuum. Antecedens patet ex Aristotele in postprædicamentis, *cap. de oppositis*, & probatur: Inter priuatiuè opposita non datur medium; at inter bonum, & malum morale datur medium, idest, actus indifferens: Ergo. Ità arguit Serra cum aliis.

Confirmatvr. A priuatione ad habitum non est regressus, ex Aristotele, *eodem capite*; at à peccato ad actum bonum datur regressus, vt *ibidem* docet Aristoteles: Ergo bonum & malum non opponuntur priuatiuè: Ergo malum non est priuatio boni.

62 Respondet Scotus *eodem quodlib.* 18. *littera I, ad finem primi articuli*, malum, & bonum morale opponi, & priuatiuè, & contrariè: priuatiuè quidem cùm caret solùm conuenientia propria ad rectum dictamen rationis: contrariè verò, cùm in actu, præter carentiam propriæ rectitudinis, apponitur circumstantia mala; & contra rectum dictamen rationis, quæ tamen circumstantia opponitur etiam priuatiuè; ac proinde non sequitur opponi contrariè.

63 Ad rationem verò responder Faber ex Aristotele *in prædicamentis*, *cap. de oppositis*, dari medium inter priuationem, & habitum; Sic Catulus ante nonum diem, nec est cæcus, nec videns. Respondet secundò, maiorem veram esse, quando subiectum est aptum natum habere formam.

Hæc tamen responsio non est solida: Si enim datur aliqua malitia opposita contrariè; sequitur, peccatum omne non posse dici priuationem, neque apta est responsio, eam malitiam, quæ habet adiunctam illam talem circumstantiam oppositam,

64 & opponitur contrariè, opponi etiam priuatiuè, & ideò esse priuationem; nam, hoc pacto, omnia contraria positiua opponerentur priuatiuè. Verè singula opponuntur etiam priuatiuè: Sic enim calidum opponitur frigido, quia non est frigidum; humidum sicco, quia non est siccum; estque aptum natum fieri tale.

Respondet melius D. Bonauent. *ad secundum.* Virtutem, & vitium, vt sunt habitus, esse contraria; dicunt enim habitus, habentes positiuas rationes oppositas, habilitantes ad oppositas actiones: At peccatum, vt est actus, opponitur virtuti priuatiuè. Dicuntur verò nonnunquam, opponi contrariè lato modo, vel quia aliqua in proprietate imitantur legem contrariorum; puta, quia se mutuò expellunt, & fit regressus ab vno ad alterum; & ideò dicit D. Augustinus *Enchir. loco citato, quæstione prima*, in hoc, regulam dialecticorum fallere, vocando *bonum, & malum, contraria.* Est autem malum, & bonum in eodem genere per quandam reductionem; neque tamen ex hoc sequitur, esse aliquid: Nam priuationes ad idem genus cum suis habitibus reducuntur, & tamen ipsæ nihil sunt formaliter: Aristoteles verò accipit contrarium latè, prout dicit aliquam oppositionem; sicuti *primo Phys.* ait, principia rerum naturalium esse contraria, nempè formam, & priuationem: Vel loquitur de actibus, non autem de formali bonitatis, & malitiæ fundatæ in eis. 65 66

Obiiciunt tertiò. Malum morale tribuit speciem positiuam habitibus, & actibus vitiosis: Ergo malum morale est aliquid positiuum. Antecedens probatur, quia alia species vitij est furtum; alia adulterium; ita autem vitia distinguuntur penes res positiuas, idest, obiecta. Consequentia probatur, quia, quod tribuit speciem positiuam, est positiuum.

Respondet Faber *numero* 80. *ad secundum*; malum morale duo includere; scilicet positiuum, vt actum, vel habitum; & malitiam, ac deformitatem. Quoad actum & habitum, habet speciem ab obiecto: quoad malitiam verò habet speciem à carentia debitæ rectitudinis; vnde negatur antecedens. Ad probationem respondetur, Furtum, adulterium, &c. quoad substantiam, habere distinctionem positiuam, quæ venit ex obiecto: quò verò ad malitiam, habere speciem à malitia, vt priuationes assolent. 67

Obiiciunt quartò. Habitus iniustitiæ est qualitas comparata nostris actibus, & est positiua inclinans ad malum. Similiter actus iniustitiæ producit efficienter habitum iniustitiæ: Ergo iniustitia non est priuatio.

Respondet D. Bonauent. *ad secundum* ex Boëtio *in prædicamentis*, *cap. de qualitate*, Iniustitiam, & cætera eiusmodi, quatenus habitus sunt, generati ex actibus, esse qualitates, & sic opponi virtutibus: quatenus verò sunt carentiæ rectitudinis, esse priuationes, quibus redditur homo facilis ad malum ex debilitate; sicut ex carentia tibiæ ad canendum: Ergo actus iniustitiæ producit non habitum, quoad positiuum; sed quoad infirmitatem, & priuationem. Idem respondet *loco citato in margine*, *in 2. dist. 35. quæst. 1. ad 1.* & cum eo Faber *numero* 87. & 88. 68

Obiiciunt quintò cum Caietano, Hieremiæ 2. *Dixit Dominus: Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ*: (en auersio,) *& foderunt sibi cisternas*: (en conuersio.) 69

Respondetvr cum D. Bonauent. suprà adducto, initio, & *in 2. dist. 42. art. 3. quæst. 2.* quod auersio est formale peccati; conuersio verò est materiale, cuius signum est, vt dixi, quod stat conuersio

nersio ad creaturam absque peccato. Non igitur sunt duo peccata, sed duæ radices vnius peccati, vnumque peccatum; sicut vnus est motus in termino *ad Quem*, & in termino *à Quo*, vt notat *fundamento* 4. Ità respondet etiam Faber *numero* 89.

70 RESPONDET secundò D. Bonauent. ibi poni duo peccata, idest omissionis, & commissionis.

OBIICIVNT sextò cum Vasquez, ad probandum, peccatum esse relationem rationis, cui consentit Scotus *in primo, dist.* 17. *quæst.* 2. §. *sed oppositum huius*, & Fauentinus *loco citato*, *numero* 47. Malitia peccati consistit in ratione mensurabilis ad mensuram; sed hæc est relatio rationis: Ergo. Maior probatur. Illa enim dicitur bona actio, quæ est commensurata rationi rectæ. Minor probatur Ex Aristotele 5. *Metaph. cap.* 15. vbi ait: *Relatio-*
71 *nem mensuræ esse extrinsecam, & rationis.* Confirmatur primò: Nam peccatum aliquando est tale per ordinem ad finem impossibilem, qui necessario est ordo rationis, quale fuit peccatum Luciferi. Confirmatur secundò: Vel peccatum est tale, quia vetitum, & hoc est ex lege, quæ est relatio rationis. Nam ordinatio Legislatoris est ens rationis: vel quia est ex se malum, & tunc etiam interuenit aliqua relatio rationis, puta in furto, violatio dominij, quod est relatio rationis in adulterio vxoris, quæ coniuncta est viro per consensum, qui est ens rationis.

72 RESPONDETVR, peccatum in illa relatione non consistere, sicut nec actus bonus in opposita; sed in fundamento eius, quod est deuiatio, & carentia rectitudinis realis. Ad id; quod ait de peccato Luciferi; Respondetur; peccatum eius potuisse esse complacentiam, sanè meram, de re impossibili; attamen fuit mala realiter, quia fuit carentia rectitudinis debitæ, quæ est, vt non delectetur in obiecto malo: Similiter & furtum est priuatio realis rectitudinis, quam ratio dictat relinquendi aliis, quod eorum est. Idem de adulterio; vt dixi *ad primum.* Relatio verò rationis est quid consequens ex illa realitate priuatiua; Ex eo enim, quod caret rectitudine debita, concipitur ab intellectu illa deformitas, quæ est relatio rationis. Et sanè fictitium est, peccatum in conceptu rationis collocare.

73 PROBATVR verò efficacissimè à Tannero *disput.* 2. *quæst.* 5. *dub.* 2. *numero* 46. ex D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 35. *art.* 1. *quæst.* 1. *argumento quinto, secundo loco.* Non potest fieri mutatio in relatiuo, quin fiat in absoluto; in relatiuo enim, seu ad aliquid nec est motus, nec mutatio: Ergo non fit nouitas in ordine, & relatione, quin prius fiat in specie, quæ est pulchritudo iustitiæ; & in hac consistit ratio peccati, quod est actio realis contra Scotum, & apud Fabrum *disput.* 1. *numero* 47.

OBIICIVNT septimò. Actus peccatorum generant habitus vitiorum positiuos: Ergo sunt quid positiuum.

74 RESPONDET Faber *numero* 87. ex D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 35. *quæst.* 1. *ad primum*, actum deordinatum producere habitum etiam deordinatum; ita vt actus, quatenus actus, generent habitum, vt est qualitas; at verò actus, vt sunt priuationes rectitudinis, producere etiam in habitibus carentiam rectitudinis.

ALIA argumenta refert Mastrius *numero* 19. quæ ex dictis corruunt.

Primum est: Malum naturale sæpè consistit in positiuo; error enim est malum intellectus per entitatem positiuam, & non ad modum carentiæ cognitionis; est enim maius quid ipsâ carentia scientiæ. Similiter & dolor, præter carentiam voluptatis, dicit quid positiuum; Et ingens nasus est malus faciei, ex entitate positiua.

RESPONDETVR, errorem formaliter consistere in recessu à veritate, à qua magis recedit, quàm carentia scientiæ, quia habet obstaculum oppositæ apprehensionis. Similiter dolor consistit in negatione voluptatis, & temperiei. Et deformitas nasi, in recessu à formositate. 75

INSTAT Arriaga. Si dolor esset mera carentia voluptatis, non torqueret positiuè.

RESPONDETVR, dolorem non esse imperfectionem, vt agit; sed vt agendo destruit temperiem corporis. 76

DEINDE principale opponunt argumentum: Lex prohibens furtum, vel odium Dei, non exigit à me aliud, quàm carentiam odij, vel furti: Ergo non aliter volo illam legem, quàm habendo illud odium, vel furtum: Ergo transgressio huius legis formaliter consistit in positiua productione odij vetiti. Hoc argumentum vrgent Arriaga *loco citato*, & latiùs Ouiedo *controuers.* 5. *p.* 7.

RESPONDETVR furtum, & odium Dei in esse Physico, esse quidem positiuum, neque esse peccatum. Igitur ratio peccati consistit in carentia rectitudinis moralis: Itaque lex non propriè dicitur velle carentiam; sed debet dici, velle actum moraliter bonum absque illa carentia rectitudinis. 77

ARGVIT tertiò Poncius. Actus malus habet esse tale formaliter ab eo, à quo habet tendere liberè in obiectum, quod proponitur, vt prohibitum; sed talem tendentiam habet ante omnem priuationem, & est quid positiuum: Ergo. Minor probatur. Omnis actus specificatur à suo obiecto formali; Ergo talis actus cum ea tendentia libera, & positiua in obiectum, prout prohibitum, aliquam speciem accipit ab eo in genere moris, sed non aliam, quàm malitiæ, quia voluntas rei vetitæ non potest esse bona, vel indifferens: Ergo.

RESPONDETVR, actum malum positiuum esse malum, prout respicit obiectum à lege prohibitum, & specificari à tali obiecto; sed media priuatione. Sic furtum non habet suam malitiam obiectiuam in genere moris formaliter, nisi quia subest prohibitioni, qua ratione, dicitur priuatum conformitate ad legem, seu obiectum legi difforme. Neque verum est, tendentiam positiuam in obiectum dissonum, in actu esse priorem, quàm sit priuatio conformitatis ad legem. Est sanè prior secundùm esse physicum; sed hoc nil ad me. 78

ARGVIT quartò Serra. Saltem actus intrinsecè mali, qui ideò dicuntur prohibiti, non consistunt in aliqua priuatione conformitatis ad legem, vel ad rationem; alioqui non essent naturâ suâ mali. 79

RESPONDETVR, hos actus esse malos, quia declinant à Lege æterna, vel naturæ. Neque verò illa declinatio est merè Dei iudicium, iudicans, talem esse illam rem; Sed talis est illa res declinans à Lege naturæ, quæ in mente Diuina dicitur Lex æterna.

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

An Peccatum, quia peccatum, sit offensa Dei, *& auersio ab eo.*

D.Bonau. in 2. dist.41.
art.3.q.2.
D.Thom. q.71.art.6.

80 INNVIMVS suprà, auersionem à Deo esse formale peccati; & conuersionem ad creaturam esse materiale, ex quo vnum peccatum constituitur, non quidem vt aggregatum quoddam, vt Vasquez in fine *disput.*95. adscribit D. Bonauenturæ *in* 2. *dist.*41. *art.*3. *quæst.*1. hoc enim ibi non dicit: imò ait *in corpore*, hæc duo essentialiter includi in omni peccato mortali, & comparari ad peccatum, vt differentias constituentes peccatum potiùs, quàm diuidentes. Neque D. Thom. *quæst.*71. *art.*6. aliquid tale innuit, vt ei adscribit Vasquez. Nunc igitur videndum: An peccatum sit formaliter offensa Dei.

81 RATIONEM dubitandi, ait Tannerus *disput.*4. *quæst.*1. *dub.*5. *num.*41. esse, quia potest esse, vt quis peccet inuincibili ignorantia in Deum: tunc igitur peccatis eius, etiam mortalibus non inerit hæc malitia Diuinæ offensæ. Hæc verò ignorantia potest esse talis, vt non modò ignoretur Deus, vt finis supernaturalis, sed etiam vt naturalis, saltem quoad prouidentiam.

OB id Zumel. *quæst.*71. *artic.*6. *disput.*8. refert quosdam asserentes, seclusa ignorantia, semper peccatum esse contra Deum; per accidens verò posse peccatum esse contra rationem, non contra Deum, quia ignoratur.

82 E contra Zumel. *loc.cit.* cum Caietano, & Medina *prima secunda*, *quæst.*71. *art.*6. Victoria *in relect. de perueniendo ad vsum rationis*, *parte* 2. *numero* 8. *&* 9. docent, data etiam quavis ignorantia ipsius Dei, adhuc tamen peccatum mortale includere Diuinam offensam, & auersionem à Deo; & quoniam nunc homo eleuatus est ad finem supernaturalem, includere etiam malitiam auersionis à Deo, vt à fine supernaturali. Idem habent Vasquez *disput.*96. *cap.*2. *&* 3. Azorius *tom.*1. *lib.*4. *cap.*1. *quæst.*4. qui addunt, peccatum, etiam in statu puræ naturæ, futurum fuisse contrarium Deo, vt fini supernaturali, ità vt contineret auersionem à Deo; quod tamen Zumel. cum Caietano negat.

83 EGO quidem arbitror, non dari ignorantiam inuincibilem de Deo, vt dicam *disput.*3. *quæst.*2. ideò non esse locum distinctioni allatæ à Tanneto.

DEINDE non video, etiam datâ ignorantiâ inuincibili de Deo, vt fine naturali, qua ratione possit aliquis habere vincibiliter ignorantiam, vel malitiam circa obiectum naturale, vt mortaliter peccet; nam, cùm existentia Dei, vt finis naturæ, sit fundamentum rectæ institutionis naturæ, non videtur, posse aliquem mortaliter peccare eo fundamento, inuincibiliter ignorato, & percipere, esse peccatum mortale rem alienam rapere, &c.

84 QVOAD quæstionem, S.Bonau. multa alia soluit: & primò.

ASSERIT, auersionem à Deo, prout habet deordinationem conuersionis ad creaturam, esse vnum peccatum.

PROBATVR à S.Doct. *in argumentis secundo loco.* Et primò ex Glossa *ad* 10. *Eccl.* & D. Augustino, contra Pelagium.

DEINDE, quia peccatum omne est voluntarium, quod adeò verum est, teste D. August. *lib. de vera Religione*, *cap.*14. vt nullo modo sit peccatum, nisi sit voluntarium; at non est voluntarium, nisi ratione conuersionis ad commutabile bonum: Ergo semper est conuersio. Hanc tamen rationem non recipit.

TERTIÒ. Recessus à termino *à Quo*, & accessus ad terminum *ad Quem*, facit vnum motum; sed auersio dicit recessum à termino *à Quo*, idest bono incommutabili; conuersio ad creaturam, est accessus ad terminum *ad Quem*: Ergo sunt vnus actus. 85

TANDEM, quia in peccato auersio habet rationem formalis; conuersio, materialis: at materia cum forma facit vnum: Ergo.

Confirmatur *in corpore*. Nam conuersio non est peccatum, nisi vt inordinata, vt dixi *quæstione præcedenti*, *argumento quarto*; est autem inordinata, ratione auersionis a Deo, cui deberet inhærere, tanquam fini vltimo.

Videtur asserere secundò, stare auersionem sine conuersione speciali ad creaturam.

PROBATVR è Seraphico *in corpore*; quia odium formale Dei dicit auersionem à Deo, neque formaliter includit conuersionem, quod fatetur etiam Vasquez *disp.*96. ad finem, addens tandem, damnatum auerti ex amore proprio, puta, vt fugiat pœnas. 86

HINC asserit tertiò, omne peccatum esse formaliter offensam Dei.

PROBATVR ab eo *in corpore*. Non potest esse peccatum, nisi includat auersionem à Deo, vel conuersionem ad creaturam inordinatam, vel vtrumque. Si habet vtrumque, iam patet, esse offensam Dei formaliter: si verò solam auersionem, vt in odio Dei, patet assertio: Si verò conuersionem præcisam. Tunc sic: Non potest culpabiliter, saltem mortaliter, conuerti homo ad creaturam, nisi inordinatè eam amans, ponat in ea indebitè vltimum finem: hoc autem debet saltem cum ignorantia culpabili veri finis esse coniuncta, & quia non potest inculpabiliter ignorari Deus, vt finis supernaturalis, vt ostendam *loco adducto initio*; ideò omnis offensa Dei est contra eum, vt finem supernaturalem. Sic D. August. *lib. de libero arbitrio*, *cap.*16. definit peccatum: *Est auersio à bono incommutabili*, vt refert S. Bonauent. *in* 2.*dist.*35. *in dubio litt.* circa finem. 87

ADVERTE, quando in peccato est vtraque, prius esse conuersionem, quàm auersionem; non enim priuatio est appetibilis per se, sed ex amore boni creati auertitur homo à Deo, vt docet D.Bonauent. & post eum Bellarminus *tom.*4. *Contron. de amissione gratiæ*, *&* *statu peccati*, *lib.*2. *cap.*4. Ità & dæmones Deum oderunt, vt tortorem, abhorrentes torqueri, & desiderantes beatitatem in Deo. 88

QVÆSTIO IV.

An peccatum sit offensa DEI *infinita.*

SVPPONO, peccatum esse veram Dei offensam, vt ostendit S. Doct. ad ea verba Ioan primo: *Sine ipso factum est nihil*, vbi id probat ex Diuo Anselmo *de conceptu Virginis*, *cap. 5.* Loquimur autem *hic* de peccato mortali.

89 CVM autem in peccato mortali tria reperiantur: Primò malitia peccati mortalis, quæ consistit, vt dixi *quæst. 2.* in priuatione rectitudinis debitæ: Secundò, auersio à Deo, & conuersio ad creaturam. Tertiò, offensa Dei; sanè carentia rectitudinis debitæ est finita; nam rectitudo illa est actui humano debita, & carentia virtutis finitæ. Similiter conuersio ad bonum commutabile, est finita; Similiter nec auersio est infinita, quia obiectum infinitum talis infinitatis non est causa; sicut enim actui bono, seu conuersioni non dat infinitatem bonitatis, ità nec actui malo malitiam infinitam, cùm par vtrinque militet ratio, maximè si peccator tanto affectu in Deum conuertatur, quanto ab eo recessit; vt videre est apud Lezanam *tract. 5. de peccatis*, *disp. 4. quæst. 4.* Aluarez *p. 2. disp. 189.* & alios.

90 SOLA igitur remanet quæstio de peccato, vt est læsio Maiestatis Diuinæ, auferens debitum ei honorem, & iussa parui pendens.

COMMVNITER docent Scholastici *in 3. dist. 20.* & *in 4. dist. 15.* Peccatum, etiam in ratione offensæ Dei, non esse offensam infinitam simpliciter, sed secundùm quid. Ità Scotus *2. dist. 30. quæst. 1. §. ex ista*, & *in 3. dist. 19. ad 2.* & *dist. 30. §. Contra* & *in 4. dist. 14. quæst. 1. B*, & *dist. 15. quæst. 1. ad vltimum*, & *dist. 50. quæst. 6.* Eum sequuntur omnes Scotistæ apud Mastrium *disp. 6. quæst. 7. num. 178.* Et ex aliis, Paludanus *3. dist. 25. quæst. 2.* Suarez *disp. 2. de peccatis*, *sect. 3.* & *3. p. disp. 4. sect. 7.* Conradus *prima secunda*, *quæst. 87. art. 4.* Valentia *Tom. 2. disp. 6. quæst. 6. p. 3.* & *quæst. 17. p. 4.* & *3. p. quæst. 1. p. 5.*

91 Cardinalis de Lugo *disp. 5. de peccatis*, *sect. 3.* Vasquez *prima secunda*, *disp. 99. cap. 8.* & *disp. 100. c. 5.* & *3. p. disp. 2. cap. 2.* Albertinus *Tomo primo*, *princ. 1. corol. 18.* Salas *de Legibus*, *disp. 15. numero 35.* Mortacius *disp. 3. sect. 2.* Ragus *disp. 3.* Beccanus *Tracta. 2. cap. 2. quæst. 6.* Morandus *Tract. 3. de peccatis*, *quæst. 9.* Pasqualigus *disp. 26. sect. 3.* Caspensis *disp. 6. sect. 4.* Bonacina *disp. 2. quæst. 2. p. 5.* Arriaga *Tomo 6. disp. 3.* Tannerus *disp. 4. quæst. 1. dub. 3.* Nazar. *3. p. contron. 1. ad art. 2. quæst. 1.* & alij quamplurimi apud Salam *Tract. 13. disp. 1. sect. 6.* Belluum *Tract. de Incarn. disp. 7. quæst. 1.* vbi luculentissimè de hac re differit.

92 OPPOSITA sententia est Alensis *3. p. quæst. 1. memb. 6. art. 2.* Richardi, Ioan. Medinæ *quæst. 1. de satisfact.* Guillielmi Parisiens. *Tract. de Leg. cap. 21.* Gersonis *p. 3. operum*, *Tractat. de vita spirituali*, *lect. 1.* D. Thom. *prima secunda*, *quæst. 87. art. 4.* & *3. p. quæst. 1. art. 2.* vbi Caietanus, Medina, Aluarez, Nazar. Cornexo, Hurtado *disput. 9. sect. 3.* Lezana *loco citato*, Auersa *quæst. 88. sect. 5.* Bernal. *disp. 4. sect. 3.* Amicus *disp. 13. sect. 4.* Coninch. *de cen. t. disp. 10. dub. 2.* & alij. Et sanè id de peccato mortali non renuunt omninò Salas *disput. 5. de Legibus*, *sect. 6.* Valentia *loco citato*, *quæst. 17. p. 4.* Est autem sententia Diui Bonauentura *3. distinct. 20. quæst. 4.* & *in 2. distinct. 33. quæst. 2. in corpore.*

ASSERO, peccatum mortale esse offensam Dei infinitam. 93

PROBATVR primò à D. Bonauent. *in 3.* Offensa exigens satisfactionem infinitam; proculdubio est infinita: Sed peccatum exegit satisfactionem infinitam Christi: Ergo. Minor probatur. Si potuit creatura finita condignè satisfacere: Ergo Christus gratis mortuus est, vt infert Apostolus *Galat. 2.* Hæc latiùs prosequar *3. p. tract. 1. disp. 3. quæst. 3.* Confirmatur, quia potuit dari meritum, & satisfactio infinita, vt in Christo fuerunt: Ergò datur offensa infinita peccati.

RESPONDET Mastrius *numero 202. disput. 6. Tom. 2.* posse creaturam satisfacere condignè pro peccato mortali alieno, neque satisfactiones Christi esse infinitas.

Hæc tamen falsa sunt, & refellentur *3. p. Tract. 1.* Primum quidem *disp. 3. quæst. 4.* Alterum *disp. 3. quæst. 8.*

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *in corpore*, argumento calculatorio, quo cæteri nituntur. Offensa extrinsecè crescit è dignitate personæ; maior est enim contumelia in Comitem, quàm in Rusticum: Maior in Principem, quàm in Comitem: Maior in Regem, quàm in Principem. Sed Deus est infinitæ dignitatis: Ergo est offensa infinita. Id ferè concedit Valentia.

NEQVE verò persona offensa afficit extrinsecè actum, tanquam circumstantia extrinseca, vt putant Nazarius, & Tannerus; nam actus moralis ab obiecto, quale est persona, speciem accipit, sicut è contrà, ex dignitate magis meretur, & ideò inferam *3. p. Tract. 1. disp. 3. quæst. 9.* infinitatem meritorum Christi, necessariam ad redemptionem. 94

Neque benè soluit Nazarius negans paritatem, quia persona satisfaciens intrinsecè, ingreditur rationem satisfactionis, quia exhibetur persona ipsa submissione, & dignitas personæ offensæ est extrinseca.

CONTRA tamen; nam & persona offensa deprimitur violenter, quod amplius est, quàm sponte submitti.

Neque est ad rem id, quod respondet Tannerus, etiam actus Fidei, Spei, & Charitatis habere obiectum infinitum, neque tamen infinitos esse. 95

CONTRA enim est; nam actus isti mensurantur dignitate agentis, & tendunt in Deum sub vna ratione, *v. g.* vt Verax, vt Fidelis, vt Bonus finitè sibi: Atque ità & meritum ex dignitate personæ crescit, quia actiones sunt subsistentium: & hoc casu verum est, quod ait Albertinus, quòd quando modus obiecti excedit potentiam; tunc potentia tendit in obiectum, non vt in se, sed vt est attemperatum potentiæ: at offensa est tota relatiua in totum id, quod est personæ offensæ. Et ideò ab ea sumit speciem, & grauitatem, quod tandem fatetur Tannerus *numero 55.* qui hinc infert, solam infinitatem secundùm quid, qui obseruat, eam vocari à D. Thom. infinitatem quandam.

CONFIRMATVR ex Aristotele *5. Eth. cap. 5.* vbi vult, offensam comparari ad obiectum, tanquam subiectum, quod afficit. 96

ENIM verò neque nos volumus, eam infinitatem esse simpliciter, scilicet ex omni capite; nam actus est finitus in se; sed solùm esse infinitam simpliciter in genere morali, idest offensæ, quod aduersarij non valent reprobare.

Hoc

Hoc latiùs ostendam 3. *parte*, *Tractatu* 1. *disputatione* 3. *quæstione* 3.

RESPONDET Mastrius *numero* 190. crescere iniuriam ex dignitate personæ offensæ secundùm aliquam proportionem; non secundùm æqualitatem; ideo ex dignitate infinita Dei non crescere offensam in infinitum; sed solùm secundum aliquam excellentiam; Ratio est, quia dignitas personæ non est tota ratio offensæ, sed interueniunt alia, quæ sunt limitata, sicuti etiam actus charitatis non crescit ex infinitate Dei amati.

97 CONTRA arguo. Quando vna res continet formaliter, vel eminenter infinitas; tunc ea crescit infinitè ex Mastrio *hic*: at offensa Dei continet eminenter omnes gradus offensionum infinitarum personarum secundùm gradum intensionis, Puta Monarcharum, Regum, Ducum, & infinitorum, qui possunt esse: nam super omnes est offensa Dei, continentis dignitates infinitas creatas: Ergo offensa Dei est infinita. Profectò enim continet ordines infinitos offensarum, vt notat Amicus *distinctione* 23. *sectione* 5. *numero* 166. Arriaga *disputatione* 54. *numero* 20. nec tenuit Mastrius iterum *numero* 200.

PROBATVR tertiò à S. Bonauent. *loco citato, ad argumenta*. Culpa, cui ex iustitia Dei debetur pœna infinita, sanè est infinita; sed culpæ mortali ex Dei iustitia debetur pœna æterna, quæ est infinita: Ergo. Maior est clara; nam iustitia Dei non excedit in punitionibus; imò punit citra condignum. Minor est de fide.

98 RESPONDET Mastrius è Scoto, negando, pœnam æternam esse infinitam, quia extrinsecè solùm est infinita. Deinde negat, culpæ mortali debitam esse talem pœnam ex natura culpæ; sed ex ordinatione diuina, quæ potuit momentaneam pœnam statuisse; durat verò culpa in æternum, quia durat mala voluntas in damnatis; vt ait D. Fulgentius *de fide ad Petrum*, *circa medium*.

Quod si culpa esset infinita ex se, deberet puniri intensiuè infinitè.

Confirmatur; nam si æternitas pœnæ arguit infinitam culpam; & infinitas præmij arguet meriti infinitatem.

99 CONTRA, quia æternitas pœnæ non imponitur damnatis ex continuatione illa, in qua non demerentur; & quòd obstinati sint, est pœna primæ culpæ, quæ fuit in via, vt notat Coninchius.

Quod verò æternitas adducat infinitatem; probatur; nam pœna vnius horæ, est pœna; sed vnius diei est maior, ita vnius mensis est maior, & sic in infinitum: Ergo pœna æterna est infinita, atque cùm à Deo sit ordinata, & tanta citra condignum est iusta. Vnde insulsa est responsio, talem pœnam esse finitam in se; infinitam ex ordinatione diuina; alioqui potuissent puniri damnati secundùm iustitiam in vna hora; atque adeo Deus contra iustitiam agit. Quod verò Deus valuisset Indulgentiam dare; nil refert.

100 NEQVE remurmuret Mastrius cum Scoto, hanc infinitatem extensiuam debeti continuationi culpæ: nam peccatum mortale viæ adhuc, ante obstinationem inferni, pœna æterna damnatur; neque in inferno augetur demeritum.

Confirmatur: Nam si peccatum mortale est finitum: Ergo finitè distat à veniali in genere offensæ. Cur ergo extensiuè infinitè maior ei pœna infligitur? Inanis profectò, & petens principium est Mastrij responsio, *numero* 201. mortale excedere venialem labem in damno pœnæ; non in malitia: Ergo infinita, extensiuè maior, datur culpæ maiori solùm finitè? Quæ æquitas?

INSVLSA est etiam responsio, quam rursus resumit, pœnam æternam dari in ordinatione Diuina; nam ordinatio diuina iusta est, & citra condignum, esto quoad intensionem; quæ ideò non infertur, quia subiectum finitum non est receptiuum passionis infinitæ. Neque id, quod de merito ait, est simile; nam meritum computatur ex agente, cùm sit magis absolutum, offensa verò omninò relatiua, vt fatetur Mastrius *numero* 206. 101

INSTAT Morandus. Etiam venialia in damnatis puniuntur pœna æterna, in sententia D. Bonauent. ergò malè ex pœna deducitis infinitatem offensæ.

RESPONDETVR, argumenta sumenda ab eo, quod est per se; non ab eo, quòd est per accidens: sicuti est pœna æterna pro venialibus: hæc enim pœna adscribitur mortali culpæ, vt eius causa etiam venialia perpetuò luantur. Vnde vrget pro nobis. 102

Vnde confirmatur argumentum, quia Sancti PP. cùm adscribunt peccato infinitatem offensæ, non significant solùm esse infinitum, quia est contra obiectum infinitum: Sic enim etiam actus meritorij essent infiniti, quibus in Deum tendimus; sed quia Deum afficiunt, vt subiectum contumeliæ.

NEQVE satisfaciunt dicentes, eo dicendi modo solùm significari infinitatem negatiuam; Contra enim est; quia talis infinitas conuenit etiam visioni, lumini gloriæ, atque amori supernaturali Dei. Oportet igitur specialem illam inueniri à Patribus assignatam peccato infinitatem; Nec sufficit illa communis, quam assignant Bonacina, Caspensis, & alij, vt notat Mastrius. 103

REPONDET ipse, offensam speciali modo crescere, ratione personæ offensæ, quia est relatiua, & secundùm communem hominum existimationem, offensa infundit iniuriam, magis quàm in cæteros actus; quia respicit personam offensam, non tantùm in ratione moralis obiecti; sed in ratione subiecti iniuriâ affecti. Quoniam tamen dignitas personæ non est causa præcisa grauitatis offensæ, sed concurrunt etiam aliæ causæ offensam limitantes, præcipuè cognitio personæ offensæ, & conatus potentiæ offendentis, & alij modi finiti, vt ait Morandus; hinc est, vt offensa personæ infinitæ simpliciter, nequaquàm crescat ad æqualitatem. 104

SED iste Doctor se implicat; nam ea, quæ in actu habent finitatem, sunt extra rationem infinitatis, de qua agimus. Satis enim mihi est, esse offensam Personæ infinitæ agnitam. Quod verò conatus sit finitus, nil facit; sic enim, etiamsi aliquis conetur occidere Principem, & non possit, seu finito conatu lædat Principem, non restat, quin sit offensa, quanta est Persona Principis.

OBIICIVNT primò. Si peccatum in ratione offensæ esset infinitum; sequeretur, omnia peccata esse æqualia, qui est error Iouiniani, & Stoïcorum.

RESPONDENT communiter, peccata esse inæqualia, quoad malitiam, & hoc negabant: hæretici; sed non esse inæqualia in ratione offensæ.

Sed vrget Mastrius, etiam in ratione offensæ dari inæqualitatem, vt legere est in D. Augustino *epistola* 29. & Hieronymo *lib.* 2. *in Iouin.* 105

RESPONDEO ego, omnes quidē esse offensas infinitas,

finitas, nec in hoc esse præcisè inæqualitatem, vt vna culpa sit finita; attamen in ratione offensæ infinitæ habere extensionem, vt lædatur sub vna formalitate magis nobis veneranda, vel colenda, sic qui lædit Deum in odiendo, desperando, magis offendit, quia immediatè Deum lædit; qui verò Deum lædit in proximo, minùs lædit, quia mediatè, & hoc non modo est in ratione malitiæ absolutæ actus, sed etiam relatiuæ: Omnes tamen offensæ tendunt, ac terminant in Deum, vt infinitè lædunt sub vna ratione communi. Itaque alia est in eis ratio finitatis; alia infinitatis; sicuti, si comparetur corpus infinitum cum superficie infinita, vtraque enim est infinita, secundùm longitudinem, & latitudinem, sed altera deficit in profunditate.

107 INSTAT. Si peccatum est offensa infinita: Ergo cum veniale sit offensa Dei, erit infinita.

RESPONDETVR facilè, latum esse discrimen: nam veniale non est simpliciter offensa Dei, sed leuis quædam; non crimen vetitum sub reatu inimicitiæ, sed quodammodo ex fragilitate, à Deo non adscriptum offensioni absoluiè; at mortale afficit Deum, vt subiectum ignominiæ, quia auertit simpliciter à Deo, vt aduertunt Hurtadus, Lezana, & alij.

OBIICIVNT secundò. Deus non est sufficiens ad communicandam infinitatem simpliciter malitiæ, quæ est in peccato mortali, vt patet, discurrendo per modos assertos à nobis.

108 RESPONDETVR ex dictis, infinitatem communicari culpæ, vt est offensa ex ordine ad Deum; quia continet omnem ordinem, imò infinitos ordines offensæ inferiores; quæ infinitas non est merè præcellentiæ, vt putant Bellutus *numero* 16. & Mastrius *numero* 187. sed est infinitatis, vt dixi suprà. Venit ergo ex parte Dei, constituentis offensam illam infinitam, quatenus est subiectum contemptum, vt notat Hurtado. Nec est idem de peccato veniali, vt dixi. Ex quo fit, vt ex iusta Dei ordinatione pœna ei æterna statuta sit, non autem venialibus.

OBIICIVNT tertiò. Quando obiectum excedit modum essendi agentis, & virtutis eius operatiuæ, erit etiam alterum secundum modum operationis agentis eiusdem; & ideò non poterit agens sua operatione perfectè & adæquatè illud obiectum attingere, sed talis est actus humanus malus in Deum: Ergo non potest suâ malitiâ attingere infinitatem Dei, vt offensa sit infinita, sicut Deus est infinitus.

109 RESPONDETVR, maiorem veram de actione physica perfecta, vel corruptiua; non de morali defectiua, per quam non ascenditur per maiorem potentiam ad obiectum, sed per defectum auersionis.

OBIICIVNT quartò. Tantùm crescit offensa Dei, quantùm aliquis auertitur à Deo: Sed ab eo auertitur finitè: Ergo. Minor probatur: tantùm auertitur à Deo, quantùm conuertitur ad creaturam; sed ad creaturam conuertitur finitè: Ergo. Minor probatur. In motibus tantùm receditur à termino *à Quo*, quantum acceditur ad terminum *ad Quem*. Minor probatur: nam ad creaturam acceditur, quantùm ea amatur; sed amatur finitè: Ergo.

RESPONDETVR, rationem offensæ non crescere modo motuum physicorum, sed ex morali dignitate personæ offensæ.

QVÆSTIO V.

An omne Peccatum sit malum, quia lege aliquâ vetitum.

AD penitiùs inspiciendam peccati essentiam, quam diximus consistere in priuatione debitæ rectitudinis, videndum est: An illa sit carentia rectitudinis debitæ ex aliquâ lege, oppositum præcipiente: an verò alicuius rectitudinis ingenitæ, ratione cuius adhuc peccatum esset malum, etiamsi nulla extaret Lex. Ansam dat quæstioni definitio allata à D. Ambrosio, lib. de Paradiso, cap. 18. *Peccatum est diuinæ Legis præuaricatio & cœlestium inobedientia mandatorum*, vt notat S. Bonauent. *in* 2. *dist*.35. *dub*.4. *litt*. Multi super hac re modi recensentur à Pallauicino *disput*. 9. Arriaga *disp*.19. & aliis. 110

PRIMA opinio est, multa esse mala in se, suapte natura, etiam nulla lege vetante. Ità Scotus *in* 3. *dist*. 37. *quæst*.1. Richardus *art*.1. *quæst*.5. Gabriel *quæst*.1. *art*.2. Durandus *in primo*, *dist*.47. *quæst*.4. Vasquez *hîc quæst*.19. *art*.4. & *quæst*.90. *in Proœmio*. 111

SECVNDA opinio est Gregorij *in* 2. *dist*.34. *quæst*. 1. *art*.2. Cordubæ *lib*.3. *quæst*. 10. quam laudat Almainus, *Tract*. 3. *moral. cap*.16. non omnia peccata ideò esse talia, quia sunt vetita aliquâ lege imperante, sed benè aliquâ saltem lege indicante.

TERTIA sententia est, seclusa omni prohibitione legis, adhuc in peccatis quibusdam consistere rationem malitiæ cuiusdam naturalis, seu materialis; sed non rationem culpæ, seu mali moralis. Ità Soto *super epistolam ad Rom. cap*.4. Zumel *disp*.10. nec dissentiunt Victoria, & alij.

QVARTA sententia est, omne peccatum ideò solùm esse malum, quia vetitum. Ità D. Bonau. *in* 2. *dist*.35. *dub*.4. *litt*. & *in* qq. D. Thom. 1.2. *quæst*.71. *art*.6. *ad* 4. & *quæst*. 100. *art*.8. *ad* 2. Gerson 3. *p. Tract. de vita spirituali*, *lect*.1. *corol*. 10. seu *alphabeto* 61. *littera E*. Ocham *in* 2. *quæst*. 19. *ad dub*.3. & 4. Andræas de Castro nouo *in fine primi sent*. Victoria *relect. de perueniendo ad vsum rationis, parte* 2. *numero* 8. & inclinat Almainus *loc. cit*. In hanc decidit Faber *in* 4. *dist*. 14. *disput*. 1. *cap*.6. & adducit pro hac etiam Scotum *in* 4. *dist*. 50. *quæst*.1. §. *Respondeo ergo ad quæstionem*, vbi dicit: *Quodcumque peccatum esse peccatum, quia est contra legem Dei*. Fateor, Scotum esse pro prima sententia apertè *in* 3. *dist*.37. *quæst*.1. §. *Præcipuè*, & §. *iste*, & §. *Ad quæstionem igitur*. Pro nostra sententia est etiam Caspensis, *Tract. de pecc. disp*.1. *sect*.3. Mastrius *Tom*.2. *disp*.5. *numero* 167. & *disp*.6. *numero* 30. & *sequent*. Fuliensis *lib*.2. *cap*.2. 112

FVNDAMENTVM primum est, quod assumunt Faber, & Caspensis. Lex aliquando sumitur strictè pro lege scriptis exarata, vel tabulis excisa: aliquando sumitur pro quauis lege, siue Diuina, siue instinctu naturæ, siue lege æterna. Non vult igitur hæc quarta sententia, omne peccatum esse malum, quia est contra legem aliquam scriptam: nam antequam aliqua ferretur lex scripta, multa profectò fuere peccata; & dicitur illa lex Naturæ. Est igitur saltem contra legem naturæ, quæ est dictamen à Deo inditum ad malum fugiendum: eatenus autem malum est, quatenus disconueniens naturæ rationali; & ob id natura dictat, fugiendum. Per legem autem æternam Diuinam, intellige Diuinam voluntatem Dei volentis, 113

volentis, nil fieri culpabile, inhonestum, &c. quæ tamen voluntas, seu lex non est libera in Deo ad id volendum, quia dependet ex anteriori, puta bonitate eius, & iustitia, quæ nil malum potest velle.

114 FVNDAMENTVM secundum consequens est: Aliqua peccata sunt, quæ ità pendent a lege naturali, vt à libera Dei dispositione volendi oppositum non possint pendere: Tale est mendacium, odium Dei, &c. quæ ità naturali lege sunt necessariò vetita, vt nequeat dari lex voluntaria, oppositum præcipiens. Quare non potest facere Deus, vt odium sit bonum. Ideò miror Fauentinum probandum assumpsisse, posse Deum facere, vt odium in Deum sit bonum. Hoc verò non rectè ex duobus capitibus attendit; siue quia non habetur odio ipse Deus, sed aliquis effectus eius, vt iustitia; potest autem Deus velle alium ordinem, vt non puniat damnatos, pœnâ æternâ, propter quam damnati odio habuêre Deum; siue quia Deus potest
115 facere, vt odium in Deum sit bonum; cùm enim eatenus sit malum, quia à Deo reprobatum; ità posset Deus, qui omnia ad extrà liberè determinat, velle, vt sit bonum. Hæc tamen friuola sunt, vt ostendit D. Bonauent. *in primo, dist. 47. quæst. vltima*, maximè in fine.

PRIMVM quidem non est ad rem, quia, vel odium illud fertur hic, & nunc in effectum Diuinæ iustitiæ; vel vt respicit solùm materialiter pœnas. Si in effectum, vt nunc prodit à Deo, cùm sit iustus, non potest odio legitimè haberi; quod si feratur solùm in materiam illam; tunc si Deus mutaret ordinem, non esset ampliùs effectus iu-
116 stitiæ Dei. Prætereà hoc non est formale odium Dei, de quo est soluenda dubitatio. Et quidem, Deum omnia ad extra liberè operari non nego, sed quia actus Dei est ipse Deus, sicuti non potest ferri volendo peccare; ità nec materiam peccati odij Dei mutare: nam hæc adeò est materia, & obiectum peccati, vt sit immutabilis; nam sicuti Deus non potest seipsum odisse, quia inuenit in se omne bonum immutabile; & ideò quoad specificationem determinatur ad se amandum, quia nil odibile in se potest inuenire; ità, quia summè bona est eius etiam voluntas, non potest velle, vt idem obiectum sit odibile, vel odio habitum; alioqui si ex libertate operandi ad extra rectè argueretur; iam posset Deus etiam præcipere peccata. Ratio ergo legitima est, quia, licèt ad extra sit liber, non tamen ad contradictoria; Quia igitur vult seipsum, & amat infinitè necessariò, non potest velle odio haberi idem obiectum, quod est immutabile, & omni ex parte amabile.

DIMITTO longam Fabri ratiocinationem, arenosis nixam basibus, quæ testimoniis etiam Patrum ruunt.

117 ASSERO cum hac sententia, omnia peccata esse talia, quia lege aliqua vetita. Hæc assertio, si rectè intelligatur à nullo potest impugnari.

PROBATVR primò à D. Bonauent. hîc, ex D. Ambrosio, *lib. de Paradiso, cap.*8. vbi definit Peccatum: *Est Diuina legis præuaricatio, & cælestium inobedientia mandatorum.*

DEINDE probatur à Diuo Bonauentura *locis adductis quæst. prima*, ex illa definitione Diui Augustini lib. 22. contra Faustum, cap. 27. *Est dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam.* Ex his colligitur. malitiam peccati esse, quia opponitur legi. Hinc D. Augustinus *lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione, cap.*16. ait: *Neque peccatum erit, si quid erit, si non diuinitus iubeatur, vt non sit.*

RESPONDET Vasquez, ex his haberi solùm, peccatum esse contra Diuinam legem; at non haberi ideo præcisè solùm esse peccatum, quia sit contra legem Dei. 118

AT D. Augustinus hîc assignat definitionem, in qua est ratio formalis peccati, eamque assignat per hoc, quod est contra legem, negatque ablata lege futurum. Idem de D. Ambrosio aduertit, post D. Bonauent. Fauentinus *numero* 14.

PROBATVR secundò ex Apostolo, Rom. 3. *Per legem enim cognitio peccati*, & cap.4. *Lex enim iram operatur:* vbi enim non est Lex, nec præuaricatio. Quæ loca frustrà erodit Vasquez.

OBIICIES. D. Augustinus *lib. 1. de libero arbitrio, cap.*3. concedit Euodio dicenti, adulterium esse malum; non quia prohibitum; sed potiùs ideò prohiberi, quia malum est.

RESPONDET D. Bonauent. D. Augustinum ibi velle ideò peccatum esse malum, quia contra legem aliquam, ideò subdit in fine: *Simul etiam te credere arbitror in ista temporali vita nihil esse iustum, neque legitimum, quod non ex hac æterna lege sibi homines deriuauerint.* Igitur ex lege æterna pendet, vt actus sit iustus, vel malus. Sic respondet etiam Fauentinus, & sanè, si consideremus tum legem æternam, quæ est Diuina voluntas rectissima, tum legem naturalem; tum Diuinam positiuam, &c. aliquam istarum violat peccatum. Ideò lege scripta vetitum: Vt verum fatear, videtur hæc controuersia de nomine. 119

QVÆSTIO VI.

Cuius rectitudinis peccatum sit Priuatio.

D. Bon. in 2. d. 35. per multas quæstiones.
D. Thom. quæst. 85. art. 1.

IAM tenemur assignare cuius rectitudinis, siue entitatis, peccatum sit destructiuum, & priuatiuum.

PRIMA opinio est, peccatum esse priuationem, & corruptionem naturæ. Itaque volunt isti, peccatum non esse priuationem rectitudinis, sed illius boni, in quo est, idest naturæ rationalis, cui inest. Bonum hoc dicunt esse naturalem inclinationem ad virtutem. Ità videtur D. Thom. *prima secunda, quæst.* 85. *art.* 1. Richardus *in 2. distinct.* 35. *art. 2. quæst.* 1. Gregorius *in 2. dist. 33. & 35. quæst. 5. art.* 1. Alensis *2. p. quæst. 95. memb. 3. art. 1. in corpore, & ad secundum*, & multi alij. Adducitur D. Bonauent. *in 2. dist. 35. art. 1. quæst. 1. & art. 2. quæst.* 3. à Fabro Fauentino *in 4. dist. 14. disp. 1. cap.*8. sed malè; nam S. Bonauent. vult non solùm lædi etiam naturalem inclinationem, vt infrà dicam; sed etiam vult, peccatum esse destructiuam priuationem rectitudinis, vt ipse tandem fatetur Faber *ibi numero* 198. cum Scoto illum componens. Neque vult S. Doct. inclinationem ipsam naturæ minui intrinsecè per destructionem alicuius entitatis naturæ; sed solùm extrinsecè per appositionem impedimenti extrinseci, propter quod non ità facilè feratur in virtutem; atque adeò non per ablationem alicuius partis aliquotæ, sed per priuationem, quæ semper potest esse maior, & maior, vt patet 120 121

etiam

etiam in linea, quæ incurvatur. Igitur hæc fit per elongationem à fine infinito, vt clarius docet D. Bonauent. *dist.* 35. *quæst. vltima*, vt confitetur Faber *numero* 170. & est sententia etiam D. Thomæ, vt notat Vasquez *disp.* 137. Medina *quæst.* 85. *art.* 1. & 2. & alij sinceriores, vt Bellarminus *Tomo* 4. *de gratia Adæ*, *lib.* 1. *cap.* 5. *fol.* 17. & hoc idem volunt Marsilius *in* 2. *quæst.* 22. *art.* 3. *conclusione* 1. & 3. Dominicus Sotus *lib. primo, de natura, & gratia, cap.* 13. Caietanus, Conradus, & alij fideles D. Thomæ sequaces.

122 SECVNDA sententia est, peccatum esse corruptiuum habituum bonorum acquisitorum. Videtur Gregorij *in primo distinctione* 17. *quæstione* 3. *articulo* 2. *ad* 10. Eam verò sequitur Medina *prima secunda, quæstione* 53.

TERTIA sententia est, peccatum esse priuationem gratiæ. Ità D. Thom. 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 10. Caietanus *ibi* Medina *prima secundæ, quæst.* 113. *articulo* 2. vbi etiam Caietanus, Sotus *lib.* 2. *de natura, & gratia.* Vasquez *prima secunda*, *disp.* 91. & alij: Cum hoc tamen discrimine; qui enim ex his volunt, peccatum esse priuationem, dicunt, peccatum opponi gratiæ priuatiuè, siue peccatum esse carentiam, & priuationem gratiæ, & illam corrumpere per incompossibilitatem: at Vasquez, & Caietanus, qui volunt, peccatum esse formam positiuam, dicunt, opponi gratiæ positiuè; sicut calidum, & frigidum, quæ effectiuè se destruunt. Videtur D. Bonauent. *in* 4. *distinctione* 1. *quæstione vltim. in argumentis*, sed hoc intelligit moraliter, vt dicam *tract.* 4. *dist.* 10. *quæst.* 12.

123 SENTENTIA D. Bonauent. *loco citato*, est primò, peccatum formaliter esse carentiam rectitudinis debitæ ipsi voluntati, & actui eius, quem idcircò *dist.* 24. *art.* 2. *quæst.* 3. ponit subiectum illius priuationis, vt in voluntare, etiam *dist.* 35. *quæst.* 2. Vnde malè Tanner. *disput.* 2. *quæst.* 1. *dub.* 2. *numero* 25. ait, Peccatum in sententia D. Bonauent. esse priuationem rectitudinis debitæ, & inesse soli actui; nam S. Bonauent. *quæst.* 2. *in corpore*, ait: *Peccatum est corruptio circa voluntatem, & eius actum, cum sit obliquatio à rectitudine iustitiæ.* Hoc verò probat, quia manet voluntas ipsa deformata. Consentiunt Alensis 2. *p. quæst.* 94. *memb.* 2. & *quæst.* 97. *art.* 1. Richardus 2. *distinct.* 34. *art.* 1. *quæst.* 7. & *distinct.* 35. *art.* 1. *quæst.* 1. Scotus *dist.* 37. *B*, & clariùs §. *Concedo igitur*, vt refert, subscribens Mastrius *disp.* 6. *quæst.* 2. *numero* 32. Valentia *disp.* 2. *quæst.* 13. *puncto* 3. & *disp.* 6. *quæst.* 1. *p.* 1. Bassæus *verb. Peccatum* 2.

124 AT verò Gabriel *dist.* 35. *quæst.* 1. *art.* 1. & 2. Ocham *quodlib.* 3. *quæst.* 15. Almainus *Tractat.* 3. *Moral. cap.* 17. aiunt, esse priuationem rectitudinis debitæ voluntati, seu potentiæ, non actui, nisi quando actus est malus, respectu circumstantiæ loci, vel temporis. Addit Almainus *primo Moral. cap.* 13. aliquando nec actui, nec facultati debitam esse rectitudinem, vt, cùm aliquis odio habet Deum, quando non tenebatur eum diligere, eoque casu docet, malitiam esse carentiam perfectionis non debitæ. Quo sensu etiam Molina *op. p....* dicit, malum morale consistere in priuatione conformitatis cum recta ratione, & lege Dei, quæ debuit inesse per contradictorium actus, vel omissionis malæ. Eodem sensu aliqui Moderni dicunt, malitiam moralem consistere in voluntaria, & libera carentia huius perfectionis negatiuæ, debitæ voluntati, quæ est non violare legem. His non est contrarius Lessius *lib.* 13. *de perfect. diuinis*, dum ait: formalem malitiam peccati non consistere in aliqua priuatione propriè dicta, quæ sit in ipso actu; sed in priuatione quadam morali, nempè in recessu à regula rationis, & in auersione à Deo, quod non est aliquid positiuum, vt putat Tannerus *disput.* 2. *quæst.* 5. *dub.* 2. *numero* 26. sed priuatio, vt docet D. Bonauent. adductus, *quæst.* 1. & 2. In hoc conueniunt cum Seraphico, Bellarminus, Azorius, & Valentia *locis adductis*, *quæst.* 2. Dicam, hanc priuationem inesse actui malo; vt in voluntate cum relatione non perfectè reali, cùm fundetur in voluntate, & intentione Legislatoris, neque omninò rationis, cùm realiter voluntas peccet, licèt sequatur etiam relatio rationis à nobis concepta, quod Vasquesio *disp.* 6. placeat. 125

116 SECVNDO asserit D. Bonauent. peccatum destruere inclinationem naturæ ad virtutem extrinsecè, modo dicto, *initio quæstionis*, apponendo impedimentum, ne ità facilè feratur in virtutem; Non autem adimendo frustula naturalium, vt nimis crassè Doctor subtilis Seraphico adscribit, quod tandem fatetur Faber, vt dixi *initio quæstionis.* Sequuntur plurimi apud Tannerum *disp.* 4. *quæst.* 10. Consentit verò Seraphicus Doctor, paulatim per peccata corrumpi habitus virtutum acquisitos, in quo conueniunt Durandus *in* 2. *distinctione* 34. *quæstione* 4. Scotus *distinctione* 37. *quæstione* 1. Gabriel *distinctione* 35. *quæstione* 1. *articulo* 2. *conclusione* 2. Altisiodor, *lib.* 2. *tract.* 27. *cap.* 3. licèt negent, diminui naturale.

127 ADDIT tandem, gratiam non corrumpi à peccato physicè, sed demeritoriè, *in* 2. *dist.* 26. *art.* 1. *quæst.* 4. *ad quintum*, & *in primo*, *dist.* 17. *parte* 2. *quæst.* 3. *ad argumenta*, quem sequuntur Scotus *in* 2. *dist.* 35. §. *Ista quæstiones.* Richardus *in* 3. *dist.* 31. *art.* 1. *quæst.* 1. Conradus *prima secunda*, *quæst.* 71. *art.* 4. Durandus *in primo, dist.* 17. *quæst.* 10. *numero* 4. & *in* 3. *dist.* 31. *quæst.* 1. *numero* 6. & de habitu Fidei docuêre Scotus *in* 3. *dist.* 23. *quæst.* 1. *in fine ad tertium*, Almainus *tract.* 1. *Moral. cap.* 5. quos adducit Vasquez *disp.* 91. *cap.* 1. qui oppositum tenet, adducens alios *cap.* 2. Varios modos dicendi discutit Mastrius.

Multas hìc quæstiones vnico ictu abscindam, vt ad grauiora properem.

ASSERO primò, peccatum esse corruptiuum alicuius boni. Patet ex dictis *quæstione* 2. 128

PROBATVR à Diuo Bonauentura *distinct.* 35. *quæst.* 1. primò ex Diuo Augustino in Enchir. cap. 11. *Quid est aliud, quod dicitur malum, nisi priuatio boni?* Cùm ergo culpa committitur, fit priuatio alicuius boni: hæc autem non potest esse, nisi ab ipsa culpa: Ergo peccatum corrumpit aliquod bonum. Hoc verò expressiùs insinuat S. Bonauent. subdens: Ideò malum est naturæ corruptio, quia eam qualicumque bono priuat, idest aliquo bono naturali, vt infrà dicam.

PROBATVR secundò. Quod nullo bono priuat, non nocet; sed peccatum nocet: Ergo. Totum argumentum est D. Augustini 12. *de ciuitate Dei*, *cap.* 6. quod Scoto adscribit Faber *num.* 158. malè subsumens contra se: Sic malum illud bonum corrumpit, cui nocet. Tunc sic: At malum non nocet, nisi illi, in quo est. Est autem in natura rationali: Ergo peccatum corrumpit naturam rationalem. Debuit potiùs Inferre: Ergo peccatum corrumpit aliquid in natura rationali. 129

130 PROBATVR tertiò. Sicut se habent vitia corporum ad corpora; ita vitia animarum ad animas; sed vitia corporum lædunt, & corrumpunt aliquid corporis: Ergo & vitia animæ aliquid in anima. Aduertit verò S. Bonauent. hanc proportionem non esse perfectam, quia anima est incorruptibilis. Ità *argumentis secundo loco*, quæ pro secunda assertione afferam.

PROBATVR quartò. Quando homo peccat, vel perdit aliquid bonum, vel non. Si primum, habeo intentum. Si secundum: Ergo ità bonus est, qui peccat, sicut qui non peccat; & ipse adeò bonus est post peccatum, sicuti antè: Ergo non debet Deus eum priuare gloriâ, quam dabit alteri; nec odio habere, nec punire magis, quàm ante peccatum; sed hoc falsum est: Ergo.

131 ASSERO secundò, peccatum esse ipsam priuationem formaliter alicuius boni. Patet ex dictis nostra quæstione secunda.

PROBATVR à D. Bonauent. *dist. citata* 35. *quæstione* 2. primò ex D. Anselmo, *de conceptu Virginis, cap.* 5. vbi dicit: *Peccatum esse carentiam iustitiæ debitæ, seu inesse vbi debet.*

SECVNDO ex D. Augustino lib. 1. Confess. *Iussisti Domine, vt omnis motus inordinatus sibi sit pœna*; sed motus inordinatus est culpa ipsa; pœna autem motus inordinati non est, nisi corruptio passiua, quam homo incurrit ex illa inordinatione: Ergo peccatum est ipsa priuatio passiua formaliter.

132 TERTIO. Omnes actiones animæ, etiam sunt passiones ex Aristotele: Ergo omnis inordinatio animæ est etiam inordinata passio: Ergo culpa est passio inordinata: Ergo est priuatio boni, debiti inesse.

QVARTO. Cùm anima deformat seipsam, remanet deformata, ideo enim ait Apostolus, *Coloss.* 3. Hominem reformari secundùm imaginem, cùm induit nouum hominem, non quia deleta esset imago, vt notant Sancti Patres; illa autem deformitas est peccatum: Ergo peccatum est alicuius formæ priuatio.

133 CONCLVDIT igitur ibi S. Doct. *in corpore*, peccatum esse corruptionem consistentem circa voluntatem, & eius actum, cùm sit obliquatio à rectitudine iustitiæ; voluntas autem in actu suo seipsam mouet; vnde quando se mouet ad aliquid inordinatum, illa inordinatio afficit ipsam voluntatem, vt mouentem, & corrumpit bonum: in quantum verò mota est, remanet bono priuata, & quidem maculosa priuatione illa boni. Vide S. Bonauenturam. Hinc habes, in sententia Seraphici, peccatum esse carentiam iustitiæ debitæ, esse etiam in voluntate, nedum in actu; manet enim ipsa deformata, quod probat S. Bonauent. ex D. Anselmo, *ad argumenta, loco citato*; alioqui post actum nil maneret deformitatis in anima, quod esse falsum ostendam *disp.* 5. *quæst.* 1.

134 ASSERO tertiò, Peccatum non esse corruptionem naturæ, vt sic, prout dicit substantiam. Ità S. Bonauent. *quæstione* 1. contra quem frustra commouetur Scotus, vt tandem fatetur Faber, initio citatus; cùm etiam argumenta è Seraphici fundamentis ad id probandum desumpserit.

135 PROBATVR primò à D. Bonauent. *argumento quarto secundo loco, addito responso.* Si peccatum corrumpit aliquid naturæ humanæ, vel hoc est aliquid corporis, vel aliquid animæ: Non primum, quia multa peccata conferunt corpori ad sanitatem. Si quoad animam: Contra, quia ipsa est immortalis; quòd si peccata corrumperent aliquid animæ, tandem aliquando posset finiri, quia est creatura finita; & ideò non esset perpetua. Hoc argumento nititur Scotus *distinct.* 35. §. *Ista quæstiones*, & *in reportatis, eadem dist.* & Faber *numero* 162. Quod si quis dicat (ait Scotus) quod ista ablatio fit per partes eiusdem proportionis, non eiusdem quantitatis, ideo datur processus in infinitum: Contra ipse arguit *loco citato*, ex D. Bonauent. *dist.* 35. *quæst. vltima, in corpore.* Malum enim, siue peccatum potest multiplicari æqualiter: Primò itaque partes auferentur, æquales primis vsque ad corruptionem; & multò magis si multiplicentur peccata maiora, tollent maiores semper partes, & tandem finietur. Ità etiam Faber *numero* 163.

PROBATVR secundò à D. Bonauent. Vel corrumpitur aliquid substantiæ, siue essentiæ, vel aliquid potentiarum; vel actuum (habitus enim naturales non sunt.) Non substantiæ, quia natura intellectualis est à solo Deo creabilis, & ex hoc solo incorruptibilis simpliciter, respectu creaturæ: non enim subest causalitati, & virtuti agentium naturalium: Ergo non potest peccatum aliquid de ea tollere, cùm sit tota eiusdem rationis. Neque tollit aliquid potentiæ, quia hæ sunt eiusdem rationis, & substantiæ, vt ostendi, *Tract. de anima.* 136

Neque aliquid actus, quia imò peccatum supponit actum, tanquam substratum; nihil autem corrumpit id, sine quo esse non potest. Hoc argumento nititur Scotus *loco citato*, & Fauentinus *numero* 164.

VASQVEZ *disp.* 137. *cap.* 3. hanc rationem Scoti dicit esse inualidam, quia non est necesse, vt productio illius partis sit creatio, nec eius corruptio sit annihilatio. At certum est, quæ creantur, sola annihilatione finiri, vt notat etiam Fauentinus; Sed esto non finiretur anima per annihilationem, saltem sequeretur posse à creatura animam totam destrui, cùm tota sit eiusdem rationis, & sic sæpè multæ animæ morerentur. 137

PRÆTEREA potentiæ nec intenduntur, nec remittuntur; nec habet quis maiorem potentiam voluntatis ante culpam, quàm post, vt notat D. Bonauentura.

PROBATVR tertiò à Seraphico Doctore, *argumento sequenti.* Nil destruit aliud per se in aliquo subiecto, nisi sit illi oppositum; sed malum culpæ non opponitur naturæ: Ergo. Minor probatur. Natura enim est vna; & culpæ sunt multæ; vnum autem vni opponitur, & oportet, multiplicato vno contrario, multiplicari etiam eius contrarium, vt arguit Seraphicus Doctor, *distinctione* 35. *articulo* 2. *quæstione* 1. *argumento quarto secundo loco*; alioqui sequeretur peccata esse vnius speciei, quia tunc essent priuationis vnius boni; priuationes autem non habent distinctionem specificam, nisi ab habitibus, & bonis, quibus opponuntur. Hæc argumenta assumpsere Scotus *loco citato*, & Faber *numero* 167. &c. è Diuo Bonauentura. Aliud verò etiam affert Fauentinus, admodum obscurum & infirmum. 138

PROBATVR quartò à D. Bonauent. *loc. cit.* quia nihil persistentium corrumpitur in eo, quod est essentia, vel natura, vt dicit D. Dionysius. Idem habet *dist.* 34. *secundi artic. quæst.* 1. *in corpore.* 139

ASSERO

Assero quartò, Peccatum non esse priuationem formaliter habituum acquisitorum.

Probatvr primò ex D. Bonauent. *dist.* 35. *quæst.*1. *argumento vltimo.* Priuatio expellit formam; sed sæpè aliqui peccant, qui non habent habitum aliquem virtutis oppositum: Ergo actus peccati in illo non erit corruptiuùs habitus virtutis: ergo actus ille non erit peccatum. Hac ratione vtitur Faber *num.*182.

140 Probatvr secundò ex D. Bonauent. *in* 3. *dist.*33. *quæst.*5. *argumento* 5. Quando aliqua manent simul in aliquo subiecto, illa priuatiuè non opponuntur; sed habitus acquisitus virtutis manet in peccante: Ergo peccatum non est priuatio habitus acquisitæ virtutis: Maior est euidens; Visio enim, & cæcitas non possunt manere in eodem oculo. Minor probatur, quia habitus virtutis acquiritur à peccatore, v.g. ab eo, qui adulterium committit, habitus castitatis; & ab habente hunc habitum committitur adulterium; neque per vnicum actum deperditur habitus; nec generatur contrarius expellens, vt dixi *tract.*2. *disp.*1. *quæst.*5. Hoc argumento nititur Scotus *loc. cit.* & Faber *num.*178.

141 Assero quintò, peccatum non esse Physicam priuationem gratiæ, licèt opponatur aliquo modo, quod sanè concedit S. Bonauent. *in* 1. *dist.* 17. *p.*2. *quæst.*3. *in corpore*, & *ad argumenta*, vbi indicat, gratiam tolli moraliter.

Probatvr primò à D. Bonauent. *in* 2. *dist.*35. *quæst.*1. *argumento vltimo*, quod adhibet Scotus *loc. cit.* & Faber *num.*215. vbi ait, esse rationem euidentissimam, cui, aduersarij cæteras rationes soluere nixi, non sunt ausi respondere. Si peccatum formaliter esset peccatum, quia corruptiuum gratiæ habitualis; sequeretur, secundum peccatum mortale, & tertium, ac sequentia non esse peccata; atque adeò post primum peccatum non posse hominem ampliùs peccare. Consequens est apertè falsum: Ergo. Consequentia probatur, quia per primum peccatum iam gratia est corrupta; per vnum enim peccatum tota gratia corrumpitur.

142 Si dicas, secundum peccatum, ac sequentia ponere nouum obicem Diuinæ amicitiæ, non satisfacit; quia non ob id posteriora peccata sunt corruptiua gratiæ, quia iam illa non adest: ergo peccatum est aliud, quàm corruptio gratiæ.

Probatvr secundò à D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 26. *quæst.*4. *argumento primo*, *secundo loco*. Sicuti se habet anima ad constituendam imaginem

143 Dei; ita se habet gratia ad constituendam similitudinem, quæ est perfectior imagine. Sed anima non esset imago, nisi natura eius esset immortalis, & incorruptibilis à creatura ex D. August. *de fide rerum inuisibilium* circa finem: Ergo neque esset similitudo, si forma constituens esset à creatura corruptibilis; sed forma, constituens animam in esse similitudinis Dei, est gratia: Ergo non potest Physicè à creatura corrumpi.

144 Probatvr tertiò à D. Bonauent. *argumento secundo*. Accidens, quod est in subiecto non à se, sed ab alio, non mouetur necessariò Physicè ad motum eius, in quo est; sicut patet de specie existente in speculo, & lumine existente in medio: sed gratia est in anima, non à se, sed à Deo. Ergo ad variationem animæ per peccatum non corrumpitur necessariò, idest, naturaliter, Physico modo.

Notat tamen D. Bonauent. in solutione, gratiam, licet sit à Deo, pendêre tamen à mutatione morali animæ; vnde morali etiam modo expellitur, seu ei aufertur, si auertatur à principio gratiæ.

Probatvr quartò *argumento* 5. *addita solutione*. Pura priuatio non potest Physicè destruere formam, cuius minimus gradus eam totam virtute excedit; sed peccatum est mera priuatio: ergo non potest corrumpere Physicè gratiam, cuius minimus gradus potest super omnem culpam, nam vnus gradus gratiæ habitualis tollere potest omnes omninò culpas.

Probatvr quintò *argumento vltimo*, & *in corpore* argumento, quo nititur Scotus *loc. cit.* & Fauentinus *num.*200. Illud, quod à solo Deo producitur per creationem, & ab eodem solo conseruatur, non potest ab vlla creatura corrumpi; sed gratia, & charitas à solo Deo creatur, & conseruatur, & cùm desinit esse, annihilatur: Ergo 146
peccatum, quod est actus creatus, non potest effectiuè corrumpere illam, quoniam non subest eius causalitati. Maior probatur à D.Bonauent. primò, quia id, quod corrumpitur, non cedit in non ens; quod verò cedit in non ens, annihilatur; nulla autem creatura potest annihilare: Probatur à D. Bonauent. Sub eodem ordine se habet causa in producendo, & in destruendo: sic agens naturale, quia è subiecto producit, resoluit in subiectum. Deus autem, quia ex non subiecto è nihilo producit; resoluit in non subiectum, in nihilum, quod est maius, & ordo altior. Vnde manet probata etiam Minor, quam latè ostendi *p.p. tract.*3. *disp.*1. *quæst.*8. Vnde ruit responsio Vasquez *loc.cit.* qui negat, gratiam creari, & annihilari; sed generari, & corrumpi.

Respondet Medina, & nonnulli alij, hominem plus posse in malum, quàm in bonum; vnde, sicuti potest peccare, non tamen resurgere; etiam potest ex se opera mala facere, non autem quæcumque bona; atque adeò & gratiam destruere.

Contra tamen arguit Fauentinus ex D. Bonauent. *loc. cit.* posse in malum, non est posse; sed deficere; at annihilare, est posse simpliciter; vnde ex eo, quod potest homo in quouis malo deficere, & labi; non sequitur, posse in quodcumque, puta creare, annihilare, &c. 147

Respondet Caietanus; Licèt peccatum non destruat gratiam efficienter, eam attingendo, vt probat argumentum; tamen potest inducere dispositiones contrarias ipsi gratiæ, & eam destruere consequenter.

Contra. Nam istæ dispositiones, vel sunt Physicæ, vel morales, si morales: Ergo solùm moraliter disponunt; si Physicæ, sanè erunt ordinis naturalis. Tunc sic arguit S. Bonau. *in corpore*, & *ad quintum*, & cum eo Fauentinus *num.* 205. Illæ dispositiones, quæ sunt ordinis naturalis, qui est inferior, non possunt destruere formam ordinis supernaturalis; neque enim illis opponuntur, vt fatentur etiam aduersarij, quia contraria sunt sub eodem genere: naturale verò, & supernaturale differunt plusquàm genere. 148

Prætereà id, quod creatur, sicut non habet dispositiones præuias ad esse; ità neque habet ad non esse.

Ideò Vasquez *prima secundæ*, *disp.*91. *cap.* 3. ait, parum referre, quod gratia à Deo solo producatur, & conseruetur, dummodo habeat formam contrariam, quæ ab agente creato possit introduci. Sic acidentia in Sanctissimo Sacramento à 149

solo Deo conseruantur, & tamen possunt ab agente creato corrumpi.

Sed hæc non sunt ad rem. Primò quidem supponit, quod debet probare; & suprà reprobatum est *quæst.2.* peccatum opponi contrariè ipsi gratiæ. Deinde Sacramentales species, vt dulcedo olim vini, & albedo olim panis seruantur, quia Deus ad modum agentis naturalis supplendo, & ad fidei nobis meritum impertiendum, sustentat illa acci-
150 dentia; at verò gratiam, supernaturalem entitatem, modo etiam penitus supernaturali conseruat, ideò non dependendo à causa naturali: eò vel maximè, quod causa, quam ponit Vasquez, & Scotus, destructiuam peccati, est mera relatio rationis, quam non video efficacem ad entitatem realem supernaturalem destruendam.

Assero sextò, peccatum esse priuationem formaliter absolutè rectitudinis, debitæ ipsi actui, ac voluntati.

151 Probatur ex confutatione aliarum opinionum; Cum enim sit priuatio, vt ostendi *quæst.2.* hæc erit priuatio rectitudinis debitæ; cum enim, neque sit priuatio naturæ, vel gratiæ, vel virtutis acquisitæ; non remanet aliud, nisi honestas rei, hanc autem non esse relationem rationis, ostendi, *quæst.2.*

Probatur secundò à D. Bonauent. *in 2. dist.35. quæst.1. argumento primo, secundo loco*, & *art.2. quæst.1.* ex D. August. *lib. de natura boni, cap.4.* vbi definit, Peccatum esse priuationem Modi, Speciei, & Ordinis; Sed hæc respiciunt voluntatem, & actum eius: Ergo. Minor probatur, & explicatur à D. Bonauent. *art.2. quæst.1. & sequentibus.* Quælibet res potest considerari primò in se; deinde comparata ad alias res vniuersi: tertiò ad finem. In se considerata habet modum, nam vnaquæque res in se est modificata, & finita limitibus suæ essentiæ. Comparata ad res alias,
152 habet speciem, sicut attenditur pulchritudo partium in ordine ad totum. Comparata ad finem habet ordinem; quæcumque enim res est ordinata, dum tendit ad suum finem. Dum ergo voluntas peccat, deordinatur à fine; deformatur, & extra suos limites egreditur. Enim verò melius explicandum esse, ait S.Bonauent. modum, speciem, & ordinem eiusdem rei haberi secundùm diuersas comparationes ad idem. Nam primo modo circumscriptis aliis rebus, remanente vna sola, anima potest peccare, nec tamen perdi hæc omnia.

153 Quævis ergo creatura refertur ad Creatorem, tanquam vestigium eius, secundùm triplex genus causæ. Primò, vt ad Efficientem; & hinc habet Modum, cùm efficientia eius subordinetur efficientiæ Dei: Omne enim agens debet conformari regulæ primi Agentis; sic igitur voluntas tunc rectè seruat modum suum, cùm actus eius, secundùm modum agentis liberi, est conformis agenti superiori. Itaque tunc peccat, cùm liberè potens conformari illi regulæ, ab ea deficit; & hac regula violata, statim est peccatum productum. Vnde hac posita, ponitur peccatum; & hac ablata, aufertur; vnde arguit etiam Scotus, *eadem dist.35. quæstione vnica*, ratione, quam efficacissimam vocat Faber *hic, disput.1. num.30.* in hoc formale peccati positum esse, ac constitutum, vt argumentatus sum *quæst.2. argumento quarto.* Se-
154 cundò refertur ad Deum in ratione Exemplaris; quod quidem perfectionis est norma, bonitatis, ac rectitudinis, & regula dirigens. Sic igitur voluntas nostra debet habere hanc conformitatem; in qua species, & pulchritudo perfectæ operationis posita est. Tertiò comparatur ad Deum, tanquam Finem quietantem, & tunc operatio habet ordinem, cum ad hunc finem ordinatur. Igitur voluntas, cùm libera sit, tunc bona est moraliter, cùm in suis actibus habet modum, speciem, & ordinem; tunc verò peccat, cùm liberè discontinuatur à Deo, vt agente, & mouente; quia Deus 155
non mouet ad malum culpæ. Recedit à regula Dei dirigentis, & à Deo, vt fine vltimo; conuertendo se ad creaturam, vt plurimum: Et tunc voluntas, & actus eius carent Modo, Specie, & Ordine; estque voluntas immoderata, deformis, inordinata. Hic sanè modus, licèt perantiquitatis muffum videatur olere, est optimus ad explicandam illam rectitudinem, cuius priuatio est peccatum. Ideò S. Doctor plurimas de hoc Ordine, Modo, & Specie habet quæstiones *distinct.35.* vt infrà dicam *in assertionibus.* Est enim doctrina aurea D.Augustini.

Probatur tertiò à D. Bonauent. *distinct.35.* 156
quæst. 1. in corpore. Oppositorum oppositæ sunt essentiæ, & definitiones: sed Virtus ex D. Anselmo *loc. cit. quæstione 2. de conceptu Virginis, cap. 5.* est rectitudo iustitiæ habitualis; sicuti actus studiosus est rectitudo eius actualis: Ergo & peccatum est carentia rectitudinis actualis iustitiæ, debitæ inesse ipsi actui. Sic enim peccatum definit ob id S. Anselmus, vt dixi *quæst.2.* Confirmatur: nam cùm sola inter causas creatas voluntas, ratione directa, liberè operetur, in ea sola potest esse rectitudo moralis, seu iustitiæ; atque adeò & priuatio eius. Priuatio enim est carentia formæ in subiecto illo, quod est aptum habere formam, vel eam habere assolet. Vbi S. Doctor aduertit, ad rectitudinem voluntatis tria concurrere; idest potentiam rectitudinalem, habitum rectitudinis, & habilitatem mediam. Peccatum igitur non priuat 157
Animam ipsâ potentiâ voluntatis, nec libero arbitrio, quod tamen ad modum habitus declinare, dixi *p.p. tract. de Anima, disp.10.* Tollit verò simpliciter habitum rectitudinis; non quia singulis peccatis tollantur habitus acquisiti contrarij, puta habitus castitatis vnicâ fornicatione; sed quia singulis ferè tollitur aliqua dispositio, & tandem totus habitus virtutis acquisitus ruit destructus ab habitu opposito (dixi *acquisitus*; nam habitus infusi gratiæ, & charitatis, vnico peccato mortali, tolluntur:) Itaque dicitur simpliciter tolli, quia intrinsecè tollitur quoad substantiam eius; 158
habilitatem verò ait diminui, quia minùs semper redditur habilis ad rectitudinem, sicut linea, quæ quò magis incuruatur, eò ineptior fit ad rectitudinem; hæc tamen diminutio non fit per ablationem alicuius partis aliquotæ, vel æqualis, vt notat S. Bonauent. *dist. citata, quæst. vltima ad argumenta*; sed quia extrinsecè opponuntur impedimenta: neque verò in imminutione habilitatis, vt est habilitas, stat ratio formalis peccati; sed in deordinatione actus illius, qui secundùm habilitatem ad rectitudinem deberet esse rectus, & est deordinatus à rectitudine illius honestatis, quam ratio dictat, secundùm subordinationem debitam Deo Efficienti, Exemplati, & Fini; vt dixi. Et 159
per hoc ruunt argumenta primæ sententiæ. Non enim tolluntur partes; quia alioqui aliquando finiretur, sed minuitur per elongationem à rectitudine, à qua est elongabilis in infinitum; non quatenus est contra virtutem oppositam, quæ sicuti est finita, ita finitam etiam habet oppositionem; neque

neque in hoc stat oppositio peccati formalis priuatiua, illud constituens essentialiter; sed quia semper in infinitum à regula Diuina, & Diuino exemplari, ac maximè a fine supremo potest elongari; sicut linea potest semper, ac semper, magis, ac magis incuruari. Sic enim & peccatum corrumpit per elongationem à bono, vt ait D. Augustinus, adductus à Magistro *distinct. 35. in fine*.

160 Ad huius autem ampliorem intelligentiam notat S. Bonauent. *quæst. vlt. vltima, in corpore*, quòd eo modo culpa diminuit habilitatem illam, quo illi opponitur; sed non opponitur habilitati illi secundùm id, quod est, siue prout fundatur in natura; sed secundum id, ad quod est, idest, prout ordinatur à gratia; ideò nunquam corrumpit eam, nec minuit, itavt aliquam illi auferat partem, secundùm id, quod est; sed quia deordinat ab eo, ad quod est, ac per hoc sic minuit, quod reliquit; sic corrumpit, vt nunquam totaliter tollat. Vnde sicuti dicit Magister, quod concupiscentia ex vsu charitatis continuè minuitur; sed nunquam finitur; quia charitas non opponitur concupiscentiæ secundum radicem eius, & secundùm id, in quo radicatur; sed secundùm id, ad quod inclinat; sic in re nostra, etiam illud melius

161 manifestatur, si sumatur exemplum in terminis. Habilitas enim illa, quam dicimus diminui, non est aliud, quàm idoneitas animæ ad suscipiendam gratiam, & ad cooperandum gratiæ iam susceptæ. In hoc igitur dicitur culpa habilitatem minuere, quia reddit animam minùs idoneam ad vtrumque. Dum enim homo peccat, offendit Deum, & hinc redditur ineptius ad accipiendam gratiam.

Pronus etiam redditur ad malum, & in hoc efficitur ineptus ad opera virtutum; sed profectò certum est, nullum adeò esse indignum gratiâ Dei, quin possit etiam fieri indignior peccando, & nunquam est adeò indignus, vt reddatur omninò ad gratiam summè inhabilis; & nunquam est adeò pronus, quin adhuc valeat fieri pronior, quia semper est liber, & ideò pronitas non fit necessitas, & ita ex neutra parte nunquam omninò dehabilitatur; & ratio est, quia non minuitur alicuius partis ablatione, sed elongatione, non secundùm id, quod est; sed secundùm id, ad quod est: hoc enim modo illi habilitati oppo-

162 nitur, & per hunc modum diminuitur. Aduersarij verò arguunt contra hanc diminutionem, ac si aliqua pars aliquota tolleretur habilitatis secundùm id, quod est, idest intrinseca secundùm substantiam, quod est falsum. Hæc discutit subtilissimè S. Bonauentura, vt notant marginistæ. Hinc eruit S. Doct. argumenta ad probandum, non tolli omnino habilitatem illam naturæ, quam S. Doct. *dist. 35. quæst. 1. ad vltimum*, vocat mediam inter gratiam, & naturam.

Obicies primò, contra primam assertionem. Corruptionis non est corrumpere; nam corrumperet aliâ corruptione, & illa, aliâ; & sic in infinitum: Sed peccatum est corruptio, ex dictis cum D. Augustino: Ergo.

163 Respondet D. Bonauent. *dist. 35. quæst. 1.* licèt actus non generet alios actus, tamen actus generat habitum; & ideò malum culpæ, vt est deordinatio existens in actu, potest esse causa deordinationis voluntatis secundùm habitum; Et ideò peccatum dicitur corrumpere, quia actus inordinatus voluntatem reddit inhabilem; nec sequitur ex hoc, quod actus producat actum, sed quòd deordinatio in habitu, sit ex deordinatione in actu. Itaque actus, ratione substrati, est ratio agendi, & producendi habitum, vt qualitas est; ratione verò defectus, est ratio deficiendi, & reddendi se minùs habilem: Huius exemplum ponit Magister *dist. 35.* ex D. Augustino: Abstinentia enim corrumpit, operante virtute consumptiua naturali; & defectu alimenti, quæ est actio cum defectu.

Obicies secundò. Vel peccatum corrumpit ratione substrati, vel ratione defectus. Non primum; nam substratum est bonum, quòd non potest esse causa mali. Neque secundum, quia corrumpere est agere, priuatio verò non potest agere.

Respondet D. Bonauentura, vt suprà dixi, actum, ratione substrati, esse causam agendi: ratione verò defectus, deficiendi. Itaque substratum positiuum, est causa positiui; defectus verò est causa priuatiui, vt dixi suprà. Reliqua argumenta patent ex dictis. 164

Obicies tertiò contra secundum assertum: *Culpa est malum, quod facimus; & pœna malum, quod patimur*, ex D. Augustino *lib. de libero arbitrio*. Si ergo corruptio passiuè est malum: Ergo est malum pœnæ, non culpæ. Confirmatur ex D. Augustino, qui ait; malum culpæ est affectio voluntaria, malum vero pœnæ, affectio inuoluntaria; sed corruptio est passio inuoluntaria: Ergo non est culpa.

Respondet D. Bonauent. *dist. 35. quæst. 2.* Voluntatem inordinatè mouêre seipsam, atque moueri à se; atque adeò culpa, quæ est motus inordinatus, continet actionem, & passionem; & ita actio, qua voluntas actiuè se deordinat, & passiuè à se voluntariè deordinatur, est vna culpa, & quia quales sunt actus, tales sunt habitus, maximè quia generantur ex actibus; hinc est, vt deformitas, in voluntate relicta, habeat in se aliquid correspondens actioni, & aliquid correspondens passioni: nam voluntas, dum peccat, efficitur inhabilis; & in quantùm habet rationem mouentis, & in quantùm habet rationem moti. Hæc ita verè se habent; attamen corruptioni actiuæ apponatur ratio culpæ; at passiuæ ratio pœnæ: Nec est inconueniens, eandem rationem actiuè sumptam, habere rationem voluntarij; passiuè verò rationem inuoluntarij: nec ista sunt incompossibilia circa eandem actionem; videmus enim in eadem actione delectari, & tristitiam afferri; sicut cùm scabiosus cutem perfricat, atque adeò dilaniat. 165 166

Obicies quartò ex Magistro *dist. 3.* vbi ait; peccatum esse priuationem actiuè, non passiuè; dicitur enim priuatio, quia bono priuat.

Respondet D. Bonauentura, illud dici per quandam appropriationem; magis enim propriè culpa dicitur *corruptio actio*, quàm *corruptio passio*. Verum est etiam, quod aliquis, dum caret iustitiâ, quam debet habere, culpabilis est, nam sibi ipse fecit illam carentiam. 167

Obicies quintò contra tertium assertum. *Luca* 10. refertur homo ille in via Hierico spoliatus, ac vulneratus. Vbi Glossa exponit, *vulneratum in naturalibus: spoliatum gratuitis, per peccatum*.

Respondet Scotus *loc. cit.* & Faber *num. 172.* Peccatum vulnerare apponendo rectitudini naturali impedimentum, atque curuando ad malum, modo dicto. Idem habet D. Bonauent. ad eum locum Lucæ, ex quo Scotus eruit responsum. Confirmatur 168

firmatur ex D. Dionysio *de Diuinis nominibus*, dicente: *Tum natura vulneratur, quando fit inhabilis ad vsum rectum, quod fit per crebram carentiam rectitudinis actualis.* Per hoc intelliges id, quod
169 ait idem Areopagita, eodem libro, cap.4. *Naturalia in Dæmonibus sunt vulnerata*; cum enim S. Dionysius sentiat, peccatum non opponi substantiæ, vel potentiæ naturali, consequenter non tenet, eam destruere, vt notat etiam D. Bonau. *quæst.*1. *argumento vltimo*, sed tantùm incuruare habilitatem. Hinc etiam habes, quid velit Concilium Arausicanum 2. *can.*13. & *can.*25. asserens, Liberum arbitrium infirmatum, inclinatum, & attenuatum esse per culpam, quod in ore D. August. est frequens.

Obiicies sextò. Sicut se habent vitia corporum ad corpora; ita vitia animarum ad animas; sed vitia corporum corrumpunt corpora: Ergo, &c.

170 Respondet D. Bonauentura, proportionem esse, vt sicut Vitia corporum reddunt corpora inhabiliora; ita & vitia animæ animam.

Obiicies septimò contra quartum assertum. Illud formaliter corrumpitur per actum peccati, cui actus peccati virtualiter repugnat: Sed actus peccati virtualiter repugnat habitui acquisito bono, scilicet virtutis; v. g. actus intemperantiæ repugnat habitui virtutis Temperantiæ: Ergo habitus acquisitus corrumpitur per actum peccati. Maior probatur, quia actus, producens formaliter habitum oppositum, virtualiter repugnat, & destruit habitum alium oppositum; nam actus producens habitum liberalitatis, virtualiter destruit habitum auaritiæ. Ex hoc etiam patet minor: uam actus peccati generat habitum vitij.

171 Respondet Fauentinus *num.*183. ex D. Bonau. *quæst.*1. *ad primum, & secundum*; actum non opponi formaliter, aut priuatiuè habitui, sed efficienter. Est enim, quo agitur; sic multiplicatus corrumpit habitum, cùm agit in ipsum, inducendo habitum oppositum, à quo formaliter posteà expellitur habitus præcedens. Itaque habitus contrarius potest manere cum actu contrarij habitus; non enim à primo actu expellitur habitus, vt ostendimus *tract.*2. *disput.*1. *quæst.*5. Cùm igitur in maiori dicitur, Illud corrumpi formaliter per actum, cui actus virtute repugnat, est falsum: corrumpitur enim effectiuè, non formaliter; & tunc etiam effectiuè corrumpitur, quando causa corrumpens est adæquata ad corrumpendum effe-
172 ctum; at actus vnus non est adæquatus. Sic igitur vnus actus agit ad destructionem habitus disponendo, sicut ignis in lignum, qui non corrumpit primà actione, sed disponit lignum, & sicut gutta cauat lapidem. Quæ doctrina est D. Bonau. *in* 3. *dist.*33. *quæst.*5. qua Faber soluit aliud argumentum Gregorij, quo vrgebat, Ità habitum virtutis corrumpi ab actu, tanquam ministro, & instrumento eius; sicut lignum destruitur à calore ministro ignis. Hinc etiam collige, habitum contrarium nunquam formaliter corrumpi, nisi adueniente opposito habitu, licèt actus interim effectiuè operetur ad expellendum, inducendo habitum contrarium. Vnde soluitur alia Gregorij ratio.

173 Obiicies octauò contra quintum assertum. Peccatum est offensa Dei, quà homo est inuisus Deo: gratia verò est, qua homo est gratus Deo: at esse gratum, & inuisum Deo, sunt effectus formaliter repugnantes: Ergo peccatum, & gratia sunt repugnantes, ac se formaliter destruentes. Confirmatur: Implicat enim, eundem simul esse gratum Deo, & inuisum. Itaque, etiamsi gratia non esset habitus, sed esset solùm id, quo homo est Deo gratus, adhuc faceret formalem effectum contrarium peccato.

Respondet D. Bonauent. *dist.* 35. *quæst.*1. *ad vltimum*; esto esse gratum, & esse inuisum Deo, sint contraria; attamen non sequi, gratiam opponi formaliter Physicè ipsi gratiæ: opponitur enim tantùm in genere moris, secundùm quod gratia non suâ naturali entitate, ac virtute pellit peccatum; sed Diuina prouidentia, & acceptatione, qua statuit, hunc habitum non stare cum peccato, illudque pelli ad eius habitus infusionem. Idem habet S. Doct. *locis adductis in assertione.* Quam responsionem adhibet & Faber *num.*221. Vnde ruit confirmatio; nam implicantia, quæ est inter esse gratum, atque esse inuisum Deo, venit ex eo, quòd gratia constituit gratum; non constituit autem sua præcisa entitate Physica, sed addita Diuina acceptatione talis habitus ad hunc finem. Quo fit vt, si abscindatur esse habitus infusi, maneat oppositio, quæ in Dei acceptatione est constituta. 174

Obiicies nonò cum Vasquez *disp.*96. & 104. *secundo, tertio, & quarto capite*, rationem hanc validissimam in eius æstimatione. Gratia habitualis est iustitia inhærens, qua homo formaliter est iustus, absque vllo fauore, vel acceptatione Dei, superadditâ ipsi habitui gratiæ: Peccatum è regione est formaliter iniustum, & inimicum Deo: Ergo peccatum formaliter contrariè, vel priuatiuè corrumpit gratiam. Antecedens probatur, quoad primam partem: Si gratia non esset perfecta iustitia, & sanctitas, sed egeret Dei fauore, vel acceptatione; sequeretur, in nobis non esse veram, & perfectam iustitiam, quod est hæreticum. Præterea non esset vna formalis causa iustificationis nostræ, sed duplex, nempè gratia habitualis, & fauor ille externus, quæ omnia sunt contra Concil. Trident. *sess.*6. *cap.*7. vbi definitur: *Demum vnica formalis causa* (nempè iustificationis nostræ) *est iustitia Dei: non qua iustus est: sed qua nos iustos facit; qua videlicet ab eo donati, renouamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes.* Antecedens verò, quò ad alteram partem, scilicet quod peccatum faciat formaliter iniustum, patet. 175

Respondet Faber *num.*226. cum D. Bonau. *in* 1. *dist.*17. *parte* 1. *quæst.*3. & *in* 3. *dist.* 31. *quæst.*1. negando, solum habitum gratiæ, absque Diuina acceptatione, facere hominem gratum. Neque, obsecro, indignetur Vasquez, nos decretis sacri Concilij Tridentini damnando, quod imò pro nobis est: definit enim contra hæreticos, iustificationem non fieri per solam Dei acceptationem, infusam gratiam excludendo, vt patet legenti canonem vndecimum *sess.*6. ex quo liquidò patet, interuenire etiam Diuinam acceptationem; tametsi sola non sit; neque sequitur, esse plures causas formalis iustificationis, vt nobis adscribit Vasquez; sed vna est ex habitu, & Diuina acceptatione integrata. Fallitur verò putans, nos asserere duas formales causas, alteram gratiam habitualem; alteram Diuinam acceptationem posteriorem, atque seorsim, quæ fabulosa sunt. Igitur gratia inhærens secundùm legem ordinariam, secundùm quam à Sancto Concilio sumitur, Diuinam continent- 176 177

nens acceptationem, est forma perfecta; esto
178 præcisa ab ipsa Diuina acceptatione, sicuti per Dei potentiam absolutam posset stare, non esset perfecta; & ideò cum peccato non repugnaret in eodem subiecto. Ex quo etiam sequitur, expulsionem culpæ, & introductionem gratiæ, esse mutationes connexas, prout ita se habet gratia secundùm legem ordinariam, Diuinæ coniuncta acceptationi.

Obicies decimò. Abstrahamus, atque ponamus, nullum dari meritum, vel demeritum; adhuc tamen odium in Deum destrueret amicitiam Dei; & cùm non destrueret demeritoriè, destrueret Physicè.

179 Respondetur in eo casu futurum, vt habitus gratiæ, præcisæ à Diuina acceptatione, staret cum odio in Deum; licèt enim faceret animam Physicè pulchram, attamen non pelleret moralem deformitatem.

His fundamentis alia aduersariorum argumenta conuelluntur.

Obicies vndecimò. In actibus, qui non sunt capaces bonitatis, vt in odio Dei, blasphemia, &c. non potest esse carentia rectitudinis debitæ: ergo eorum malitia non stat in carentia bonitatis, seu rectitudinis debitæ.

180 Respondet Suarez *sect.5.* in actibus intrinsecè malis, carentiam rectitudinis, re vera, non esse priuationem, quia voluntas non tenebatur habere eam formam, qua caret actus, & hic impedit voluntatem, ne eam habeat; ideò ea negatio dicitur mala, & hoc ait stat esse ad constituendam malitiam actus; sicuti in naturalibus, vt calor sit malus aquæ, non est necesse intelligere aliquam carentiam, quæ priuet ipsum aliqua perfectione calori debita, sed satis est, intelligere negationem perfectionis debitæ aquæ.

Instat Arriaga *disp.20. num.33.* euidenter (ait) Quando quis elicit actum odij Dei, non tenebatur voluntas semper habere rectitudinem amoris: Ergo non est ex eo capite actus malus. At friuolum est hoc argumentum; quia in violatione præcepti negatiui, rectitudo debita, in qua
181 formaliter sita est bonitas, non est actus oppositus, idest amor; neque carentia odij, sed conformitas ad præceptum negatiuum, quæ super has negationes fundatur. Hæc igitur est carentia rectitudinis debitæ respectiuè homini, quæ facit, vt peccatum sit homini malum respectiuè ipsi homini, vt docet D. Thom. *quæst.1. de malo, art.1. ad 1.* cum D. Bonauent. *in 2. dist.35. art.1. quæst.2. ad vltimum.*

Contra agit Mastrius *num.37.* quia peccatum non est tantùm relatiuè malum, sed absolute; nam conclamatur à Patribus omninò malum, vt videre est in Basilio *lib. Quòd Deus non est author malorum,* & Anselmo *lib. de concordia prædest. cap.1.* alioqui poterit in se esse bonum, ad modum, quo calor, malus aquæ, est bonus in se.

Deinde non est priuatio in aliquo respectiuo, nisi per aliquid absolutum.

182 Respondet S.Doct. *dist.35. art.2. quæst.2. ad vltimum,* priuationem esse in actu quidem, qui non debet sumi solus abstractus, sed in suo esse morali, vt productus à libero arbitrio, mouente se liberè ad actum illum malum, cùm possit se non mouêre. Itaque sicut voluptas, prout est indifferens actiuè ad eliciendum actum, vel non eliciendum, stante præcepto negatiuo, debitrix est rectitudinis, & si elicit actum, est priuata rectitudine debita conformitatis ad legem; ità pariter actus ipsius voluntatis, quia ex se liber est passiuè, contrahit in vltimo etiam instanti morale debitum passiuum, vt materia legis, vt eliciatur, vel non eliciatur; sic, vel sic eliciatur, secundum quod lex fuerit prohibens, vel præcipiens. Ita enim habet capacitatem saltem Moralem, & Logicam. Et hoc sensu pec- 183
catum dicitur malum relatiuè, quia malitiam non habet completè, nisi prout fit à voluntate libera. Ita peccatum est causa corruptionis passiuæ, ratione ipsius peccatoris; sicut actio dicitur esse causa passionis, ratione ipsius agentis, vt notat S. Doct. *loco prius allegato.* Vbi aduerte, decipi multos Scotistas, & alios, putantes, nos non asserere malitiam in actu subiectiuè, sed tantùm obiectiuè, cùm tamen nos fateamur, actum esse subiectum malitiæ, obiectiuè tamen, quatenus à libero arbitrio liberè fit contra legem, & potest non elici, & habet debitum passiuum, vt non eliciatur. Sic disserit Mastrius *num.46.*

Obicies duodecimò. Si peccatum est priuatio rectitudinis debitæ, non possent rectè distingui peccata, quæ sunt extremè opposita eidem virtuti, puta auaritia, & prodigalitas, quæ sunt oppositæ virtuti liberalitatis. Probatur sequela, quia vtraque eidem virtuti opponitur.

Respondetur, hæc vitia distingui specie, 184
quia discedunt quidem ab eodem medio, tanquam terminus *à Quo*, sed accedunt ad diuersos terminos *ad Quos.* Ab his autem debet sumi distinctio motuum. Cùm igitur virtus liberalitatis prohibeat defectum, & excessum, sanè auaritia ad defectum, & tenacitatem vadens, differt à prodigalitate, quæ ad excessum ruit. Vide Mastrium *num.55.*

QVÆSTIO VII.

An omissionis Peccatum intrinsecè cum aliquo sit actu.

Qvia vidimus *quæstione secunda,* malitiam peccati, atque peccatum commissionis, in priuatione rectitudinis, debitæ ipsi actui, consistere; iam videre oportet: An etiam in peccato missio- 185
nis reperiatur eadem malitia. Quare nobis incumbit scrutari: An omissio sit mera priuatio actus; an verò aliquem includat actum. Si enim mera fuerit carentia actus, non inueniemus in actu carentiam rectitudinis debitæ: quod si in hoc quoque peccato actum inuenero, in eo etiam eandem cum illa, quæ est in peccato commissionis, reperiemus.

Oportet verò prælibare cum D. Bonauent. *prima parte Centil. sect.8. & lib.3. Compendij Theolog. cap.33.* Omissionem esse priuationem actus, quem quis operari debebat ex præcepto, vt non audire missam, cùm tenebatur. Vide *ibi* exempla.

Quæres verò: an ità omissio semper habeat aliquem actumconiunctum.

Prima opinio est, omissionem reperiri posse 186
sine aliquo actu, qui sit causa, vel occasio; tametsi sæpè sit cum aliquo actu. Ità Richardus *in 2. dist.35. art.1. quæst.1.* Durandus *ead. dist. quæst.2.* Ocham *in 3. quæst.10. ad primum, post quartam conclusionem.* Marsil. *in 2. quæst. 21. art.2.* Almainus *in 3. tract. Moral. cap.15.* Adrianus *quæst.3. de Eucharistia,* quos sequuntur Medina *prima secunda, quæst.71.*

*quaest.*71.*art.*5. Angles *in flor.*2.*sent. dist.*37. *quaest.*2. Valentia *disp.*6. *quaest.*1.*p.*4. Azorius *lib.*4. *cap.*3. *quaestio* 3. Tannerus *disp.*4. *quaest.*4.*dub.*1. Auersa *hic*, *quaest.*18 *sect* 3. Arriaga *disp.*7. *quaest.*4. & *disp.*8. *de anima*, *sect.*6. Ouied.*de anima*, *controu.*10.*p.p.* Morand. *tract.*2. *prima secunda*, *quaest.*4. Adducitur Scotus 2.*dist.*42. *quaest.*4. *in fine*, à Mastrio *disp.*6. *quaest.*4. qui dicit, esse communem inter Nomina-
187 les, & Scotistas, Recentioresque. Adducit verò Bassolium 2.*dist.*35. *quaest.vnica*, *art.*1. Rubionem *ibi*, *quaest.*1.& 2. Herreram 2.*disp.*30. *quaest.*1. Vulpem *disp.*129 *art.*1. Amicum *disp.*3. *sect.*3. Caspensem *tract.de peccatis*, *disp.*1.*sect.*4. Salam *tract.*13. *disp.*2.*sect.*5 qui alios citant: D.Thom. 2.2.*quaest.*69. *art.*2. Hacquetum *tract. de peccatis*, *controu.*7. & alios quibus subscribit, cum Cauello *disp.*3. *de anima*, Rabesano *lib.*3. *de anima*, *disp.*3. *quaest.*7. Fuliensi *lib.*2.*cap.*2. Bassæo *verb. Peccatum* 2.*num.*4.

Secunda sententia censet, nullum vnquam actum in formali omissione interuenire. Citatur Scotus *primo*, *dist.*41. §. *Primum istorum soluitur*, & *in* 2. *dist.*42. *quaest.* 4. *in fine*, §. *Ad quaestionem quartam ai eodem.* Ex quibus locis, id ferè deducit Faber 4. *dist.*1. *num.*134. qui tenet *num.*135. peccatum omissionis, nedum includere actum, qui sit occasio, & causa omissionis, vt authores opinionis referendæ sustinent; sed includere aliquem actum, qui, per se, sit causa omissionis; & hanc dicit esse Scoti sententiam, quæ sit tertia. Vasquez verò *initio disput.* ait, nullum Theologum hanc secundam sententiam sustinere.

188 Tertia sententia est, in omissione, tametsi non semper sit aliquis actus, qui sit per se causa omissionis eligens omittere, tamen semper esse aliquem actum, qui est occasio, vel causa illius, impediendo actum præceptum. Citatur D. Bonauent. *in* 2. *dist.*35. *dub.*1.*litt.* Idem habet *eodem lib. dist.*5. *quaest. ad primum*, D.Thom. *prima secundae*, *quaest.* 71. *art.* 5. vbi omnes Thomistæ, Caietanus, Bannes, Zumel, Serra, & alij Magister verò *in* 2.*dist.*35.*cap.*11. Albert. *in* 2. *dist.* 35. *art.*3.*ad* 2. Capreolus *quaest.*1.*art.*1.*conclus.*2. Henricus *quodl.*12. *quaest.*24. Alens. 2. *part. quaest.* 124. *memb.*10.*ad* 2. Vasquez *disp.*92. Pasqualigo *disp.*14. *sect.*5. qui inter alios adducit Seraphicum; & putat probabiliorem esse, Gabriel 2.*dist.*41.*quaest.*1. *art.*3.*dubio* 3. Fauent *disp.*1.*num.*135.

189 Assero primò, ad omissionem formaliter, non requiri actum hunc positiuum: *Volo omittere.*

Probatur à Durando, Valentia, & Vasquez *disp.*91. Omnis defectus voluntarius est culpabilis, sed omissio actus debiti, absque positiuo actu volendi omittere, est voluntaria: Ergo. Minor probatur, quia est in potestate voluntatis. Deinde probatur. Quando est ex ignorantia culpabili non interuenit actus hic directus: *Volo omittere.*

Respondet Faber, negando Minorem, quia, vt sit voluntaria, requiritur volitio ipsa; quando verò est ex ignorantia culpabili, omissio habet pro causa actum illum, qui fuit causa ignorantiæ.

190 Contra, quia nolitio potest esse solà priuatione actus debiti; vt, v. g. si toto illo tempore distrahatur à bono incompossibili, vel si culpabiliter ignoret obligationem suam, tunc sanè non habebit actum positiuum: *Volo omittere*; Esto habeat actum incompossibilem cum executione: Faber verò tenetur probare primum. Imò concedit *num.*140. omissionem, cum solo actu incompossibili, esse voluntariam.

Assero secundò, interuenire semper aliquem 191
actum, qui sit occasio omissionis. Hoc solùm probat Fabri argumenta, quæ ex fundamentis deduxit Seraphici. Quia, scilicet omnis omissio radicem habet ex amore malo, vt docet D. Augustinus adductus à S.Doct. Ideò enim; v. g. quis omittit venire ad matutinum, quia amat quietem in lectulo, & somnum. Hinc infert definitionem peccati allatam à D. Augustino lib.22. contra Faustum, cap.27. *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem aeternam*; esse definitionem adæquatam; nam peccatum omissionis reducitur *ad concupitum*, quod est causa omissionis culpabilis.

Probatur ergo à Vasquez, argumento D.Bo- 192
nauent. *dist.*5. *citata.* Omne priuatiuum supponit in sua operatione aliquid positiuum; sed omissio est priuatio: Ergo in suo esse morali causandi peccatum, supponit aliquem actum positiuum, sed hic non semper est actus directè volens omittere: ergo debet dari aliquis actus positiuus ex incompossibilitate cum actu præcepto, causans omissionem. Hanc rationem desumit Faber *num.*141.

Respondet Mastrius *num.*125. omne negatiuum reduci ad affirmatiuum potentia, non actu, quatenus scilicet ille non operans, posset operari, & sic omissio est voluntaria, quia supponit potentiam, quæ valet non omittere.

Contra: nam proportionatè se habent posi- 193
tiuum, & negatiuum, vt omnes concedunt; ita vt, sicut negatiuum potentiæ, potentiam supponit: ità negatiuum actus, supponat actum. Voluntarium sanè actu significat dependentiam positiuam, & positiuum influxum voluntatis; influxus verò, & dependentia negatiua significat carentiam dependentiæ, & influxus; ergo hoc est dicere, voluntatem non influere in omissionem. Vnde non satis est intelligere voluntatem in statu negatiuo, vt frustra Mastrius explicat.

Probatur secundò à D. Bonauent. in vtro- 194
que loco. Omnis omissio oritur ex amore alicuius boni; sed amor alicuius boni est actus positiuus: Ergo omnis omissio oritur ex actu positiuo. Minor probatur experientia: Si enim omittitur Missa, est ex amore alicuius boni, puta quietis in lecto; ludi, epuli, vel similis. Si omittitur pœnitentia, est ex amore commodi, &c. vel vt ait D.Bonauent. ex timore incommodi. Discurrantur singula, & inuenientur, omissiones omnes ex amore alicuius boni, quo detinemur, aut occupamur, emanare. Hoc argumento nititur Pallauicinus *disp* 3. *quaest.*2. *art.*5. Confirmatur à Serra: Voluntarium est ex ali- 195
qua inclinatione voluntatis: ergo ab ea, agente in aliquod bonum: Ergo non est mera omissio, quæ est priuatio. Confirmatur, quia voluntarium virtuale fundatur in aliquo voluntario formali; ideò enim volo aliquid virtualiter, quia volo aliquid, in quo illud continetur formaliter.

Respondet Mastrius, omne exercitium voluntatis oriri ex aliquo amore formaliter, vel virtualiter, seu interpretatiuè. Iam verò exercitium libertatis specificationis oriri ex aliquo amore formali; at exercitium contradictionis ex virtuali tantùm sæpè oriri; præsertim in casu nostro in quo 196
non debet omissio intendi, sed tantùm præuideri. Ad confirmationem ait, Voluntarium indirectum non exigere actum, sed satis est ità se gerere, vt interpretatiuè habeatur, ac si actu vellet, vt patet in exemplo eius, qui è lecto audit pulsum Missæ, qui cum merè negatiuè se habeat, interpreta-

tiuè

tiuè ità se habet, ac si positiuè nollet ire ad Templum.

197 At friuola sunt hæc; nam decumbens in lecto, indifferens est ad surgendum, vt eat ad sacrum, vel plumis adhæreat. Oportet igitur, vt se determinet ad vnam partem contradictoriam. Itaque, si vult quiescere, sciens impediri sacrum, vult sanè interpretatiuè omissionem sacri; sed tamen vult formaliter occasionem agnitam omissionis.

Hac ratione nititur Faber *numero* 140. sic arguens: Omnis omissio actus alicuius præcepti necessariò includit aliquem actum, qui est causa illius omissionis, per se, vel per accidens: ergo in omissione semper est aliquis actus positiuus.

198 Antecedens probatur, cùm quis sciens, & prudens, omittit audire Missam tempore debito; ideo omittit, vel quia directè non vult audire missam; vel quia eo tempore vult aliquid, cum quo est incompossibile audire missam, puta, vult manere in lecto, vel ludere. Si hoc secundo modo non vult audire missam; patet, adesse actum positiuum incompossibilem, causantem omissionem missæ. Si verò primo modo non vult audire missam; vel hoc *non velle*, est contrarium ipsi volitioni audiendi missam; & tunc est directa volitio: *Nolo Missam*, vel est tantùm priuatiuè oppositum; at videtur impossibile, dari casum, in quo quis cognoscat, adesse tempus, & alias conditiones adimplendi præceptum de audienda Missa, & non sit distractus per volitionem alicuius alterius obiecti; sed quod solùm consideret actum, ad quem tenetur, & merè negatiuè se habeat, nec saltem implicitum eliciat actum, non audiendi

199 Missam. Hoc eodem argumento nititur Vasquez *cap.* 2. qui aliis verbis idem dicit, nempè debere interuenire aliquem actum, quia intellectus semper circa aliquod obiectum versatur, siue quia semper obiecta à sensibus haurit, siue ex natura sua; & voluntas semper aliquod obiectum amat, & ideò non potest merè negatiuè se habere. Quare non rectè Faber *num.* 134. carpit hanc eius rationem, quia potest voluntas, ab omni obiecto oblato, se suspendere. Non enim vult Vasquez, Voluntatem esse determinatam, vt amoueatur ab actu sibi debito ex lege, siue quia aliud obiectum amet, siue quia considerans actum præceptum, debet, aut *Velle*, aut *Nolle*: Itaque hi ad furtum rationis Seraphici concordes, in diuisione furti altercantur.

200 Hic aduerto, Fabrum probare nostram opinionem; non suam. Tenebatur enim ostendere, semper in omissione reperiri actum, nedum incompossibilem per accidens ipsi actui præcepto, sed etiam actum directum. *Nolo hoc facere*, seu *Volo omittere*, vt ipse proposuit *num.* 135.

Obicies primò. Omittere est non agere actum debitum; sed potest voluntas liberè non agere actum debitum; absque eo quòd vllum actum interiorem eliciat, aut exteriorem imperet, sed tantùm præuideat, se debere exercere, & non exerceat actum præceptum: Ergo. Maior probatur; nam in hoc distinguitur peccatum omissionis, à peccato commissionis. Minor probatur ex Aristotele 3. *Ethic. cap.* 5. docente, non minùs esse immediatè in potestate voluntatis non agere, quàm agere, cùm hoc sit de ratione libertatis Exercitij, & contradictionis. Hoc est ferè vnicum fundamentum primæ sententiæ, vt ait Salas, & Mastrius. Ideò sollicitè euellendum.

Primò aliqui respondent, actum esse intrinsecum omissioni culpabili. Sed contra, quia omissio est liberè non agere; vnde sine actu directo esse potest, vt dixi *in primo asserto*. 201

Respondet Vasquez, semper exigi actum aliquem, qui sit occasio omissionis; ratio est, quia licèt voluntas sit libera; & indifferens circa singula obiecta proposita; & liberè possit à quocumque actu determinato abstinere, necessariò tamen circa aliquod indeterminatè operatur; quia intellectus continua obiectorum propositione trahit voluntatem ad aliquem actum, à quo, ad summum, tam parua duratione valet abstinere, vt in ea non possit esse peccatum, quia pro tantillo tempore præceptum affirmatiuum non obligat. Ex quo infert impossibilitatem istam, quòd dari queat omissionis peccatum sine aliquo actu, non tantùm moralem censendam, sed etiam Physicam; siquidem oritur ex natura intellectus, & voluntatis, quæ semper sunt in actuali operatione; & ità, dum aliquid omittit voluntas, alium actum elicit, quo vel ipsam omissionem velit, vel qui sit incompossibilis cum actu præcepto, vel saltem omissionem concomitetur. Sequitur etiam Lezana *loco cit.*

Suarez vult, hanc incompossibilitatem esse moralem: Ratio est; quia, si quis aduertat, obligationem præcepti imminère, vix potest, (moraliter loquendo) habere aliquem actum circa rem sic præceptam, quia voluntas mouetur ab obiecto pertinente ad se. Ergo moraliter non fit per meram negationem. 202

Neque satisfacit Mastrius *num.* 104. dicens, posse moraliter me omittere ire ad Templum, sine vlla volitione directa illius omissionis, vel indirecta, nempè volendo exterius aliquod incompossibile.

Contra enim est, vt ait S. Doct. nam, cùm instat præceptum, & percellitur voluntas obligatione, & ex alia parte, acèdiâ; oportet vt ipsa deliberet: an velit alterutrum; & velle cubare, est implicitè nolle implere præceptum Missæ, quia, vt omissio sit peccatum, debet agnosci cubitus, vt implicans eum medio necessario ad audiendum Sacrum, nempè exurgendo, eundo ad Templum, &c. 203

Aliqui aliam habent opinionem, culpabilem omissionem actus exterioris non posse esse sine aliquo actu; benè tamen omissionem actus interioris. Ità Becanus *tract.* 2. *cap.* 5. Caspensis *concl.* 2.

Respondet Mastrius ad omissionem exteriorem semper necessarium esse aliquem actum externum, vel aliquid se habens loco eius, quod sit eius occasio; voluntas tamen circa hoc est libera, & potest imperare, & non imperare. 204

Contra; quia hæc, quæ sunt occasio, sunt imperata à voluntate, dum vrget præceptum, & id agnoscitur.

Respondet Arriaga *disp.* 45. *sect.* 2. necessitatem manendi domi, vel in lecto, &c. supposita semel carentia volitionis eundi ad Templum, esse necessitatem consequentem; non antecedentem. Hoc subtili inuento gaudet Mastrius, *num.* 106.

At necessitas manendi domi, non ponitur à nobis causa omittendi Sacrum, sed ipsa voluntas necessitatis, quæ est antecedens; quare adhuc adest actus positiuus inducens hanc necessitatem, vt S. Doctor arguebat. 205

Obicies secundò cum prima sententia, non requiri actum, qui sit occasio: (nam altera pars, scilicet non requiri actum directum: *Volo omittere*, nostra est) Si aliquis actus requiritur, qui sit oc-

casio omissionis, debet esse determinatus: Sed non datur: Ergo. Maior probatur; quia omne peccatum, quod consistit in actu, debet esse determinatus in aliquo actu, si est contra determinatum præceptum, alioqui non erit peccatum determinatum. Minor probatur, quia potest quis omittere missam ex ludo, ex mercatura, &c.

RESPONDET Faber *num.*150. ex D. Bonauent.
206 *locis adductis*, peccatum omissionis, causatum ab illis actibus, esse vnum; quia actus illi mali sunt, vt sunt causæ omissionis, in qua est violatio determinati præcepti, puta Matutinum recitandi, vel alicuius alius præcepti positiui; nam circa præceptum negatiuum non est omissio, puta fornicari, non est peccatum omissionis, sed commissionis, vt notat S.Doct. *loco cit. in 2.dist.5.* præceptum enim positiuum, v.g. eundi ad Matutinum, præcipit etiam media; puta surgendi è lecto, induendi se, eundi, &c. & ideò illi omnes actus sunt præcepti, vt me-
207 dia. Ex quo sequitur, vt actus incompossibiles, licèt in se non sint determinati, quia possum omittere missam, vel matutinum ob varias causas, tamen formaliter faciunt vnum, quia non sunt mali in se, vt suppono; (nam quando sunt mali in se, adest nouum peccatum, puta furari tempore missæ audiendæ,) sed sunt mali, vt influunt ad impediendam obseruantiam præcepti; imò, etiamsi essent in se suapte naturâ boni, iam fierent mali ex circumstantia indebita, puta temporis, vel loci; vt si quis in cella oraret tempore audiendi Sacrum,
208 vel in Ecclesia, audiens sacrum, excurreret dans eleemosynam; neque tamen sequitur, esse duo peccata; quia actus ille est malus, vt causans omissionem, & eam ponens in esse, licèt indirectè causet, vt dicam *quæst.sequenti.* Vbi nota, actum illum à multis vocari per accidens, non quia per accidens causet omissionem; sed quia non directè eam causat. Fateor impropriè dici, causare per accidens.

OBIICIES tertiò. Potest aliquis è sola omissione amittere gratiam absque vllo actu; vt si aliquis intentus bonis operibus vsque ad tempus somni, intra verò ipsum somnum omittat officium debitum exoluere, certè amittet gratiam, non ante, nec post somnum: Ergo in somno, in quo non est actus.

209 RESPONDET Faber, negando maiorem. Neque enim tempore somni, præceptum dormientem vrget, nisi antè præuidens, se non satisfacere posse eo tempore, distulit; & tunc amittit gratiam, cùm actum habuit impedientem officium, qui actus, licèt admitteret opus, aliàs bonum, puta studium, orationem, &c. tamen admittebat illud malè circumstantiis septum: Quod si in somno excitetur, adhuc tenetur recitare officium.

Hæc est doctrina D. Bonauent. vt dicam *quæst.*9.

210 ARGVMENTVM Fabri, quo nitebatur probare, omissionem absque actu directo esse inuoluntariam; quia non est actus voluntatis, vel elicitus, vel imperatus, iam solutum est, Voluntarium enim est omne id, quod voluntas liberè omittit, siue quia vult omissionem directè, siue indirectè, quia vult aliquid incompossibile. Hoc verò fatetur ipse Faber *num.*140. est enim omissio illa in potestate voluntatis, ac liberè volita.

OBIICIES quartò cum Tannero *num.*10. Fieri potest, vt obligatus ad executionem præcepti, nec habeat actum positiuum volendi omittere; nec etiam affectum inordinatum ad alium actum, ob quem omittat præceptum, nec aliàs reddat seipsum impotentem ad executionem; sed merè negatiuè se habeat, tam ad omissionem, quàm ad actum præceptum, quandoquidem hæc non sunt contradictoriè opposita: *positiuè velle, & positiuè nolle actum præceptum*; neque aliunde potest ostendi implicatio.

RESPONDET S. Bonau. negando antecedens: 211
Quamvis enim hæc duo non implicent in se, dum non proponuntur, vt voluntati necessariò eligenda, tamen cùm instat necessitas præcepti, non potest euitare, quin aut exequatur, aut omittat; vt autem omittat, debet aliquo dictamini duci alicuius boni, quia obiectum eius est (neque enim omissio est appetibilis per se, vt fatetur Tannerus *num.*12.) & si id vult, non solùm necesse est, vt recuset illud bonum, sed etiam vt feratur in aliud, spectans ad suum obiectum ad hoc, vt liberè, & modo sibi connaturali operetur; hoc autem erit saltem volendo aliud, à cuius amore pellecta velit omissionem indirectè. Quoad actum verò externum ipse 212
Tannerus *num.*12. fatetur, semper interuenire aliquem actum incompossibilem, sumpto actu latè, vt continet etiam permanentiam in loco, quietem, somnium, &c. vt notant etiam Azorius, & alij.

QVÆSTIO VIII.

An ACTVS, *qui est causa omissionis, sit semper peccatum.*

RESPONDENS ad prima duo argumenta, de- 213
bitum subij hanc quæstionem soluendi. Quæro ergo: An ludus, studium, v. g. quæ sunt occasio omittendi sacrum, die festo, sint peccata.

PRIMA opinio est Durandi *in 2.dist.35. quæst.2. num.6.* actum illum, qui est causa omissionis, non deprauari necessariò ex hoc; atque adeò nullo modo ad peccatum omissionis pertinere.

SECVNDA opinio est Henrici *quodl.12.quæst.24.* Gabrielis *in 2.dist.41. quæst.1. art.3. dub.3.* qui non modò volunt, actum illum, qui est causa omissionis deprauari ex omissione causata; verum etiam esse peccatum commissionis. Arridet Richard. *in 2.dist.35.art.1.quæst.1.* quibus Vasquez *disp.93.* addit Marsil.& Almainum. Ità etiam Mastrius *disp.4. num.*109.

TERTIA sententia concedit, actum illum de- 214
prauari causando omissionem, non tamen esse peccatum distinctum. Ità Valentia *quæst.1.p.4.* Angles *2. dist.37. quæst.2.* Vasquez *loco cit. cap.3.* Medina *quæst.71.art.5.* Azorius *lib.4.cap.2.quæsito 5.*& communiter alij, quibus subscribit Tannerus *disp.4. quæst.4.dub.2. num.20.* Fuliensis *lib.2.cap.2.* Bassæus *v.Peccatum 2. n.5.* Diana cum aliis *p.3 tr.6.resol.8.*

ASSERO primò. Omnis actus, qui est causa omissionis voluntaria, est peccatum. Patet: est enim ex circumstantia deprauatus.

ASSERO secundò, actum illum non esse distinctum peccatum.

PROBATVR primò, quia non opponitur, nisi 215
virtuti illi, cui opponitur omissio.

PROBATVR secundò, quia, sicut se habent actus exterior, & interior in peccato commissionis, ità actus, qui causat omissionem cum ipsa omissione; sed actus interior, & exterior sunt vnum peccatum: Ergo.

ADDVNT Medina *loc. cit.* Zumel. *ibi, disp.2.* Tannerus *num.25.* impotentem se reddere ad executionem

eutionem

cutionem præcepti per tempus longum, semper esse nouum, & distinctum peccatum ab antecedenti proposito omittendi præceptum, adeóque distinctè explicandum in confessione: exempli gratia, Si clericus in prolixa nauigatione proijcit Breuiarium, nec aliud adest. Ratio est, quia, cùm tam longo tempore valeat malam intentionem reuocare, redditur impotens tanto tempore ad præcepti diuini executionem. Neque tamen est peccatum distinctum ab omissione diuina; quia prohibetur solo præcepto positiuo recitandi officium.

216 Sed adhuc est difficultas de actibus incompossibilibus cum obseruantia præcepti, quos homo facere eligit, postquam statuit omittere præceptum: An adhuc contrahant malitiam omissionis.

Aliqui affirmant vniuersaliter, quia sunt incompossibiles cum præcepto. Vasquez verò *disp.* 93. Bonac. & Becanus dicunt, etiam primam operationem, quæ post illud propositum per se primò eligitur, estque incompossibilis cum obseruantia præcepti, esse peccatum; v. g. qui statuit, non audire Missam, eligit primò studere. Ita etiam Valentia.

Alii tandem vniuersaliter negant, tales operationes esse peccata, dummodò integrum sit homini, cum libuerit, eas relinquere, & se applicare
217 ad obseruantiam præcepti. Ita Salas, Suarez, Amicus, Arriaga, Ouied. Pasqualig. Morand. Lezana, Auersa, & alij communiter apud Mastrium.

Ratio est, quia supposita iam mala voluntate non audiendi Sacrum, iam omissio sufficienter intelligitur per eam causata; neque studium illud per propriam formam excludit auditionem Sacri, sed solùm per accidens, & materialiter. Confirmatur, quia supposita ea mala voluntate, melius est non iacere otiosum, atque benè aliquid operari.

QVÆSTIO IX.

Quandonam imputetur ad culpam Omissio.

218 Tertium argumentum quæstionis septimæ, nobis oppositum, hoc exigit, vt de imputatione omissionis inquiramus: An imputetur eo tempore, quo præceptum obligauit, omissúmque est: An eo tempore, quo causa omissioni data sit. Et quidem peccatum commissionis imputari etiam in somnis, ex causa data, docet D. Bonau. 2. *dist.* 25. *p.* 1. *quæst.* 6. *ad secundum*.

Prima opinio est, omissionem tunc imputari, quandò præceptum implendum erat, & omissum est, etiamsi tunc dormiat ille, qui præceptum omittit. Ita Marsilius *in* 2. *quæst.* 21. *art.* 2. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 79. *art.* 3. *ad* 3. & *quæst.* 2. *de malo, art.* 1. & *in* 2. *dist.* 35. *art.* 3. Sanch. *lib.* 1. *cap.* 17. Filliuc. *tract.* 21. *cap.* 7. *quæst.* 8.

219 Secunda opinio est Cordubæ *lib.* 2. *quæst.* 23. *in fine*, & recentiorum Thomistarum, qui D. Thomam benignè explicant, ac dicunt primò, Nullam omissionem dici propriè, nisi eo tempore, quo præceptum obligat, etsi ille tunc dormiat, vel ebrius sit. Secundò, culpam imputari eo tempore, quo præbetur occasio, puta cum inebriatur. Tertiò, illud peccatum non esse omissionem formaliter, sed reductiuè, sicuti causa homicidij non est homicidium. Quartò, peccata patrata in somno, vel ebrietate, si fuerunt præuisa, vel debuerunt præuideri, esse peccata in ipso somno, vel ebrietate, & non tantùm in causa. In hoc vltimo effato conueniunt Gabriel *in* 2. *dist.* 42. *quæst.* 5. *art.* 1. *not.* 2. Ocham *quodl.* 1. *quæst.* 20. Martinus de Magistris *tract. de Temperantia, quæst. de pollutione nocturna.* Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 7. Itaque volunt, vtroque tempore peccari, & cum causa omissionis datur, & cum omittitur. Ità etiam Medina *p.* 1. *q.* 71. *art.* 5. Valentia *quæst.* 1. *p.* 4. Angles 2. *dist.* 37. *q.* 2. Tannerus *disp.* 4. *quæst.* 4. *dub.* 3. Idem asserunt Salas, Suarez, Sayrus, Cornexo, Lezana, Auersa, Hacquetus, Serra, & alij iuniores è Thomistis, apud Mastrium *disp.* 6. *quæst.* 5. Adde Bassæum *verb. peccatum* 2. *num.* 6. Syluium *p.* 2. *quæst.* 71. *art.* 5. *quæst.* 2.

Tertia sententia est, peccatum omissionis tunc solùm committi, atque adeo imputari, cùm datur causa omissioni: omissionem verò pro tempore, quo non est in libera potestate, non esse peccatum, sed peccati effectum. Ita Alens. 2. *p. q.* 113. *memb.* 7. Richard. *in* 4. *dist.* 9. *art.* 2. *quæst.* 3. Maior *eadem dist. quæst.* 2. & *dist.* 17. *art.* 8. Adrian. 4. *quæst.* 3. *de Eucharistia*, Vasquez *disp.* 94. *cap.* 2. Zumel. *loco cit.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 3. *quæst.* 4. Caspens. *tract. de peccatis, disp.* 1. *sect.* 8. Arriaga *disp.* 45. *n.* 11. Amicus *disp.* 22. *sect.* 4. Ouiedo *contron.* 6. *p.* 7. Morand. *tract.* 3. *quæst.* 7. Mastrius *loco cit.* adducens Scotum 2. *dist.* 40. & 41. & *quodl.* 18. Seraphicum 2 *dist.* 36. *art.* 1. *q.* 2. *ad argumenta*; & *dist.* 32. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad argumenta*, & 3. *dist.* 12. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad argumenta, in fine*, & *dist.* 18. *art.* 1. *q.* 3. *ad argumenta.* Tuliensis *lib.* 2. *c.* 2. 220

Enim verò S. Doct. probabilem vocat etiam secundam sententiam, *in* 2. *dist.* 22. *quæst. vltima, ad vltimum*, ità vt, tunc peccatum imputetur, dum datur causa omissioni; ipse verò euentus sit circumstantia aggrauans, quatenus is, qui se inebriat, vel indebito tempore somno indulget, se exponit discrimini. 221

Assero primò, peccatum omissionis patrari, cùm datur causa voluntaria efficax omissionis, qua, tempore executionis, præceptum impeditur.

Probatur primò à Tannero, Mastrio, & aliis ex D. Bonau. 2. *dist.* 32. *loco cit.* ex principiis generalibus: Tunc peccatum est, quando est voluntarium, & potest deuitari; non autem quando non est possibilis deuitatio: sed in danda occasione, est voluntaria omissionis deliberatio; non autem tempore somni: Ergo. Maior probatur primò à D. Bonau. ex D. August. *lib. de duabus animabus, contra Manichæos, cap.* 12. vbi ait: *Reum teneri quemquam, quia non facit, quod facere non potest, summæ iniquitatis, & insaniæ est.* 222

Probatur secundò ex Aristot. 3. *Ethic. cap.* 5. vbi habet; quòd, vt ratio sit idoneum moralitatis subiectum, ita debet esse libera, vt nedum in principio, sed etiam in medio, & fine sit in potestate voluntatis elicientis, vel imperantis: Sed in somnis, & ebrietate, illa omissio non subest libertati, sed solùm cùm impedimentum apposuit: Ergo. 223

Confirmatur à D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 12. *loco cit.* ex Aristotele 8. *Ethic. cap.* 5. Nullus laudatur, vel vituperatur in his, quæ facit ex necessitate; sed dormiens, & ebrius necessariò omittit præceptum: Ergo. Profectò ad impossibile non obligat Deus, vt definit Concilium Tridentinum.

Respondent Aduersarij, deriuari in ebrium, vel dormientem, malitiam causæ, & sic censeri reum, quia liberè causam dedit: ad peccatum enim non est necessarium voluntarium per actum præsentem; sed sufficere voluntarium manens interpretatiuum. 224

Contra enim: hinc sequitur, tunc peccatum fuisse, quando data est causa voluntaria. Demus autem,

tem, aliquem propinare venenum ad abortum, vel ad necem bibentis; si peccatum esset in executione; iam toto tempore, quo venenum operatur, etiamsi per plures menses, semper peccaret, & quocumque momento, etiam pœnitens damnaretur, si adhuc, eo dormiente, operaretur vene-
225 num. Quod si effectu secuto incurritur, v.g. excommunicatio, vt in abortu animati infantis, iam potest pœnituisse, & remanebit sola pœna, nec damnabitur. Neque verò libertas præterita constituit actu liberum dormientem, vt aduertunt Ouiedo, & Mastrius: Ergo nequit libertas præterita facere peccatum. Quod si sufficeret voluntarium in causa, iam partus ex indigno concubitu esset peccaminosus; sic & effectus veneni.

226 RESPONDET Salas, hoc verum esse, nisi pœniteat.

CONTRA, quia etiamsi pœniteat, & sequatur effectus mortis; tenebitur non minùs confiteri, se occidisse, quàm si non retractasset; at si retractasset, non esset illa mors voluntaria: Ergo, etiamsi non retractet, non erit voluntaria: Ex quo fuit fundamentum aduersariorum, quod scilicet propinatio veneni, & applicatio ignis domui alienæ, imputentur mihi, quando dormio, & sequitur effectus; ac proptereà teneor confiteri effectum secutum, non autem solam causam.

227 RESPONDETVR enim, hunc esse effectum peccati, in causa voluntarium, atque adeò confitendum; Nam dum dormio, non ampliùs liberè, domum aduro. Quare sunt vnum peccatum, vt fatentur aduersarij. Hinc Arriaga *loc. cit.* Amicus *disp.*22. *sect.*4. & alij censent, hanc dissensionem esse potiùs de modo loquendi, quàm de re; quia cùm etiam ipsi constituant vnum peccatum ex data causa, & effectu; neque noua culpa, vel pœna addatur ex effectu secuto; non video, cur negent, culpam esse tunc, quando causa voluntariè data est.

228 ASSERO secundò, probabile esse, etiam tempore, quo vrget præceptum, ebrio, & dormienti peccatum imputari.

PROBATVR à D. Bonauent. primò ex illo Aristotelis effato lib.3. Ethic. cap.5. *Ebrios namque duplici pœna afficiendos esse putarunt*, (idest Legislatores) quippè cum in ipsorum sit potestate ebrietatem vitare, quæ quidem ignorationis est causa. Idem habet, primo Magn. Moral. cap.34. *Quoniam igitur, & actus, qua est causa omissionis est malus, & omissio etiam, saltem in causa, duplicem pœnam ebriis statuam dicit, quia scilicet vtroque tempore peccant, & cum se inebriant, & cum posteà ex ebrietate quippiam delinquunt.* Hac authoritate nititur etiam Valentia *loc. cit.* cum D. Thoma 2.2. *quæst.*150. *art.*4.

229 RESPONDET Caspensis, hoc dici ob causam datam. Enim verò diceret vnicam etiam pœnam, si vna esset culpa in causa; at ideò dicit, statutas esse à Legislatoribus duas pœnas, quia duæ sunt culpæ, vt notat D. Bonauentura.

PROBATVR secundò à D. Bonauent. Qui virtualiter vult aliquid malum, id admittens, peccat; sed tempore somni, vel ebrietatis homo virtute vult illam omissionem, seu aliam quamcunque culpam, quam tempore præcedenti causauit: Ergo.

230 PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *Opusculo de modo confitendi, cap.*7. & 8. *tom.*2. ratione qua nituntur Tannerus *num.*35. & alij. Certum est enim, hæc peccata, quæ volita sunt ante somnum, & ebrietatem, si accidant tempore somni, vel ebrietatis, esse in confessione explicanda; alioqui satis esset dicere causam, omissioni datam, quod est falsum: Ergo. Probatur minor. Sic se habet voluntas omittendi, quæ posteà habet effectum in somno, sicut voluntas occidendi in ordine ad actum externum, qui sequatur absque nouo actu voluntatis; sed non sufficit confiteri voluntatem occidendi, nisi confitearis homicidium ipsum patratum: Ergo.

Malè igitur respondent Vasquez, & eius Achates Caspensis, sufficere confiteri actum volendi occasionem omissionis.

ADDIT autem Valentia in fine, peccatum omis- 231
sionis inchoari, cùm elicitur actus, eligens actionem incompossibilem cum actu elicito, vel causatiuam omissionis; perfici verò in omissione, sicuti peccatum homicidij tunc inchoatur, cùm decernitur homicidium; consumatur verò ictibus: Gratiam verò amitti in actu illo volendi indirectè omissionem.

Hoc solum notabo, non benè cum ponere actum incompossibilem, qui non influit, sed solùm comitanter se habet, etiamsi bonus sit, fieri malum ex eo, quòd fit tempore debito executioni præcepti, Exempli gratia, Statuit quis omittere Missam, & eo fine recedit, interim tamen destinetur visitatione ægrotorum, non quidem huius vi- 232
sitationis amore semotus ab audiendo sacro, quod alioqui etiam vult omittere; Valentia ait, illam visitationem ægrotorum deprauari circumstantiâ temporis, quò deberet adire Ecclesiam: Ego autem non puto id verum; nam circumstantia temporis deprauat opus bonum, quatenus aufert ei bonitatem, quæ opponitur malitiæ omittendi Missam: at verò non aufert ab illa visitatione bonitatem malitiâ omissionis, in quam nullo modo influit, cum alioqui adhuc futura sit, & ideò non possit esse effectus eius. Nonne melius est interim, eum, qui nullo modo vult Missam, destineri operibus misericordiæ, quàm otiari?

IDEM sentiunt Medina, Angles, Azorius, & 233
alij suprà citati; Vasquez *disp.*93. *cap.*2. Zumel. *quæst.*71. *art.*5. *disp.*2. *concl.*1. Idem à fortiori sentiunt Durandus, Heruæus, & alij, quos adducit, ac sequitur Tannerus *quæst.*4. *dub.*2. *num.*18. Vide quæ dixi *quæst.*8. *in fine.*

QVÆSTIO X.

Quænam sint diuisiones essentiales Peccati.

D.Thom. quæst.72.

MVLTAS, ex variis fundamentis, diuisiones peccatorum essentiales tradunt Theologi, quas per dubitationes expendam, vt his rectè perpensis, meliùs dignoscatur peccati natura; Sunt & aliæ plures peccati diuisiones accidentales, præcipuè in carnale & spirituale; in peccatum cordis, oris & operis; in peccatum contra Deum, contra se, & contra proximum, quæ diuisiones considerantur iuxta diuersa subiecta, & obiecta, circa quæ peccatum versatur.

QVÆSTIO

DVBITATIO PRIMA.

An Peccatum essentialiter diuidatur in Originale, & Personale.

234 IAm vidimus *tract.1. disp.3.* passim, ad peccatum requiri Voluntarium. Et *disputatione ista, quæst.1.* vidimus, peccatum esse priuationem rectitudinis debitæ, quæ duo præcipuè ad peccatum constituendum faciunt essentialiter.

Ex quo quidem capite solent Theologi diuidere peccatum in Originale, & Personale, quæ sunt duo genera, vt notat Valentia *disput. 6. quæst.2. p.1.* Tannerus *disput.4. quæst. 2. dub.1. num.4.* ex D. Bonauent. *prima parte Centil. sect.4.* & *Opusculo de tribus ternariis peccatorum, cap.2. §. Quartò habeo.* Peccatum personale dicitur, quod
235 voluntate propria personæ patratur: Peccatum verò naturæ, siue originale est, quod voluntate aliena, quatenus nobis communi, patratum à nobis contrahitur. Et de peccato quidem originali loquitur Apostolus, Rom.5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ità in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt*, vt notat S. Bonauent. *loc.cit. de tribus Ternariis*, & post eum Valentia. De actuali verò, Eccles.21. *Fili peccasti? non adiicias iterum.* Et Ioan.8.v.35. *Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati*, quem locum refert Valentia, & latè prosequitur S. Bonauent. in Ioannem.

DVBITATIO II.

An Peccatum essentialiter distinguatur in Actuale, & Habituale.

236 E Secundo principio essentiali peccati, quod sit defectus rectitudinis debitæ voluntarius, diuiditur in Actuale, quod est carentia actualis rectitudinis debitæ. De quo Ioannis prima epistola, cap.3. *Omnis, qui facit peccatum, non est ex Deo.* Aliud est Habituale, ad modum habitus inhærens, transacto iam actu, vt docet D. Bonauent. *in 4. dist.18. p.2. dub. vltimo*, supponens idem ex *2. dist.35. art.2. quæst.2.* & post illum Valentia *loc. cit.* Tannerus *num.1.* Quæ tamen, licèt Physicè, quasi sint inter se distincta, tamen inter se subordinantur, ita vt macula, quasi habitualis, sit effectus peccati actualis, & quid ei adnexum;
237 & idcircò in eodem homine, respectu eiusdem actus, ac materiæ, pro vno quasi computantur; nec sunt distinctè in confessione explicanda. Ideò D. Ioannes, cùm de actuali locutus esset *loc. cit.* subdit: *Et scitis, quoniam in hoc ille apparuit, vt tollat peccata nostra*, idest, quæ ad modum habitus maculant. Et Psal.50. orat: *Et a peccato meo munda me.* De quo infrà *disp.5. quæst.1.* vbi ostendemus, post actum manere maculam, à quo verè denominentur peccata.

DVBITATIO III.

An Peccatum Personale actuale diuidatur in peccatum Commissionis, & Omissionis.

IAm diuisiones peccatorum specificas aggredimur; & sanè de peccato originali erit disputatio infrà. De personali autem actuali, in ordine ad confessiones; maximè agendum est hîc, atque videndum, vndenam nascatur differentia specifica peccatorum actualium.

QVONIAM verò ex D. Thomæ doctrina *1. 2. quæst.79. art.3. ad primum*; & è D. Bonauent. *prima parte Centil sect.7. & 8.* & *Opusc. de modo confitendi, cap.10.* nomine peccati actualis comprehenditur peccatum, non solùm Commissionis, sed etiam Omissionis; vtrumque enim consistit in priuatione rectitudinis debitæ actualis; Differentia peccatorum, commissionis primò; deinde omissionis explicanda est. Dicitur autem à D. Bonauent. peccatum commissionis *Commissum*; omissionis verò *Delictum.* Hæc verò differre probatur à S. Bonau. *loc. cit.* quia habent obiectum diuersum, nempè Omissio habet obiectum, quod exequendum esset; Commissio verò, quod non esset exequendum. Qua ratione nituntur Vasquez, Zumel, & alij, quos sequitur Tannerus *disp.4. quæst. 2. dub.3. num.45.* 238

DVBITATIO IV.

Vnde Peccata specificam differentiam contrahant.

ACTVS quomodo sumat ab obiecto, fine, &c. bonitatem, & malitiam, dixi *tract.1. disp.14. quæst.4. & sequentibus.* 239

PECCATVM commissionis est quid compositum ex substrato, seu materiali, & ex formali, vt diximus cum D. Bonauent. *quæst.1. & 2.* & habet etiam Valentia *quæst.2. p.1.* ac Tannerus *num.5.* cum D.Thom. *prima secunda, quæst.71. art.6.* & *quæst.72. art.1.*

Quoad materiale, specificantur ab obiectis, non illa solùm, quæ diuersis virtutibus opponuntur, vt furtum, & fornicatio; sed etiam, quæ vel eidem virtuti extremè opponuntur, vt Intemperantia, & Insensibilitas, Prodigalitas, & Tenacitas, sed etiam, quæ adeò diuersa ratione, & malitia eiusdem virtutis materiam attingunt, vt quantum est ex natura, & ratione eiusdem peccati, non sit eadem facilitas, moraliter loquendo, vtrumque peccatum committendi, cuiusmodi sunt furtum, homicidium, adulterium, & detractio, quæ licet eidem virtuti iustitiæ opponantur, atque adeò ex hoc capite non differant specie, tamen ex obiectis moraliter spectatis, modo explicato, vtique inter se essentialiter specie distinguuntur, vt rectè notant Gregorius de Valentia *loc. cit.* & Tannerus *num.6.* Fuliensis *lib.2. cap.4.* 240

Idem dicendum de diuersitate finium, quatenus habent rationem obiecti, etiam extrinseci, aut motiui, vt mox dicam. 241

HVC etiam spectat distinctio peccatorum contra Deum: contra proximum, & contra seipsum, quatenus ea ab obiecto desumitur, vt notat Tanner. *num.7.*

num.7. post D. Bonauent. *prima parte Centiloquij, sectione 26.*

Probatvr: A quo res habet esse, habet & distinctum esse; sed peccata habent esse ab obiecto moralis ordinis: Ergo etiam distinctum esse.

242 Quoad formale verò, sumunt distinctionem à rectitudine illa virtutum, quibus opponuntur.

Probatvr eodem argumento. A quo res habet esse, habet & distinctum esse, sed à carentia rectitudinis habet esse, vt dixi *quaest.2.* Ergò. Confirmatur; nam, cùm peccatum sit formaliter priuatio, debet, more aliarum priuationum, distingui ratione oppositarum formarum, vt dixi *quaestione 2.* contra Vasquez. Est autem sententia D. Bonauent. ibi adducti, ac D. Thom. *quaest.72. art.1. argumento 2. addita solutione*, ac communis, vt refert Valentia *disp.6.quaest.2.p.1.* ante medium, §. *Nunc remotio.* Peccatum verò omissionis sumit distinctam malitiam à carentia illius virtutis, cuius actibus tenetur. Ità Valentia *quaest.2.p.1.* Tannerus *disp.4.quaest.2.dub.1.num.16.*

243 Probatvr, quia à quo habet esse, habet etiam distinctum esse; sed omissio habet esse à virtute, qua caret: Ergo. Minor patet ex dictis *quaest.7.*

Neqve distinguuntur semper peccata commissionis, aut omissionis, ratione diuersorum praeceptorum materialium, sed solùm formalium ex motiuis diuersis. Ità D. Thom. *quaest. 73. art.6. ad 2.* Valentia *disp.6. quaest.2. p.1.* & communiter contra Scotum *in 2.dist.37. quaest.1.*

Probatvr ex D. Bonauent. adducto *tract.1. disp.16.quaest.2.* vbi vidimus; vnum esse peccatum interius, & exterius: puta concupiscere rem alienam, & eam auferre: concupiscere mulierem, & eam tangere. Ideò ait Christus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam in corde suo*; & tamen actus interior, & exterior

244 diuersis praeceptis Decalogi prohibentur: Nam sextum praeceptum imperat: *Non moechaberis.* Et nonum: *Non concupisces vxorem proximi tui.* Similiter septimum: *Non furaberis*; & decimum: *Non concupisces rem proximi tui; non bouem, &c.* vt notat D. Bonauent. *serm.7. de decem praeceptis.* Hoc argumento nituntur Azorius *lib.4. cap.2. q.6.* Tannerus *disp.4.quaest.2.dub.3.num.43.*

Ratio est, quia est eadem materia circa idem obiectum, & idem motiuum in vtroque praecepto; & ideò, quando haec conueniunt, erit vnum peccatum, etiamsi sint plura praecepta. Sic, qui adulterium patrat, non committit duplex peccatum, quia contra septimum, & nonum praeceptum delinquit; nam vtraque prohibent adulterium; vt contra iustitiam, ac temperantiam, ob quam oppositionem, duplicem malitiam habet.

245 Si verò sint diuersa praecepta circa diuersas materias, vel circa eandem, ob diuersa motiua, erunt plura peccata, si violentur. Vt si quis teneatur ieiunare ex voto, & ex iuramento; sunt diuersa motiua. Alterum, vt seruetur promissum Deo: alterum ne vocetur Deus in testem falsi. Ità Vasquez *disp.98.c.1.* Caspensis *tract. de peccatis, disp.2. sect.3.* Tunc autem conijcies legem habere diuersa motiua, quando actus prohibiti, ratione prohibitionis, habent diuersam disconuenientiam, & repugnantiam cum recta ratione; vt si quis, contra votum castitatis, habeat rem cum vxore aliena.

246 Hinc habes primò, eum, qui non audit Sacrum die Dominico, quo occurrit festum Apostoli, non peccare duplici omissione.

Secvndò, vno actu posse satisfieri Voto, & Sacramentali Poenitentiae, puta eodem ieiunio, si cadat in eodem die; si verò imponatur dies ieiunij, vt sic in confessione, non satisfiet expectando diem voti, vel praecepti, obligationi addictum. Ità Suarez *disp.37. de Poenitentia, sect.6.*

Posset etiam, dum audit Sacrum, satisfacere officio, attendendo Deo, non verbis. Ita Suarez 247
disp.38. de Poenit. sect.6. Similiter alia plura implere, quando se inuicem non impediunt.

Tertiò. Si legislatores plura edant praecepta, intuitu diuersae virtutis, erunt plura peccata, si violentur; vt si quis feriâ sextâ edat carnes, habens etiam votum non edendi illa die, non agit contra praeceptum Ecclesiae, impositum virtutis temperantiae intuitu, & contra Religionem, quae voti impletionem iubet. Vide alia in Caspensi, & Tannero *locis adductis.*

Dico etiam, non distingui peccata ex diuersitate poenarum, quae imponuntur. Ità D. Thom. 248
quaest.72.art.5. Probatur, quia multae diuersae poenae excommunicationis, suspensionis, mulctae, &c. imponuntur eidem crimini.

An verò plura obiecta numero, distinguant plura numero peccata; v. g. plures homines vno actu vulnerati.

D. Bonaventvra *in 4.dist.38. dub.2.litt.* Respondet negatiuè, vbi est vnus actus; erunt tamen plures circumstantiae, seu malitiae.

Inter essentiales differentias est etiam mortale, & veniale, sed haec controuersia discutietur disputatione sequenti.

QVAESTIO XI.

De distinctione accidentali Peccatorum.

Divvs Thomas *quaest.71.* septem alias differentias accidentales peccatorum numerat, 249
quae tamen, saepè, essentialem etiam differentiam inuoluunt, vt notat Valentia *quaest.2.p.1.* Tannerus *disp.4.quaest.2. dubio 2.*

Primò igitur Peccata, alia dicuntur spiritualia, alia carnalia. Ità D. Thomas, *quaest.72. art.2.* ex communi cum S. Bonauent. *in Compendio Theologicae veritatis, lib.2. cap.6.* vbi ait, carnalia esse maioris infamiae; spiritualia maioris culpae. Et *in Diaeta salutis, tit.1. cap.2.* secutus D. Gregorium *31. Moral. cap.31.* ait, Ex vitiis septem capitalibus, duo esse carnalia, nempè, gulam & luxuriam; reliqua quinque esse spiritualia. Idem habet *lib.3. Compendij Theolog. verit. cap.14.* De his Apostolus 2.Corinth. cap.7. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.*

Ratio est, quia illa consummantur delecta- 250
tione carnali: alia verò quinque, apprehensione alicuius rei ad votum habitae: Quam diuisionem peccatorum per se essentialem non esse, ex eo patet, quòd circa idem etiam obiectum, non solùm actu consummato per realem corporum contactum; sed etiam per solam apprehensionem, delectationemque ex ea consequentem, peccari potest, vt patet in delectatione morosa, circa Luxuriam, vt notat Tannerus *num.19.*

Quamvis autem haec diuisio peccatorum per se non sit essentialis, sed accidentalis, vtpotè ab effectu, seu conditione materiali ipsius actus peccaminosi

caminosi desumpta, vt rectè docet Valentia *loc. cit.* Zumel. *quæst.*72.*art.*2. attamen hæc ipsa diuersitas, si ad actus peccatorum consummatos dumtaxat referatur, supponit essentialem differentiam eorumdem; cùm eo ipso diuersis virtutibus opponantur, vt notat Vasquez *prima secunda, quæst.*72. *art.*2.

251 Notat verò Tannerus *num.*20. aliqua peccata carnalia dici, vel quia ex corruptione carnis ortum habent, vt habetur *Galat.*5. *vers.*19. vel quia circa materiam corporalem nascuntur; de quibus Apostolus *Ephes.*4. *vers.*3. auaritiam adnumerans carnalibus, vel quia strictiùs carnem attingunt; & hæc sunt peccata Luxuriæ, vt habet 1. *Corinth.*6. vbi ait: *Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*, quia scilicet specialiter maculatur corpus, & vi generatiuâ abutitur, vt notat D. Bonauent. 2.*parte Centil. sect.*32. & quia specialiter in fornicatione anima seruit corpori, & nil aliud cogitat, vt notat S. Bonauent. *in Pharetra, lib.*2. *cap.*13. referens Glossam ad eum locum Apostoli, qua vtitur etiam D.Thom. *loc. cit. ad* 4. Idem habet *in Diæta salutis, tit.*1.*cap.*9.

252 Secundò diuiduntur peccata accidentaliter penes causas diuersas, è quibus oriuntur, quo modo D. Augustinus *in Psal.*79. dicit: *Omne peccatum esse ex timore malè humiliante, vel ex amore malè inflammante.* Idem habet D. Bonauent. *lib.*2. *Compend. Theolog. cap.*6. & *prima parte Centil.sect.*4. Similiter à D.Gregorio *lib.*31. *Moral. cap.*31. omnia vitia diuiduntur secundùm septem capitalia, à quibus oriuntur. Ità etiam D. Bonau. *loc.cit. Breuil.* & *in Diæta salutis, tit.*1.*cap.*1.

253 Eadem ratione distingui solent peccata; Alia ex Ignorantia: alia ex Fragilitate: alia ex malitia. Ità D. Bonauent. *prima parte Centil. sect.*4. Imò ad hanc diuisionem alludere videtur Apostolus Ioan. *epistola* 1. *cap.*2. *vers.*16. dicens: *Omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum; aut superbia vitæ*, vt notat D. Bonau. *loc.cit.Centiloq.* & post eum Tannerus *loc.cit. n.*22. & D. Thom. *quæst.*7. *art.*3. *argumento* 3. Similiter diuiduntur in peccatum cogitationis, delectationis, consensus, operis, & consuetudinis: Quod autem non faciant distinctionem essentialem, probatur ex S. Bonauent. *ibi*, quia causæ hoc pacto se habent materialiter; nam formaliter consideratur causa in ordine ad obiectum, & finem, vt docet etiam D.Thom *art.*3. & Tannerus *num.*24.

254 Similiter neque ex diuersis motiuis ait D.Thom. distingui essentialiter peccata, puta ex persuasione, & similibus; nam motiua, quæ habent rationem finis, distinguunt peccata essentialiter, vt dixi *quæstione* 10.

Tertiò diuiduntur peccata, pro diuersitate eorum, in quos speciatim, & directè peccatur; in peccatum contra Deum, contra proximum, & contra seipsum. Ità S. Bonauent. *locis adductis*, S.Thom. *quæst.*72.*art.*4. Est communis Theologorum doctrina. Declaratur: Quædam enim virtutes sunt quæ ordinant ad Deum, quem habent pro obiecto, aut *Quod*, vt sunt virtutes Theologicæ, aut *Cui*, vt sunt Religio, & pœnitentia. Quædam ordinant hominem ad proximum suum, vt Iustitia, & Pietas cum aliis virtutibus, quæ his annectuntur. Quædam ordinant ad seipsum, vt Temperantia, & Fortitudo cum adnexis. Ergo etiam peccata, iisdem virtutibus opposita, secundùm proportionem, modo opposito, sese habebunt, adeoque hac ratione inter se distinguentur, vt discurrit D.Bonau. *De tribus ternariis*, & *in Diæta salutis cit.* & Tannerus *num.*26.

Nota verò, si sumatur ex tribus his, tanquam obiectis peccatorum, facere distinctionem essentialem, vt dixi *quæst. præcedenti*, & notat D. Thom. *art.*4. si verò desumatur è speciali affectu quo contra hos vergit, sic accidentaliter distinguit, vt notat Tannerus *num.*2.post Valentiam *p* 2. 255

Quartò diuiduntur peccata penes læsionem Diuinæ Maiestatis, & auersionem à Deo in Mortale, & Veniale; nam mortale auertit à Deo, & Deum à nobis; non sic venialia, & ideò pœna eorum est inæqualis. De quo agemus, *disp.*2.

Hæc verò accidentaliter differre tenet D. Th. *quæst.*72.*art.*5. & *quæst.*88.*art.*1. quod probat, quia circa idem obiectum peccatur mortaliter, & venialiter, vt patet in furto, quod in parua quantitate est veniale. Neque hoc esse posset, si mortale, & veniale differrent specie. Ità tenet etiam Valentia *disput.*6. *quæst.*2. *p.*2. Tannerus *loc.cit. numero* 28. At D.Bonau. *lib.* 3. *Compendij Theolog. cap.*12. vult, eà distingui specie. 256

Probatur hoc argumento D. Bonauent. *in* 2.*dist.*41.*art.*2.*quæst.*1. *in corp.* Illa peccata sunt specie distincta, quæ ex obiecto, vt habet rationem finis, distinguuntur: At peccatum mortale habet finem vltimum in creatura, tanquam in obiecto; veniale verò non: Ergo. Maior est Valentiæ *disp.*6. *quæst.*2. *p.*1. & Tanneri *disp.*4. *quæst.*2. *dub.*1. *à num.* 6. Minor est dogma omnibus probatum. 257

Est etiam optimum argumentum, quod veniale secundùm substantiam idem nequit fieri mortale: nulla enim res, manens eadem, potest mutare suam speciem; tametsi actus, qui est venialis, possit fieri mortalis, vt dicam *disput.*2. *quæst.* 3. Quo soluitur ratio D. Thomæ; nam obiectum illud Furti secundùm quantitatem est obiectum Physicum: mortale verò est deformitas à rectitudine debitæ iustitiæ, quæ in eis est specie diuersa.

Et sanè cùm in auersione à Deo ponatur ratio formalis peccati, vt ait Tannerus *disput.*4. *quæst.*1. *dub.* 3. *num.*49. vel, vt ait Valentia, *disp.*6.*quæst.*1. *punc.*1.in recessu à regula determinante modum necessarium ad consequendum vltimum finem, idest beatitudinem, non video qua ratione, non distinguatur mortale essentialiter à veniali; cùm mortale auertat à regula necessaria ad vltimum finem, & à Deo; veniale verò non, vt notat D. Bonau. *loco adducto.* 258

Adde, ex effectu Diuinæ iustitiæ colligi potiùs distinctionem moralem specificam: nam mortale priuat gratiâ, & amicitiâ Dei, & damnatur pœnâ æternâ; non sic veniale.

Quintò distinguuntur à quibusdam accidentaliter, ratione modi, in Commissionem, & Omissionem. Ità Tannerus *disp.*4. *quæst.*2. *dub.*2. *num.*29. sed malè, vt notat Zumel. *quæst.*72. *art.*6. *dub.*2. Vasquez *art.*6. Cùm enim omissio sit contra obiectum, diuersum specie à commissione, debet etiam distinctum esse peccatum, vt fatetur Tannerus *num.*31. 259

Probatur verò ratione D. Bonau. *in* 2. *dist.*5. *quæst.*1. *ad primum.* Primò, quia dimissio boni, cum sit priuatio, supponit aliquid positiuum: Nemo enim dimittit bonum ex timore malè humiliante, qui prius non reperiatur amore aliquo alicuius boni malè accensus: Quæ cùm ità sint, cùm amor, qui rapit ad omissionem, non valeat habere vnum obiectum cum omissione, nec esse 260

 simul

simul cum ea, sed præcedat necessariò; sequitur multò minùs conuenire in vnum obiectum præcisam commissionem, quæ non est causa omissionis; atque adeò non posse non distingui ex obiecto ab omissione essentialiter, vt patet in omissione liberalitatis, & prodigalitate, tametsi contra eandem virtutem pugnetur.

261 Quod verò ait Tannerus, tunc differre specie, quando vnus est actus positiuus; alter negatiuus, seu omissio actus, etsi hæc ipsa omissio habeat malitiam oppositam præcepto negatiuo, vt, *verbi gratia*, accipere rem alienam, & retinere, ac non restituere, nam non restituere, non est peccatum omissionis; sed commissionis; nam retinendo peccamus positiuè contra præceptum non retinendi: sicuti etiam accipiendo iniquè; ex quo oritur omissio, quæ commissioni necessariò coniungitur, & de hoc concedere possumus, D. Thomam rectè sensisse, volendo, omissionem non esse specie distinctam à commissione.

262 Vel possumus dicere, (ait Vasquez) D. Thomam *articulo illo sexto* loqui, non de omissione actus debiti principaliter, nec de commissione, quæ dicitur esse peccatum contra præceptum negatiuum; sed de priuatione alicuius circumstantiæ debitæ in actu, & hanc appellet omissionem; & de circumstantiâ actus contrariâ præcepto, & hanc appellet commissionem, & dicat, vtramque esse eiusdem speciei in genere moris.

Enim verò non benè discurritur, quia, vt notat D. Bonauent. *loco citato*, omissio solius circumstantiæ non est formale peccatum omissionis, sed positiua culpa, qua actus ex defectu circumstantiæ redditur commissionis maculâ denigratus, quæ culpa in ratione omissionis circumstantiæ sæpè est negligentia. Debet ergo esse omissionis actus principalis.

263 Similiter potest omitti ipse actus, qui sit præcepto negatiuo vetitus, vt fornicatio: Enim verò neque hæc erit omissio, nisi abusiuè, vt est comedere, & non ieiunare, vt notat D. Bonauent. *loco citato*. Vnde etiam exemplum ieiunij non fauet D. Thomæ ad probandum intentum, vt notat etiam. Vasquez *loco citato*, & Tannerus *num.* 32. Quare nos ritè inter differentias essentiales eam collocauimus.

Sextò distinguuntur peccata siue penes diuersum processum, & gradum ipsius peccati, siue penes diuersam causam effectiuam, vel subiectiuam peccati, in peccatum cordis, oris, & operis, vt docet D. Bonauent. *locis adductis hic*, & *quæstione præcedenti*, & *quæstione prima*, in definitione peccati, allata à D. Augustino *lib.* 22. contra Faustum cap. 27. *Est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei*. Idem habet S. Thom. *quæst.* 72. *art.* 7.

264 Nota verò, hæc tria, vel sumi pro diuersis gradibus, seu pro ipso processu peccati, vt explicat S Thom. Et sanè non sunt diuersæ species peccati, sed partes eiusdem: Sic enim iracundus, quia vult vindictam, erumpit in verba, in verbera, &c.

Secundò possunt accipi, vt dicunt diuersas species peccatorum, quorum aliqua consummentur corde, vt hæresis aut odium: alia consummentur ore, vt contumelia; alia opere, vt homicidium; & tunc habet hæc diuisio essentialem distinctionem peccatorum coniunctam, per se tamen non est essentialis, vt notat Caietanus *ad locum adductum D. Thomæ*: Gregorius de Valentia *quæst.* 2. *p.* 2. Tannerus *numero* 34. cùm solùm desumatur ex principio actiuo, vel passiuo, è quibus peccata essentialiter non distinguuntur.

Septimo distinguunt peccata secundùm diuersas circumstantias, de quo D. Thom. *art.* 9. Quando autem circumstantia habet rationem specialem motiui, siue obiecti, tunc tribuit operationi peculiarem speciem peccati; secus, quando plures sub eodem motiuo continentur, seu eiusdem obiecti specifici rationem habet, vt dixi *Tract. primo, disp.* 4. 265

QVÆSTIO XII.

Vtrum Peccata omnia sint connexa.

D. Bonau. in 3. d. 36. q. 4.
D. Thom. prima secundæ, q. 23. art. 1.

Assero negatiuè.

Probatur à D. Bonauent. primò. Peccatis respondent pœnæ. Quod si vnum peccatum committens fieret reus omnium culparum, fieret reus etiam omnium pœnarum; sed hoc est falsum, vt habetur Matth. 5. *Ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, Raca: reus erit Concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis*, quæ sunt diuersa præambula vindictæ, vt notat D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 37. *ex dub. litt.* Si dicas, hanc inæqualitatem venire, quia aliqua ex his sunt venialia, quæ mortalibus non necessariò nectuntur. Contrà: nam *Apoc. cap.* 18. dicitur: *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit; tantum date ei tormentum, & luctum.* 266

Secundò, peccata sunt ab opere nostro, sed non est connexio in operibus vitiorum exteriùs perpetratis: Ergo nec connexio in operibus derelictis intùs. 267

Tertiò, nullus peccat nisi volens; sed multi committunt aliquod peccatum, & cætera detestantur: Ergo. Probatur Minor; aliqui enim superbi sunt, non luxuriosi; alij è contrà. Hac ratione vtitur Valentia *disp.* 6 *quæst.* 3. *p.* 1. Vasquez *ad articulum citatum D. Thom.* Tannerus *disp.* 4. *quæst.* 3. *dub.* 1.

Quartò, quia aliqua peccata sunt contraria, atque pugnantia, vt ait Aristoteles 2. *Eth. cap.* 8. sic auaritia prodigalitati; audacia pusillanimitati opponitur; quomodo ergo volens aliquis vnum ex his, volet etiam oppositum? Hac ratione nituntur allegati Doctores. 268

Obiicies Iacobi 2. dicitur: *Si quis totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Et Eccles. 9. *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet.* 269

Respondet D. Bonauent. primò, non ideo fieri omnium reum, quia cætera peccata incurrat: Quia cùm charitas sit plenitudo meriti, vinculum totius legis, atque initium seruandæ, & hæc vno peccato amittatur, qui deliquit in vno præcepto, factus est omnium reus, amissa charitate. Ità respondet etiam D. Augustinus *epistola* 29. & *sermone* 61. *de tempore*, & cum his Vasquez *ad articulum D. Thom.* Valentia, Tannerus *loco citato*, qui afferunt etiam authorem *Operis Imperfecti in Matth. homil.* 35. vel 38. vbi affert elegantem similitudinem. Sicuti enim miles vndique armatus, solùmque

270 solúmque vna Octea euulsa, particulam humeri nudatam ostendat, nil iuuabunt reliqua arma, si per illud foramen iaciatur sagitta; sed cader exanimis, ac si totus fuisset inermis; sic qui iustitiam fecerit, & in vno deliquerit, cadet spiculo mortifero peccati.

RESPONDET secundò, fieri omnium reum, quia priuatur omnibus virtutibus gratuitis.

271 RESPONDET tertiò, id dici, quia perdit omnia merita, quæ fiunt inutilia ad gloriam assequendam.

RESPONDET quartò, id dici, quia meritis vnius peccati perdit æterna præmia, quæ omnibus virtutibus, ac meritis erant reddenda; hoc autem non est ob connexionem vitiorum, sed bonorum, ac præmiorum, meritis respondentium. Idem responsum habet *in confessionali, cap.3.*

272 RESPONDET quintò *in responsione ad primum*, & *in corpore*, id dici, quia vnico peccato auertitur omninò à Deo legislatore, atque adeò à tota lege auerti dicitur. Ideò subdit Apostolus: *Qui enim dixit, Non Mœchaberis, dixit &, Non occides*, quasi dicat; cùm idem Legislator omnia præcepta legis dederit, spernitur cum lege sua, quodcúmque violetur. Idem responsum assumit D. Thom. *ad primum*, Caietanus, Conradus ad D.Thom. Lyra & Guillaldus ad eum locum Apostoli, & Vasquez *loco citato*, ac Fuliensis *lib.2. cap.4.*

273 RESPONDET sextò *serm. sexto de decem præceptis* dicens, teneri nos ad totam legem seruandam, vt habetur Psalm. 118. *Tunc non confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis*; & subdit testimonium D.Iacobi: *Qui peccat in vno, factus est omnium reus*, quia, licèt vnum præceptum transgrediatur, factus est omnium reus, quia omnia tenebatur obseruare, licèt pro vnius violatione non accipiat tantam pœnam sensus, sicut pro transgressione omnium. Ideò infert, obseruanda esse omnia Dei mandata, vt legis præmia accipiamus. Hanc expositionem hinc hausit Burgensis *in expositione huius loci*. Fuit enim error Pharisæorum credentium, non damnari bonum, qui maiori ex parte legem obseruaret. At D. Iacobus eos arguit vrgens, factos esse reos legis, si vnum præceptum violarint. Hanc expositionem laudat Vasquez *loco citato, ad articulum primum D.Thomæ.*

274 OBIICIES secundò. Sicut vitium non expellitur, nisi per introductionem virtutis oppositæ; sic nec virtus, nisi per introductionem vitij; sed cùm quis committit vnum peccatum, cæteræ virtutes amittuntur: Ergo cùm quis vnum peccatum committit, cætera peccata introducuntur: Ergo sicut est connexio ex parte virtutum, ità etiam ex parte peccatorum.

275 RESPONDETVR ad maiorem, non esse simile, quia plura exiguntur ad constituendum, quàm ad destruendum; & ideò, licèt vitium non excludatur, nisi per virtutem oppositam, tamen virtus expellitur etiam per vitium disparatum. Vnde infidelitas, quæ opponitur fidei, pellit charitatem. Quia ergo virtutes gratuitæ connexæ sunt; ideò, qui tollit vnam, tollit & reliquas, non sic vitium; sed debet auferri per virtutem oppositam. Reliqua vide, in D.Bonauent. quia facilia sunt.

OBIICIES tertiò. Ideò S. Bonauent. *in corpore*, negat connexionem in vitiis: quia, licèt conueniant in auersione à Deo, tamen differunt in conuersionibus ad bona creata, quæ singula habent propria ac proinde ad inductionem Intemperantiæ, quæ conuertit ad delectationes, gustus, & Tactus, non conuertimur ad bona diuitiarum per nefas, ad quæ conuertit iniustitia: Ergo cùm peccata ex conuersione distinguantur; sequitur ea etiam constitui, atque adeò peccatum in positione consistit, contra dicta, *quæstione secunda*.

RESPONDETVR, auersionem à Deo esse formalem, respectu conuersionis positiuæ ad creaturas, *vt sic*; eam tamen auersionem, à qua formalitas, & distinctio sumitur peccatorum, non esse auersionem simpliciter à Deo, *vt sic*, vt est finis hominis in genere, sed vt est bonum diffusum in virtutibus; & ità hinc peccata, quæ sunt earum rectitudinum priuationes, sumunt, more aliarum priuationum, distinctionem formalem. 276

OBIICIES vltimò. D. Gregorius 31. *Moral. cap. 31.* ait: *Superbiam esse omnium malorum radicem, & septem alia vitia ad se trahere, cùm semel animum alicuius occupauerit.* 277

RESPONDET Vasquez *ad art. 1. quæst.73.* hoc non necessariò contingere, sed frequenter; quare non est connexio necessaria ex natura rei, sed per modum dispositionis, & causæ; quia vnum peccatum mouet ad aliud. Ideoque, licèt superbia sit radix aliorum, alia possunt esse sine illa. Imò neque concupiscentia id valet præstare, cùm multa peccata sint opposita, vnde non potest simul ad superbiam, & pusillanimitatem mouere. Nec est simile de gratia, quæ vnit cum charitate ad vnum. Hæc est responsio D. Bonauent. *ad 4.*

QVÆSTIO XIII.

An Peccata omnia sint æqualia.

D.Thom. q.73. art.2.

PERANTIQVVS Stoïcorum sensus fuit, omnia peccata esse æqualia, vt scribit Tullius *in oratione pro Murena*, & *in tertio Paradoxo*; imò ipse Tullius *in præfatione ad Paradoxa*, eiusdem fuit sententiæ. Hunc errorem secutus est Iouinianus hæreticus, inferens, æqualem etiam futuram pœnam peccatorum in inferno, contra quem disputans Alphonsus de Castro *lib. aduersus hæreses, verbo Peccatum, hæresi 8.* colligit ex D.Augustino *lib. de hæresibus, cap. 82.* in eo fuisse Iouinianum. Neque quidquam obstare, ait, quod Hieronymus, disserens contra Iouinianum *in dialogis*, non meminit huius erroris. Verum D.August. *epist.29.* aliquando à principio testatur, D. Hieronymum, hunc errorem confutasse, vt verè confutauit, *dialogo secundo contra Iouinianum, numero 41. & sequentibus*. Vide Doctores Catholicos, contra hunc errorem disputantes in Morando *Tract. 3. de peccato, quæst.9.* 278

ASSERO, non omnia peccata esse æqualia.

PROBATVR primò à D.Bonauent. *ad 19. Ioan.* ad ea verba: *Propterea, qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* Maius nempè fuit peccatum Iudæorum, qui Christum ex malignitate tradidêre, quàm peccatum Pilati, qui ex metu tradidit, vt notat S. Bonauent. ex D. Augustino *Tract.116. in Ioan. Tomo nono.* 279

Series autem Dialogi hæc est: Christus inter grandines calumniarum obmutuit. Pilatus igitur tumens, quia Princeps erat; in cuius potestate erat iudicare, indignabundus ait: *Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, &*

& potestatem habeo dimittere te? Christus autem ad tumorem præsidis sedandum, vt notat Chrysostomus *homil.* 83. *in Ioan. ante medium, Tomo* 3. res-
280 pondet: *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* Et verè data erat ei potestas desuper, quia: *Non est potestas nisi à Deo*, licèt potestatis abusus sit ab ipsis Tyrannis, de quibus dicitur Oseæ 8. *Regnauerunt, & non ex me.* Neque mirandum, Deum hæc permittere. Vt enim ait D. Augustinus de natura boni, cap. 32. Tom.6. *Iniustum non est, vt improbis accipientibus nocendi potestatem, & bonorum patientia probetur,* & *malorum iniquitas puniatur.* Subdit verò: *Propterea, qui me tibi tradidit, maius peccatum habet,* quasi dicat: Tu quidem peccas me iudicando, quia abuteris potestate datâ tibi desuper, ex metu condemnans; attamen excusabilis es: tum quia iudex iudicare potens: tum quia, si abuteris pote-
281 state, hoc facis ex metu, at *qui me tibi tradidit*, idest Senatus Iudæus, maius peccatum habet; tum quia inimici cùm sint indebitè, & actorum, & testium miscent personas, contra iura: tum quia non ex metu, sed ex malignitate, & consilio inito, ac conspiratione factâ id præstant: Hic est germanus sensus, quem attuli, quia Vasquez subtiliora permeans, hanc S. Bonauenturæ expositionem refutare molitur; quæ est expositio D. Basilij *in regulis breuioribus, responsione* 46. Chrysostomi *homil.*83. *in Ioan.* Euthymij, & Theophylacti in eum locum, D. Augustini *Tract.*119. *in Ioan.* Cyrilli *lib.*12. *in Ioan. cap.*22. Optimè enim deducitur ex illis verbis: *Non haberes in me potestatem, nisi datum tibi esset desuper*; atque infertur: *Propterea, qui me tradidit, maius peccatum habet*, vt ostendi. Quidquid dicat Vasquez *disputatione* 99. *numero* 4.

282 Ipse igitur Vasquez sic exponit: *Non haberes potestatem in me vllam, nisi tibi datum esset desuper*, idest non haberes me *hic* in tuis manibus, nisi ego me sponte tradidissem satellitibus tuis, quibus ostendi potentiam meam, dum eos retrò in terram repuli dicens: *Ego sum*, quod cùm essent experti, & hinc meam Deitatem agnoscere potuissent, nisi peruicaces fuissent in malo, ob id maius peccatum habent, quàm tu qui talem virtutem non es expertus: Vel fit comparatio cum peccato ipsorum militum, si talem potentiam Christi non prius vidissent; sicque particula, *Propterea*, consequentiam verborum connectit, ac si diceret: Quia non haberes potestatem, nisi consilio Dei ego me ipsum obtulissem; ideò, qui me tradiderunt, maius peccatum habent, cùm hoc illis ignotum esse non potuerit.

283 Ego verò eodem fundamento, quo ipse euertere nititur nostram expositionem, quasi non rectè inferat ex ante dictis: *Non haberes potestatem, &c. Propterea* (infert) *qui me tradidit, maius peccatum habet*, colligo, minùs rectè inferri expositionem Vasquez.

Primò quidem Pilatus, non de potestate, seu vi, qua inter compedes strictum tenebat Iesum, loquitur tantùm, sed præcipuè de authoritate Iudicis. Probatur ex textu Græco, qui, loco nominis potestatem, habet ἐξουσίαν, quod transfertur: *authoritatem.* Vide Biblia Pagnini. Et infertur: *Propter hoc tradens me tibi, maius peccatum habet.*

284 Deinde verò, quæ illatio est: Quia ego me obtuli tibi libens in manibus, ideo minùs peccas, quam illi, in quorum manibus me consignaui; seu, quia non haberes potestatem, nisi ego me tibi dederem sponte; ideò, qui me tradiderunt, maius peccatum habent, cùm illis non potuerit, hoc esse ignotum, me sponte deditum: Nonne poterat Pilatus id scire anteà; vel nunc inquirere? Neque verò quidquam de horti miraculo dicit, sed de iudicio *Potestatem habeo, &c.* quam non habebat ex hoc, quia eum ligatum teneret, sed quia iudex erat, non quia tyrannus, vt putat Vasquez; nam Iudæi se eius iudicio subiiciebant sponte, ipsi enim nolentes Christum iudicare, tradiderunt eum Præsidis tribunali.

Probatvr secundò à D. Bonauent. *serm.* 6. *de decem præceptis*, ex illo *Genes.* 37. vbi dicitur: 285
Ioseph accusauit fratres suos crimine pessimo, quod crimen infandum asserit S. Doct. cum plurimis Patribus.

Probatvr tertiò à D. Bonauent. in confessionali ex Deuter. 25. *Iuxta mensuram peccati, erit & modus plagarum*; & Isai. 27. *In mensura contra mensuram, iudicabis eam*, scilicet culpam.

Probatvr quartò à D. Bonauent. *serm.* 6. *de decem præceptis*, & *in speculo animæ, cap.*1. & *in* 3. *dist.*37. *in dub. litt.* ex illo Matth.5. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, qui autem dixerit fratri suo, raca: reus erit concilio; qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis.*

Probatvr quintò à D. Bonauent. *De tribus ternariis peccatorum, cap.*5. ex illo *prima Corinth.*3. 286
vbi aliqua peccata ponit Apostolus, quæ Ligno fœno, stipulæ comparat, è quibus ea grauissima infert, quæ Ligno; deinde quæ fœno; vltimò, quæ stipulæ similantur.

Probatvr sextò à D. Bonauent. *in* 2. *dist.*21. *quæst. vltima, argumento primo, secundo loco.* Peccatum remissibile est minus irremissibili, nam iustitia Dei æqua lance iudicat, sed sunt aliqua peccata remissibilia, alia irremissibilia, *ex Matth.*12. *v.* 31. vbi dicitur: *Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus; spiritus autem blasphemia non remittetur.* Et: *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Et *prima Ioan.* 5. ponitur peccatum ad mortem; & aliud non ad mortem.

Probatvr septimò à D. Bonauent. è Patribus, quos plurimos, & sæpè refert in opusculis, 287
maximè *in Pharetra, lib.*2. *à capite* 5. & locis suprà adductis, atque adducendis.

Probatvr octauò rationibus. Prima affertur à D.Thom. *hic.* Priuationes, quæ ex sua ratione non totaliter priuant oppositâ formâ, sed ex ea quidpiam relinquunt, possunt esse inæquales, vt patet in ægritudinibus: Sed tales priuationes sunt peccata: Ergo. Minor probatur ex Aristotele 4. *Eth. cap.*5.

Hæc ratio confutatur à Vasquez *eodem articulo*, 288
& Gregorio de Valentia *quæst.*3. *p.*2. & aliis ex D. Bonauent. *in* 2. *dist.*33. *art.* 2. *quæst.* 1. *argumento quarto*; nam in peccato nil manet bonitatis moralis oppositæ. Ad testimonium Aristotelis respondent ibi, Aristotelem velle, malum, si sit integrum, destruere seipsum; sufficit autem, ne sit integrum malum, si habeat aliquod bonum naturæ, in quo subsistat, licèt nihil habeat de bonitate morali, & respectu eius sit in termino, vt notat D. Bonauent. Deinde in omissione nil boni oppositi remanet.

Perfectivs autem probatur à D. Bonauent. 289
ratione

ratione, *in 2. dist.* 43. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad vltimum*, qua vtuntur Scotus *in 4. dist.* 50. *quæst.* 6. Durandus *in 2. dist.* 42. *quæst.* 8. Valentia *loco citato*, Tannerus *numero* 10. Priuationes sortiuntur mensuram suam à varietate bonorum, quibus priuant: sed peccata sunt priuationes: Ergo ad mensuram oppositarum formatum, quæ sunt virtutes, & obiecta cum circumstantiis: sed hæc sunt inæqualia: Ergo etsi sint totales, different. Maior est certa. Minor probatur ex dictis *quæst.* 2. Subsumptum probatur: nam aliqua priuant Deo immediate, vt obiecto, vt peccata in virtutes Theologicas: aliqua verò aliquo bono creato, vt Cardinales: Et inter bona, vna priuat maiori bono, & plura opponit obstacula, vt hæresis, &c. Hac ratione nititur

290 etiam Valentia *loco citato*. Quod verò nil maneat oppositæ rectitudinis, probat Vasquez *numero* 12. Quia peccatum est carentia rectitudinis debitæ; rectitudo autem ex integra causâ debet esse, & aliquâ ablatâ, tollitur. Hoc mihi non videtur ad rem; nam ipse *numero* 14. concedit aliquando, priuari quidem ex defectu alicuius circumstantiæ, relictis aliis: Ergo non tollitur tota rectitudo per te, ex eo, quòd integra eius perfectio non maneat, & ad hoc iuuat exemplum D. Thomæ de ægritudine; quod applicare possumus cum D. Bonauent. *loco citato*. Sic Peccatum est priuatio rectitudinis rationis, & habilitatis ad bonum; sed hæc habilitas magis ab vno peccato læditur, quàm alio, puta magis a peccato in Spiritum Sanctum, *verbi gratia*, obstinatione in peccato, quæ magis expellit à bono, & confirmat in malo: Ergo.

Non ob id tamen inæqualitatem pono peccatorum in hoc, quòd non tollatur tota rectitudo opposita virtuti specialiter: nam per peccatum, *verbi gratia*, Luxuriæ, tollitur rectitudo tota castitatis, quia actus è diametro stat, etsi nullum ferè peccatum sit, cui non possit aliqua fieri additio malitiæ, vel ratione intensionis actus, aut sanè durationis, aut etiam circumstantiarum. Ex quo fit, vt priuatio, quæ est in actu peccati, non omni modo sit summa; hæc tamen non videtur tollere, quin in essentiali malitia priuet totaliter, atque adeò nequeat hinc desumi inæqualitas, Quidquid dicat Tannerus *num.* 5.

291 Addit Tannerus, rationem D. Thom. sic reddi posse efficacem. Nulla enim est tanta malitia cuiuscumque peccati, vt quis peccando auersetur bonum; aut velit malum, vt malum; cùm non nisi sub ratione boni, malum velle possimus; atque hoc saltem habet in peccato aliquam similitudinem boni.

Hoc tamen nec menti D. Thomæ, neque veritati conducit. Et quidem cùm in via D. Thomæ, atque ipsius discipulorum, impossibile sit, nos ferri in malum, sub ratione mali; quomodo non ferri in malum sub hac ratione conducit ad inæqualitatem peccatorum, seu ad vnum super aliud aggrauandum; cùm ex hoc capite omnia sint æqualia, vt fatetur ipse Tannerus, qui eandem profitetur sententiam; atque adeò infert implicantiam?

292 Plurima capita refert Valentia, vnde peccata aggrauantur, & fiunt inæqualia.

Primo è conditione obiecti, magis, vel minùs rationi repugnantis, vt docet D. Thom. *art.* 3.

Secundo ex dignitate, & perfectione virtutis, cuius sunt priuationes, ex D. Thom. *art.* 4.

Tertio ex natura ipsorum peccatorum; ex quo fit, vt spiritualia sint grauiora carnalibus, ex D. Thom. *art.* 5.

Quarto ex causa peccati; quo fit, vt peccata ex malitia sint grauiora, quam quæ ex infirmitate; & hæc, quàm quæ fiunt ex ignorantia, è D. Thom. *art.* 6.

Quinto è dignitate personæ, in quam peccatur, ex D. Thom. *art.* 9. 293

Sexto ex dignitate personæ peccantis, ob maiorem ingratitudinem, ita D. Thom. *art.* 10.

Septimo ex nocumento, quod aut sibi, aut aliis infert. Si tamen prævideri potuit, vel debuit, è D. Thom. *quæst.* 20. *art.* 5.

Octavo ratione Legis magis, vel minùs strictè cogentis: Hinc enim peccatum Adæ fuit grauissimum, tametsi circa leuem materiam esus pomi. Hinc potest esse peccatum contra virtutem nobiliorem; & tamen esse leuius, quia non est adeò grauiter debita ex præcepto. Vide Vasquez *ad art.* 4. *quæst.* 73. & Caspensis *disp.* 3. *sect.* 11.

Hæc ferè capita refert S. Bonau. *in* 2. *dist.* 21. *quæst. vltima*, & *dist.* 22. *quæst.* 3. & *dist.* 35. *art.* 2. *quæst.* 1. & *dist.* 35. *art.* 2. *quæst.* 2. & *dist.* 43. *art.* 1. *quæst.* 1. 294

Duodecim capita refert, *prima parte Centil. sect.* 5. & alia *lib.* 2. *Compendij Theologiæ* passim, ex quibus aliqua aggrauant, transferendo in aliam speciem; quod dicitur augmentum infinitum.

Duas autem regulas ad id conijciendum affert Valentia *disp.* 2. *quæst.* 13. *p.* 4. Prior est, quando actus per circumstantiam spectat ad specialem virtutem, vel vitium, tunc circumstantia constituit speciem actus virtutis, vel vitij; nam eadem ratio specificationis, habitum pariter specificat, & actum.

Altera est, quando circumstantia præsupponit determinatam rationem virtutis, aut vitij, eamque solùm modificat; non constituit actum in peculiari specie, sed solùm spectat ad eius rationem indiuiduam, vt quantitas magna, vel parua in furto. Hæ duæ regulæ eliciuntur è D. Thom. *quæst.* 18. *art.* 10. *&* 11. Intra eandem speciem vnum peccatum est grauius alio substantialiter, cæteris paribus; tum quando habet idem obiectum virtutis, sed grauius; vnde qui furatur bona Reipublicæ; grauius peccat, quàm qui furatur bona priuati hominis; & volitio furandi mille, est grauior volitione furandi sex; tum etiam quando opponitur eidem virtuti, sed grauius, vt occidere, est grauius, quàm vulnerare. 295

Obiicies cum Stoicis. Peccare est terminos rationis transire; omnes autem peccantes transeunt limites rationis, qui sunt in indiuisibili, sicuti qui transiliret finem lineæ alicuius.

Respondet S. Bonauent. *in* 2. *dist.* 42. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corpore*, hoc esse paradoxum, toti humano generi contrarium, vt ait D. Augustinus *epistola* 29. nam licèt in genere omnia peccata conueniant in hoc, quod transgrediuntur limites honesti, attamen secundum speciales differentias, à quibus sumitur eorum inæqualitas, magis, vel minus transgrediuntur, prout virtutibus etiam variis, ac rectitudinibus opponuntur specialibus: Sic enim etiam animalia omnia, vt sunt sub genere animalis, æqualia sunt; at secundum differentias specificas inæqualia. Et ideò, licèt peccatores sint omnes mali, attamen aliqui aliis sunt peiores, vt Scriptura testatur. Vnde fuit etiam fundamentum Iouiniani. Possumus enim transgredi fines magis, vel minùs, vt patet etiam in transgressione lineæ. 296

Quandonam verò multiplicentur peccata numero, dixi *Tract.* 1. *disp.* 16. *quæst.* 3.

Quæstio

QVÆSTIO XIV.

An Euentus malus, ex peccato subsequens, augeat peccatum.

297 INTER ea, quæ reddunt peccata inæqualia, narraui *septimo loco* esse nocumentum sequens, si præuideri potuit, vel debuit; tunc enim peccatum augetur indirectè ex malo illo; sicuti multò magis directè augetur, quando euentus ille est directè volitus.

PECVLIARIS hìc quæstio est: An nocumentum casuale ex peccato subsequens, tametsi nec præuisum sit, nec intentum, nec ex intentione præuideri potuerit, nihilominus tamen aggrauet peccatum.

298 PRIMA opinio est affirmatiua. Ità Comitolus *responsionum moralium lib.5. quæst.5.* qui pro se refert D. Thomam *prima secunda, quæst.76. art.4.* & 2.2. *quæst.150. art.4.* D.Bonauenturam *in 2. dist.22. art.2. quæst. 3.* Richardum *art.2. quæst. 3.* Durandum *quæst.4.* Carthus. *quæst.1.* Alensem *2.p. quæst. 112. memb. 9.* & *quæst.153. memb.2.* Albertum *2. parte summa, quæst.88.* Gandauensem *quodl.3.quæst.6.* D.Antoninum *2.parte, titulo 6. cap.3.* Turrecrematam in *cap. sexto die, dist.35.* & *in c.Inebriarunt, 15. quæst.1.* Vigerium *Instit. cap.7. §.3.* Alphonsum à Castro *lib.2. de lege pœnali, cap. 14.* Couarruuiam in Clementina, *Si furiosus, de homic. parte 3.* Caietanum *p.2. quæst.76. art.4.* Tabienam, *verbo ebrietas, num.8.* Syluestrum *ibi, quæst 4.* Armillam *num.1.* & *verbo Ignorantia, numero 10.* Idem habet S.Bonauent. *prima parte Centil. cap.25.* clarè.

299 SECVNDA opinio est, nocumentum casuale, modo dicto, è peccato secutum, non imputari ad culpam, neque aggrauare peccatum. Citatur D. Thom. *p.2. quæst.20. art.5.* & *quæst.73. art.8.* & ibi Caietanus, Conradus, Medina, Zumel, & D. Bonauent. *in 2. dist.22. art.1. quæst.3. ad vltimum.* Paludanus *in 4. dist.32. quæst.1. art.3.* Maior *dist.17. quæst.2.* vel 8. Caietanus *secunda secunda, quæst.150. art.4.* Castro *lib.2. de lege pœnali, cap. 14.* Couarruuias *in Clementina. Si Furiosus p.3. numero 3.* & 4. Corduba *lib.1. quæst. 18.* Sotus *lib. 5. de Iustitia, quæst.1. art.9.* Nauarr. *cap.27. numero 230.* Gregorius de Valentia *hìc, quæst.3. p.3.* Molina *Tract. 3. de Iustitia, disp.38.* Vasquez *prima secunda, quæst.73. art.8. dub.2.* Azorius *tom.1. lib.4. cap. 20. quæsito 1.* Et ex Patribus, Origenes *Homil.5. in Genes.* Chrysostomus *Homil.44.* Theodoretus *quæst.67.* Irenæus *lib.4. contra hæreses, cap.51.* Augustinus *lib.22. contra Faustum, cap. 44.* qui incestum Lot à peccato excusant, etiamsi inebriando se peccauerit; quos referunt, atque sequuntur Abulensis, Pererius *in cap.19. Genesis,* Vasquez *disp.127. cap.2.* Tannerus *disput.4. quæst.3. dub.3. numero 55.* Fuliensis *lib.2.c.2.*

300 MIROR autem, Seraphicum pro hac sententia adduci, cùm sit pro prima sententia *loco citato*, vt fatetur Vasquez *numero 11.* qui oppositum dixit *numero 4.* ex quo infert S. Doctor, Lot non omninò excusari de incestu: quia in illam ignorantiam peruenit per ebrietatem, quam debuisset vitare.

ASSERO, euentum casualem, modo dicto, aliquo modo aggrauare præcedentem culpam; quando per eam se præcipitat in priuationem eius cognitionis, quæ necessaria est ad bonum, ac malum discernendum.

301 PROBATVR à Seraphico, primò ex Sanctis Patribus, qui ideò non excusant Lot, qui ferè sunt omnes antiqui, ac plerique recentiores, vt fatetur Tannerus *numero 51.* quamuis aliqui videantur oppositum velle.

RESPONDET Tannerus *numero 61.* eos Patres supponere, potuisse præuideri tale crimen à Lot, & quidem forsan aliqua signa petulantiæ vidisse in filiabus suis.

Verùm ficta sunt hæc; cùm Patres ebrietatis eum accusent, & grauitatis additæ per incestum: qui verò suprà relati sunt, excusant eum criminis specifici incestus; eò quòd non fuerit præuisus. Sic etiam D. Bonauent. *in speculo animæ, cap.3.* tamen accusant eum circumstantiæ grauantis ex incestu secuto, quia cum inebriare se, afferat secum exponere se discrimini inconuenientium, etiamsi non præuideantur distinctè, tenebatur Lot cauere à vino; & ideò reprehensibilis fuit, non quantùm ratio specifica incestus secum afferr, sed quantùm 302
affert ebrietas, quæ auferendo vsum rationis in indigna impellit, & hoc vult D. Augustinus, adductus contra nos, vt notat D. Bonauent. *in speculo, cap.3.* post principium, adducens eum locum D. Augustini, vbi à mortali excusatum incestum Lot concedit.

QVOD enim respondet Vasquez, non minùs debere esse voluntariam circumstantiam, quàm peccatum specificum; cùm autem ex ignorantia inuincibili lapsus fuerit Lot, non est cur incestùs eum incusemus. Idem ait Tannerus *numero 56.*

SED hæc inania sunt; iam enim assignaui dis- 303
crimen: nam, vt constituat speciem incestus, debet esse volitus in specie, seu quia directè intentus, seu quia præuisus: at verò ad grauandum crimen ebrietatis, effectu secuto, sufficit se præcipitare per ebrietatem, exponendo se discrimini, ob ablatum rationis vsum, ex quo, prudentia dictat, posse sequi plura inconuenientia.

Ex Patribus igitur, qui, ex ebrietate mera, Lot accusant mali secuti, Primò D. Hieronymus *epistola ad Eustochium* ait: *Denique quid fecerit, ignorauit; & quamquam voluntas non sit in crimine, error in culpa est.*

D. AMBROSIVS *libro primo, de Abraham, c.6.* 304
& refertur *in cap. sana, dist. 15. quæst. 1.* Ideoque *Si qui per vinum deliquerunt, apud sapientes Iudices veniâ quidem facta donantur, sed leuitatis damnantur authores.* Quod sanè infert ex facto Lot, quasi excusetur à crimine specifico incestus, attamen aliqua circumstantia imprudentiæ eum, ait, aggrauari in conscientia; & hinc arguit rectè, à Legislatoribus leuitatis argui ebriosos, qui culpam in ebrietate patrarunt. Quo testimonio effugium quoddam Vasquez mox præcludam.

IDEM vult Origenes *homil.5. in Genes.* qui con- 305
tra nos affertur; ait enim: *Vnde videtur mihi Lot in parte culpabilis, in parte excusabilis inueniri; excusari namque potest quod à libidinis crimine liber est: subiacet verò culpæ quòd decipi potuit; quod vino nimis indulsit, & hoc non semel, sed iterum fecit.* Licèt igitur à formali crimine incestus eum redimat; attamen, quòd decipi potuit, culpæ adscribir, neque verò loquitur de deceptione in bibendo, & inebriando, vt putat Vasquez. Nam subdit, *quòd vino nimis indulsit.* Quod verò subdit Origines, excusari Lot à Scriptura, quòd non senserit; solùm innuit excusandum à Voluntario perfecto incestus, vt suprà, quia deceptus est. Hos retuli, quia ab Azorio, *loco citato*, contra nos referuntur.

STRABO

306 STRABO in Glossa 19. *Genes.* ait: *Lot inexcusabilis est, quia inebriatus est, & fuit peccatum causa peccati.* S. Hieronymus: *Sic praua suggestio, vt incestæ mulieres insidientur continentibus, vt accepta occasione, torquentes vino fallacia imbuant, & à statu rectitudinis quasi ignorantes deiiciant.*

PROBATVR secundò à Diuo Bonauentura. Quicumque vult ebrietatem, se impudenter voluntariè præcipitat ad ligandum vsum rationis; ex quo multa inconuenientia oriri posse prudentia dictat: Ergo voluntariè delinquit in ebrietate aliquo modo. Totum argumentum est D. Gregorij Nyssen. *lib. 5. Philosophiæ, cap. 2.* vbi affir-
307 mat, eum, qui operatur in ebrietate, non operari inuoluntariè; quinimò voluntariè, quia culpâ suâ inebriatus est. Subdit verò, ea, quæ fiunt in ebrietate, non fieri ex ignorantia, sed ignoranter, nec inuoluntaria esse, sed voluntaria, & ideò reprehenduntur hæc agentes. Idem argumentum est Eustratij *in caput primum tertij Eth.* ad ea verba: *Diuersum quoque*; vt concedit Vasquez *numero 2.* Idem habet S. Damascenus 2. *de fide, cap. 24.* vbi docet: *Inuoluntarium tantùm esse, quod ex ignorantia fit, si ignorantiæ causam non dedimus, sed casu euenit. Etenim, si quispiam* (ait) *vino obrutus cædem perpetrauit, errore quidem, & inscitia ductus eam admittit; at non item inuitè; ignorationis quippè causam, hoc est, ebrietatem, ipse accersiuit.*

308 Idem habet D. Bernardus *epistola 25. ad sororem.* Hinc habes, malè Tannerum *numero 53.* dicere, rationes nostras nullius esse momenti.

RESPONDET Salas *prima secunda, quæstione 73. Tractatu 13. disputatione 5. sectione 14.* & Tannerus *numero 58.* hos Patres intelligendos in foro externo, vel quoad damna restituenda, & nullum ex his loqui disertè in foro conscientiæ, imò D.Bonauenturam, & D. Thom. oppositum asserere.

309 At verò, si restitutio famæ, vel rei alicuius, est actus iustitiæ violatæ, quis non videt, supponi virtutem violatam? Deinde forum externum, & internum semper conueniunt, nisi peculiaris ratio opponatur, vt notat Nauarrus *in cap. si quis de pœnitentia, disp. 7. à num. 35.* & in summa, *c. 27. à numero 279.* Vasquez *prima secunda, disp. 66. numero 2.* neque *hic* est aliquam causam inuenire, vt patet; nam ideò D. Ambrosius, D. Nyssen. seu Nemesius, suprà adducti, ex culpa vera in foro conscientiæ in casu nostro deducunt, iustè hos puniri à Legislatoribus. Quoad D.Bonauent. satis dixi.

310 PROBATVR tertiò à Diuo Bonauentura *loco citato, Centil. & in 2.* ex Aristotele 3. *Eth. cap. 5.* vbi ait: *Nam eos, qui praua faciunt, si modo non vi, nec ob ignorationem eam, cuius ipsi non fuerunt causa, illa agunt, castigant, ac puniunt (scilicet Legislatores:)* Ergo à contrario docet, eum, qui fuit causa suæ ignorationis, dignum esse supplicio, si ob ea aliquid mali agat; nam statim subdit: *Etenim pro ignoratione etiam ipsâ pœnas instituunt, si quispiam ignorationis esse sibi causa videatur, ebrios namque duplici pœna afficiendos esse putarunt, quippè cùm in ipsorum sit potestate ebrietatem vitare, quæ quidem ignorationis est causa.* Idem habet *lib. 1. magni moral. cap. 34.*

311 RESPONDET Vasquez *numero 13.* Aristotelem locutum de peccato ebriorum in foro externo, & quoad humanam præsumptionem, quia iure præsumitur ebrius, qui suâ culpâ inebriatur, voluntariè etiam ea peccata patrasse; Nos autem loquimur de culpa apud Deum, quæ non præsumptione, sed reipsa contrahitur; eodem modo loqui (ait) Aristotelem de ignoratione legum; nempè secundùm humanam solùm præsumptionem; inquit enim: *Puniunt etiam eos, qui aliquid eorum ignorant, quæ legibus continentur, quæ quidem scire oportet, nec sunt difficilia cognitu: similiter in aliis quæcumque per negligentiam homines ignorare videntur ex eo planè, quod in ipsis est ignorare.*

ENIM verò hoc ipso dicto se pungit; nam 312
cùm leges puniunt, quæ tenemur scire, & sunt facilia, idest nostræ aptata capacitati, ac sufficienter publicata, vt supponit, non præsumptione, sed verè ignorantia illa est vincibilis, nec oppositum probat Vasquez *disputatione 123.* vt putat.

DEINDE verò Patres adducti in casu nostro rectè aiunt, punitos à Regibus, quia in foro conscientiæ delinquunt.

PROBATVR quartò ex D. Bonauent. *in Con-* 313
fessionali, cap. 4. particula 40. vbi ex Decreto *de consecr. distinctione 2.* imponitur pœna ei, qui per ebrietatem, vel voracitatem, Eucharistiam vomuerit: *Si laicus fuerit, quadraginta diebus: si Clericus, septuaginta diebus, &c.* Præterea potest argui ex Diuo Bonauent. vt notat Azorius *lib. 7. cap. 22.* circa finem, exemplis iuris Canonici: Nam extra de homicidio, cap. Tua nos: *Monachus, qui Chirurgiæ peritus, causa pietatis, adhibitaque diligentia, exercuit operationem, suo statui prohibitam, incidendo tumorem mulieri, quæ contra eius præceptum vento sese exposuit, & mortua est, irregularis esse significatur.* Et cap. [illegible]ent, eodem titulo: *Presbyter, qui vitiato modo, ac ludo ità fuerat iocatus, vt ex eo casualis abortio sequeretur, declaratur irregularis, si fuerit fœtus animatus.* Similia habentur in C. Nannet. *capite 18.* apud Billium *Tom. 3. Conci. parte secunda.*

RESPONDET Tannerus *numero 59.* dantem 314
operam rei illicitæ, præsumi adhibere negligentiam in considerandis nocumentis, quæ consequi possent, ac proinde imputari ad pœnam. Deinde respondet, propter homicidium casuale, non incurri irregularitatem ex hoc præcisè, quòd actio, ex qua illud sequitur, fuerit quomodocumque illicita operanti, nisi ex natura sua habuerit periculum apertum homicidij, vt docet Soto *lib. 5. de Iustitia, quæstione 1. articulo 9.* Castro *lib. 2. de Lege pœnali, cap. 14.* Couarruu. *Clementina, Si furiosus, parte 2. §. 4.* Medina *prima secunda, quæstione 73. articulo 8.* Gregorius de Valentia *quæstione 3. puncto 3.* Suarez *3. parte, Tomo 5. disputatione 45. sectione 9. à numero 9.* In quibus tamen ipsis casibus non incurritur irregularitas propter culpam homicidij, si hoc nullo modo præuisum fuerit, sed propter actionem illicitam, accedente conditione homicidij. Nam, vt optimè Suarez ait, potuit ius puni- 315
re tale factum illâ pœnâ, non simpliciter, & absolutè; sed si ex illo sequatur talis effectus, scilicet homicidium, quomodocumque sequatur? Vel è contrario, potuit illi homicidio adiungi irregularitas, ob tale factum procedens à tali causa; quia Ius interpretatione suâ reputat illud voluntarium propter solum opus; quidquid sit de diligentia adhibita.

316 Addit Azorius, nil mirum, si, ex D. Bonauentura, S. Thoma, Alensi, & Richardo, quis probet, ebrium irregularem fieri, si occiderit aliquem, quia illi authores scripserunt ante Clementinam, *si furiosus*, vbi definitur, amentem, si occidat alium, irregularem non esse, quia est rationis impos: ergo nec ebrius, eadem ratione, vsu rationis caret.

317 Enim verò, vt ab hoc vltimo exordiar, plurimorum sententia est, ebrium, si culpabiliter factus est rationis impos, incurrere homicidio irregularitatem, quia Clementina, *si furiosus*, excipit solùm amentem, infantem, dormientem, & qui seipsum defendit. Ità Matthæus Zenzelinus Cardinalis, & Imola in Clementina *si furiosus*, *de homicidio:* Syluest. *verbo Homicidium, quæst* 4. & *verbo Ebrietas, num*. 5. Rosell *verbo Homicidium, disp*. 4. *num*. 5. Taliensius *ebrietas, quæst*. 8. vbi citat Glossam, Armilla *verbo Irregularitas, num*. 8. quamvis in *verbo Ebrietas*, *num*. 8. dicat oppositum. Villadiego *tract. de Irregularitate*, Ioan. Calder. vt citat Nauar. *in Manuali*, *cap*. 27. *num*. 230. Maiolus *de Irregularitate*, *lib*. 3. *cap*. 48. & alij.

318 Quoad responsum verò Tanneri; quis non videt, ob præsumptionem illam non damnari; nam si ex dando operam rei illicitæ potest argui negligentiâ, potest præsumi etiam voluntas directa, quod est vanum; nam filij huius sæculi prudentiores filiis lucis sunt, cauendo sibi, & suis damnis.

Qvod verò ait, non incurri irregularitatem, ob culpam homicidij non præuisam, sed propter actionem illicitam, accedente conditione homicidij, quia ius suâ interpretatione reputat illud voluntarium: Pateat, non est responsum solidum, nam si ob conditionem homicidij reputatur illud, quia voluntarium, damnandum; sequitur reputari culpabile.

Obicies primò cum Vasquez *num*. 11. & Tannero *num*. 56. Nullum peccatum est, nisi voluntarium; sed euentus, qui nec præuisus est, nec præuideri debuit, non est voluntarius: Ergo.

319 Respondet D. Bonauent. non esse in specie voluntarium, & ideo non addere nouam numero culpam, sed esse voluntarium in genere, hoc sensu, quia inebrians, ligans vsum rationis, se præcipitat in plurima malorum pericula, vt dixi.

Obicies secundò cum Tannero: Sequeretur ex vestra sententia, nullam ignorantiam infidelium esse inuincibilem, sed semper imputari ad peccatum; quia sequitur ex cæteris eorum peccatis, si enim conuenienter ad naturæ legem viuerent, illuminarentur. Consequens est falsum, & contra D. Thom. *secunda secundæ*, *quæst*. 10. *art*. 1. & contra communem Doctorum sensum.

320 Respondetvr faciliè primò, concedendo sequelam, vt ostendam *disp*. 3. *quæst*. 3.

Respondetvr secundò, negando sequelam. Potest enim esse inuincibilis, etiam posita aliqua conditione peccatorum, quia Deus miseretur peccantium, nec omnia adamussim punit, maximè si ex fragilitate aberrent.

Respondetvr tertiò, non esse parem rationem. Nam qui infidelis peccata multiplicat, opponit obicem diuinæ directioni ad rectitudinem, & ideò meretur obcæcari; at qui ignoranter peccant ex ebrietate, non peccant multiplicando noua peccata.

Obicies tertiò. Sequeretur, peccata infidelium è subsequente effectu damnationis grauari, contra D. Thomam *quæst*. 73. *art*. 8.

Respondetvr, concedendo grauari non per culpam præcisè, sed per desperationem remedij. 321

Obicies quartò. Sequeretur, ei, qui inter choræas Crus fregit, imputari omnes omissiones Missarum sequentium.

Respondetvr, negando paritatem: Nam choræ non sunt, iuxta prudentiam, periculosæ confractionis, atque adeò euitandæ; sicuti ebrietas est principium peccatorum.

Obicies vltimò. Sequeretur, peccata singula hominum imputari Adæ. 322

Respondetvr concedendo sequelam. Quid tum? Ad Sanctos Patres iam responsum est. Quæres: An peccatum habeat eandem specie malitiam, siue circumstantia illa nocumenti, vel alia sit expressè volita; siue interpretatiuè tantùm. De quo latè Vasquez *disputatione* 101. Caietanus *quæstione* 76. *articulo* 4.

Aliqvi vniuersaliter affirmant, vt refert Caietanus *quæst*. 72. *articulo vltimo*.

Alii limitant, si quis dederit operam rei illicitæ, vt Castro *lib*. 2. *de lege pœnali*, *cap*. 14. Couar. *in cap. Alma Mater*, *prima parte*, §. 10. *numero* 16.

Alii vniuersim negant, nisi fiant ex ignorantia culpabili iuris naturalis; ità Caietanus *ll. cc.* & ex parte Corduba *lib*. 2. *quæst*. 24.

Tannervs *numero* 67. ait, diuersitatem voluntarij directi, vel indirecti non mutare speciem peccatorum; atque ità in peccatis saltem externis communiter eandem specie malitiam esse, siue quis illa velit directè, siue indirectè, iis exceptis, quæ ex sua specie postulant scienter fieri. Addit, aliam esse rationem peccatorum, quæ consummantur omninò actu interiori, qualia sunt odium Dei; inobedientia specialis. Ità etiam Vasquez *disp. citata*, *c*. 5. & 6. Itaque homicidium, fornicatio, & cætera huiusmodi peccata externa, ex ignorantia culpabili, sunt eiusdem speciei cum his, quæ scienter accidunt. Idem de percussione Clerici indirectè voluntaria, & vniuersim, quando peccatum aliquod indirectè voluntarium, secundum propriam ac specialem eius rationem, ac malitiam voluntarium est, ità vt potuerit, ac debuerit caueri ex præscripto eius virtutis, cui peccatum illud opponitur, voluntarium directè, & indirectè ad eandem speciem pertinet; secùs si ex præscripto tantùm alterius virtutis caueri debuerit. Qua ratione, cùm quisque teneatur vitare scandalum, ne proximus in diuersa alia peccata incidat, fit tamen, vt quamuis hæc indirectè per scandalum causentur, ipsum tamen scandali peccatum non habeat eius peccati malitiam, ad quod proximus indirectè inducitur, *verbi gratia*, furti, homicidij, adulterij. De hoc tamen *secunda secundæ*.

(Margin numbers 323 and 324 beside "Tannervs numero 67..." and "accidunt. Idem de percussione...")

DISPVTATIO II.

De Peccato Mortali & Veniali.

HÆRETICORVM phalanx eò præcipuè omnem vim, ac laborem conferunt, vt diuisionis huiusmodi veritatem, altè hominum mentibus repositam penitus auellant, quo sibi faciliùs viam struant, vt purgatorias pœnas, aliasque Orthodoxas veritates Succutiant: Et sanè si ità intendissent, vt nullâ veniâ sua sibi peccata condonanda, nullumque sibi purgatorium subeundum suaderent, dum extra Ecclesiam liberiùs diuagantur; tota lis suâ ipsorum confessione ocyùs decideretur; Verùm cùm suum errorem, talibus illitum fucis, præferant, vt veniale naturâ suâ nullum credunt peccatum, sed solâ Dei condonatione; Ideò de præcipua hac peccati diuisione in mortale, & veniale principalis disputatio instituenda est, etiam ante peccatum Originale, de quo posteà erit videndum; An mortale sit, an veniale.

QVÆSTIO I.

An detur Peccatum naturâ suâ veniale: An verò omnia peccata hominis sint mortalia.

D.Bonau. in 2. dist. 42. art. 2.
D.Th. prima secundæ, q. 88.

1 ADVERTVNT Bellarminus *Tom.4. Contr. prima, lib.1. c.3.* Vasquez *disp.142. c.1.* Tannerus *disp.4. quæst.5. dub.1.* Valentia *disp.6. quæst.18. p.1.* D.Bonau. *prima parte Centil. sect.6. & de tribus ternariis peccatorum, cap.4. & 5.* & *lib.3. Compendij Theologiæ, à cap.12.* Peccatum mortale dici, quod hominem exterminat, auferens gratiam sanctificantem, separans à Dei amicitia, ac damnans in æternum, occidens spiritualiter. De qua morte, Sapientiæ 16. *Homo enim per malitiã occidit animam suam*; vt notat D. Bonau. ad eum locum Sapientiæ. Veniale verò dicitur, quasi venia dignum. Hoc autem
2 tripliciter dicitur veniale. Primo ab euentu, quia veniam consequitur. Sic D. Ambrosius *lib. de Paradiso, cap.14.* dicit, *Omne peccatum per pœnitentiam fieri venia dignum.* Secundò dicitur veniale ex causa, quia spectando causam, dignum est misericordia, talia sunt peccata ex ignorantia: Ideò ait Apostolus, 1. Tim. 1. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.* Secùs est, quando peccatum accidit ex malitia. Tertiò dicitur peccatum veniale secundùm se, siue ex natura suâ; quia naturâ suâ leue est, adeò vt non tollat amicitiam Dei, neque ab eo auertat, aut mereatur æternam damnationem.

3 DE primo, & secundo genere venialium non est controuersia; sed de tertio: An detur aliquod veniale naturâ suâ leue, à mortali distinctum.

PERANTIQVVS error fuit Iouiniani, asserentis, omnia peccata esse paria, quem satis confutaui *quæstione tertia decima.* Successit Pelagius, qui dicebat, singulis peccatis Diuinam amitti gratiam. Ità refert Hieronymus *dialogo 1. & 2.* contra Pelagianos, & D. Aug. *lib. de hæresib. hæresi* 88. Idem docuit Vvicleffus, apud Vvaldensem *lib. de Sacramentis, cap.154.* qui sola peccata venialia ab euentu agnouit, nempè peccata prædestinatorum, quæ illis condonantur.

EOSDEM sectantur nostri temporis hæretici, vt videre est apud Lutherum, *assertione art.32.* & *lib. de captiuitate Babylonica, Titulo de Baptismo, Tom.1.* Vvitemb. *pagina* 78. Melancthonem *in locis communibus, tit. de peccato actuali.* Caluinum *lib.2. Instit. cap.8. §.58. & 59.* & *lib 3. c.4. §.28.* Kemnitium in examine Concilij Tridentini *sess.6. cap.33. quæst.3. de bonis operibus* & *sess.* 14. vbi de pœnitentia agitur. Hi omnes è medio tollunt venialia. 4

At quemadmodum ad excidium Catholicæ veritatis omnes vnanimes conspirant, ità inter se dissidentes altercantur, præcipuè Sectarij: Vvicleffus, dixit, omnia peccata esse mortalia, idest æternæ mortis inductiua: de facto verò sola reproborum peccata esse mortalia, quia sola æterno damnantur supplicio.

LVTHERVS dixit, omne opus iusti esse peccatum mortale; sed ex sola Dei misericordia veniale. 5 Ità *art.32.* post damnationem Leonis X. mox *de captiuitate Babylonia* dixit, solam incredulitatem esse peccatum mortale, reliqua verò per fidem remittis. Quem tamen errorem recantauit.

MELANCTHON primò dicit *loc. cit.* discrimen peccati mortalis, & venialis non habere locum in non renatis. Quanquam (ait) Nero, & Epicurus multò atrociùs peccarint, quàm Cato: tamen vtrique sunt oppressi peccatis mortalibus horrendis. Si ergo omnia, non renatorum peccata, sunt mortalia, sequitur, nullum dari naturâ suâ veniale.

Secundò vult, omnia, quæ apud nos sunt peccata, 6 quia voluntaria, esse mortalia.

Tertiò dicit, venialia esse contra Diuinam Legem; sed venialia dici, quia condonantur his, qui Deo grati sunt.

Quartò dicit, omnia illa esse mortalia, quæ simul cum fide stare non possunt; hæc autem esse omnia voluntaria. Huic arridet Tilmanus Heshusius *in lib. de erroribus Pontificiorum, tit. 4. num.24.* Magdeburgenses *Centur.1. lib.2. cap.4. col.* 171. Martinus Kemnitius *part. 1. examinis Concilij Tridentini, pagina* 926. & 927.

CALVINVS autem partim Luthero, partim 7 Iouiniano, partim Vuicleffo arridet, vt refert Bellarminus *lib.1. cap.2. de Peccato, cap.4.*

COMMVNIS è regione Catholicorum sensus detestatur hos errores, vt patet in Sententiariis *dist. 42. secundi sent.* cum Magistro, D.Thom. *loco cit.* & omnibus ferè scriptoribus, qui docent constanter, peccata aliqua esse naturâ suâ venialia; quædam autem mortalia, & his quidem hominem à Deo auerti, separari, ac in æternum proiici; illis verò nequaquam.

EXCIPE Gersonem *3. p. Theol. tract. de vita spirituali animæ lect.1.* Iacobum Almainum *tract.3. c.10.* Ioan. Episcopum Roffensem *in refutatione art. 32. Lutheri*, deflectentes non nihil a communi Theologorum sensu, sed absque peruicacia; neque ea ratione, qua fidei rebelles. Dicunt enim differentiam venialis, & mortalis oriri, non ex natura rei, sed è lege Dei, ità statuente, vt hæc sint mortalia: illa ve-

nialia. Igitur contra singulos hæreticos assertiones ponam.

8 Assero primò, aliqua esse peccata mortalia, idest, quæ iniustos homines constituant: quædam verò, quæ in iustis sunt, nec eos reddunt iniustos, contra Iouinianum, & Pelagium.

Prior pars probatur primò à D. Bonauent, *quæstione prima citata*, ex illo *Exodi* 20. Vbi dans Legem Moysi, ait: *Non concupisces, &c. Ego sum Dominus Deus tuus Fortis, & Zelotes, visitans peccata eorum, qui oderunt me: & faciens misericordiam in millibus his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea*; vbi transgressores præceptorum suorum inimicos odio habentes vocat; seruantes verò ea, appellat amicos.

9 Probatur secundò à D.Bonauent.*ibi*, ex 18. Ecclesiastici: *Ne vereris vsque ad mortem iustificari: quoniam merces Dei manet in æternum. Memento iræ in die consummationis, & tempus retributionis in conuersatione faciei. Post concupiscentias tuas non eas. Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in Gaudium inimicis tuis.*

Probatur tertiò à D. Bonauent. *in Speculo animæ, cap. primo*, ex *cap.*1. *ad Rom.* vbi multa criminea enarrat: *Susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos: quoniam, qui talia agunt, digni sunt morte.*

10 Probatur quartò à D. Bonauent. *loc. cit.* ad finem *ex cap.*5. *ad Galatas*, vbi ait: *Manifesta autem sunt opera carnis: quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c. quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Ex quo sequitur contra Lutherum, non infidelitatem solam esse mortalem.

Probatur quintò *ibi*, ex *prima Corinth.*6.vbi testatur: *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Neque fornicarij, neque Idolis seruientes, neque adulteri, &c. regnum Dei possidebunt. Et hæc quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine Domini.*

Probatur sextò, *de tribus ternariis peccatorum, cap.*1. ex illo Ezech.18. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.*

Posterior pars probatur primò à D.Bonau.*hic* ex illo Prouerb.24.*Septies enim cadit iustus, & resurget.*

11 Probatur secundò à D. Bonauent. *de tribus ternariis, cap.* 5. ex illa prima Ioan.1. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Probatur tertiò à D.Bonauent. *lib.* 3. *Compendij, cap.*13 ex illo Matth 5. *Non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.*

Probatur quartò à D. Bonauent. *in Stimulo Diuini amoris, p.*3.*cap.*16. ex illo Matth.6. *Dimitte nobis debita nostra*, quod sanctissimus Doctor de peccatis suis vtique venialibus explicat, quæ quotidie committebat. Hæc de venialibus exponunt Patres apud Fulienſ. *lib.*2. *cap.*3.

12 Probatur quintò à D.Bonauent.*in expositione Missæ*, ex illis verbis: *Nobis quoque peccatoribus*, vbi ait, omnes etiam sanctos Sacerdotes dicere illud prima Ioan.1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Hæc sanè desumpsit Concilium Tridentinum *sess.*6.*cap.*11. vbi ait: *Licet in hac mortali vita, quamuis Sancti, & iusti in leuia saltem, & quotidiana; quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti. Nam iustorum illa vox est humilis, & verax: Dimitte nobis debita nostra.*

13 Ibi S. Doct. affert illud etiam Iacobi tertio. *In multis offendimus omnes*; & illud Iob 14. *Quis enim mundus à sorde? at nemo, etsi vnus dies sit vita eius super terram.* Iuxta Septuaginta editionem. Idem habet *in meditationibus vitæ Christi, cap.*2. Hæc refricat etiam ad ea verba Ioan. *Manete in me*, vbi ostendit septies in die cadere iustum, nec desinere esse in radice iustum.

Idem probatur ex Concilio Mileuitano, can.7. 14
Item placuit, vt quicumque dixerit in oratione Dominica, ideò dicere Sanctos: Dimitte nobis debita nostra, et non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis iam necessaria ista petitio; sed pro aliis, qui sunt in suo populo peccatores, & ideò non dicere vnumquemque Sanctorum: Dimitte mihi debita mea; sed: Dimitte nobis debita nostra, vt hoc pro aliis potius, quàm pro se petere intelligatur; anathema sit.

Idem obseruat S.Bonauent. ad locum allegatum 15
Ioan. Probatur etiam à D.Bonauent. ad c.15.Ioan. *Si quis in me manserit, purgabit eum, vt fructum plus afferat*: Ergo iustus adhuc aliqua habet, à quibus purgetur. Ideò ad hoc affert S.Bonauent. illud: *In multis enim offendimus omnes*, Iacobi 3. Et: *Septies cadit iustus*, Prouerb. 24. & ideò clamat: *Dimitte nobis, &c.* & Eccles.7. *De negligentia purga te cum paucis.* Nam: *Qui modica spernit, paulatim decidet*, Eccl. 19.

Probatur sextò è D. Bonauent. *lib.* 3. *Compendij Theologiæ, cap.*12. ex D.Augustino *lib.de natura, & gratia contra Pelagianos, cap.*36. *Tom.*7. vbi 16
scribit, omnes omninò Sanctos, exceptâ Virgine Deiparâ, dicere potuisse illa verba Ioan. citata: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Idem fatetur de peccato veniali, contra duas epistolas Pelagianorum, *cap.*14. & *lib.*3. *cap.*3.

In *Pharetra lib.*2.*c.*2. refert D.Gregorium *lib.*2. *Moral. cap.* 26. vbi ait: *Sancti viri quantum agere possunt, ne exterius labantur in opere, tantùm interius nequaquam agere possunt, ne vnquam labantur in cogitatione.*

Capite verò 5. *eiusdem libri*, refert D. Augu- 17
stinum lib.de Spiritu, & litt. cap.28. tomo 3. *Sicut non impediunt à vita æterna iustum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur*, & de Virginitate sancta, c.50.Tom.6.ait, *Quia satagentibus, vigilantibusque, ne peccent, subrepunt quodammodo ex humana fragilitate peccata, quamuis parua, quamuis pauca, non tamen nulla: & eadem ipsa fiunt magis, & grauia, si eis superbia incrementum, & pondus adiecerit.* Et *de pœnitentia, c.*7. vbi mortalia astruit; & in epistolam Ioannis, Tract. primo, ante medium, *Tom.*9. ad ea verba suprà allata: *Si dixerimus. &c. Ista, quæ dicimus peccata leuia, noli contemnere.* Idem habet *de decem chordis*, & super Ioannem, Gregorius *in Pastorali.* Isidorus *de summo bono, lib.*2. *cap.*32. *sent.*5. & *cap.*19. *sent.*1.

Refert etiam D.Bernardum *sermone* 2. *in Conuersione S.Pauli*, post medium: *Cauete, ne quis parua reputet, quantumlibet parua scienter commissa; nemo dicat in corde suo leuia sunt ista, non curo corrigere; non est magnum, si in his maneam venialibus, minimisque peccatis.* 18

Libro 3. *Pharetræ, cap.*3. refert D. Gregorium, lib.3. Dialog. cap.15. *Loquendo cum sæcularibus fit, vt ab otiosis ad noxia, à leuibus ad grauiora veniamus.* Alia etiam infrà refert Sanctorum dicta. Similiter *cap.*7. & 8. alia dicta refert Sanctorum; sicut & in sequentibus capitibus.

Assero

19 ASSERO secundò contra Vvicleffum, & Caluinum, peccata non esse venialia, quia prædestinatorum; nec mortalia, quia reproborum.

PROBATVR à D. Bonauent. *lib. 3. Compendij, cap. 7.* Nam Adam mortaliter peccauit: Sic enim indixit Deus, Genes. 2. *In quacumque hora comederis, morte morieris*, quod de morte etiam animæ docent Sancti Patres, Ambrosius *lib. de Paradiso, c. 9.* Augustinus *lib. 13. de ciuit. c. 12.* Gregorius *lib. 5. epistola* 14. Hoc nemo vnquam negauit, cùm Apostolus dicat Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors*, vt sæpè aduertit S. Bonauent. *in 2. sent.* præcipuè *dist. 22. quæst. 1.* & tamen Adam erat prædestinatus, & nunc in cœlis regnat; Ideò enim hæreticum Tatianum conclamat Irenæus *lib. 1. cap. 31.* Tertull. *lib. de præscript. hæret.* Epiphanius, *hæresi 46.* Augustinus *lib. de hæresibus, cap. 25.* quia negabat Adam esse saluum.

20 HOC verò colligit S. Bonauent. cum aliis ad ea verba Sapientiæ, cap. 10. *Hæc primum hominem, qui formatus est, eduxit è delicto.*

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *loco citato*, exemplo Dauidis, qui fuit prædestinatus, vt habetur Lucæ 13. *Cùm videritis Abraham, Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei.* In his verò præcipuus est Dauid, ad quem facta est repromissio Christi, & à quo promulgatio. Et hi præcipuè intelliguntur, vt aduertit S. Doct. ad eum locum Lucæ. Idem testatur Apostolus *Actorum* 13. Et tamen Dauid mortaliter lapsus est, interficiens Vriam, & Bethsabeam violans, vt ipse fatetur *Psalm.* 50. Et exponunt Sancti Patris, Ambrosius *lib. de Apolog. Dauid, c. 16.* Augustinus *in Psal.* 50. Hieronymus *epist. ad Oceanum.* Gregorius 22. *Moral. cap.* 13.

21 PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *in cap. 22. Lucæ*, exemplo Petri, qui prædestinatus erat, & tamen grauiter deliquit, ter negans Saluatorem, vt testantur Sancti Patres, Hieronymus *lib. 4. in cap. 26. Matthæi, Tom. 6.* Augustinus *lib. 3. de consensu Euang. cap. 6. Tom. 4.* Chrysostomus *homil. 83. in Matthæum, Tom. 2.* Aduertit autem Seraphicus, hanc culpam per pœnitentiam cooperatam esse ad bonum pœnitentiæ, iuxta illud Rom. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui secundum propositum vocati sunt Sancti.* Eum verò resurrexisse ad veram pœnitentiam probat S. Bonauent. ex ea confessione, quam emulsit Christus ab eo: *Domine tu scis, quia amo te*, & ideò attestationem iuratam de eius felici morte per martyrium indixit.

22 IDEM ostendit S. Doctor *ad cap. 18. Matthæi* plurimos referens Patres. Idem probat *in 3. dist. 3. quæst. 1.* ex Matth. 28. *Multi discipuli dubitauerunt in fide.*

IN *cap.* verò 21. *Ioan.* ostendit è trina illa confessione exitum martyrij, quod probat ex D. Augustino *Tract. 123. in Ioan.* vbi ait: *Hunc inuenit exitum ille negator, & amator: præsumendo elatus, negando prostratus, flendo purgatus, confitendo probatus, patiendo coronatus.* Et D. Chrysostomus homil. 83. in Ioan. *Dedit ei Filius Dei, quod desiderabat, scilicet vt moreretur pro Christo.*

23 ASSERO tertiò, peccata venialia à Deo imputari, contra Lutheranos.

PROBATVR primò à Diuo Bonauentura suprà, ex illo Matth. 6. *Dimitte nobis debita nostra.* Hoc etiam Lutherani de venialibus intelligunt. Quis autem non videt de his postulari veniam?

Idem colligitur ex allegato cap. primo, primæ epist. Ioan. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus; ipsi nos seducimus. Si confiteamur peccata nostra; fidelis est, & iustus, vt remittat peccata nostra.* En fatetur, ea imputari; non enim anteà remissa erant.

PROBATVR secundò à Diuo Bonauentura ad 24
13. cap. Ioan. *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet.* Quod Sancti PP. ad peccata venialia referunt, vt qui à mortalibus sunt mundi, egeant etiam lotione, idest remissione venialium, quæ instar pulueris in via, pedibus hærent. Affert præcipuè Diuum Augustinum *Tractatu 56. in Ioan.* vbi ait: *Dominus dicit, Veritas loquitur, quòd opus habeat pedes lauare etiam ille, qui lotus est. Quid fratres mei, quid putatis, nisi quia homo in sancto quidem Baptismo totus abluitur, non præter pedes, sed totus omninò? Verumtamen, cùm in rebus humanis posteà viuitur, vtique terra calcatur. Ipsi igitur humani 25
affectus, sine quibus in hac mortalitate non viuitur, quasi pedes sunt, vbi ex humanis rebus afficimur: & sic afficimur, vt dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipiamus, & veritas in nobis non sit. Quotidie igitur pedes lauat nobis, qui interpellat pro nobis: & quotidie nos opus habemus, vt pedes lauemus, idest, vias spiritualium agressuum dirigamus, in ipsa oratione Dominica confitemur, cùm dicimus: Dimitte nobis debita nostra, &c. Si enim confiteamur peccata nostra, profectò ille, qui lauit pedes discipulorum suorum, fidelis est, & iustus, qui dimittat nobis peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate: idest vsque ad pedes, quibus conuersamur in terra.* Hæc S. Augustinus. Idem habet S. Bonauent. *Opusculo de modo confitendi, capite 9. Tom. 2. opusculorum.*

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *prima parte, Centil. sect. 6. & ad 18. Lucæ* ex nouem modis antiquissimis Ecclesiæ ad delenda venialia, vt sunt Aqua benedicta, Dominica oratio, Benedictio Episcopi, Eucharistia, Extrema-Vnctio, Leuis pœnitentia, Compassio fraterna, &c. 26

HINC patet, temerè Melancthon dixisse, venialia ea esse, quæ condonata sunt. Insanè etiam Illyricum dixisse, esse peccata, quæ propter fidem in Christum non imputantur: Stultè & Caluinum delirasse, esse peccata, quæ iis, qui sunt in Christo, non imputantur; insipide etiam Hessusaum, esse peccata tecta.

ASSERO quartò, peccatum veniale è naturâ suâ distingui à mortali. 27

PROBATVR primò à D. Bonauent *serm. 6. de decem præceptis, & in specu lo animæ, cap. 1.* ex illo Matth. 5. *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui dixerit, Raca: reus erit concilio. Qui dixerit, fatue: reus gehennæ ignis.* Hoc loco Dominus absque respectu ad prædestinatos, aut ad misericordiam, dat mensuram grauitatis peccatorum. Ponit autem tres gradus Iracundiæ: Vnum eius, quæ ità leuis est, vt in vocem ideò non erumpat. Secundum eius, quæ grauior est, nec tamen in apertum erumpit conuitium. Tertium eius, quæ in conuitium erumpit.

IN secundo gradu ponitur vox *Raca*, quæ est interiectio irascentis, nec determinatè aliquid significat, vt notat D. Augustinus *lib. 1. de sermone* 28

Domini in monte, *cap.* 9. & Gregorius 21. *Moral. cap.*5. hoc verò se accepisse ab Hebræis testatur S. Augustinus; Cuius est argumentum, non esse translatum verbum illud in Græcum, vel Latinum. S. Hieronymus ad hunc locum vult, vocem *Raca* significare hominem vacuum: Nam à verbo ריק quod est euacuare, fit nomen רק vacuus, & addit א more Syrorum fit רקא.

29 His tribus gradibus peccatorum respondent tres reatus, Iudicij, Concilij, & Gehennæ. Et quidem reus Iudicij est, qui aliquid fecit dignum, vt in iudicium vocetur ad discutiendam causam. Reus Concilij dicitur, qui aliquid fecit malum, sed incertum est, quâ pœnâ dignus sit, & ideò iudices conueniunt, vt de ea consultent. Dignus Gehenna est, qui grauiter contra Legem deliquit, & pœnâ æternâ est taxatus, vt exponit D. Augustinus *loco citato*. Vnde colligitur, dari aliquas culpas, minori pœnâ dignas, quàm gehennâ æternâ; alioqui, si omnes essent æquales, cur ad iudicium citatur? cur in Concilium rapitur? Ex quo fuit Bezæ responsio, omnes istos esse reos mortis æternæ.

30 Probatvr secundò à D. Bonauent. *ad Lucæ sextum*, ad ea verba: *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui; trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* vbi, per festucam venialia; per trabem verò, mortalia signant expositores.

Probatvr tertiò à D. Bonauent. *in Lucam*, ad ea verba, cap. 11. *Væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentam, & rutam, & omne olus, & præteritis iudicium.* Vbi leuia quædam vitabant, quæ sanè oportet non committere, quia: *Qui modica spernit, paulatim decidet*, vt habetur *Ecclesiastici* 19. & Ecclesi.70. *Qui timet Deum, nihil negligit*, vt notat D. Bonauent. *hic*, & ad eum locum Ecclesiastæ.

31 Probatvr quartò à D. Bonauent. *ad Lucam*, ad ea verba, cap. 12. *Dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem*, vbi per nouissimum minutum intelligunt PP. debitum pro venialibus. Tertullianus *lib. de anima*, *cap.* 7. Hieronymus *ad cap.* 5. *Matth.* Cyprianus *lib.*4. *epistola* 2. Ambrosius *ad cap.* 12. *Lucæ*. Eusebius Emissenus, seu potiùs Cæsarius Arelat. *homilia* 3. *de Epiphania*.

32 Probatvr quintò à D. Bonauent. *de tribus ternariis peccatum*, *cap.*5. ex *prima Corinth.* 3. vbi peccata venialia comparat ligno, fœno, stipulis, vbi obseruat ex Glossa D. Gregorij *lib* 4. *Dialogorum*, *cap.* 39. numquam Apostolum comparaturum peccata fœno, stipulæque, nisi essent venialia: nam potiùs ea ferro, æri, & plumbo, comparasset. In hoc igitur loco comparat opera perfecta, auro, argento, & lapidibus pretiosis; opera verò, reprehensione digna, sed venialia, ligno, fœno, stipulæ. Ita exponunt SS. PP. Hieronymus, *lib.*1 *aduersus Iouin.* Ambrosius *sermone* 20. *in Psal.*118. Gregorius *lib.*4. *Dialog. cap.*39. & alij.

33 Probatvr sextò à D. Bonauent. *in Diæta salutis*, *titulo* 9. *cap unico*, ex illo Matth. 12. *De omni verbo otioso reddent rationem in die iudicij.*

Probatvr septimò ex Concilio Mileuitano, *cap.* 6. 7. & 8. vbi astruit peccata venialia esse, non ex misericordia Dei, sed ex natura sua, vt declarat Diuus Augustinus, author illorum Canonum, *lib. de natura*, & *gratia*, *cap.*38. Idem habet Concilium Tridentinum, *sess.*14. *cap.*5.

Probatvr octauò à D. Bonauent. ex PP. D. Chrysostomus *homil.* 14. *in Matth.* adductus à S. Bonauent. *ad cap.* 6. *Lucæ*, & ad ea verba: *Quid vides festucam in oculo fratris tui?* Peccata venialia, quæ flagitiis opponuntur, delicta leuissima, & culpas paruulas appellauit. 34

Diuus Augustinus *de verbis Domini*, *sermone* 8. *Tomo* 10. adductus à D. Bonauent. *ad* 18. *Lucæ*, ait: *Tunsionem pectoris valere ad remissionem venialium*, quæ, *lib. de natura*, & *gratia*, *cap.*38. & aliis locis suprà adductis, leuissima voeat.

Probatvr deinde rationibus D. Bonauenturæ. Prima sumitur *in* 2. *dist.* 21. *art.*3. *quæst.*1. *ad tertium.* Si peccata venialia naturâ suâ essent mortalia, & solùm fidelibus ob fidem non imputarentur, certè infidelibus, carentibus fide, imputarentur, & essent mortalia. Sed hoc est absonum: Ergo. Maior conceditur. Minor probatur, nam in eodem genere peccati, grauius peccat, cæteris paribus, qui maiori ingratitudine peccat, sed fidelis est ingratior: Ergo. Maior probatur à D. Bonauent. Lucæ 12. *Qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit, vapulabit multis*, & *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.* 35

Deinde ex illo 2. Petri 2. *Melius erat illi non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti.* Et Rom. 1. *Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* 36

Tertiò ex Diuo Gregorio, *homil.* 9. *in Euang.* Tom. 2. *Cùm augentur dona, rationes etiam crescunt donorum.* Deinde probatur *quæstione præsenti, fundamento primo*, quod etiam est D. Thom. *prima secundæ*, *quæstione* 87. *articulo* 5. & 3. *p. quæstione* 86. *articulo* 4. Peccatum, quod non auertit à Deo, nec separat à Dei amicitia, differt ab eo, quod auertit, & separat. Sed peccatum veniale non auertit à Deo, nec separat à Diuina amicitia: Ergo differt à mortali, quod auertit, & separat. Minor probatur à D.Bonauent. ex illo *Prouerb.* 24. suprà adducto.

Secvnda ratio hic. Id, quod habet perfectam rationem essentiæ peccati, differt ab eo, quod non habet; sed veniale non habet perfectam essentiam peccati, sicut mortale: Ergo. Minor probatur; nam ad peccatum duo requiruntur; alterum, vt sit perfectè voluntarium: alterum, vt sit contra Legem: sed Veniale non est contra Legem, & plurima venialia sunt imperfectè voluntaria: Ergo. Minor probatur; nam, vt ait D. Bonauent. *locis initio quæstionis adductis*, peccatum veniale est triplex; aut enim est veniale ex genere suo, vt verbum otiosum; aut ex imperfectione operis; & hoc vel ex subreptione, vt desiderium illicitæ rei, non plenè deliberatum. De quo Apostolus Rom. 7. *Quod nolo malum, hoc facio*: vel ex paruitate 37

materiæ, vt furtum vnius oboli. Peccatum Veniale ex subreptione, non est perfectè voluntarium: Veniale ex paruitate materiæ, non est perfectè contra legem. Lex enim non prohibet furtum, nisi vt violat charitatem; quæ est finis legis: Charitas autem obolo non frangitur. Similiter peccatum, ex genere suo, non est naturâ suâ contra charitatem, quæ est finis legis. Quod si de eo fieret speciale decretum, illud, vt sit lex, deberet fieri ob aliud malum consequens graue, & ideò non ob verbum otiosum; alioqui, si parum 38

ad

ad charitatem conducat, quæ est finis legis, vt ait Apostolus, non erit perfectè Lex. Quod verò veniale tantùm analogicè sit peccatum, vt ait D. Bonauent. *hic*, & D. Thom. *quæst.* 88. *art.* 1. *ad primum*; patet, nam alioqui primò peccato veniali reus esset homo damnationis, & iniquus, quod tamen est falsissimum.

39 Sic enim Elisabeth, & Zacharias erant iusti, vt dicitur *Lucæ* 1. & tamen aliqua habebant venialia. Ideò Zacharias punitus est. Sic Noë vir iustus erat. *Genes.* 6. & tamen venialia commisit. Sic Ezechias 4. *Reg.* 20. & tamen errauit venialiter, non mortaliter: *Nam, qui peccat in vno, factus est omnium reus*, ait D. Iacobus, *cap.* 2. & notat D. Bonauent. ad eum locum Lucæ.

Tertia ratio est. Nullus mortaliter peccat absque Dei offensa; hæc autem requirit contemptum Dei, & maior est æstimatio boni mutabilis.

Qvarta. Id, quod est mortale, separat ab amicitia Dei, & morte spirituali necat: hoc autem non facit veniale. Sicuti enim indecens esset, amicum ex leui verbusculo occidere amicum; ita non est æquum, puniri morte æterna iustum.

40 Qvinta ratio habetur *quæst.* 2. Pœna consequitur proportionaliter culpam, ex natura ipsius culpæ: non enim ideò aliquid est dignum venia, quia punitur leuiter; sed è contra, quia est leue, dignum est leui pœna; sed peccatum veniale est, eò quòd minùs est voluntarium, vt etiam Melanchthon concedit; Voluntarium autem ad naturam peccati pertinet: Ergo ex natura peccati est, vt sit leue. Hæc argumenta S. Bonauent. adhibent Controuersistæ, præcipuè Bellarminus, Vasquez, Tannerus *loco citato*.

41 Ex his habes, quædam peccata dari, quæ absolutè in se, absque respectu ad Diuinam prædestinationem, aut misericordiam sunt venialia. Ità definitum est à Pio V. & deinde Gregorio XIII. anno 1579. contra Michaëlem Baium. Hinc sententia Gersonis improbabilis dicitur à Vasquez *disp.* 142. *cap.* 2. *num.* 5. vbi notat, eam temeritatis accusari à quibusdam Theologis. Petrus Soto *lect.* 6. *de discrimine peccatorum*, eam vocat erroneam. Salas *tract.* 13. *disp.* 16. *num.* 14. addit à multis damnari, vt hæreticam. Attamen non audeo vituperare pios istos Doctores, qui longè profectò à sectariis recedunt, vt notat Tannerus *num* 24.

Obiiciunt Pelagiani, ad probandum, debere hominem peccato penitus carere, ac per hoc nullum esse peccatum, quod iustitiæ non repugnet. Primò illa loca, quibus indicitur hominibus summa perfectio. Deuter. 18. *Tu autem perfectus eris coram Domino Deo tuo.* Matth. 5. *Estote perfecti, sicut Pater vester perfectus est.* Certò perfectus non est, qui aliqua perfectione caret.

42 Respondet D. Bonauent. *de septem donis Spiritus sancti.* De *dono Timoris*, *cap.* 2. & post eum Bellarminus *cap.* 6. *loco cit.* duplicem esse perfectionem: alia est enim necessitatis, & sufficientiæ: hac potiuntur hi, qui volunt Diuinæ legis obseruantiam, nec peccatis mortalibus acquiescunt, vt ait D. Prosper *lib.* 3. *de vita contemplatiua*, *c.* 15. & Glossa ad eum locum Deuteronom. hæc perfectio aliquas compatitur imperfectiones. Alia est perfectio excellens, quæ est eorum, qui ad virtutes semper diligendas extenduntur, vt ait D. Prosper ibi.

43 Prior à Deo præcipitur, & iudicatur sufficiens. Ideò etiam Ioan. 14. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me, & diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*, vt notat D. Bonauent. ad eum locum Ioannis. Id magis explicat S. Bonauent. *ad cap.* 17. *Ioan.* vbi Christus petit à Patre, vt discipuli vnum sint, sicut ipse cum Patre vnus est.

Est etiam perfectio Euangelica, quæ consiliis suadetur; non præceptis, nempè Paupertatis. Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende, &c.* Castitatis, de qua *ibidem*, dicitur: *Non omnes capiunt verbum istud.* Obedientiæ, de quo ibi: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Hæc igitur est consilij solùm; vt notat D. Bonauent. *in Diata salutis*, *tit.* 6. *cap.* 2. post D. Augustinum *epistola* 89. *quæst.* 4. Ambrosium *lib. de viduis*; Hieronymum *lib. contra Vigilantium*. Similiter dicitur magna perfectio legis nouæ, respectu antiquæ, de qua dicitur: *Estote perfecti, sicut Pater vester*, vt habet S. Bonau. *in* 3. *dist.* 40. *quæst.* 1. 44

Huc spectant etiam ea loca, quæ nos immaculatos esse præcipiunt *Psal.* 14. 17. & 118. nempè peccatis mortalibus non denigratos, licèt aliquam maculam venialem contrahamus; vt ait D. Bonau. *lib.* 3. *Compendij*, *cap.* 13. 45

Et exponens locum illum *Psalmi* 14. idem docet S. Bonauent. *in Diata salutis*, *tit.* 10. *de Paradisi gloria*, *cap.* 5. *ad finem*, & ad locum *Psal.* 118. *tomo* 1. *in Testamentum vetus.*

Obiiciunt secundò ex prima Ioan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen Dei in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.*

Respondet D. Bonauent. *in Opusc. de Tribus Ternariis*, *cap.* 7. hominem, quia extra locum suum est, non posse non labi leuiter, vt ipse Ioan. *eadem epistola*, *cap.* 9. fatetur: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Sequitur igitur, non posse peccare in sensu composito, eo genere peccati, quod destruit charitatem, vt exponit D. Augustinus *tract.* 5. *in epistolam Ioan.* & D. Hieronymus *lib.* 1. *contra Pelagianos.* Sequitur Valentia, mox adducto loco. 46

Respondet secundò D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 27. *quæst. vltima*, *in corpore*, & *ad argumenta*, duplicem esse perfectionem: alteram viæ; alteram patriæ. Prima requirit, vt intra limites viæ ad gloriam contineatur, seruando præcepta: *Si vis ad vitam, &c.* Matth. 19. at perfectio patriæ exigit, vt summo conatu immobiliter hæreatur Deo. De hac loquitur Apostolus, Philip. 3. *Non quod iam acceperim, vel perfectus sim*, de altera verò subdit: *Sequor autem, &c.* Et sanè illa est perfectio, quam nobis Deus iniungit. Eodem modo respondet Valentia *Tomo* 2. *disp.* 8. *quæst.* 1. *p.* 5. 47

Obiiciunt tertiò *Lucæ* 1. dicitur: *Erant autem iusti ambo, incedentes in omnibus iustificationibus Domini sine querela*, idest, sine næuo.

Respondet D. Bonauent. in cap. 1. Lucæ, *Sine querela*, significari, sine occasione datâ alicui conquerendi de ipsis, vt habetur Philip. 2. *Omnia facite sine murmurationibus: vt sitis sine querela, sine reprehensione, in medio nationis prauæ.* Igitur vult, eos fuisse à peccatis illis immunes, quæ occasionem querelæ dant proximo, & obseruatores quoad essentialia legis Domini; nam: *Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Iacobi 2. De hoc Propheta dicebat Psal. 118. *Ad omnia mandata tua dirigebar.* Hæc responsio est D. Augustini *lib. de perfectione Iustitiæ*, & *lib. de gratia Christi*, *cap.* 48. & 49. quam sequitur Bellarminus *loco cit.* Valentia *loco cit.* & D. Augustinus 48

gustinus *lib. de gratia Christi*, *cap.* 49. ait, sic voluisse explicare etiam D. Ambrosium.

49 Quamvis autem absque leui peccato dicam nullum viuere; longè tamen excipio, non modo Iesum Christum, qui peccatum non fecit, vt habetur *prima Petri* 1. & fuit segregatus à peccatoribus, vt habetur. *Hebr.*7. Sed etiam Beatissimam semper Virginem; de qua dicitur in Cant. *Tota pulchra es, & macula non est in te.* De ea magnificè loquuntur SS. D. Augustinus lib. de natura & gratia, contra Pelagianos, cap.36. *Excepta*, inquit, *Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse*
50 *peccatum?* D. Anselmus lib. de conceptu Virginali, cap.17. *Decuit, vt ea puritate Virgo niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi*, vt latè prosequitur Bellarminus *cap.*6. post D. Bonauent. *in* 3. *dist.*3. *art.*2.*quæst.*1. & *in Breuil.*3.*part.cap.*7. & *lib.*3.*Compendij Theolog. cap.*12. D. Thom. 3. *part. quæst.*27. *artic.* 4. cum Concilio Tridentino *sessione sixta, can.*23.

Obiiciunt deinde Sectarij primò loca Scripturæ, quibus asseritur vniuersaliter, omne peccatum facere reum maledictionis, ac mortis æternæ, atque perpetui à regno cœlorum exilij. Hæc sunt: *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.* Deuteron 27. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* Ezech. 18. *Stipendium peccati mors.* Rom.6. *Qui offenderit in vno, factus est omnium reus.* Iacobi 2. *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum.* Matth.5. quem locum inter cætera vrget Caluinus, quippè asserat de omni peccato minimo. Ità *in Antidoto Concilij Tridentini, sess.*6.*cap.*12.

51 Respondetur ex D. Bonauent. *quæst.*1. *&* 2. cùm peccatum dicatur analogicè de mortali, & veniali, sicut ens de ente creato, & increato; ac de substantia, & accidente, conuenire veniali rationem peccati, licèt imperfectè; sicuti ens dicitur de accidente, quod propterea dicitur *entis ens*; attamen maledictiones illas mortis indici ob principale analogatum, quod est mortale. Ibi enim Moyses peccata mortalia exprobrabat, vt colligitur ex D. Bonauent. *in speculo B. Virginis*, *cap.*15. & sic B. Iacobus loquitur, vt habet S. Bonauent. *in confessionali*, *cap.*4. *de vsu clauium*, *particula* 1. & vni-
52 uersaliter *lib.*3. *Compendij Theolog. cap.*7. Mortale enim separat animam à Deo, qui est eius vita; sicut anima est vita corporis; & ideò dicitur Ezech.18. *Anima, quæ peccauerit, morietur*, vt discurrit D. Bonauent. *de tribus Ternariis peccatorum*, *cap.*4.

Ad locum *Matth.*5. respondetur, ibi reprehendi malos prædicatores, qui, licèt perfectionem aliis prædicent, tamen ipsi non sunt adeò subtiles obseruatores minimorum præceptorum; hos autem non à regno excludit, sed minimos futuros in regno asserit, vt colligitur ex multis PP. quos refert S. Bonauent. *lib.*1.*Pharetra*, *cap.*15. seu quia vocat illa mandata minima, solùm comparata ad alia, licèt in se grauia, & horum transgressores è regno exulaturos.

53 Obiiciunt secundò. *Matth.*22. dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: ergo absque imperfectione aliqua; atque adeò omnis culpa in hoc erit mortalis, contra præceptum.

Respondet D. Bonauent. *in* 3. *dist.*27. *quæst. vltima*, dilectio Dei in toto corde est duplex; altera, quæ ita fertur in Deum toto corde, vt ab eo non auertatur, nec aliquid ei præponat, sed diligat eum per se, & super omnia; & hoc modo præcipitur: Sed huic non repugnant culpæ veniales. Et hoc modo dilexerunt Sancti, secuti Deum toto corde, vt Dauid 3. *Reg.*14. Iosias 4. *Reg.* 23. Zacharias, & Elisabeth, *Luc.* 1. Idem de Apostolis 54
dicendum, qui tamen dicebant, se habere aliqua peccata, in multis offendere, &c. Alter modus est, ita in Deum ferri, vt nunquam distrahamur, vel aliud amemus; & hic amor est patriæ.

Obiiciunt tertiò illud Ioan.13. *Si non lauero te, non habebis partem mecum*, quem locum D. Augustinus *hic*, & S. Bernardus *sermone de Cœna Domini*, explicant de purgatione venialium. Et D. Basilius *lib.*1. *de Baptismo*, *cap.*2. dicit: *Ideò S. Iacobum dixisse: Qui offendit in vno, factus est omnium reus, quia audierat à Domino. Si non lauero te, &c.* Ergo per venialia meremur reiici à regno Dei.

Respondet. D. Bonauent. ad eum locum, ideò 55
non intraturum cum venialibus in regnum Dei, quia, vt dicitur Apoc.21. *Nihil inquinatum introibit in regnum cælorum.* Itaque etiam venialia ad tempus prohibent ingressum regni. Hoc responso vtitur Bellarminus, qui etiam respondet, duos esse sensus in hoc textu: alterum litteralem, idest præceptum Domini, & inobedientiam Petri; & hoc esset mortale, & sic intelligitur à D. Basilio: Alterum Mysticum de venialibus. Christus igitur minatur ob primum.

Obiiciunt quartò multos PP. primò Basilium, qui *in qq.* compendio explicatis, *quæst.*4. docet, nullum peccatum contemnendum, vt paruum; nam de omni peccato ait Apostolus, stimulum mortis peccatum esse; & rursus *quæst.* 293. ait, in nouo Testamento non inueniri differentiam grauium peccatorum, & leuium.

Respondetur primò, incertum esse, an eæ 56
quæstiones sint Basilij; an potius Eustatij Sebasteni. Deinde respondetur cum D. Bonauent. *lib.*3. *Compendij*, *cap.*7. & *lib.*2. *Pharetra*, *cap.*5. nullum peccatum contemnendum, vt leue, quia, licèt sint inæqualia, vt docet *quæst.*106. tamen omnia cauenda, maximè Monachis; Quia *stimulus peccati mors*, quia scilicet omne peccatum, vel mortem causat, vt mortale; vel ad eam disponit, vt veniale. Vnde ait D. Gregorius in registro, lib.8. Ind.3. cap.5. *Plerumque, quod in laicis culpa est, hoc crimen est in sacro ordine constitutis.*

Obiiciunt quintò Hieronymum *Dialogo* 2. 57
aduersus Pelagianos, ante medium, vbi videtur, omnia peccata habere pro mortalibus, dicens: *Si ira, & sermonis iniuria, atque interdum iocus, iudicio, conciliоque, & gehenna ignibus delegatur; quid merebitur turpium rerum appetitio, & auaritia, quæ radix est omnium malorum?*

Respondetur, non assignari à D. Hieronymo peccatis singulis infernum, sed solùm conuitio; nec ea ordine numerari, vt dixi *asserto quarto*.

Obiiciunt sextò multa loca D. Augustini 58
*lib.*2. *de peccatorum meritis*, & *epist.* 29. vbi dicit: *Non fore spem excundo è vita scandendi cælum, nisi misericordia Dei vinceret debita.* Et *epistola* 29. ad Hieronymum, & *epist.* 108. ad Seleucianum, & *Concion.* 3. *in Psal.* 118. & *tract.*12. *in Ioan.* & *tract.*1. *in primam Ioan.* vbi ait: *Multa leuia peccata facere vnum grande, ac damnare.*

Respon

59 Respondetur ex D. Bonauent. *loc. cit. Pharetra*, & D.Thom. *quæst.*88. *art.* 3. eo sensu multa venialia facere hominem damnatum; quia disponunt ad læthalia, sicut vulnus curabile, si negligatur, gignit apostema læthiferum, & eo modo dicitur incurabile: id quod confirmat S. Doctor, ex D. Gregorio *in Pastoral. admon.* 34. vbi patet: *Nonnumquam in parua deterius, quam in maiore culpa peccatur. Minor enim, dum nulla creditur, eò prius retinetur.* Lib.10. Moral. cap.14. *Si curare parua negligimus, insensibiliter seducti, maiora etiam audenter perpetramus.* Imò affert D. Augustinum *de Pœnitentia*, *cap.*7. ità se intelligentem, dum ait: *Nullum peccatum, adeò paruum, quod non crescat neglectum.* Et D. Bernardum *serm.*2. *de Conuersione*
60 *S. Pauli.* Et rursum affert D. Augustinum *de Virginitate*, *cap.*50. *tom.*6. vbi ait: *Quia satagentibus, vigilantibusque, ne peccent, subrepunt quodammodo ex humana fragilitate peccata, quamvis parua, quamvis pauca, non tamen nulla, eadem magna fiunt, & grauia, si eis superbia incrementum, & pondus adiecerit.* Quoad id verò de damnatione, &c. Respondetur, loqui de peccatis mortalibus, vt colligitur *ex epistola* 29.

Obiiciunt septimò. Quodlibet peccatum veniale est magis vitandum, quàm quælibet grauissima pœna. Ergo meretur à Deo pœnam æternam.

61 Respondet Bellarminus *cap. vltimo*, cum Diuo Bonauent. *quæst.*2. non posse Deum iustè punire in æternum pro veniali, quamvis autem quælibet culpa sit maius malum, quàm pœna, quia est malum simpliciter; tamen non ideò ex iustitia cuique culpæ leui debetur grauissima pœna, sed maior maiori; alioqui non punirentur iustè grauiora peccata.

Obiiciunt octauò. Peccatum veniale infinitam habet malitiam: ergo infinitam pœnam meretur. Probatur antecedens, quia non debet committi veniale ad quodvis bonum, etiam infinitum, adipiscendum.

62 Respondet Bellarminus cum D. Bonauent. *quæst.*1. negando Anteced. non enim auertit à Deo infinito bono, sicuti mortale, quod ideò infinito odio est dignum, quia auertit à Deo infinito bono, ac fine, ad creaturam, vt in finem vltimum. Non est autem eligibile ob quodvis bonum, quia est malum simpliciter, quod non potest fieri bonum; & per hoc non est eligibile.

Obiiciunt nonò. Potest peccatum veniale nullo vnquam tempore dimitti: Ergo semper potest puniri: Ergo, si punitur temporaliter, est ex misericordia Dei. Antecedens probatur, nam peccatum veniale non potest remitti sine gratia Dei, quod autem Deus ex Gratia facit, potest non facere. Igitur potest veniale peccatum nunquam remittere. Confirmatur ex D. Bonauent. *quæst.*2. *in corpore*, & D.Thom. *prima secundæ*, *quæst.*87. *art.*5. vbi aiunt, peccata venialia in damnatis ad inferos in æternum puniri.

63 Respondet Bellarminus ex D. Bonauent. *quæst.*1. & 2. *in corpore*, posse fieri, vt peccatum veniale nunquam remittatur, sed per accidens id continget.

Possunt enim duo in peccato considerari. Primum est deformitas, quam parit peccatum mortale. Secundum est reatus pœnæ: Et quidem deformitas, quam parit peccatum mortale, oritur ex amissione gratiæ Dei, quæ est quasi lux quædam, & vita animæ, vt discurrit etiam D. Bonau. *lib.*3. *Compendij Theolog. cap.*7. & quia nemo potest seipsum à morte reuocare, ideò peccatum mortale, quod tollit principium vitæ, idest gratiam, ex natura sua est quodammodo irremissibile. Nihil enim relinquit in homine, per quod resur- 64
gere valeat, sed si resurgit, est ex peculiari misericordia Dei: at peccatum veniale non excludit gratiam Dei, non tollit principium vitæ; sed tantùm impedit aliquo modo feruorem charitatis, vt docet S. Bonauent. etiam *Opusculo de Tribus Ternariis*, *cap.*1. & ideò propriè non efficit maculam in anima propriam, licèt aliquam faciat, vt concedit S. Doctor, suprà adductus, quæ potest aliquo actu bono hominis iusti amoueri. Quare non est naturâ suâ irremissibile; sed remissibile, cùm relinquat in homine charitatem, ex cuius actu potest facilè ablui. Si verò in homine peccatore 65
est irremissibile, hoc est per accidens, ratione subiecti. Et ità fatemur, in inferno veniale cum mortalibus; semper manere indelebile; sed per accidens.

Qvoad reatum verò, peccatum mortale per se inducit reatum pœnæ æternæ, sicut per se est irremissibile: E contrà, veniale, sicut non est ex se irremissibile, ita non inducit reatum æternæ pœnæ.

Quod verò dicitur, peccatum veniale non posse remitti absque gratia Dei, respondet Bellarminus, remitti ex gratia habituali, non nouâ, sed quæ iam est, eliciendo aliquem actum dilectionis, vt habet S. Bonauent. *quæst.*2. *ad tertium*; esse tamen beneficium gratiæ Dei, sed ex promissione infallibile, vt habetur Matth.6. *Si remiseritis hominibus* 66
peccata eorum: & Pater vester remittet vobis peccata vestra. Sic docuit nos orare: *Dimitte nobis debita nostra*, *&c.* Et Christus promittit, tales exaudiendos.

Dices, vel punitur veniale in æternum per se, vel ratione mortalis; si ratione sui: Ergo meretur pœnam æternam. Si ratione mortalis coniuncti in eodem subiecto: Contrà; nam satis iam mortali taxata est pœna.

Respondet D. Bonauent. *ad secundum*, ma- 67
lum vigorari, addito malo, ideò peccato veniali, vt est coniunctum mortali, dari pœnam æternam, cùm reddatur irremissibile, & maneat semper culpa, atque adeò manère debeat pœna.

Obiicies vltimò. Sequeretur, furtum veniale transire ad mortale vno obolo; vt si ab vno obolo consequatur furtum aliorum vsque ad illud, quod est materia grauis: Ergo mortale, & veniale vno obolo distant inter se; atque adeò leuiter.

Respondet Tannerus *num.* 38. additionem illius oboli, quo fit materia grauis furti, non esse computandum cum aliis præcedentibus, quibus augebatur veniale, puta cum secundo, tertio, & quarto; sed vltimum obolum augere materiam furti, quasi infinitè, quia ad mortale trahit, sicuti etiam calor, v. g. augetur in ligno vsque ad vltimum gradum; & vltimus gradus induit mutationem substantialem ligni in ignem.

Ego quidem ex hac similitudine deduco, vlti- 68
mum obolum non augere se solo, veluti in infinitum, peccatum nempè veniale in mortale mutando, sed totam illam materiam, quæ lædit grauiter charitatem, ac iustitiam, simul vnitam, eleuare peccatum è veniali ad mortale; sicuti, proportione quadam, vltimus gradus caloris non eleuat se solo ligni materiam ad materiam ignis, sed simul cum gradibus

gradibus præcedentibus. Itaque, licèt vno obolo fiat vltima dispositio ad mortale; tamen absorbetur etiam materia iam venialis ad hoc faciendum. Deinde respondetur, ad hanc mortalem constitutionem, atque differentiam à veniali faciendam, non esse vnius oboli differentiam, sed tantam, quanta necessaria est, vt ab iniuria leui iustitiæ factâ ad grauem, propter damnum, necessaria est, quæ non est vnius oboli solius.

QVÆSTIO II.

In quo præcisè distinguantur Peccatum Mortale, & Veniale.

D.Bonau. dist.42. art.2. quæst.1.& 2.
D.Thom. q.88.art.1.

CVM suprà differentiam inter mortale, & veniale, ex natura ipsa peccatorum fuerimus assecuti; videndum hic, quænam illa sit.

69 PRIMA opinio est Scoti *in 2. dist.21. quæst.1. §. Dico ergo*, mortale esse deordinationem, oppositam ordinationi, sine qua finis non potest sequi aliquo modo, quæ quidem ordinatio habet præceptum, contra quod deordinatio fit. Peccatum veniale verò est deordinatio, opposita ordinationi, quæ non est necessaria ad finem consequendum, sed est vtilis; & quæ non est de præcepto, sed potiùs de consilio. Hæc fuit verba Scoti relata à Fabro *in 4.dist.14. disput.5. num.68.* Hinc deducit, malè à Caietano, & aliis recentioribus, adduci eius sententiam, vt mortale peccatum sit contra præceptum; veniale verò contra consilium. Vult igitur dicere, veniale esse contra ordinationem, non præceptam grauiter, sed traditam, vt vtilem ad modum consilij, vt exponit Mastrius *à num.161.* Hanc opinionem legitimam Scoti tenent, etiam Richardus *in 4.dist.16.quæst.2.art.2.* Durandus *in 2. dist.43. quæst.6.* Maior *dist. 41. quæst.6.* Gabr. *in 4. dist.16. quæst.1.art.1.* Hunc sensum arbitror esse eorum, qui dicunt, mortale esse contra legem; veniale præter legem. Ità Alensis *2. p. quæst.106. memb.1.* S. Thomas *prima secunda, quæst.88. art.1. ad 1.* quem sequuntur Caietanus, & Conradus, D.etiam Bonauent.*in 2.dist.42.art.2.quæst.1.* nolunt

70 enim complecti totam latitudinem eius, quod est extra legem, seu præter eam, vt Seraphico apponit Mastrius *num.160.* sed solùm id, quod egreditur modum præfixum à lege absque violatione ipsius præcepti; vnde non sequitur, esse actum indifferentem, aut non esse contra dictamen rationis, quatenus præscribit perfectum modum, vt quidam inferunt. V.g. iurare verum absque perfecta necessitate, vel reuerentia, non est contra legem iuramenti, quæ stat in hoc, vt Deus adducatur in testem veri, sed contra modum quendam accidentalem. Ex quo ruit argumentum Fabri *num. 66.* & aliorum. Quod verò hic sensus sit D. Thom. patet ex verbis eius, expressis *ad 1.* clariùs D.Bonauent. in corpore: *In hoc, quod homo fa it contra Diuinum mandatum, auertitur à Deo;*

71 *quia mandatum est via perueniendi ad Deum: Qui ergo facit contra mandatum, incedit directè viâ contrariâ, ideò quasi faciem suam retrorsum conuertens, tergum vertit ad illum, in quem debebat per mandatum tendere. Similiter cùm statuit sibi creaturam tanquam finem vltimum, rectè dicitur à Deo auerti, & vtroque dictorum modorum non est auersio sine contemptu: Veniale autem peccatum nec est directè contra Dei mandatum, nec statuit creaturam tanquam finem vltimum; & ideò non est in eo, nec auersio, nec contemptus; sed quia veniale fit præter Dei mandatum, in veniali etiam peccato creatura non refertur in Deum: hinc est, quod per veniale quodammodo creatura recedit à via mandati; quodammodo etiam morosè adhæret ei, per quod deberet transire. Vnde in veniali est quedam elongatio, & quadam retardatio.*

IN responsione verò ad primum idem refricat, & concludit: *In hoc communicat veniale, & mortale peccatum: quia vtrumque priuat aliquo bono. Sed in hoc differunt, quod mortale priuat aliquem actum, vel circumstantiam necessariam ad salutem; veniale verò non.* Ecce opinio, quam abstulit Scotus, iuxta expositionem Fabri. Vnde Fauentinus, qui vult condemnare D. Bonauent. damnat & Scotum: Enim verò S.Bonauent. non ponit differentiam præcepti, & consilij, aut boni necessatij, & vtilis ex consilio; sed necessarij, & non necessarij ad salutem; vnde argumenta pro prima assertione non feriunt nos. 72

Ex dictis habes, sententiam D. Bonauent. esse, Peccatum mortale auertere à Deo, tanquam vltimo fine; atque adeò esse contra mandatum; non sic veniale, quod non est contra præceptum directè, nec à Deo auertit; ac proinde non est propriè offensa Dei, quæ Dei contemptum includit, licèt aliquo modo Deum offendat modo dicto. Hinc malè Tannerus *disp.4. quæst.5. dub.2. num.42.* refert D.Bonauent. *in 2.dist.42. art.2. quæst.2. ad 6.* pro ea opinione, quæ ponit discrimen inter veniale, & mortale, quòd mortale est Dei offensa; veniale non; atque adeò aduersatur Scripturæ *Iacobi* 1. quæ veniale vocat offensam Dei, dicens: *In multis offendimus omnes*; nam S. Doct. loquitur ex dictis *quæst.1.* Veniale non esse offensam directam, quæ est auersio à Deo vltimo fine, & contemptus eius, saltem virtualis, & conuersio ad creaturam. Et idem volunt Curiel, Hurtado, Complutensis, Arriaga, Ouiedo, & alij, apud Auersam *quæst.88.sect.6.*Mastrium *disp.6.quæst.6.* dicentes, in eo differre, quòd mortale est offensa grauis; veniale verò leuis. 73

HÆC autem est sententia ad litteram S. Bonauenturæ, quam sequitur Tannerus ipse *num. 44.* Et est D. Thom. *quæst.88. art.1.* & *quæst.87. art.5.* Differt ergo peccatum mortale à veniali, quòd illud tollit ordinem, & coniunctionem hominis cum Deo, vt vltimo fine, quæ est per charitatem; illud verò, saluâ hac coniunctione, continet inordinationem circa ea, quæ ad hunc finem ordinantur, vti nimirum est ipse feruor charitatis, qui per peccatum veniale minuitur, seu impeditur, vt idem S. Thomas clariùs declarauit *art.2.* Et S. Bonauent. *de Tribus Ternariis, cap.1.* Quod clariùs explicant Durandus *in 2.dist.43. quæst.6.num.11.* & Maior *dist.42. quæst.6.* dicentes, quod mortale peccatum tollat charitatem, quæ est vita animæ; veniale verò charitatem non tollat, sed feruorem illius impediat. Idem vult Richardus *in 4. dist. 16. art.2.quæst.2.* cùm ait, Per peccatum mortale tolli ordinem necessarium in ordine ad salutem: per veniale autem, tantùm ordinem vtilem, & congruum ad citiùs eam consequendam. Eodem sensu Alensis *prima parte, quæst.19. memb.8.* docet, veniale hoc efficere, vt anima minùs efficaciter Deo adhæreat per charitatem; mortale verò omninò separet. Et *2 part. quæst.107. memb.2.* ait, veniale committi 74

75

committi, cùm diligitur creatura citra Deum, hoc est, non in ordine ad Deum; mortale verò, quando supra Deum amatur, vel æque cum Deo. Hoc ad litteram habet S. Bonauent. *in responsione ad sextum*, mutilatâ à Tannerò, vbi S. Bonauent. affert illud D. Augustini in confess. *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Tannerus ergo solùm refert illa verba D. Bonauent.

76 Ad illud, quod obiicitur, quòd per veniale offenditur Deus; dicendum quod falsum est; non enim dicitur Deus offendi, nisi cum contemnitur. Hucvsque Tannerus; at S. Bonauent. statim subdit hæc verba, quibus explicat seipsum, & tradit sententiam *in fine corporis, quæst. 1.* quam Tannerus *hic*, laudat in aliis: *Sed verum est, quòd cum veniali peccato minus Deus amatur, secundùm quod D. Augustinus dicit in lib. Confess. Minus te amat, qui tecum aliquid amat; quod propter te non amat. Ideò veniale vitam æternam non aufert; sed retardat, quia a Deo non separat, sed elongat*; (iuxta dicta *quæst. 1.*) Quod si diligenter perlegisset Seraphicum, vidisset, modos omnes suprà adductos proferendi hanc sententiam, ab eo laudatos in Durando, Maiore, Richardo, Alensi,

77 inueniri in D. Bonauent. *prima parte Centil. sect. 6. de tribus Ternariis, cap. 4. & 5. & lib. 5. Compendij Theologica veritatis, cap. 7. 11. & 13.* & *hic quæst. 1. & 2.* Idem sentit Vasquez *prima secundæ, disp. 142.* qui fatetur, ità posse explicari D. Bonauenturam. Et tandem agnita est etiam à Caspensi, qui eam confutarat, relatam nudam, & crudam. Addunt verò communiter cum S. Bonau. *quæst. 1.* consequentem aliam differentiam, quod mortale facit reum pœnæ æternæ; non sic veniale.

78 Hvc tendit S. Thom. *loco cit.* dum asserit, differentiam oriri ex hoc, quòd peccatum mortale est contra finem; veniale verò contra media. Vbi non vult D. Thom. vt notat Ouiedo, peccatum mortale non posse esse circa media; & veniale circa finem, vt Scotistæ adscribunt illi; nam verè circa Deum potest venialiter peccari, & circa creaturam mortaliter, vt arguit Scotus, Richardus, & Maior, *locis adductis*; sed vult dicere: Differentiam esse in hoc, quòd mortale deordinatur à fine per auersionem, & separationem amicitiæ, ac gratiæ; at veniale tollit aliquem ordinem circa media, vt sunt ad finem non necessaria; & ideò non fertur contra finem, sed semper adhuc seruat ordinem necessarium ad illum, & hoc modo eluduntur oppositiones Fabri *num. 61.* contra explicationem Vasquez, huic similem. Cum D. Bonauent. sunt Montesinus *disp 18. quæst. 3.* Amicus *disp. 23. sect. 2.* Morandus *tract. 3. de pecc. quæst. 3.* allegans D. Thomam, & alios, quos refert Salas *disp. 16. sect. 8.*

79 Assero primò. Non rectè distinguitur peccatum mortale à veniali, quod illud sit contra præceptum; hoc verò contra consilium.

Probatvr. Si hoc esset verum, sequeretur, nubere esse peccatum veniale, quia est contra consilium Virginitatis; sed hoc est falsum ex Apostolo, qui dicit, prima Corinth. *Bonum est nubere.* Ergo. Idem sequeretur de eo, qui non vendit omnia, & dat pauperibus, quia est contra consilium Christi.

Respondet Faber, peccatum veniale opponi consilio, vt malum bono, non autem vt minus bonum maiori bono, quale est nubere, quod opponitur Virginitati.

Vervm, vt ipse arguit *num. 60.* contra D. Thomam, debet assignare differentiam vniuersalem inter peccatum mortale, & veniale, quòd illud contra præceptum omne sit; hoc verò contra omne consilium: at licèt aliqua consilia habeant aliquod malum oppositum, vt latè refert S. Bonauent. *lib. 6. Compendij Theolog. cap. 69. & 70.* attamen mera transgressio cuiusque consilij non est mala: nam consilium, prout diuiditur contra præceptum, est persuasio melioris boni, ad quod non tenemur, vt definitur à Theologis, & refert D. Bonauent. *loco cit.* at minus bonum non est malum. 80

Asserò secundò, peccatum veniale non esse directè contra legem, saluti necessariam; sicuti est mortale. 81

Probatvr à D. Bonauent. *quæst. 1. in corpore.* Quicumque contra legem facit, derelinquit viam necessariam salutis; sed peccans venialiter non abit extra viam salutis: Ergò non transgreditur legem. Minor est de fide, ex dictis *quæst. 1.* Maior patet ex illo Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*; nam obseruatio mandatorum causat infallibilem, ac irreuocabilem coronam gloriæ, & est irreuocabilis, sicut donatio inter viuos, vt notat S. Bonauent. *in Diatâ salutis, tit. 3. cap. 1. tom. 1.* & *serm. 1. de decem præceptis, tom. 2.* initio. Sic intelligendi DD. qui dicunt, veniale non esse contra præceptum, vt notat Vasquez *disp. 143.* 82
num. 8. Valentia *quæst. 18. p. 1.* Tannerus *loco cit. num. 49.* Sic D. Bonauent. *quæst. 1. ad secundum argumentum*, quod erat: Quod est contra Diuinum præceptum, auertit à Deo; sed veniale est contra præceptum: Ergo. Maior patet. Minor probatur ex Glossa ad illud Rom. 7. *Non concupisces*, vbi ait: *Bona est lex, quæ dum concupiscentiam prohibet, omnia mala prohibet.* Sed veniale est malum: ergo vetitum illo præcepto: *Non concupisces.*

Respondet S. Bonauent. veniale non esse directè contra prohibitionem Dei, quia non est oppositum ipsi prohibitioni directè: Cùm enim prohibet concupiscentiam, non prohibet directè primum motum concupiscentiæ, sed concupiscentiæ progressum, Exodi 20. Ideò *Ecclesiastici 18.* dicitur: *Post concupiscentias tuas ne eas.* Dum autem hoc prohibet, ostendit, quod motus concupiscentiæ est malus, Deo displicens. Ex his habes, Venialia inducere maculam aliquam, quia, vt ait D. Augustinus, relatus à D. Bonau. quæst. 1. argumento 3. *Amor inferioris pulchritudinis animam polluit.* 83

Assero tertiò, Peccatum veniale differre à mortali, quia hoc deordinat à fine vltimo; illud non. 84

Probatvr à D. Bonauent. *quæstione prima in fundamentis*, primò. Nullus auersus à Deo est iustus; sed peccans venialiter remanet in iustitia: Ergo peccans venialiter non auertitur à Deo. Maior patet. Minor probatur Prouerb. 24. *Septies in die cadit iustus, & resurget.* Quod vero mortale auertat à Deo, probatur à Seraphico, vt dixi, referens illius sententiam; est enim peccatum mortale auersio à Deo; & conuersio ad creaturam.

Secvndo probatur. Nullus separatur à Deo, nisi volens; sed omnis, qui auertitur à Deo, separatur ab eo: Ergo nullus separatur à Deo, nisi in actu, quem facit mera voluntate, hoc autem est mortale; at multa sunt venialia imperfectè voluntaria, vt habetur Rom. 7. *Quod nolo malum, illud facio*: Ergo. 85

Tertio

Tertiò. Nullus auertitur à Deo sine Dei contemptu, & offensa: sed nullus contemnit Deum si e graui culpa: Ergo qui leuiter offendit, non auertitur à Deo. Totum patet ex dictis in referenda sententia S.Bonauent. qui solùm mortale vocat offensam essentialiter absolutè; veniale verò secundùm quid.

86 Quartò. Nihil, quod stat simul cum charitate auertit à Deo; sed veniale stat cum charitate: Ergo. Maior patet: Minor probatur: Si veniale expelleret charitatem; auferret vitam gratiæ, auferendo gratiam, quæ est principium vitæ spiritualis; sicut morbus affert mortem, auferendo principium vitæ corporalis: Quod autem aufert principium vitæ spiritualis, affertque mortem, est mortale.

Assero quartò. Consequenter differunt, quod mortale est reum pœnæ æternæ.

87 Probatvr à D. Bonauent. *in fundamentis*. Primò ex Hugone de S. Vict. est autem differentia sumpta à posteriori, vt notat Mastrius, *loco adducto*.

Deinde, quia pœna æterna est mors secunda, vt habetur *Apoc.* nulli autem debetur mors secunda pœnæ, nisi propter primam mortem culpæ, quæ ideò debet esse mortalis.

Tertiò, quia si Veniale destinaret pœnæ æternæ, iam non esset veniale; sed irremissibile.

88 Qvartò, sequeretur, iustum eundem simul, & semel esse actu hæredem gloriæ, & reum pœnæ æternæ. Probatur, quia per gratiam est hæres gloriæ; si ergo per venialia est reus pœnæ æternæ; sequitur dicta repugnantia.

Qvod autem mortali debeatur pœna æterna, probatur a D. Bonauent. *in corpore*, quia per mortale, homo se priuat gratiâ, & subiicit se perpetuæ impotentiæ resurgendi per seipsum. Nemo enim potest resurgere, nisi per creationem, & infusionem nouæ gratiæ, quæ est principium vitæ. Et ideò ratione illius impotentiæ obnoxius manet æternæ pœnæ; nisi à Deo misericorditer subleuetur: Est autem propositio de fide. Dices: Etiam veniale non remittitur, nisi per infusionem gratiæ ex D.Bonau *in 4.dist.21.quæst.1.*

89 Respondetvr ex eodem S. Bonauent. *hic*, iustum habere vitam spiritualem, qua eliciat actus sufficientes ad efficienter tollenda venialia.

Assero vltimò, differentiam non esse, quòd mortale sit circa finem; & veniale circa media.

Probatvr à Scoto, Richardo, & Maiori

90 *locis adductis*, ac Fabro *num.16.* argumento S. Bonauent. *quæst.1.ad primum.* Peccatum (ex D.August.) mortale, non solùm est circa finem, sed etiam circa ea, quæ sunt ad finem beatitudinis: Similiter veniale est etiam circa finem; nam potest aliquis circa charitatem in Deum habere aliquam imperfectionem subreptionem, vel ex paruitate materiæ. Similiter circa creaturas occurrunt homicidia, furta, &c.

Rationes in contrarium sunt claræ in Seraphico; argumenta verò Fabri, & aliorum sunt iam soluta. Tria verò argumenta referam ex D.Bonauentura, quæ peculiari digna sunt obseruatione.

91 Observa, non semper ex materia haberi differentiam, nam materia leuis aliquando est satis ad peccatum mortale, quod constat in esu pomi ab Adam, vt notat Rada *contro.12. art.1. notab.3.* Auersa *quæst.88. sect.2.* cum D. Bonauent. *lib.2. Pharetra, cap.43.* vbi id eleganter è Sanctis Patribus ostendit.

Obiicies primò contra tertium asserendum. Simplex, ad quod se conuertit, totaliter conuertit: sed tam intellectus, quàm affectus est simplex: Ergo dum conuertitur ad aliquid, totus conuertitur, & auertitur ab obiecto; sed per veniale conuertitur ad creaturam: Ergo totus conuertitur ad eam, & auertitur à Deo.

Respondet S. Bonauent. intellectum, & 92 affectum, saltem in via, conuerti totum ad vnum, quantùm est de ratione actus; quia vnum intelligimus; vel si multa, hæc sunt per modum vnius: Non conuerti autem totaliter, quoad habitum totum, & potentiam totam, quia potest intensiùs, vel remissiùs conuerti. Cùm ergo dicitur: affectus totaliter conuertitur ad id, ad quod conuertitur actu; & auertitur ab eius opposito, falsum est; potest enim conuerti ad vnum actu, & habitu ad oppositum, sic euenit in peccato veniali. Et hoc docet etiam D. Thom. ad 3. *Ille, qui peccat venialiter* (inquit) *inhæret bono temporali, non vt fruens, sed vt vtens, referens in Deum*, (nempè seipsum) *non actu, sed habitu.*

Ad argumentum igitur respondetur, maiorem 93 esse falsam simpliciter, quia potest simplex ad vnum conuerti actu, & habitu ad oppositum. Quando verò conuertitur habitu, & potentia secundùm totum, tunc auertitur ab eius opposito; at non sic conuertitur per veniale.

Obiicias secundò. Non potest aliquis moueri ad terminum *ad quem*, quin recedat eodem passu à termino *à quo* opposito; sed homo per veniale mouetur ad bonum commutabile: ergo auertitur à Deo.

Respondet S.Bonauent. animam non moueri 94 per veniale à Deo ad creaturam; sed affici potiùs circa creaturam; vnde veniale est potiùs affectus, quàm motus.

Obiicies tertiò. Omnis amor creaturæ, vel est per modum vsus, vel per modum fruitionis; sed veniale peccatum est amor creaturæ, non per modum vsus; alioquin non esset malus: ergo per modum fruitionis: Frui autem est vltimum finem ponere in creatura; & auerti omninò à Deo vltimo fine.

Respondet D. Bonau. amorem venialis peccati propriè, nec vsum, nec fruitionem esse, sed 95 abusum; nisi vsus dicatur lato modo omnis amor, quo quis amat aliquid, non quiescens in illo; sed refertur ad aliud actu, vel habitu, siue referat rectè, siue minùs rectè, demptâ aliquâ circumstantiâ. Vnde D. Augustinus in sua diuisione complectitur vsum, prout significat, etiam modo dicto, omnem amorem relatum, siue directè, siue indirectè; fruitionem pro omni amore non relato sumit, siue statuat ibi finem principalem, siue non; & sic complectitur amorem venialem. Vel dic, D. Augustinum ibi loqui de amore ordinato. Hinc habes, S.Bonauent. cum D.Thom. suprà relato conuenire, dum ait, Peccatum veniale esse rei vsum, non fruitionem.

Qværes primò: An Veniale, & Mortale sint 96 sub eodem Genere Peccati; an plusquam toto genere differant. Aliqui dicunt, illa esse sub vno genere vniuocè. Ità Durandus *in 2. dist.42. quæst.6.* Maior, & Palatius *eadem dist.* Valentia *quæst. 18. p.2.* Azorius *tom.1. lib.4. cap.8. quæsito 4.* Vasquez *disp.144.c.3.* Zumel *prima secundæ, q.88.art.1.disp.1.* Meratius, Granado, & alij; ac Thomistæ passim.

Opposita

Opposita sententia est D. Bonauent. *in 2. dist. 42. art. 2. quæst. 1. & 2.* D. Thom. *hic, quæst. 88. art. 1. ad 1.* vbi Caietanus, Conradus, & Medina. Bellarminus *lib. 1. de peccatis, cap. 11. & 12.* Suarez *3. p. tom. 1. disp. 4. sect. 9.* & quamvis Metaphysicè primam sententiam sequantur Vasquez, Salas, & Tannerus; tamen, moraliter loquendo, huic adhærent, nempè esse genere diuersa; esto, quando sunt circa eandem materiam, sint eiusdem generis, vt furtum leue, & graue. Idem docet Mastrius, alios allegans *disp. 6. quæst. 6. num. 168.*

97 Probatvr à D. Bonauent. *loco cit.* quia peccatum mortale tantùm auertit à Deo, priuat animam vita spirituali, ac Diuinam legem simpliciter è diametro violat; in quo ratio peccati stat; & ideò in Scripturis, cùm peccatum simpliciter dicitur, asseritur mortale, vt prima Ioan. 2. *Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat,* & latè probatur à D. Bonauent. *lib. 3. Compendij Theolog. cap. 7.* qua ratione vtitur Tannerus *num. 49.*

Obiicies cum Fabro. Essentia peccati est, vt sit carentia rectitudinis; at hoc vtrique conuenit.

Respondet S. Doct. *in 2. loco cit.* veniale non esse carentiam essentialem rectitudinis, sed alicuius circumstantiæ. Ità respondet etiam Mastrius ex Scoto *4. dist. 14. quæst. 3. B,* & *dist. 21. quæst. 1. H.*

98 Qværes secundò: An differant essentialiter:

Prima opinio est D. Thom. *quæst. 72. art. 5.* & *quæst. 77. art. 7. ad 1.* & *quæst. 88. art. 1. & 6. ad primum;* vbi Caietanus, Conradus, Medina, Zumel, Valentia *quæst. 18 p. 2.* Vasquez *disp. 144. cap. 5.* Azorius *tom. 1. lib. 4. cap. 9. q. 5.* Salas *tract. 16. disp. 16. sect. 21.* Richardus *in 4. dist. 16. art. 2.* Capreolus *in 2. dist. 43. quæstione vnica.* Bergomas *in Concordant. num. 1008.* Viguer. *Instit. cap. 18 §. 1. vers. 1.* Tannerus *disput. 4. quæst. 5. dub. 2. num. 52.* Hi dicunt, mortale, & veniale differre tantùm accidentaliter, sicut imperfectum à perfecto, veluti differt puer à viro, & ità esse diuisionem subiecti in accidentia.

99 Secvnda opinio est, differre essentialiter. Ità Alens. *2. parte, quæst. 124. memb. 3.* D. Bonauentura *in 2. dist. 42. art. 2. quæst. 2.* Durandus *ibi, quæst. 6.* Car hus. *quæst. 3.* Vega *lib. 14. in Trident. cap. 11.* Nauarrus *Manuali, præl. 9. num 6.* & *cap. 17. num. 3.* Scotus suprà, & asseclæ, præcipuè Mastrius.

100 Assero cum hac sententia, peccatum mortale differre à veniali essentialiter.

Probatvr. Quæ differunt in his, quæ definitionem ingrediuntur, differunt essentialiter; talia sunt peccatum mortale, & veniale: Ergo. Maior est euidens. Minor probatur. Peccatum essentialiter è D. Augustino *lib. 1. de libero arbitrio, cap. vlt.* est, neglectis æternis, temporalia sectari: Similiter est auersio à bono immutabili; & conuersio ad bonum mutabile: Est legis transgressio, & cœlestium inobedientia mandatorum: Est hominis inordinatio, atque peruersitas; vt habent Sancti Patres, relati *quæst. 1.* sed hæc propriè, imò aliqua

101 simpliciter soli mortali conueniunt: Ergo. Confirmatur ex Valentia *disp. 6. quæst. 1. p. 1.* vbi è Sanctorum Patrum definitionibus sic describit peccatum: *Est defectus quidam voluntarius perfectionis, ex Diuina, & æterna lege homini debita, quo proinde homo desciscat ab ea lege æterna, tanquam à prima, & certissima regula, determinante modum necessarium ad consequendum vltimum finem,* quam definitionem etiam Tannerus amplectitur *disput. 4. quæst. 1. dub. 2. num. 22.* At quis non videt, peccatum veniale non recedere à regula necessaria ad beatitudinem? Definitur enim, vt ait D. Bonauent. *prima parte Centil. sect. 6.* Est libido, siue *amor voluptatis citra Deum:* Mortale verò, *est libido creaturæ supra Deum, vel æque, Deo.* Idem habet S. Bonauent. *lib. 3. Compendij Theologicæ veritatis, cap. 12.*

Confirmatvr: nam D. Augustinus *lib. de duabus animabus, cap. 11.* definit peccatum sic: *Est voluntas retinendi, vel consequendi id, quod iustitia vetat, & vnde sit liberum abstinere,* quod tenet Tannerus *loco cit.* at venialia non sunt expulsiua iustitiæ, vt ait Tannerus *disp. 4. quæst. 5. num. 27.* quia cùm finis præcepti sit charitas, vt ait Apostolus; & hæc non expellatur per quamcunque venialem iniustitiam; eò quòd in lege non præcipiatur, ne obolum furemur; sed, ne iustitiam grauiter offendamus, quod soli mortali conuenit, cui etiam soli perfectè voluntarium conuenit, quod non conuenit toti generi venialium, in quibus aliqua è subreptione sunt; sequitur, ea differre secundùm definitionem. 102

Obiicit Valentia. Aliqua differunt solùm penes quantitatem tantùm, vt furtum maius, & minus, & sunt contra eandem virtutem Iustitiæ, à qua oppositione sumitur distinctio peccatorum.

Respondetvr cum D. Bonau. *loco cit.* licèt in materialitate obiecti conueniant; differre tamen in formali, quod est auersio à Deo, & à rectitudine essentialiter virtutis; nam veniale non opponitur directè rectitudini essentialiter, vt dixi; sed tantùm alicui circumstantiæ. Itaque furtum oboli, cum furto aurei materialiter differunt tantùm, vt magis, & minus; at in ratione morali, vt est obiectum Iustitiæ, differunt, vt iniuria, & violatio legis, cuius finis est charitas, & non violatio simpliciter; sicuti etiam primus motus semivoluntatis concupiscentiæ, cum ipso deliberato actu concupiscendi, vt notat S. Bonauent. *quæst. 1. ad secundum.* 103

Respondetvr secundò cum D. Bonauent. *in 2. dist. 30. art. 2. quæst. 1 ad argumenta,* in naturalibus quidem, magis, & minus non variare speciem: at in moralibus variare, sic virtutes, & vitia in moralibus attenduntur penes medietatem, & eius extrema, quæ sunt superfluum, & diminutum; & hoc verum est, non solùm apud Moralem Philosophum, sed etiam Theologum; qui dicit, quòd amor citra Deum, vel infra Deum, non est peccatum mortale. Si vero supra Deum intendatur, fit mortale peccatum. 104

QVÆSTIO III.

Vtrum idem Actus de peccato Veniali fieri possit mortale.

D. Bonau. in 4. dist. 16. p. 2. art. 3. q. 1.

Certvm est, peccatum veniale disponere ad mortale, vt docet D. Thom. *quæst. 88. art. 3.* D. Bonauent. *lib. 3. Compendij Theolog. cap. 12. & 13.* vbi multis id modis fieri scribit: Primò directè per se, siue quia generant neglectum rerum diuinarum, iuxta illud Eccl. 19. *Qui minima spernit, paulatim decidet.* Et D. Augustini effatum in Psal. 39. *Vitasti saxa grandia, ne obruaris arena;* siue 105

siue quia sæpè iterata inducunt augmentum libidinis ad omnia, & grauiora, maximè eiusdem obiecti; vt qui minima furatur, incipit inclinari ad maiora furta. Imò disponunt ad alia aliarum specierum.

106 Quo sensu D. Thom. *loco cit.* ait, Augmentatâ dispositione, vel habitu per actus peccatorum venialium, in tantum potest libido peccandi crescere, quod ille, qui peccat, finem suum constituat in peccato veniali, nimirum ob eundem finem peccando etiam in materia alterius vitij: *v. g.* propter ludendi amorem furando. Et hoc modo S. Bonau. *hic*, & *in Compendio*, *cap.* 12. docet, posse ex veniali fieri mortale per dispositionem; vel quia, sicuti priùs erat in eo obiecto delectatio citra Deum, incipit esse libido contra Deum, vel æquè Deo, in

107 quo peccati venialis, & mortalis delectatio distinguitur, vt notat S. Bonauent. *loco cit. Compendij, c. p.* 12. & *prima parte Centil. sect.* 6 conformiter. Hæc sunt verba eius in hac quæstione in corpore: *Tertium, veniale potest fieri mortale per libidinem magnam, & hoc fit mortale, secundum placitum; secundum quod placitum dicitur quieta voluntas.* Est autem placitum quieta voluntas (ait argumento secundo:) *Et quiescens in creatura, dum fruitur illa.* Enclarus hic enitet Seraphicus: ex quo liquet, malè carpi S. Bonau. à Vasquez *disp.* 145. *in calce*, quasi dixerit, augmentum quodcũque delectationis mutare actum de veniali in mortale, quod rursus Vasquez male refricat *ad art.* 5. *quæst.* 8. *D. Thomæ*, Secundò, quòd veniale disponit ad mortale per accidens, vt ait S. Bonauent. primò minuendo feruorem charitatis; secundò potentias animæ laxas ad bonum reddens: Idem habet Tannerus *disp.* 4. *q.* 5. *dub.* 3. Hæc autem dispositio est quodammodo remota.

108 Quæritur nunc: An ità proximè ex veniali fiat mortale: Est autem quæstio non modò de actu exteriori, sed etiam de interiori voluntatis.

Qvidam asserunt, eundem actum numero venialem, fieri posse mortalem. Citantur à Vasquez *disp.* 145. Almainus *tract.* 1. *Moral. cap.* 2. & Recentiores nonnulli Thomistæ, & idem debent docere omnes quotquot asserunt, eundem actum voluntatis posse fieri de bono malum, quos ipse Vasquez refert *disp.* 56. *cap.* 2. Hinc miror, ab eo adduci D. Bonauenturam; qui tenet actum de bono non fieri malum, continuando eundem substantialiter, vt vidimus *tract.* 1. *disp.* 14. *quæst.* 3. & idem refricat *in corpore*. Hanc sententiam tuentur Vasquez *loco cit. cap.* 2. Mastrius *disp.* 6. *q* 6. *n.* 174. Fuliens. *lib.* 2. *c.* 3.

109 Secvnda sententia est, nullum actum numero, de veniali fieri mortalem. Ità Altisiodorensis *lib.* 2. *summæ, tract.* 28. *cap.* 4. *quæst.* 2. *in prima parte illius, ad secundum argumentum.* Gerson *Alph. b.* 61. *littera C.* Conradus *in art.* 4. *q.* 88. *D. Thomæ*; Videtur ipse D. Thom. consentire. Alens. 1. *p. quæst.* 19. *memb.* 8. & 2. *p. quæst.* 107. *memb.* 3. D. Bonauent. *hic*, & *parte prima Centil. sect.* 6. & *lib.* 3. *Compend. Theolog. cap.* 12. & 13. Faber *disp.* 6. *de Pœnit. num.* 91.

110 Assero primò. Idem numero actus Physicè, *v. g.* eadem numero delectatio praua, successiuè ex veniali fieri potest mortalis, vel è contra variatâ solùm ipsius deliberationis perfectione, sed non idem numero moraliter.

Prior pars probatur à Tannero *num.* 57. argumento S. Bonauent. *locis adductis*, quia stante eodem actu materialiter, potuit initio adesse solum semiplena deliberatio; eidemque potest succedere plena deliberatio, vel è contra, potuit præcessisse plena deliberatio; postea verò, subrepente somno, adesse solùm semiplena.

Qvòd verò idem numero actus moraliter venialis non fiat mortalis, sed alius succedat, dictum est *tract.* 1. *disput.* 14. *quæst.* 5. Ratio est D. Bonau. *ibi citati*, & *hic*, quia hæc peccata in genere moris, inter se omninò differunt: Ergo non potest idem, manens idem, moraliter fieri alterum, eo enim ipso, quòd veniale fiat mortale, erit aliud in genere moris, esto maneat idem, vt actus Physicus. Hac ratione nititur Valentia *disput.* 6. *quæst.* 18. *p.* 2. Patet ex dictis *quæst. præced.* quia mortale, & veniale differunt specie; nulla autem res potest mutare speciem, vt arguit S. Bonau. *loco cit.* 111

Assero secundò. Potest veniale mutari in mortale ex conscientia.

Probatvr à D. Bonauent. *loco cit. Compendij.* 112 Si crederem, leuare festucam esse veniale, & leuarem; & interim credere inciperem, esse mortale, iam peccatum mortale esset leuare festucam. Itaque verum est etiam de peccato in genere; vt de mendacio, &c.

Assero tertiò. Potest veniale fieri mortale ex delectatione, vt si fit de re citra mandatum graue, & postea delectetur in ea, tanquam in vltimo fine, Ità S. Bonau. *locis omnibus adductis.* Quidquid reclamet Vasquez *loco citato*.

Assero quartò, posse veniale, ex imperfecto consensu, progredi ad mortale deliberando. 113

Probatvr à D. Bonau. In primis motibus, qui imperfectum habent consensum; at si progrediamur ad deliberationem illius obiecti, mortalis, vt suppono, iam fiet mortale, seu succedet mortale veniali.

Assero quintò, mortale in genere posse fieri veniale ob indeliberationem, vel paruitatem materiæ; licèt veniale ex genere idem specie, non posset fieri mortale; cùm enim sit tale ex natura sua, non potest mutare speciem; nisi deformitas alterius speciei accedat.

Assero sextò, posse veniale ex genere fieri mortale, ratione alicuius circumstantiæ, mutantis speciem; non autem si circumstantia sit mera accidentalis. 114

Probatvr prior pars: Si aliquis loquatur ridicula ob fornicationem, vel si in actu veniali, puta ludo, ponatur vltimus finis, omittendo grauiter præcepta, & auertendo se à Deo, vt dixi:

Assero vltimò, venialia multiplicata, non fieri vnum mortale. 115

Probatvr primò à S. Doct. *locis adductis*, & D. Thom. *quæst.* 88. *art.* 4. quia omnia adhuc simul retinent esse leuem offensam Dei; alioqui posset credi de habente plurima venialia, esse damnatum. Hinc malè Victoria *relect. de charitate*, *p.* 2. & alij dicunt, Venialibus remitti charitatem: Contra quos arguit Tannerus *num.* 65. ex D. Bonauent. *in* 1. *dist.* 18. *p.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. nam sequeretur, venialia aliquando remittere charitatem, quæ finita est, vsque ad extinctionem, & in statu damnationis hominem constituere. Sed de hoc *secunda secundæ, tract. de Virtutibus, disp.* 8. *de Charitate, quæst.* 18.

Probatvr secundò à D. Bonauent. 2. *dist.* 24. 116 *p.* 2. *in dubiis.* primò, quia multiplicatio actuum non mutat speciem; sed accrescit discrete. Deinde, quia omnia venialia stant cum gratia: Ergo per illa non tollitur gratia.

Potest quidem esse, vt ex pluribus materiis continuatis fiat vna grauis, vt in furtiolis plurimis, vbi

vbi non fit vnum mortale ex pluribus venialibus; sed vltimum additum constituit grauem læsionem in re familiari, contra Iustitiam, vt latiùs ostendam *secunda secundæ, disp. de furto, & rapina, quæst.5*. Interim vide Medinam *C. de restit. q.10.* Cordubam *in summa, q.70.* Vasquez *q.146.* Dianam *p. p. tract. de paupertate Relig. resol.34.* & *tract.16. resol.27.*

117 Hoc autem euenit, non modò in materia iustitiæ, sed etiam ieiunij, voti, recitandi paucas orationes quotidiè, & similium.

Dispvtant hîc D. Thom. & alij de subiecto remoto venialis peccati: an scilicet possit Angelus, vel homo in statu innocentiæ peccare venialiter. De vtroque enim est eadem ratio; sed de hoc actum est *p. p. tract.10. disp.2. quæst.12.*

De subiecto verò proximo, quod est commune cum mortali, non est difficultas, esse voluntatem, non autem partem sensitiuam, vt dicam *disputatione hac, quæst.5.*

118 Qværvnt alij: An pro hoc statu naturæ lapsæ possit non baptizatus primò peccare venialiter.

Respondetvr assertiuè cum D. Bonauent. *in 4. dist.21. quæst.1. ad vltimum*, cum plurimis aliis, quos refert, & sequitur Tannerus *disp.4. quæst.5. dub.4.* Probatur: Non enim repugnat, primò eum proferre mendacium iocosum, aut otiosum verbum, quod etiam Adam potuisset, nisi repugnasset status, vt ait D. Bonauent. *loco cit. tract.11.* Hac ratione vtuntur cæteri.

119 Nec obstat, quod tali homini, si fortè in tali statu decedat, nullus in alia vita locus congruus inueniatur, in quo pro peccatis eiusmodi pœnas luat; talis enim vel Deo ita disponente, in hoc statu nunquam moriretur, vt docet Valentia *quæst.19. p.3.* Vasquez *disp.149 cap.2.* Suarez *3 p. tom.4. disp.11. sect.2.* Azorius *tom.1. lib.4. c.10. quæsito 2.* Tannerus *loco cit. num.79.* Vel, si decedat, dico cum Alensi *2. p. quæst.124. memb.9.* & *4. p. q.65. memb.3. art.4.* Richardo *in 2. dist.42. art.2. q.2. ad 5.* & aliis, quos refert Salas *disp.18. sect.2. & 9. num.34.* & cum D. Thom. *in 4. dist.45. quæst.1. art.3.* & plurimis Thomistis, & D. Bonau. *in 2. dist.42. art.2. q.2. ad 4.* & *in 4. loco cit. ad vltimum*, puniendum aliquantula pœna in æternum,

120 puta tristitiæ, &c. In solo autem veniali non posse decedere asserit S. Bonau. *locis prædictis*, ratio est, quia nunc non est medium inter esse in gratia, & esse inimicum Deo, siue ex originali, siue ex mortali; sicuti in statu naturæ integræ non dabatur medium inter iustitiam originalem, & carentiam eius, atque adeo mortalem culpam, quæ priuasset hominem iustitia illa. Idem censent Scotistæ cum Mastrio *in 2. dist.4. quæst.4.*

Obiicies. Tenetur homo, ad vsum rationis cùm peruenerit, se Deo sacrare, & si omittat, peccat mortaliter, vt docet D. Thom. *q.89. art 6.* & alij.

121 Respondetvr, de hoc agendum *secunda secundæ, disp. de Charitate, quæst.51.* & negabo Interim, dato etiam illo debito, cur non posset ad vsum rationis deductus, primò dicere verbum otiosum, & sic venialiter peccare, vel quia habuerit ignorantiam inuincibilem huius præcepti, vel quia edoctus sit, se non teneri, quod probabile, ac tutum est? Vide cætera, *loco citato.*

QVÆSTIO IV.

Traduntur Regulæ aliquæ ad discernendum Peccatum veniale à mortali.

Arduvm est, D. Augustino teste, 21. *de ciuit. cap. vlt.* regulas hac de re assignare, vt suam ipse ignorantiam fateatur.

Verè idem S. August. *cap.78. Enchir.* ait: *Quæ sint leuia, & quæ grauia peccata, non humano, sed diuino sunt pensanda iudicio*; nempe è Diuino iudicio nobis per leges reuelato deducendum, non autem proprio marte; rationabiliter tamen aliquæ regulæ possunt assignari. 122

Prima regula est, considerandum ipsum obiectum, quod vetitum est: an grauiter declinet à veritate, quod sanè è Scripturis colligitur; an verò leuiter, vt sunt ea, quæ opponuntur Liberalitati; idest prodigalitas, & tenacitas; vel Magnificentiæ, Veritati, Eutrapeliæ, &c. Addit Salas *Tract.13. disp.16 sect.30. num.105.* etiam commessationem, & auaritiam, quæ à D. Paulo numerantur inter opera carnis *Galat.5.* poni inter mortalia; sed ipsum loqui de commessatione, inferente graue damnum valetudini, ait Tannerus *disp.4. quæst.5. dub.5. n.91.* sic & auaritia, vt opponitur Iustitiæ, est grauis ex genere. 123

De ebrietate dubium excitat D. Thom. *prima secundæ, quæst.88. art.5. ad 1.* & *2.2. quæst.150. art.2.* vbi dicit esse ex genere culpam mortalem. Idem habent Caietanus, Conradus, & alij Thomistæ, ibi Antoninus *2. part. tit.6. cap.3.* Angel. Sylu. & alij Summistæ *verbo Ebrietas.* Nauar. *in manuali, cap.23. num.121.* Valentia *Tom.3. disp.9. quæst.3. p.2.* Azorius *Tom.1. lib.4. c.9. quæsito 11.* Tannerus *loco cit. num.92.* simul cum Vasquez *ad art.5. quæst.88.* reprehendunt D. Bonauenturam, quasi reclamantem. 124

Opposita sententia fuit D. Thom. *de malo, quæst.2. art.8. ad 3.* & *q.8. art.4. ad primum*; & *in 2. dist.24. quæst.3. art.6.* Altisiod. *lib.2. summa, tract.28. cap.4. quæst.1.* & aliorum nonnullorum.

Seraphicvs de hoc agit *in 4. dist.16. art.3. q.1.* vbi ait: *Quoddam est veniale, cum ratione, & consensu tamen; Ideò est veniale, quia non est deordinatio contra præceptum, vt ebrietas, & mendacium iocosum. Cùm igitur quæritur, vtrum veniale fiat mortale, si intelligat, quòd hæc culpa per essentiam fiat illa, nulla est quæstio, quia hoc est impossibile: Si intelligat, quòd illud, quod aliàs erat veniale, fiat mortale, vt mendacium iocosum, & ebrietas; dico, quod quoddam non fit, quoddam fit mortale per complacentiam.*

Prima *parte Centil. sect.6.* idem omninò habet *Tom.1. Opusc.* post initium sic differens eximiè.

At verò *in speculo animæ, c.3.* egregiè quæstionem hanc ex professo pertractans, ait: *De ebrietate autem notandum, quod, si quis sciens vini, vel liquoris fortitudinem, & aduertens, quòd ex eius nimia sumptione potest ebrietatem incurrere nimis sumendo, peccat mortaliter; quia scilicet vsu rationis se priuat, & omnium peccatorum periculis se exponit.* Vnde Ambrosius *lib.1. de Abraham, cap.6.* circa finem, (& refertur dist.35. quæst.1. cap. sanè.) *Vitandam dicimus ebrietatem, per quam crimina vitare non possumus: nam quæ sobrij cauemus, per ebrietatem ignorantes committimus.* Et Apostolus *ad Galat. 5.* inter opera mortalia ebrietatem connumerat. Potest tamen ebrietas contingere absque mortali, & etiam veniali, vt cùm quis liquoris fortitudinem non agnoscit, vel liquorem inebriantem pro alio bibit 125 126

bibet, vel siti docitur, non aduertens. Vnde etiam Augustinus contra Faustum *lib.22.cap.44.tit.6.* Lot de ebrietate excusat: Cùm autem quis ratione ebrietatis, vel occasione peccatum mortale ignoranter postmodum committit; si mortalis fuit ebrietas, non totaliter excusatur; tamen secundùm quid, ratio voluntarij diminuitur; sic Peccatum excusatur
127 à tanto, licèt non à toto. Si autem ebrietas absque peccato contingit, tunc à peccato mortali excusare potest. Vnde August. *loco cit.* Lot ebrium, ab incestu excusat dicens contra Faustum: *Lot culpandus, non quantum incestus, sed quantum ebrietas meruit. Tamen, cùm quis ad se redierit, debet dolere de illo peccato, vt credo, & etiam confiteri: quia ad superiorem pertinet iudicare, vtrum talis fuerit ebrietas, quæ peccatum valeat excusare.*

Seraphicus igitur est pro secunda sententia. Quod verò dixit in locis præcedentibus, intellige de ebrietate, quæ est bibacitas, sicut de commessatione, ait Tannerus suprà.

128 Assero igitur, ebrietatem præcisè esse mortalem, si præuisa fuit.

Probatur à Tannero *n.92.* & aliis plurimis citatis ab eo, testimonio Apostoli 1. *Cor.5. v.11.* & *cap.6. v.10.* & *Galat.5. v.21.* quibus locis, ebrietas inter mortalia numeratur, vt ante eos notat S. Bonauent. *loco citato.*

Secundò probatur ab illis ratione D. Bonauent. quia notabilis est deformitas, ac turpitudo, solius voluptatis causa, se vsu rationis priuare, atque ad brutorum conditionem redigere, in quo omnibus se criminum periculis exponit. Eadem est ratio D. Thom. *quæst 88 prima secunda, art.5.*

Si obiicias D. August. *serm.4. de animabus defunctorum, vel de Sanctis, serm.41.* vbi ait: *Si diù teneatur iracundia, & ebrietas, si assidua sit, transeunt in numerum peccatorum mortalium.*

129 Respondet D. Thom. *ad primum* cum D. Bonauent. *loco cit.* solùm asseri, ebrietatem, cùm est assidua, proculdubio esse mortalem, quia non potest excusari de ignorantia, quasi ignorauerit vim liquoris, sicuti potest excusari prima vice.

Addunt tamen multi, non fore mortalem ebrietatem, si iudicio Medicorum ad sanitatem iudicetur necessaria. Ità Syluest. *v. Ieiunium*, Nauar. suprà *n.119.* Valentia *loco cit.* Caiet. 2.2. *quæst.150. art.2.* & indicat D. Thom. *loco cit. ad tertium.*

130 Secunda regula est, considerare: An materia peccati, ex genere suo mortalis, sit parua, quæ ad grauem non sufficiat deformitatem, adeòque ad mortale constituendum. Sæpè enim peccata, ex genere mortalia, fiunt ex paruitate materiæ venialia. Ità D. Thom. *quæst.88. art.2.* Hoc verò in omni ferè virtutum moralium materia potest euenire; imò etiam in virtute Religionis, quidquid sit de virtutibus Theologicis, quæ cùm circa Deum immediatè versentur, paruitatem materiæ non admittunt.

131 Tertia regula est, vt in quouis obiecto peccati consideretur attentè ratio voluntarij. Id sæpè refricat S. Bonau. & D. Thom. *quæst.88 art.2. & 6.* & quidem ad mortale requiri, vt præcedat cogitatio, & consideratio expressa actualis malitiæ moralis, vel periculi, vel saltem aliqua dubitatio. Ità D. Bonau. *in 2. dist.29. p.2. ad textum Magistri*, & *ibi, art.2 q.2.* cum plurimis apud Vasquez *disp.107. c.3.* An verò motus *primò primi* sint veniales, fateor id asseri à D. Bonau. *in 2. dist.36. art.1. q.2 in corpore, & ad 2* & *dist.41. art.2. quæst.1. in corpore,* & *ad 4.* cum aliis grauibus, relatis à Vasquez *disp.106 cap.2.* Non verò necessarium esse consensum expressum voluntatis, sed sufficere interpretatiuum, sinendo appetitum delectari; ipsam verò voluntatem negatiuè se aduertenter habere, docet D. Bonau. *locis* primò *adductis, in 2. dist.29.* & alij apud Vasquez *disp.108.* de quibus omnibus erunt infrà quæstiones peculiares.

Videndum etiam præceptum, quo rigore cogat; nam sæpè de re leui grauiter cogit, vt fuit prohibitio pomi, facta Adæ. Grauitas autem præcepti colligitur ex fine, & consequentiis. 132

Similiter videnda grauitas præcepti, ex parte mandantis; nam Diuina magis cogunt, quàm humana, quæ graui aliqua ex causa excusant. Vide S. Bonau. *tom.7.* initio *de præceptis,* & post eum Valentiam *disp 6. quæst.18. puncto 3.*

Prætereà diligenter aduerte, quantâ libidine in eo obiecto quiescatur: an in eo vltimus finis collocetur, vt notat D. Bonau. *in speculo animæ, cap.3.* & post eum. Valentia *loco cit.* 133

Tandem regula optima ad discernenda peccata, est iudicium proborum, & sapientum. Ità sæpè D Bonau. & post eum Valentia; Et num Scriptura Diuina talia proclamet Deo exosa, digna pœnis æternis: num eis indictum sit Væ, vt notant Vega *lib.14.* Bonac. *tom.2. disp.2. quæst.3. p.3.* Azor. *p.p. lib.4. cap.9. quæsito 8.* Sanch. *lib.1. Mor. cap.1.* Filliuc. *tract.21. num.246.* Becan. 2. *p. tract.2. cap.2. quæst.8.* Sayr. *lib.2. cap.14.* Valent. *tom.2. disp.6. q.18. p.3.* Reginald. *lib.15. à num.34.* Caspensis *tract. de pecc. disp.3. sect.2.* Bassæus *v. Peccatum 1. num.5.*

QVÆSTIO V.

An omne Peccatum actuale sit in Voluntate sola.

D. Bonau. in 2. dist. 41. art. 2. q. 2.
D. Thom. q. 74.

Cognita ratione formali culparum mortalium, & venialium, videnda est materialis, scilicet subiectum, in quo iacent.

Peccatum aliquod esse in Voluntate subiectiuè, omnes fatentur, vt sunt actus interni, qui cùm sint immanentes, remanent in ipsa voluntate. Similiter omnia peccata esse in Voluntate, tanquam principio, certum est; ideò enim ait D. Aug. lib. 1. Retract. cap 9. *Voluntatem esse, quâ peccatur, & rectè viuitur.* Et *lib. de duabus animabus*, definit peccatum, esse Voluntatem assequendi, &c. vt notat D. Bonau. *hic*, & communiter Theologi. 134

Quæstio ergo est: An peccatum sit etiam in aliis potentiis. 135

Prima opinio est, Peccatum non in sola Voluntate, sed etiam in aliis potentiis subiectari. Ità D. Thom. *hic art.1. & sequentib.* Caietanus, Medina, Zumel *hic*, Vasquez *disp.103. cap.4.* Azorius *tom.1. lib.4. cap.21. quæsito 1.* & alij Thomistæ, & Tannerus *disp.4. quæst.8. dub.1. n.11.* qui docent, peccata non modò in voluntate, sed etiam in intellectu, & appetitu sensitiuo, non tamen in cæteris potentiis, aut membris esse. Alij verò ea concedunt etiam in potentiâ motiuâ, applicante sensus ad operandum. Ità Almainus *tract. 4. Moral. cap. 14.* Alij etiam in operatione potentiæ nutrientis peccatum ponunt. Ità Scotus *in 2. dist.42.* At Vasquez *cap.4.* concedit, peccatum in potentiis etiam externis, non tamen in Nutriente, & Generante.

Opposita sententia est, peccatum in sola voluntate, tanquam in subiecto proximo, atque proprio 136

prio esse. Ita Durandus *in 2. dist. 42. quæst. 1.* Gabriel *ibi, artic. 1. & 2.* Ocham *quodl. 1. quæst. 20.* & *quodl. 3. quæst. 14.* & *in 3. quæst. 10.* Richardus *in 2. dist. 41. art. 2. quæst. 2.* Scotus *ibi, quæst. 4.* D. Bonauent. *ibi, art. 2. quæst. 2.* vbi non dicit solùm, peccata esse aliquo modo in voluntate, sed etiam in cæteris potentiis reperiri, vt refert Tannerus *num. 7.* sed ait *in corpore.* Culpa, sub ratione culpæ, in voluntate, tanquam in subiecto proprio, dicitur esse. Subdit verò, peccatum, vt dicit deordinationem actus alicuius potentiæ, materialiter esse etiam in aliis potentiis.

137 Assero, in sola voluntate peccatum reperiri simpliciter.

Probatvr primò à D. Bonauent. ex D. Anselmo *lib. de peccato originali*, vbi ait: *Nusquam, nisi in voluntate peccatum est.*

Secvndò. In eo est culpa, quod est totius actionis peccaminosæ principium; sed talis est voluntas: Ergo. Maior est certa; nam cùm actio peccaminosa sit immanens, & libera ex intrinseco, debet in eo manere, à quo est. Minor est clara ex dictis cum D. Augustino.

Respondet Tannerus *num. 17.* Maiorem esse veram de eo, quod per se primò est morale ac peccatum. Verum hoc mihi sufficit: nam illud est formaliter tale.

138 Tertiò. Opposita sunt circa idem subiectum; sed iustitia, & virtus est in sola voluntate: Ergo, & carentia rectitudinis, & iustitiæ, atque virtutis. Minor patet ex dictis *Tract. 2. disp. 2. quæst. 9.* & probatur ex D. Anselmo, qui definit Iustitiam: *Est voluntatis rectitudo.*

Qvartò. In ea sola potentia est culpa, quæ est essentialiter libera. Talis est sola voluntas: Ergo.

Qvintò. In eo subiecto est culpa, quod dicitur bonum, & malum; talis est voluntas: Ergo. Minor probatur, quia nunquam dicimus, intelligentiam, aut memoriam esse malam. Maior probatur, quia accidens denominat subiectum, in quo est. Huic rationi respondent aduersarij, præcipuè Tannerus, primò ait, peccatum denominare more agentis, quia est actio non forma.

139 Respondet secundò, negando maiorem de forma, & priuatione existente in subiecto, cuius respectu implicat, ipsam propriè, & formaliter habere, & exercere rationem talis formæ, vel priuationis, nisi loquamur de materiali denominatione, qua simpliciter dicitur aliquid alicui inesse: Exemplum est in actu vitalis visionis, quæ, esto fortè, vt multi concedunt, à Deo poni queat in lapide, nunquam tamen lapidem poterit facere videntem.

Sed hæc non sunt ad rem; nam visio in lapide implicat materialiter; imò materialiter, etiã vt actus vitalis, est à vita, tanquam à principio immanente.

140 Assero secundò. Actus externi sunt subiectum materialitatis peccati, vt est vitium, ac mali sunt. Ità D. Bonauent. *loco cit.* nec amplius vult. Idem volunt Medina, Zumel, Salas, post D. Thom. *quæst. 74. art. 1.* Alensem *2. p. quæst. 100. memb. 5. art. 2. ad tertium*, Albertum *2. p. tract. 21. quæst. 136.* Richardum *in 2. dist. 41. art. 2. quæst. 2.* Ægidium *dist. 39. quæst. 1. art. 2.* & *dist. 22. quæst. 2. art. 2. ad 5.* Scotum *dist. 42. quæst. 4.* Durand. *dist. 41. q. 2.* & *dist. 25. q. 3.*

141 Probatvr à D. Bonauent. quia in peccato deordinantur etiam aliæ potentiæ; nempè Memoria per obliuionem Dei, quæ vetatur Deuter. 6. *Caue ne obliuiscaris Domini Dei tui*; deordinatur Intellectus per prauum iudicium. Similiter & deordinatio versatur circa alias operationes imaginationis appetitus sensibilis; imò & actuum externorum videndi, audiendi, tangendi, quæ inordinationes ideò prohibentur in Decalogo, vt tamen sunt voluntariæ, quia voluntas est dirigens omnes potentias, tanquam Domina, cui omnes potentiæ obedientes, si in iudicium raperentur, omnes culpas adscriberent. Ipsa enim est, quæ respicit bonum, quod liberè prosequitur, sæpè autem delectabile pro honesto. Hoc solum probant aduersariorum rationes. Verùm hæc clariùs elucescent, si modò singula probaueto. Bassæus quidem *v. Pecc. 4. num. 1. & seq.* exponit D. Thomam, & asseclas, addens Bonacinam *tom. 2. disp. 2. quæst. 6. pu.&t. vnic.* Filliuc. *tract. 21. cap. 10. quæst. 1.* Becan. *tr. &t. 2. cap. 5. quæst. 1.* peccatum esse in aliis potentiis denominatiuè, & in ordine ad voluntatem. Dic materialiter cum D. Bonau. modo mox dicendo.

QVÆSTIO VI.

An nullum Peccatum omninò sit in appetitu sensitiuo.

D. Bonau. in 2. dist. 24. p. 2. art. 3. q. 1 & 2.
D. Thom. q. 74. art. 3. & 4.

Prima opinio est, in Sensualitate esse quandam innatam propriam libertatem, ratione cuius est capax venialis peccati, licèt non mortalis, hanc autem libertatem ponit absque ordine ad voluntatem imperantem, hanc refert S. Bonau. *hic*, eamque descerpsit, ac secutus est Caietanus *ad art. 4. D. Thomæ*: hæc verò à D. Bonauent. & posteà ab omnibus aliis confutatur. 142

Secvnda sententia est Conradi *ad art. 4. D. Thomæ*, in sensualitate non posse esse peccatum mortale, tanquam in causa, & integro principio; nam ratio mortalis pendet ex consensu positiuo voluntatis, præuiâ deliberatione; veniale verò esse posse, quia ex genere suo compleri potest in appetitu, absque voluntatis consensu positiuo, quamvis non absque potestate illius, ex eo solum, quòd voluntas potuit, & debuit reprimere motum, & non repressit.

Tertia opinio est Durandi *in 2. dist. 24. quæst. 3.* appetitum, vt mouetur à voluntate, esse capacem non modò venialis, sed etiam mortalis peccati: at verò, quatenus præuenit deliberationem plenam, quo pacto, peculiari ratione dicitur *sensualitas*, non posse esse in eo peccatum mortale, sed tantùm veniale; nam, vt sit mortale, oportet vt præueniat plenam deliberationem. Hanc nonnulli Thomistæ sequuntur, atque interpretantur D. Thomam, ità vt *in articulo 3.* sumpto appetitu priori modo, asserat, in eo posse esse peccatum, tam veniale, quàm mortale; posteriori autem modo loquatur *articulo 4.* & ponat in sensualitate peccatum veniale, excludens mortale. Hanc veram asserit Vasquez *disp. 104. c. 3.* licet ad mentem D. Thomæ eam neget esse; at Medina *hic, quæst. 74. art. 4.* Zumel. *ibid. disp. 1.* omninò tenent, veram esse, atque Doctori Angelico germanam. Vasquez *cap. 5.* existimat, sententiam D. Thomæ esse, in appetitu sensitiuo, etiam vt voluntati subest, non posse esse mortale; eò quòd mortale consistit in auersione habituali à Deo, seu priuatione gratiæ, & charitatis, quæ solùm est in voluntate, non in appetitu. 143

144 Tannervs verò *disp.*4. *quæst.*8. *dub.*2. *num.*30. ex responsione D. Thomæ *ad primum*, eius mentem sic interpretatur cum Valentia *quæst.* 5. *p.*2. tametsi quidem actus, seu motus praui appetitus sensitiui, si deliberati sint, verè esse possint peccata mortalia, tamen, quia ipsius appetitus vitio propriè peccatum mortale non accidit; idcircò ipsi appetitui peccatum absolutè non est adscribendum: contra verò, quia ipsius appetitus vitio præcipuè accidit, vt interueniente semiplena deliberatione motus ipsius inordinati sint, & fiant peccata venialia; ideò rectè, simpliciter loquendo, appetitui adscribuntur venialia.

145 Qvarta opinio est Richardi *in* 2. *dist.*24. *art.*4 *quæst.*1. tàm veniale, quàm mortale in appetitu reperiri eodem modo materialiter, non formaliter: nam formaliter, inquit ea esse in sola voluntate. Fuliensis *lib.*1. *de Pec. c. cap.*5. addens esse communem cum D.Thom.*quæst* 24.*art.*1.

Vltima sententia est D Bonauent. qui, cùm in prima quæstione docuisset, veniale peccatum, si culpam dicat, esse in solo libero arbitrio; si autem vitium, & inordinationem alicuius potentiæ, respectu actus sibi debiti, secundum suam naturalem institutionem, in sensualitate posse esse peccatum veniale, quod de peccato etiam in genere dixit *dist.*41. *art.*2. *quæst.* 2. vt dixi quæstione præcedenti. Mox *quæst.*2. hac concludit, peccatum mortale, tàm, vt dicit culpam,quàm vitium in sensualitate esse non posse; eò quòd mortale includat deordinationem perfectam, qualis non potest conuenire potentiæ inferiori.

146 Hanc impugnat Tannerus *loco cit. numero* 22. primò, quia delectatio morosa, quæ est peccatum mortale, & actus vitiosus mortaliter, tamen est in appetitu sensitiuo.

Respondetur, hoc esse falsum, vt ostendam *quæst.*10.

Deinde vrget, quia ibi est deordinatio, vbi est actus, qui deordinatur, & ità, si motus, & actus peccati in sensualitate ponitur, in eo poni debet, & deordinatio ex D.Bonau.*quæst* 1.at vero motus, & actus peccati, non solùm venialis, sed etiam mortalis, in sensualitate ponitur: Ergo in ea etiam debet poni inordinatio peccati mortalis.

147 Verum nihil inde pro se eruit Tannerus: Nam in sensualitate ponitur actus materialis mortalis peccati, qui consistit in deordinatione illa actus à ratione, qui à voluntate habet formalitatem deordinationis; in qua verè est actus deflectens formaliter à rectitudine; at deordinatio sensualitatis in genere morali, sicuti & actus, est imperfecta; ideò ibi non potest esse mortale peccatum, sed solùm veniale; vnde negatur Minor.

148 Tertiò insurgit cum Tannero *loco cit.* etiam Vasquez *cap.*4. quia cùm Bonauentura concedat, bonitatem, & malitiam moralem ex obiecto, & circumstantiis in actionem exteriorem, saltem secundariò deriuari, vt videre est *in* 2.*dist.*42.*quæst.*1. *in corpore*, & *ad tertium*; non loquitur consequenter, negando malitiam peccati mortalis, quatenus est dignum vituperio, in appetitu esse; siquidem in eius doctrina, saltem secundariò, in ipsum deriuari potest; & hac ratione etiam dignum censetur vituperio. Addit autem Vasquez,satis alioqui cōsonam esse hanc S.Bonau sententiam de subiecto peccati mortalis cum ea, quam habet *in* 3.*dist.*33. *quæst.*3 vbi tenet virtutes tantùm esse in voluntate. Ex quo deducit, ibi esse etiam & vitia, atque peccata.

Verum S. Doct. non pugnat secum: nam ibi 149 vult, malitiam causatiuè esse à voluntate, & deriuari ad actionem externam, provt est imperata à voluntate; Et sic etiam in sensualitatem operantem imperio voluntatis; ità tamen, vt vna sit malitia, quia actus externus non est culpabilis, nisi quatenus est à voluntate, licèt sint duæ deordinationes; nam etiam potentia, mota à voluntate, deflectit à rectitudine sibi debità, quatenus agit rem, quæ est via ad culpam, & vituperium; attamen deordinatio eius non est in genere morali perfecta, neque malitia est in ea subiectiuè formaliter adæquatè; sed tantum materialiter, & inchoatiuè. Et hoc idem adamussim constanter asserit etiam in hac secunda quæstione, vt patet *in corpore*, & *in argumentis secundo loco*. Vult igitur 150 etiam hìc, culpam totam esse in libero arbitrio, quod principaliter, & completè est in voluntate. Cùm enim sit rector aliarum potentiarum, & liberè moueat ad libitum aliquas sanè potentias despoticè, alias ciuiliter; ei adscribitur omnis error moralis aliarum potentiarum, quia in eo solo est deordinatio à iustitia; & ita actus imperatus, qui subiicitur in potentia imperata, si est mortalis, habet formalitatem malitiæ à voluntate, quæ est grauiter, ac formaliter in genere morali deordinata; cùm potentiæ imperatæ non sint dominæ; atque potentia imperata est subiectum solius materialitatis culpæ mortalis; Quoniam 151 verò sensualitas subiecta tenetur seruare rectitudinem operationis ad dictamen rationis, ad cuius imperium est ordinata, & insurgit ciuiliter indebitè ad bonum delectabile, atque deordinatur; ideò in ea potest esse peccatum veniale, quatenus est vitium; nam quatenus est culpa voluntaria, est in arbitrio, ob rationem suprà allatam. Hinc habes, S. Bonauent. non implicari, & ab eo parum abire Durandum, quem Vasquez sequitur, *cap.*5.

Assero primò, in sensualitate non esse aliquod veniale; eò quòd aliqua sit in eo libertas, contra Caietanum. 152

Probatvr à Vasquez *num.*3. & Tannero *n.*25. argumentis D.Bonauenturæ *quæst.*1.vbi aiunt, cum optimè arguere.

Primò authoritate D.Augustini *lib.*12.*de Trinitate*, *cap.*12. & *lib.*3. *de libero arbitrio*, *cap.*17. & 18. & *lib. de vera*, & *falsa religione*, *cap.*14. & *lib.*1.*Retract.cap.*9.& *lib.de duabus animabus*,*cap.*10. vbi ait: *Peccatum eatenus esse peccatum, quatenus voluntarium*; sensualitatem verò non posse esse subiectum peccati, quia in ea communicamus cum brutis, in quibus nulla est libertas. Sicut igitur in brutis, aut in furiosis, in quibus est vsus sensualitatis, nullum est peccatum; ità neque in nobis, ratione alicuius libertatis, quæ sit in sensualitate, secundùm quam, nec laude sumus digni, nec vituperio.

Cvm igitur fundamentum Caietani sit à vera 153 etiam Philosophia alienum; sequitur, eius opinionem esse falsam.

Tandem, quia sequeretur, omnes motus inordinatos appetitus esse peccata venialia, saltem; contra Concilium Tridentinum *sess.*5. *de Peccato originali*, *can.*5.vt arguit D. Bonau. *dist.*41. *art.*2. *quæst.*1. Et videbimus *quæstione sequenti*.

Assero secundò, non ideò in sensualitate est 154 peccatum veniale; & mortale ab illo excluditur, eò quòd voluntas, negatiuè se habens, sinat sensualitatem delectari circa illicita, contra Conradum.

Probatvr

154 PROBATVR à Caietano *art. 4.* Vasquez *numero 5.* Tannero *numero 26.* argumento S. Bonauent. *quaestione praecedenti*, quae est secunda articuli primi, *argumento vltimo*, *addita responsione*. Eiusdem obligationis est debitum, in inferiori parte rationis non acceptare, & repellere delectationes grauiter noxias: Ergo sicuti delectari in eis, est peccatum mortale; ità etiam consensus interpretatiuus eas non repellere, est mortale. Si ergo non repellere, sed sinere delectationes graues, est mortale: Ergo non benè Conradus ait, ob hanc rationem, in sensualitate esse tantum veniale; non autem mortale.

155 VERVM enim verò, quia probabile sit, consensum interpretatiuum esse tantùm venialem.

ARGVIT S. Doctor contra hunc modum, tribus aliis mediis. Primò, quia sequeretur, omnia venialia esse peccata omissionis. Probatur sequela; nam consistunt in omittendo voluntariè munus suum repellendi delectationem.

SECVNDO, quia sunt multa venialia, quae ratio vix potest vitare, repellendo delectationes, vt habet D. Augustinus *lib. retract.* vbi ait: *Sunt quaedam necessitate facta improbanda, vt qui vult rectè facere, & non potest*: vnde illud Apostoli Rom. 7. *Non quod bonum volo facio, sed quod odi malum*, & 19. de ciuitate Dei: *Nonnullum vitium est, cùm caro concupiscit aduersus spiritum*, vt latè
156 probat S. Bonauent. *dist 41. art. 2. quaest. 1.* Quomodo verò hoc fiat, dicetur *quaestione 10.*

TERTIO arguit, quia deordinatio praua est in eodem subiecto, in quo est actus prauus, qui deordinatur; & ità, si motus, seu actus prauus peccati est in sensualitate; cur deordinatio in sinendo delectationem ponitur in ratione, quatenus minùs cautè praeuidit, vel negligit reprimere?

ASSERO tertiò, in sensualitate esse peccatum veniale.

157 PROBATVR à D. Bonauent. *quaestione prima*, primò ex D. Augustino 12. *de Trinitate, cap. 12.* vbi ait: *Si in motu sensuali tantùm peccati illecebra tenetur, veniale est.*

SECVNDO ex Glossa, ad illud Prouerb. 24. *Septies in die cadit iustus*, quae dicit, nos inuitos, saepè peccare voluntate irrationali: Ergo illud peccatum non est in voluntate, sed in sensualitate.

TERTIO, quia primi motus sunt ad illicita, nec sunt in voluntate, sed in sensualitate.

158 ASSERO quartò, in sensualitate esse veniale, vt dicit deordinationem à recto, debito naturae suae, non vt est culpa.

PRIOR pars probatur: Ordinabile secundùm iustitiam, quando deordinatur, habet in se vitium; talis est sensualitas: Ergo.

Quòd verò non sit in sensualitate peccatum veniale, vt culpa est.

159 PROBATVR primò, quia peccatum debet esse in eo, quod mouet; at sensualitas mouetur potiùs: Ergo. Minor probatur ex D. Augustino 5. *de ciuitate, capite nono.*

SECVNDO: In culpa differimus à brutis: Ergo impossibile est esse culpam in eo, quo communicamus cum brutis: hoc autem est sensualitas: Ergo.

TERTIO: Stulti, & furiosi habent vsum sensualitatis, & tamen in nullo actu suo peccant: Ergo peccatum non est in nobis ex deordinatione sensualitatis.

160 QVARTO: In ea sola potentia est culpa, secundùm quam homo est capax laudis & vituperij; sed quantùm ad sensualitatem, homo non est dignus laude, aut vituperio: Ergo. Maior est Aristotelis 3. *Eth. cap. 1.* vbi ait: *Et in iis quidem, quae sua sponte quis agit, laudes, & vituperationes* (supple) *versantur; non quia in omnibus, quae sponte fiunt, hae locum habeant; sed quia hoc genus operationis tantùm est capax laudis.* Quaenam autem sint operationes spontaneae, capaces laudis, &c. explicat D. Gregorius Nyssenus *lib. 5. philosophiae, cap. 1.* dicens: *Actio est rationalis operatio; actiones autem laus, vel conuitium persequitur.*

ASSERO quintò, in sensualitate non esse peccatum mortale, vt mortale est.

PROBATVR à D. Bonauent. *quaest. 2.* primò. 161
Vbi est peccatum mortale, ibi est auersio completa à Deo: sed in sensualitate non est auersio à Deo: Ergo. Minor probatur. Eiusdem est auerti à Deo, & ad Deum conuerti: sed hoc est solius rationis, quae bonum honestum respicit: Ergo. Hac ratione vtitur etiam D. Thom. *hic*, Vasquez *numero 11.* & alij.

SECVNDO. Solus consensus facit mortale peccatum; sed hic est solius rationis, vt ostendi *Tractatu 1. disput. 11. quaest. 2.* Ergo.

TERTIO. Ibi est peccatum mortale, vbi est gratia Sanctificans; sed haec non est in sensualitate: Ergo. 162
Maior probatur; nam cùm se mutuò appellant, saltem moraliter debent esse in eodem subiecto; nam si peccatum mortale esset in sensualitate, parùm referret, Deum prouidisse gratiam expelli à voluntate per peccatum.

QVARTO. Quia si mortale esset in sensualitate; sequitur, quando aliquis committit homicidium, illud reperiri in manu, ense, &c.

ASSERO sextò, peccatum mortale, non modò vt mortale, sed etiam, vt est deordinatio, digna vituperio, esse in sola parte rationali, contra Vasquez *in calce.*

PROBATVR à D. Bonauent. *in corpore.* Illa 163
deordinatio, quae simpliciter excludit virtutem, est in eodem subiecto, in quo est virtus; sed deordinatio mortalis excludit virtutem, quoad actum: Ergo est in eo subiecto, in quo est virtus; sed virtus est in voluntate, vt ostendi *Tract. 2. disput. 2. quaest. 9.* Ergo.

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *quaest. 1. argumento vltimo* ad hominem, contra Vasquez. In eo subiecto est deordinatio mortalis, in quo esse potest laus, & vituperium, ex Vasquez *hic numero 11.* sed haec in solam rationalem partem vergunt, ex Vasquez *disp. 23. numero 13.* vbi affert D. Nysseni suprà adductum testimonium. Deinde
numero 20. adducens testimonium D. Thomae *quaestione 6. art. 2. p. 2.* vbi ait; Laus, & Vituperium 164
consequuntur actum voluntarium, secundùm rationem perfectam voluntatij, subdit: *Laus autem, & vituperatio non sequuntur, nisi actum liberum, prout liber est.* En quomodo secum pugnat Vasquez.

OBIICIES primò contra quintum assertum (nam caetera iam soluta sunt.) Sicut primus motus habet esse in sensualitate; ità actus vltimus, in quo est consummatio peccati, & constituit mortale.

RESPONDET D. Bonauent. primum motum in sensualitate esse, tanquam in natiuo subiecto, quatenus sensualitas est excitatiua rationis: at verò 165
actus, consummatus ab ipsa voluntate, solùm est in sensualitate, vt mota; deordinatio autem moralis in eo ponitur, à quo habet originem, vt *actio*, non vt *passio*.

OBIICIES secundò in eodem, in quo est

dispositio, natus est esse habitus: sed veniale disponit ad mortale: Ergo sicut veniale est in sensu, ità etiam mortale.

166 RESPONDET D. Bonauent. Maiorem esse veram de ea dispositione, quæ est eiusdem rationis cum habitu, & de ea, quæ transit in habitum; sicut *scientia, quæ est dispositio*, fit *scientia, quæ est habitus*: de illa verò dispositione, quæ est alterius generis, & disponit solùm per quandam qualemcumque ordinationem, falsum est; actus enim vnius potentiæ potest esse dispositio ad actus alterius potentiæ, sic bona habitudo sensus interioris est dispositio ad ratiocinationem, & bona ratiocinatio ad affectionem voluntatis. Sic ergò veniale, quod est in appetitu sensuali; potest esse dispositio ad mortem animæ. Hoc responso nititur Vasquez *numero* 11. Adde nostrum etiam modum.

167 Ex his habemus, neque circa memoriam, aut circa intellectum esse formaliter peccatum; nam, vt arguit S. Bonauent. *dist.* 41. *art.* 2. *quæst.* 1. *præcipuè fundamento* 4. In eo subiecto est peccatum, quod dignum est laude, & vituperatione, & dicitur aliquando bonum, aliquando malum moraliter, eò quòd à rectitudine morali deflectat, vel eum sectetur: at talis non est Memoria, vel Intellectus; non enim dicitur aliquis habere intelligentiam, vel memoriam prauam peccaminosam; sed voluntatem: Ergo.

QVOMODO, autem peccatum in ratione superiori, vel inferiori fit, vt docet D. Augustinus *lib.* 12. *de Trinitate*, *cap.* 12. vt arguit D. Thom. *quæst.* 74. *art.* 5. dicam *quæstione* 8. & 10.

QVÆSTIO VII.

Vtrum omnes Motus inordinati Concupiscentiæ, siue Appetitus sensitiui, & innoluntarij, sint peccata.

D. Bon. in 2. d. 36. q. 1. & d. 4. art. 2. q. 1.
D. Thom. quæst. 74. art. 7.

168 CVM dixerimus, in appetitu sensitiuo esse aliquo modo peccatum veniale, videndum est: An omnes eius actus, circa obiectum vetitum, sint mali.

Sectariorum phalanx conspirat, omnem actum appetitus sensitiui, circa rem illicitam, etiam nullo accedente voluntatis consensu, esse peccatum mortale. Ità Lutherus *art.* 2. ex damnatis à Leone X. Caluinus *lib.* 3. *Instit. cap.* 3. *sect.* 10. & aliquot sequentibus, Philippus Melancthon *in Apol. Confess. Augustanæ, art.* 2. *de peccato Originali*, vbi etiam ait: *Sed in Scholis transtulerunt huc Philosophia prorsus alienas sententias; quòd propter passiones nec boni, nec mali sumus, nec laudemur, nec vituperemur.* Item, *Nihil esse peccatum: nisi voluntarium.* Idem sentit Kemnitius *in Examine Concilij Tridentini*, & alij omnes huius Reipublicæ Satyri.

169 CONTRARIA verò sententia est omnium Catholicorum, nullum esse peccatum, nisi voluntarium, vel liberum: neque Concupiscentiæ, saltem in renatis, esse peccata mortalia, quod definitum est in Sacro-Sancto Concilio Tridentino *sess.* 5. *de peccato Originali*, *Can. vltimo*, vbi anathemate feriuntur dicentes, non tolli per baptismum in renatis totum id, quod verè, ac propriè habet peccati rationem. Simulque definitur, concupiscentiam in renatis non nocere, ipsis non consentientibus, vt latè probant Bellarminus *lib.* 5. *de amissione gratiæ, à cap.* 7. Valentia *disp.* 6. *quæst.* 4. *p.* 2. Tannerus *disput.* 4. *de peccatis*, *quæst.* 8. *dub.* 3. Vasquez *disput.* 106.

QVOAD Catholicos est etiam magna disputatio; Pro qua, oportet prælibare, distingui à Scholasticis motus primos in eos, qui sunt *primò primi*, & eos, qui sunt *secundò primi*. Motus *primò primi* sunt, vt notat Alensis 2. *p. quæst.* 108. *memb.* 2. & eius discipulus S. Bonauentura, *locis citandis*, & Vasquez *disput.* 106. *cap.* 1. qui subitò, & inopinanter, ante omnem rationis considerationem, in nobis insurgunt. Motus verò *secundò primi*, sunt illi qui motui *primò primo* statim succedunt. 170

PRIMA igitur sententia est Henrici, hos motus *primò primos* in non renatis esse pœnâ æternâ dignos, adeoque peccata mortalia, non originalia sanè, sed actualia, voluntaria tamen, non voluntate propriâ, sed Adæ: In renatis verò, licèt peccata simpliciter non sint; attamen deformitatem suam retinere. Hoc sanè vltimum putat Vasquez *disp.* 106. *cap.* 1. esse contra Concilium Tridentinum: sed non reor, cùm ipse neget habere deformitatem peccati, & velit, esse deformitatem naturalem.

SECVNDA sententia est, hos motus *primò primos*, aut vniuersim, aut saltem ex subitâ imaginatione esse peccata leuissima venialia. Ità videntur loqui Alensis 2. *parte*, *quæstione* 108. *à memb.* 2. Altisiodor *lib.* 2. *tractatu* 28. *cap.* 1. & 2. Albertus, *in* 2. *distinctione* 36. *articulo* 4. D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 36. *art.* 1. *quæst.* 2. *corpore*, & *ad* 2. & *dist.* 41. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corpore*, & *ad quartum*. Caietanus *quæst.* 74. *art.* 3. Neque audiendus Vasquez *disp.* 106. *cap.* 2. vbi hos adducit, quòd dixerint, esse saltem venialia, quasi dubitauerint: An sint etiam mortalia: Omnes enim, præcipuè D. Bonauentura, constantissimè asseuerant, non esse mortalia. 171

TERTIA sententia est, motus subitos appetitus *primò primos* esse peccata venialia; eò quòd potuerunt à Voluntate cohiberi, ne insurgerent. Loquuntur autem, non de his, qui ex corporis perturbatione oriuntur, qui sanè non possunt præueniri; sed de iis, qui è sola imaginatione exurgunt. Videtur D. Thom. *quæst.* 74. *art.* 3. *ad* 2. eam verò expressè docet *quæst.* 7. *de malo*, *art.* 6. *ad* 8. & *in* 2. *dist.* 21. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 5. & *dist.* 24. *quæst. vltima*, *art.* 2. & 3. *p. quæst.* 41. *art.* 1. *ad* 3. Sic interpretantur D. Thomam, atque sequuntur, D. Antoninus 2. *parte, titulo* 5. *cap.* 1. §. 4. Petrus Bergomas *in concord. locorum*, *dub.* 375. vbi refert alia loca S. Thomæ, Conradus *ad art.* 3. *quæst.* 74. *D. Thom.* Adde Durandum *in* 2. *dist.* 21. *quæst.* 1. *numero* 9. Gersonem *Alphab.* 20. *litt.* R, etsi *Alphabeto* 33 *litt.* H, hoc solum concedat de motibus subitis voluntatis, non appetitus, Petrum Soto *Tract. de peccatorum discrimine*, *lect.* 8. qui docet, hos motus saltem esse peccata, quoad sui continuationem. 172

Cæterùm è prædictis Doctoribus limitant hanc sententiam Durandus, Capreolus, & Conradus, hoc modo, vt subiti motus in præsentia obiecti, quam homo præuidere non potuit, vt in aspectu inopinato mulieris, non sint peccata; etiamsi non oriantur è corporis perturbatione, sed ex sola imaginatione. 173

VLTIMA sententia est, plures esse motus *primò, primos,*

primos, non modò ex mutatione corporis, sed etiam ex imaginatione, qui non sunt peccata. Ità Richardus *in 2. dist. 21. art. 2. quæst. 3.* Capreolus *loco citato*, Gabriel *super Canonem*, *lect. 78. littera M.* Ioan. Nider. *in nonum præceptum*, *cap. 4. litt. C.* Hieronymus Angestus *cap. 6. Moral. 5. parte textus*, Corduba *lib. 1. quæst. 23. dub. 9. opinione 5.* Almainus *tract. 3. Moral. cap. 24.* Scotus *in 2. distinct. 24. in responsione ad tertiam quæstionem, in solutione prima*, Nicolaus de Lyra, in id Matth. 5. *Qui viderit mulierem, &c.* intelligunt autem de motibus subitis, etiam voluntatis, circa spiritualia obiecta, qualis est motus infidelitatis, vel blasphemiæ. Idem tenent Valentia *quæst. 4. p. 1.* Medina, & Zumel. *quæst. 74. art. 3.* Vasquez *disput. 106. cap. 3.* Azorius *lib. 4. cap. 5 quæsito 2.* Tannerus *disput. 4. quæst. 8. p. 3.* Fulhensis *lib. 2. cap. 5.*

174 Si libeat meam in hac re proferre sententiam, non video, quomodo S. Bonauent. cum hac sententia non conueniat; nam *in primo loco*, cùm dixisset *in corpore*, passiones, quæ oriuntur à culpa, habere rationem culpæ; explicat *ad secundum*, quomodo id fiat, nam cùm arguisset: *Omnis culpa actualis est voluntaria; passiones animæ non sunt voluntariæ: Ergo non sunt culpæ.* Respondet, passiones ab intrinseco posse esse voluntarias, voluntate non modo concomitante, sed etiam efficiente, seu antecedente; dum diligit aliquid inordinatè. En sententia vltima. In altero vero loco dicit, Peccatum veniale esse voluntarium partim voluntate Adæ, à quo pullulat rebellio; partim a voluntate propria, illud maximè, quod consurgit ex repugnantia carnis ad spiritum: vbi aduerte, eum in hoc distinguere veniale ab originali, & mortali, quod originale est voluntarium sola voluntate Adæ,

175 quæ est aliena: mortale solà propriâ: veniale; partim propriâ, partim alienâ. Quòd si veniale esset cum solo motu concupiscentiæ, voluntate nostrâ non consentiente; iam non esset actuale, sed originale, vt infert *dist. 41. loco citando, fundamento primo*, quo nihil clarius. Et concludit: Omne peccatum veniale est saltem ex voluntate comitante, quæ cùm posset euitare turpitudinem illam, seu rebellionem concupiscentiæ, noluit, & dicitur voluntarium interpretatiuè. Et rursus concludit: Hoc modo saltem, omne peccatum veniale dicitur voluntarium, quia nemo venialiter peccat in eo, quod nullo modo potest prohibere,

176 nec etiam potuit præcauere. Idem confirmat *in responsione ad quartum*, vbi allegatur. Qui autem motus concupiscentiæ sint venialia peccata? respondet, esse motus generatiuæ; non nutritiuæ; quia illi turpes sunt, nec necessarij homini. Adducit D. Augustinum 1. *de ciuitate Dei*, vbi ait: *Si aliqua mulier corrumpatur violenter, etiamsi ab omni delectatione immunis non sit, absque omni culpa est.* Verba D. Augustini sunt: *Si illa concupiscibilis inobedientia, quæ adhuc in membris habitat, præter voluntatis legem, quia lege sua mouetur, absque culpa est in corpore non consentientis.* Quid clarius? Tandem resoluit quæstionem pro hac sententia, & respondet oppositis argumentis.

177 Qvod si aliquando dicit, hæc euenire præter voluntatem; respondet ad sequens argumentum, sic euenire, vt omnia simul sint ineuitabilia ex corruptione, singula tamen possint vitari, quod idem instruit etiam in loco primò adducto, & in *eodem 2. dist. 41. art. 2. quæst. 1.* maximè *ad primum, & secundum*, vbi respondet ad illud Rom. 7. *Non quod volo, hoc ago; sed quod nolo, hoc facio.* Licet in respondendo, etiam iuxta opinionem secundam, resoluat argumentum, sed non reassumit, iuxta hanc, vltimam, vt patet legenti. Idem vult *in 2. dist. 24. parte 2. art. 1. quæst. 2. in corpore*, cum asserat, peccatum veniale esse, dum pars inferior rationis delectatur. Clarius in Compendio Theolog. *lib. 4. cap. 10.* id elucidat.

Asserο primò, hæreticum esse, asserere omnes motus concupiscentiæ esse peccata mortalia in renatis. Ità definitum est in Concilio Tridentino *sess. 5.* & S. Doct. *dist. 41. loco citato*, id pro certo supponit, & probat solùm de venialibus. Definit autem Concilium, manere concupiscentiam ad agonem, & coronam in renatis iis, qui fortiter resistunt, neque posse obesse non consentientibus, quæ ad verbum habet etiam D. Bonauent. *in 2. dist. 32. super textum Magistri.* 178

Probatvr primò e Scripturis, quæ asserunt, liberum esse homini in hac corruptione, etiam naturæ, abstinere à quouis peccato; tametsi à plerisque non possit sine gratia Dei, & ne cum gratia quidem possit, secundùm legem ordinariam, omnia, etiam venialia, vitare, benè tamen singula, atque adeò omnia distributiuè; non collectiuè, vt disertè loquitur S. Bonauent. *locis adductis*, & post eum Valentia *disput. 6. quæst. 4. p. 2.* Genes. 4. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* 179 Multa refert S. Bonau. *in collatione 26. ad cap. 5. Ioan.* ad ea verba: *Ecce sanus factus es, iam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*, quibus apertè ostendi obseruat, posse nos motus concupiscentiæ, & irascibilis vitare; aliqui non iustè puniremur. Ideò enim non ait: *alioqui te puniam*, vt ait D. Bonauent. etiam in commentario illius loci, quia cùm sit in nostra potestate, non peccare, est etiam in nostra potestate non puniri; & ideò contingens est pœna, sicuti & culpa. Adducit ibi etiam illud Ecclesiastici 21. *Fili peccasti, non adiicias iterum. Quasi a facie colubri fuge peccatum.* Illud Psalm. 36. *Declina à malo, & fac bonum. Est enim thesaurizare iram Dei, peccata iterare*, vt habetur *Rom. 2.* ideo subdit: *Ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Quibus hortationibus ostenditur, esse in nostra potestate. Hinc 180 etiam exprobratur Hierem. 2. *Quam vilis facta es nimis iterans vias tuas!* Et Prouerb 26. *Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum, sic imprudens, qui iterat stultitiam.* Idem habet D. Petrus *secunda, cap. 2.* Ideò minatur hic, & Matth. 12. *fieri nouissima hominis illius peiora prioribus.* Hæc S. Bonauent. *ibi*, & aliis locis alia, quæ mirè hanc assertionem elucidant.

Secvndo, quia Scriptura testatur, Concupiscentiam posse frænari, vt aduertit S. Bonauent. *in appendice Diætæ salutis, Dominica 9. post Pentecost.* ad ea verba primæ Corinth. 10. *Non simus concupiscentes malorum*; vbi notat, posse nos frænare concupiscentiam; veluti frænatur equus. Idem habet *in Diæta, tit. 3. de Præceptis, cap. 8.* Et *in 2. dist. 42. art. 2. quæst. 1.* cautè obseruat, non prohiberi primum motum concupiscentiæ; sed concupiscentiæ progressum, iuxta illud Ecclesiastici 18. *Fili post concupiscentias tuas, ne eas.* Idem vrget etiam D. Augustinus *lib. 1. contra Iulianum, cap. 3.* Vnde obseruat etiam S. Bonauent. vetari nobis, Exodi 20. *Non concupisces*, vtique, quia in nostra est potestate, quod idem vrget S. Doct. *in sermone 9. & 10. de decem Præceptis Decalogi, Tom. 2. opusc.* initio. 181

Ad id affert S. Augustinus *loco citato*, & post eum S. Bonauentura *in 2. dist. 11. dub. litt.* & *art. 2. quæst. 1.* 182

quæst.1. argumento primo, & *in corpore*, illud Iacobi 1. *Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò, cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Hic Apostolus, cum potentia appetendi, ponit tres motus eius, idest, Suggestionem, Delectationem, & Consensum. Sic enim eos motus appellant Theologi cum D. Bonauent. *hic*, vbi refert Gregorium *homil. 16. in Euangelia.* Suggestio est illa prima suasio rei delectabilis, quæ allicit animam; quod si aliquem imperfectum consensum pellexerit, sequitur peccatum aliquod veniale; si verò plenus consensus, sequitur mortale. Vbi nota, indici mortem tum,
183 cùm consummatum fuerit peccatum; ex quo euidenter sequitur, non intelligi per consummationem peccati, consummationem externam, tum quia non omne peccatum exteriùs consummatur: tum quia peccatum interiùs est mortale. Hic igitur tres gradus ponit, Suggestionem; Delectationem aliquam conceptam imperfectam, quam vocat peccatum; & tandem plenum Consensum, qui peccatum reddit consummatum.

Calvinus *lib. 1. Instit. cap. 3. §. 13.* & Beza ad hunc locum Iacobi, dicunt, Apostolum illis verbis: *Parit peccatum*, loqui de peccatis operum, siue actualibus: non tamen sequi, vt concupiscentia nullum sit peccatum, quamuis peccatum operis, vel actuale non sit.

184 Contra verò sunt verba sequentia: *Peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem:* nam peccatum operis ordinariè plenè deliberatum esse solet, & consummatum ab omnibus dicitur. Cur ergo B. Iacobus peccatum operis distinxit à peccato consummato dicens: *Peccatum verò, cùm consummatum fuerit, generat mortem*?

Respondet Caluinus, Peccatum consummatum dici totum cursum peccatoris, quo finito, nihil restat, nisi supplicium mortis æternæ.

185 Contra tamen: nam loquitur Apostolus de singulis tentationibus, ait enim: *Nemo cum tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur*, & subdit: *Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia*, vt notat D. Bonauent. *loco citato*, & post eum Bellarminus *loco citato, cap.7.* Igitur peccatum, quod generat mortem, est quodlibet peccatum ex pleno consensu.

Deinde non rectè partum peccati ad peccatum operis restringit, cùm multa peccata etiam interiora sint mortalia.

186 Itaque non est peccatum, nisi accedente consensu, ex mente D. Iacobi. Ità exponunt D. Augustinus *lib.5. aduersus Iulianum. cap.3.* D. Cyrillus *lib.4. in Ioan. cap. 51.* Beda ad hunc locum, vbi notat, Tentationem, seu suggestionem, absque consensu, non esse ad peccatum, & pœnam, sed ad meritum, & coronam; vt ait idem Apostolus: *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*; vt notat S. Bonauent. *locis supra adductis*, & *in Opusc. de gradibus virtutum, cap.14. Tom.2. opusculorum.*

187 Probatur secundò à D. Bonauent. *in 2. distinct.32.* circa litteram, & *quæstionibus sequentibus*, & *lib.2. Pharetræ, cap.4.* quia renatis nihil remanet culpæ, vt habet Apostolus Rom. 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus*; & post: *Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato*, Rom 8. *Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu*, & ideò dicuntur renati, & renouati ex aqua, & Spiritu Sancto. *Ioan.3.* vt notat D.Bonauent. *quæstione prima*, ex adductis, *dist.32.* & latiùs *ad cap.3. Ioan.* quibus locis affert etiam testimonia Sanctorum Patrum, præcipuè Augustini, de quibus infrà. Vnde infert Apostolus, cap. 6. *Si autem mortui sumus cum Christo: credimus, quod simul viuemus cum eo*, vt notat etiam D. Bonauent. *in appendice Diæta salutis, Dominica sexta post Pentecosten.*

Ex quibus ruunt hæreticorum responsa, manere quidem concupiscentiam, damnationis ream, sed dici ablatam à renatis, quia illis non imputatur. 188

Contra enim: Nam ideò dicuntur ab Apostolo *renati*, quia nouam vitam animæ accipiunt, ideò mortui dicuntur in Christo, baptizati, iustificati, &c.

Præterea, si adhuc manet reatus damnationis, vt verè putant aduersarij, qui eatenus solum ablatum dicunt, quatenus non imputatur, iam adhuc maneret aliquid damnationis.

Probatur à D. Bonauent. etiam *in 2. distinctione 28. art. 2. quæstione 2.* ex illo Rom.7. *Non ego operor, sed quod habitat in me peccatum*, vbi Glossam quandam reiicit. Si ergo peccatum non est opus nostrum, non potest esse peccatum; subdit enim: *Scio enim quod non habitet in me, idest in carne mea, bonum.* Neque sumit carnem pro toto homine: vt dicit Caluinus 2. *Instit. cap. 1. §. 9.* nam contrà distinguit (*me*) à (*Carne*) Hoc est secundum argumentum Bellarmini.

Probatur secundò à D.Bonauent. *locis adductis* ex Sanctis Patribus, præcipuè ex D. Augustino, qui vnus instar omnium est, cùm fideliter, magnaque diligentiâ omnium antiquorum sententias collegerit. Vnde hortatur ipsemet Caluinus lib.3. Instit. cap.3. § 10. *Ex illo igitur sumant lectores, si quid de sensu antiquitatis habere certi volunt*: & subdit egregiam confessionem sententiæ D. Augustini: *Porrò inter illum, & nos hoc discrimen est, quod ipse quidem concupiscentiæ morbum, peccatum vocare non audet; sed ad illum designandum infirmitatis nomine contentus, tum demum fieri peccatum, docet, vbi vel opus, vel consensus accedit. Nos autem illud ipsum pro peccato habemus, per quod, aliqua omninò cupiditate, homo titillatur.* Itaque confitetur Caluinus, totam Patrum antiquitatem esse pro nobis. 189

Quoniam verò Lutherus, Kemnitius, & alij huius farinæ, negant sensum Sanctorum Patrum; 190 Eos referam, quos S. Bonauent. refert, dimittens lectorem ad Bellarminum *cap.8.* vbi alios etiam numerat.

Et quia Lutherus *in assert. art. 2.* Philippus *in Apolog. confess. Augustana*, & alij S. Augustinum patronum iactant, eius testimonia ex D. Bonauentura referemus.

Igitur primò ex professo hanc materiam tractans *in 2. dist. 32.* multa S. Augustini testimonia refert. Et quidem *dub. 1. litt.* ponit testimonium S. Augustini, multis eius in locis refricatum, vt *epistola 200. Tom.2.* & *lib.1. de visione Dei, cap.25.*
Tom.5. & lib.primo, contra duas epistolas Pelagianorum *cap.10. Tom.7.* & *serm.5. de verbis Apostoli*, & *serm.6. & 11. Tom. 10.* vbi asserit, manere in 191 corpore mortis huius carnalem concupiscentiam, cuius vitiosis desideriis non obedire præcipimur, quæ tamen concupiscentia quotidie minuitur in proficientibus, & continentibus; sed tamen, licèt remaneat concupiscentia post Baptismum, non tamen dominari, aut regnare, sicut antè; imò per gratiam

gratiam Baptismi, concupiscentiam mitigari, & minui, vt posteà dominari non valeat, nisi quis reddat vires hosti, eundo post concupiscentias, quod postea definiit Concilium Tridentinum *sess.5.*

192 DEINDE refert locum illum D. Augustini *de Baptismo paruulorum*, vbi ait: *Gratiâ per Baptismum id agitur, vt vetus homo crucifigatur, & corpus peccati destruatur, non ità, vt in ipsa viuente carne concupiscentiâ respersâ & innatâ, repentè absumatur, & non sit, sed ne obsit mortuo, qua inerat nato; nam si post Baptismum vixerit in carne, habet concupiscentiam, cum qua pugnet, eamque, adiuuante Deo, superet, si tamen non in vacuum gratiam eius susceperit.* Non itaque hoc præstatur in Baptismo, nisi fortè miraculo ineffabili Creatoris, vt lex peccati, quæ est in membris, prorsus extinguatur, vt non sit, sed vt quidquid mali ab homine factum, dictum, cogitatumque est, totum aboleatur: Ipsa verò concupiscentia soluto reatus vinculo, quo per illam diabolus animam retinebat, & à suo Creatore separabat, maneat in certamine. Quid est autem manere in certamine, nisi quòd sanctum Concilium Tridentinum post D. Bonauent. *hic* definit; manere ad meritum, & coronam, si bonum certamen certauerimus contra illam.

193 OBSERVA autem, soluto reatu, solutum manere peccatum, vt ait S. Augustinus *libro primo, de nuptiis, & concupiscentia, cap.26.* vbi ait: *Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati.* Idem concedunt Philippus *loco citato*, & Caluinus *locis adductis*, §.11.

PROBATVR deinde à D.Bonauent. *in 2.dist.41. art.2. quæst.1*, ex D. Augustini locis; quibus nullum peccatum, nisi voluntarium admittit, *lib. primo retract. cap. 13.* vbi ait: *Vsque adeò inquam peccatum voluntarium malum, vt nullo modo sit peccatum, nisi sit voluntarium.* Idem habet *lib. de vera religione, cap.14.* & loquitur de voluntario, voluntate propriâ, sine qua non potest esse peccatum actuale, vt declarat ipse S. August. *lib. 83. quæstionum, quæstione 24.*

194 PRÆTEREA ex *primo de ciuitate Dei, cap. 25.* id ostendit S. Bonauent. validissimo inde deducto argumento. Motus concupiscentiæ in corpore dormiente, vel in infante, vel furioso, appetentibus cibos noxios, non est peccatum: Ergo naturâ suâ concupiscentia non facit peccatum, nisi accedat consensus voluntatis; ideò enim in dormientibus, & cæteris allatis non sunt peccata, quia non vtuntur libertate, sine qua nullum potest esse peccatum: Alioqui etiam in eo, qui violenter mouetur ad scribendam blasphemiam, vel ad thus adolendum idolo, vel ad copulam carnalem, erunt rei, quod absit; vt notat S. Bonauent. ex D. Augustino *loco citato*, vbi addit, non esse peccatum, etiamsi mulier violata repugnans, sentiat delectationem. Idem habet D. Augustinus *lib. de duabus animabus, contra Manichæos, cap. 10.* ex quibus infert: *Quibus concessis colligerem, nusquam scilicet, nisi in voluntate esse peccatum.* Idem habet S. August. & alij Patres relati *disp.1. quæst. 1.* ex Definitionibus peccati.

195 EN patet, Philippe, non ex Philosophis nos habuisse dogma illud: *Nullum peccatum, nisi voluntarium*; sed ex D. Augustino, qui iuxta omnes PP. antiquos locutus est, vt fatetur Caluinus, suprà citatus, & quem omnes posteà secuti sunt, qui omnes è Scripturis, primò allatis, id inferunt aliisque, *p. p. tract. 10. disput. 9. de libero Voluntatis arbitrio, cap. 5. quæst. 3.* quibus, peccata ea sola esse, quæ voluntaria sunt, statuuntur. Vnde sunt præcepta, exhortationes, minæ pœnarum peccantibus, sponsiones præmiorum euitantibus, quæ nullo modo fierent nisi actualia peccata omnia essent in nostro arbitrio.

REFERAM alios PP. ex D. Bonauent. & quidem *lib.2. Pharetra, cap.1.* affert D. Ambrosium in Lucam, *lib.4. cap.4. tom. 5.* vbi ait: *Tentationem nunquam timere debemus: est enim causa victoriæ, materia triumphorum.* 196

D.BERNARDVM serm 85. super Cantica: *Impulsus euersus sum, vt caderem, & Dominus suscepit me. Quæris, quis ille sit impulsor? non est vnus. Impulsor Diabolus, impulsor mundus, impulsor homo. Quis ille homo sit, quæres? Quisque sui.* Et serm.64. *Necesse est, vt veniant tentationes: Quis enim coronabitur, nisi, qui legitimè certauerit? aut quomodo certabunt, si desit, qui impugnet.* Et cap.2. affert D. Isidorum lib.3. de summo bono, cap.6. seu 13. *Ferre cogitationes, sine perfectione, vitiorum, non est ad damnationem, nec est occasio subeundi discriminis, sed potius augendæ virtutis.*

AFFERT cap.3. etiam D. Augustinum *serm.6. de verbis Apostoli, tom.10.* vbi ait: *Quidquid peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus est, non oritur, nisi ex mala cupiditate, non imputatur nisi ex illicita delectatione. Huic igitur illicitæ delectationi si resistamus, non regnat peccatum in nostro mortali corpore.* Et serm.13. *Mortua est vna delectatio, sed viuit altera; & illi, dum non consentis, eam mortificas, cùm cœperis omninò non delectari, mortificasti. Hæc est actio nostra, hæc est militia nostra.* 197

CAP.4 refert D.Gregorium *lib.21. Moral. cap.3.* vbi ait: *Sciendum est, aliud esse, quod animus de tentatione carnis patitur; aliud verò, dum per consensum delectationibus obligatur.* Et homil. 30. in Euangelia: *Ille verò Deum amat, cuius videlicet mentem delectatio praua ex consensu non superat.*

D.AVGVSTINVM *de mendacio, ad conf. cap.19.* vbi ait: *Tunc consentimus, cum approbamus, & volumus. Pudicitiam corporis, non consentiente, aut non permittente anima, nemo violat. Quidquid enim nobis inuitis contingit in nostro corpore, nulla impudicitia est.* Et de Genes. contra Manichæos, lib.2. cap.14. tom.1. *Si ratio humana consentiat, vt quod libido commouerit, faciendum esse decernat, ab omni vita bona tanquam è paradiso expellitur homo, & iam ei peccatum imputatur, etiamsi non sequatur factum, quoniam rea tenetur in consensione conscientia.* 198

ET D. Bernardum, serm. de 6. Tribulationibus: *Si carnalibus distrahor desideriis, & illis, (quod absit) consensero quantum possum, etiamsi non sequatur factum, in morte quidem sum mortuus, atque & consequenter sepeliendus in inferno. Nulla ex his, qui sunt in Christo IESV damnatio, si concupiscentia sensus sit absque consensu. Peccatum in foribus est; nisi tu ipse aperias, non intrabit. Appetitus in corde pruriit, sed subter te est, nisi tu sponte cesseris, non nocebit.* 199

Ex quo ruit etiam sordida responsio Illyrici, ad locum adductum Rom. 8. *Nihil ergo damnationis est his, qui sunt in Christo IESV.* Sic autem respondet in Apologia pro Confessione Antuerpiensi, cap.3. *Nihil damnationis esse iis, non per se, sed per accidens, accedente petitione remissionis peccatorum, & ipsius concupiscentiæ.* Clarè enim dicit Bernardus, vetam esse simpliciter, nisi peccato à concupiscentia excitato consentias. Adde, non esse orandum pro remissione concupiscentiæ, vt docet 200

docet D. Augustinus *lib. 1. cap. 3.* contra duas epistolas Pelagianorum. Et *epistola 200.* & *lib. de perfectione Iustitia.*

HABES etiam, simpliciter Appetitum sub nobis esse, ex *Genes. 4.* & nos posse dominari illius, quod notat idem S. Bonauent. *in 2. dist. 32. dub. 1. litterali.*

PLVRIMA alia loco, *illo libro 2. Pharetra* S. Bonauent. è SS. PP. adducere possem; quæ apud ipsum videri possunt.

RESPONDENT Bucerus, & Kemnitius, D. Augustinum negare, concupiscentiam esse peccatum, more vulgi, non verè secundùm Scripturam.

Hæc insana responsio, ex ipso S. Augustino refellitur, qui Scripturas pro se affert.

201 RESPONDET Caluinus *loco citato, §. 12. & 13.* S. Augustinum timuisse inuidiam, Pelagianorum operâ excitatam, quasi doceret, per Baptismum non remitti omnia peccata; & ideò abstinuisse à nomine peccati, quando de concupiscentiâ loquebatur; sed posteà, prostrato iam errore, concupiscentiam vocasse peccatum, *lib. 5. in Iulianum; cap. 3.* & *tract. 41. in Ioan.* vbi ex propria sententia loquitur.

202 ENIMVERÒ S. August. post ea omnia opera contexuit Librum Retractationum, vbi asserit, nullum peccatum à concupiscentia esse, nisi voluntarium, vt suprà retulit S. Bonauentura.

DEINDE *tract. illo 41. in Ioannem* dicit, concupiscentiam, quæ in renatis reliqua est, esse infirmitatem, non iniquitatem. Sic enim ait: *Numquid, quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas?* Ex quo intelligimus, eum etiam de peccato impropriè loqui, cùm in eodem tractatu concupiscentiam vocat peccatum, vtens illis verbis Apostoli Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Et Rom. 7. *Non ego operor illud; sed quod habitat in me peccatum.* Vult igitur, non posse omninò nos perfectè dominari concupiscentiis, attamen neque posse eas ad mortem nos reducere, nisi volentes. Ideò hortatur Sapiens, Ec-
203 clesiastici 18. *Post concupiscentias tuas ne eas;* quamdiu autem caro concupiscit aduersus spiritum, non possumus dominium habere despoticum in illam, vt non insurgat. Hinc sine peccatis venialibus esse non possumus, vt ait Ioan. epistola prima, cap. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Ità respondet S. Bonauent. *ad cap. 8. Ioannis*, adducens loca D. Augustini, & post eum Bellarminus, *cap. 8.* qui in illa disputatione Scripturas, & Patres eosdem refert cum Diuo Bonauentura.

PLVRIMIS rationibus possumus id confirmare: Omissis autem illis, quibus latè S. Bonauent. *in 2. dist. 30. art. 2. quæst. 1.* probat, concupiscentiam non esse peccatum Originale, quibus vtitur Bellarminus *lib 5. cap. 9.* quas referam *disputatione 4. quæst. 2.* ostendam rationibus S. Bonauent. *dist. 41. art. 2. quæst. 1.* quibus profitetur, se probasse illos motus, nec esse peccata venialia.

204 PRIMA ratio est. Omne peccatum actuale est voluntarium, vt docent Scripturæ, & SS. PP. suprà: Sed primi illi motus non sunt voluntarij: Ergo. Si dicas, esse voluntarios voluntate aliena, idest Adæ: Contrà arguit S. Doctor, si sufficeret ad peccatum, saltem veniale, voluntas Adæ; iam sequeretur, peccata venialia esse originalia, quod est absonum.

SECVNDA ratio *in corpore*, refricata, quam habet *in 2. dist. 25. quæst. 6. argumento primo*, quod confirmat ex D. Bernardo *lib. de libero arbitrio*, qua vtitur etiam Bellarminus *loco citato.* In pueris, amentibus, dormientibus, & cæteris carentibus vsu rationis, actus primi concupiscentiæ non sunt peccata, quia non est in potestate eorum, non concupiscere, vt docent SS. Augustinus *lib. 10. confess. cap. 30.* Prosper *lib. 3. de vita contemplatiua, cap. 6.* Ambrosius *lib. primo, de officiis, cap. 21.* At non est in potestate virorum, etiam Sapientum, & vigilantium, non habere illos primos concupiscentiæ motus, vt experientia docet: Ergo illi peccata non sunt. Vnde ait D. Augustinus primo de ciuitate Dei, cap. 1. 16. & 18. *Quantò magis concupiscentialis inobedientia absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis.* Hoc argumento vtitur etiam Vasquez *numero 10.* ad probandum, non esse peccata venialia, quoad hæc. Alias rationes faciles ibi habet.

PROBATVR etiam ab eodem S. Bonauent. *in 2. dist. 32. ad litteram Magistri*, & *quæst. 1.* post Baptismum possumus suauiter obseruare legem Dei, Matth. 11. *Iugum meum suaue est.* Prima Corinth. 10. *Fidelis Deus, qui non permittit, vos tentari supra id, quod potestis.* Et prima Ioan. 5. *Mandata eius grauia non sunt*, S. Basilius, oratione in illud: *Attende tibi: Impium est dicere, impossibilia esse spiritus præcepta.* Idem habent S. Hieronymus *lib. 3. aduersus Pelagianos*, S. Augustinus *lib. 2. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 3.* Confirmatur ex illo Genes. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Quod si concupiscentia, vel motus eius primi essent peccata mortalia, iam non posset lex Dei seruari, quia motus concupiscentiæ sunt ineuitabiles, vt colligitur ex *Rom. 7.* & *2. Corinth. 12.* & aliis locis Apostoli, vt vidimus cum D. Bonauent. Hac ratione vtitur etiam Bellarminus *loco citato.* 205

ALIAM rationem habet ad *cap. 8. Ioan.* & *loco citato, dist. 32. quæst. 1. & 2.* Si concupiscentia, & actus eius sunt peccata mortalia in homine etiam iustificato; sequitur, nos verè non iustificari, nec esse redemptos à captiuitate diaboli. Et ità falsum est id, quod ait Christus, Ioan. 8. *Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis.* Et id, quod ait Apostolus, Rom. 6. *Nos per Baptismum mori peccato, & renasci gratiæ*, vt habet etiam Glossa *ibi.* 206

ASSERO secundò, motus *primò primos*, neque peccata venialia esse.

PROBATVR à D. Bonauent. ex professo *in 2. dist. 41.* duabus rationibus, adductis assertione præcedenti, quæ ad hoc adducuntur à Seraphico, cùm ibi supponat initio quæstionis, id de peccatis mortalibus esse certum; quas refricat *in corpore.* Mirum est Vasquez assumere rationes fundamentales S. Bonauenturæ ad impugnandam opinionem secundam, eamque Seraphico adscribere. 207

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. Si motus insurgens necessariò ex concupiscentia, pura edendi immoderatè, esset peccatum veniale; sequeretur, omnes motus tales ex appetitu necessariò orientes, esse peccata: Sed hoc est falsum; nam quod est naturale essentialiter, necessarium est, & extra rationem moralis, vt omnes ferè Sapientes concedunt; alioqui isti motus appetitus, cùm in brutis sint, etiam in illis erunt peccata.

PROBATVR quartò à D. Bonauent. *in Compendio, loco citato*, Lex virtutis, & rectæ rationis non potest ad id, quod supra industriam est humanam, aliquem obligare: Sed supra industriam est 208

est motus omnes concupiscentiæ præcauere; & impedire, aut reprimere, cum sint naturales; ineuitabiles, & inopinati: Ergo non obligamur aliqua lege virtutis, vel rectitudinis, etiam venialiter. Hoc argumento vtitur Vasquez *numero* 11. Tannerus *numero* 12. Neque verò negauerim istis, impossibile esse omnes planè motus præcauere prauos; ideò etiam S. Bonauent. *in corpore*, monet, peccata venialia esse talia, vel voluntate antecedente, seu præambula, quæ scilicet directè sunt volita; vel voluntate comitante, non præcauente, quatenus scilicet potuit (potest enim aliquos; neque id negauerit Vasquez) motus illos præcauere, atque reprimere, seu impedire; & hi sunt voliti, voluntate interpretatiuâ, vt ait S. Bonauent. qui omninò cum vltima sententia conspirauit.

209 PROBATVR quintò à D. Bonauent. *in Compendio*. Illi tantùm motus esse possunt peccata, quæ sunt in genere morali: Sed soli actus secundi sunt tales: Ergo. Maior est clara. Minor probatur, quia illi soli motus spectant ad mores, quorum principium est morale; at voluntas est principium morale *ex* 7. *Eth*. Ergo. Ibi ergo genus moris incipit, vbi est dominium voluntatis; sed quia voluntas non habet perfectum dominium, ideò sunt tantùm venialia, nec esse possunt lethalia.

OBIICIVNT primò hæretici multa loca scripturarum, quibus vniuersaliter concupiscentia, & actus eius dicuntur peccata. Et quamuis ab eis eò dirigantur, vt probent, esse peccatum originale, tamen hoc etiam intendunt. Ea verò referremus nunc, ne iterum ea pertractare cogamur.

Primò sunt aliqua Apostoli effata, in epistola ad Rom. *cap.6.7.& 8.* vnde Lutherus, & alij præcipuum hauriunt argumentum.

PRIMVS locus est, Rom.6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum concupiscentiis eius*. Vbi notant, dicere: *Non regnet*, non autem, *non sit*, quia semper est, ità vt esse non possit.

210 RESPONDET D. Bonauent. *in* 2. *dist*.30. *art*.2. *q*.1. ex Glossa, Concupiscentiam dici peccatum, quia est fomes peccati, & effectus etiam originalis, pœnaque eius, quæ in infideli habet adiunctam carentiam iustitiæ originalis; & dicit peruersam conuersionem ad creaturas, habet aliquid peccati materiale; attamé in renatis nil habet, quàm esse pœnæ, & materiam ad certamen, atque triumphum, vt dixit etiam suprà cum D. August. Quam responsionem accipit Sanctum Concilium Trident. *sessione* 5.

VLVLAT Lutherus *in assertione articuli secundi*, non licere vel Angelis extorquere scripturas. Cùm autem Apostolus hic dicat, Concupiscentiam esse peccatum; non licèt negare; alioqui negare etiam libeat, adulterium esse peccatum.

211 AT Lupus se acclamat Zelatorem gregis, cum vbique Scripturas ipse inuertat. Nam, vt ritè aduertit S. Bonauent. *in* 2. *dist*.41. *art*.2. *quæst*.2. peccatum non est in carne, & tamen hoc, quod Apostolus vocat peccatum, ait: *Non regnet in carne vestra*. Igitur non de formali peccato loquitur. Præterea cap.7. ait: *Peccatum est Lex? Absit*. Vbi sumit peccatum pro causa peccati, vt claret. Idem in multis Scripturæ locis vsurpatur. Similiter è Scripturis constat, Peccata per Baptismum tolli, nec ampliùs reiterandum Baptismum, & tamen constat, baptizatum adhuc retinere concupiscentiam, vt habet Apostolus, Rom.7. *Sentio aliam legem in membris meis, &c.* Ergo Scripturæ, quæ Concupiscentiam peccatum vocant, impropriè peccatum esse volunt. Ita arguit S. Bonau. *in* 2. *d*.30. *art*.2. *q*.1. *fundam. vlt.*

SECVNDVS locus est, Rom.7. *Peccatum non cognoui, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret: Non concupisces*. Hîc concupiscentiam Apostolus asserit, esse propriè peccatum, quia est præuaricatio Legis. 212

RESPONDET D. Bonauent. *in* 3. *dist*.37. *quæst*.3. *fundamento primo*, ibi concupiscentiam, ex Glossa, eam intelligi, quæ est vetita à Lege. *Non concupisces*; atque adeò eam esse, quæ est voluntaria; non autem, quæ est motus primò primus, vel naturalis potentia concupiscendi. Hæc tamen nil iuuant aduersarios.

TERTIVS locus est Rom.7. *Lex quidem Sancta, & mandatum Sanctum: Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato*. Vbi Apostolus testatur, se non obseruare legem, quia est carnalis, neque loquitur de lege prohibente actiones voluntarias, hanc enim ait Apostolus, se seruare, dicens: *Quod odi facio, & mente seruio legi Dei*: Ergo loquitur de lege prohibente concupiscentiam nobis insitam à peccato Adæ: Ergo concupiscentia illa repugnat Legi, & est peccatum propriè. 213

PRIMO quidem Chrysostomus, Theophylac. Ambrosius, & alij ad hunc locum, & D. Aug. *lib*.1. *ad Simplicianum, quæst*.1. dicunt, Apostolum non loqui de se, suique similibus iustis, sed induisse personam hominum impiorum, qui à fomite vincuntur, & pertrahuntur in varia flagitia, qui rectè dicuntur venundati sub peccato, quia nondum sunt redempti per applicationem sanguinis Christi, quæ fit per fidem, & Sacramenta. Quod verò de iis malis verificetur: *Quod odi facio, & mente seruio legi Dei*, intellige de lumine rationis, & quodam appetitu boni, qui saltem in genere nulli deest, vt indicat D. Bonau. *in* 2. *dist*.28. *art*.2. *quæst*.2. *fundamento tertio*.

SECVNDA expositio est D. Augustini, in omnibus ferè libris contra Pelagianos, & *lib*.1. *de retract*. *c*.1. Primatij, Anselmi, Thomæ & aliorum, ad hunc locum, Apostolum loqui sanè de seipso: Nam cùm dixisset cap.7. *Condelector legi Dei, &c.* deducit cap.8. *Nihil ergo damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem ambulant*. Itaque non vult Apostolus, legem non seruari à iustificatis, quatenus opus est ad vitandum peccatum; sed non seruari, quantùm ad quandam perfectionem, quæ est finis præcepti; Atque non est propriè in præcepto seruare quidem præceptum: *Non concupisces*, quod est medium; non autem seruare finem, qui est extirpatio omnium Concupiscentiarum; ità, vt nullus motus oriatur. Ad hunc autem finem ait, se non posse peruenire pro hac vita carnali, donec in alia vita spiritualis omninò fiat. Hanc expositionem indicat S. Doct. *ad caput* 8. *Ioan*. ad ea verba: *Omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati*. Ideò (ait S. Bonauent) clamabat Apostolus, Rom.7. *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* & subdit: *Gratia Dei*, scilicet consummata. 214

Ex qua opinione non sequitur, prohiberi aliquo modo, à lege motus omnes etiam concupiscentiæ, vt malè concedit Bellarminus *lib*.5.*c*.10. sed tantùm intendi hanc perfectionem finalem charitatis, quæ est finis legis, vt tandem per gratiam consummatam perueniamus ad quietum amplexum cum Deo absque perturbatione affectionum prauarum; & quidem non prohiberi hos motus à Lege, sed tantùm progressum ex consensu, ostendit D. Bonauent. *in* 2. *distinctione* 41. *art*. 2. *quæstione* 1. *ad* 2. ex illo Ecclesiastici 18. *Post concupiscentias tuas ne eas*. Idem enim sonat id, quod Exodi 20. *Non* 215

Concupisces: nam dicitur *Lex mentis* ab Apostolo, quia voluntati data est, non carni.

216 Iuxta hanc præcepti expositionem S.Bonauent. *in serm. primo, de decem Præceptis*, aliud responsum exhibet optimum, quo vtitur Bellarminus, scilicet velle Apostolum cõtestari, legem quidem sanctam, irreprehensibilem, iustam,& bonam,obseruabilem perfectè,vt ipse Apostolus iniungit Timotheo,prima, c.6. *Præcipio tibi in Deo, qui viuificat omnia, vt sine macula serues mandatum irreprehensibile.* Et prima Ioan.5. *Hæc est charitas Dei,vt mandata eius custodiamus: & mandata eius grauia non sunt.* Habenti enim charitatem mandata sunt facilia:non habenti charitatem difficilia. D.Aug. *ser.24.de verbis Apostoli*,ante medium,*tom.*10. dat exemplum de aue sine plumis, cui difficile est volare: & de aue cum plumis,cui facile est volare. Similiter habenti charitatem facilia sunt præcepta; non habenti,difficilia. Vnde dicitur, Deuter.30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie,non est super te,nec procul positum,nec in cœlo situm, nec trans mare positum. Sed iuxta te est valdè sermo, in ore tuo, vt facias illum.* Et Ecclesiastici 23. dicitur: *Nihil dulcius, quàm respicere in mandatis Domini*, & Psal. 18. *Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum, & dulciora super*

217 *mel, & fauum.* Hinc igitur deducit Apostolus, legem non esse causam peccati, cùm sit dulcedo spiritualis; sed carnis nostræ corruptionem,quæ pullulat praua desideria,etiam reluctante ratione.Dixerat enim paulò antè: *Itaque lex quidem sancta, & Mandatum Sanctum,& iustum,& bonum. Quod ergo bonum est,mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem: vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum*: Et continuò, vt hoc probet, adiungit: *Scimus enim quod Lex spiritualis est: ego autem carnalis sum,&c.* Hoc est: *Lex non potuit mihi mortem operari,quia spiritualis est,sed radix peccati in me est, qui adhuc carnalis sum, venundatus sub peccato quoad corpus, vnde etiam, me ignorante, vel inuito,oriuntur in carne mea motus concupiscentiæ, qui allicere conantur ad assensum.* Ex his, obiectiones reliquæ facili negotio diluuntur.

218 QVARTVS locus, Rom. 7. *Si autem quod nolo illud facio: consentio Legi, quia bona est.* Cùm igitur nollet motus illos sentire, consentiebat Legi: Ergo illi motus sunt Legi contrarij.

RESPONDETVR ex dictis cum D.Bonauent.*locis adductis*, sensum esse: *Si quod nolo facio*,idest si inuitus concupisco; *consentio legi*, quæ non præcipit, vt non patiamur primos motus concupiscentiæ, sed ne concupiscamus voluntate.

QVINTVS locus est eodem capite: *Inuenio igitur legem, volenti mihi facere bonum; quoniam mihi malum adiacet.*

219 RESPONDETVR, sensum esse: Inuenio, legem esse mihi volenti obseruare bonum quoddam,quod non amittam, quoniam malum adiacet mihi incitans ad malum.

SEXTVS locus est, eodem capite: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Ergo concupiscentia est peccatum, cùm legi repugnet rationis.

220 RESPONDET D. Bonauent. *opusc. de tribus ternariis, cap.*3. concupiscentiam esse legem, idest dictamen rebellionis,quo corpus inclinat ad ea, quæ sunt bono honesto contraria. Vnde & ad Galat.5. *Caro concupiscit aduersus spiritum*, quæ est infirmitas relicta ex peccato originali; Non igitur repugnat legi mentis priuatiuè; sicut peccatum,quod est actio recedens à regula legis, sicut contrarij sunt legi etiam dæmones, sollicitantes ad malum: dicitur autem *captiuans*, quia allicit, & carnem captiuam facit, vel quia captiuatur, & conatur,vt exponit D.August. *lib.de nuptiis, & concupiscentia, c.*30.

SEPTIMVS locus est ibi: *Non enim quod volo bonum,hoc ago: sed quod odi malum, illud facio.* 221

Respondet S.Bonau.2.*parte Centil.sect.prima*, & post eum Valentia *ad* 2. nos agere quod nolumus, nam concupiscentia rebellis est, non obediens rationi:& ità cogimur agere malum, quod nolumus; idest appetere sensu,quod voluntas refugit,ex quo fit,vt voluntas quidem malum agat,non peccatum.

OCTAVVS locus est ibidem. *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Hinc Caluinus elicit,concupiscentiam esse peccatum,quia miseros facit homines:Kemnitius verò id ait colligi, quia Paulus eam iudicat dignam pœna æterna. 222

RESPONDET D.Bonauent.*in soliloquio,c.*4.circa medium,loqui Apostolum de corpore suo mortali, sexcentis calamitatibus obnoxio. Addit verò *in Opusc.de resurrectione à peccato*,nil aliud velle Apostolum, quàm exponere,se non posse absque Diuina gratia superare insolentiam carnis,ac motus cõcupiscentiæ. Ideò sibi respondet: *Gratia Dei.* Idem habet *in* 2.*dist.*28.*quæst.*2. *fundamento secundo.*

NONVS locus est ibi: *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio*: at qui non perficit bonum,peccat: Ergo. Hoc est argumentum Caluini. 223

RESPONDEO è D.Bonau. *in* 2.*d.*28.*q.*2.Apostolum non inuenire perficere bonum,nunquam concupiscendi, & hoc peccari, quod tamen non est ex præcepto impositum; neque valere bonum dictamine rationis indicatum, sine gratia Dei; alioqui superabitur, vbi etiam affert illud: *Non ego operor illud,sed quod habitat in me peccatum. Scio enim,quia non habitat in me, Hoc est in carne mea, bonum.* Ex quo apertum argumentum elicit Bellarminus *c.*7. post D.Bonauent.concupiscentiam in homine non esse propriè peccatum;nam dicit,illum motum non esse suum opus: deinde addit, non esse in se; sed in carne sua. Neque sumit totum hominem pro carne, vt dicunt Caluinus *lib.*2. *Instit. cap.*1. §. 9. & *cap.*2. §. *vltimo*, & Beza *in annotationibus ad cap.*7. *epistola ad Rom.* tum quia dicit, non habitare in se, idest in carne sua, bonum. Deinde excludit: *Non ego operor illud, &c.*

DECIMVS locus est Rom.8. *Sapientia carnis inimica est Deo: Legi enim Dei non est subiecta.* 224

RESPONDET D.Bonauent. *de Ecclesiastica Hierarch. parte prima, cap.*3. vbi ostendit, Apostolum loqui de Sapientia, atque prudentia nimia in deliciis sibi comparandis, ac commodis prosequendis, quæ est peccatum actuale, & contraria veræ Sapientiæ, quæ non inuenitur in terra suauiter viuentium, vt ait Iob 28. Illis verò sapientibus minatur Isaias cap.5. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris.* Vide Seraphicum egregiè disserentem.

OBIICIVNT secundò illud Genes. 6. *Videns Deus, quod cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quòd hominem fecisset.* Hebraïce habetur: *Ipsum figmentum cordis humani totum, & semper esset malum.*

RESPONDET S.Bonauent. *in meditationibus vitæ Christi, cap.* 2. ea fuisse actualia peccata, quia omne figmentum, seu omnis industria hominum, ac omnes, & toti peccata patrabant; de quibus dici potuit id Psalm. 13. *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Ideò ait Deus: *Pœnitet me, &c.* 225

OBIICIVNT

216 Obiiciunt tertiò illud Psal.18. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.* Et Psal.50. *Cor mundum crea in me Deus*: Ergo iustificatus semper est immundus.

Ad priorem locum respondet S.Bonau. *serm.4. de decem præceptis*, in fine, hic loqui de peccatis actualibus, quæ sunt sæpè occulta, eò quòd multis modis possunt patrari, qui sæpè non aduertuntur. Vnde, licèt se iustificatum speraret, tamen poterat aliqua venialia habere.

227 Ad alterum locum respondet *in Diæta*, *tit.10. de gloria*, *cap.5.* eum petere cor perfectè castum, atque candidum, etiam à venialibus liberum, in quæ incidebat ex malo habitu Luxuriæ, non autem Deum deprecari de peccato originali, vel carnis concupiscentia.

Obiiciunt quartò illud Hierem. 17. *Prauum est cor hominis*; at prauitatem cordis quis neget? inquit *Confessio Saxonica.*

228 Respondet D. Bonauent. *in 2.dist.8.quæstione vltima*, vt dixi *tract.2.disp.2.quæst.12.* ibi, prauum significare profundum, atque difficile, vt penetretur, nam vox Hebræa est עקב non רע: Vnde etiam Septuaginta vertunt *βαθεῖα καρδία* cor profundum. Et ideò antithesis benè posteà subditur: *Ego Dominus scrutans cord*..

Obiiciunt quintò Matth. 6. vbi oramus: *Fiat voluntas tua.* Hinc infert Lutherus: ergo non facimus voluntatem Dei: *Sanctificetur nomen, &c.* Ergo illud polluimus: *Adueniat regnum tuum.* Ergo sumus sub regno Diaboli.

229 Respondet S.Bonauent. *3.parte stimuli Diuini amoris*, *cap.17.* nos petere, vt Dei voluntas in nobis fiat, eâ perfectione, & facilitate acquiescendo & obsequendo diuino beneplacito, sicut obsequuntur, & acquiescunt in cœlis beati; ità vt ex perfecta dilectione idem sit velle, & nolle Dei, & nostrum; hæc autem conformitas, vt in nobis fiat, oramus; cùm non absque magno & efficaci Dei auxilio eam possimus assequi. Petimus etiam vt sanctificetur nomen Dei in nobis, non quod optemus Deo, vt nostris orationibus sanctificetur, vt inquit S. Cyprianus, *serm.de orat. Dominica*; sed, vt qui per Baptismum iam simus sanctificati, in ea sanctificatione ad finem vsque perseueremus, vt habet *ibidem* S. Cyprianus: & omni ambiguitate, errore, & tenebrositate propulsata, inquit Seraphicus, Dei nomen, suâ sapientiâ illustrati, Sanctum in nobis exhibeamus, omne quicquid facimus in maiorem eius gloriam referendo. Oramus denique *Adueniat regnum tuum*, vt vis nostra Irascibilis omnem cœlestis regni arduitatem superans, penitusque ab omni peccato purgata anima, eò tandem fœliciter conscendat. Totum responsum epilogando concludit ibi S. Doctor: *Sanctificetur Dei nomen* in nobis, quantum ad puram notitiam intellectus, *adueniat regnum*, quantum ad feruens desiderium affectus, *fiat voluntas, &c.* quantum ad perfectum obsequium effectus: quis autem dixerit, quicquid has perfectiones non attingit, peccatum esse? Vide Seraphicum egregiè hæc pertractantem.

Obiiciunt sextò *Lucæ 10.* Samaritanus non statim, sed post multa tempora curauit ægrum; ex quo fit, vt vulneratus ille in naturalibus, & spoliatus gratuitis, adhuc habeat peccatum concupiscentiæ.

230 Respondet S.Bonauent. ad eum locum, curari peccatorem paulatim, quatenus primò per gratiam in Sacramentis recipit Iustitiam: deinde super vehiculum ducitur virtutum; ducitur vero in stabulum, dum consignatur Ecclesiæ, vt erudiatur, informetur, &c. Idem significat parabola fermenti, quæ perfectionem in virtutibus, & profectum significat.

Obiiciunt septimò *Ioan. 15.* dicit Christus, discipulos esse purgandos, quos tamen *cap.13.* dixerat, esse mundos.

Respondet D. Bonauent. ad ea loca Ioan. 231
Christus *cap.13.* dixit, mundos esse discipulos, quoad maculas graues, quia iam iustificati erant, sed nondum perfectè, sicuti postea mundati sunt à leuioribus. Ideò *cap.15.* ait: *Mundi estis propter sermonem.* Baptismi scilicet formam, vt exponit D. Augustinus *tract.80. in Ioan.* purgare tamen per ampliorem gratiam à peccatis quotidianis.

Obiiciunt octauò quædam loca Apostoli, quibus hortatur, vt expolient, & exuant renati veterem hominem. *Coloss.3. Ephes.4.*

Respondet D. Bonauent. *in Diæta salutis*, 232
titulo 6. De Donis. *De Dono Timoris*, *cap.1.* Apostolum petere, vt deponant vetustatem peccatorum actualium, per timorem Domini, per pœnitentiam, &c. Ideò Apostolus vocat eam veterem conuersationem.

Obiiciunt nonò ea loca Apostoli, vbi hortatur ad mortificanda membra nostra, ad abiiciendam fornicationem, immunditiam. *Coloss.3.* seu facta carnis. *Rom.8.* Ergo membra nostra habent peccatum.

Respondet D.Bonau. *in Appendice Diætæ sa-* 233
lutis, *Dominica 8. & 9. post Pentec.* refrænandam inclinationem carnis, ac membrorum, quæ est veluti sitis bonorum apparentium.

Obiiciunt etiam multa loca D. Augustini *lib.1. de nuptiis, & concupiscentia, cap.25.* vbi ait: *Concupiscentiam manere, non vt sit, sed vt non imputetur*, & *cap.27.* vbi ait: *Eandem concupiscentiam, quæ est peccatum, manere actu, licèt transeat reatu.*

Respondet D.Bonauent. *in 2.dist.32. quæst.1.* 234
& *in dub. litt.* Concupiscentiam, quam suprà *dist.30. art.2. quæst.1.* ostenderat ex D. Augustino, esse peccatum ante Baptismum, quatenus habet coniunctam auersionem à Deo, & conuersionem ad creaturas, non in se, cùm sit tantùm materiale peccati. Igitur hac ratione dicitur remitti in Baptismo. Itaque post Baptismum vult, non manere peccatum, sed solùm pronitatem illam ad peccatum, quæ dicitur peccatum impropriè, & quia est effectus peccati, & quia est fomes inclinans ad peccatum. Vnde ruit etiam obiectio Caluini, & aliorum inde arguentium esse peccatum, quia ait D.Augustinus, remitti per Baptismum; remittitur enim non ratione sui; sed ratione formalitatis culpæ originariæ.

Vrgent verò alia loca D.Augustini, quibus videtur dicere, concupiscentiam, quæ remanet post Baptismum, habere coniunctum reatum culpæ; nam *in lib.Retract.1.* ait: *Sunt quædam necessitate facta improbanda, vt qui vult rectè facere, & non potest.* Vnde illud Apostoli Rom.7. *Non quod volo, hoc facio bonum, sed quod odi malum, illud ago.* Et 19. de ciuitate Dei, cap.4. *Nonnullum peccatum est, quando caro concupiscit aduersus spiritum*, vt dicitur ad Galat.5. Idem habet *lib.6.in Iulianum, cap.8.*

Ad primum respondet D. Bonauent. *dist.41.* 235
loco citato, *ad 2.* eam necessitatem asseri à D. Augustino, quæ vniuersaliter complectitur omnia peccata venialia, quæ omnia simul non possumus

virare; vel si de aliquo particulari, hoc est iuxta supradicta; eò quòd nos, cùm possemus, noluimus præcauere motus illos prauos, eosque euitare.

Ad secundum respondet, D. Augustinum velle dicere, nonnullum esse virium ex concupiscentia in generali, quia non possunt omnes simul motus, omniaque venialia euitari. Vnde ex concupiscentia oritur aliquod vitium; neque verò priuatam indicat voluntatem in omnibus illis libertate; sed tantum indicat, voluntatem non esse mouens principale, vnde voluntas aliquando saltem surripitur. Adde, vitium, defectum potentiæ, non verò peccatum, exprimere. Hæc autem magis propriè dicitur infirmitas à D. August *tract. 41. in Ioan.* Hæc igitur infirmitas est materialis vitiositas, quam ait puniendam, nisi esset expiata Baptismo. Idem ferè respondet Vasquez *numero* 11. Hinc soluitur locus ille *lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia, cap. 26.* vbi ait: *Quod sicut adulterium actu transit; remanet reatu; ita concupiscentia transit reatu; remanet actu.* Respondetur enim, in hoc solo stare comparationem ex mente D. Augustini, quòd sicut separatur reatus adulterij ab adulterio; ità reatus concupiscentia, vt colligitur *ex lib. 6. in Iulianum, cap.* 8.

236 Alia verò loca D. Augustini, vt *lib. 2. in Iulianum*, ante medium, *lib 6. cap. 5.* & *lib. de nuptiis, & concupiscentia, cap. 23. & cap. 26.* solùm innuunt, vt notat D. Bonauent. *in 2. dist. 30. quæst. 1.* hominem fieri reum à reatu, per quem concupiscentia facta est, qui oritur ex carentia iustitiæ debitæ, qui reatus deletur in Baptismo.

Alia loca ex aliis SS. PP. colligunt hæretici, quæ, quia falsò componuntur, vt notat Bellarminus *cap.* 12 Ideò moneo, vt statim codex adeatur, potiùs quàm corruptæ PP. authoritates audiantur.

Mvltas etiam rationes conglobant.

Prima est: Motus concupiscentiæ sunt illiciti, etiamsi nobis nolentibus fiant, vt colligitur ex D. Augustino *lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia, cap.* 27. Igitur lege Diuina vetiti sunt.

Respondet D. Bonau. *in 2. dist. 36. quæst. 2. in corpore*, hos motus ex D. Augustino *loco citato*, esse illicitos, non quatenus eos patimur, ac sunt passiones; sed quatenus non licet eis præbere consensum.

Secvnda. Id, quod per se trahit ad malum, est peccatum eodem modo, quo etiam malum; vt patet de osculis impudicis; at concupiscentia trahit ad malum, vt habetur, *Iacobi primo*: Ergo.

237 Respondetvr ex D. Bonauent. *loco citato*. Id, quod trahit ad malum, esse vetitum, sicuti & ipsum malum, vt patet in passionibus vindictæ, &c. Sed sicuti malum non est vetitum, nisi quatenus est in nostra potestate, ità & id, quod ad malum ducit.

Tertia ratio. Qui non potest suâ bonâ voluntate resistere cupiditati cogenti, & ideò facit contra iustitiam, peccat, vt docet D. Augustinus *lib. 1. retract. cap. 15.* at in lege iustitiæ non solùm prohibetur opus, vt adulterium; sed etiam desiderium, vt concupiscentia adulterij. Igitur sicut opus est verè peccatum, etiamsi ei resisti bona voluntate non possit; ita etiam concupiscentia, quamuis inuito animo oriatur.

238 Respondetvr ex D. Bonauent. suprà *adductis locis*, aliam esse concupiscentiam voluntatis; aliam sensualitatis: & hæc quidem inuoluntaria est; ideò non est peccatum; at illa est voluntaria, & vetita, quia licèt trahat, non tamen cogit voluntatem; & hæc dicitur progressus concupiscentiæ, qui est vetitus, illis verbis Exodi 20. *Non Concupisces*; & Ecclesiastici 18. *Post concupiscentias tuas ne eas*; vt dixi suprà; ideò non est par ratio.

Qvarta ratio. Concupiscentiam, quæ remanet in Baptizatis, Deus odit, vt docet D. Augustinus *in Psalm.* 35. & Apostolus Rom. 7. *Quod odi facio.* At Deus nil odit nisi peccatum: Ergo. Sapientiæ 14. *Odio est Deo impius, & impietas*, cùm iam dixisset, cap. 11. *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.*

Respondet D. Bonauent. *in 2. dist. 32. art. 2.* 239 *quæst. 2. in corpore*, concupiscentiam odio haberi, quia licèt non sit peccatum, tamen ad peccatum inclinat. Itaque, licèt vt pœna, sit à Deo inflicta, atque vt concupiscentia est, idest appetitus, sit à Deo; attamen, vt est excessus appetitus, nec est à Deo, nec ab eo amata; sed odio habita, quia dicit languorem; atque adeò carentiam aliquam perfectionis; sicut paralysis in manu, quæ, quatenus est carentia soliditatis, dicit imperfectionem, & est à causa deficiente; non autem efficiente. Sic igitur Deus odit concupiscentiam, vt dicit priuationem debitæ perfectionis voluntariam, quæ tamen post Baptismum nil peccati retinet, sed solùm infirmitatis, vt ait D. Augustinus *tractatu 41. in Ioannem.*

Qvinta ratio. Concupiscentia non est à Deo, 240 vt habetur *prima Ioan. 2.* at omnis iusta pœna est à Deo: Ergo concupiscentia non est tantùm pœna, sed culpa.

Respondet D. Bonauent. *loco citato*, concupiscentiam esse à Deo, vt pœna est, & quatenus inordinatio illa est ad puniendum hominem: at verò quatenus est defectus inclinans ad peccatum, non est à Deo; hoc enim modo non habet causam efficientem; sed deficientem, idest liberum arbitrium, diabolo instigante.

Sexta ratio. Omnis pœna ad finem bonum 241 potest expeti; at concupiscentia ob nullum finem potest expeti: Igitur non est pœna.

Respondetvr, negari Maiorem, nam, vt ait D. Bonauent. *in 2. dist. 23. quæst. 3.* tentatio Sathanæ, & carnis non debet expeti, cùm orare iubeamus: *Et ne nos inducas in tentationem.* Matth 6. & tamen illæ pœnæ sunt. Denique pœnas non expetendas, sed tolerandas ait D. August. 10. *Confess. cap.* 28.

Septima ratio est. Christus tentari voluit, vt habetur *Hebræos* 4. at concupiscentiam carnis non assumpsit: Ergo est culpa.

Respondet D. Bonauent. *in 3. distinct. 15.* 242 *quæst. 2.* non assumpsisse concupiscentiam, quia, cùm veniret minister iustitiæ, non debuit assumere defectus, qui ad peccatum inclinant, & dicunt quandam turpitudinem, qualis in rebellione membrorum cernitur, licèt non sit culpa. Vide D. Augustinum *lib. 2. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 29.* & *lib. 6. in Iulianum, cap. 9.* & D. Thom. *3. p. quæst. 15. art. 2. & 3.*

Obiiciunt vltimò argumentum, quod est ipsorum Achilles. Omne, quod non est conforme legi Diuinæ, peccatum est; vt patet ex illo prima Ioan. primo: *Et peccatum est iniquitas*, siue *ἀνομία*: at deprauatio naturæ humanæ non est conformis 243 Legi Diuinæ triplici: Primò legi institutionis primæ, quia non est, qualis eam Deus condidit. Secundò Legi naturæ, quia non potest viuere conuenienter rationi. Tertiò Legi scriptæ: *Non concupisces.* Igitur ea deprauatio peccatum est. Argumenti

menti huius mole premi se omnes Pontificij sentiunt; ideò varias quærunt rimas, vt elabantur, clamat Kemnitius, *pagina* 506 *examinis Conc. Trid.*

244 Hoc argumentum confricatione digitorum iam soluitur; nam concupiscentia in renatis non est peccatum propriè; sed materialiter, & per metonymiam, vt docet D. August. *lib.* 1 *retract. cap.* 15. Et ostendit S. Doct. *in* 2. *dist.* 30. *art.* 2. *quæst.* 1. neque verum est, concupiscentiam esse formalem recessum à regula Diuinæ Legis: nam Lex Diuina præcipit: *Non concupisces*, vbi non prohibet primum motum concupiscentiæ; sed progressum eius vsque ad consensum. Ideò Ecclesiastici 18. dicitur: *Post concupiscentias tuas ne eas.* Concupiscentia igitur, vt sic, non est iniquitas, seu peccatum, nisi quatenus lato modo, peccatum dicitur defectus, qui fit communis morali, naturali & artefacto; & hoc sensu non placet Deo, vt notat S. Bonauent. *dist.* 42. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad secundum.* Ex quibus etiam sequitur, concupiscentiam in renatis, non esse contra legem primæ institutionis. Non enim præcipitur, vt homo non habeat motum primum concupiscentiæ, sed ei potiùs à Deo in pœnam datur solam, & ad coronam, si eâ benè vtatur, vt suprà dixi, neque est præuaricatio formalis legis naturæ, possumus enim resistendo viuere ad legis naturæ præscriptum.

QVÆSTIO VIII.

An, & quomodo Peccatum sit in parte superiori rationis.

D. Bonau. in 2. d. 24. 1. p. art. 2. q. 2. & p. 2. per multas qq.
D. Thom. 1. 2. q. 15. art. 4. & 6. & q. 74. art. 7.

CELEBRIS est apud Scholasticos diuisio illa Rationis in portionem superiorem, & inferiorem, sumpta ex D. Augustino 12. *de Trinitate*, *c.* 12. & 14. eamque tradunt Magister *in* 2. *dist.* 24. vbi D. Bonauent. 1. *p. dist.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. & *parte secunda distinctionis per multas quæstiones.* Richard. *ibi art.* 4. *quæst.* 4. Durandus *quæst.* 4. Scotus *quæst.* 9. Gabriel *quæst.* 1. *art.* 1. D. Thom. 1. *p. quæst.* 79. *art.* 9. & *prima secunda*, *quæst.* 15. *art.* 4. & 6. Caietanus, Conradus, & recentiores Thomistæ *ibidem*, Alensis 2. *parte*, *quæst.* 137. *memb.* 2. Hi docent, portionem superiorem rationis eam esse, quæ rationibus æternis conspiciendis, & consulendis attendit: rationem verò inferiorem esse, quæ ad temporalia solùm gubernanda, & consideranda deflectitur.

245 OBSERVANDVM est autem primò cum S. Bonauent. *quæstione primo loco citata*, Richardo, Scoto, & Gabriele, post Magistrum, has duas portiones non esse duas naturas, duasve facultates, sed duo officia, seu munera eiusdem. Id, quod probat S. Doct. *loc. cit.* primò ex D. Augustino 12. *de Trinitate*, *cap.* 4. vbi ait: *Cum igitur disserimus de natura mentis humanæ, de vna quadam re disserimus, nec eam in hæc duo, quæ commemoraui, nisi per officia geminamus.* Qua authoritate nituntur etiam Vasquez *disp.* 105. *cap.* 1. & alij. Vide S. Bonauent. aliis id argumentis solidantem.

246 OBSERVA secundò, singulas geminas portiones non esse in solo intellectu, qui præcipuè dicitur Ratio; nec solùm in officio considerandi, sed etiam in memoria, & voluntate. Sic Memoria conseruat species rerum superiorum, seu æternarum, & temporalium: Intellectus considerat: Voluntas autem circa hæc afficitur. Ità D. Augustinus *cap.* 5. *adducto*, quem sequitur D. Bonauent. *locis adductis*, vbi sæpè, portionis superioris nomine, vocat consensum, qui profectò est actus voluntatis. Ità etiam D. Thom. *quæst.* 15. *art.* 4. suprà.

OBSERVA tertiò cum eodem D. Augustino, portionem rationis inferiorem assimilari fœminæ; eò quòd subiacet portioni superiori, sicut fœmina viro, & quia debilis est; portionem verò superiorem assimilari viro, quia princeps est, & valida. Ideò vulgatum est inter Scholasticos prouerbium; primò quidem tentationem, veluti serpentem, ad alloquendum portionem muliebrem accedere; hanc verò ad superiorem, tanquam ad virum. Id sanè in D. Bonauent. *locis adductis* sæpè, ac sæpiùs videre est.

HINC primo oritur quæstio: An in superiori portione rationis possit esse peccatum, absque instinctu inferioris. 247

ASSERO affirmatiuè: est communis omnium.

PROBATVR à D. Bonauent. *parte* 2. *quæst.* 1. *argumentis secundo loco.*

PRIMO ex illo Hierem. 2. *Filij Taphnes, & Mempheos constuprauerunt te vsque ad verticem.* Vbi Vertex exponitur à Patribus portio superior.

SECVNDO ex Diuo Augustino *loco citato*, *de Trinitate*, *cap.* 12. vbi ait: *Cum ergo huic intentioni mentis, quæ in rebus temporalibus, & corporalibus propter actionis officium ratiocinandi viuacitate versatur, carnalis ille sensus, vel animalis ingerit quandam illecebram fruendi se, idest tanquam bono quodam priuato, & proprio, non tanquam publico, atque communi, quod est incommutabile bonum, tunc velut serpens alloquitur fœminam: huic autem illecebræ consentire, de ligno prohibito manducare est. Sed iste consensus, si sola cogitationis delectatione contentus est; superioris verò authoritate consilij ita membra retinentur, vt non exhibeantur iniquitatis arma peccato; sic habendum existimo, velut cibum vetitum sola mulier comederit; Si autem in consensionem malè vtendi rebus, quæ per sensum* 248 *corporis sentiuntur, ita decernitur quodcunque peccatum, vt si potestas sit, etiam opere compleatur: intelligenda est illa mulier dedisse viro suo secum simul edendo illicitum cibum.* Hæc D. Augustinus, quæ integra retuli, quia ad hæc confirmanda variè adducuntur, & explicantur.

ET prima quidem facie videtur dicere, Consensum in delectationem, pertinere ad rationem 249 inferiorem; consensum verò in opus, ad superiorem. Sic exponitur à D. Thom. *quæst.* 74. *art.* 7. & tamen etiam delectatio mortalis est à portione superiori, per quam à Deo auertitur, vt notat S. Bonauent. *quæst.* 2. *art.* 2.

Attamen D. Thomas suam roborat expositionem: Consensus enim secum affert iudicium quoddam, vel sententiam in id, cui dicimur consentire; vltima autem sententia pertinet ad supremum tribunal; supremum autem tribunal in humanis actionibus est ratio superior, iudicans ex regulis æternis.

CONTRA hanc expositionem arguit Vasquez 250 *num.* 5. & D. Bonau. *in dubiis litt. secunda partis*, & *in quæstionibus*, nam, licèt vltima sententia ad superiorem rationem pertineat, tamen consensus in delectationem, & opus, videtur eiusdem rationis; & tàm delectatio, quàm consensus in opus, potest ad portionem etiam inferiorem pertinere, vt notat etiam Caietanus hìc. Etenim, siquis consentiat in

in opus, nondum consulta lege æterna, non minùs ad rationem inferiorem pertinebit, quàm consensus, quem eodem modo delectationi præbemus. Contra verò, si quis consentiat in delectationem, considerata iam lege, & regula æterna, non minùs ad rationem superiorem spectabit, quàm consensus in opus post considerationem eiusdem regulæ.

251 EXPOSITIO D. Bonauent. *parte* 2. *dist*. 2. *art*. 2. *quæst*. 2. est, delectationem è mente D. Augustini posse esse veniale, & mortale; tunc autem esse veniale, cùm statim ac delectatio tetigit mulierem, idest rationem inferiorem, vir, hoc est, ratio superior illam reiecit, & tunc consensum in delectationem esse in ratione inferiori: delectationem verò mortalem esse, quando ratio superior detinetur in illa, nec impedit, cùm possit, etiamsi non adsit voluntas operis; consensum autem in illam, hoc modo, esse in ratione superiori, quia tunc non tantùm mulier, sed etiam vir comedit cibum vetitum. Sic interpretatur. D. Augustinum Magister *in* 2. *dist*. 24. cap. *Illud quoque*, & cap. *Illud supersit*, quem sequuntur D. Bonauent. *loco citato*, Richardus *art*. 4. *quæst*. 4. Gabriel *quæst*. 1. *art*. 3. *dub*. 1. Altisiodor. *lib*. 2. *tract*. 28. *cap* 4. *quæst*. 2. *in secunda parte*; Alen. 2. *p. quæst*. 137. *membro* 2.

252 Hac de causa dixit S. Augustinus, quando sola mulier comedit, idest, portio inferior, concedit, veniam petendam, pectus tundendo: *Dimitte nobis debita nostra*, quod est remedium contra venialia, vt rectè aduertit D. Bonauent. *dist*. 24. *parte secunda*, *art*. 2. *quæst*. 2. *argumento primo*, *secundo loco*.

CONTRA hanc expositionem insurgit Vasquez *cap*. 3. & obiicit primò, quia nullus potest esse consensus etiam ad veniale sufficiens, nisi à portione superiori, cuius est videre naturam virtutis, & vitij.

253 RESPONDETVR, portionem inferiorem, cùm sit libera, esse capacem peccati, quod non erit mortale, ob inaduertentiam portionis superioris, cuius est iudicare vltimò: *An sit contra Deum*: peccatum autem veniale ex aliqua inaduertentia concedit etiam Vasquez *disp*. 107. *cap*. 3. Hæc responsio eruitur ex D. Bonauent. *art*. 3. *quæst*. *in corpore*.

OBIICIT secundò. Quando ratio superior repressit delectationem, potius fuit meritum, vt docet D. Augustinus *de Genes. ad litt.* contra Manichæos, alioqui in allisione tentationum nunquam esset meritum.

254 RESPONDET D. Bonauent. *art*. 2. *quæst*. 2. esse quidem meritum, cùm portio etiam inferior resistit; at verò hæc delectata, quasi mulier, aliquod peccatum committit: cùm verò sola portio superior resistit, fateor, esse aliquod meritum; quale est, non assentiri culpæ mortiferæ.

OBIICIT tertiò, quia D. August. asserit, delectationem esse mortalem: ait enim, per hanc posse damnari; sicut, si sola mulier edisset, damnata esset.

255 RESPONDETVR, quòd non intelligit D. Augustinum; vult enim S. Pater, non quidem, quòd sicut, si sola mulier edisset, sola damnata fuisset; ità portio inferior possit damnari sine superioris consensu, sed vult, quòd sicut esus mulieris solius non foret mortalis toti generi humano; Sic nec consensus solius portionis inferioris, quæ non consideratur in se sola, sed comparata cum toto composito, sicut Eua cum toto genere hominum.

256 VASQVEZ igitur, cæteris reiectis, perbellè interpretatur S. Augustinum, dicens, hunc vnicum modum superesse ex Caietano, *art*. 7. Consensum tam in delectationem, quàm in opus, esse portionis superioris; tamen consensum in opus attribui portioni superiori; & consensum in delectationem portioni inferiori; sicut in diuinis aliqua attributa communia attribuuntur alicui personæ, *v. g.* Sapientia Filio, &c. Hæc interpretatio est D. Bonauent. *dist*. 24. *p*. 2. *art*. 2. *quæst*. 2. circa finem, vbi etiam assignat rationem huius attributionis; quia enim consensus in opus est vltimus, & perfectissimus, ideò portioni superiori adscribitur; at delectatio, quia est consensus semiplenus, portioni inferiori attribuitur.

AFFERT Vasquez *cap*. 7. alium locum D. Augusti *lib*. 2. *de Genes. contra Manichæos*, *cap*. 14. vbi seruata analogia serpentis, mulieris, & viri, sic peccatum exponit: *Primò* (inquit) *suggestio fit per cogitationem*, *siue per sensus corporis*, & hanc comparat serpenti: *Si verò*, (ait) *cupiditas nostra non mouetur ad peccandum*, *excluditur Serpentis astutia*: *si autem mota fuerit*, *quasi mulieri iam persuasum erit*; *sed aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrænat*, *atque compescit*: *quod cùm fit*, *non labimur in peccatum*, *sed cum aliquantula lucta coronamur*. *Si autem ratio consentiat*, *& quod libido commouerit*, *faciendum esse decernat*, *ab omni vita beata*, *tanquam è paradiso*, *expellitur homo*. Hinc colligit Vasquez, quod D. Augustinus vult, sine consensu rationis superioris, nullum esse peccatum. Hinc deducit Vasquez, in sola portione superiori esse peccatum, quia quando mulier sola gustauit, sola cupiditas delectatur absque consideratione eius, quod est peccati, aut virtutis. 257

HÆC tamen ratio est labilis, quia D. Augustinus in portione superiori eam ponit culpam, quæ pellit è paradiso, non negans in inferiori aliquam culpam venialem; non quasi delectatio non possit esse mortifera, quando ratio superior plenè aduertit, vt forsan aliquis putaret. 258

Confirmatur ex eodem, D. Augustino *tract*. 10. *de verbis Domini*, *serm*. 43. ad finem, vbi quatriduanum cum peccatore comparat, & quatuor ordines ponit; (Primum delectationem in corde; & dicit, non adhuc esse mortem; sed dispositionem. (Ecce peccatum veniale in inferiori.) Secundò consensum: Tertiò opus: Quartò consuetudinem.

VRGET Vasquez, non esse liberum actum, nisi præcedat cognitio, vel consideratio rationum æternarum, quæ sunt leges omnes tàm naturæ, quàm positiuæ, siue diuinæ, siue humanæ. Infrà autem ad hæc Respondebo.

PROBATVR autem tertiò assertio nostra à D. Bonauent. ex D. Augustino *loco cit.* Contingit, aliquem peccare peccato infidelitatis, non credendo aliquos articulos circa Diuinitatem, sed ad illos sola rationis portio superior propriè se extendit. 259

PROBATVR quartò. Ibi est peccatum, vbi maximè residet liberum arbitrium, sed hoc residet in portione superiori: Ergo. Minor probatur: nam portio superior est, quæ fert vltimam sententiam in moralibus.

PROBATVR quintò. Angelus primò peccauit appetendo aliquam similitudinem cum Deo in potentia, sicut etiam mulier in Sapientia. Sed hoc est appetibile secundùm portionem superiorem tantùm: Ergo. 260

DICET Vasquez, hoc appetibile posse esse commune etiam portioni inferiori, dum similitudo cum Deo consideratur, vt est aliquid commodum, licèt in portione sit superiori, dum cognoscitur, vt à lege abhorrens. Iam respondebo superiori etiam obiectioni, quam huc remisi.

S. BONAV.

261 S. Bonav. vt video, non eodem modo cum Vasquez accipit leges æternas, vt colligo ex S. Doctore *in quæstione* primò *adducta*. Portio igitur superior dicitur à Seraphico distingui ab inferiori, primò secundum dispositiones, quia illa fortis; hæc debilis, vnde & comparantur illa viro: hæc mulieri. Secundò differunt, ratione officij, quia illa regit; hæc regitur: Hanc autem diuersitatem, non ex diuersitate naturarum, sed ex diuersa comparatione eiusdem potentiæ ortum habere docet, dum enim ratio nostra ad superiora conuertitur, purgatur, illuminatur, & perficitur; dum leges æternas conspicit, & immutabilitatem Diuinæ virtutis, in bono fortificatur, & vigoratur: Dum autem ad hæc inferiora conuertitur, vtpotè ad sensualitatem, & carnem, quodammodo trahitur, &
262 emollitur: Quia vna fortis; altera debilis: Vna intelligens, & consulens Diuinam voluntatem; illa verò exequens opere. Ideò vna superior: altera inferior appellatur. Hæc D. Bonauent. vbi videtur innuere, portionem inferiorem considerare etiam aliqua honesta, & non sola vtilia, seu commoda; Portionem vero superiorem ad Deum conuerti, & ad ea, quæ sunt honesta, provt à Diuina sunt voluntate. Nō vult autem S. Bonau. portionem superiorem sola entia spiritualia considerare, alioqui circa carnalia non ferret vnquam sententiam; sed eam considerare spiritualia, idest, negotia, & bona, quæ etiam non hauriuntur à sensibus, & sensibili modo alliciunt, & omnia, provt Deum respiciunt. Eandem doctrinam habet *lib.3. Compendij Theologicæ veritatis, cap.11.*

263 Hinc *parte 2. quæst.1. adducta*, sic ait *in corpore*. Duplex esse genus peccati: Quædam enim sunt peccata carnalia: quædam spiritualia. Si loquamur de carnalibus, sic non contingit esse peccatum in superiori parte rationis, absque inferiori. Si autem de peccatis spiritualibus fiat sermo, tunc concedendum, quod peccatum habeat fieri, & esse (licet non semper) in superiori parte rationis, secundùm se; Et rationes, quæ hoc ostendunt, sunt concedendæ.

Assero secundò, aliqua peccata non esse in portione superiori, quin transeant ad inferiorem.

264 Probatvr à D. Bonauent. primò *dist.24. p.2. art.1. q.1.* ex D. Augustino *lib.1. super Genes. contra Manichæos, cap.14. & 12. de Trinitate, cap.12.* vbi ait: *Ratio nostra deduci ad consensum peccati non potest, nisi cum delectatio fuerit mota in illa parte animi, quæ debet obtemperare rationi, tanquam rectori viro suo.* Loquitur autem de progressu peccatorum carnalium, vt obseruat S. Doctor *ad primum*.

Probatvr secundò à S. Doctore, quia ex Aristotele 3. *de anima, text.51.* Intellectus semper est rectus quoad ea, ad quæ ex specificatione actus mouetur voluntas ab intellectu per modum naturæ, ad quæ tamen pars inferior perturbata, & rebellis, ad malum afficitur, & peruertitur.

265 Probatvr tertiò, quia peccata plurima sunt per conuersionem ad bona commutabilia, quæ respiciuntur à portione inferiori, vt sunt ea omnia, quæ sunt contra virtutes Cardinales, maximè carnalia, contra temperantiam ciborum, & tactuum. Vide S. Doctorem *ad argumenta*.

Assero tertiò. In superiori portione potest esse veniale peccatum. Ità D. Bonauent. *parte 2. quæst.2.*

266 Probatvr à D. Bonauent. *argumentis primo loco*. Primum est: Contigit circa aliquem articulum fidei ex subreptione dubitare, & constat esse peccatum, non mortale, in superiori tamen parte rationis, cùm sit respectu æternorum.

Secundò: quia, quando est consensus plenus, & vltima sententia, sanè est à superiori portione; hæc autem est in verbo otioso: Ergo. Confirmatur; nam portio etiam superior est læsa per originale. Vide D. Bonauenturam.

QVÆSTIO IX.

Vtrum in Portione inferiori possit esse peccatum absque sensualitate.

Assero primò. Si sumatur sensualitas pro appetitu præcisè appetente bonum, vt nunc, quæ ane est etiam in rationali parte, nunquam est peccatum in inferiori parte rationis, quin sit in sensualitate. 267

Probatvr à S. Bonauent. *argumentis primo loco*. Et primò è D. August. *lib.1. de Genes. contra Manichæos, cap.14.*

Secvndò, quia sicut consensum præcedit delectatio ità omnem delectationem præcedit aliqua suggestio: Sed nullum peccatum rationis est absque delectatione: ergo nec delectatio sine suggestione: Suggestio autem est partis sensualis, vel serpentis: Ergo. Vide D. Bonauenturam.

Assero secundò. Si sensualitas sumatur ex parte sensus, posse sine hac esse peccatum in inferiori rationis parte. 268

Probatvr à D. Bonauent. primò. Magis est coniuncta inferior portio superiori, quàm ipsa inferior sensualitati (cum ratio inferior, & superior sint eadem potentia,) sed potest esse peccatum in superiori parte rationis, absque inferiori: Ergo multo fortiùs potest fieri in inferiori, absque sensualitate.

Probatvr secundò, quia potest inferior rationis pars appetere bonum spirituale, quod sensualitati est incognitum.

Probatvr tertiò. Quod potest virtus inferior, multò magis potest superior: Sed potest sensualitas moueri ad aliquod appetibile absque viribus inferioribus: ergo multo fortiùs portio rationis inferior sine sensualitate. 269

Probatvr quartò. Diabolus non habet sensualitatem, & tamen potest peccare non modò in Deum; sed etiam in hominem; peccatum autem in creaturam attenditur per respectum portionis inferioris: Ergo.

QVÆSTIO X.

Vtrum Portio inferior possit peccare mortaliter absque superiori.

Assero negatiuè, sed posse tantùm venialiter. Hæc secunda pars est contra Vasquez citandum. 270

Probatvr à D. Bonauent. ex D. Augustino *lib.12. de Trinitate, cap.12.* vbi ait: *Cùm sola mens oblectatione delectatur, de talibus cogitationibus venia petenda est, pectusque percutiendum, atque dicendum: Dimitte nobis debita nostra.* Sed talis est pœniten-

tia venialium: ergo. Hic sanè locus D. Augustini est arduus, vt vidimus *quæst.*8. & ibi declaratus est.

RESPONDET Vasquez *num.* 8. *disput.*106. ibi D. Augustinum loqui de peccato mortali; nam subdit, damnari hominem propter illas delectationes. Idem respondet Tannerus *disput.*4. *quæst.*8. *num.*55.

271 AT non percipiunt mentem S. Doctoris, qui vult quidem, posse mulierem solam gustare cibum vetitum; neque tamen statim est mortale, quamdiù portio superior non aduerterit; atque delectatur in actu; (esto non comedat deliberando opus) tunc enim peccat mortaliter mulier comedendo; non tamen sola peccare potest mortaliter; quia eius non est auersio à Deo, in qua est peccatum mortale; sicuti nec conuersio ad Deum, quæ est portionis superioris; vel quia aduertens periculum delectationis, eam non repellit, sed sinit mentem in

272 ea reuolui, qui est consensus interpretatiuus. Potest igitur mulier sola gustare cibum sine viro, quamdiu vir, seu portio superior non consentit in opus; sola tamen non peccabit mortaliter, quamdiu superior non auertatur à Deo, ad quem ex officio conuertitur, quippè quæ rationes æternas respicit. Vult igitur D. Augustinus, cùm sola mulier comedit delectatione; & non delectatur superior portio, venialiter peccare, & dicendum: *Dimitte nobis debita nostra*, quod ad venialium expiationem adhibetur, vt docet idem D. Augustinus *lib. de hæresibus, cap.*88. & *tract.*56. *in Ioan.* & *lib. de natura & gratia, cap.*35. 36. & 37. Et in Canonibus, ab eo contextis, Concilij Mileuitani *can.*6. 7. & 8. Et *in Enchir. cap.*71. & *epist.*108. *ad Seleucianum*, & *epist.*200. *ad Astellicum*, & *lib.* 3. *de bono perseuerantiæ, cap.*5. & *de perfectione iustitiæ, resp.*9.

273 & 19. *de ciuitate, cap.*27. Et omnes Catholici id astruunt, nec negant Lutherani; vt notat Bellarminus *lib* 3. *de amiss. gratiæ, & statu peccati, lib.*1. *cap.*8. Quod si hunc locum de mortalibus etiam accipiendum mordicùs astruat Vasquez, iam valido argumento contra hæreticos, negantes venialia, eneruamur; de quo satis *quæst.*1. actum est.

ENIM verò, si sola quidem comedat cibum vetitum, & portio superior tanquam vir non comedat, consentiendo in opus; attamen consentiat comestioni mulieris, quæ est inferior portio, idest delectationi, modis suprà dictis, iam peccatum erit mortale ratione auersionis à Deo, quæ ad portionem spectat superiorem, ad quam etiam conuersio pertinet. Quòd si sola comedat portio fœminea, & superior virilis non condelectetur, iam erit merum veniale: Et sic exponendus D. Augustinus, vt notat etiam Salas *disp.*6. *sect.*8. *num.*39. Neque aliter reor exponi posse D. Augustinum absque contradictione: sic exponitur à D. Bonauent. *in corpore.*

274 PROBATVR secundò. Impossibile est, inferiorem portionem damnari sine superiori; sed superior portio non damnatur sine culpa: Ergo impossibile est, inferiorem portionem absque superiori peccare mortaliter.

PROBATVR tertiò. Non potest esse peccatum mortale absque consensu: sed hic est, veluti sententia supremi iudicis, qui est portio superior, vt docet D. Augustinus *loco cit.* Ergo.

PROBATVR quartò. Non potest esse peccatum mortale absque auersione à Deo; sed hæc est solius portionis superioris: Ergo. Minor probatur: Eiusdem est auerti à Deo, & ad Deum conuerti. Sed hoc est solius portionis superioris: Ergo & auerti.

HINC Eligius Bassæus *v. Peccatum* 5. *num.*1. peccatum, ait, mortale spectare ad portionem superiorem, vel directè, vel imputatiuè, quia tenetur regere inferiorem.

QVÆSTIO XI.

Quæ Consideratio exigatur ad peccatum.

EX duplici capite potest oriri, vt motus concupiscentiæ ad praua, ex parte principij agentis, non sint mortales. Prius est defectus considerationis; secundum, defectus deliberationis. De priori agam *in hac quæstione*: de altero *quæst.*12. 275

PRIMÒ quidem Ocham apud Almainum *tract.*3. *Moral. cap.*14 apud Cordubam *lib.*1. *quæst.*13. *dub.*9. *opin.*5. apud Vasquez *disp.*107. *cap.*1. & Tannerum *disp.*4. *quæst.*5. *num.*97. sensit, quemlibet motum prosecutionis, vel fugæ in voluntate, quantumvis primum, circa obiectum mortaliter illicitum, esse mortalem.

SECVNDÒ, alij dicunt, ad peccatum mortale sufficere considerationem rationis, quam vocant interpretatiuam, quæ est quoties ratio actu non considerauit illud, de quo appetitus, vel voluntas delectatur, esse malum; potuit tamen, & debuit considerare. Videtur Adriani *quodl.*7. *art.*1. *in corpore*, clarè Gerson *Alphabeto* 33. *littera H.* & *Alphabeto* 14. cui videtur adhærere Nauar. *in summa*, attamen *prælud.*9. *num.*11. & *cap.*11. *num.*4. vbi ex professo disputat de his motibus, solum ait, consensum ex subreptione, esse venialem. Idem sentiunt alij Recentiores apud Vasquez *loco cit. cap.*2. Idem de peccato omissionis afferunt alij apud Cordubam *lib.*1. *quæst.*13. *dub.*5. *notab.*1. Et vniuersaliter Fauentinus *in* 4. *dist.*14. *disp.*5. *num.*11. 276

GERMANA veritati sententia est, nullum esse mortale in voluntatis consensu, nisi præcesserit aliqua cogitatio, & consideratio expressa, quam vocant actualem, malitiæ moralis, vel periculi, vel certè expressa aliqua dubitatio; alioqui inconsiderantiam censeri omninò naturalem; & consensum sequentem non esse mortalem. Ità disertè Alensis 2. *parte, quæst.*108. *memb.*7. & 12. D. Bonau. *in* 2. *dist.*24. *parte* 2. *ad litt. Magistri, art.*2. *quæst.*2. Albert. *eadem dist. art.*13. Henricus *quodl.*6. *quæst.*32. Gerson *Alphabeto* 30. præsertim *littera D.* S. Antoninus 2. *parte, tit.*5. *cap.*1. §. 5. qui refert etiam Petrum de Tarantasia, Angelus *verbo Cogitatio, num.*2. Syluester *verbo Delectatio, quæst.*1. *parte* 4. Caietanus 2. 2. *quæst.*88. *art.*1. Et *in summa, verbo Consideratio*, & *verbo Delectatio.* Armilla *ibidem, num.*1. Conradus *ad quæst.* 74. *art.*4. Almainus *tract.*3. *Moral. cap.*24. Angestus *cap.*6. *Moral. in* 5. *parte textus.* Nider. *in suo præceptorio, præcepto* 9. *cap.*4. *littera F.* Petrus Soto *lib. de Instit. Sacerd. lect.*10. *de discrimine peccatorum.* Corduba *lib.*1. *quæst.*13. *dub.*10. Consentiunt Paludanus *in* 4. *dist.*18. *quæst.*6. *art.*2. *num.*5. Gabriel *in* 2. *dist.*42. *quæst.*1. *art.*3. *dub.*3. Et idem colligitur ex D. Thom. *prima secunda, quæst.*88. *art.*5. *ad* 2. & *quæst.*15. *de veritate, art.*4. *ad* 10. Vasquez *prima secunda, disput. citata*, & Tannerus *loco cit.* & fauet Gregorius de Valentia *hîc, quæst.*6. *p.*1. Neque oppositum vult *circa litt.* dum ait: *Aduertens periculum,* 277

vel

vel debens aduertere, voluntariè exponit se discrimini, & pro tanto dicit Magister peccare mortaliter; vult enim dicere, eum, qui ex actuali cognitione præcedenti habet virtutem ad applicandum se ad cognoscendum periculum, & non vult, hunc amare periculum.

278 Assero cum hac sententia, nullum dari peccatum mortale, absque expressa aliqua moralis malitiæ cogitatione, vel saltem dubitatione.

Probatvr à D. Bonauent. quia ad peccatum requiritur libertas voluntatis, ad illud morale deliberandum; libertas autem exigit cognitionem, quia voluntas non fertur, modo proprio, in incognitum. Eadem ratione nituntur omnes.

Obicies primò. Si necessaria esset expressa consideratio malitiæ, vel periculi, ferè omnes excusarentur ab innumeris peccatis exterioribus, quæ sine tali consideratione fiunt.

Respondetvr, concedendo excusanda opera, quæ sine vlla consideratione fiunt, talia sunt sæpè, quæ mala sunt, quia vetita; at in malis natura sua ex lege naturali, nunquam id ferè euenit.

Obicies secundò. Sequeretur, eum nunquam peccare mortaliter, qui non cogitat, illud esse mortale.

279 Respondetvr, negando sequelam: Sufficit enim ad peccatum mortale, si cognoscat id esse grauiter à ratione, vel lege graui alienum.

Obicies tertiò. Sequeretur nunquam peccatum committi absque conscientiæ expressa reprehensione, nam cùm ratio considerat, aliquid esse malum, semper reprehendit voluntatem, si illud amat. Consequens est contra illud Pauli, 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Quo ex loco D. Hieronymus *Dialogo secundo, contra Pelagianos* elicit, aliqua peccata esse ex ignorantia: non est autem probabile in Paulo fuisse ignorantiam simpliciter, sed inaduertentiam.

280 Respondetvr, semper conscientiam reprehendere ex parte cognitionis, licèt operans ex habitu prauo, se in voluntate habere cruciatum, non sentiat. Ad locum D. Pauli respondetur, à nullo explicari de peccatis ex defectu considerationis: Sensus igitur Apostoli est, quòd, licèt non accusaret eum conscientia sua de aliquo peccato, poterat nihilominus reus esse alicuius peccati præteriti, quod ipsum tunc lateret, non quia ex defectu considerationis illud esset commissum; sed, quia factum cum consideratione, poterat obliuioni traditum esse, quod in cognitione Dei sit. Ita exponit Vasquez *num.* 15. post D. Bonauent. *in Opusculo de gradibus virtutum, cap.* 22. *tomo* 2. *Opusc.*

Qværes. Qua ratione valeat internosci: An peccatum sit ex parte considerationis mortale.

281 Respondetvr, quando aduertentia est plena, sicut hominis perfectè vigilantis, sufficere ad mortale; at verò, quando est qualis semidormientis, vel semiebrij, non sufficere. Ità Caietanus *in summa, verbo Delectatio.* Vasquez *disputatione citata, num.* 11.

Addo autem sufficere cognitionem mali in genere, etiamsi non appareat grauitas, dummodò non satis in illa generica cognitione appareat eam non esse grauem; hinc enim periculo exponitur grauitatis culpæ. Quod si appareat grauis violatio legis, vel rationis, adhuc mortale erit, quamvis non appareat specifica ratio mortalis; alioqui multi Paganorum, qui rationes has *mortalis*, aut *venialis* non distinguunt, excusarentur.

QVÆSTIO XII.

Qui Consensus Voluntatis requiratur ad peccatum mortale.

Vidimvs, quid ex parte Intellectus requiratur ad lethale piaculum; iam videndum, quid ex parte Voluntatis requiratur, nempè quinam consensus sit necessarius. 282

Notandvm verò ex D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 24. *p.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *in corpore*, duplicem esse consensum voluntatis: Alius dicitur verus, seu expressus, quo voluntas expressè consentit: Alius dicitur interpretatiuus, & est quando voluntas post plenam considerationem malitiæ, potens reprimere appetitum tendentem ad lethalia, non reprimit, sed negatiuè se habet, sinens appetitum talibus rebus delectari.

Quæritur ergo: An hic sufficiat ad peccatum lethale.

Prima opinio est negatiua, asserens, necessarium esse consensum positiuum. Ità Angelus *verbo Cogitatio.* Adrianus *in* 4. *quæst.* 5. *de Eucharistia,* præsertim §. 2. Caietanus *in summa, verbo Delectatio.* Armilla *eodem titulo.* Id indicat etiam Nauar. *in summa, cap.* 16. *num.* 9. Idem sentiunt Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 7. Conradus *ad quæst.* 74. *art.* 4. *D. Thom.* Zumel. *ad loco cit. D. Thom. disput.* 2. Angles *in* 2. *dist.* 37. *quæst.* 6. *difficultate* 2. & 3. Toletus *in summa, lib.* 5. *cap.* 14. Graffius *p. p. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 3. Lopes *parte* 1. *cap.* 2. & 4. Sanchez *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 23. citans sexdecim Doctores. Salas *hic, tract.* 13. *disput.* 6. *sect.* 3. *à num.* 25. & 29. qui adducit etiam alios, D. Bonauenturam, D. Thomam, Ægidium, & Durandum. Idem ait Sancius *in select. d.* 21. secum vigintinouem Doctores aggerans, Casp. *tract. de pecc. disp.* 4. *sect.* 3. & apud eum D. Bonauent. & D Thom. Syluius 2. 2. *quæst.* 74. *art.* 8. idque probabile censet Diana *p.* 1. *tract.* 17. *Miscel. res.* 33. allegans decem DD. Fuliensis *lib.* 2. *cap.* 5. 283

Alii verò apud D. Bonau. docent, hæc vera esse, dummodò aliqua sit in voluntate displicentia. Huic videtur accedere Eligius Bassæus *v. Delectatio, num.* 7. cum aliis *in calce.*

Oppositam verò sententiam, nempè consensum interpretatiuum sufficere ad mortale, etiam secluso periculo speciali consensus, docent Henricus *quodl.* 6. *quæst.* 32. Antoninus *parte* 2. *tit.* 5. *cap.* 1. §. 2. Viguerius *cap.* 3. § 5. *v.* 5. etsi addat, esse peccatum mortale, maximè propter periculum; & apertiùs Gregorius de Valentia *quæst.* 4. *p.* 3. Azorius *tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 21. *quæsito* 5. & *c.* 6. *quæsito* 5. Vasquez *disp.* 108. *cap.* 2. Sayrus *lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 3. Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 117. & ferè Corduba *lib.* 1. *cap.* 23. *dub.* 11. Medina *hic, quæst* 74. *art.* 5. & 6. Zumel. *art.* 4. *disp.* 2. Montesinus, Curiel apud Caspensem *disp.* 4. *sect.* 3. *De peccatis.* Eadem videtur sententia D. Thomæ *quæst.* 74. *art.* 6. *in corpore*, & *ad* 3. & *de veritate, quæst.* 15. *art.* 4. 284

Enim verò D. Thom. *loco cit. de veritate, ad* 4. vult, esse mortale solùm ratione periculi. Idem sentit clarè D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 24. *parte* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *in corpore*, vt rectè vidit Sanchez *lib.* 1. *summæ, cap.* 2. *num.* 13. Salas *loco cit.* Vbi miror, Seraphicum à Tannero *num.* 67. Vasquez *loco cit.* & aliis, adduci pro hac sententia, cùm eius verba sint luce clariora; ait enim: *Si non aduertit periculum*

culum delectationis, nec eam repellit, peccat; sed nec
285 *mortali: Aut aduertit periculum, & delectationem illam non repellit, sed mentem in huiusmodi cogitationibus reuolui sinit. Et tunc dicunt Magistri, quod peccat mortaliter, quia, quamuis non sit ibi consensus verus, est tamen consensus interpretatiuus, & comedit sola mulier; tamen peccatum imputatur viro; quia, cùm eam compescere debuisset, & teneretur, non tamen compescuit. Hoc tamen quod vltimò dictum est, non est vsquequaque certum. Negant enim aliqui, esse mortale in negligentia reprimendi, vbi est displicentia, quantumcunque quis periculum aduertat; sed tamen securior via tenenda est, quidquid sit rei veritas. Etsi cui hoc contingit; sanum est consilium, quod de ipso, vt de mortali pœniteat; in dubiis enim securior via eligenda est. Et nota, quod non de quacumque delectatione loquimur, vtpotè de illa, qua quis delectatur cogitando de pulchritudine mulieris, sed de illa, qua surgit ex cogitatione illius operis nefarij.* Idem S. Bonauent. *in dubiis litt.* ponit pro ratione huius peccati, quia discrimini se exponit, dum serpenti dat locum.

186 Assero igitur, consensum interpretatiuum, supposito periculo cognito, esse mortalem.

Probatvr à D. Bonauent. quia, qui videt periculum, & liberè illud amat, cùm teneatur remouere, peribit in illo, vt dicitur *Eccle. astici* 3. at voluntas in casu nostro videt periculum æternæ damnationis, quam tenetur vitare ex iure naturæ, & Diuino, cùm ad portionem superiorem spectet regimen, &c. Ergo.

187 Assero secundò, secluso periculo consensus, non esse mortale, permittere motus lethiferos.

Probatvr à D. Bonauent. à contrario; quia, quamdiu portio superior arcet à se delectationem, & periculum eius, non interuenit auersio à Deo, & consequenter neque peccatum mortale. Ea ratione vtitur Caspensis. Neque est consensus interpretatiuus ipsius voluntatis, quia delectatio non versatur in voluntate, in quo decepti sunt Tannerus, & Vasquez.

Quod si illis motibus detur causa venialis, erunt peccata venialia; quia qualis est causa, talis effectus. Si verò detur causa grauis, sed non eiusdem rationis, vt pollutioni per nimium laborem in ludo pilæ, non æstimo, esse mortale. Ita Suarez, Sanchez, Vasquez apud Caspensem; at si causa sit mortalis eiusdem rationis, erit mortalis etiam effectus, vt si cogitationibus turpibus, vel tactibus obscænis detur causa pollutioni. Vide Vasquez *cap.* 3. Sanchez, D.Thom. 2.2. *quæst.* 154. *art.* 5. Caspensem *disp.* 4. *sect.* 4.

Probatvr etiam à Diana *loco cit.* argumento S. Bonauent. relato, quæst. 7. *Non noui peccatum, nisi per legem*; sed non adest lex repellendi concupiscentiam; sed solùm non concupiscendi, vt habetur Exodi 20. & Ecclesiastici 18. *Post concupiscentias tuas ne eas:* Ergo.

Id addam, eos, qui pro vltima opinione Seraphicum adduxere, persuasos fuisse timorato eius dicendi modo, & delicata conscientia. Sciebat enim prudentissimus, Metaphysicè quidem, secluso periculo consensus, non adesse peccatum, quia adhuc ratio appetitum satis gubernat, vt dicunt authores primæ sententiæ; attamen si longiùs procedatur, & diutiùs maneat delectatio, & voluntas nullum actum opponat, exponetur proximo consensus periculo, vt notant Sanchez, Lessius, Diana, & Bassæus, alios adiungens.

Itaqve fragiles hortatur D. Bonauent. vt cautè aduigilent. Adsunt quidem & causæ iustæ permittendi in se delectationes motuum sensualium, præter intentionem euenientium. Adest Prudentia, si experiatur tales motus citò euanescere, si eos contemnat, & quasi dissimulet, potiùs quàm si positiuè repugnet. Vtroque autem melius est aliò mentem, & cor fuga diuertere, vt dicebat B. Ægidius. Necessitas quoque adest, vt si cui incumbit audire confessiones, differere, scribere, vel legere de rebus venereis. Pietas item, si operi alicui applicitus sis, vnde audias huiusmodi res.

Quando autem causa non sit adeò iusta, vtilis tamen, vel commoda humanæ vitæ; ait Bassæus non esse mortale, modò in affectu sit aliqua detestatio, vt docent Azor *cit. quæst.* 5. Sayr. *num.* 5. Lessius *num.* 118. Val. *loco cit.* Caiet. *num.* 11. Syluius *concl.* 2. Filliuc. *num.* 185. Becanus *num.* 6. Bassæus *num.* 8. Et hæc est sententia relata à S. Doctore.

QVÆSTIO XIII.

An delectatio morosa de re grauiter mala sit lethalis.

Iam vidimus circa consensum in solam delectationem quid occurrat.

Adverte, hanc vocari à SS. Doctoribus morosam, non à mora temporis, quæ requiratur, sed à voluntate liberè immorante, vt notat D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 24. *p.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. & *dub.* 4. *litt.* & *lib.* 5. *compendij Theolog. ver. cap.* 11. quem sequuntur omnes. 288

Adverte secundò, quæstionem esse de illa delectatione, quæ habuit pro obiecto rem, vt malam, puta copulam carnalem illicitam, vt sensui placitam, non quatenus est obiectum verum, intellectu dispntabile. Vel si bellum iniustum placeat, non vt cruentum, & perniciosum multis, sed vt industri arte, fortitudine, strategemmatibus à Duce pertractatum. Hæc tamen periculosæ sunt, & si adsit periculum consensus in re ipsa, erit lethifera: vt monent Syluius *art.* 8. *quæsit.* 1. Filliuc. *tract.* 21. *num.* 151. & 288. Bonac. *tract.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 2. *p.* 3. *num.* 19. Sanch. *lib.* 1. *Mor. cap.* 1. *num.* 17. Clauis Reg. *lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 6. Becan. *p.* 2. *tract.* 2. *cap.* 5. *q.* 5. Caspens. *tract. de pecc. disp.* 4. *numero* 33. Bassæus *verb. Delectatio*, *num.* 9. è quibus signis eruunt inditia: an delectatio sit mortalis, maximè ex affectu ad rem, quæ fuit obiectum delectationis.

Adverte adhuc, non quæri de negligentia absque deliberata delectatione; Eam enim non censeo mortiferam cum Caiet. *sum. verb. Delectatio*, *num.* 14. maximè si inuenias, te paratum potiùs mori, quam delectari morosè. Sed ago de delectatione in obiecto mortifero.

Fvit olim hæc res controuersa, vt docet D. Thom. *quæst.* 74. *art.* 8. & D. Bonauent. *in* 2. *loco cit.* & quidem negatiuam sententiam secuti sunt Martinus de Magistris *tract. de Temperantia*, *quæst.* 3. *de Luxuria*, eamque probabilem putat Corduba *lib.* 1. *quæst.* 23. *dub.* 11.

Vera tamen, ac vniuersalis Sapientum est sententia, has delectationes esse mortales. Ita SS.DD. *locis adductis*, vbi Caietanus, Conradus, & Recentiores Thomistæ, Richardus *dist.* 24. *art.* 4. *q.* 4. *in corpore*, & *ad primum*, Carthus. *quæst.* 6. Scotus *in* 2. *dist.* 41. §. *sequitur secundum.* Gabriel *in* 4. *dist.* 15.

dist.15. *quæst*.14. *dub*.3. Altisiodor. *lib*.2. *tract*.28. *cap*.4 *q*.2. Alens. 2.*parte*, *quæst*.109.*memb*.11. Gerson *Alphabeto* 38. *litera* D. Antoninus 2. *part*. *tit*.5. *cap*.1.§.5. Syluester *verbo Delectatio*, *quæst*.1. Angelus *verbo Cogitatio*, *num*.2. Caietanus *in summa*, *verbo Delectatio*, & *tomo* 1. *Opusc*. *tract*.14. *dub*.1. Petrus de Soto *lib*. *de Instit*. *Sacerd*. *tract*. *de discrimine peccatorum*, *lect*.9. Medina *Cod*. *de restitutione*, *quæst*.21. §.*deinde iam*, Nauarrus *in summa*, *cap*.16. *num*.9. Vasquez *prima secundæ*, *disp* 109. Tannerus *disp*.4.*quæst*.8.*num* 56. Valentia *hic*. *q*.4 *p*.3. Zumel. *q*.74. *art*.8. *disp*.3. Fauentinus *in* 4. *dist*.14. *disp*.5. *num*.13.

289 Assero cum hac sententia, delectationes morosas circa obiecta turpia, aut illicita esse peccata mortalia.

Probatvr primò communiter ex illo Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mæchatus est in corde suo*, quem locum adducit D. Bonau. *in Diæta salutis*, *tit*.3. *de præceptis*, *cap*.5. *de Mæchia*. Hunc locum ad hunc sensum interpretantur D. Hilarius *ibidem*, *can*.4. Chrysostomus *homil*. 17. *in Matthæum*. Cui explicationi fauent D. Augustinus *de sermone Domini in monte*, *cap*.23. & *lib*.1. *de nuptiis*, & *concupiscentia*, *cap*.23. Hieronymus *ad hunc locum Matthæi*, Lyra, Iansenius, & alij.

Probatvr secundò à D. Bonau. *loco cit*. ex illo loco D. Augustini 12. *de Trinitate*, *cap*.12. vbi ait: *Si sola mulier cogitat de re illicita, totus homo damnabitur, nisi mediatoris gratiâ liberetur.* Ità arguit etiam Scotus *loco cit*. Faber *num*.14. Tannerus *num* 55. Vasquez *num*.7. & alij. Quod, qua ratione sit intelligendum, satis exposui suprà *quæst*.8. & 10. vnde non benè Faber, Vasquez, & alij dicunt *ibi* poni à D. Augustino solas delectationes mortales.

290 Probatvr tertiò à D. Bonau. *loco cit*. ratione, cum D. Thom. *quæst*.74. *art*.6. Delectari in re grauiter vetita, est defectus magnus portionis superioris in regimine eius, quo tenetur, nec potentias sibi subditas, neque seipsam inclinare ad ea, quæ declinant à virtute, & inclinant ad vitium, atque perditionem.

Probatvr etiam, quia eiusdem bonitatis est operatio, & delectatio in ea, ex Aristot. 10. *Eth*. *cap*.3. *in fine*, & *cap*.5.

Et quidem de quibusdam est adeò certum, vt de fide, à Caspensi *disp*.4 *de peccato*, *sect*.5. asseratur. Sic actus odij, inuidiæ, prauæ iactantiæ, iuxta illud Prouerb.2. *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* De cæteris verò (extra libidinem) peculiares quæstiones tradam.

291 Advertit autem S. Bonau. *dist*.24. *quæst*. *citata*; quem sequuntur Scotus, Faber, Tannerus, & communiter, delectationem, vt sit mortalis, debere versari circa obiectum ipsum prauum; ita, vt illud opus nefarium sit materia delectationis. Si enim delectetur de cogitatione, seu cognitione rei turpis, quatenus est vera, vel ridicula, non erit mortalis, nisi adsit periculum delectationis in opere. Ita S. Bonau. quem comitatur S. Thom. *quæst*.74. *art*.8. Azorius *tom*.1. *lib*.4. *cap*.6. *q*.4. Valentia *q*.3. *p*.3. Vasquez *disp*.111. *cap*.3. & 4. Zumel, Medina, & alij Thomistæ *primæ secundæ*, *quæst*.74. *art*.6. & 8. Tannerus *disp*.4. *quæst*.8. *num*.89.

292 Ratio est, quia delectatio, licèt ab obiecto sumat suam malitiam, contra Vasquez; tamen non haurit totam malitiam, quæ est in obiecto; sed eam tantùm, quæ cadit sub obiecto. Itaque, si obiectum non det ipsi delectationi materiam, nisi in aliqua sui circumstantia non graui, puta vrbanitate, lenitate, non hauriet malitiam turpitudinis.

QVÆSTIO XIV.

An omnis Delectatio de opere, quod iure positiuo est vetitum, sit mortalis.

Materiam morosæ delectationis assignare 293
arduum est, & ideò quædam sunt discutienda circa eius materiam.

Prima opinio est, omnem morosam delectationem de quouis opere, solo etiam iure positiuo vetito, esse mortalem. Videtur Ioannis Medinæ *Cod*. *de Restitut*. *quæst*.21. & aliquorum Recentiorum, qui admittunt, aliquem imaginando edere carnes die Veneris, vel armis vetitis ornatum incedere, mortale esse.

Enim verò, parcite quæso animabus, quæ non iam leuiter damnandæ sunt ob tales delectationes, vt docent Gabriel *in* 4. *dist*.15. *quæst*.13. *artic*.3. *dub*.3. Ledesma 1. *p*. 4. *quæst*.21. *art*.7. qui refert Adrianum, ac Cordubam *lib*.2. *quæst*.30. *dub*.1. Videtur D. Bonauent. *lib*.3. *Compend*. *Theol*. *cap*.11. vbi solùm præceptum Diuinum, cum quo profectò & naturale includitur, videtur ponere materiam lethalis delectationis. Ità & Syluius *quæsito* 74. *art*.8. *q*.5. Vasq. *disp*.110. *cap*.1. Layman. *lib*.1 *tom*.3. *cap*.6. Diana *p*.3. *tract*.5. Miscel. *resol*.5. Malder. *quæst*.74. *art*.10. Less. *lib*.4. *cap*.3. *disp*.15. *num*.115.

Assero cum hac sententia, morosè se dele- 294
ctantem circa aliquid, iure tantùm positiuo vetitum, non peccare mortaliter.

Ratio, quæ mihi inter cæteras probatur, est, quia huiusmodi cùm non sint ex genere suo mala; & ideò tantùm mala, quia vetita; sint autem vetita, quoad executionem tantùm, vt patet in legibus ipsis: nam abstinentia à carnibus, tempore quadragesimæ, prohibetur solùm quoad esum; non est cur damnentur mortaliter sine lege, cùm non nisi per legem, cognouerit Apostolus peccatum.

QVÆSTIO XV.

An Delectatio morosa de omni opere iure naturæ vetito sit mortalis.

Prima opinio est negatiua. Ita Vasquez *disputatione* 111. Sayrus *lib*.8. *cap*.7. dummodò non sit de opere, quâ peccatum est, sed vel de modo industri, curioso, vel similibus.

Secvnda sententia est affirmatiua. Videtur D. Bonauent. *in* 2. *dist*.24. *p*.2. *dubio* 1. *litt*. D. Thom. *quæst*.74. *art*.8. Vide DD. in Sanchez *lib*.1. *Decal*. *cap*.2. vbi hanc sequitur. Nec est priori contraria, si capiatur.

Assero, omnem delectationem morosam cir- 295
cà obiectum iure naturæ lethale, esse mortalem.

Probatvr, quia actus moralis sumit suam speciem ab obiecto; sed quodlibet obiectum tale est lethiferum: Ergo & actus. Est fundamentum D. Bonauenturæ.

Obiicit

Obiicit Vasquez *num.*5. Si actus sumit speciem ab obiecto: Ergo cùm etiam modus sit circumstantia peccati, erit peccatum, si in ea delectetur: Quacumque enim ratione delectatio de eo obiecto capiatur, semper secum fert suam malitiam. Itaque falsum est fundamentum.

Respondetvr, negando sequelam: nam delectatio fertur in eum modum Physicum, non quatenus est moralis circumstantia mala; & ideò non contrahit malitiam, vt dixi *quæst.*13.

Neque verò rectè Vasquez philosophatur ad suam opinionem roborandam, nempè quod actus deliberatus sumit speciem ab obiecto externo, in quod fertur; at malitia delectationis specificatur ab actu, quatenus opponitur alicui virtuti.

Respondetvr enim, quod eiusdem bonitatis, & malitiæ sunt delectatio, & operatio eius; vt habet Aristot.10.*Eth.cap.*3.*&* 5.

Nota, aliud esse delectari cogitatione; & est, cum ea est obiectum in quod reflecteris, versans in te industriè, & tunc non delectaris obiecto: at si cogitatione, vt medio feraris in obiectum malum, delectationi succumbis. Enim verò in venereis caue etiam à priori.

QVÆSTIO XVI.

An omnes Delectationes morosæ Venereæ sint eiusdem speciei, cum actibus deliberatis.

196 Prociriores Theologi docuere vniuersim, delectationem morosam quamcunque esse eiusdem speciei cum actu, seu obiecto cogitato. Ita D. Antoninus 2. *parte*, *tit.*5. *cap.*1. §.6. Tabiena *verbo Luxuria*, *quæst.*8. Nauar. *Manuali*, *cap.*16. *num.*9. Syluester *verbo Delectatio*, initio. Sanchez *lib.*9. *de Matrimonio*, *disp.*46. *num.*19. 31.*&* 46. Sà *verbo Luxuria*, *num.*13. Salas *tract.*13. *disput.*6. *sect.*6. *num.*57. & indicat S. Thom. *quæst.*72. *art.*7. & clariùs *in* 2. *dist.*34. *quæst.*1. *art.*2. *ad* 1. Caietanus, & alij Thomistæ *citato art.*7. vbi aduertunt, S. Thomam velle peccata cordis, oris, & operis differre, veluti gradus eiusdem peccati in eadem specie, sicut interpretatur Caietanus, intelligens etiam de iis peccatis cordis, quæ per accidens interiùs consummantur, qualia sunt peccata morosæ delectationis. Idem docet D. Bonauentura.

Vasqvez *disp.*112.*cap.*2. suo illo nixus fundamento, delectationem morosam prauam non accipere malitiam ab obiecto, sed ex suo actu, prout opponitur huic virtuti, vel illi; sentit, non esse specie diuersam, quando eidem virtuti opponitur.

197 Proinde, cùm delectationes morosæ Venereæ ità se habeant, vt aliquæ soli virtuti castitatis opponantur, vt fornicatio, & eæ, quæ dicuntur contra naturam; aliæ verò per se, sint eiusdem speciei, respectu Luxuriæ; mutentur verò per aliud ad diuersas species, puta adulterium, & raptus ad iniustitiam: Incestus ad impietatem; & delectatio non feratur sub his rationibus; sed solùm, vt venerea opposita castitati; hinc sequitur, non esse diuersas specie, sed eiusdem cum fornicatione. Cæterum, peccata, quæ contra naturam dicuntur, habent specialem deformitatem contra castitatem. Ideò delectationes hæ sunt explicandæ, vt specie distinctæ. Cæteræ verò satis explicabuntur, vt delectatio de concubitu cum non sua.

Fatetvr verò *eodem capite*, habentem votum castitatis, coniugatum, vel coniugatam, admittentes has delectationes venereas, teneri fateri has circumstantias, quod eas votum castitatis, ac coniugij fides vetet; ac proinde specialem oppositionem cum virtute aliqua habent. Hanc sententiam dicit esse probabilem Leonardus *lib.*4. *de Iustitia*, *cap.*3. *num.*123. & eam tenet Sayrus *in claui regia*, *lib.*8. *cap.*7. *num.*20. licet fateatur, eas circumstantias, tametsi non mutent speciem, esse confitendas. Atque Emmanuel Sà *in summa*, *verbo Confessio*, *num.*16. ait, eum, qui de peccatis iam confessus delectatur, non teneri fateri, quæ fuerint illa. Idem sentit Diana *tom.*1. *tract.de Circumstantiis*, *resol.*48. Et *tract.*17. *Miscellan.resol.*34. referens plurimos etiam præter citatos, Filliuc. *tom.*2. *tract.*21. *cap.*8.*num.*301. Bonacinam *de Matrimonio*, *quæst.*4. *p.*8. *num.*19. Sic & Caramuel *in Reg. D.Bened. num.*1039. Caspens. *tract.*12. *disp.*4. *num.*44. nec renuit Bassæus.

Enim verò communis sententia, vt dixi, est, 298
has delectationes esse varias specie, & eiusdem rationis, ac opus, à quo, tanquam obiecto speciem sumunt, vt notat Sanchez *in Decalogo*, *lib.*1. *cap.*2. *num.*11. referens Caietanum 2. 2. *quæst.*154. *art.*4. D. Antoninum *loco cit.* Sotum *in* 4. *dist.*18. *quæst.*2. *art.*4. *post septimam conclusionem*, Nauar. *loco cit.* Alcozer. *summæ*, *cap.*20. *fol.*74. Azorium *tom.*1. *lib.*4. *cap.*6. *q.*3. Adde Sylui. *art.*8. *quæsit.*7. Bassæus *v. Delect.* 11.

Idem sentiunt, præter suprà citatos, Lorca *in prima secunda*, *tom.*2. *disp.*28. *de peccato*, *memb.*3. Martinez *in prima secunda*, *tom.*1. *quæst.*15. *art.*4. *dub.*1. Villalobos *in summa*, *tom.*1. *tract.* 3. *dub.*3. *num.* 4. Homobonus *de exam. Ecclesiæ*, *parte* 1. *tract.* 5. *cap.*13.*q.*84. apud Dianam *loco cit.* vbi hanc vocat probabilem.

Assero cum hac sententia, delectationes mo- 299
rosas esse eiusdem speciei cum actibus operis, ac inter se, specie distinctas, quando delectatio fertur in totam malitiam obiecti: nam si delectatio feratur tantùm in fœminam, v.g. vt non suam; non tamen cogitando eam nuptam, aut monialem, habebit solam malitiam apprehensam, vt ritè notant Azorius, & Sanchez *loco citato*.

Probatvr rationibus, adductis *quæst.*13. quibus satis, superque probatum manet, vt notat Sanchez *loco citato*.

Probatvr secundò. Tunc actus delectatio- 300
num diuersi sunt, quando feruntur in obiecta, specie diuersa: at delectatio morosa circa coniugatam fertur in illud numero obiectum, non vt in genere Luxuriæ vniuersim delectabile; sed vt est talis numero fœmina per se, ex iustitia tali viro soli debita: Similiter & qui delectatur circa virginem è potestate parentum raptam, delectatur circa eam numero, non circa delectabile in genere libidinosum, vt sic magis distractum à castitate, quàm sint crimina contra naturam. Id agnouit Aristoteles, adductus *quæst.*13. sanè hæc sensibiliora à Vasquez nimis Metaphysicè considerantur: vide dicta *disput.*17. *de Consc. ad propos.*14.

Neqve necesse est delectationem formalizare, 301
vt in tale obiectum, puta coniugatum; nam & in actu adulterij nil curatur, vel intenditur iniuria coniugis; sed tantùm delectatio de illo obiecto, quia tali forma, & pulchritudine prædita, & tamen sola voluntaria deliberatione contra iustitiam fit.

Neqve

302 Neque mihi probatur distinctio Dianæ *tom.1. tract.17.resol.34.* delectationes morosas, quæ consistunt in efficaci voluntate, diuersas esse specie; perinde ac operum, quæ eis dant suam malitiam; & hoc pacto sumere malitiam ex opere exteriori. Quod si delectationes sint simplices complacentiæ absque affectu ad opus, omnes esse vnius speciei, cùm sint vnius malitiæ, vtpotè oppositæ vni virtuti castitatis. Hæc sanè est fuga, quia hîc agimus de simplici delectatione in obiecto illo prauo, vt omnes disputantes nobiscum supponunt, omnes enim consensus efficaces ad opus fatentur esse diuersos specie. Clariùs igitur dicat se stare cum Vasquez, & cum eo pacem habeat.

QVÆSTIO XVII.

An liceat Coniugatis extra copulam delectari de ipso actu, cogitato in præsentia, vel absentia.

NAVARRVS *in summa, cap.16.* Syluester *verbo Delectatio, num.2.* Salas *prima secunda, tract.13. disput.6. sect.30.num.205.* Azorius *tom.1.lib.4.cap.6.* Fernandez *in suo exam.Theol. p.4. cap.2. §.4.num.6.* Rodriguez *in summa, tom.3. cap.88. num.7.* putant, esse mortale.

303 Oppositvm autem astruunt, non esse mortale, coniuges viuentes, etiam in absentia, delectari de actu copulæ. Ita Paludanus *in 4. dist. 9. quæst.3. art.1. num.7.* qui *num.6.* refert Martinum de Magistris; consentiunt Gerson *Alphab.38.lit.D.* Antoninus *2.part. titulo 5. cap.1. §.5.* Caietanus *in summa, verbo Delectatio*, Armilla *eodem tit. num.4.* & Recentiores communiter, quos sequitur Vasquez *disp.113.* Curiel.*p.2. quæst.74. dub.3.§.2. difficultate 2.* Zanardus *in direct. Theol. p.1. tract. de Matrimonio, cap.41.* Bonacina *de Matrim. quæst.4. p.8. num.12.* Sanchez *de Matrimonio, tom.3. lib.9. disput.44. num.3.* Lessius *de Iustitia, lib.4. cap.3. dub.1. num.121.* Reginaldus *tom.1. lib.11. cap.5. num.52.* Medina *prima secunda, quæst.72. art.8.* Coninch. *de Sacramentis, disp.34. dub.11. num.113.* quos adducit, & sequitur Diana *tom.1. tract.17. resol.36.* Bassæus, *verb. Delectatio, 15.*

Assero cum hac sententia, talem delectationem non esse lethalem, quia delectatio sumit bonitatem, vel malitiam ab obiecto; at obiectum hoc est licitum. Nec benè arguunt à pari, ex eo quòd idem non licet viduæ; nam in viduitate iam solutum est matrimonium, vt ait Apostolus.

QVÆSTIO XVIII.

An Viduam delectari de actu coniugij præterito, vel Sponsam de futuro, sit mortale.

304 FVere aliqui, à peccato mortali eximentes viduam sic delectatam. Ita Paludanus *in 4. dist.9. quæst.3.art.1.num.9.* Angelus *in summa, verbo Cogitatio, num.2.* & alij Recentiores, qui afferunt etiam Victoriam. Idem tenent Caietanus *tom.1. opusc. tract.14. dub.2.* & *in summa, titulo Delectatio*, Armilla *eodem titulo, num.3.* Syluester *tit. Delectatio, quæst.3.* Corduba *quæst. illa 23. dubio 12.* Limitant tamen Syluester, & Corduba, nisi ex tali delectatione, pollutionis immineat periculum, vel commotio sensualis.

Eandem sententiam tenent Curiel. *p.2. in D. Thom.quæst.7.art.8. dub.1. §.2.* Herrera *de peccatis, disp.33.quæst.13.* Medina *prima secunda, q.74.art.8.* Zumel.*ibi, disp.4 dub.3.*& alij.

Ex his aliqui etiam de sponsa futura idem astruunt.

Oppositam tamen sententiam tenent Bonacina *de Matrim.quæst.4.p.8.num.3.* Emanuel de Vale de Moura *opusc.1. de Ensal.& Incant. sect.2.cap.18. num.14.* Castrus Palaus *tom.1. tract.2.disput.1.p.10. §.2.num.7.* Maldetus *prima secunda, quæst.74.art.10.* Montesinus *in prima secunda, tom.2. quæst.74.art.8. q.6. num.103.* Martinez *in prima secunda, tom.1. quæst.74. art.8. p.1. tract. de elect. dub.3. conclus.7.* Villalobos *in summa, tom 2, tract.40.dub.17.num.3.* Philiarchus *de offic. Sacerd. tom.1. p.2. lib.4. cap.18.* Filliuc. *tom.1. tract.10. cap.9. num.359.* Layman. *in Theolog. Moral. lib.1. tract.3. cap.2.num.24.* Sancius *disp.21.num.27.* Tannerus *prima secunda, disp.4. quæst.8. num.13.* Basil. Poncius *de Matrim. lib.10. cap.16.§.2.num.10.& 11.* Lessius *lib.4.cap.3.dub.15. num.120.* Vasquez *prima secunda, disput.114.* quos refert, & sequitur Diana, *tom.3. tract.5. resol.2.* Fuliensis *lib.2. cap.4.* Bassæus *verb. Delectatio, 14.* Syluius *art.8. quæst.2.*

Ratio est, quia cùm delectatio sumat bonitatem, & malitiam ab obiecto, sicut obiectum est illicitum viduæ, cùm iam sit matrimonium solutum, similiter, & sponsæ cùm nondum sit nupta: Ergo & Delectatio. 305

Aliqui tamen excipiunt, si voluntas solùm approbet, tunc enim non est peccatum.

Ex his ferè soluitur quæstio: An liceat delectari de re mala, sub conditione, si liceret; nam si delectatio est absoluta, non licet de obiecto conditionato. Similiter, si conditio non aufert malitiam. Vide Vasquez *disp.116.* & alios suprà adductos, Nauarrum, Armillam, Caietanum, & Sanchez, præcipuè *in Decal.* initio.

QVÆSTIO XIX.

An liceat delectari de Actibus ex se mortalibus, excusatis à somno, ebrietate, & simili.

ALiqvi dicunt, id licere ob bonum finem, quos refert Sanchez *lib. 1. Decal. cap. 2. num.15.*

Alij verò negant omninò, quos refert, & sequitur Vasquez: Ex quo tamen non infero, mortale esse delectari de pollutione habita in somnis, ob finem sanitatis, vel liberationis ab importunis motibus; nam pollutio, vt sic, non est naturâ suâ mala, nisi prouocata; sed est effectus naturalis; ideò licet delectari ob eum finem. Ità docent viginti Doctores, quos sequitur Sanchez *numero 18.* quem vide; Bassæus *verb. Luxuria, numero 14.* cum aliis, Diana *p.1 tract.5. resol. 87.* addit alios nouem, quibus ipse sub- 306

scribit, ob rationem allatam, & confirmat ex aliis, quæ licet desiderare, non tamen procurare, vt mortem praui principis. De D. Bonauentura nil inuenio. Citatur *in 2. dist. 40. quæst.1.* pro secunda sententia; sed non inuenitur ibi. Interim igitur succido.

QVÆRES: an liceat delectari de obiecto lethali conditionaliter, si esset licitum.

RESPONDEO. Si conditio auferat totam malitiam, & delectatio suspendat, ne de præsenti voluntatem turpem capiam, licere. Vide Sayrum *lib.8. cap.7. numero* 27. Val. *disp.6. quæst.4.p.4.* Sà *verb. Peccat.* 2. Reginald. *lib.11. num.* 53. Vasquez *disp.126. cap.2.* Bonac. *de Matrim. quæstione* 4. *p.8. num.21.* Azor. *lib.4. cap.6. quæsito* 10. Caiet. *verb. Delectatio, num.8.* Sylu. *quæstio 74. artic.8. quæsito* 4. Filliuc. *tract.21. cap.8. quæst.7.* Layman. *lib.1. tract.1. cap.6. numero* 10. Sanch. *lib.1. Mor. cap.2. numero* 23. Nauar. *Man. cap.16. numero* 9. Caramuelem *in Reg. S. Bened. num.*1045. Bassæum *verb. Delectatio, num.*12.

DISPVTATIO III.

De Causis Peccatorum.

1 OMNIS peccati vnum est initium, nempe superbia, vt dicitur *Eccles.*10. duplexque radix (inquit Seraphicus 3. *part. Breuil. cap.9.*) nimirum timor malè humilians, & amor male accendens: triplex verò est peccati fomentum, iuxta tria illa, quæ numerantur, 1. Ioan. 2. *Concupiscentia* scilicet *carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Septiforme autem caput, secundùm septem vitia capitalia. Verùm hæc inter peccatorum causas hîc non computamus. Certum tamen est, peccatum habere causam aliquam; Et quidem quoad materiale in aliquo actu consistit, vel actum habet adnexum: Quoad formale verò est defectus voluntatis, à debitâ rectitudine claudicantis, vt sæpè habet S. Bonau. & D Thom *quæst.75.art.1.*

CAVSÆ igitur peccatorum, aliæ sunt interiores; aliæ exteriores. Causæ interiores sunt Ignorantia, Malitia, & Passio: Exteriores sunt tentationes dæmonis, suasiones, scandala, &c.

QVÆSTIO I.

An Ignorantia sit peccatum.

D.Bonau. in 2.dist.22. art.2.q.2.
D.Thom.q.76.art.1.

DE diuisionibus Ignorantiæ egi *tract.1.disp.2. quæst.13.* Suppono autem, eam posse esse causam peccati, quatenus priuat cognitione necessaria ad illud euitandum.

QVÆSTIO igitur nostra est de Ignorantia vincibili: An habeat peculiarem malitiam.

PRIMA opinio est negatiua. Ità videtur D. Thom. *hîc*, Caietanus, Caspensis *disp.5. sect.1.* Vasquez *disput.118.* cum Durando *in 2. dist.22. quæst.3.* Syluestro, *verbo Ignorantia, quæst.3.* Corduba *lib.2. quæst.6.*

SECVNDA sententia est D. Bonauent. *loc. cit.* Alens. *2. part. quæst.122. memb.1.* Albert. *in 2. dist.22. artic.7.* Richard. *artic.2. quæst.2.* Marsil. *in 2. quæst.15. art.2.* Almaini *tract.1. Moral. cap.4.* Gerson *Alphabeto* 31. *littera D.* Castro *lib.2. de lege pœnali, cap.14.* D. Thom. *in 2.dist.22.quæst. 2. art.1.* Medina *quæst.76.* D.Thom. *art.1.* Zumel. *ibi, disp.1.* Angles *in 2. dist.22. quæst.2. diffic.2.* Valentia *disp.6. quæst.6. p.2.* Tannerus *disput.4. quæst.9. num.7.* Idem sentit DThom. *art.2.* vt notat Valentia.

VBI aduerto, non sumere hos DD. Ignorantiam, prout est priuatio scientiæ habitualis: Sic enim potest esse peccatum actuale, quod solùm probat argumentum Vasquez, qui in hoc deceptus est; sed sumitur prout simul est negatio scientiæ actualis, quam quis suo loco, & tempore habere de huiusmodi rebus debebat. Sic enim illi planè competit ratio peccati actualis, & sanè ipse Vasquez fatetur, inaduertentiam actualem; itaque ignorantiam prauæ dispositionis, in omnium sententia, peccatum esse posse, vt videre est in peccato hæresis. Neque S. Thom. hîc contrarium sibi, aut nobis docet (si rectè attendatur) vt notat etiam Tannerus *num.8.* 2

ASSERO, Ignorantiam, modo dicto sumptam, esse peccatum.

PROBATVR à D. Bonauent. primò ex illa prima Corinth. 14. *Ignorans ignorabitur.* Nullus autem à Deo ignoratur, idest reprobatur, sine peccato. Idem habetur Psal. 24. *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.* His authoritatibus nititur etiam Tannerus *num.5.* eas verò ex Patribus solidat *quæst.6.* 3

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *argumento secundo, & in corpore.* Id, quòd priuat eo, quod per se præcipitur, & non solùm ratione effectus, illud est peccatum; sed ignorantia in rebus fidei præcipitur, vt arceatur: Ergo est peccatum. Hoc totum concedit Caspensis. 4

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. Id, quod voluntariè liberè priuat actu debito, est peccatum per Vasquez, & Caspensem; sed ignorantia priuat actu debito cognoscendi legem: Ergo.

ARGVMENTVM Vasquez iam solutum iacet. Reliqua verò futilia sunt, ipso Vasquez confitente.

Aliqui addunt, ignorantiam earum rerum, quæ necessariò sciri debent in ordine ad subsequentia agenda, vt ignorantia alicuius iuris, non esse speciale peccatum, distinctum à transgressione ipsius iuris. Ità multi contra Malderum *p.2. quæst.76. art.2.* Curielum *ibidem, dub.2. §.4.* alioqui, si non transgrederentur præceptum, non esset ignorantia confitenda. 5

SED negatiuam sententiam sic probant illi, inter quos Vasquez *cap.2.* argumento vltimo D. Bonau. Quia sequeretur, ignorantem peccare in quolibet instanti, quo ignorat, & grauius esset peccatum ex ignorantia, quàm ex scientia, idest malitia.

Huic

6 . Huic tamen sequelæ respondet S. Doctor, quod, cùm ignorantia sit contra præceptum affirmatiuum, non est præceptum omni tempore. Idem habet Valentia *quæst.6. p.2.* Zumel. *quæst.76. art.2. disput.2.*

Addo ego, ignorantiam eorum, quæ scire tenemur per se, siue sine respectu, & ordine propinquo ad opus particulare, vt sunt articuli fidei, esse peccatum speciale contra studiositatem, vt notat Sanchez *lib.1. cap.2. num.6.* Filliuc. *tom.2. tract.21.cap.20.num.365.*& alij apud Dianam *tom.2. tract.4. resol.165.* vbi ipse subscribit cum Tannero *num.13.* qui tamen sub hoc ordine non rectè includit præcepta Decalogi, modum colendi Deum, præcepta Ecclesiæ, &c. hæc enim ad opus ordinantur proximè, nempè ad obseruantiam.

7 Non esse tamen speciale peccatum tenet Merolla *disp.1. cap.2.diffic.3. n.697.* qui postea *n.699.* ait, talem teneri hanc ignorantiam confiteri, quia exposuit se periculo sentiendi contra fidem, & addit, esse tot peccata, quot articuli ignorati; sed oppositum asserit Suarez *tractatu de fide, disputatione 15. sect.1.* Vide Dianam *p.3. tract.4. resol.165.*

QVÆSTIO II.

An Ignorantia inuincibilis sit causa culpabilis peccatorum.

8 Paradoxum insonat hic titulus: Est enim Theologorum omnium calculis asseitum, ignorantiam inuincibilem esse inculpabilem, quippè quæ, alioqui impossibilia imponeret, peccata non voluntaria induceret, & damnationem insontibus decerneret. Quare eam excusantem inclamant, vt vidimus *tract.1. disp.3. quæst.11.* cum D. Bonauent. *locis ibi cit.* & testantur omnes cum D.Thom. *quæst.6. art.8.* Ibi Caiet. Syluius, & omnes Discipuli; qui rursus *quæst.76. art.2.* vbi Vasq. *disp.162.* Val. *disp.6. quæst.6. p.1.* Zumel. *disp.2.* Suar. *tom.5.in 3. part. disp.4. sect.8.* Sanch. *tom.1. lib.1.cap.16.* & alij.

9 Excipiunt aliqui, si huic ignorantiæ data sit causa, seu propria voluntate peccatis actualibus, quibus peccator in tenebris mergi emeritus est, siue aliena, ex peccato originis. Ità Estius *in 2. dist.22. §.14.* adducens Adrianum, Innocentium, Caietanum. Ità Bassæus *verb. Ignorantia, num.7.*

Hæc doctrina mihi summopere displicet; Tum quia ignorantiam inuincibilem confundit, quæ & antecedens dicitur: Tum quia multas includit etiam doctrinas, Seraphico, & veritati contrarias.

10 Nota primò, Ignorantiam inuincibilem antecedere voluntatem non modò in ordine ad legem ignoratam, nam hæc ignorantia potest esse volita; sed etiam in ordine ipsius obiecti voluntatis. Quare si directè, vel indirectè est volita, non est ampliùs antecedens voluntatem, nec dicitur inuincibilis.

Nota secundò, peccatorem, Dei instructionibus renitentem, velle, saltem indirectè, ignorantiæ tenebris inuolui. Neque tamen huiusmodi peruersum adeò deseri à Deo, vt sanctas cogitationes, inspirationesque omnes ei deneget, vt ostendi *p.p. tract.1.disp.22. quæst.5. & 6.* Ità ad vitanda singula mortalia habet sufficiens auxilium, vt ibi ostendi.

11 Nota tertiò, Adamum sibi ac filiis amisisse iustitiam, quâ & intellectus supernè edoctus errare, aut decipi non poterat; & appetitus in officio continebatur, vt ad sensibilia non erumperet. Ità nobis ignorantiam, & concupiscentiæ fomitem reliquit. Et hæc quidem est miserorum hæreditas; sed vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia per Saluatoris merita. Quare sicuti adhuc post peccatum originale, vult omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ità præparauit & fidem, & internas illuminationes, & instructiones externas necessarias ad salutem, vt ostendi *p. p. tract.1. disp.21.* passim. Itaque sicuti concupiscentia nullum filiorum Adæ inuitum trahit ad culpam, vt ostendi *disp.2. quæst.7.* ità nullus caret notitia necessaria ad legem Dei seruandam ex culpa originaria; tum quia omnes illuminat filios Adæ, vt dicitur Ioan.1. Tum quia vult omnes saluos: *Vnus est enim mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Et sicuti nullum vult perditum antecedenter, ità nulli media necessaria saluti negat, multò minùs omnibus Adæ filiis. Quæ omnia latè ostendi *p.p. locis add. citis.*

12 Ex his deduces, non dari ex originaria culpâ ignorantiam antecedentem nostras voluntates, qua ex voluntate aliena in culpas mortales, & in æternæ damnationis abyssum decidamus, deturbemur, aut immergamur; alioqui vbinam Redemptio Christi? vbinam promissa æternæ beatitatis, si velimus? Vbinam Lux mundi vera, quæ illuminat omnem hominem? Vbi suauitas iugi Christi? Vbi Dei misericordia? Imò iustitia, quæ nec impossibilia nobis imponit, nec propterea punit non obseruata, nec decipit subditos, nec damnat gehenna nolentes propria voluntate? Fateor, aduersam mihi sententiam inuisam, atque odiosam haberi.

Conantur aduersi Patrum authoritatibus niti, sed frustrà.

13 Adducunt D. Anselm. *cap.17.* de concord. gratiæ: *Quoniam natura humana peccando deseruit iustitiam, ad peccatum imputatur illa impotentia, quam ipsa peccando sibi fecit, nec solùm impotentia illam habendi, sed etiam illam intelligendi.*

Respondeo, illam non esse culpam, saltem in renatis; *Nihil enim damnationis est his, qui sunt in Christo*, vt ait Apostolus, & S. Concil. Trident. definit. Est igitur pœna, sed manet solùm quoad habitus, in Adamo existentes, non autem quoad notitias necessarias, nam infunditur fides cum aliis Theologicis, aliisque necessariis. Quare D. Anselm. vult, esse quidem cæcitatem pœnam peccati emeritam ab Adam, vt ostendat, nos egere gratiâ Saluatoris, nec posse nostris viribus necessariam cognitionem adipisci. Quare non manet ex Adamo ignorantia antecedens nostram voluntatem, qua peccemus, nullum proprium actum liberum habentes. Omne enim peccatum actuale est nostrâ propria voluntate volitum.

14 Adducunt etiam D. August. *epist.105.* vbi, ignorantiam, antecedentem propriam voluntatem, ait, esse pœnam originariæ culpæ, & ideò inexcusabiles nos esse, si ignoramus. Addunt & ad Iulianum *in opere imperfect.* vbi ait: *Nos ex ignorantia*

pati necessitatem peccandi; necesse est enim vt peccet, qui, nesciens quid debeat facere, facit. De quo rogamus: Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias, ne memineris; Quod delictum, si Deus iustus non imputaret, neque dimitti posceret homo fidelis. Hæc vrget præcipuè Gregor. de Arim. in doctrina S. Augustini eruditissimus.

15 RESPONDEO, D. Augustinum totum esse in ostendenda gratiæ necessitatem; ideò omnes miserias è peccato originis prouenientes exponere, vt Pelagianos conuincat de negatâ originis culpa. Iam verò adducit hic ignorantiam, quæ per Christi auxilia excutienda discutitur: sed quia, è renatis, multi adhuc opponuntur ignoranter peccantes, ideò docet, talem ignorantiam ex origine haberi, vt pœnam; vt culpam autem, esse propria voluntate volitam: Ideò precamur, ignorantias nostras proprias ne meminerit; & ita de peccatis, ex ignorantia, hæreditatâ quidem, sed gratiâ Dei vincibili, veniam postulamus; alioqui actualiter peccaremus voluntate Adæ, actu nolentes.

Addit Bassæus alium ipsius locum *lib. 3. cap. 18. de gratia, & libero arbitrio.* Est autem is vnus liber, vbi nil reperitur, sed solùm *lib. 3. de liber. arb. cap. 18.*

16 In hoc præclarè conuincuntur aduersi, ait enim: *Nec mirandum est, quòd homo, vel ignorando non habeat liberum arbitrium ad eligendum quid rectè faciat: Illa est enim peccati pœna iustissima, vt amittat vnusquisque, quo benè vti noluit, cum sine vlla difficultate posset, si vellet. Id est autem, vt, qui sciens, rectè non facit.* Hîc glossam interuerbalem ponit Bassæus habere: *Vt quiuis homo in suo parente amittat scire, quid rectum sit: & qui rectè facere cùm posset, noluit, amittat posse, cùm velit.* Mediocriter sciolo patet, S. Patrem loqui de ignorantia volita ab vnoquoque; ideò dicit, eum, qui potest, & non vult, amittere posse, cùm vult. Sanè ignorantia, ex origine, per vos semper durat: Qua igitur ratione eam non habent omnes, & aliquando non? Et si breuiùs soluas dicens, vocari peccatum eo modo, quo & concupiscentia, quia sunt effectus, & pœna peccati, & ad illud ducens volentem. Id indicat ibi, & *lib. 1. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 36.* Quare non rectè adducitur, neque apta est glossula Bassæi.

QVÆSTIO III.

An detur ignorantia iuris Diuini inculpata.

D. Bonau. in 3. dist. 24. q. 2. ad vlt.
D. Thom. 2. 1. q. 47. art. 1.

17 SENTENTIAM assertiuam in Scholis, omnium plausu iam receptam, ait Vasq. *disput. 120. cap. 2.* Eam sustinent cum D. Thom. *hic*, Dur. *in 3. dist. 25. quæst. 1.* Valentia *quæst. 6. p. 1.* Angles 2. *dist. 22. diff. 3.* Azor. *p. 1. lib. 1. cap. 15.* Medin. *quæst. 76.* Petrus à S. Ioseph Fuliensis *lib. 3. de fide, cap. 6.* assetens, de ipsa Dei existentia, à quo non abest Tanner. Fagund. *lib. 1. cap. 9.* Lugo de fide, *disp. 19.* non tamen de omnibus præc. iuris Diuini. Duriùs Castro Palao *tom. 1. tract. 4. disp. 1. p. 11.* quoad fideles, Clau. Regia *lib. 2. cap. 9. num. 17.* Sanch. *lib. 1. Mor. cap. 16. num. 32.* Caspens. *tract. 12. disp. 5. num. 19.* Coninch. *de pœn. disp. 8. dub. 17. num. 131.* Syluius *p. 2. quæstio 76. art. 3. quæst. 2.* Reginald. *lib. 1. n. 23.* Nauar. *cap. 21. num. 46.* Val. *tom. 2. disp. 6. q. 6. p. 1.* Azor. *p. p. lib. 1. cap. 1.* Diana *de Sacram. resol. 108. p. 3.* Præposit. *p. 2. q. 76. art. 4. dub. 2.* Syluius *ibi, art. 3. quæstio 2.* Bassæus *verb. Ignorantia, n. 6.*

SECVNDA opinio est Alensis *2. p. quæst. 112. memb. 8. & quæst. 153. memb. 3.* Altisiodor. *lib. 3. summa, tract. 3. cap. 2. quæst. 3. in prima quæst.* Alberti *in 2. dist. 22. art. 10.* Gabriel *quæst. 2. art. 3. dub. 3.* hi dicunt ignorantiam eorum, quæ communiter proponuntur, nunquam à culpa excusare, benè tamen ignorantiam alicuius particularis. Inter hæc nominat Diana *p. 2. tract. 4. resol. 108.* peccatum pollutionis. Ideò excusat adolescentem, qui aliàs hæc peccata non est confessus, ne teneatur reiterare confessiones.
Adducit etiam Layman *lib. 4.* 18
tract. 6. cap. 8. Sanchez *lib. 1. cap. 16. num. 33.* Et addit, doctrinam nunquam à confessariis obliuioni tradendam, ex Nauar. *in cap. fratres, de pœnitentia, num. 8. dist. 51.* Syluestro, *verbo Confessio, quæst. 3.* Becan. *p. 1. casu 9.* Vasquez *in 3. part. tom. 4. quæst. 62. art. 3. dub. 1.* Reginald. *in praxi tom. 1. lib. 6. cap. 5. sect. 3. n. 153.* ea, quæ omissa sunt in confessione ex ignorantia vincibili sæpè non cogere ad reiterandam confessionem. Cæterùm, non dari ignorantiam inuincibilem de rebus fidei asserit S. Bonauent. cum Alensi, Gabriele *loc. cit.* & Adriano *quodl. 2. quæst. 1. & quodl. 4. art. 1.* Multi verò alij idem asserunt de præceptis etiam positiuis Diuinis. Ita Gerson *Alphabet. 61. littera K. & Alphabet. 62. littera I.* Guillel. Parisiens. *tract. de legibus, cap. 21.* Hugo de S. Vict. *p. 2. de Sacrament. p. 6. cap. 5.* Est autem D. Bonauent. *loc. cit. & quæst. 3. ad penult. & in speculo animæ, cap. 3.* longè post medium, & *3. p. Centil. sect. 7.* qui tamen, vt dixi, apertè solùm asserit de rebus fidei. De his verò idem concedunt, saltem inter fideles, non dari talem ignorantiam, Rodriguez *tom. 1. cap. 88.* Lorca *disp. 34. num. 21.*

ASSERENDVM cum hac sententia, non dari Ignorantiam inuincibilem sciendorum, quæ necessaria sunt ad salutem.

PROBATVR à D. Bonauent. primò *ad cap. 15.* 19
Ioannis. Illa ignorantia non est inuincibilis, quæ, ex parte Dei, prædicatores habuit, nec per defectum diuinæ eruditionis permansit: sed omnes fuere satis eruditi in rebus fidei necessariis: Ergo. Minor probatur à S. Bonauent ibi, ex illo Ioan. 15. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent*, nempè infidelitatis, vt exponit D. August. *tract. 89. in Ioan.* ante medium *tom. 9.* vbi sibi etiam obiicit. Sic videri excusationem habere eos, ad quos Christus edocendos non peruenit: tales erant Gentiles. Et respondet: Nequaquam; nam *In omnem terram exiuit sonus eorum*, idest Apostolorum, & Discipulorum Christi, *& in fines orbis terræ verba eorum*, vt habetur
Psal. 118. Quod etiam ex loco illos Apostolus de- 20
ducit *Rom. 10.* sic discurrens: *Omnis quicumque inuocauerit nomen Domini saluus erit. Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, in quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur?* Et respondet, *sed dico: Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

INFERT

Infert igitur Apostolus, in cuiuscumque potestate esse peracta prædicatione Apostolorum, ac Discipulorum Christi, habere cognitionem necessariam ad salutem, atque adeò nullam vsquequaque de his ignorantiam esse inuincibilem: *Illuminat enim omnem hominem.* Ioan.1. His satis perpensis infert etiam D. Augustinus,eos, quibus nec per se, nec per Apostolos, aut Ecclesiam locutus est, absque culpa ignorare; non quia aliquis remanserit ignorans inuincibiliter, vt ridiculè infert Vasquez *num.*8. alioqui vanam inferret argumentationem Apostoli. Sed infert sic: si aliquis remansit, ad quem eruditio Christi, vel Discipulorum, vel Ecclesiæ, non peruenit, remansit inuincibiliter ignorans; sed ad omnem peruenit, ex Apostolo, *Rom.*10. Ergo. Est autem modus ille loquendi D. Augustini, qualis est DD. communiter loquentium de Augustino, vt habetur in Rebadineræ Legendario: *Illud deesse Scripturæ, quod Augustinus ignorauit*; quasi dicant: *Cùm Scripturæ nil desit, totum Augustinus sciuit.*

Hac authoritate, atque argumentatione nititur Corduba *quæst. illa* 4. *conclusione* 2. post D. Bonau. *ad* 8. *Lucæ.*

Respondet Vasquez *p. p. disput.*97. *cap.*5. *& hic, cap.*4. & Fagundez *numero* 7. ibi Apostolum nolle inferre, auditam esse fidem Christi ab omni terra; sed Deum omnibus vbique, gratiæ aliquam particulam, vt Deum possent inuocare, impertitum.

12 Hæc sanè est falsa expositio: Nam Apostolus ponit difficultatem in eo; Quomodo omnes inuocarent Deum verum, quem non nossent. Inuocatio enim significat religionem veram, in sensu germano. Infert autem: *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Et hinc deducit, necessarios Prædicatores, quos missos in omnem terram, luce clariùs meridianâ concludit, vt Patres communiter exponunt: & ipse Paulus euidentissimè loquitur; nam primò dixit: *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus*: & infert, non esse distinctionem Iudæi, & Græci: *Nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant nomen eius. Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini saluus erit.* Et pergit: *Quomodo inuocabunt?* &c.

13 *Quomodo prædicabunt nisi mittantur? Sicut scriptum est.* Isaiæ 52. *Quam speciosi pedes euangelizantium, &c. Sed non omnes obediunt Euangelio.* Isaias enim dicit: *Domine quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Sed dico: *Numquid non audierunt? & quidem: In omnem terram, &c.* Amicè quidem, si inter nos adhuc degeret, admonerem Vasquez, vt plurimas detortas expositiones Scripturarum corrigeret in suis scriptis.

Probatvr secundò à D. Bonauent. *locis citatis*, fundamento, quo cæteri nituntur: Facienti quod in se est, Diuino auxilio necessario numquam deficiente, Deus non denegat gratiam, & media ad salutem: Debet igitur infidelis peritiores consulere, ac Deum orare purgato affectu, quantum valet Diuino auxilio; Sic enim à Deo illuminabitur, vt docet D. Augustinus *lib. de vtilitate credendi, cap.*8. vbi hunc ordinem vincendi ignorantiam, necessarium assignat.

14 Respondet Vasquez *cap.* 4. Deum denegare istis cognitionem mysteriorum fidei ob aliqua peccata eorum; & ideò illa infidelitas est pœna peccati; ita etiam Fagundez.

At non video, quo fundamento, tot milliones redduntur ad salutem impossibiles; nunquam enim Deus ex pœna præcedentium peccatorum reddit aliquem impossibilem ad salutem: *Sine fide autem impossibile est placere Deo.* Hebr.11. Id vide *p. p. disp.*22. *quæst.*6. Quod verò meditatur Valentia, 15
hanc ignorantiam posse esse ex culpa, & non ob id culpabilem, sicuti in eo, qui omittit audire Sacrum, in quo publicatur Lex præceptiua: Is enim omittit ex peccato, & ignorat ex peccato omissionis, nec tamen ignorantia illa est culpabilis. Hoc inquam futile est. Primò; nam non est par ratio, qui enim casu omittit Sacrum, in quo non solet, aut probabiliter credit, non esse tradendam legem, excusatur ex eo, quod præceptum non habet connexionem cum publicatione, nec omissio cum ignorantia; at verò studiositas rerum fidei per se primò habet connexionem cum peccato, ità vt ex Diuina Prouidentia prouisum sit omnibus de mediis ad salutem, ac emundationem peccatorum è quibus primò necessaria est fides.

Respondet Gregorius de Valentia cum Vasquez, quod non omnis homo potest humano modo scire ea, quæ sunt fidei; ideò non imputatur eis ad culpam.

Sed iam ostendi, Deum omnibus prouidisse media, ad salutem; & quidem prouidentiæ suauitas 16
exigit, vt humano modo ita fiat, vt vnusquisque possit tendere ad beatitudinem.

Qvod verò addit Valentia, non esse necesse, vt possit tendere ad beatitudinem ex intentione, sed sufficere, si possint ex auxilio gratiæ.

Ego quidem non capio hoc in adulto, quomodo tendere queat ad beatitudinem ex gratiæ auxilio, sed non ex intentione; nam tendere ex intentione, est esse dispositum per fidem: *Sine fide autem impossibile est placere Deo.* Hebr.11. vt fatetur Vasquez *num.*13.& Valentia *tom.*3. *disp.*1. *quæst.*2. *p.*2. Et oppositum est hæresis.

Confirmatvr ex D. August. *lib. de gratia, &* 17
*libero arbitrio, cap.*3. & Prospero *lib.*2. *de vocatione gentium, cap.*5. relatis à Valentia.

Obiicit Vasquez *num.*8. Manifesta (ait) testimonia D. Augustini *lib. de quæstionibus noui Testamenti, quæst.*67. vbi ait: *Ille autem ignorans potest excusari a pœna, qui, à quo disceret, non inuenit.*

Respondent Alens. & Gabriel, D. Augustinum id intelligere de eo, qui non habet Doctorem externum, vel internum.

Vasqvez zelotes instat, loqui D. Augustinum de externa tantùm doctrina. Subdit enim de Iudæis: *Istis autem hoc ignosci petit, qui habentes, à quo discerent, operam non dederunt,* huiusmodi autem non licet ignorare.

Quæso respiciat Vasquez, quàm cæteris clariùs 18
de externo Doctore loquatur Paulus *Rom.*10. allegato, quod tamen ipse negat.

Respondetvr ergo, D. Augustinum non inferre, dari tales excusabiles, sed solùm esse excusabiles, si ignorarent ex defectu Magistri, quod non admittit verum.

Secvndò obiicit illud D. Augustini *in Ioan.* iam solutum.

Tertiò obiicit *epistolam* 105. vbi tractans illud Rom.1. *Reuelatur ira Dei*, infert, ignorantiam in iis, qui audire noluerunt, peccatum esse; in iis verò, qui non potuerunt, pœnam esse.

19 RESPONDETVR, non loqui *hic* de necessariis ad salutem, sed de vtilibus, vt patet legenti.

QVARTÒ obiicit *lib. de natura, & gratia, cap.4.* vbi loquens de iis, qui gratiam Dei non receperunt, qui audire non potuerunt, ait: *Iustè eos damnari, vel quia originale peccatum habuerunt, vel quia prauis moribus alia peccata addiderunt.* De peccato verò infidelitatis nil omninò ait, si tamen existimasset, peccatum esse, sine dubio ei quoque damnationem adscripsisset.

RESPONDETVR, satis in peccatorum nomine includere etiam infidelitatem; multò magis omissiones in faciendo, quod in se est, ad disponendum se ad gratiam.

QVÆSTIO IV.

An Iuris naturalis possit esse Ignorantia inuincibilis.

D.Thom. 1.2.q.2.art.3.

VERVM est, nullum inuincibiliter ignorare Ius Naturæ. Ita D. Bonauent. *prima parte Centil. sect.7.* vbi ait: *Ignorantia Iuris naturalis non excusat, cùm sit scriptum in corde hominis.* Alensis 2.*part.quæst.*153.*memb.*3. Gratianus 1. *quæst.*4.*canone, Turbatur:* Durandus *in* 3. *dist.* 25. *quæst.*1.*ad* 1. Castro *lib.*2.*de lege pœnali, cap.*14.

20 ATTAMEN aliqui dicunt, propositiones aliquas naturales obscuriores posse ignorari inuincibiliter, vt sunt præcepta contra delectationem morosam in materia venerea, vnitatis vxoris, & perpetuitatis matrimonij. Ita Vasquez *disput.*122. *cap.*2.

PROBATVR à D. Bonauent.*lib. de Eccles. Hierarch. cap.*1. ex illo Rom.1. *Inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Addit illud Sap.13. *A magnitudine enim speciei, & creaturæ, cognoscibiliter poterat Creator horum videri.*

Idem habetur 3. *Ethic. cap.*1. apud Philosophum.

QVÆSTIO V.

Quando legis humanæ censeatur ignorantia absque culpa.

21 INDVBITATA res est apud Theologos, accidere posse ignorantiam iuris positiui sine culpa, quam vocant ignorantiam inuincibilem. Ita D.Bonauent. *prima parte Centil. sect.*7. supponit. Contra quidem est Vuiellelmus Paris. *de Legibus,cap.*21.

DEFINIT autem Almainus *tract.*1.*Moral.cap.*4. Ignorantiam inuincibilem sic: *Est illa, ad quam vincendam homo facit quidquid facere debet.* Sumitur ex D. Bonauent. *prima parte Centil. sect.*25. Addit verò *in speculo animæ, cap.*3. eam esse inculpatam, quæ est de iis, quæ ad se non pertinent secundùm proprium statum. Itaque plus tenetur Papa, quam Archiepiscopus; & hic plusquam Episcopus; & Sacerdos plusquam Laicus, vt notat idem D. Bonauent.*parte prima Centil.sect.*8. Et *in eodem speculo, cap.*1. ait: Posse aliquem ignorare, absque culpa mortali, aliqua, quæ Ecclesia proponit credenda; si tamen promptus sit omnia credere, quæ credit Ecclesia.

HINC Castro *lib.*2.*de lege pœnali, cap.*14. deducit primam regulam cognoscendi: An ignorantia de aliqua lege sit culpabilis; ait igitur ex D.Bonau. *loco cit.* non omnes scire debere omnia statuta, & leges humanas, cùm hoc sit, more humano, impossibile; vnumquemque verò debere scire ea, quæ ad statum suum pertinent. Sic Prætor debet scire leges prætoris: Tutor leges tutoris. 22

ALTERA regula est, leges vniuersales Contractuum, aut aliarum operationum sciri debere ab omnibus, quando voluerint illa opera exercere, vel si ignorent, tenentur doctum adire. Et hoc sensu explicatur *l. Leges sacratissimæ, Cod. de legibus,* vbi dicitur: *Leges sacratissimæ, quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent, vt vniuersis præscripto eorum manifestiùs cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sectentur.* 23

Adnotat Vasquez *disp.*123. *cap.*2. ignorantiam Iuris in foro exteriori non admitti, eò quòd difficile sit illum probare, vt patet ex *tit. de Iuris, & facti ignorantia, in Cod.* Admittitur tamen in mulieribus, & militibus ob simplicitatem, & in minori vigintiquinque annis, & rusticis, vt innuit D. Bonau. *locis adductis.*

ILLA igitur ignorantia est æstimanda inuincibilis, quando, apprehensa necessitate, consulit sapientes, vel aliam adhibet diligentiam, vt notat D.Bonau. *locis citatis,* & Vasquez *loc.cit.*

QVÆSTIO VI.

An detur Ignorantia FACTI, *quæ sit inuincibilis.*

ASSERO affirmatiuè. Ita D. Bonauent. *locis suprà adductis,* & communiter, vt refert Vasquez *disput.* 124. Neque verò Altisiodor. *lib.*3. *summæ, tract.*8. *cap.*4. *q.*5. oppositum docuit, dum ait, eum, qui adorat Diabolum, in specie Christi apparentem, peccare, & ignorantiam illam esse vincibilem: nam, licèt industria humanâ non valeat dignoscere: An verè sit Christus; si tamen Deum oraret, illuminaretur. Id igitur malè ex hoc deducit Vasquez *cap.*2. Altisiodorensem contra communem sententiam irruere: Nam potest in vno facto esse vincibilis ignorantia; & in aliis esse inuincibilis: Nam etiam D.Bonau. eum casum ponit, & tamen ignorantiam *facti* admittit. 24

CASVS, quo potest esse ignorantia *facti*, est, quando adhibita diligentia adhuc manet, & probabiliter saltem tenetur prius. 25

OBIICIES *Genes.*20. Abimelech Rex sufficientem adhibuerat diligentiam circa Saram, consulens Abrahamum, & audiens sororem eius, voluit eam sibi nubere, & tamen damnatus est morte à Deo, & nominatur peccasse.

RESPONDET Chrysostomus *homil.* 45. Peccatum fuisse contumeliam, quæ ex culpa cum Sara redundasset in virum eius, erat enim dehonestatio.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VII.

An Ignorantia comitans excuset à culpa.

26 PRIMA opinio est, Si ignorantia comitans sit penitus inuincibilis, adeoque respectu voluntatis antecedens actum externum, à culpa penitus excusari. Ità Petrus Soto *tract. de ratione medendi peccatis, lect.2.* Medina *prima secunda, quæst.76. art.3. & 4.* Zumel. *ibidem, disput.3.* Angles *in 2. dist.22.quæst.1.* Valentia *disp.6.quæst.6.p.3.* Vasquez *disp.125.cap.2.* Tannerus *disp.4.quæst.9.num.21.* Fuliensis *lib.2.cap.6.*

OPPOSITAM sententiam tenet Conradus, & Caietanus *quæst.76.art.2.* Corduba *lib.2. quæst.19.* cum Arim. *in 2.dist.22. quæst.2.* Gabriele *eadem dist. quæst.2. art.1. notab.3.* Couarruuias *in cap. Alma Mater, §.10.* Adrian. *quodl.4.* & aliis Recentioribus Thomistis.

ASSERO cum hac sententia, ignorantiam comitantem non excusare à peccato.

27 PROBATVR. Illa ignorantia, quæ non tollit scientiam, impedientem peccatum, nil facit ad rationem peccati excusandam; sed ignorantia comitans non tollit rationem peccati; nam adhuc promptus supponitur ad idem peccatum patrandum, etiamsi id sciret: Ergo.

QVOD verò obiiciunt, eum, qui agit cum ignoratione, agere inuoluntariè, facile est in nostro casu; nam verum sanè est de ignoratione, quæ est causa; at comitans ignoratio non facit aliquid: & hoc ducitur ex Aristotele 5. *Ethic. cap.8.* neque Vasquez huic nouit respondere.

MIHI verò etiam prior sententia probatur ob eius rationem. Vana tamen est Fuliensis confirmatio, alioqui eas omnes culpas nobis imputandas, quas Deus præuidet nos commissuros, si in talibus occasionibus poneremur.

QVÆSTIO VIII.

An cum Ignorantia, quam dicunt vincibilem, possit esse hæresis.

PRIMA opinio est affirmatiua. Ita Scotus *in 4. dist.22.quæst.2.art.3. post 5. conclusionem.* Adducitur D. Bonauent. *in 4.dist.13.dub.4.litt.*à Vasquez *disp.126.* Ego vidi etiam alio in loco D. Bonauenturam dicentem, hæreticum esse, qui se sponte in ignorantiam præcipitat rerum ad fidem pertinentium, *in 3.scilicet, dist.25.*

28 QVARE supponit, hæresim solùm in ignorantia affectata posse consistere. Idem habet *parte 1.Centil. sect.7.* Et hæc communior est opinio, ignorantiam solam affectatam causare hæresim. Ita D. Thom. *2.2.quæst.11. art.2. ad 3.* ibique Caietanus, Alens. *2.part. quæst.161. memb.2.* Durandus *in 4. dist.13. quæst.5.num.6.* Palud. *eadem dist.quæst.5.art.1.concl.1.* Gabriel *quæst.2.art.1. notat.3.* Syluester *verbo Hæresis,* Armilla *eodem titulo,* Corduba *lib.1.q.16.§.7.* Nauar. *in summa, cap.11.num.17.* Castro *lib.1.de iusta hæreticorum punitione, cap.1.*

29 ET quidem D. August. *lib. de vtilitate credendi* initio, definit hæreticum hoc modo: *Qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloria, principatusque sui gratia, falsas, ac nouas opiniones de fide, vel gignit, vel sequitur;* vbi aliquid præter ignorantiam crassam prætendit S.Augustinus ad hæresim, vt notat S. Bonau. *prima parte Centil.sect.6.*

PROBATVR verò ratione D. Bonauent. *in 4. dist.13.dub.4. litt.* qua vtitur Vasquez *disp.126.n.4.* Hæresis ex D.Isidoro *lib.de Ethymol.* sonat electionem, qua, ex propria authoritate, ac proprio sensu, accipitur aliqua propositio aduersus Ecclesiæ definitiones, & authoritatem: Ergo peccatum hæresis non debet esse meræ ignorantiæ vincibilis crassæ, sed debet esse scienter reclamans his, quæ ab Ecclesia proponuntur.

QVÆSTIO IX.

An cum omni peccato coniuncta sit aliqua ignorantia, aut error rationis.

PRIMA opinio est affirmatiua, in quovis peccato interuenire semper quemdam defectum rationis. Hunc autem aliqui vocant defectum imperij, qui à prudentia edocetur. Ita Capreolus *in 3.dist.36. quæst.1.* Caietanus, Conradus, Medina, aliique Thomistæ *quæst.77.art.2.D.Thom.* Valentia *quæst.8. puncto 1.*

Alij hunc defectum vocant erroneum quoddam iudicium practicum contra Prudentiam. Ita Zumel. *quæst.77.art.2. disputatione vnica*; aliique Moderni.

Alij volunt, hunc defectum sæpè esse inconsiderationem, vel inaduertentiam, aut ignorantiam actualem. Ita Socrates apud Aristotelem *7.Ethic. cap.3.* Aristoteles *ibi*, & *lib.7. cap.10.* D. Thom. *quæst.77.art.2.* & *quæst.78.art.1.* Alens. *2.p.quæst.112. memb.4.* Durandus *in 2. dist.39. quæst.1.* Buridanus *7.Ethic.quæst.7.* Vasquez *disp.118.cap.5.*

SECVNDA sententia est negatiua. Ita Albertus *2.part. tract.14. quæst.88.* Scotus *2. dist.6. q.1. ad 3.* & *in 3. dist.36. art.2.* & omnes Scotistæ apud Mastrium *in 2.disp.3. quæst.2.* Ocham *in 3. q.12. art.4.* Gabriel *in 3.dist.36.quæstione vnica, art.2.* Henricus *quodl.1.quæst.17.* & *quodl.10. quæst.10.* Bassolis *in 3. dist.25.quæstione vnica,* & *in 2 dist.25.quæst.2.* Adrianus *quodl.4. art.1.* Almainus *tract.3. Moral. cap.4.* Suarez *disp.19. Metaph.sect.7.* & *lib.7. de Angelis, cap.4.* Corduba *lib.2.quæst.13.*eamque tradit Schola Parisiensis, vt oppositum erroris damnare videatur, sed D. Bonauent. refert articulos Parisienses *in 2.dist.23 quæst. vltima, in fine*; hunc autem non recenset. Eandem tenet Arriaga *disp.23. de Angelis, sect.6.* Amicus verò *tom.3. disp.17. sect.8.* cum Suarez declinantes dicunt, necessariò præcedere errorem imprudentiæ. 30

SENTENTIA D. Bonauent. *in 2. dist.41. art.2. quæst.2. in fine,* & *dist.43. art.1.quæst.1.* est, nullum è prædictis defectibus in intellectu præcedere debere, vt sequatur defectus in voluntate; eum verò, qui aliquando præcedit in intellectu, non debere esse errorem positiuum, speculatiuum, vel practicum, docet *in 2.dist.6. art.1.quæst.1.*

ASSERO primò, moraliter loquendo, omnia ferè peccata sequi ex defectu intellectus, qui est carentia considerationis congruæ ad illud peccatum impediendum. 31

PROBATVR primò à D.Bonauent. *in Diata salutis, cap.2.* ex 24. Isaiæ: *Ecce Dominus dissipabit terram. Et erit sicut emens, sic ille qui vendit.*

Vbi protestatur pœnas debitas hominibus, & dæmonibus in inferno; & ita tam vendens diabolus decipiendo, quàm homo deceptus emendo, tantillo voluptatis, æterna supplicia, punientur.

32 DEINDE illud probat egregiè, ex illo *Prouerb.7.* vbi inducitur adolescens procax. Primò enim admonet illum: *Fili mi, custodi sermones meos: Serua legem meam. Dic Sapientiæ, soror mea es: & Prudentiam voca amicam tuam, vt custodiat te à muliere extranea, & ab aliena, quæ verba sua dulcia facit.* Describit autem ideò mulierem vanam, meretriciis ornatam fucis, garrulam, & blandam lasciuientem, occurrere iuueni incauto, aduesperascente die, multisque promissis decipientem, & ad libidinem pellicientem. Et subdit: *Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans, quòd ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius: velut si auis festinet ad laqueum, & nescit, quòd de periculo animæ illius agitur. Nunc ergo fili mi, audi me, & attende verbis oris mei. Ne abstrahatur in viis illius mens tua; neque decipiaris semitis eius. Multos enim vulneratos deiecit.* Quid clarius?

33 Idipsum probat S. Bonauent. *Opusc. de quatuor virtutibus Cardinalibus*, illo Prouerb.14. *Est via, quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad interitum.*

Ideò Aristoteles 3. *Ethic. cap.1.* ait: *Omnis prauus, est ignorans.* Et 7. *Ethic.* 2. 3. & 10. *cap.* Et 2. *Magn. Moral. cap.7.* ait: *Incontinentem ideò peccare, quia non attentè considerat, quæ habitu nouit.* Et 6. Eth. cap.13. *Virum prauum errare circa agibilia.* Hæc, & alia congerit Vasquez *cap.5.* quæ nil ampliùs probant.

PROBATVR tertiò à S. Doct. è Sanctis Patribus *lib.3. Pharetræ, cap.29.*

34 D. GREGORIVS: *Sæpè committunt homines mala, quæ sciunt; & idcircò permittuntur decipi, vt cadant etiam in mala, quæ nesciunt.* Sic loquitur *lib.11. Moral. cap.7.* & *lib.9. cap.7.* ait: *Seclusum ab internis gaudiis genus humanum, exigente culpa, mentis oculos perdidit: & quò meritorum passibus gradiatur, nescit.*

D. CHRYSOSTOMVS opere imperfecto in Matth. homil.44. *Non potest eis esse excusatio condemnationis, ignorantia veritatis, quibus fuit inueniendi facultas, si fuisset quærendi voluntas.*

ISIDORVS in Synonim. cap.14. *Ignorantia mater errorum est, ignorantia vitiorum nutrix.*

D. AVGVSTINVS de gratia, & libero arbitrio, cap.2. *Ideò Diuina præcepta data sunt, vt homo excusationem de ignorantia non haberet.* Et de coniugiis adulterinis: *Sunt peccata ignorantium, quamuis minora peccatis scientium.*

35 D. BERNARDVS, super illud: *Ecce nos reliquimus omnia*, ait: *Quando excusare ignorantia possit hominem, qui se magistrum infantium, & doctorem insipientium profitetur. Ignorans vtique ignorabitur, & multos ignorare facies, & ignorari.* Et serm.38. in Cant. *Dico, omnes ignorare Deum, qui nolunt conuerti ad eum; neque enim ob aliud proculdubio renuunt, nisi quia grauem, & seuerum imaginantur, qui pius est: durum, & implacabilem, qui misericors est: Ferum, & terribilem, qui amabilis est. Et mentitur iniquitas sibi.*

Et tract. de duodecim gradibus humilit. post medium: *Frustra sibi de infirmitate, vel ignorantia blandiuntur, qui vt liberius peccent, libenter ignorant, vel infirmantur.*

Et epist.77. *Multa scienda nesciuntur, aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut verecundia inquirendi: & quidem huiusmodi ignorantia non habet excusationem.*

PROBATVR à S. Doct. *Opusculo de contemptu mundi*, quia si attentè considerarent homines malitiam, & perniciem peccati profectò ab eo abstinerent. Ideò dicitur Deuter. 32. *Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Vtinam saperet* (ait S. Doct.) *damnatorum multitudinem, saluandarum paucitatem, & temporalium rerum vanitatem. Intelligerent peccatorum multitudinem; bonorum omissionem, temporis amissionem. Prauiderent mortis periculum, extremum iudicium, & æternum supplicium.* Hunc locum sic ponderat etiam D. Augustinus *serm.11. de Speculo peccatoris.* 36

OBIICIES primò. Sic tolleretur distinctio inter peccata ex ignorantia, & ex malitia.

RESPONDETVR, in hoc distingui, quod peccans ex malitia, nouit illud obiectum esse malum, esto non consideret, aut sciat etiam omnia mala, quæ circumstant, atque sequuntur; at ignorans nescit omnia hæc. 37

OBIICIES secundò. Multa peccata fiunt ex plena scientia, Lucæ 12. *Seruus sciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit multis.*

RESPONDETVR subdi: *Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis*, vt notat S. Doct. ad eum locum. Aduertit autem, esse ignorantiam simplicem, quæ excusat, 1. Timoth.1. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.* Lucæ 23. *Pater, ignosce illis: non enim sciunt quid faciunt*: & est ignorantia affectata; de qua Psal.35. *Noluit intelligere, vt benè ageret.* Tales grauiter puniuntur. Ideò prima Corinth. 14. *Si quis ignorat, ignorabitur.* Plurimi autem ex vtroque genere sunt ignorantes, vel inaduertentes, maximè cum passionibus agitatur voluntas.

ASSERO secundò, defectus in intellectu ad peccandum necessarius, vt plurimum, non debet esse error positiuus, speculatiuus, vel practicus. Ità D. Bonauent. *in 2. dist.6.* Scotus *2. dist.22. quæstione vnica.* Mastrius *num.28.* 38

PROBATVR euidenter è conscientia remordente, dum peccamus, ac dictante, illud esse malum. Ex quo apparet falsum, quod ait Lorca, quòd voluntas determinatur ab intellectu, nec potest velle, nisi quod intellectus præfert; sæpè enim conscientia ostendit nobis rectum, quod tamen voluntas, libertate sua abutens, non vult amplecti; sed auersa à vero bono, sibi dictato, bonum solùm delectabile sectatur. Aliquando etiam ex duobus obiectis bonis propositis vnum iudicatur altero melius, & tamen nos minus bonum amplectimur, vt testatur Ouidius:

——*Video meliora, proboque; deteriora sequor.*

ASSERO tertiò, non semper præcedere in peccato defectum aliquem intellectus. 39

PROBATVR ex dictis *tract.1. disp.9. de electione, quæst.5.* cum D. Bonauent. Supposita quacumque cognitione, æqualique apprehensione, seu propositione obiecti sub vtraque ratione boni honesti, & mali oppositi ex parte intellectus, manet in sua libertate voluntas, non solùm quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem. Qua ratione vtitur Tannerus *disp.4. quæst.9. num.35.*

CONFIRMATVR exemplo D. Augustini *12. de ciuitate, cap.6.* de duobus hominibus corpore pariter, & animo affectis, eandem pulchritudinem intuentibus, quorum alter consentit, alter dissentit.

CONFIR

40 Confirmatvr exemplo libertatis Dei, qui potest ex duobus æqualibus bonis alterum velle; & ex duobus inæqualibus velle minus bonum, quia de facto non produxit perfectiores creaturas possibiles.

Probatvr secundò, quia sæpè aliqui ex industria recedunt à Deo, vt dicitur *Iob*.34. etiamsi remorsu conscientiæ pungantur.

Obicies cum Suarez. Nemo eligere potest malum, nisi cogitando illud esse eligibile sub aliqua ratione boni; sed hoc iudicium imperfectum est, & ad peccandum per se inducens: ergo saltem hic defectus in omni peccato interuenit.

41 Respondetvr, eligi malum sub ea ratione boni delectabilis, vt vere est, atque adeò non est defectus in iudicio, sed in voluntate, quæ nouit, illud obiectum esse malum oppositum honesto, sed vult magis delectabile.

Instat Suarez, talem propositionem obiecti boni delectabilis esse imperfectam ex parte intellectus, quantùm ad moralem prudentiam.

Respondetvr, posse id fieri absque defectu prudentiæ, quæ quidem proponit adulterium, v.g. sub ratione delectabilis; sed tamen etiam ostendit, esse malum morale; vnde peccans, vult illud bonum delectabile, etiamsi malum morale noscit; non vult tamen sub ratione mali.

42 Ex quo ruit etiam obiectio Amici *tom.3.disp.17. sect.8.* contendens, semper præcedere in intellectu defectum iudicij practici.

Avthoritates verò Scripturæ, & Patrum, quæ videntur asserere, omnia peccata ex aliquo defectu intellectus oriri, loquuntur morali modo, id ferè semper ita euenire, non tamen Mathematicè semper.

Ex illo loco *Isaiæ* 24. iuxta sensum D.Bonauent. suprà, colligitur, etiam Dæmones aliquo errore intellectus laborasse. Profectò si nouissent tantam perniciem, non adhæsissent peccato. Neque satis redarguit Vulpes *disp.*23.*art.*6. dicens, Luciferum habuisse, præter speciem diuinæ naturæ, vt finis, cognitionem omnium mediorum.

Respondetur enim, non satis constare, an actu ad omnia aduerterit.

QVÆSTIO X.

Vtrum Passiones sint Causa peccatorum.

43 Satis, superque *dispu*. 18. indicaui, passiones esse causas peccatorum, ex quibus præcipuus est amor sui, vt ait D. Augustinus 14. *de ciuitate, cap.*28.

Addo, peccatum ex passione, posse dici ex infirmitate. Ita D.Thom *quæst*.77.*art*.1. & D.Bonau. *prima parte Centil. sect.*25. vbi ab his probatur; nam passiones inordinatæ, sunt quædam ægritudines animæ, liberum rationis vsum, & actum obnubilantes, ex Tullio *lib*.4. *Tusculanarum qq*. Ergo peccatum ex passione, dicitur ex infirmitate. Idem habet S.Doct.*in Diæta, cap* 2.vbi etiam *cap* 3. ostendit quomodo superbia sit initium omnis peccati. Idem habet *in* 2. *dist*.42. *dub*.4. *litt*. vbi affert illud Eccli 10. *Initium omnis peccati superbia*, quod explicat de electione omni contra Deum, quem sequitur Iansenius, & iniustè carpitur à Vasq. *disp*.133. *cap*.1. nam in omnibus nobis à superbia, vt est speciale peccatum, non incipit omne peccatum. Vide etiam D. Bonauenturam *tom*.2.*Opusc. fol*.777. vbi cupiditatem etiam dicit esse radicem peccatorum. De his D.Thom. *quæst*.84.

QVÆSTIO XI.

An Voluntas ex malitia peccetur.

Volvntatem peccare aliquando ex malitia asserunt S.Doctores, *innumeris in locis*. 44

Probatvr à D. Bonauent. *locis adductis*. Voluntas semper peccat, aut ex ignorantia, aut ex infirmitate, propellente scilicet aliqua passione; aut ex malitia: sed non semper peccat ex ignorantia, aut infirmitate, sed aliquando ex certa electione,& scientiâ; atqui hoc est peccare ex malitia: Ergo.

Deinde certum est, hominem aliquando peccare peccato speciali in Spiritum sanctum; atqui tale peccatum oritur ex certa malitia: vt probat latè Seraphicus Doctor, 2.*dist*.43 *art*.1.& 2.

Hinc ostendit S. Doctor *ibidem*, hoc genus 45 peccati, cæteris esse multò grauius, & irremissibilius: Primò, quia ibi maius est peccatum, vbi minor excusatio: Secundò, quia per tale peccatum anima magis inhabilitatur ad iustitiam; cùm voluntatem maximè deordinet à rationis ductu: Tertiò, quia magis aggrauatur ipsius delicti scientiâ, nam sicut ignorantia excusat, ita scientia peccatum aggrauat: denique quia peccans ex malitia, ex natura ipsius morbi imbellis est ad sanitatem, rebellis etiam ad eruditionem.

Nec obstat his, quod malitia sit pœna peccati originalis, eadem ratione, quâ ignorantia & infirmitas, vt sibi opponit Seraphicus *art*.2. *quæst*.1. Respondet enim *ad* 3. disparem esse rationem, quia ignorantia est tantùm in intellectu, infirmitas autem in carne, vnde diminutionem aliquam Voluntarij prætendunt: sed malitia est intima ipsi voluntati, quare voluntarium potiùs auget.

Item non obstat, quod maior sit corruptio in 46 peccato infidelitatis, cùm sit omnimodè recessus à veritate, & bonitate; non autem sic malitia, quæ veritatem non ignorat: Item quòd maior sit libido in peccato carnis; vnde grauitas peccati, & insanabilitas videntur exoriri.

Ad hæc respondet Seraphicus *ad* 4 & 5. dicendo, maiorem esse corruptionem infidelitatis extensiuè, cum pluribus donis priuet: Maior tamen est malitiæ corruptio intensiuè: Similiter maior est libido voluptatis in peccato Luxuriæ; Maior tamen est libido improbitatis in malitia, quare etiam grauior; grauius etenim peccat luxuriando improbus senex, quàm voluptuosus iuuenis, vt hic notat Seraphicus.

QVÆSTIO XII.

Quomodo Devs *non sit causa peccati, licèt dederit potentiam, quâ peccetur.*

D.Bonau.dist.43.q.1.& 2.

Abvnde' *in prima prima,disp*.16.*quæst*.13.contra nouatores ostendi, Deum non esse causam peccati, sed quicquid habet rationem culpæ, ab hominis libera voluntate prouenire. 47

Hanc

Hanc Notam Sectarij iniquissimè Deo audent inurere, ea, quam inter alias prætexunt, ratione quòd potentiam, quâ delinquitur, in homine fecerit, non liberam, vt garriunt, sed ad malum determinatam, decretam, & prædestinatam, ità impiissimè clamant apud Bouerium nostrum, *de vnitate Relig. examine* 1. *Atheismo* 5.

48 Verum Deum ab hac iniquorum Nota véndicat S.Doctor, tum *loco adducto*, tum etiam *tractatu de anima*, *disput*. 9. vbi liberum hominis arbitrium è Seraphici mente propugnauimus. Hic autem potentiam peccandi quatenus potentiam, & quantum ad ordinabilitatem ad actum substratum, à Deo esse demonstrat; nequaquam verò quatenus dicit defectibilitatem, seu ordinabilitatem ad actus deformitatem, aut vitium. Nam hoc posteriori modo considerata potentia, cùm dicat potiùs defectum, & potentiæ priuationem, impotentia meritò nuncupetur, quæ cùm sit in homine, ea ratione, quod factus sit ex nihilo, respiciatque illud nihilum, quod est in actu peccaminoso, non autem entitatem physicam, nullo modo à Deo ortum habere potest, qui illius mali non est author, cuius est vltor.

49 Hinc sequitur contra Sectarios, vt habet S.Doctor, *quæst.* 1. peccandi potentiam secundùm se, vt abstrahit ab actuali ordinatione ad culpam, non esse malam: Non enim potens malum facere, malus est, aliàs nullus Iustus esset bonus, vt obseruat Seraphicus *fundam*.1. sed vnusquisque sanctus esset iniquus, & malus. Deinde aut talis potentia esset mala malo culpæ, aut malo pœnæ; non primum, quia culpa tantùm est in actu: Non secundum, quia pœna culpam consequitur. Denique non valet consequentia; ille potest malum facere; Ergo est malus. Cætera cum argumentis habentur locis citatis.

50 Hinc Seraphicus egregiè explicat *ad quintum*, quare potentia peccandi non dicatur mala, licèt voluntas peccandi mala sit: potentia enim illa, qua quis habet liberum posse, & ordinationem ad positiuum actum, cum à Deo sit, nullius prauitatis potest incusari, imo hac ratione, bona est; & etiam vt dicit posse deficere, licèt nullam habeat bonitatem, non proinde tamen mala est, cùm non dicat priuationem alicuius boni, inesse nati, aut actualem aliquem defectum, sed virtualem tantùm: vti in lapide impotentia videndi nec bona est, nec mala, quia nec positionem, nec priuationem in eo ponit: Voluntas autem peccandi mala est, licèt potentia sit, cùm dicat approximationem ad defectum, & ex propria sua electione, & deliberatione illum causet, dicatque vlterius actualem deordinationem, voluntas enim peccandi, est velle peccare; Potentia verò ab hoc velle magis

51 elongatur, seque adhuc ab omni actu, in quo est culpa, continet; quòd si defectum habituali quadam procliuitate respiciat; cùm tamen iste defectus minuat de ratione positiui, vnde nomen potentiæ videtur desumi, minuit etiam de ratione potentiæ, ac subinde aufert rationem malitiæ; quare posse peccare, est potius impotentia; voluntas tamen peccandi, non est inuoluntas, inquit hîc Seraphicus, quia nomen illud impositum est à libertate sibi complacenti, & cùm voluntas complaceat sibi in malo, illud liberè volendo, hinc est, quòd tale malum placitum, nihil aufert de ratione voluntatis; propterea velle peccare, est *verè velle*, licèt posse peccare, non *sit verè posse*, vtrumque hominis est, cuius est deficere, non autem Dei, à quo omne bonum perfectum.

QVÆSTIO XIII.

An, & quomodo Diabolus sit causa Peccati tentando.

Diabolvm esse causam peccati, tam primos parentes, quàm horum posteros tentando, apud omnes in confesso est. 52

De hoc satis actum est *in tractatu de Angelis, disputatione vltima*, vbi de tentationibus.

Qvoad modum autem tentationis, ille, quo vsus est serpens seducendo Protoplastos, etiam in nobis completur, vt habet Seraphicus *lib.2.Comp. Theolog. cap.66.* nam vt ait Gregor. *lib.3. reg. past. cap.* 1. etiam nunc Diabolus gerit serpentis officium: Sensualitas verò, quæ in carne est, officium mulieris, & Ratio tenet locum viri per consensum; vt habet D. Augustin. *lib.2. de Genes. contra Manich. cap.*14. Suggestio serpentis primus motus est ex fomite, Comestio verò mulieris est delectatio cogitationis per inferiorem partem rationis, sed Comestio viri est Consensus Superioris partis rationis: omnis enim dæmonis tentatio ortum habet à Suggestione, progressum à delectatione, consummatur verò consensu.

Nam Cùm Diabolus nihil possit in hominis arbitrium, solumque vel humores excitet, aut species commoueat, vnde phantasia res intellectui agenti aliter obiiciat, aut appetitus, passione pulsus, voluntatem à rationis ductu polliciat; sequitur semper, dæmonem tentare, vel per modum Suggestionis, vel per modum afflictionis, vt habet D. Bonauent. *loco citato*, species enim fallaces suggerit, aut humores in discordiam prouocat. 53

Et hinc quidem oriuntur quatuor genera tentationum, quas recenset *hic* Seraphicus. Primum genus est asperum, quando quis in principio conuersionis ab operibus inconsuetis deiicitur, & afflictione quadam mentis torpescit ad otium. Secundum est vanitas, quâ quis in spiritualium successu nimis extollitur. Tertium est Dubietas in agendo, & accidit, quando quis quid agat ambigit, rerumque species variæ adeò videntur in mente, vt nihil certum indicent, quare fluctuante iudicio, voluntas fit ad bonum pigrior, aut ad malum pronior, eò quòd inter vtrumque probè discernere nequeat. 54

Quartum genus tentationis, & dæmoni vsitatius, est fraudulentia, quâ proficientes, aut perfectos in alterum virtutis extremum sub apparentioris virtutis specie pellicit: Et hoc quidem agit, dum in Angelum lucis se transfigurans, suadendo iustum iudicium zelato Iudici, ipsum in crudelitatem inducit, vel suadendo Misericordiam, negligentiam, & noxiam remissionem suadet, & sic de aliis. Monet autem Seraphicus, in talibus periculosissimum esse, periculum non videre; additque primum genus designari *Psalm.*90. per timorem Nocturnum, quo indicatur aduersitas. Secundum *per sagittam volantem in die*, qua indicatur dies prosperitatis. Tertium per negotium perambulans in tenebris, vnde oritur dubium perplexitatis. Quartum denique per *Dæmonium meridianum*, vnde sub virtutis specie fucatum vitium insinuatur. Contra has tentationes efficacissima proponit Seraphicus remedia, passim in opusculis: ipsum vide. 55

Hominem

Hominem etiam aliunde tentari, Nimirum carnis blandimento, Mundi incitamento iniquis suasionibus, scandalis, &c. experientiâ nimis clarum est, quare etiam hæc inter causas peccati morales computantur.

DISPVTATIO IV.

De Peccato Originali.

CVM spiritus tactu corporis non polluatur, & à solo Deo anima creetur in corpore, solumque corpus deriuetur ab Adamo, quadam quidem rationis apparentia, nullo verò fidei lumine instructus Pelagius de traductione originalis labis dubitauit, rogauitque, narrante D. August. *lib.* 2. *de nuptiis & concupisc. cap.* 27. *&* 28. per quas rimas peccatum hoc originis latenter sit ingressum. Respondit autem D. Augustinus: cùm habeat ianuam apertissimam, rogas, per quas rimas? cùm dicatur Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit.* Angebatur tamen non rarò D. Augustinus explicando modum, quo in non traducem animam, traducatur hoc peccatum; quare lib. de moribus Ecclesiæ ait: *Peccato antiquo nihil est ad prædicandum promptius, nihil ad explicandum difficilius*, difficile enim intellectu videtur, quomodo caro illa, quæ per libidinem seminatur, & per concupiscentiam generatur, vt ait Seraphicus Doctor *prima parte Centil. sectione* 4. infectionem, quam secum trahit, in animam refundat.

Verumtamen cùm de causa peccati ex parte primi hominis nobis agere incumbat, vt de causis peccati nihil non dictum relinquamus, & cùm inter causas ipsius, prima & vniuersalis, sit primi parentis peccatum, de eo pro nostro modulo agendum est.

Est igitur peccatum Originale defectus naturæ, quâ maculantur filij Adæ, ac reatum subeunt; & est partim internum ex carne infecta, cui anima vnitur, & partim externum, ex Adæ præuaricatione. Vocatur autem Originale, quia ab Adam, nostræ naturæ origine, deriuatur; sic vocatur à D. August. *lib.* 2. *contra Iulianum, cap.* 1. & D. Anselmo, *lib. de conceptu virginali.* Aliis plurimis nominibus explicatur à D. Bonauentura *loco citato*, in ordine vel ad partes, quas inficit, aut ad mala, quæ efficit. Ipsum vide.

QVÆSTIO I.

An peccatum Originis traducatur ab Adamo in posteros.

D. Bonau. dist. 30. q. 2.
D. Thom. art. 1.

PROPRIVS Pelagij, ac Sectarorum error est, negare peccatum Originis, vt notat D. August. *lib. de heresibus, numero* 88. Hunc errorem secuti sunt Armeni, vt docet Castro *cont. hæreses, verbo, Peccatum heresis.* Sander. *lib.* 7. *de visibili Monarchia, heresi* 118. Postea verò Albanenses, teste S. Antonino 4. *p. tit.* 11. *cap.* 7. §. 5. Castro *loco cit.* & aliis. Deinde secuti sunt Anabaptistæ, vt refert Melancton *in loco communi, de baptismo paruulorum*, Zuinglius *lib. de Baptismo*, aduersus Vrbanum Regium, Erasmus *in cap.* 5. *epistola ad Rom.* & Faber Stapulensis ad eundem locum. Vide Bellarminum *lib.* 4. *de amiss. gratia.* 1

Assero cum Ecclesia Catholica, peccatum verum è primo parente in filios, modo naturali genitos, deriuari. 2

Probatur primò ex veteri testamento, Genes. 17. *Masculus, cuius preputij caro circumcisa non fuerit* (addunt septuaginta, octauo die) *peribit anima eius de populo suo: Quia pactum meum irritum fecit.* Hoc testimonium vrget S. Bonauent. *quæst.* 2. post D. Augustinum *lib.* 16. *de ciuitate Dei, cap.* 27. & *lib.* 2. *de peccato originali, contra Cœlestium, cap.* 30. & *lib.* 3. *contra Iulianum, cap.* 18. & *lib.* 2. *de nuptiis, & concupiscentia, cap.* 11. & Fulgentium *de Incarnatione, cap.* 15. Hic procul dubio includuntur etiam paruuli, quorum animæ damnantur, nisi circumcidantur. Cúmque non possent irritum facere pactum Dei; eò quòd doli capaces non erant; sequitur, referendam transgressionem in primum parentem.

Vasquez *disp.* 130. *numero* 7. hunc locum conatur eneruare: primò quia plures è Sanctis Patribus afferunt, circumcisionem datam Abrahæ solùm in signum, quo genus Iudæorum à cæteris gentibus discerneretur, non in remedium peccati.

Deinde ex Apostolo *cap.* 3. *ad Rom.* vbi quærit. Quid ampliùs habeter Iudæus, quàm Gentilis? *Aut quæ vtilitas circumcisionis?* quæ erat priuilegium Iudæorum, Respondet: *Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Vbi particula (*Primum*) non significat ordinem: sed quasi etiam aliæ vtilitates essent circumcisionis, sed idem significat, ac *potissimum*, quia credita sunt ei, eloquia Dei, & promissiones illi essent factæ. 3

Præterea Paulus vocat circumcisionem, signum iustitiæ: Ergo non fuit causa.

Hæc tamen friuola sunt. Et primò quidem particula (*Primum*) significat ordinem: nam in Syriaco habetur (*In primis.*) Deinde, etiamsi sonaret: *Potissimum*; quis non videt, alias etiam vtilitates significari. Nam, si hæc potissima fuit in superlatiuo, multæ aliæ affuerunt, quibus hæc comparata superferretur, & quidem non miretur Vasquez, eas non recenseri, cùm ob hanc circumcisionis vtilitatem notissimum gentibus esset, ideò Hebræos circumcidi. Quòd verò circumcisio dicatur Sacrum signum, seu Sacramentum iustitiæ, non prohibet, quin iustitiam conferret; sicuti Baptismus est signum Sacrum, & Sacramentum regenerationis, regenerans Christo. Quoad PP. aliqui dicunt, 4

circum

circumcisionem esse datam in signum, sed neque apertè negant id, quod asserunt Sancti, Augustinus, & Fulgentius; Cæteri verò stylo expositorio non inuenerunt hoc arcanum, quod S. Augustinus, à Deo vocatus ad euertendos Pelagij errores, acutissimè penetrauit. Idem de hoc exponunt Sancti, Gregorius *lib.* 4. *Moral. cap.* 2. Bernardus *epistola* 77. Innocentius tertius *C. Maiores de Baptismo*, vt notat Bellarminus *loco citato*, *cap.* 7.

5 IGITVR circumcisio data est Iudæis in signum quidem, sed etiam in sanctificationem, & vberiorem gratiam, quàm daretur gentibus, qui in fide iustificabantur, & ideò longè Iudæi præcellebant gentilibus. Neque Vasquez ex aliis locis Apostoli, quibus circumcisionem iam inanem, post promulgatum Euangelium, prædicat, quidquam solidi eruit pro se.

ARGVIT deinde Vasquez: Si circumcisio *Genes.* 17. promittitur iustificans, maximè quia puer non circumcisus damnaretur, vt infert D. Augustinus: Hoc autem non sequitur, si circumcisione non iustificabatur puer, sed alio remedio, nempè fidei applicatione: Ergo inde non colligitur peccatum Originis.

6 RESPONDETVR, circumcisionem datam, esse tanquam necessariam masculis Iudæorum cum abundantiori gratia, vt è Diuina prouidentia supponi debet; etiamsi fæmellis, & cæteris ex gentibus tantùm in fide concederetur. Hæc enim ex Dei voluntate pendent.

VRGET omittendum esse illud (*octauo die*) & ità comminatio, quæ non est de morte æterna, sed de anathemate à populo Dei, ferit transgressores pacti, idest non circumcidentes puerum.

CONRA, quia verba adhuc sonant, perituram animam infantis, qui cùm non esset pacti actualis capax, peritura erat è transgressione Adæ, quod vndenam collegerit S. Augustinus, ridiculè quærit Vasquez.

7 Neque idem accipiendum, cum de adultis cæremoniarum transgressoribus protestatur Deus in Exodo, Leuitico, & Numeris, eos separandos à populo.

INSTAT Vasquez: In translatione septuaginta à Sixto V. edita, & correctâ, illud (*octauo die*) refertur ad pœnam infligendam ei adulto, qui non circumcidisset puerum. Sic enim vertère: *Et qui non fuerit circumcisus, masculus, cui non circumcidetur caro præputij sui, octauo die, interibit anima illa de genere suo: quia testamentum meum dissipauit.*

At frustra sic construit Scripturam: Nam ea loquitur de masculo circumciso; qui octauo die (esto) incurrebat damnationem; eò quòd non accepisset tempore præfixo remedium originalis.

8 SECVNDVS locus est *Iob.* 14. quem affert S. Bonauent. *in meditationibus vita Christi*, *cap.* 2. & alibi: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Vbi LXX. vt legit S. Bonauent. *Nemo mundus à sorde, neque infans, cuius est vnius diei vita super terram.* Quo testimonio vtitur S. Augustinus *in Psalm.* 50. & cæteri veteres apud Bouer. *dem.* 1. *art.* 2.

9 TERTIVS locus est, Psalm. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Quo loco arguit S. Bonau. *in Speculo B. V. lect.* 11. Neque moueat, *iniquitates*, & *peccata* pluraliter audire: tum quia in Hebræo fonte habetur singulariter, vt notat Bellarm. *lib.* 4. *de amissione gratiæ*, *cap.* 4. Sic enim legitur: *Ecce in iniquitate formatus sum, & in peccato me calefecit mea mater.* הן בעון חוללתי ובחטא יחמתני אמי. Ità BECHAVON *in iniquitate*, & VVCHESCE non VVECHEME, vt cuditur apud Bouer. *in peccato*; nam חטא CHESCE *peccatum* signat. Vnde nec ritè alij VVECHETE. Ità D. Hieronym. & alij transferunt communiter. At D. Aug. *in Enchir. cap.* 44. *&* 45. in plurali originariam culpam signari monet, per Sinecdochin numeri, ob fomitem inclusum ad multa peccata, vt monet S. Doct. 2. *dist.* 33. *art.* 2. *quæst.* 2. tum etiam, quia in præuaricatione Adæ fuere multa peccata, vt notat Bellarminus.

NEQVE potest detorqueri, vt conceptus dicatur Dauid, peccantibus parentibus generando: nam è sancto coniugio natus, sibi obuenire culpam deplorat. Adde verbum CHOLA LETTI, signare formationem fœtus, quæ post copulam parentum à Deo fit, vt monent Bellarm. & Bouer. cum Ruffino *hic*. Nobiscum Rab. Abraham Auenazra exponit originale peccatum, inferens & fomitem. Quæ deducit Rab. Moysis Nadarsan ex ꝛo Genes. 8. *Sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*, Hebræus מנעריו *à pueritia*, Rabbin *ab excussione eius è visceribus matris.* Alia testimonia Rabbinorum affert Bouer. *Dem.* 1. *art.* 2. Alia vide in MIDRAS COHELETH, idest expositione Ecclesiast. 10

Insignis est locus, Isa. 43. *Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui præuaricati sunt, & contaminaui Principes sanctos, & dedi in internecionem Iacob, & Israël in blasphemiam.* Vbi Rabbi Salomon, & alij sic exponunt: *Pater tuus Adam peccauit, & interpretes tui verbosi Adam, & Eua, ideò ex pacto rei facti sunt Patriarchæ, &c.*

ALIVD testimonium habes, Isa. 64. *Et facti sumus, vt immundi omnes nos, & tanquam pannus menstruatæ, omnes iustitiæ nostræ.* Sic exponunt Rabbi Salom. & PP.

EXIMIA in antiquis habemus argumenta. Ideò 11 enim ad inferos eorum animæ portabantur. Sic Iacob sanctus, Genes. 37. *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Neque nomen SCHEOL signat sepulchrum, quia filij corpus deuoratum insepultum putabat. Locum hunc meminit Iob. 14. *Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me, &c.* Isa. 38. *Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Psalm. 15. *Non derelinques animam meam in inferno.* Oseæ 13. *Morsus tuus ero inferne.* Denique Psalm. 89. *Quis est homo, &c. eruet animam suam de manu inferi?* Quare non de sepulchro exponi possunt animæ descensiones. Sæpè verò describuntur Appositi ad Patris suos, nempè ad Lymbum, donec veniret Messias liberator. Disertè hoc dicit Rab. Haccados *L. secretorum.* Et apud eum Rabbi Simeon, Ben Iohai, & alij in MIDRAS COHELETH. Insigne est etiam factum *primo Reg.* 28. cum anima Samuelis è terra ascendit; fuisse autem verè Samuelem astruunt Tertull. *lib.* 3. *carm. cont. Marcion. cap.* 5. Iustin. *Dial. cum Tryph.* August. *de cura pro mort. cap.* 15. mutata sententia. Insuper Basil. *epist.* 80. Procop. *ad* 7. *Isa.* Zeno Veron. *serm. de Resur.* Ambr. *ad* 1. *Lucæ* Hier. *ad* 7. *Isa.* Iulianus Toletanus *lib.* 3. *Prognost.* Lyra, Tostat. & alij ad hunc locum. Rabbini, Ioseph *lib.* 6. *Antiq. cap.* 15. Rab. Eleazar *in L.* THALMVD Hagiga, R. Salom. *ad loc. citat.* Tandem habetur *Eccl.* 46. Quod si Samuel vir sanctissimus inferos subiit, multò magis alij, labe Adami maculati, MESSIA liberatore indiguerunt.

PRÆCLARA in nouo testamento habemus hac de labe testimonia.

PRIMVM

PRIMVM est Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Vbi infantem sub damnationis pœna renasci baptismo iubet; vt ait etiam Apostolus *prima Cor.* 15. Hoc nititur D. Bonauent. ad eum locum, & hic *quæstione* 2.

11 INSIGNIOR locus, quo D. Bonauent. & omnes Catholici nituntur, est Rom. 5. *Propterea sicut per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors; & ità in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Et infrà: *Per inobedientiam vnius hominis; peccatores constituti sunt multi.* Hunc locum vrget S. Augustinus *lib. de natura, & gratia, cap.* 39. & *lib.* 1. *de peccatorum meritis, & remiss. cap.* 9. & 12. & *lib.* 4. *contra duas epistolas Pelagij, cap.* 4. & alibi.

OBIECTIONES aduersariorum friuolæ sunt, & solutæ in Bellarmino, *lib. de amissione gratiæ, cap.* 3. Sufficiat definiri in Concilio Mileuitano, confirmato à S. Innocentio Papa I. *epistola*, quæ habetur *tom.* 1. *Conciliorum*, & inter epistolas D. August. nonagesima tertia, & à Concilio vniuersali Tridentino *sess.* 5. hunc locum Apostoli probare diffusionem peccati originis.

12 SEXTVS est *Ephes.* 2. quem vrget S. Bonauent. hîc: *Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri*, vbi ostendit, nos à natura peccatores esse, è natura primi hominis peccatoris, vt notat D. Augustinus *lib.* 6. *in Iulianum, cap.* 4. vbi grauiori censura corripit exponentes (*Natura*) quasi *prorsus*. Vide D. Augustinum *lib.* 1. *de peccatorum merit. cap.* 1. & *serm.* 14. *de verbis Apostoli.*

PROBATVR secundò à D. Bonauent. ex SS. PP. *tota distinctione* 30. præcipuè ex D. Augustino *lib.* 2. *contra Iulianum*, vbi premit Pelagianos, authoritate veterum Patrum, Irenæi *lib.* 5. *cap.* 17. & *lib.* 3. *cap.* 20. & alibi, Cypriani *lib.* 3. *epistola* 8. Hilarij *in Psalm.* 118. Ambrosij *in Apolog. Dauid, cap.* 11. Gregorij Nazianzeni *oratione* 3. *de pace, & oratione* 2. *Paschæ*, & alibi. Innocentij I. *epistola adducta*, Chrysostomi *homil. ad Neophitos*, Basilij *in Psalm.* 32. & alibi. Hieronymi *in* 6 *Oseæ*, &

13 *in cap.* 2. *Michææ*, & alibi. Affert S. Bonauent. etiam alia loca D. Augustini, *de Baptismo paruulorum*, & *lib.* 1. *de peccatorum meritis, cap.* 34. vbi ex forma Baptismi, & ratione eius, colligit, dari in remissionem peccatorum. Ideò enim dicitur: *Lauacrum regenerationis* Ephes. 5. ad Titum 3. ex quo vanum infertur Pelagianorum responsum, paruulorum baptizari solùm, vt ingrediantur regnum; non vt emundentur. Alia loca videtur D. Bonauent. Vbi refert etiam Anselmum de conceptu Virginis, Bedam *in Genes.* Hugonem *de Sacramentis, p.* 6. Vide plures Patres, & CC. etiam in Gregorio de Valentia *disputatione* 6. *quæst.* 11. *p.* 1. Bellarmino *loco citato, cap.* 5. & 6.

14 PROBATVR tertiò rationibus à D. Bonauent. Prima est, Adam fuit à diuino pacto constitutus princeps, ac caput hominum, ità vt innocentiam sibi, & posteris retineret, atque amitteret. Hoc verò potuit Deus facere in distributione suorum donorum, & maximè absoluto suo dominio. Quod verò hoc pactum interuenerit, asserunt S. Augustinus *lib.* 16. *de ciuitate, cap.* 27. Hieronymus *in Oseæ cap.* 6. Alensis 2. *parte, quæst.* 107. *memb.* 2. Durandus *in* 2. *distinctione* 30. *quæstione* 2. Scotus *distinctione* 32. *quæstione vnica.* Marsil. *in* 2. *q.* 19. Salmeron *Rom.* 5. *disp.* 45. & 47. Valentia *quæst.* 11. *p.* 1. Vasquez *disput.* 133. Salas *disput.* 11. *sect.* 5. *numero* 39. Azorius *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 27. Suarez 3. *p. tom.* 1. *disp.* 39. *sect.* 1. Zumell. *quæst.* 81. *art.* 1. *disput.* 2. Catharinus, Vega, Pighius apud hos, & D. Thom. *quæst.* 81. *art.* 2. alioqui, secluso tali pacto, non esset inuenire quomodo Adæ peccatum 15 transferretur in nos. Hoc ergo supposito, iam patet, transfundi Originale peccatum ad filios, quod S. Bonauent. confirmat à posteriori ex pœnis, maximè autem mortis, nobis inflictis, quæ cùm grauissimæ sint, supponunt culpam, quæ in infantibus obnoxiis talibus pœnis patrari nequit. Hoc argumentum latè prosecutus est Diuus Augustinus *lib.* 22. *de ciuitate Dei, cap.* 22. & nunc Boucrius *demonstr.* 1. *in Iudæos, art.* 2. Tanneius *numero* 16. Vasquez & alij, *citatis locis.*

SECVNDA ratio validissima habetur *in corpore*, quia nullus priuatur æterna beatitudine, nisi ob culpam: sed paruulis clauditur ianua cœlorum à Deo iustissimè, nisi Baptismo expientur, vt habetur *Ioan.* 3. Ergo. Est argumentum, quo nituntur suprà allegati, post D. Bonauenturam.

TERTIA ratio *ibidem* S. Bonauenturæ est, quia 16 rebellio concupiscentiæ, atque membrorum non fuit à Deo in natura instituta: Fuit enim in Republica rationali hierarchia obedientiæ, & Prælationis, ritè è prouidentissimo Deo ordinata. Nunc autem prædominatur concupiscentia, & ideò anima hominis est inordinata, atque peruersa. Et hoc non modò secundùm fidem; sed etiam secundum philosophiam sequitur: Ergo homo à natiuitate prauus est, & inordinatus; sicut autem in homine ordinatio rectitudo, ac iustitia est; ità inordinatio est culpa ab origine.

OBIICIVNT primò Pelagiani, & Zuinglius illud Ezech. 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris.*

RESPONDET S. Bonauent. testimonium illud loqui de peccatis parentum posteriorum Adam, qui peccant vt singulares personæ; non de transgressione prima Adæ, qui peccauit, vt Stipes humani generis. Nam filij conquerebantur, se portare iniquitates parentum suorum, qui idola coluerant, & scelera plurima patrauerant.

OBIICIVNT secundò. Si peccatum originis per generationem traheretur à parentibus, iam nuptiæ, è quibus malum illud oritur, essent malæ, quia sunt causa peccati.

RESPONDET Bellarminus *cap.* 10. ex D. Bonauent. *ad* 2. cum D. Augustino *lib. de nuptiis, & concupiscentia*, non sequi è præuisa ratione peccatum 18 in prole; nam etiam in statu naturæ integræ fuisset coniunctio ad generationem. Sequitur verò ex accidenti, quatenus natura in primo parente est deprauata. Quare coniuges, dum filios gignunt, naturam quidem vitiatam propagant; sed eius corruptionis culpa, non ad ipsos, sed ad primum hominem pertinet. Quod verò aliqui obiiciunt D. Augustinum 14. *de ciuitate, cap.* 16. vbi ait, motum genitalium non esse absque libidine. Respondet S. Bonauent. *in* 2. *dist.* 31. *dubio vltimo*, D. Augustinum intelligi de libidine, vt est pruritus carnis; non vt improbitas voluptatis; rectè enim potest fieri, quod à Deo præceptum est, atque præcepta est generatio, etiam post diluuium, Genes. 9. *Crescite, & Multiplicamini, &c.*

INSTAT hæreticus. Quomodocumque sequatur malum, est omittendum. 19

RESPONDET S. Bonau. verum esse, quando malû præponderat bono; nunc autem non est sic, quia in generantibus non est culpa; atque in genito melius est sic esse, quàm non esse; maximè, quia paratum est remedium baptismi, regenerans ad salutem.

Obiiciunt tertiò. Corrupta re transmutabili, & minùs nobili, non ob id corrumpitur intransmutabilis, atque nobilior. Sed natura est nobilior, & instransmutabilis: Ergo non corrumpitur ad corruptionem personæ, quæ est ignobilior, ac transmutabilis.

20 Respondet D. Bonau. verum esse, quando nobilius est independens; at natura humana pendet à stipite, ac capite Adam, quantum ad existentiam Physicam; & etiam quoad statum moralem, qui potest ex pacto subiici conditioni naturæ minùs nobilis.

Obiiciunt quartò. Malum habitum præcedit malus actus: Ergo habitualis culpa naturæ oritur ex actuali culpa eius. At natura non peccat, sed est recta, quantum est ex se: Ergo.

21 Respondet D. Bonauent. sufficere, si malum habitum naturæ præcedat malus actus personæ, vt est Princeps, & Caput naturæ.

Obiiciunt quintò. Nullum naturale est culpabile; naturalibus enim nec laudamur, nec vituperamur, ex Aristotele 3. *Ethic. cap.* 5. Sed originalis corruptio est naturalis, cùm sit in omnibus, ex Generatione: Ergo. Hoc est argumentum, quo nititur Durandus, ibi citandus, ad probandum, in infantibus nil reperiri, quod veram peccati rationem habeat.

22 Respondet D. Bonauent. id, quod sequitur naturam, vt corruptam, esse culpabile, licèt id, quod sequitur naturam, secundùm institutionem, non sit culpabile.

Igitur infans consideratus in ordine ad suum parentem primum, in quo habuit pactum, & à quo voluntariè transgressus, increpatione est dignus. Ita respondet etiam Scotus *in* 2. *dist.* 32. *quæst.* 1. Richardus *dist.* 30. *quæst.* 1. Vasquez *disp.* 132. *cap.* 3.

Obiiciunt sextò. Nullum necessarium est voluntarium, atque adeò nec peccatum; at corruptio originalis est necessaria: Ergo. Hoc argumento nititur Durandus *disp.* 30. *quæst.* 1.

23 Respondet D. Bonauent. traductionem peccati originalis esse voluntariam nobis, voluntate Adæ, qui fuit nostræ naturæ stipes.

Obiiciunt septimò. Nullus dicitur peccare in eo, quod vitare non potest, à D. August. *lib.* 3. *de libero arbitrio, cap.* 18. at paruuli vitare non possunt defectum originalem: Ergo.

24 Respondet Scotus *loc. cit. ad* 2. Vasquez *num.* 9. ex D. Bonauent. *ad vltimum*, paruulos verè peccatum habere, licèt non peccent, Nam peccare dicit operationem personæ propriam, & in eo voluntariam, vt ait D. Augustinus, at peccatum habere, dicit etiam defectum naturæ. Igitur paruuli peccatum habent, quia in primo parente voluntaria fuit culpa, modo suprà dicto; quia in eo iustitiam habebant, tanquam in stipite, & voluntariè ab eo amissa est.

Obiiciunt verò præcipuè, quia, si corruptio originalis infectionis venit ex eo, quod generamur sanguine corrupto Adæ; sequitur, animam, quæ non per generationem transfunditur, sed à solo Deo creatur, non posse infici: Ergo nullum in homine erit peccatum.

25 Hoc argumentum malè torsit D. Augustinum, vt testatur *lib.* 1. *de moribus Ecclesiæ, cap.* 22. attamen *lib.* 5. *aduersus Iulianum, cap.* 3. definit animam cum corpore vitiatam propagari, aut animam ex coniunctione cum corpore, tanquam in vase spurco, conspurcari.

Respondent ergo aliqui ad argumentum, animam in carne vitiari, non quia caro inquinare valeat spiritum, sed quia caro, destituta originali iustitia, ac rebellis rationi effecta, animam deorsum trahat, ac per hoc obliquam, & distortam efficiat. Illa verò obliquitas est peccatum. Ità sensisse Alensem 2. *parte, quæst.* 105. *memb.* 4. & D. Bonauent. *distinct.* 31. *art.* 1. *quæst.* 2. ait Bellarminus *cap.* 12.

Hanc sententiam refellit multis argumentis, præcipuè, quia, cùm paruuli non sentiant rebellionem trahentem deorsum; sequeretur, eos habere peccatum originale, solum in potentia, non verò actu.

Miror, adduci Seraphicum tam alieno sensu in facie hæreticorum. Igitur S. Doctor definit, peccatum originale, vt est culpa, reddens animam Deo odiosam, inesse animæ secundùm liberum arbitrium. Ipsum enim solum est, secundùm quod anima culpatur; vel laudatur, cùm est in actu, & secundum quod est culpabilis, vel laudabilis in suo ortu. Secundò modo accipiendo, scilicet, prout dicit vitium, deordinans potentiam, sic fomentum istius deordinationis ortum habet ex carne, & rationalis motiua curuari habet per appetitum, siue concupiscentiam sensitiuæ, quæ ad illicitum impellit, & mouet: sic dicendum, quod peccatum originale, siue vitium, quod nascendo contrahimus inest animæ primò, ratione partis sensitiuæ. Hæc S. Bonauentura. 26

Quis non videt, S. Doctorem ponere rationem formalem peccati originalis in deordinatione voluntatis, vt sæpè repetit, carentis iustitiâ debitâ, quæ carentia inest ei ab initio; originale vero materialiter, vt dicit vitium, seu deordinationem actualem, concupiscentiæ, tunc inesse habitu à principio; actu verò, cùm in adultis consurgit concupiscentia, atque adeò non in hoc poni rationem culpæ originariæ? 27

Sententia igitur germana S. Bonau. *loc. cit.* est, originale contrahi, & inesse ipsi animæ ex coniunctione cum corpore, vt habet *in fundamentis, secundo loco.* Addit quidem, vnionem non esse totam causam, sed requiri etiam possibilitatem ad deordinationem peccati. 28

Clarius *art.* 2. *quæst.* 1. id ostendit dicens, quòd anima non contrahit originale peccatum à carne, ità, vt caro agat aliquid in animam, vel influat; sed quia præbet ipsi animæ obstaculum, ratione cuius, anima debitâ iustitiâ priuatur, & priuata illa iustitia impetu concupiscentiæ deorsum fertur; & ità sequitur, concupiscentiam ex debitæ iustitiæ carentia: Sic debitæ iustitiæ carentia præcedit ipsam concupiscentiam per naturam. Præbet autem caro ipsi animæ obstaculum, vel offendiculum, vt non habeat illam iustitiam ex hoc, quod propagata est à primo parente. Vnde ex coniunctione animæ ad talem carnem, ille, qui nascitur, dicitur filius Adæ. Et quia Adam offendit Deum non tantùm pro se, sed pro tota posteritate; hinc est, quòd anima, hoc ipso, quòd tali carni coniungitur, & spectat ad genus Adæ, indigna efficitur, vt Deus seipsi iustitiam suam apponat, & cùm illam debeat habere, & non habeat, culpabilis est, & rea; & per consequens efficitur concupiscens, sicut manus paralytica è dissolutione regitiuæ virtutis, efficitur tremula. Addit (fateor) sequi etiam fœditatem quandam, & possibilem deordinationem, atque incuruationem ex colligatione cum corpore, in quo ratio completa originalis peccati 29

intelligi

intelligitur. Affert exemplum: Sicut si quis vniretur corpori saucio, sentiret statim anima dolorem vulnerum. Attamen nunquam S. Doctor iudicauit, consistere formaliter in illa incuruatione actuali; Quis enim tam hebes, vt hoc dicat? Adde, quòd ostendam *quæstione sequenti*, Peccatum originis ex D. Bonauent. esse carentiam Iustitiæ debitæ.

30 Ex his habemus, ex peccato Adæ; non autem Euæ, originalem labem euenire, vt habetur *Rom.5.*

Colligunt alij secundò, Peccatum originis, etiam in filios fidelium deriuari: nam & Dauid, & Paulus erant filij fidelium, & tamen se confitentur natos in iniquitatibus, ac filios iræ. Vide Bellarminum *lib.4. cap.14.*

Colligitur tertiò contra Durandum, in paruulis esse veram rationem peccati: Definitur in Concilio Arausicano 2. *can.* 2. Et in Concilio Tridentino *sess.5* de peccato originali *can.5.* vbi definit, tolli per Baptismum, quidquid habet veram peccati rationem.

QVÆSTIO II.

Quid sit Peccatum Originis.

VASQVEZ *disp.132.* malè admittit, Peccatum æquiuocè de originali, & actuali dici; eò quòd æquè non dicatur de omnibus simpliciter. Hoc falsum omninò est, nam quod æquiuocè dicitur, non est tale, vt homo pictus: Ergo si peccatum dicitur æquiuocè de originali, iam non est verè peccatum; contra Concilium Tridentinum *sess.5.*

31 PRÆCEDAT Illiricus, imprudens Magdeburgensium Centuriatorum dux, qui Peccatum originis ausus est dicere, esse ipsam substantiam naturæ humanæ per peccatum corruptæ. Hæc fuit hæresis Manichæi. Huius tamen insaniam ipsi vel Lutherani irrident.

SECVNDVS error Sectariorum vniuersalis est, peccatum Originale esse ipsam concupiscentiam, quam satis confutaui *disputatione 2. quæst.7.* Ita tenet Lutherus *in assert. articuli secundi, & tertij*, Philippus *in locis communibus de peccato ori.* Caluinus *lib.2. Instit. cap.1. & lib.4. cap.15. §.10. & 11.*

SED audiamus Philippi insaniam *in Apolog. articuli secundi, confess. Augustanæ*, sic enim loquitur: Nos igitur rectè expressimus vtrumque in descriptione peccati originalis, videlicet defectus illos: Nō posse Deo credere, non posse Deum timere, ac diligere: Item habere concupiscentiam, quæ carnalia quærit contra verbum Dei; hoc est, quærit non solum voluptates corporis, sed etiam Sapientiã, & iustitiam carnalem, & confidit in his bonis, contēnens

32 Deum. Neque solùm veteres, si qui sunt cordatiores, docent simul ista verè, peccatum originis esse defectus, quos videlicet, recensui, & concupiscentiam. Et mox refert Sanctos, Thomam, & Bonauenturam, atque Hugonem, quasi hos defectus non aduerterint, quod falsissimum est, vt notat Tannerus *disp.4. quæst.7. numero* 90. & patet in eorum Scriptis, vt mox referam. Neque tamen inueniet Philippus aliquem Theologorum, in his collocantem essentiam peccati originis.

33 E CATHOLICIS Albertus Pighius *controuersia prima Ratispon* inueniens nil peccati in paruulis, dicit, peccatum originis nil aliud esse, quàm culpam primi parentis, qua ipse primò, deinde eius posteri, rei sunt constituti. Quare ait, non opus esse hoc peccatum in plura diuidi, vt singula singulis conueniant, sed vno omnes peccatores constitui. Idem sentit Catherinus, *opusc. de peccato Orig. cap.8.* & pro ea refert Caietanum, in id *Rom.5. Per vnum hominem, &c.* vbi id apertè non dicit, & oppositum docet *prima secunda, quæst.82. articulo 3.*

ALII dixere, peccatum originis esse reatum ad pœnam, qui dicitur Chirographus damnationis æternæ, cui omnes filij Adæ nascuntur obnoxij, ob peccatum primi parentis. Ità Roffensis *art. 2. contra Lutherum*, Durandus *in 2. distinctione 30. quæstione 3.* 34

Hanc Vasquez *disp.131. cap.3.* adscribit D. Augustino, ex cuius sententia ait, nos cogi incidere in Pelagij errorem. Mirum sanè, Sapientissimum Doctorem, qui Sol veluti è cœlo, est exortus ad Pelagianas tenebras dissipandas, iam à viro Catholico Pelagianæ nocte obtenebratum proclamari.

ALII, vt Catholicam sententiam defenderent, 35 quæ dicit, originale peccatum esse vnicuique paruulo proprium, dixerunt, rationem propriam illius in morbida qualitate, non carnis, sed animæ, ex corruptione tamen carnalis appetitus deriuatã, positam esse; fatentur quidem in carne paruulorum esse aliam qualitatem morbidam; ex qua Anima similem contrahat, quæ sit originale peccatum, & qua rea efficiatur æternæ damnationis. Hæc adscribitur Magistro *in 2. dist.31.* eam verò sequitur Holcot *quæstione de imputabilitate peccati, ad primum principale*, Gregorius *in 2. dist.30. quæst.1. art.1.* Gabriel *quæst.2. art.1. & art.2. concl.6.* Henricus *quodlib.2. quæst.11.* Guilliel. Paris. *tractatu de vitiis, & peccat. cap.2. & 4.* Antisiodor. *lib.2. tractatu 27. cap.1.* & secundus videtur Driedo *lib.1. de gratia, & libero arbitrio, tract.3. cap.3. p.4. consid.4.* qui tamen anceps est.

ALII Recentiores dicunt, peccatum Originis 36 consistere in positiua conuersione ad praua, & auersione à Deo, vt fine nostro, quæ est priuatio ipsius. Vide Vasquez *cap.5.*

ALII dicunt, esse priuationem subiectionis, & coniunctionis cum Deo, in qua nasceremur, si primus parens non peccasset. Ità Corduba *lib.1. quæst.10. opin.6.* & Recentiores aliqui, quibus videtur consentire Turrianus *in epistola ad Iacobum Amiotum*, Episcopum Antissiodorensem.

VERA, & communis sententia est, peccatum 37 Originis formaliter esse ipsam voluntariam priuationem Iustitiæ originalis. Ità D. Anselmus *lib. de conceptu Virginis, cap.26.* vbi ait: *Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi ipsã ipsam, quam suprà posui factam, per inobedientiam Adæ, iustitia debitæ nuditatem.* Idem habet S. Bonauent. *in 2. distinct.30. art.2. quæst.1. & 3. p. Breuiloquij, cap.6.* & *Opusc. de tribus ternariis peccatorum infamibus, cap.3. & lib.3. Compendij Theologicæ verit. cap.9.*

D. Thom. *prima secunda, quæst.82. art.2. & 3.* Caietanus, Conradus, Medina, & alij Thomistæ *ibi.* Alensis *2. parte, quæst.105. memb.2. art.3.* Scotus *in 2. dist.32. quæst. vnica*, Richardus *dist.30. art.4. quæst.1.* Maior *in 2. dist.30. quæst.2.* Marsil. *in 2. quæst.19.* Ocham *in 2. quæst. vltim.* Sotus *lib.1. de natura, & gratia, cap.9.* Ruardus *art.2.* Driedo *loco citato*, Bellarminus *lib.5. de amissione gratiæ, c.17.* Valentia *quæst.12. p.1. §.9. & 10.* Vasquez *disp.132. c.8.* Azorius *tom.1. lib.4. c.16. & 27.* Salas *hic, disp.11.*

disp. 11. *sect.* 3. vbi adducit Capreolum, Ferrar. & Turrianum, licèt in oppositum adducatur à Vasquez, Tannerus *disp.* 4. *quaest.* 7. *dub.* 4. *numero* 102. Boucrius *dem.* 1. *in Iudaeos*, *art.* 2.

38 Ex his D. Bonau. D. Thom. Alensis, Richardus, Scotus, Sotus, Caietanus, & Conradus volunt, etiam Concupiscentiam ad rationem materialem peccati pertinere; reliqui tamen id negant, quos infrà referam.

Qvae sit autem Iustitia originalis, iam vidimus 1. *p. tract.* 11. *disp.* 1. *quaest.* 19. *&* 20. esse donum perficiens naturam in ordine ad Deum, finem naturalem, esseque distinctum à gratia. Ità sentit D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 19. Scotus *dist.* 29. *quaest.* 1. Alensis 2. *parte*, *quaest.* 90. & alij *ibi* adducti.

39 Assero primò contra Illyricum, Originale peccatum non esse substantiam ipsam hominis corruptam.

Probatvr primò, quia sequeretur, corruptam esse in homine imaginem Dei, vt ipse concedit, quod est hæreticum, vt ostendi *prima parte*, *tractatu* 11. *quaest.* 2. *&* 3.

Secvndo sequeretur, aliquam creaturam esse malam creatam à Deo, quod est hæreticum, & confutatum est 1. *p. tract.* 3. *disp.* 2. *quaest.* 5. contra Manichæos.

40 Assero secundò contra cæteros Sectarios, Peccatum originale non esse Concupiscentiam formaliter, qua irremediabili lue peccatorum inficiatur homo, filius Adæ.

Probatvr primò ex dictis *disput.* 2. *quaest.* 7. vbi ostendimus, baptizatos verè emundari, iustificari, sanctificari à peccato, & nihil manere in eis culpæ, cùm tamen remaneat concupiscentia, vt patet.

41 Probatvr secundò à D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 32. *quaest.* 1. ex professo, multis authoritatibus. Prima Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* Vbi Baptismus dicit, regenerare nouum hominem secundùm Christum, vt sæpè ait Apostolus, præcipuè *Rom.* 6. quod secundò vrget Seraphicus: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo in mortem.* Vbi ostendit, nos per aquam baptismi commori penitùs peccato, sicut Dominus mortuus fuit, & sepultus, vt ait Glossa apud D. Bonauent. & ideò subdit: *Qui enim mortuus est peccato, iustificatus est à peccato.* Ideò *Isaia* 1. dicitur *Lauamini, mundi estote: Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi lana alba erunt.* Et Psalm. 50. *Asperges me hyssopo, & mundabor; lauabis me, & super niuem dealbabor.* Id autem fatetur, postquam se in iniquitatibus conceptum dixerat.

42 Confirmatvr primò à D. Bonau. Nam ideò dicitur Baptismus, quia eo lauatur interiùs anima, sicut corpus exteriùs abluitur. Ideò, & Apostolus: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis*, prima Cor. 6.

Confirmatvr secundò: Nam regeneratio dicit productionem noui hominis, qui fit membrum Christi viuum.

43 Probatvr tertiò à D. Bonauent. *in tertio*, *distinct.* 19. *quaest.* 1. ex aliis Scripturis, Apoc. 1. *Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Heb. 9. vbi latè ostendit, quòd Sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis, *&* *Luca* 22. dicitur: *Effusus Christi Sanguis in remissionem peccatorum.* Romanos 4. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Isai. 43. *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas.* Vide ibi alia loca in D. Bonauent. & *in quaestionibus sequentibus.* Præcipuè *quaestione vltima*, affert locum insignem Apostoli 2. Corinth. 5. *Deus erat in Christo, sibi mundum reconcilians.*

Neqve iuuat dicere, Iustitiam Christi propriam esse id, quo sumus amabiles Deo; & ideò dici, prima Corinth. primo: *Factus nobis iustitia, Sanctificatio, & Redemptio.* Hoc enim solùm exprimit, non nostris meritis, sed Christi gratia fieri iustos, ideò subdit: *Vt, qui gloriatur, in Domino glorietur.* Illud verò, quod opponunt, explodetur *tractatu de Gratia*, *disp. de Iustificatione*, *quaestione prima*, *& sequenti.*

Probatvr quartò in hoc 2. *distinct.* 30. *art.* 2. *quaest.* 1. ex proposito, argumentis *secundo loco.* 44

Primvm est: Effectus peccati originalis non est ipsum peccatum originale: Sed concupiscentia est effectus peccati originalis: Ergo. Maior probatur; nam idem, respectu eiusdem, non potest esse causa, & effectus, nec causa sui ipsius. Minor probatur à D. Bonauent. Rom. 7. *Peccatum, occasione accepta, per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Idem probat ex Beda. Quod idem asserit D. August. *lib.* 5. *in Iulianum*, *cap.* 5. & *lib.* 1. *retract. cap.* 15. & *lib.* 14. *de Trinitate*, *cap.* 17. & *lib. de continentia*, *cap.* 7.

Secvndvm est. Id, quod manet post Baptismum, nec emundatur ab eo, non est peccatum originale: sed concupiscentia manet post Baptismum: Ergo. 45

Respondet Lutherus *in assertione*, *art.* 2. Per Baptismum remitti peccatum originis, quoad reatum, non quoad actum.

Contra, quia reatus propriè est id, quod est culpa ex D. Augustino *lib.* 1. *de nuptiis*, *& concupiscentia*, *cap.* 26. vbi ait: *Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati.* Quod cùm Vasquez obseruauerit *num.* 4. Miror ipsum reprehendere *num.* 14. sententiam D. Augustini, qui vult reatum non esse solam ordinationem ad pœnam: hæc enim est à Deo, & bona; sed est meritum, & dignitas pœnæ. Sic eam appellat S. Augustinus in Psalm. 50. *Nemo nascitur, nisi trahens pœnam, trahens meritum pœna.*

Respondent alij, per Baptismum non tolli concupiscentiam; sed tamen tolli eius dominium. 46

Contra: Nam in infantibus non est dominium concupiscentiæ pro eo tempore: Itaque Baptismus non tolleret peccatum. His rationibus vtitur Bellarminus *cap.* 9.

Vrget deinde acriter contra eam responsionem S. Bonauentura *argumento vltimo.* Quia concupiscentia, postquam baptizatus est homo, potest, & de facto in quibusdam intenditur, & dominatur: Ergo redit peccatum originale: Ergo iterandum Baptisma. Sequitur, igitur Peccatum originale non esse peccatum in dominio concupiscentiæ.

Assero tertiò contra Pighium ex Concilio Tridentino *sess.* 5. *can.* 3. definiente: *Peccatum originis inesse vnicuique proprium.* Et *sess.* 6. *cap.* 3. dicitur, Propagatos ex Adamo propriam iniustitiam contrahere. Quod probatur etiam *Rom.* 5. dum eodem modo peccatum, & mortem in omnes homines pertransisse astruitur, vt notat S. Bonauent. *argumento primo*, cum eo cæteri. Quare hæc sententia erronea est, vt docent plurimi apud Tanner. *n.* 100. 47

Probatvr à D. Bonau. *in* 2. *dist.* 33. *art.* 2. *quaest.* 2. quia in vnoquoque est carentia debitæ iustitiæ. Vnum tamen in singulis esse ostendit. Ipsum vide.

Assero quartò, non esse qualitatem morbidam contra Ariminensem, & similes.

Probatvr,

Probatvr, quia illa qualitas, vel fuit producta ab Adam in peccato, & hoc non, quia iustificatus fuerat, quando genuit; Vel à Deo; & hoc neque, alioqui esset author peccati. Præterea illa qualitas quomodo operatur reddendo hominem, Deo hostem? neque satis explicabunt, quomodo Baptismo tollatur. Vide Valentiam §.8. vbi rectè post D.Bonauent. *dist.*31. explicat Magistrum volentem, non id, quod ei adscribitur de qualitate illa morbida; sed Peccatum originis esse ipsum appetitum Concupiscibilem, vt iustitiâ destitutum, & nondum gratiâ curatum; infectionem verò seminis esse, quatenus est instrumentum Adæ ad posteros, ordinario modo gignendos illi filios; non autem ex aliqua qualitate infectiua, qua constituatur Originale.

49 Assero quintò, Peccatum originale non constitui ex positiuo conuersionis ad creaturam.

Probatvr, quia qua ratione in pueris est ista conuersio ad creaturas, nisi fortè maneret ea, quæ fuit in Adam peccante, quæ tamen destructa est in conuersione eius ad Deum; at esto maneret, iam infans nullum aliud peccatum haberet, quàm illud indiuiduum; quo laborauit Adam, quod est incidere in opinionem Pighij.

Assero sextò, illud non consistere in priuatione subiectionis, Deo debitæ.

Probatvr, quia ex coniunctione Adæ cum Deo, vel negatione subiectionis eius, ipsi exhibendæ, non potest transfundi similis coniunctio, vel negatio, absque aliqua qualitate, vel priuatione eius.

50 Assero septimò, Peccatum originale esse formaliter carentiam iustitiæ debitæ originariæ. Aduerto non modò esse carentiam habitus illius, supernaturalis quidem, qui ordinabat ad Deum, tanquam ad finem naturalem, de quo satis *p.p.tract.*11. *disp.*1.*quæst.*19.& 20. sed etiam gratiæ, quæ aliquo modo consequutura erat; de qua satis ibi *disput.* 3. *quæst.*10.

Probatvr ex Concilio Arausicano 2. *cap.*19. vbi ait, Nos perdidisse in Adamo, & per Adamum stolam animæ, quæ in nobis per Christum reparatur. Et Concilio Tridentino *sess.*5. *can.*2. vbi ait, Adamum peccando non sibi tantùm; sed etiam nobis sanctitatem, quam acceperat perdidisse; & ideò peccatum, quod mors est animæ, in posteros transfudisse. Ideò autem CC. Arausicanum *can.*3. & Tridentinum *sess.*5.*de peccato originali, can.*2. vocant Peccatum originale Mortem animæ, quæ in carentia gratiæ consistit.

51 Secundò, quia peccatum originale auertit à Deo, vt fine supernaturali, quo in æternum priuat: Ergo non potest consistere in mera priuatione iustitiæ originariæ, quæ ad perfectionem naturalem ordinabatur, vt ex D. Bonau. hîc colligitur.

Tertiò, quia in infantibus est vera ratio peccati mortalis, vt dicam *quæst.*1. hæc autem dicit auersionem à Deo, fine supernaturali. Quomodo autem sit eis voluntarium, dixi *quæst.*1.

Idem habet D. Augustinus *lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, cap.*22. & *concione ad Cathecumenos contra Iudæos, cap.*2. & *lib.*1. *Retract. cap.*13. & 15. & *lib.*6. *contra Iulianum; cap.*3. vbi docet, Adamum pro se, & pro nobis amisisse iustitiam originalem, eiusque peccatum esse voluntarium nobis in primo parente, quo cum Deus iniuit pactum etiam pro nobis, quod Vasquez, *cap.*9. *num.*38. fuisse necessarium astruit, quod posteà sui immemor negat

52 *disp.*133. *c.*1. *n.*2. Addendum verò cum D.August. *lib.de Baptismo paruulorum*, peccatum originale esse concupiscentiam tantùm materialiter; vt notat D. Bonau. *in corpore*, nam cùm *lib.*1. *de peccatorum meritis, cap.*28.& 29.& *lib.*1.*de nuptiis,& concupiscentia, cap.*23.& 25.& *lib.*6.*contra Iulianum, cap.*1.& 7. & contra duas epistolas Pelagianorum *c. p.*13. asserat, concupiscentiam manere in renatis, nec tamen esse peccatum, & peccata omnia, etiam originale, in Baptismo deleri; sequitur, eum voluisse, peccatum originale esse aliquid aliud præter concupiscentiam.

Volvisse autem, originale esse verè peccatum 53 patet ex *concione ad Catechumenos, contra Iudæos, cap.*2.& *lib.*1. *Retract.cap.*13. & 15. & *lib.*6. *contra Iulianum, cap.*3. vbi ait, paruulos reos esse peccati primi parentis, vt notat Roffens. *art.*2.*contra Lutherum*, & Torrensis, *lib.*2.*confess. Augustiniana, cap.*2. §.4.& *lib.*1. *de peccatorum meritis, cap.*9. vbi vrget contra Pelagianos illud Apostoli Rom.5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, &c. alioqui intrare*, ait, *non poterat, nisi per diabolum.* Et *lib.*6. *contra Iulianum, cap.*4. vrget illud Apostoli, Rom.5. *Si vnus pro omnibus mortuus est Christus: ergo omnes mortui sunt*, vbi ait: *Quapropter, si nullum trahunt peccatum paruuli, non sunt mortui. Si non sunt mortui, non est mortuus pro eis, qui non est mortuus, nisi pro mortuis.* Et *serm.*14. *de verbis Apostoli*, & *epist.*105. *in lib. de peccatorum meritis, cap.*34. Et *serm.*10. *de verbis Domini*; & *lib.*3. *contra Iulianum, cap.*5. arguit, paruulos verè peccatores esse, quia Baptismo abluuntur in remissionem peccatorum, vt dicitur *Actorum* 2. & ideò Baptismus dicitur lauacrum re- 54 generationis, &c. Et *lib.*6 *contra Iulianum, cap.*7. ait: *Percipitur in Baptismo perfecta nouitas, & perfecta sanitas ab eis malis nostris, quibus eramus rei; non autem ab eis, cum quibus confligendum est, ne simus rei.* Et *cap.*5. ait: *Regeneratus omni peccato caret, non omni malo*, quod planius ita dicitur (ait S.August.) *regenerati reatu omnium malorum carent, non omnibus malis.* Hinc vide, cur D.August. nomine reatus culpæ explicet peccatum, in nos transfusum. Hæc enim duo vltima S.August. testimonia ostendunt, idem apud S. August. esse *reatum*, ac *reum*, ac *peccatorem*, sicuti in legibus solet dici. Secundò habetur contra sectarios, tolli peccatum originale, non autem tegi solùm, & concupiscentiam remanentem in renatis non esse peccatum, vt ipsi dicunt, adducentes D.Augustinum; non enim dixit D. Augustinus peccatum in Baptismo remitti, non vt non sit, sed vt non imputetur, vt dicunt hæretici. Sed, concupiscentiam, quoad culpam, remitti, & manere solam rebellionem ad pugnam, & victoriam.

Præterea *lib.*6. *de nuptiis, & concupiscentia,* 55 *cap.*26.& *lib.*6. *contra Iulianum, cap.*8. dicit, manere in paruulis peccatum originale, sicut manet reatus peccati in eo, qui peccauit, nec iustificatus est, vt fatetur etiam Vasquez. Sed talis est verè peccator ex D. Augustino *tract.*56.*in Ioan.* etiamsi solum venialiter peccauit: Ergo. Non tamen admitto, manere, sicut tenet Scotus *in* 4.*dist.*14. *quæst.*1. de quo *disputatione sequenti.*

Vult igitur S.Augustinus, pueros verè esse reos, idest peccatores, quia priuati sunt iustitia originali, & auersi à Deo; concupiscentiam verò materialiter se habere. Igitur poterat Vasquez iustificare S.Augustinum dicendo, eum locutum materialiter, sicuti de eo dixit, taliter locutum, cùm peccatum in priuatione ponit, vt dixi *disp.*1. *quæst.*2. neque tantum Doctorem Pelagianismo labentem, qui eodem die ortus est Tegaste in Africa, quo Pelagius in Anglia,

vt huius errores fugaret. Proprius autem Pelagij error est, negare peccatum originale, vt ait S. Augustinus *lib. de hæresibus*, *hæresi* 88. vt notat etiam

56 Valentia. Addo, etiamsi dixisset, in reatu pœnæ consistere peccatum originale, non ob id Pelagianus esset, sed Catholicè loqueretur, vt ait Salas *disput.*11.*numero* 6. Tannetus *numero* 127. Magister *dist.*32. & alij plures apud Salam. Vult igitur germano sermone S. August. paruulos catenus esse maculatos culpa originali, quia rei sunt voluntate Adæ, quatenus priuati iustitiâ, & gratiâ, sunt etiam habitualiter auersi à Deo; Concupiscentiam verò materialiter se habere. Hæc est communis sententia cum D.Bonauent. *hic*, D.Thom *quæst.*82. *art.*3. Primò, quia concupiscentia illa, seu inordinatio habet se, velut effectus secundarius, & veluti materialis ad priuationem iustitiæ originalis vt sic; nam ex auersione voluntatis à Deo, quam formaliter significat priuatio iustitiæ, consecuta est inordinatio in aliis animæ viribus.

57 Addvnt tamen aliqui, Concupiscentiam non dici propriè materiale peccati originalis. Ità Soto *lib.* 1. *de natura*, *& gratia*, *cap.* 8. & 9. Medina *quæst.*82. *art.* 1. Zumel. *art.*3. *disput.*1.*concl.*4. Azorius *Tom.*1. *lib.*4. *cap* 26. Salas *citata disputatione* 11. *sect.* 2. Salmeron *in cap.* 5. *ad Rom. disp.*48. Durandus, Pighius, Catherinus, qui eo modo explicant etiam D.Thomam.

Probatvr, quia materiale peccati supponitur formali rationi eiusdem, tanquam fundamentum: At concupiscentia, seu inordinatio illa, sequitur illam priuationem Iustitiæ, & gratiæ; sicut etiam ipsa ordinatio virium sequebatur iustitiam originalem, & gratiam, tanquam effectus illius.

58 Argvmenta Illyrici, ac Sectariorum cæterorum, *locis adductis*, in prima, & secunda Assertione adducta, explosa sunt.

Pro cæteris nulla ferè sunt, quæ non sint conuulsa. Remanent aliqua contra nostram sententiam.

Obicies primò. Illud est peccatum originale, quod tollitur per Baptismum ex Concilio Tridentino *sess.*5. sed carentia iustitiæ originalis non tollitur per Baptismum, vt patet, quia non datur Iustitia originalis: Ergo.

59 Respondet D.Bonauent. *in* 2.*dist.*32. *quæst.*1. *ad* 1. solui debitum habendi iustitiam originalem, & compensari dono gratiæ sanctificantis, quæ amplius donum est, quàm iustitia originalis. Hoc responso nititur etiam Scotus *loco citato*, §. *Ad argumenta secundæ quæstionis*, & Caietanus *quæst.*81. *art.*3. Quem modum dicendi reprehendit Zumell. idem asserens, potiùs dicendum fuisse, desinere priuationem illam eo ipso, quod debitum habendi desinat, sine quo esse non potest vera, & propria priuatio; sed hoc ad mentem S. Bonauenturæ est desinere priuationem, quatenus tollitur debitum, quod in priuatione includitur.

Obicies secundò. Priuatio gratiæ est pœna peccati Adæ: Ergo non est culpa.

Respondetvr, esse culpam, quatenus filius Adæ illâ caret, cùm deberet eam habere. In hoc autem debito stat culpa. S.Bonau. *in* 2.*dist.*30. *art.* 2. *quæst.*2. ostendit, peccatum originale non esse Ignorantiam, sed causam eius. Ipsum vide, qui clarus admodum est.

QVÆSTIO III.

De subiecto Peccati Originalis.

D.Bonau. dist.31.q.2.

Assero primò, peccatum originale esse in anima.

Probatvr à Tannero *disp.*4.*quæst.*7.*num.*132. 60
ratione D.Bonau. *loco cit. argumento vltimo*, *primo loco*: Forma, & priuatio sunt circa idem subiectum. Sed Iustitia originalis, & gratia est in anima: Ergo, & carentia eiusdem, quæ est peccatum originis.

Assero secundò, esse in voluntate, tanquam in subiecto proximo. Ità D.Bonau. *loc.cit.* quem sequuntur Scotus *in* 2. *dist.* 32. *quæst.* 1. Richardus *art.*1. *quæst.*1. Angles *quæst.* 2. contra D.Thomam *quæst.*83.*art.*2. & omnes Thomistas, Albertus *in* 2. *dist.*30. *art.*4. *ad* 5. Ægidium *dist.*31. *quæst.*2. *art.*1. Argent. *quæst.*1.*art.*4. Valentiam *quæst.*13.*p.*1. Azorium *Tom.*1. *lib.*4. *cap.*31. Salam *disp.* 11. *num.*67. qui volunt, illud esse primò in essentia, quos sequitur Tannetus *numero* 133.

Probatvr à D.Bonauent. *in corpore*. In eodem subiecto est forma, & priuatio; sed forma, quæ est iustitia originalis, ac charitas, est in voluntate, eam testificans: Ergo etiam originale peccatum, quod est carentia eius. Maior est certa; Minor est D. Anselmi, vt fatetur D.Thom. *q.*83. *art.*3. 61

Probatvr secundò à D.Bonauent. quia concupiscentia est quid adnexum intimè peccato originali; hæc autem est in appetitu.

Probatvr tertiò à D. Bonauent. quia in eodem est ordinatio, & deordinatio à Deo; sed ordinatio est in voluntate: Ergo.

QVÆSTIO IV.

An inter potentias, Generatiua, & Sensitiua inficiantur.

D. Bonau.d.31.q.3.
D.Thom.q.83.art.4.

Assero affirmatiuè.

Probatvr à D. Bonauent. *hic*, experimento, quia efficacis facta est ista potentia; inter 62
cæteras, quæ cùm ad naturæ propagationem ordinetur, ideò meritò etiam sentit infectionem naturæ, propagandæ ex semine infecto. Vide D. Bonauent. præclara, hac de re, disserentem.

QVÆSTIO V.

Quomodo Deo *non imputetur Peccatum Originale.*

D.Bonauent. d.32. & in primo, d.41.art.1.q.3.

Mvltas egregias quæstiones agit S.Bonau. *in* 2.*d.*32. quæ faciles sūt, & sufficit, eas indicare.

Prima est, in quo sit Concupiscentia, quam in appetitu rationali formaliter ponit. Ipsum vide.

Qvæstio secunda est: An Concupiscentia sit 65
à Deo. Respondet negatiuè, vt dicit appetitum immoderatum. Vide S.Bonauent. qui facilè id definit.

Articvlo

Articulo tertio ostendit, non imputandum esse Deo peccatum originale, quia, licèt abstrahat Iustitiam originalem, & hanc infundat; in pœnam tamen paruuli meruerunt habere huius priuationem in primo parente. Ita D. Bonauent. quem sequitur Vasquez *disp.132. cap.19.*

Quærit secundò: An Deum deceat infundere animam, quæ maculetur: Respondet affirmatiuè. Ipsum vide, qui multa præclara edisserit, cognitu facilia.

QVÆSTIO VI.

An Parentes proximi possint transmittere peccata in Filios.

D.Bonau.dist.33.q.1.
D.Th.q.81.art.1.& 2.

Assero primò, non transfundi reatum pœnæ æternæ à proximis parentibus in filios.

64 Probatvr à D.Bonau.primò *Ezech.*18.vbi dicitur,& testatur Deus populo Israël, dicens: *Quid est, quòd inter vos parabolam vertitis in prouerbium, istud in terra Israël dicentes: Patres comederunt vuam acerbam,& dentes filiorum obstupescunt.Viuo ego dicit Dominus,si fuerit vltra parabola hæc in prouerbium in Israël,& subdit: Anima quæ peccauerit,ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem Patris.*

Et quidem non loquitur de Adamo; sed de parentibus immediatioribus,vt patet legenti: Eodem modo loquitur Hieremias, *cap.31.*

D.August. *in Enchir. cap.*46. & D. Gregor. *lib.*5. *Moral. cap.*31. & Lyranus explicant hæc loca de tempore Euangelij,in quo paruuli,renati Baptismo, non erant pro peccato Adæ puniendi æternâ morte; esto aliqua pœnâ temporali, vt dicitur *Exodi* 20.

65 Hoc tamen videtur difficile, quia ex istorum Patrum sententia, omni tempore fuit remedium pro peccato originis; atque adeò paruuli liberati sunt, ne perirent pro peccato Adæ.

Loquuntur ergo de filiis in ordine ad pœnam æternam,ob peccata parentum (post Adamum) ob id tamen non negant, filios pœnâ temporali puniendos, etiam post tempora Ezechielis, & Hieremiæ. Qua autem ratione dicat,non esse ampliùs sumendum illud Prouerbium: *Patres comederunt,&c.* Respondetur: Ex quo Deus per istos Prophetas prædicauit, ac notum fecit, iustè posse Deum punire pœnâ temporali filios pro patribus; non erat futura ratio conquerendi de Deo: Quoad mortem quidem æternam,vnusquisque pro peccatis propriis eam subibat. Ita D.Bonau. quem sequitur Vasquez *disp.135. cap.2.*

66 Quoad pœnam verò temporalem puniuntur filij, vt pars patris,quod 3.*Reg.*14.probat S.Bonau. *Ego inducam malum super Ieroboam, & super domum eius, & non relinquam de domo Ieroboam mingentem ad parietem.*

Probatvr secundò assertio à D.Bonauent. ex D.Anselmo *de Conceptu Virginis, cap.*24.

Probatvr tertiò ab eodem; quia sicut sanctitas proximorum parentum non transfunditur in filios: ergo neque iniustitia.

Probatvr quartò à S.Doctore: Si peccata parentum transfunderentur in filios,semper essent filij parentibus peiores, quia haberent peccata parentum, insuper & propria.

67 An vero Iudex temporalis pro peccatis parentum possit pœnâ mortis afficere filios; Lyranus *Deuter.*24. asseruit: Sic *Iudic.*20. decem tribus necarunt paruulos tribus Benjamin: & *Iosuë* 7. ipse interfecit paruulos filios Achan.

Opposita tamen sententia est D.Th.2.2.*q.*108. *art.*4.*ad* 2.Alensis 3.*p. q.*41. *memb.*4.*art.*1. Durandi *in* 2.*dist.*33.*q.*1. Arborei, & Castro apud Vasquez, *disp.*135.*cap.*3.

Probatvr Deuter. 24. *Non occidentur filij pro parentibus.*

DISPVTATIO V.

De Effectibus Peccatorum.

Qvoad corruptionem bonorum, quæ fit à peccato, quomodo bona naturalia, & gratuita destruat, satis dixi *disp.*1. *quæst.*6. Quoad Concupiscentiam, & alios effectus Originis, satis dictum est *disp.*2. *quæst.*7. & *disp.*4. 1

QVÆSTIO I.

Vtrum Peccatum post actum relinquat maculam, & quam.

Prima opinio est Scoti *in* 4. *dist.*14. *q.*1.§. *Dico ergo*, & *in Reportatis, eadem dist. q.*1. *dub.*18. *quæst.vnica*, maculam peccati, quæ post actum peccati manet, & pœnitentiâ deletur, esse reatum ad pœnam, quatenus anima, post actum peccati, est digna irâ Dei, & obiectum eius, & intellectus, ac voluntatis Dei,destinantis eam ad pœnam debitam. Eum sequuntur omnes Scotistæ *ibi*, Bassolis, Antonius Andreas, Nisse, Orbel, Tartaret, Vorilio, Angles,Almainus,Aretinus,Faber *disp.*10.Mastrius *disp.*6.*q.*8.Gauatius *disp.*1.*cap.*1.*sect.*12. & peculiari Opusc.*de macula* luculentissimè.Oportet autem obseruare, Scotum à multis torqueri; ponit autem hæc verba: *Manet quædam iniustitia habitualis, sed non ab illa sola dicitur quis peccator*; idemque repetit. Ex quo deducit Faber, non negasse Scotum maculam, quæ in carentia iustitiæ sita est. Arridet Tannerus *disp.*4. *quæst.*10.*num.*38. 2

Enim verò Scotus *ibi*,solùm refellit opinionem Thomistarum, probans quòd non sit macula illa; postea verò probans quid sit hæc macula, ait, esse tantummodò relationem rationis, fundatam in hominis anima, in quantum est obiectum intellectus, vel voluntatis Diuinæ, ordinantis eam ad pœnam correspondentem peccato. Itaque *n.*33. ex his colligit Faber,quod hæc tria: Offensa Dei, Macula,& Reatus, transacto culpæ actu, nil aliud sunt, quàm hæc relatio rationis, quæ dicitur macula animæ, quatenus disconueniens. Sequitur è neutralibus Ouiedus *controu.*8.*p.*4. *n.*33. Mastrius verò conatur ostendere,maculam hanc non asseri à Scoto meram Diuinæ voluntatis ordinationem ad pœnam; sed reatum ipsum, seu dignitatem pœnarum ipsius, qui peccauit: Et itâ Catholicè loqui Scotum ait,neque terrendos Scotistas, è quibus plurimi Scotum deseruêre, & aliorum placitis adhæserunt. 3

Obseruat autem *n.*258.Scotum non exclusisse à ratione

ratione maculæ priuationem gratiæ, quod etiam conatur ostendere Gauatius, *loco citato*.

3 SECVNDA sententia est, maculam hanc, peccato transacto reliquam, esse carentiam nitoris, & pulchritudinis animæ, seu gratiæ. Ita videtur D. Thom. *p.2. q.76. art.1. & 2.* & *q.86. art.1.* & *ad 3.* & *q.89. art.1.* & *3.p. q.87. art.2. ad 3.* sequuntur Thomistæ *prima secunda, ad locum quæst.76.* Caietanus, Conradus, Medina, Aluarez, Serra, Montesinus, Ioan. à S.Thoma, Pesantius; E cæteris Valentia *disp 6.quæst.16.p.1.* Suarez, Lorca, Auersa, Lezana, & Amicus.

Ex his aliqui rigidiores Thomistæ maculæ rationem adæquatam ponunt in priuatione gratiæ: alij verò inadæquatè addentes pro connotato respectum ad actum præteritum peccati: alij verò vtrumque æqualiter includunt.

4 TERTIA sententia Recentiorum communis est, peccatum habituale nil esse aliud, quàm peccatum præteritum, moraliter manens in ordine ad reddendum hominem rationaliter exosum Deo; Fundamentum autem huius perseuerantiæ moralis esse carentiam condonationis Diuinæ, ac æqualis satisfactionis ex parte peccatoris. Ex illis, aliqui dicunt, hæc tria: peccatum præteritum, negationem diuinæ condonationis, & negationem satisfactionis, æquè constituere maculam. Citantur Arriaga *disp.50.sect.4.num.20.* Cardinalis de Lugo *disp.7.in Tomo de pœnit. sect.54.* Tanner. *disp.4.q.6.* Coninch. *de pœnit.disp.2.dub.10.* Granado *tract.8.disp.1.sect.1.* Salas *tract.13. disp.14. sect.4.* vbi alios quamplures citat Fuliensis *lib.2.cap.8.*

5 ALII volunt, maculam essentialiter constitui in relatione ad actum prauum præteritum; negationes verò illas geminas, condonationis, & satisfactionis, esse tantùm conditiones, vt peccatum moraliter duret, adeò vt formalis denominatio peccatoris fiat solum ab ipso actu peccati præterito reduplicatiuè. Ita Vasquez *disp.133. cap.2.* Suarez *tom.4.disp.9.sect.3.*

ALII volunt, è duabus negationibus solam illam, quæ ex parte Dei stat, spectare formaliter ad maculam.

AB his non longè abeunt quidam Scotistæ apud Gauatium *disp.1. cap.1. sect.9.* qui ponunt, habituale peccatum indiuisè consistere in duplici negatione conformitatis scilicet ad legem iustam, quam præuaricatus est homo per actum præteritum, & ad legem iustificatricem, cui conformari tenetur eliciendo post actum commissum, actum debitum satisfactionis.

ALII Scotistæ dixerunt, peccatum præteritum manere habitu, quatenus Deus non cedit iuri suo, sed illud retinet ad puniendum.

ALII dicunt, esse ipsum peccatum præteritum, permanens in ordine ad legem diuinam, supposita negatione voluntariæ retractationis, & remissionis à Deo. Ita Vulpes *disp.130.art.vlt.*

Quoad Seraphicum, adducitur à Vasquez *disp.139. cap.2.* & Fabro *num.4.* pro secunda sententia cum Magistro *in 4.dist.18.p.2. cap.vlt.dub.4.* cui addunt eius Magistrum Alensem *p. p. quæst.14. memb.6. art.4.* (de quo tamen dubitat Faber) Richardum, Seraphici discipulum, *eadem distinctione, ad literam Magistri*; eò quòd dicunt, maculam hanc esse elongationem à Deo per dissimilitudinem.

6 ENIM verò S.Doctor non ponit maculam peccati in sola priuatione gratiæ, vt finxit Faber, cùm tamen is sciret, hanc non esse Seraphici sententiam, vt colligitur ex *disput.1. quæst.6.* huius tractatus, vbi ostendi, Scotum è D. Bonauent. rationes sumpsisse, quod etiam ostendam clarius in quarta assertione.

VVLT igitur S.Doctor *loc.cit.* maculam peccati esse priuationem ordinis debiti, provt comprehendit modum, speciem, & ordinem, provt circa ipsum consistit ratio boni. Ista ergo deordinatio, remanens in anima, est culpa ipsa, & peccatum, quia est ex proprio actu, vbi debet esse ordo iustitiæ. Hic autem considerandus secundum ordinem auersionis à Deo, & conuersionis ad bonum creatum, & secundùm rationem vtriusque: Secundùm primam rationem competit ei ratio priuationis: Secundùm sequentem, ratio infectionis; secundùm tertium modum, ratio obligationis. Quantùm ad primum modum dicitur peccatum tenebra, & deformitas: Quantùm ad auersionem, dicitur macula, & fœtor. Vide S. Doctorem: Ex his habes, maculam hanc esse auersionem à Deo, quam satis explicat D. Bonauent. esse carentiam illius rectitudinis debitæ, habitualiter permanentem, qua homo à Deo auertitur ad bonum creatum. Dicat Vasquez, hæc non explicari a Seraphico. Subscribit Bassæus *verb. Peccatum 6. num.2.* alios citans. 7

ASSERO primò, maculam, in peccatore habitualiter permanentem, non esse solum reatum pœnæ, contra Scotum; si verum est, vti ipsi adscribitur, quod id voluerit. 8

PROBATVR primò à D. Bonau. *loc. cit.* argumento validissimo. Macula peccati in eo consistit, quod bonum debitum voluntariè priuat: Sed hoc non est reatus ad pœnam: Ergo. Maior probatur, quia macula peccati est turpitudo ipsius peccati relicta, quæ debet esse à peccatore, non autem à Deo. Minor probatur à D. Bonauent. quia reatus ad pœnam, est à Deo; at verò macula debet esse carentia iustitiæ debitæ, vt signum culpæ habeat. Maior rursus probatur Sanctorum Patrum testimoniis, quia in peccato habituali, & remissione eius agnoscunt malitiam culpæ voluntariam, distinctam ab ordinatione ad pœnam, vt aiunt D. Augustinus *lib. de catechizandis rudibus, cap.25.* Hieronymus, *epistola 1. ad Heliod.* Cyprianus *serm. de Baptism.* Ambrosius *lib.1.de Pœn.* Cyrillus *lib.12.in Ioan.cap.56.* Bernardus *sermone 1.de Sanctis, Petro, & Paulo.* Confirmatur è sacræ Scripturæ testimoniis: Matth.16. *Tibi dabo claues regni cælorum,* Ioan.20. *Quorum remiseritis peccata, &c.* vbi secundùm Concilium Tridentinum, est sermo de remissione peccatorum per pœnitentiæ Sacramentum. Confirmatur adhuc; nam *in tract. de Pœnitentia*, habetur illa quæstio: An absolutio cadat solùm super pœnam; an verò etiam super culpam; atque Scotistæ, præcipuè Faber, gloriantur, Scotum ferè primum erexisse Labarum asserendo, deleri non modò reatum pœnæ, sed etiam culpam, vt ostendam *tertia parte, tract.de Pœnitentia, disp.2. quæst.14.* Et hoc ita esse definitur in Concilio Tridentino *sess.6. cap.14.* vbi decernitur, post remissum peccatum, nos teneri satisfacere pro aliqua pœna. Et *can.30.* decernit, manere sæpè post remissam culpam reatum pœnæ temporalis. Igitur Concilium definit, culpam à reatu ad pœnam distingui. Idem definitur à Pio V. contra Baium, dicentem, transeunte actu peccati, manere solùm reatum pœnæ, & hunc solum tolli absolutione. Sic vrget Fuliensis. 9

RESPONDET Faber *num.62.* Pœnam, vt est à peccatore

peccatore, esse turpem, quia emerita; non autem prout est à Deo, sicuti suspendium est turpe latroni, quia ex culpa; non autem Iudici infligenti.

10 CONTRA, quia catenus suspendij pœna est turpis latroni, post commissum latrocinium, quatenus ipse latro etiam tunc est prauus; alioqui, si omnis turpitudo culpæ remota esset, neque pœna esset turpis, vt patet in pœnis Martyrum. Profectò demeritum præsens est effectus peccati præsentis.

RESPONDET Mastrius eodem ferè modo. Ad auctoritates respondet *num.* 314. *& seq.* & *num.* 334. Patres, per reatum pœnæ, intelligere destinationem factam à Deo ad pœnas: *hic* verò per reatum intelligi pœnam, vt est digna reo, qui eam emeruit. Ad Concilium Tridentinum respondet, Sacramenta remittere reatum pœnæ, quia demunt, etiam aliquid temporalis pœnæ, quæ aliàs deberetur.

11 ENIM verò SS.PP. loquuntur de reatu; at reatus non est Dei. Sic & Concilium ait, can. 30. *sess.* 6. *Si quis, post acceptam iustificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluenda, &c. anathema sit.* Profectò Concilium distinguit reatum pœnæ, etiam æternæ, à culpa, vt constat: Imò loquitur etiam de veniali, quo remisso manet adhuc reatus pœnæ temporalis: Ergo habitualis macula venialis non consistit in reatu pœnæ: Ergo neque mortale in reatu ad pœnam consistit.

12 NEQVE dicat Mastrius *num.* 363. nullam manere pœnam, veniali remisso; certum est enim, aliquam saltem pœnam imponi à Iudice, quæ turpis est reo; vnde sicuti, si aliquis iudex mutaret pœnam capitis latroni, in pœnam carceris, adhuc esset turpis, quia reus est; ita in casu nostro.

PROBATVR secundò validissimè à D. Bonauent. In eo ponenda est formalitas maculæ habitualis, quod quidem post actum habet rationem primam turpitudinis; sed prima ratio turpitudinis per se non est ordinatio ad pœnam, cùm sit effectus, & vltimum consequens turpitudinem, maculam, &c. Ergo. Maior est certa, quia magis debet dici tale, quod est tale per se, quàm quod est tale per aliud, & *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Sed macula est, quæ habet rationem causæ, ob quam peccator denominatur maculatus: Ergo. Minor probatur illis Scripturæ locis, quibus asseruntur peccatores primò maculati; & ideò rei pœnarum, & ad pœnas ordinati, atque adeò maculam esse quid prius ipso reatu ad pœnam.

13 IOSVE 22. Legati Iosuë dixêre: *An parum vobis est, quòd peccastis in Beelphegor, & vsque in præsentem diem macula huius sceleris in vobis permanet? multique de populo corruerunt. Responderunt filij Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse, Principibus Legationis Israel. Deus nouit, si præuaricationis animo hoc altare construximus, puniat nos in præsenti.* Ibi macula anterior reitate pœnarum ponitur.

OSEÆ 8. *Deuoratus est Israël: nunc factus est in nationibus quasi vas immundum, quia multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum: facta sunt ei aræ in delictum.*

14 ISAIÆ 6. *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum*, vbi ponit *Væ* effectum maculæ. Tunc autem non subibat pœnam: Ergo per *Væ*, intelligitur reatus pœnæ.

APOCAL. 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Et cap. 22. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc: & qui iustus est, iustificetur adhuc. Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera eius. Ego sum α, & ω. Principium, & finis. Beati qui lauant stolas suas in sanguine Agni: vt sit potestas eorum in ligno vitæ.*

DEVTER. 32. *Peccauerunt ei, & non filij eius in sordibus. Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est: quia prouocauerunt, &c.* Et ait: *Abscondam faciem meam ab eis. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima.* 15

Ex his habes, labem peccati esse ante reatum. Confundit igitur Scotus labem peccati cum reatu pœnæ, qui est posterior, & effectus. Si enim Deus peccatoribus nullam pœnam destinasset, nullumque reatum adiunxisset, adhuc essent maculati, & turpes.

RESPONDENT Faber, & Mastrius, quod etiamsi Deus non imposuisset pœnas, adhuc homines fuissent rei, quia mererentur puniri, ac proinde turpes essent.

AT si nulla esset lex pœnalis, quo pacto essent rei pœnarum? Profectò si macula est tantùm reitas pœnarum, non distingueret Concilium Tridentinum absolui à culpa, vt distinctum ab absolutione à pœna: Ergo sunt duo distincta ex intrinseco. Neque dicant, esse duas formalitates, sicut *actio*, & *passio*: Nam hæc nunquam separantur; at remissio culpæ separari potest. Neque Concilium vnquam vocat, nomine pœnæ, id, quod est culpa, siue nunquam appellat pœnam illam, quæ identificatur cum culpa, imò pœnam, quæ est distincta à culpa vocatam culpam, aduertit vocati culpam; eò quòd sit occasio culpæ. Sic de concupiscentia declarat, *sessione* 5. 16

Neque sale condita est responsio Arriagæ *disp.* 49. *num.* 5. Mastrij *num.* 342. non esse tantam vim in verbis Concilij faciendam, dummodò saluetur sensus, hominem post peccatum manere inimicum Deo, & dignum pœnâ.

CONTRA enim; Nam cùm distinguat Concilium, esse inimicum, & esse reum pœnâ, non saluatur mens Concilij, quæ verbis patet. 17

Confirmatur: Nam peccatum est mors animæ ex Concilio Tridentino *sess.* 5. ex Apostolo, & Sap. dicente: *Inuidiâ diaboli, mors introiuit in orbem terrarum.* At reatus ad pœnam non est mors animæ, sed eam supponit, tanquam rem distinctam, & causam: Ergo.

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 36. *art.* 2. *q.* 1. ferè ex professo, & indicatur *in* 4. *dist.* 18. *p.* 2. *dub. vltimo*, ratione, quam cæteris validiorem fatetur Mastrius *numero* 353. & nititur authoritatibus suprà allatis. Peccatum habituale est obligatio ad pœnam, non quamcunque; sed, quæ immediatè nascitur ex peccato: Ergo supponit negationem condonationis, & remissionis peccati; atque adeò peccati maculam: Ergo ordinatio passiua ad pœnam, quæ inest animæ immediatè per peccatum, præsupponit peccatum habituale. Maior patet, quia peccatum habituale est illud, ratione cuius homo meretur odium diuinum. 18

TORQVETVR hoc argumento Mastrius. Profectò enim habetur ex doctrina generali in genere moris, quod multæ res, quæ Physicè perierunt, eosdem 19

eosdem omninò effectus præstant, ac si actu existerent, ideoque meritò dicuntur permanere moraliter; ad id autem hæc duo sola requiruntur, vt notat Arriaga; & quod fuerint res illæ, & quod non sint actu reuocatæ sufficienter. Sic patet in lege diù lata, in pretiis taxatis, in voto, in matrimonij contractu, quæ tamdiù moraliter durare dicuntur, quamdiù reuocata non sunt. Et vt propiùs accedam, præclarè constat ex offensa illata Principi, quæ tamdiù manet moraliter, cum reitate ad pœnam, quamdiù non est remissa, nec satisfactum est. Ita etiam arguit Salas.

20 Respondet Mastrius *numero* 353. rem ità esse; attamen præstare magis, vt explicetur ratio maculæ per eam obligationem passiuam, quam per negationem condonationis, quia negatio ad affirmationem reducitur; vnde idem est dicere, peccatum non esse condonatum, ac manere ad pœnam.

At contrà arguo: Omnis negatio reducitur ad positiuum, non quodcumque, sed quod est fundamentum, & causa sui per se: Sed ex concessis, non esse culpam remissam, est causa, vt maneat reus ad pœnam, eà dignus, ex concessis in argumento: Ergo ad hoc reducitur negatio condonationis, tanquam ad causam: Ergo non ad permanentiam in reitate reducitur, sed ad permanentiam maculæ, ex qua oritur reatus; quæ quidem macula optimè explicatur esse habitualis auersio à
21 Deo, & priuatio gratiæ, modo suprà dicto. Neque ego dico, durationem rei esse formaliter negationem remissionis; sed dico, manere, quamdiù non remittitur. Ex eo igitur, quod non est remissum peccatum, supponitur durare, quia non cessat sine condonatione, & quamdiù non remittitur, manet reatus passiuus, seu dignitas pœnarum. Hinc igitur infero, reatum non esse formaliter maculam peccati, sed effectum illius. Ex qua doctrina fuit confirmatio Mastrij. Sic igitur pœnæ reitas, & actu, & habitu, sequitur culpam, vt notat D. Bonauent. *in corpore*. Profectò pœnæ reitas est effectus culpæ, quam præsupponit præsentem, vt arguit acriter S. Doct. *eadem dist.* 35. *art.* 2. *q.* 2. *in corpore*. Ideò enim valet hæc causalis: *Ideò est passiuè reus pœnæ, quia habet peccatum*; non è contra.

22 Probatur quartò, seu totum confirmatur à Suarez 3. *part. tom.* 1. *disp.* 9. *sect.* 9. argumento S. Bonauent. Illud est formaliter macula, quod à Deo tollitur in iustificatione; sed in iustificatione non tollitur solus reatus ad pœnam, ex Concilio Tridentino *sess.* 5. *decreto de peccato originali, cap.* 1. vbi definit, in iustificatione auferri totum id, quod habet veram rationem culpæ. Minor adhuc probatur è Scripturis, quæ testantur, tolli maculam distinctam à reatu: Ecclesiastici 47. *Dominus purgauit peccata ipsius* (scilicet Dauidis,) *& exaltauit in æternum cornu eius*; vbi post maculæ abstersionem numerat liberationem à pœnarum reitate, & exaltationem ad gloriam. Alludit *ad* 2. *Reg.*
23 *cap.* 12. vt notat Margo, vbi ait Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Ecce maculam vocat peccatum; Et subdit, absolui à reitate: *Non morieris.* Ideò in Psalmo 50. tunc edito, precatur Deum, vt mundet à peccato, & iniquitate. Et subdit: *Ne proiicias me, &c.* quia hoc sequitur ex illo. Subdit verò: *Non recedet gladius, &c.* Vbi reitatem aliquam adhuc relinquit.

Isaiæ 1. *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Vbi maculam ponit voluntariam, ideò hortatur, vt eam auferamus è cordibus. Et subdit: *Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Quis non videt, hìc non loqui de reatu ad 24
pœnam; sed de labe culpæ. Hinc subdit: *Quòd si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis: gladius deuorabit vos.* Vbi ponit: *Si nolueritis* mundari à labe, *& me prouocaueritis*, reddentes vos reos iræ meæ, &c.

Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

Isaiæ 2. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion.* Hinc sequitur, aliquam labem formaliter vrgeri, non denominationem meram extrinsecam tolli, vt putat Vasquez, alioqui per solam denominationem extrinsecam, peccator esset maculatus, & sic incideremus in propositionem Baij, damnatam à Gregorio XIII. & Pio V. Nam verè hic erat error Baij, vt notat Gauatius *sect.* 6. non autem opinio Scoti. Quamvis enim propositio 53. Baij damnata hæc sit: *Transeunte actu nihil remanet, nisi reatus, seu obligatio ad pœnam.* Scotus è contra admittit carentiam gratiæ: An verò in hoc, vel illo esset formalitas maculæ, non definitur à Pontificibus. Vide Fabrum, Hiribarnem, & Meldulam, rectè iustificantes Scotum.

Assero secundò, maculam habitualem in sola 25
carentia gratiæ non consistere.

Probatur primò à Scoto *loc. cit.* Fabro *numero* 6. Mastrio 257. argumento D. Bonauent. allato *dist.* 1. *quæst.* 6. *assert.* 5. Si macula, manens post peccatum, est deformitas ex carentia sola gratiæ habitualis; sequeretur, non magis esse maculatum, qui millia millium peccatorum enormium patrauit, quàm qui vnum ordinarium. Probatur sequela: nam, qui vnum commisit, est omninò gratiâ habituali priuatus, non minùs, quàm alter enormissimus.

Respondet D. Thom. *quæst.* 86. *art.* 1. *ad* 3. & post eum Caietanus, Medina, Soto, Aluarez Serra, Lezana, Auersa, & reliqui Thomistæ, maculam non esse priuationem nudam, & puram, sed in ordine ad causam, idest ad peccatum, à quo causatur; Vnde, licèt priuatio gratiæ absolutè, siue macula, non suscipiat magis, & minus; tamen, qui maius peccatum, vel plura peccata patrat, maiorem maculam, & maiorem priuationem gratiæ contrahit, & sic est deterior eo, qui pauciora patrauit, quia maiori causâ, vel pluribus de causis, est dignus carere gratiâ.

Contra; quia magis, & minùs in priuatio- 26
ne, sumitur à forma opposita, non ab agente: Sic maior est priuatio caloris, vbi minùs est de forma caloris; vnde priuatio per formam cognoscitur, non per efficientem.

Respondet Auersa, priuationem gratiæ esse maculam in ordine ad peccata, non merè, tanquam causas, sed vt connotata, & efficientia ipsam priuationem. Vnde qui plura peccata multiplicat, contrahit nouam maculam, ob nouum debitum carentiæ ipsius gratiæ.

Contra; quia sic macula non consistet in mera gratiæ carentia, sed in debito illo, ac relatione, quâ intenditur, & remittitur priuatio; Vel dic, plura esse maculatum genera.

Probatur secundò à Scoto *loc. cit.* & Fabro 27
num. 28.

*num.*18. argumento D. Bonauent. *in* 4. *loc. cit.* Si macula peccati esset carentia gratiæ in ordine ad peccatum, quatenus ponit malam habilitatem, & pronitatem, vt ait Magister, & D. Thomas; sequeretur, quod macula vnius peccati expelleretur per maculam alterius. Consequens est falsum: ergo. Probatur sequela: macula summi odij A, puta Petri. Et amor summus ipsius A, idest Petri malus, sunt peccata, & tamen opponuntur: Ergo macula vnius eluet alteram.

Respondent Caietanus, & alij negando sequelam, quia maculæ peccatorum non opponuntur sibi inuicem, quia omnes consurgunt ex peccatis.

28 Contra, ex Aristotele 4. *Eth. cap.* 1. Nedum virtutem vitio, sed & vitia inuicem opponi, vt prodigalitas, & auaritia, clarum est. Si quis ergo prodigus fiat auarus, auaritiæ labes eluet prodigalitatem.

Confirmatvr à D. Bonauent. sequeretur, posse aliquem seipsum emundare à macula, quia pronitas tollitur pronitate, vt dixi; sed hoc est falsum, quia testatur Deus: *Ego sum qui deleo peccata.*

29 Probatvr tertiò. Id, quod est essentiale est intrinsecè inseparabile; sed priuatio gratiæ est separabilis à macula peccati: Ergo. Maior est euidens: Minor probatur primò. Qui in puris naturalibus constitutus peccaret, contraheret maculam; at tunc priuationem gratiæ non includeret; non enim locum habet priuatio, quando non est capacitas proxima formæ; at in statu naturæ non est homini debita gratia.

Ideò fassus est Tannerus *disp.*4. *quæst.*6. *num.*19. hoc argumentum probare, priuationem gratiæ non pertinere ad peccatum habituale abstrahendo ab hoc statu. Id concedit etiam Auersa.

30 Probatvr secundò. Minor illa, quia peccatum veniale habituale intelligitur absque vlla priuatione gratiæ. Hanc rationem cæteris validiorem existimant Arriaga, & Ouiedo. Confirmatur à Card. Lugo *sect.*3. nam, esto deleantur venialia per infusionem gratiæ, hoc tamen est morale tantùm extrinsecum; posset enim quis accipere gratiæ augmentum absque emundatione à veniali. Ipsum vide alia soluentem.

Respondent, disparem esse rationem; nam peccatum veniale non causat diminutionem, vel priuationem alicuius sanctitatis: at mortale semper causat sanctitatis priuationem.

31 Contra, quia, vt instat Arriaga, eadem quoque priuatio est necessariò connexa cum peccato actuali mortali non minus, quàm cum habituali, nec tamen ob id dicunt eam constituere peccatum actuale. Hæc instantia valdè notanda est, vt aduertit Mastrius, quia omnes rationes, quæ ab aduersariis vrgentur ad probandum gratiæ priuationem ingredi debere habituale, æquè bene vrgent etiam de actuali, vt mox constabit in eorum solutione.

32 Assero tertiò, peccatum præteritum non concurrere intrinsecè, & essentialiter ad constitutionem peccati habitualis, vt præteritum est.

Probatvr primò à Vulpio *art.*5. quia denominatio peccatoris apud Scripturam, & Concilia est per modum formæ præsentis denominantis: ergo à forma præsenti.

At respondebunt, denominari à forma præsenti moraliter, quatenus non remissa.

Probatvr melius, quia vel concurrit in se; & hoc non, quia peccatum, vt præteritum, est præteritum etiam post iustificationem, & ita erit homo iustificatus, adhuc conspurcatus. Vel concurrit vt moraliter præsens, quatenus non retractatum, & hoc neque potest dici essentiale maculæ; quia negatio retractationis supponit maculam in anima permanentem.

Deinde quod neque macula consistat in negatione remissionis. Probatur etiam à nonnullis; quia, alioqui macula esset à Deo conseruata.

At neque hoc est efficax, quia potest Deus indirectè conseruare, non condonando, vt notant Arriaga, & de Lugo: hoc enim iustissimum est. 33

Deinde negatio remissionis supponit iam culpam adhuc permanentem; & ideò Deus non condonat, quia reus non retractat.

Assero quartò, maculam peccati consistere in habituali permanentia auersionis à Deo, & conuersionis ad creaturam, dicente deordinationem, & carentiam modi, speciei, & ordinis.

Explico mentem Seraphici ex præcedentibus *dist.*35. *art.*2. ad quæ remittit. S. Augustinus *lib. de natura boni*, *cap.*4. definit malum: *Est priuatio modi, speciei, & ordinis.* Et quidem modus, species, & ordo attenduntur in creatura secundùm triplicem ordinatioem eius ad Deum. Modus respicit Deum, vt efficientem. Species, vt exemplar. Ordo, vt ad finem tendit. Fertur autem creatura rationalis his tribus modis in Deum, non modò vt est author naturæ, sed etiam vt est obiectum voluntatis morale. Tunc autem voluntas habet modum ad Deum, quando in operando sequitur Dei motionem. Tunc habet speciem, cùm conformatur regulæ Diuinæ dirigenti. Tunc habet ordinem, quando se ordinat ad eum, vt finem, nec ab eo auertitur; & sic ex integra causa voluntas est bona. 34

Quandocumque verò aliquis peccat mortaliter discontinuatur à Deo mouente, discordat à regula, seu exemplari dirigente, & deordinatur à fine vltimo, ponens in creatura finem vltimum. 35

Pergit S. Doctor hoc explicare, & supponit ex D. Augustino *lib. de natura boni*, *cap.*3. quòd vbi modus, species & ordo sunt completa, magnum est bonum; vbi parua, paruum; & vbi nulla, nullum.

Itaque, qui grauiora peccata committunt, & plura, se magis deordinant, & elongant à Deo, vt Mouente, vt Exemplari, & Fine; hæc omnia autem tolluntur per conuersionem ad Deum, & per infusionem gratiæ, quæ animam modificat, speciosam reddit, & ordinat.

Observat autem *quæst.*3. quod peccatum minuit bonas habilitates, nec tamen eas tollit, quia est elongabilis in infinitum à rectitudine deordinando. Igitur incuruat voluntatem, reddendo eam semper minùs idoneam ad gratiam suscipiendam sanctificantem, vel ad cooperandum auxiliis diuinæ gratiæ; nunquam verò est adeò inidoneus, quin adhuc fieri possit ineptior; quia nunquam tantùm offendit, quin adhuc magis offendere queat. Similiter nec adeò ad malum pronus vnquam efficitur, vt necessariò in malo defigatur. 36

Ex his habes, quàm immeritò conqueratur Vasquez

Vasquez de D. Bonauent. quasi non explicuerit suam hac de re sententiam, quam pluribus explanauit, etiam rudibus.

57 Ab hac sententia non longè absunt Scotistæ, vltimò adducti.

PROBATVR ergo hæc assertio à D. Bonauent. *dist.* 36. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corpore*, & *ad primum*, ratione præcipua, qua nituntur Moderni, & quæ diffunditur à Lugo. Peccatum habituale nil aliud est, quàm peccatum actuale moraliter permanens, nec malitiam nouam adiungit, præter eam *commissionis*, vel *omissionis*, quæ moraliter permanere censetur à quocumque prudenti, quamdiù homo non conuertitur, sequendo Diuinam voluntatem mouentem, conformando se regulæ diuinæ legis, & recedendo, atque auertendo se ab amore effræni creato, & redeundo ad Deum, à quo iacet auersus.

58 Friuola Gauatij responsa eludit amicissimus Mastrius *num.* 181.

RESPONDIT ipse Mastrius, peccatum sanè habituale esse peccatum præteritum, vt moraliter permanens, sed non explicari, in quo stet hæc permanentia: quid nempe sit, quod remanet in voluntate post actum culpæ, ex cuius vi debeat peccatum perseuerare.

At legat doctrinam hanc D. Bonauenturæ, & percipiet, in quo consistat; est enim moralis quædam permanentia voluntatis in auersione à Deo, & deformitate illa, quæ moraliter durat ex actu præterito; sicut in eo, qui aliàs exercuit munus Carnificis, durat infamia pro præsenti.

59 NEQVE hæc moralis permanentia explicatur per solam imputationem humanam, vt putant Vulpes, & Mastrius; sed per realem permanentiam voluntatis in auersione à Deo, ac deformitate illa, quæ semper nouis culpis fit turpior, ob quam Scriptura, Patres, atque Concilia peccatorem iure, ac meritò deformem conclamant, etiam culpæ actu transacto.

40 PROBATVR secundò, suppositâ doctrinâ, tradita *asserti primi tertio argumento*. Quandocumque facta est offensa, & manet voluntas non retractata, neque est remissa, semper manet offensor labe offensionis conspurcatus, & consequenter reus pœnæ: Tunc enim non à posteriori tantùm habemus, manere maculam, vt putat Mastrius *num.* 185. sed formaliter manet, manente eadem habitualiter voluntate: ex hoc verò sequitur duplex negatio, vt non adhuc eluta sit, vel remissa offensa; sequitur etiam, vt adhuc remaneat homo reus pœnæ. Et sanè hoc argumento inuoluuntur Scotistæ.

41 CONFIRMATVR ex D. Bonauent. quia manente sic habitualiter voluntate, conseruatur peccatum in esse morali, dum manet conuersus homo ad commutabile bonum; & à Deo auersus; & ex hoc semper manet consequenter homo reus pœnarum. Hanc autem obligationem consequentem frustra Mastrius singulis columnis inculcat, tanquam maculæ peccati essentiam, cùm luce clarius pœnæ reatus sit culpæ effectus, eam supponens, vt cum D. Bonauent. ostendi *in primo asserto*.

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *loco cit.* In eo est macula, quod est priuatio boni debiti, quo carens anima est monstrosa: nam priuatio dicit carentiam formæ debitæ, qua deficiente redditur subiectum indecorum, ac monstrosum, vt patet in cæco, munco, &c. Sed priuatio, 42 quæ est in anima, reddens illam turpem, maculosam, &c. est carentia rectitudinis debitæ, auersio à Deo, & carentia gratiæ: Ergo.

Hoc argumentum conceditur à Fauentino *numero* 14. qui anxiè à nobis requirit; in quonam ponamus inimicitiam hanc; nam si aliquis (ait) læsit Principem, non remanet in eo posteà, nisi reitas ad pœnam.

RESPONDETVR, hanc inimicitiam esse intrinsecam hominis auersionem à Deo, & conuersionem ad bonum creatum: Nec est simile de subdito, qui læsit Regem, nisi fortè adhuc retineat voluntatem eandem auersam, cui debet, vt subditus humiliari: tunc verò manet deformitas rebellionis à suo Principe. 43

Instat Faber. Is, qui peccauit, nec ampliùs de peccato cogitat, non manet habitu in peccato; alioqui non magis esset habitu peccator concubinarius, qui in domo alit concubinam, quàm qui semel tantùm talem cognouerit.

RESPONDETVR, concubinarium virtualiter semper esse in peccato; nam actus malæ voluntatis continuatur in actu extrinseco alendi fœminam; at qui post peccatum dormit, manet habitu auersus à Deo, & maculosus.

OBIICIES primò cum Scotistis Scripturas, à quibus peccatum habituale vocatur reatus. Exodi 32. *Percussit Dominus populum pro reatu vituli.* Deuter. 13. *Auferetur ab eis reatus sanguinis.*

RESPONDETVR, ibi vocari reatum culpæ, 44 vel sceleris, sicut in iudiciis ille primò dicitur reus, qui sceleris conuincitur; vel qui ad quæstionem iuridicè aduocatur, dicitur reus præsumptus. Sic igitur dicitur *reatus vituli*, idest, reatus idolatriæ, *reatus sanguinis*, idest effusi. Deinde ibi non assignatur ratio maculæ, sed solùm id, quod immediatè respondet pœnæ actu, quod est reatus eius.

FATEOR, sæpè etiam reatum pœnæ in Scripturis poni, vt Matth. 5. *Reus erit gehennæ.* Matth. 6. *Dimitte nobis debita.* Actorum 8. *In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Matth. 8. *Oblatus est vnus, qui debebat decem millia talenta.* Sed quid tum? explicatur enim reatus de consequenti pœna, quâ remouetur.

INSTAT ex Bereotio *verbo Reus*, dicente, in Scriptura nomine reatus, intelligi peccatum, seu obligationem, non ad pœnam debitam.

Dico hoc esse pro me; Si reitas intelligitur pro 45 obligatione non ad pœnam.

Dicitur autem aliquando peccatum reatus formaliter delicti; nam hoc est peccatum, sed causaliter dicitur pœnæ, quia eam causat.

OBIICIES secundò ex Patribus, è quibus aliqui, Deum, aiunt, remittere peccata tegendo, non imputando, siue nolendo punire: alij dicunt peccatum remanere reatu: alij dicunt, hominem non remanere peccatorem, dum non manet reatus. Vnum instar omnium affert D. Augustinum *lib.* 1. *de nuptiis, cap.* 26. vbi ait: *Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati: manent ergo reatu, præterierunt actu?* Idem habet *lib.* 6. *in Iulianum, cap.* 8. & *in Psal.* 31. & *lib.* 1. *Retract. cap.* 15.

D. Dionysius *cap.* 4. De Diuinis nominibus: *Puniri non est malum, sed esse pœna dignum*: vbi hanc dignitatem turpem vocat, ob habitudinem ad culpam commissam.

RESPON

46 RESPONDETVR facillimè, manere reatu quatenus manet reatus culpæ, & perinde est, ac si dicat: Manet reus, actu transacto, & in hoc formaliter consistir habituale peccatum, non in reitate pœnæ; in qua nullus Patrum ponit maculam peccati.

QVONIAM autem Vasquez *disp*.132. *cap*. 3. dicit, S. Augustinum sentire quidem, peccatum permanens consistere in reatu. Sed ex hac sententia Augustini nos in errorem Pelagij ruere; quod mihi horrendum est, in Sole isto, diuinitus emisso ad tenebras Pelagij fugandas, audire: admoneo, me de hoc statis dixisse *disp*.4. *quæst*.2.

OBIICIVNT secundò. Peccatum habituale est actualis lapsus moraliter permanens; sed hic non potest meliùs explicari, quàm per reatum: Ergo. Minor probatur: Nam permanentia habitualis non sufficit, quia hac ablata, potest culpa permanere; Si enim quis heri mœchari proposuit; etiamsi hodie retractet, adhuc peccatum manet: Culpa igitur non est aliud, quàm ordinatio ad pœnam, quia, vt ait Boëtius *lib*.4. *de consol. prosa* 4. Pœna est culpæ ordinatiua. Confirmatur à simili; sicut enim meritum, actu transacto, nil est aliud, quàm ordinatio ad præmium; ità culpa opposita, seu demeritum, est ordinatio ad pœnam.

47 RESPONDETVR, iam satis dictum, in quo consistat permanentia habitualis, dum non auertitur homo à creatura, & conuertitur ad Deum; illa verò retractatio est imperfecta. Quòd verò pœna sit culpæ ordinatiua, nil facit ad rem; hoc enim conuenit culpæ per accidens consequenter, vt docet D. Bonauent. *primo, distinct*.46. *quæst*.5. Ad id de merito, Respondetur, meritum non conuerti cum actu, sed esse aliquid consequens. Deinde exemplum est contra ipsos; nam in actu meriti est prius, esse gratum, & acceptum; deinde esse ordinatum ad gloriam: ità & in culpa est prius, esse iniuriosum; deinde ordinatio ad pœnam. Tandem dispar est ratio: nam per meritum actuale quis iustificatur formaliter?

OBIICIVNT quartò. In alia vita remittitur peccatum veniale, & non per aliud, nisi per Satispassionem: non enim ibi est Satisfactio.

48 RESPONDETVR ex D. Bonau. remitti primò maculam, & hanc per satisfactionem.

OBIICIVNT primò Thomistæ. Peccatum habituale tollitur per gratiam: ergo in eius priuatione formaliter consistit.

RESPONDETVR, peccatum habituale tolli per gratiam, non formaliter præcisè, sed addita Diuina ordinatione, atque adeò priuatio gratiæ non est formaliter peccatum; sed de hoc *tract. de gratia, disp*.3.*quæst*.3. agendum.

OBIICIVNT secundò. Macula originalis stat in carentia iustitiæ originalis: Ergo & macula peccati actualis in priuatione gratiæ.

RESPONDETVR negando paritatem; nam peccatum originale vnum est in omnibus; atque adeò est vnius formæ priuatio; at verò actualia sunt varia, ac proinde variatum rectitudinum priuationes.

QVÆSTIO II.

An Peccatum, sub ratione peccati, possit esse pœnalis effectus alterius peccati.

D.Thom.quæst.8.art.2.

PRIMA opinio est, peccatum sub ratione malitiæ non posse esse pœnam alterius peccati. Ità D. Thom. *hic*; vbi docet, peccatum quidem, ratione subtractionis gratiæ, posse esse effectum alterius peccati, non autem ratione malitiæ: Ità sentit Altisiodor *in* 2. *libro, tract*.3c. *cap*.5. *quæst*.5. Alens. *prima parte, quæst*.40 *memb*.2. *in sol*.3. & Durandus *dist*. 36. *quæst*.2. Vasquez *prima secunda, disputatione* 140. Fuliensis *lib*.2. *de Peccato, cap*.8. 49

SECVNDA sententia est, peccatum, quatenus peccatum, in defectu quodam voluntario consistens, non quidem per se, posse esse pœnam alterius. Sic enim dicit tantùm nouam deformitatem; sed per accidens, vt iustè à Deo permissum, quatenus est priuatio boni conuenientis naturæ, nempè boni honesti, esse posse pœnam peccati præcedentis. Ità D. Bonau. *in* 2. *dist*.36. *quæst*.1. præcipuè in fine, vbi declarat, tale peccatum esse à Deo solùm permissiuè, quod idem habet *in* 1. *dist*.46. *quæst*.3. præcipuè *ad vltimum*. Idem habet *in Compendio Theologiæ, cap*.7. vbi docet, peccatum, vt actiuè à voluntate, esse culpam: passiuè autem, quatenus recepta in anima, esse pœnam; quo modo loquitur etiam Scotus infrà citandus. Et ideò malè Vasquez *cap*.2. ait, D. Bonauenturam non distinguere; sed Scotum. Hoc sensu loquitur Conradus ad hunc articulum D.Thomæ, & Salas, Richardus *dist*.36. *quæst*.1. Maior *quæst*.1. Gabriel *ibidem, quæst*.1. *art*.3. Scotus *dist*.38. Valentia *disput*.6. *quæst*.17. *puncto* 3.

Idem docet Valentia *tom*.1.*disp*.1. *quæst*.19. *p*.3. *ad* 3. & *tomo isto, disput*.6. *quæst*.9. *puncto* 1. *ad quartum*.

QVOAD Magistrum, quem malè à D. Bonau. adduci pro se, comminiscitur Vasquez *cap*.1. iam legenti patet, Magistrum cum D. Bonau. stare. Subdit verò, existimari non fieri præiudicium veritati, si dicatur, peccata non esse pœnas, in quantum peccata sunt actiuè à voluntate, vt explicat D. Bonau. *in littera*, alioqui contradiceret sibi; ipse enim iam antea nobiscum sensit, & pro nostra sententia arguit, vt notat S.Bonau. *in corpore*. Et *dist*.37.*cap.vlt*. Magister distinctionem S. Bonau. & Scoti affert, vt notat ipse Scotus, post D.Bonau. nempè culpam, vt est rectitudinis carentia debitæ, actiuè à voluntate esse culpam; at verò, vt obest, & disconueniens subiecto, in quo recipitur, esse pœnam. Idem habet S.Bonau. 3. *parte Breuil.cap*.10.& 2.*parte Centil.sect*.2. Idem verò acriter defendit Fauentinus *in* 4. *distinct*.14. *disp*.8. *cap*.9. vbi *num*.189. ostendit, Magistrum pro nobis stare, *disp*.37. *cap*.5. vbi affert distinctionem nostram, & concludit, peccata actiuè esse peccata, & vt recipiuntur in subiecto esse pœnas. 50

ASSERO cum hac sententia, peccatum esse aliquando in pœnam præcedentis peccati.

51 PROBATVR à D. Bonau. *locis adductis*, primò è Scripturis, quæ ostendunt peccata, etiam secundùm se, quatenus erant defectus perfectionis conuenientis naturæ, fuisse pœnam præcedentium peccatorum, Rom. 1. *Propter quod tradidit Deus illos in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt.* Apoc. 22. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Aduertit autem D. Bonauent. ex D. August. *lib. 5. contra Iulianum, cap. 3.* hæc peccata iure ab Apostolo vocata nominibus, pœnam significantibus, cùm ea appellauit: *Passiones ignominiæ*, quod idem habet D. August. *lib. de natura, & gratia, cap. 22.* quibus locis, Sanctus Augustinus verissimam nostram ait esse sententiam.

52 RESPONDET Vasquez *cap. 4.* ea peccata astrui ab Apostolo, & D. Augustino pœnas peccatorum præcedentium, non quatenus peccata sunt, sed quatenus ignominiam afferebant, & erant priuationes auxiliorum, & ideò dixit: *Propter quod tradidit Deus eos, &c.* Deducit hanc responsionem ex prima opinione, relata à D. Bonauent. *in corpore.*

VERVM S. Augustinus *lib. 5. cont. Iul. cap. 3. citato*, sic loquitur: *Dixit Apostolus, quid mali antè fecissent, & adiunxit: Propter quod tradidit eos Deus in desideria cordis eorum. Proinde præcedentis est hæc pœna peccati, & tamen etiam ipsa peccatum est: Quod verbis consequentibus explicat.* Quid clariùs? ait enim: *Et tamen ipsa pœna peccatum est*, quod importunè notaret, si peccatum, vt peccatum, ad pœnam non faceret.

53 PROBATVR secundò à D. Bonau. *locis citatis*, & *lib. 2. Pharetræ, cap. 5.* testimoniis Patrum. D. Augustinus in illud Psal. 57. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem. Ignis superbia, concupiscentia, & iræ intelligitur, istas pœnas pauci vident.* D. Gregorius, homilia 11. in Ezech. *Peccatum, quod per pœnitentiam citiùs non deletur, aut peccatum est, & causa peccati, aut peccatum, & pœna peccati, aut peccatum simul, & causa, & pœna peccati. Et inter primum peccatum apostasiæ, & vltimam pœnam ignis æterni, media, quæ sunt & peccata, sunt & pœna peccati*, vt habet *in littera dist. 36.* initio. D. Isidorus: *Deus occultam superbiam Clericorum vindicat per manifestam Luxuriam.*

54 Tandem D. Augustinus *lib. 1. confess. cap. 12.* ait: *Iussisti Domine, & sic est, vt pœna sua sit sibi omnis inordinatus animus.*

HINC deducit S. Bonau. rationem, quam laudat Valentia. Videtur enim conueniens, vt ne ad momentum quidem iniquitas peccati existat sine debita pœna, vt quemadmodum, inquit D. Augustinus ipse animus sibi pœna sit, quo ità peccator discedens ab ordine iustitiæ Diuinæ vno modo, incidat alia ratione in eundem, sicut S. Bonauentura ait.

RESPONDET Vasquez, eodem modo intelligi PP. omnes, quo suprà exposuit Apostolum, & D. Augustinum. Contrà: nam D. Augustinus colligit suam sententiam *in confess.* ex eo, quòd ibi dixerat se, cum abhorreret à studio litterarum in eo ipso, quod peccabat, scilicet in errore, & carentia cognitionis, fuisse diuinitus punitum, vt notat Valentia.

Deinde cæteri PP. luce clariores sunt: nam patet, eos loqui euidenter de peccato, vt peccatum est.

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. Peccator ex eo, quòd peccat, meretur deseri, & permitti peccare: ergo iustum est, sic in pœnam fieri, vt non solùm subtrahatur gratia, sed etiam permittatur cadere. 55

PROBATVR quartò à D. Bonauent. hîc *in 2.* & *cæteris locis* Breuil. Centil. & Compendij adductis, ratione, qua nititur Scotus *loc. cit.* & Faber *num. 165.* Pœna formaliter est carentia boni conuenientis voluntati, & volenti; at rectitudo debita actui, est bonum maximè conueniens; imò magis conueniens voluntati, & volenti, quàm quodcumque aliud bonum: Ergo carentia rectitudinis, debitæ actui, est pœna, & maxima pœna voluntatis, & volentis. Subsumo; sed carentia debitæ rectitudinis est peccatum pro formali: Ergo peccatum formaliter est pœna.

MIRATVR autem Fauentinus *num. 18.* Vasquez, & alios, qui tàm acriter inuehuntur in nos, ne verbum quidem huic argumento respondere. 56

PRO responsione ad argumenta notat Scotus *loc. cit.* & Faber *num. 181.* ex D. Bonauent. *in fundamentis, & in responsione ad argumenta*, maximè *ad vltimum*, pœnam esse duplicem: alia est sola carentia boni conuenientis naturæ intellectuali, sicut est carentia visionis Dei, & hæc est pura priuatio. Alia est quid positiuum disconueniens naturæ, vt calor excedens, est pœna carni. Et quidem solùm carentiam boni conuenientis esse pœnam, certum est, & patet ex pœna damni in damnatis; sic & cæcitas homini est pœna. Cùm igitur peccator in pœnam priuatur bono illo honesto morali, nempè rectitudine illa voluntatis, quod à Philosopho 1. *Ethic. cap. 8.* dicitur *bonum iucundum*, quod Deus non infligit positiuè, sed permittens sinit cadere in peccatorem, non sistendo in illo malo; sed malum illud ordinando ad bonum, profectò punit peccatorem. Ideò Boetius *lib. 4. de consol. prosa 4.* ait: Pœnam esse ordinatiuam culpæ, quæ cùm mala in se sit, non hac ratione est volita permissiuè à Deo, sed quatenus ordinatur ad iustam pœnam. Culpa ergo, quæ in se mala est, infert hoc bonum, quod nempè statim ei correspondeat iusta pœna. 57

OBIICIVNT primò. Omnis pœna peccati est à Deo infligente illam; sed peccatum non est à Deo: Ergo. Maior probatur à Caietano ex D. Augustino *lib. 83. quæstionum*, vbi ait, Pœnam peccati esse à Deo: A Vasquez verò authoritate Aristotelis 10. *Ethic.* vbi ait, quòd pœna, & vltio in hoc differunt; quod pœna eius, qui patitur, gratiâ fit: vltio verò eius, qui facit, vt expleatur. Si ergo peccatum esset pœna, esset vltio inflicta à Deo, & sic Deus esset causa peccati, quod placeret ei. Confirmatur primò; nam pœna est iusta, & laudabilis; at peccatum non est tale: Ergo. Confirmatur secundò. Nullus iudex vlciscitur transgressionem aliâ transgressione, quia pœna est iusta.

RESPONDET D. Bonau. *ad primum*, & post eum Fauentinus *à num. 183.* ex fundamentis iactis, Peccatum esse à Deo, non positiuè influente, sed deserente, ac permittente eum cadere; & pœna tali modo inflicta, pœna est, sicuti Dei negantis visionem sui dæmonibus, ac cæteris damnatis: 58

Est

Est autem vltio placens Deo, non ratione malitiæ; sed ratione ordinis ad pœnam, quæ iusta est; sic est enim peccatum à Deo volitum permissiuè, non quatenus est præcisè malitia, sed quatenus ordinatur, vt pœna, ad puniendum aliud peccatum. Cùm ergo infertur, pœnam esse iustam, & laudabilem; & hinc sequi idem de peccato; Respondet S. Bonauent. ibi esse sophisma secundùm accidens, quia proceditur à laudabilitate ordinis ad laudem rei ordinabilis; quod non sequitur; frequenter enim euenit, vt laus ordinis sit extranea rei ordinabili, maximè
59 cùm illud, quod est vituperabile, ordinatur conuenienter, & laudabiliter; sicuti ordinantur suspendia, & alia patibula infamiæ ad iustitiam, ac laudabilem sceleratorum pœnam. Igitur non vlciscitur Deus transgressionem alia transgressione; quia transgressio secunda peccatoris non est volita à Deo, vt sic; sed ratione ordinis ad pœnam transgressionis, quæ iusta est.

Obiicies secundò. Omnis pœna est ordinatiua culpæ ex Boëtio *loc. cit.* sed culpa subsequens non ordinat culpam præcedentem; imò magis deordinat, & deturpat: ergo.

60 Respondet S. Bonauentura, quod omnis pœna ordinat eo modo, quo punit; sic quæ simpliciter est pœna, simpliciter est ordinatiua; quæ verò est pœna secundùm quid, nec sufficienter ordinat; est etiam ordinatiuà secundùm quid; talis est culpa, quæ ordinatur ad pœnam peccati à Diuina Sapientia, quæ miro modo disponit. Ex quo enim vult culpam iustè permittere, vult vt culpa in vita secum ferat bonum sibi oppositum, per quod ordinatur, quod est punitio ipsius animæ per ablationem propriæ iustitiæ, quæ est bonum maximè conueniens; adeò vt peccator nequeat offendere Deum, nisi auferendo sibi maximum bonum, quod est iustitia propria; eo ferè modo, quo non posset aliquis alium occidere, nisi occidendo seipsum. Sic respondet etiam Fauentinus *loco citato*.

Obiicies tertiò. Si peccatum subsequens est pœna præcedentis: Ergo præcedens est meritum subsequentis: ergo semper post vnum peccatum debet aliud infligi, & sic peccari in æternum.

61 Respondet S. Bonauentura, hoc esse meritum congrui, quod alia congruitate compensatur, auferendo vitam, & demergendo in infernum, nisi conuertatur, & congruitatem illam nouæ pœnæ diluat, quæ sanè pœnitentiâ eluitur.

Obiicies quartò. Si sequens peccatum est pœna præcedentis: Ergo cùm Deus non puniat bis in idipsum, culpâ sequenti retractatâ, non debet sic puniri.

Respondet S. Bonauentura, quod etiamsi culpa subsequens sit retractata, nisi præcedens etiam retractetur, hanc esse dignam adhuc pœnâ, quia in hoc peccato sequenti non est condignè punita. Adde nullam esse retractationem, nisi sit omnium.

Obiicies quintò. Si Deus non punit de condigno; sequitur, peccatum sequens non esse futurum maius præcedenti, quod meruit subsequens.

62 Respondet S. Bonauent. *ad vltimum*, peccatum sequens, nec esse à Deo inflictum formaliter, nec permittitur, vt de condigno, sed de congruo.

Dices: Si peccatum sequens est maius: Ergo maior pœna, quàm præcedens: Ergo plusquam condignum.

Respondetur ex D. Bonauent. eum qui Diuina spernit auxilia, congruè priuari etiam minoribus, & sic permitti, vt in peiora labatur, ipso peccatore volente, & prauitate suâ eligente, non autem Deo sic infligente simpliciter.

Obiicies sextò. Peccati malitia est accidens, cuius esse, est inesse: ergo causare malitiam, est dare illi esse in subiecto: ergo eo ipso, quod est ab aliquo, ab eodem est etiam, vt recipiatur in subiecto; sed vt sic est à Deo per vos, quatenus recipitur in pœna: Ergo. Confirmatur; quia peccatum est malum morale voluntati, non modò vt exit à voluntate; sed etiam vt in ea recipitur: ergo vt sic est culpa formaliter, & non potest simul esse sub eadem ratione formaliter pœna: Ergo.

Respondet Fauentinus à *num.* 186. ex D. Bonauent. *loc. cit.* peccatum, vt fit à voluntate, & 63
vt voluntarium recipitur in ea, esse malum culpæ ab homine solo; at verò, vt recipitur in voluntate secundùm ordinem Diuinæ iustitiæ, vt ad pœnam, esse pœnam; sicuti (ait Medina) passio Christi, vt à Iudæis fuit peccatum, & maximum malum; at vt recepta in Christo, fuit maximum bonum; aduersarij autem identidem pede fluunt, confundentes rem cum ordine rei, vt monet D. Bonau. *ad primum*.

QVÆSTIO III.

Quæ sit pœna peccati personalis Mortalis.

Culpa facit, dubio procul, reum pœnæ, ex Diuinæ iustitiæ ordinatione; Vnde habetur 64
dictum illud: *Reatus ad pœnam*, quod non modò significat obligationem statuam, sed etiam dignitatem, seu esse dignum pœna, quod prius est ipsa obligatione, & effectus ipsius peccati.

Communiter verò asseritur reatus esse relatio rationis, seu potiùs denominatio extrinseca. 65
Ità Gregorius de Valentia *quæst.* 17. *p.* 1. Salas *tract.* 13. *disp.* 15. *num.* 3. post Scotum, Aureolum, Capreolum, Caietanum, Medinam, Zumellum, Conradum, & alios *quæst.* 87. *D. Thom. art.* 8. & refert Tannerus *disp.* 5. *quæst.* 10. *num.* 45.

Probat hoc Tannerus, quia peccatum, quod est fundamentum reatus ad pœnam, non est aliquid positiuum reale.

Assero primò, multas pœnas in hac vita 66
infligi pro mortali, tum corporales, vt pestem, &c. tum spirituales, vt subtractionem gratiarum. De corporalibus vide D. Bonau. 2. *parte Centil. sect.* 3. & 3. *parte Breuil. cap.* 4. vbi affert illud Genes. *Maledicta terra, &c.* Et citat Orosium *lib.* 1. *hist. pref. ad S. Augustinum*. De spiritualibus etiam vide D. Bonauent. *De Ternariis Peccatorum*, & passim *in Breuiloquio, Centiloquio, Pharetra, Diata, &c.* quem sequuntur

Tannerus *in Amuleto Castrensi*, *cap.7.* Lessius *libro* 13. *de perfectione Diuina*, *cap.*11. 12. 13. & 14.

QVOAD pœnas inferni, quæ destinatæ sunt in alia vita, satis disputaui *in Tract. de Angelis, disp.*8.

67 ASSERO ergo secundò, pœnas inferni æternas, esse statutas peccato mortali personali, contra Origenem.

PROBATVR è Scriptura *Iudith* 16. *vers.*21. *Psal.*48. *vers.*20. *Esaiæ* 66. *vers.*24. *Marci* 9. *vers.*44. *Danielis* 12. *vers.*2. *Matth.*25. *vers.*41. & 46. *secunda Thessal.*1. *vers.*9. *Apocal.*14. *vers.*9. Vide S. Bonauent. *in* 4. *distinctione vltima*, & *in Diaeta salutis*, *titulo* 10. *cap.*1. vbi Scripturas, & PP. ad id probandum affert, quas posteà referunt Moderni.

68 ASSERO tertiò, pœnas inferni, aliam esse sensus, puta ignem; imò frigus, vt habetur *Iob.* 24. & notat D. Bonauent. *loc. cit. in Diæta*; vermem, &c. de quo *in quarto*, *distinctione vltima*: tenebras, &c. *ibi*: Aliam damni; & quidem, cùm pœnæ sensus sint inæquales, vt dicitur Apocal. 18. *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit; tantum date ei luctum, & tormentum.* Dico pœnam damni fore æqualem. Ità Alensis *tertia parte*, *quæstione* 57. *membro* 3. D. Bonauentura *in* 4. *distinctione* 22. *quæstione* 2. Bassolis *quæst.* 2. Durandus *quæstione* 1. Gabriel *quæstione vnica*, *conclusione* 3. Capreolus, *quæst.*2. & 3. Paludanus *quæstione* 1. *articulo* 2. Medina *Codice de Pœnitentia*, *quæstione* 8. Angles *quæstione de Pœnitentia*, *articulo vltimo*, *difficultate secunda*, Azorius *tom.*1. *lib.*4. *cap.*24. *quæsito* 3. Vasquez *quæstione* 87. *articulo* 4. & *disputat.*100. *cap.*5. Salas *disputatione* 15. *numero* 63. quos refert, ac sequitur Tannerus *disput.*4. *quæstione* 10. *numero* 60.

69 CONTRA Scotum *in quarto*, *distinctione* 50. *quæstione vnica*, & *quæstione* 2. *articuli* 2. Richard. *articulo* 5. *quæstione vltima*, Maiorem *quæstione* 2. Abulensem. *Matth.* 25. *quæstione* 639. & 640. Almainum 3. *Moral. cap.*23. & 29. Viguerium *cap.*16. §.4. *vers.*35. Medinam *quæstione* 87. *art.*4. & *quæstione* 73. *articulo* 2. & *tertia parte*, *quæst.*88. *articulo* 1. Zumellum hîc, *quæstione* 87. *artic.*4. *dub.*2. & ferè Suarezium *tom.*4. *tertia parte*, *disp.*13. *sect.*2. *numero* 12. Trigosium *quæst.*17. *art.*4. *dub.*2. *conclus.*4.

70 PROBATVR ex dictis *p.p. tractatu de Angelis*, *disputatione* 8. *quæstione* 9. cum D. Bonauent. Priuatio enim totalis non suscipit magis, & minùs, nisi in quantùm est susceptio magis, & minus in forma, vt notat etiam Fauentinus *in* 4. *distinct.* 14. *disp.*10. *numero* 8. Sed in forma, quæ est visio Dei non est susceptio talis, respectu damnatorum, quia omnes omninò sunt ea priuati: ergo. Hoc argumentum totum in simili, est Fauentini *loco citato*, qui ex hoc arguit contra Thomistas, non consistere maculam peccati in priuatione gratiæ sola, quia sic non minùs esset maculatus peccator vnius furti, quàm centum blasphemiarum; eò quòd ambo sunt priuati omni gratiâ æqualiter; & ideò gratia, quoad eos, non suscipit magis, & minùs, vt dixi *quæst.*1.

71 RESPONDET Suarez, pœnam damni esse priuationem visionis diuinæ, non in quolibet gradu, sed in eo tantùm, qui responderet rectitudini, quæ inesse debebat actui prauo, secundùm communem rationem actus moralis: Vel maiorem esse priuationem gloriæ, quo maius est peccatum.

HÆC tamen sunt futilia, vt notat Tannerus *numero* 66. nam carentia visionis Dei est totalis in omnibus; nec aliquid videt, qui minori etiam delicto lapsus est. Vnde etiam Suarez *numero* 21. & 25. anceps est.

QVARE autem pœna inferni debeat esse æterna, probatur à D. Thoma *prima secunda*, *quæstione* 87. *articulo* 3. & D. Bonauent. *septima parte Breuil. cap.*6. & *tertia parte Centil. sect.*7. Quia quamdiù manet causa, manet effectus; sed manet in damnatis in æternum culpa, quæ est causa pœnæ: Ergo.

INSVRGIT Lessius *lib.* 13. *de perfectionibus Diuinis*, *cap.*25. *num.*165. ex hoc capite non probari, quia damnati non auferunt peccatum, quia non possunt; non videtur autem iustum punire reum, nisi quando potest satisfacere, & non vult.

RESPONDET Tannerus *numero* 49. aliud esse non posse satisfacere parti læsæ; aliud esse, non posse satisfacere Iudici supremo, cuius ius est punire peccatum, qamdiù manet. 72

Meliùs respondetur ex D. Bonauent. *locis adductis*, & *libro septimo Compendij Theologiæ*, *cap.* 21. Ideò puniendum ex hoc capite semper peccatorem, quia se voluntariè reddidit inhabilem ad conuersionem; cùm enim sciret, Deum post mortem punire pœnâ æternâ, & statuere terminum satisfactionis ad mortem, & mortem esse veluti furem, quâ horâ non putamus venientem, & stimulum mortis esse peccatum, ipse se voluntariè præcipitauit in illam impossibilitatem, nolens toto tempore sibi concesso pœnitere: Et ideò Sancti dicunt, præcipuè Gregorius, peccatorem velle semper peccare in perpetuum. Sic etiam D. Bonauentura *ad* 6. *Lucæ*.

TERTIA ratio D. Bonauent. *in Compendio*, *loc. cit.* quia peccatum est contra bonum infinitum, ideò pœnam infinitam meretur; & cùm non possit intensiuam sustinere; habeat saltem extensiuam. 73

Quòd verò ex hoc capite offensæ Dei infinitæ rectè deducatur infinitas pœnæ, satis ostensum est, *disp.*1. *quæst.*4.

Eadem ratione vtitur *ad* 6. *Lucæ*, & sumit eam è D. Augustino *epistola* 49. vbi ait: *Non actus temporalis facit, vt peccatum mortale æternaliter puniatur, sed circumstantia illius, in quem peccatur: qui, cùm sit æternus, implentibus mandata, bona æterna promittit: peccantibus verò pœnam comminatur æternam. Et ideò idem dicit: Dignus est malo, qui in se perimit bonum, quod posset esse æternum.*

QVARTA ratio D. Bonauent. est, quia homo per peccatum perimit in se bonum, quod deberet esse æternum; vendit enim gratiam Dei, qua in æternum gloria emereatur. Hanc sententiam è D. Augustino trahit. 74

VIDE alias rationes *ibi*, in Diuo Bonauentura, qui maximè, ex infinito obiecto læso, arguit infinitatem reatus ad pœnas, præcipuè *in* 4. *distinctione* 46. *quæstione* 2. & *vltima*.

Hoc

Hoc sanè cum Diuo Bonauentura asserunt multi, relati *disputatione* 1. *quæstione* 4. Licèt negent alij, præcipuè Diuus Thomas *quæstione* 87. *articulo* 4. vbi Caietanus, Conradus, Medina, Zumellus & Vasquez; Valentia etiam *quæstione* 17. *p.* 4. Salas *disputatione* 15. *numero* 48. Tannetus *disputatione* 4. *quæst.* 10. *numero* 53.

Obiicit Tannerus. Sequeretur, æqualem omnibus mortalibus pœnam deberi.

75 Respondetur, quoad rationem offensæ Diuinæ esse infinitæ malitiæ, atque adeò æqualis; at verò, vt à nobiliori rectitudine deflectunt, esse extensiuè amplioris malitiæ, & extensiuè maiores pœnas emereri.

Quæres: An damnati vellent potiùs non esse, quàm in inferno iacere.

76 S. Bonaventura *in* 4. *distinctione* 50. *quæstione* 2. de hoc agens, asserit, etiam computatâ grauitate pœnarum sic velle, iuxta illud Matth. 26. *Bonum erat ei, si natus non fuisset*, & sequitur Tannerus *numero* 52. & alij.

Hic agendum esset de pœna peccatorum venialium in Purgatorio: Sed de Purgatorio simul agendum *tertia parte*. Per accidens verò puniri pœnâ æternâ, si homo decedat cum venialibus simul, & mortalibus, ait Diuus Bonauentura *in* 4. *distinctione* 21. *quæstione* 1. & *in* 2. *distinctione* 42. *articulo* 2. *quæstione* 2. Richardus *ibidem*, & *in* 4. *distinctione* 16. *quæstione* 2. & *distinctione* 21. *articulo* 2. *quæstione* 3. Adrianus *in* 4. *de satisfactione*, Capreolus *in* 4. *distinctione* 16. *quæstione* 2. & *distinctione* 2. *quæstione* 1. Sotus *in* 4. *distinctione* 19 *quæstione* 10. *articulo* 4.

77 Syluester *verb. Satisfactio*, §. 7. Valentia *hic quæstione* 17. *p.* 4. Suarez 3. *parte, tom.* 4. *disputatione* 11. *sectione* 2. *numero* 11. Vasquez *disputatione* 141. *capite* 2. Azorius *lib.* 4. *cap.* 10. *quæsito* 5. Salas *hic, tractatu* 13. *disputatione* 15. *sectione* 11. *numero* 73. Tannerus *disputatione* 4. *quæstione* 10. *numero* 75. Contra Scotum *in* 4. *distinctione* 21. *quæstione* 1. & *distinctione* 15. *quæstione* 1. Gabrielem *distinctione* 15. *articulo* 1. & 3. & *distinctione* 18. *articulo* 3. *dub.* 2. Maiorem *distinctione* 21. *quæstione prima*, aliosque Nominales, etiam Scotistas.

Fundamentum D. Thomæ, & D. Bonauenturæ est, quia culpa venialis irremissibilis est ei, qui non habet gratiam: Ergo & pœna eiusdem; sed de hoc egi etiam suprà *disputatione* 2. *quæstione* 7.

QVÆSTIO IV.

Quæ Pœna sit decedentium cum solo Originali.

D. Bonau. in 2. dist. 33. art. 3. quæst. 1.

78 Certum est, paruulos, decedentes cum solo originali, non visuros Deum in æternum *Ioan.* 3. Est de fide definitum in Concilio Carthag. apud Augustinum *epistola* 90. in Mileuitano, *canon.* 2. apud Augustinum *epistola* 92. Florentino *in decreto vnionis, sess. vltima*. Tridentino *sess.* 5. *decreto de peccato Originali*. Ratio est, quia hæreditas gloriæ supponit gratiam, qua Filij Dei instituimur. Ità S. Bonauent. *in corpore*, quam affert Tannetus *disputatione* 4. *quæstione* 10. *numero* 89.

Certum etiam videtur, eos non fruituros, illa Catherini beatitudine naturali, quam infra referam. Ità Sotus *in* 4. *distinctione* 48. *quæstione* 1. *articulo* 4. & *lib.* 1. *de gratia*, *cap.* 14. Petrus Sotus *lib.* 6. *de Baptismo*, Azorius *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 33. *quæsito* 4. & 5. Valentia *hic*, *quæstione* 17. *p.* 4. Non tamen est de fide, vt putat Bellarminus citandus; eam enim tantùm minùs probabilem asserunt aliqui Theologi. Nec admodum repugnat Salas *tractatu* 13. *disputatione* 11. *sectione* 6. Imò oppositam tenent Catherinus 5. *ad Rom.* Fuliens. *loco citato*, Pighius *controuersia* 1. Salmeron *in cap.* 5. *ad Rom.* Sauonarola apud Bellarminum *lib.* 6. *de peccatis*, *cap.* 1. Paludanus, Lira, & alij Theologi apud Fuliensem, & apud Trigosium *quæstione* 17. *articulo* 4. *disputatione* 8. qui non tenuunt.

Probatvr verò à D. Bonauent. prima sententia *in corpore*. Quia cùm infantes illi fædati sint macula originaria, locum merentur sordidum in visceribus terræ, vt indicabo etiam infra ad finem quæstionis. Hac ratione Concilium Florentinum ait, eos in infernum descendere. Et D. Augustinus *lib.* 2. *de origine animæ*, *cap.* 12. & *lib. de hæresibus, hæresi* 88. acriter inuehitur in dicentes, locum aliquem deliciarum, beatitudini naturali congruum, eis concedi. 79

Idem communiter alij Scholastici asserunt; Alens. 2. *parte*, *quæst.* 105. *memb.* 10. §. 1. Albertus *in summa*, *p.* 2. *tract.* 18. *quæst.* 113. D. Thom. *in* 2. *dist.* 33. *quæst.* 2. *art.* 1. & communiter Recentiores, quos refert, & sequitur Tannerus *loco citato*, *numero* 95. & habetur *cap. Nullæ præter, de consecr. distinctione* 4. & aliis locis infrà citandis.

Fvit verò aliqua difficultas: An passuri sint pœnam sensus: Et quidem D. Augustinus *lib.* 5. *contra Iulianum*, dubius fuit: Et *in Enchir. cap.* 93. & *lib.* 1. *de peccatorum meritis*, *cap.* 16. videtur assentiri; & sanè S. Augustinum, ardore contra hæreticos, aliquantò excessisse, aiunt Vasquez *disput.* 134. Canisius *lib.* 3. *de Ioanne Baptista*, *articulo* 1. *cap.* 2. Salmeron *Rom.* 5. *disput.* 48. post D. Bonauenturam, Sotum, & Viguerium. 80

Assero tamen, non puniendos pœnâ ignis. Ità communiter Scholastici cum D. Bonauent *hic*, quos refert Tannerus *numero* 100. Sic & Fuliens. *lib.* 2. *cap.* 8. 81

Probatvr à D. Bonauent. *in corpore*, ex communi Magistrorum sensu. Ità tenent Sancti PP. Gregorius Nazianzenus, *Oratione in Lauacrum*. Niceta *ibidem*. Ambrosius *lib.* 2. *de Abraham*, *capite vltimo*. Augustinus *lib.* 3. *de libero arbitrio*, *cap.* 23. & *lib.* 5. *in Iulianum*, *cap.* 8. & *epistola* 28. *ad Hieronymum*, vbi ait: *Cùm ad pœnas ventum est paruulorum, magnis mihi, crede, coarctor angustiis, nec quid respondeam prorsus inuenio. Doce igitur quid sentire, quid dicere debeamus, &c.* D. Gregorius Nyssenus *oratione de infantibus*.

E Scholastis verò, ante D. Bonauenturam, Magister *in* 2. *dist.* 35. Albertus 2. *parte summæ*, *tract.* 18. *quæst.* 113. Alensis 2. *parte*, *quæst.* 105. vel 122. *memb.* 10. & cum Seraphico D. Thomas *in* 2. *distinct.* 33. *quæst.* 2. *art.* 1. & posteà communiter ferè 82

ferè omnes, ità vt Zumellus *quæstione* 83. *articulo* 8. dicat, esse sententiam Catholicam omnium Theologorum, vnusque Gregorius 2. *distinct.* 33. *quæst.* 3. excipitur, qui contrariæ subscribens, Tortor puerorum solet appellari.

Et Fauet Innocentius III. *cap. Maiores, de Baptismo*; vbi his solam visionis Diuinæ priuationem assignat; actualibus verò peccatis etiam pœnas sensus.

83 PROBATVR à D. Bonauent. etiam è Scriptura, quæ pœnam sensus, delectationi, atque adeò conuersioni ad creaturas assignat. Apocal. 18. vers. 7. *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit; tantum date ei tormentum, & luctum*; At paruulos per conuersionem ad delectabilia non peccasse, liquet. Eodem argumento nititur Taunerus *n.* 101.

84 PROBATVR adhuc à Seraphico Doctore, è Diuo Augustino *cap.* 93. *Enchirid.* vbi dicit, Mitissimam esse eorum pœnam, qui præter peccatum originis, nullum aliud contraxerunt; sed si pœnâ ignis, & damni, torquerentur; pœna illorum non esset Mitissima: Ergo.

DEINDE non potest plus exigi in pœna, quàm commissum fit in culpa; sed paruuli cum peccato originis decedentes, nihil proprio actu, aut per sensus commiserunt: Ergo.

OBIICIES cum Azorio *lib.* 4. *p.* 3. *cap.* 33. *quæsito* 1. ex D. Bonauent. *hic, argum.* 3. *ad opposit.* Paruuli hic cum solo originali patiuntur multas sensus pœnas, nec quidem iniustè, cùm omnis pœna iusta sit: si ergo iustè; ergo pœnam sensus meretur peccatum originis.

RESPONDET Seraphicus *ad* 3. pœnas huius vitæ esse quidem temporarias, nec tantùm iustè, punitiuas, sed etiam ad bonum promotiuas; vnde non solùm inimicis, verùm & amicis irrogantur, quia huic seueritati iustitiæ, semper annexa est benignitas misericordiæ, quæ duo sibi in omni Dei opere obuiant; quod non fieret, si æterni ignis suppliciis pueri cruciarentur. Idem ferè respondet Azorius suprà, D. Thomæ id adscribens.

INSTABIS potuissent paruuli, dum hic viuerent, perpetuo igne cruciari, Deo ita ordinante; Ergo & apud inferos.

RESPONDETVR, cruciatum illum, non futurum in pœnam; cum hæc necessariò culpam sui ordinis supponat, esset tamen naturæ incômodum, prout Dei voluntas alium in finem decerneret.

OBIICIES secundò cum Azorio, *loco* suprà *citato*, è Diuo Bonauentura *argum.* 5. Paruulorum corpora post vltimum diem carebunt dote impassibilitatis; Ergo erunt passibilia; sed omne passibile, dum approximatur agenti actiuo, patitur: Ergo.

RESPONDET Diuus Bonauentura *ad* 5. corpora paruulorum caritura quidem omni dote, ac proinde fore passibilia, non tamen passurâ, non ex virtute aliqua resistentiæ, sed ex ordine diuinæ iustitiæ, ad cuius normam, & iussum ignis infernalis agit, cùm sit eius instrumentum; Vnde sicut maiorem peccatorem magis, & minorem minùs cruciat; ita qui nullum peccatum propria voluntate admisit, nullo modo torquebit: Idem ferè habet Azorius *loco citato*, ad mentem, vt ait, D. Thomæ. Addit D. Bonauentura, simili ratione paruulos non passuros ab intrinseco famem, aut sitim: Nam sicut damnatorum corpora, etsi ab intrinseco defectibilia, & passibilia, ab igne non consumuntur, sed perpetuantur, diuinâ eos virtute sustentante; ita & paruulorum corpora absque sensu sitis, aut indigentiâ cibi conseruabuntur; non tamen eo gustu, aut satiritate, qua potientur corpora gloriosa.

OBIICIT sibi Sanctus Doctor, quædam loca D. Augustini, vt *de fide ad petrum, cap.* 3. & *cap.* 27. vbi paruulos, sine Baptismatis Sacramento morientes, interminabili Gehennæ supplicio puniendos docet, omnesque vel à dextris, vel à sinistris Christi in extremo iudicio astituros, ait, & à sinistris quidem stantes cum Diabolo, æterno torquendos igne; à dextris verò, cœlum mox adituros; nullumque dari indicat locum medium pro infantibus non baptizatis.

RESPONDET ad hæc S. Bonauentura *ad primum*, & cum eo Azorius suprà citatus, aliique communiter, ex his locis D. Augustini nihil apertè colligi contra hanc sententiam, solùmque indicari, paruulos verè peccatores esse, atque adeò pœna dignos: Cùm enim Pelagius paruulos à peccato vellet vindicare, solumque Baptismi necessitatem ad cœlos aperiendos, non ad gratiæ infusionem, aut peccati remissionem argueret; fortiter contra ipsum institit D. August. plus dicens, & minus volens intelligi; Via etenim Sanctorum Patrum ad extirpandas hæreses efficax erat, non tantùm pertingere medium, sed vltrà ad alterum extremum aliquantulum declinare, vt pluties dixi; quare cum D. Augustinus vellet hæresim illam extirpare, quæ infantes à peccato faciebat immunes, & consequenter ab omni pœna, non solùm eos peccatores asseruit, & carentiam visionis eis deberi; sed æternaliter cum Dæmonibus puniendos, edocuit; non tamen sensibiliter, cùm *in Enchiridio*, iam lite sopita, se explicans, pœnam ipsorum dicat esse mitissimam.

LOCA autem plurima Scripturarum *Matthæi* 3. 12. & 25. *Lucæ* 3. *Apocal.* 20. & 21. quibus indicatur, omnes futuros hœdos, aut oues, à dextris, vel à sinistris; congregandos, vel vt triticum in horreum, vel, vt paleas, comburendos igne extinguibili, &c. exponuntur de adultis, vt ex ipsis textibus facilè patet, & ex illo Pauli II. Corinth. 5. *Vnusquisque referet propria corporis, prout gessit siue bonum, siue malum*, paruulos autem non baptizatos, nihil proprio in corpore egisse constat.

ALIAM mouet Seraphicus quæstionem: An paruuli cum peccato originali decedentes, habeant dolorem aliquem internum, cruciatum scilicet spiritualem, aut tristitiam ob bonum, quod amiserunt; At refert tres super hac opiniones.

PRIMA est dicentium, paruulos istos cognitione proprij damni, simul & dolore carituros; cognitione quidem, ita exigente Dei Iustitia, quæ non vult, vt plus sciant in altera vita, quàm sciuerint in præsenti: Dolore autem carebunt, exigente misericordia, vt qui nil actualis culpæ commiserint, nil actualis doloris sentiant.

Hanc tamen sententiam improbat *in corpore*: cùm nimis arduum sit dicere, animam separatam, nulloque modo à corpore impeditam, non scire

ſcire ſaltem ea, quæ naturaliter ei ſunt inſita.

90 SECVNDA ſententia eſt contraria priori, paruulos enim ponit habere cognitionem, ſimul & triſtitiam; ſcientes namque propter quid facti ſunt, ſeque ſuo fine priuari merito culpæ originalis, dicit, eos triſtitia angi; non tamen vllum habere conſcientiæ vermem, aut remorſum, cùm ſciant, non ob propriam culpam ſe pati, quare, ait, mitior erit ipſorum, quàm adultorum dolor ita videtur ſentire Abulenſis *in Matthæum, cap. 25. quæſt. 671.* apud Azor. ſuprà, *quæſito 2.*

91 HANC etiam ſententiam reprobat Seraphicus, vbi ſuprà, ob plura, quæ inde ſequuntur, incommoda; ſequitur enim, dolorem talem, cùm ſit abſque ſpe, in deſperationem, & murmura deiicere, & etiam in carnem redundare; & ſi quidem ex deliberatione procedat, actualem animæ obliquationem etiam arguet, quæ non ſunt admittenda.

TERTIA igitur & Seraphici ſententia eſt, quam *ibi* explicat, & quam tota Theologorum noua, & vetus Schola ſequitur, paruulos nulla quidem triſtitia actuali afficiendos, non tamen omni cognitione carituros. Ita inter veteres Altiſiodorenſis, Alexander, D. Thomas, Richardus, Scotus, Durandus, Gabriel, Marſilius, Argentina, Baſſolis, & Maior apud Azor. *quæſito primo, & 2.*

92 ASSERO cum hac ſententia, paruulos, non baptizatos, carituros omni triſtitia actuali.

EXPLICATVR, & probatur primò à Seraphico *in corpore*, cùm enim decedentes in ſolo peccato originis locum medium teneant, inter habentes actuale meritum, ſeu gratiam, & habentes actualem culpam, debent poni etiam in eo ſtatu, qui ſit medius inter ſtatum retributionis, & punitionis, vt pote in quo maxime Dei Sapientia, iuſtitia, & miſericordia eluceant, qui facit, extrema in aliquo medio, aut concordare, aut vniri: ſed ſtatus retributionis caret omni pœnâ ſenſibili gaudétque Dei præſentia, & viſione; & ſtatus punitionis ob actualem culpam, verſatur in tenebris, & pœna punitur ſenſibili: Ergo ſtatus paruulorum debet eſſe medius communicans in vtroque extremo, & cum non fruatur cum beatis Dei præſentiâ, aut viſione, debet ſaltem habere cum his carentiam ſenſibilis doloris, & cum damnatis carentiam Dei viſionis, & lucis. Quare paruuli in hoc ſtatu medio conſtituti, ità perpetuantur, vt nec triſtitia eos deiiciat, nec lætitia reficiat, ſed vniformi quadam
93 naturalis virtutis conſolidatione eorum cognitio, & affectio, diuinæ æquitatis lance penſitante, nec in ſuperfluum excedat, nec in diminutum cadat; ſed ſicut in beatis potiſſimum commendatur Dei miſericordia; & in damnatis Diuina Iuſtitia, ita in paruulis vtraque ſimul mirabili quodam concentu conueniat.

PROBATVR ſecundò à S. Doctore *in fundamentis*, Triſtitia ſpiritalis in anima reſpondet dolori ſenſibili in corpore, eo quòd igne materiali crematur; ſed paruuli non habebunt hunc dolorem ſenſibilem in carne: Ergo.

94 PROBATVR tertiò *ibidem*. Paruuli dolore interno affecti, vel dolerent de culpa, vel de damno; Non de culpa, aliàs, pœniterent, & ſic tandem eſſent iuſti: non de damno, cùm enim hoc iuſtum ſit; dolor, de eo habitus, iniuſtitiam, & actualem culpam inferret: Ergo.

PROBATVR quartò. Talis dolor eſſet cum 95
cognitione nunquam aſſequendi bonum deperditum, vel cum ſpe ipſum aliquando obtinendi; poſterius non poteſt eſſe, cùm ibi non ſit ſpes; nec etiam prius; cùm talis cognitio inueheat deſperationem, quæ inter pœnas infernales eſt acerbiſſima: Ergo.

OBIICIT ſibi S. Doctor; Naturaliter paruuli illi deſiderant beatitudinem; hoc enim deſiderium à naturâ omnibus hominibus inſitum eſt; Ergo cùm videant eam obtentu impoſſibilem, triſtantur.

RESPONDET Seraphicus, deſiderium naturæ, 96
non impletum, ſecum trahere triſtitiam, quando ſecundùm deſiderantis æſtimationem nulla alia re recompenſatur: paruuli verò, ſuâ ſorte contenti, recompenſantur ablatione omnis actualis triſtitiæ; ſicut qui deſideraret eſſe in paradiſo, conſolatur etiam de modico ſuo ſtatu in vita præſenti.

OBIICIT ſecundò: Patres antiqui deſcenderunt in Lymbum, viſione beatificâ priuati, etſi prius omnis culpæ remiſſionem obtinuerint: Ergo cùm maior pœna paruulis, cum culpa originis decedentibus, debeatur; videntur, pœnâ ſenſibili, ſaltem animæ, puniri.

RESPONDET S. Doctor *ad 4.* Sanctos Patres 97
magnas habuiſſe conſolationes ex ſpe, & certitudine futuræ gloriæ, ex gratiæ quoque poſſeſſione, per quam aliqualiter Deum cognoſcebant: Hæc autem paruulis deſunt. Aliæ obiectiones de facili ſoluuntur in explicatione *corporis*.

Alias de paruulis mouent communiter Theologi quæſtiones: & primò quidem: an aſtituri ſint Iudicio generali.

DVRANDVS id negauit *2. diſt. 33. q. 3.* eâ ratione, 98
quòd: *qui non credit, iam iudicatus eſt.* Ioan. 3. ſed ſi quid ratio illa valeret, idem pro cæteris infidelibus concluderet: quare meritò à cæteris Theologis reiicitur, qui eos extremo iudicio aſſuturos aſſerunt è Matth. 25. *Congregabuntur ante eum omnes gentes.* Apocal. 5. *Veniet, & videbit eum omnis oculus.* Ad rationem Durandi reſpondet S. Bonauent. *Comp. Theologicæ verit. lib. 7. cap. 19.* etiam qui non credunt, iudicandos, non iudicio diſceptationis, cùm, carentes fide, nulla habeant merita diſcutienda, ſed iudicio retributionis, quâ vnicuique redditur, prolatione ſententiæ, iuxta opera ſua. Idem habet Azor. *quæſito 3.* ſuprà.

QVÆRVNT ſecundò: An poſt diem iudicij, 99
ſint fortè habitaturi in hac terra. Ambroſius Catherinus multus eſt in probando, eos hîc habitaturos, habituroſque frequentes Angelorum viſitationes, ſicut & facturos in rerum naturalium ſcientiâ profectum magnum; ita ſentit *in opuſculo de ſtatu puerorum abſque baptiſmo, &c.* Alij relatu Baſſolis *2. diſtinctione 33. quæſtione 1. articulo 3.* ſentiunt, eos in locis quibuſdam amœnis, cum delectabili quadam ſocietate futuros, ſuâque conſolatione inanem peccatorum lætitiam hac in vita, ſuperaturos.

VERVM S. Doctor *quæſt. 1. in corpore*, recla- 100
mat dicens, locum aliquem vilem, vt ſuprà etiam dixi & ſubterraneum, quem vocat infernalem, eis aſſignandum, & hoc, ob habitualem fœditatem, quam contraxerunt in carne; vt ſuprà notaui.

notaui. Ità omnes ferè Scholastici apud Azorium *quæsito* 4. Ità etiam Patres, D. August. *lib.*1. *de peccator. merit.*& *remiss.cap.*2.& refertur *dist.*4. *de consecratione*, cap. *Dominus*, & cap. *ad limina Apostolorum* dicitur, eos æterna morte damnandos; Item idem Augustinus *lib.* 2. *contra Pelagium, & Cælestium, c.*18. & 20.& *epist.* 106. aliisque locis plurimis. Ità D. Prosper docet, *de vocatione Gent.lib.*1.*cap.*8.& Beda *in Ioan.*14. Quamobrem Sotus, citatus suprà 4. *dist.* 48. *quæst.* 2. *art.*4. videtur contrariam sententiam, temerariam proclamare.

102 QVÆRVNT vltimò: Vtrum saltem aliqualem naturalem beatitudinem sint habituri: Plurium dicta refert Azor. *quæsito* 5. id variis modis asserentium; sed tandem concludit ea negatiuè exponenda, quòd scilicet omni sensus pœnâ paruuli sint cariturì, non quod in terris iucundiorem vitam, & de rebus naturalibus, more philosophorum, magnam mentis consolationem sint habituri: idque videtur magis consonum patribus citatis, idem indicat S. Doctor *quæst.*2. *in corpore*, ad finem, vbi quærit, quid sint acturi paruuli, vtrum addiscant, aut inuicem colloquantur, aut quid simile exerceant.

ET respondet, eos vniformiter, & immutabiliter absque lætitia, aut tristitia, absque profectu, aut defectu, perpetuò mansuros. 103

HINC eos futuros corpore impassibiles, anima impeccabiles, extincto peccati fomite, ac rationis vsu prædítos tradunt Suarez *tom.*2. *disp.*50. *sect.* 5. Salas citatus *disp.* 11. *sect.*6. Bellarminus, Azorius, Angles, & alij apud Tannerum *loc. initio citato, n.*104. Atque hic finis esto huius tractatus. 104

Omnia Ecclesiæ Catholicæ Iudicio subiecta sunto, D. Opt. Max. perennis sit honor, & gloria, ac Diuæ Virgini, Seraphicoque Bonauenturæ gratiarum Actio.

INDEX

INDEX
RERVM, ET VERBORVM
magis Notabilium, quæ in hoc Tomo quarto de Actibus humanis continentur.

Prior Numerus Paginam, posterior Numerum denotat Marginalem.

A

B

Baptifmus.

Vtrum

Index Rerum,

Confessio

D

Delectatio, ſiue Gaudium.

Ebrietas.

E

Ebrietas.

Electio.

Eleemosyna.

Epycheia.

Euentus.

Excommunicatus.

F

Fides.

Filius illegitimus.

Finis.

Fornicatio.

Fruitio.

G

Gratia.

Ignorantia

Non

Vectigal.

Deus

401

R. P.

GAUDENTIJ

BONTEMPI

ORDINIS CAPVCINORVM,

THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ

Tomi Quarti, Pars Secunda, in qua de Legibus, & Gratia.

INDEX
DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM, &c.
QVÆ IN TRACTATV IV.
DE LEGIBVS.

.DISPVTATIO RRIMA.

De Legibus in genere.

DISPVTATIO II.

De Lege æterna.

DISPVTATIO III.

De Lege Naturali.

DISPVTATIO IV.

De Iure Gentium.

DISPVTATIO V.

De Lege positiua scripta.

DISPVTATIO VI.

De Lege Humana Ciuili.

XI. An

DISPVTATIO VII.

De Lege Canonica.

DISPVTATIO VIII.

De Consuetudine.

DISPVTATIO IX.

De Priuilegiis.

DISPVTATIO X.

De Lege positiua veteri.

DISPVTATIO XI.

De Lege Noua.

INDEX
DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM, ET DVBITATIONVM.
Quæ in Tractatu V. De Gratia continentur.

DISPVTATIO PRIMA.

De auxiliis Diuinæ Gratiæ.

Dvbit.

Index Disputationum, &c.

DISPVTATIO II.

De Gratia Habituali.

DISPVTATIO III.

De justificatione.

DISPVTATIO IV.

De Merito.

Finis Indicis Tomi IV. Primæ Secundæ.

TRACTATVS

TRACTATVS QVARTVS
PRIMÆ SECVNDÆ
THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ
DE LEGIBVS
AD MENTEM
D. BONAVENTVRÆ.

THEOLOGI de Legibus assolent disputare; quoniam sunt Normæ quædam actionum humanarum, quibus ad beatitudinem peruenitur. Igitur absoluto Tractatu de Actibus Humanis, agemus de Regula eorum. De qua D. Thomas *à quæst. 90. vsque ad* 108. In D. autem Bonauentura perpauca inuenio: Ideò citiùs me expediam.

DISPVTATIO I.
DE LEGIBVS IN GENERE.

QVÆSTIO I.
Quid significet, & sit LEX, *atque* IVS.

1 QVOAD legis Etymonem: Deriuatur quidem Lex à ligando, vt docet D Thomas hîc, & D. Bonau. ad id Psalm 118. *Legem pone mihi Domine*; & ad id: *in corde meo abscondi legem*, &c. quia ligat, siue obligat. Ita explicatur ab aliis etiam apud Suarez, *lib. primo, de legibus, cap. 1. n. 9.* idem habet S. Bonau. *in 2. dist. 39. art. 1. quæst. 3. argumento secundo.*

VEL dicitur lex à legendo; eò quòd legentis mentem excitat, siue extrà legatur, siue intus; *verbi gratia*, lex naturalis. Ita Seraphicus Doctor, ad id Psal. 118. *Concupiui salutare tuum Domine.*

VEL dicitur à seligendo, vt docet Cicero, *primo de legib.* eò quòd seligit ea, quæ sunt agenda ad bonum publicum. Græcum habet NEMOS à verbo NEMIN, quod significat *tribuere.* Quare Conanus, *lib. Commemarij Iuris, cap.* 8. Ius, quod lex dicitur, vocat POSITVM; eò quòd non naturâ, sed hominum delectu positum sit, quod Theologi vocant IVS POSITIVVM.

HINC habes, nomine *legis* & *Iuris*, idem prorsus significari. Legem eam quoque appellamus. quæ naturalis est. quæ etiam dicitur Ius naturale: & Ius dicimus etiam Ciuile, & Scriptum; tametsi vt notat Cicero, *lib. 1. de legib.* lex populariter dicatur, quæ scripto sancitur, aut iubendo, aut vetando.

HINC potes colligere, legem, tametsi accipiatur pro quauis regula humanorum actuum, quo sensu etiam regulæ artium dicuntur leges, vt decreta Tyrannorum; vt habes Isaiæ 10. *Væ, qui condunt leges iniquas*; & Aristoteles 4. Eth. cap. 1. ait: *Mala lex est, quæ tumultuariè posita est*: Attamen hinc infertur, legem propriè significare rectam aliquam regulam

præscribentem Communitati alicui perfectæ modum necessarium ad bonum eiusdem Communitatis.(Communitas autem perfecta ea est, quæ saltem tam latè pateat, vt communitas ciuilis, vt ait Aristoteles initio *primo Polit.*) Ideò & D. August. *lib.1. de libero arbitr. cap.5.* ait, Non videri legem, quæ iusta non sit. Idem ferè habet 19. *de ciuit. cap.21.* & D. Bonauentura in Lucam, initio.

Addit Valentia *prima secunda, disput. 7. quæst.1. punct.1.* significare id, quod est præscripto legis faciendum. Ità dicitur Ioan. 7. *Nemo ex vobis facit legem:* at non video cur nequeat accipi illud *facere*, pro obseruare legem, vt habet D. Bonau. ad eum locum. Lex igitur, modo legitimo accepta ab idiomate sancto, rectè habet nomen *legis*: dicitur enim à תורה à verbo ירה, quod significat docere, & ordinare, quia suo modo lex docet, quid fieri opus sit. Et in Græco habetur: νόμος, vt aduertit Seraphicus Doctor *in 4. dist.27. quæst.2.* & Valentia suprà.

Ius etiam multimodè sumitur. Vlpianus à Iustitia denominatum putat, quo sensu est recta regula operationum, vt habet D.Bonau. *in Diata, tit.5. cap.8.*

Rodolphus Agricola, *lib. de inuentione Dialectica*, quem alij Latinæ linguæ periti sequuntur. Ius à *iussu* nominat. Quare antiqui solebant Iura vocare *iussa*, vt inquit Pomponius Festus, quem refert Conanus *in Comment. iur. ciuilis, lib.1. cap.2.* Hoc autem sensu, non tàm explicat obiectum iustitiæ, quod est id, quod iustum est; quam significet legem, quæ est Iussum quoddam. Alia vide in Vasquez *prima secunda, disput.150. cap.1.* Hæc enim parùm referunt, vt ait Valentia.

Ad enodandam Legis essentiam disputatur: An Lex sit actus intellectus: An Voluntatis.

Prima opinio est, legem esse actum intellectus practici præcipientis. Ita videtur D.Thom. & quotquot *tract.2. disp.13. quæst.1.* dixêre, Imperium esse actum intellectus. Eos refert, & sequitur Tanner. *disp.5. quæst.1. dub.2. num.6.*

Secunda opinio est, esse actum Voluntatis. Ità Suarez *lib. 1. cap. 5.* vbi allegat S.Bonauenturam 3. *dist.17. quæst.1. ad penult.* Idem videtur sentire *tract.2. allegato*, vbi Imperium statuit actum Voluntatis: ità etiam Alphons. de Castro *lib. 1. de lege pœn. cap.1.* Fuit opinio Scoti 3. *dist.36.* quem sequuntur discipuli apud Mastrium *tract.2. disp.7. num.168.* Arriaga, Salas, & alij.

Tertia opinio est, esse actum vtriusque. Ità Gregor. de Valentia, qui dicit, esse actum Intellectus; sed habere iunctum actum Voluntatis, quatenus Rex præcipit, quod fieri vult. Sed tandem concludit, esse actum vtriusque; ità *disp.7. quæst.1. p. 2. col. 658.* Idem sentit Arimin. *in 1. dist. vlt. quæst. 1.* id verò colligit cum Caspensi ex D.August. *lib.22.contra Faustum, cap.27.* vbi definiens peccatum, ait: *Esse dictum, vel factum contra legem Dei*, quam dicit esse aut rationem, aut voluntatem Diuinam. Hoc tamen ex disiunctiua S. August. non rectè colligitur. Hanc sententiam tuetur Becanus *quæst.1.* Castro Palao *tract.3. disp.1.p.1.* Caspensis *tract.13. sect.1.num.16.*

Interuenit igitur actus intellectus dispositiuè indicans rectum, sed formaliter Voluntas imperat; quod imperium vocant Scholastici Insinuationem, vel Intimationem imperialem; in qua ratio formalis Imperij ponitur, vt docet Vasquez *loc. cit. num.20.* Lex sanè Naturalis est ante omne iudicium nostrum, non tamen ante omne iudicium Dei. Sequitur ex dictis *Tract.3. disp.1. quæst.5.* vbi ostendi, omnia esse mala, quæ aliqua lege prohibentur.

Assero igitur, Legem esse actum Voluntatis. Probatur à Seraphico Doctore *locis citatis*, præcipuè *ad Psal.118.* vbi leges dicuntur *voluntates Dei*, & in lege Ciuili: *placita Principum, l. 1. ff. de constitut. Principium.*

Consentit Azor. *Tom.1.lib.5.cap.2. quæst.1.* referens D.Bonauenturam, Scot. Durand. Gabr. Maiorem, Ioan. Medin. & videtur etiam Aristotelis *de Arte Rhetor.* ad Alexandrum *cap.1. & 2.* vbi legem appellat *Consensum Ciuitatis.*

Ex hoc habetur grauiter obseruandum quoddam effatum Doctoris Seraph. *in 4. de Instit. Sacramentorum, &c. dist.17. p.2. quæst.3.* & *dist.23. quæst.2. de Sacramentis Confirm.* & *Vnctionis extremæ*, vbi ait, ea non fuisse instituta, sed tantùm insinuata à Christo. Vult autem, non fuisse ad praxim deducta omnia, sed tantùm latam legem per insinuationem imperialem. Hunc autem germanum fuisse Seraphici sensum, ostendemus *tertia parte* in propriis disputationibus. Hinc facile erit legis definitionem afferre. Multæ autem definitiones traduntur à Valentia *loco citato* ex Authoribus.

Definitur à D. Thom. quæst.90. art.4. *Lex est quædam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo, qui curam habet, promulgata.* Addit Valentia particulam, *ordinatio*, intelligi de ordinatione necessaria, seu cogente; alioqui potest esse consilium communitatis; & particulam *Promulgata* non intelligi de propria publicatione; alioqui excluderetur Lex æterna, quæ à Deo eatenus solùm indicitur, quatenus indidit talem rebus naturam, ex qua talis oritur operatio: At promulgatio est necessaria iis solùm, qui ratione vtuntur, qui ex intentione obediunt legi, vt habetur *C. de legib. l. Leges sacratissimæ.*

Valentia sic definit legem: *Est rectum quoddam rationis practica decretum ab eo, qui iura communitatis gerit, sufficienter sancitum, & constitutum, vt ex eius vi debeat necessariò modus aliquis, siue in re, siue in actione propter commune bonum adhiberi.* Hæc tamen definitio aliquid supponit falsum.

Et quidem statuit, legem esse actum solius intellectus, quod, vt vidimus, non est verum. Ideò 2. *Mac.1.* dicitur: *Deus det vobis, vt faciatis eius voluntatem*, idest *legem obseruetis.* Passim etiam in Scripturis, lex Dei dicitur Voluntas, præcipuè *Psal.118.* vt notat etiam D. Bonauent. ad eum psalmum. Deinde D. August. 4. *de ciuit. cap. 1.* ait: *Arbitria principum antiquitus pro legibus fuisse*; sicut etiam *l. 1. ff. de constitut. Quod Principi placuit*, ait Vlpianus, *legis habet vigorem.* Fauet Aristoteles *lib. Artis Rhetorica ad Alexandrum, cap.1.* vbi ait: *Lex autem est communis ciuitatis consensus, qui scriptis præceperit, quomodo vnumquodque agendum sit.* Idem repetit *cap. 21.* Consensus autem est actus Voluntatis. Quod Vasquez respondet *num.28.* per voluntatem intelligi *in libris Machabæorum*, id, quod Deo placet, vel ipsam legem, eò quòd est secundùm voluntatem Dei; non satisfacit; nam subditur: *Adaperiat Deus cor vestrum in lege sua*; explicat autem verba præcedentia.

Ad Aristotelem dicit, legem esse consensum, qui scriptis præcipit; quia supponit consensum Voluntatis.

At quis non videt, consensum poni in recto? Potiùs dixerim asseri consensum intellectus, & voluntatis. Dempta igitur particula. *Actus rationis Practica*, transeat definitio, quæ magis nunc explicatur.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

An LEX *debeat esse ad bonum commune.*

3 EX definitione allata habetur finis legum, qui est bonum commune, vt notat Valentia *disput.7. quæst.1. p.2. ad calcem*, post D. Isidorum *lib.6. Ethymol. cap. Erit autem lex honesta*, & cap. *Nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta.* Vnde Alphonsus Rex Castellæ *lib.9. tit.1. partita prima.* E a pro communal de todos. Hoc communi omnium probatur consensu, vt notat Vasquez *disp.151. cap.1.* & præcipuè D. Bonau. *lib.4. Pharetra, cap.21.* qui refert D.Ambrosium *lib.3.offic.cap.2.* post medium, vbi ait: *Qui perfectè sapit, nescit sua spectare commoda; sed ad illud, quod æternum est, quod decorum, atque honestum, toto affectu intendit, quærens, non quod sibi vtile est; sed quod omnibus.* Et lib.1. cap.28. *Natura ius commune generauit: vsurpatio ius fecit priuatum.* Licèt autem loquatur de iure possessionis; attamen in hoc includitur; quod à lege habeatur naturæ, *cap.* verò 23. refert D.August. ad id dicentem, lib.3. de libero arbitrio, cap.24. *Bonum est aliquod homo, & melius quàm pecus, ex eo quod præcepti sit capax, & hoc melius, cùm præceptum iam cepit, Rursus hoc melius, cum præcepto paruit, & his omnibus melius, cùm æterno lumine sapientiæ beatus est.* Per præceptum autem intelligit legem communem soli naturæ hominis, vt manifestum est. Clarius *in 3. disput.40. quæst.1. in corpore* probat, leges ad bonum commune ordinari. Sic Lex Mosaica bonum perfectionis imperfectum prætendebat, vt habet Apostolus *Hebr.7.* Lex autem Euangelica statum perfectum, vt habetur Matth.5. *Estote perfecti, &c.* Præclarè verò *serm.1. de præceptis, Tom.2. opusc.* attestatur, bonum commune esse finem legis. Idem habetur *l.1 ff. de legib.* relata à Suarez, *cap.7.*

ASSERO, legem esse ob bonum commune. Ità innuit Seraph. Doctor *ad 10. Ecclesiaste* ad ea verba: *Vidi positum stultum in dignitate sublimi.*

PROBATVR à D. Thom. quia lex refertur ad vltimum finem humanorum actuum, cùm autem vnus sit finis omnium, & singuli sint pars communitatis, necesse est, vt lex respiciat non singulos; sed totam communitatem. Eadem ratio colligitur ex *loco cit.* & ex eodem Seraphico ad penult. versum Psalmi 118. & ad ea verba eiusdem Psalmi. *Ego verò legem tuam meditatus sum.*

Qua verò ratione dicantur leges ordinatæ ad bonum commune, varij sunt modi explicandi.

THEOLOGI ferè omnes ità explicant; legem debere communi bono deseruire, vt lex sit, non autem vtilitati priuatæ ipsius legislatoris. Ita Alphons. de Castro *l.1. de leg. pœn. cap.1.* Dominicus Sotus *lib.1. de iust. & iur. quæst.1. art.2.* Conradus, & Recentiores Thomistæ *ad hunc art.* Syluest. *verb. lex, quæst.5.*; Caiet. *in sum. eod. titulo*, Armil. *ibid. num.1.* D. Antonin. *p.1. tit.17. cap. vnico*, §.3.

HANC expositionem confutat Vasquez, tanquam superfluam, quia in illis particulis definitionis, quibus dicitur lex esse *honesta*, & *iusta*, comprehenditur bonum commune; lex enim, quæ ob bonum singulare, contra bonum communitatis fertur, nec honesta, nec iusta, esse valet.

4 ENIM verò luce clarior est horum DD. interpretatio. Sic enim habet definitio: *Erit autem Lex honesta, & iusta, nullo priuato commodo, sed pro communi conscripta vtilitate*; Ad excludendum sanè priuatum commodum. Hinc infertur, illam expositionem bonam esse.

Quòd verò in particulis *iusta*, & *honesta*, includatur commune bonum implicitè, falsum est: Nam potest esse aliqua actio honesta, & iusta, etiamsi ad bonum tantùm singularis personæ ordinetur, sicque potest, vt non sit contra bonum publicum, vt ipse Vasquez contra Castrum argumentatur, *numero* 3. Quapropter necesse fuit apponere, tale esse debere honestum, & iustum legis, vt in commune bonum redundet.

VASQVEZ sic explicat particulas illas definitionis; debere esse ad commune bonum, idest communitatem cogere; non autem singularem aliquam personam; alioqui erit præceptum; non Lex.

SED hæc nimis extorta est, ibi enim dicitur, esse ob bonum commune, quod opponitur vtilitati priuatæ. Et quidem in priori expositione includitur etiam id, quod Zelatur Vasquez: nam si est ad bonum commune, quod ex integris causis resultat, erit etiam cogens totam communitatem; non quia non possit esse præceptum singulari personæ indictum, quod in bonum commune non tendat; sed, quia ex natura rei ad bonum commune requiritur, vt alios etiam obliget, si occasio sese obtulerit eiusdem facti. Adde, posse aliquod præceptum cogere multos, & non esse in bonum publicum, & ità non erit lex. Oportuit ergo exponere id, quod est finis, & legis præcipuum, nempè bonum Reipublicæ, quod, esto etiam implicitè includeretur in particulis *honesta*, & *iusta*, debuit explicitè apponi, tanquam id, quod legum est finis.

ADDIT Vasquez, dictum esse, vt lex sit commune præceptum, non autem singularem personam comprehendens tantùm; quia tale præceptum non habet veram legis rationem; tametsi iustissimum foret.

At cum Vasquez contra Authores prioris expositionis vigeat, satis in particula *Iusta* explicitum esse, legem debere esse in bonum commune; quid obsecro nunc quærit rursum idem intelligi in sequentibus particulis?

FATEOR, Legisperitos ità explicare particulam illam definitionis D. Isidori in capite illo. *Erit autem lex, dist.* 4. quos refert Iason ibidem *num. 1.* Alex. *lib.4. in princip. col.5. ff. de iureiur.* & ex Recentioribus Anton. Gomez *leg.1. Tauri, num.5.* Marcus Burgens. in Prooemio earundum legum *num.* 440. Gregorius Lupus *in leg. 9. num.2. tit. 1. particula prima.*

Mihi quidem videtur ita res se habere, vtrumque in illis particulis includi, & quòd sit commune præceptum, & quòd ad vtilitatem vergat communem; ita tamen, vt illud in isto intelligatur; nam si ob bonum commune lex est; erit etiam plures cogens; nam per præceptum singulari personæ indictum circa ea, quæ Reipub. conueniunt, non arcetur malum, quod potest ab aliis infligi.

ET sanè, legem esse ob bonum Reipublicæ docuit Plato *lib.1. de legib.* & Aristoteles *lib.4. Polit. cap.1.* & Cicero *lib.2. de legibus.*

OBIICIES primò. Priuilegia sunt leges, *cap. priuilegia.*

RESPONDETVR, esse legem priuatam, vt notat 5
Suarez *lib.8. capite primo.*

OBIICIES secundò. Multæ leges Diuinæ, & Naturales respiciunt bonum singulare, nempè beatitudinem cuiusque, vt sunt leges tuendæ vitæ, eleemosynæ erogandæ, &c.

Respondet Vasquez è suo fundamento; ideò legem dici pro communi vtilitate conscriptam; quia in commune bonum eius obseruatio cedere debeat; nam per hanc partem lex differt à præcepto; tametsi obseruatio præcepti singularis cedat in bonum communitatis; vt si in exilium pellatur seditiosus, & tamen illud præceptum non est lex; sed in hoc differre legem à præcepto, quòd præceptum, hunc, aut alium specialiter obligat; lex autem vniuersaliter, siue sit Naturæ de tuenda vita; siue Diuina de eleemosyna, eroganda; siue sit positiua, vt in contractibus, omnes cogit.

Miror, quoad eleemosynam, non vidisse Vasquez bonum commune, nempè communicandi bona ex naturâ suâ communia, sed iure gentium appropriata, vt omnes in communitate, & diuites, & pauperes coniuncte queant; & ità Respublica christiano modo conseruetur in vinculo charitatis. Quod verò præmium beatitudinis largientibus promiserit, quid tum? omnibus enim commune est.

Lex autem tuendæ vitæ, quæ naturalis est, ad bonum commune dirigitur, ne, membris Reipubl. percuntibus, peteat Respublica. Deinde eò dirigitur, vt praui terreantur ab illicitis inuasionibus. Id in cæteris inuenies. Statuitur ergo, legem debere esse pro communitate, vt refert Suarez *lib.* 1. *cap.* 6. *de legibus Diuinis:* & de Naturali id vidimus: & de iure Ciuili habetur in lege *Iura*, *ff. de legib.* De lege Canonica, habetur in can. *Duæ sunt*; at debet esse etiam ad bonum eiusdem communitatis, vt habetur *l.* 1. *ff. de legibus.*

QVÆSTIO III.

An Leges *requirant in Legislatore publicam potestatem.*

Sicvt præceptum à lege differt; ità etiam is, qui habet virtutem præceptiuam, distat à Legislatore. Legislator enim facit decreta toti communitati; at qui habet virtutem merè præceptiuam, quæ Oeconomica dicitur, quibusdam personis perpaucis, puta familiæ, potest præcipere; & quia leges ad bonum politicum ordinantur perfectum, ideò, qui condunt leges, authoritatem Politicam publicam habere tenentur. Sic omnium Canonistarum suffragiis decernitur, & à D. Bonau. supponitur *serm.* 1. *de decem præceptis*; & *in Diæta, tit.* 3. *capite* 1.

6 Assero ergo, Legislatorem requirere publicam authoritatem.

Probatvr à D. Thom. quia lex cogit communitatem, eamque ad bonum commune ordinat: Ordinare autem Communitatem ad bonum commune, exigit potestatem super communitatem. Non sufficit autem potestas iudiciaria ad leges condendas; seu iurisdictio quæuis politica, sed principalis eius, qui est Princeps, vt ait Baldus *l.* 1. *ff. de iust. & iur.* & colligitur ex Seraphico Doctore *ad* 10. *Ecclesiaste*, & ad ea verba: *Ideò primò lex per Moysen data est.* Et quidem legem Naturalem, & Diuinam positiuam à Deo dari, certum est; leges autem Humanæ à quibus hominibus dandæ sint, dicam *disput.* 5. *quæst.* 1.

QVÆSTIO IV.

An de ratione Legvm *sit, vt sint iusta.*

D. Bonau. in 3. dist. 40 q. 2.

Egimvs de conditionibus Legislatoris; nunc de conditionibus legum agendum. Præcipua conditio est, vt sit iusta, vt omnes concedunt; & dixi *quæst.* 1. & exprimit D. Bonauentura *ad* 10. *Ecclesiaste.*

Probatvr primò à Seraphico Doctore *in Compend. Theologicæ verit. lib.* 5. *cap.* 37. quia, vt ait Macrobius *l.* 1. *in somn. Scipionis*, cap. 8. *Leges sunt instrumenta iustitiæ politicæ, cuius est seruare vnicuique, quod suum est.*

Probatvr secundò à S. Doctore *in* 3. *dist.* 40. 7
quæst. 2. *ad* 1. ex illo Rom. 7. *Lex quidem sancta, & mandatum iustum, & sanctum*; vbi loquitur de lege Diuina, quæ sancta, & iusta est per essentiam; & quia cæteræ leges ab hac deriuantur; omnes debent esse iustæ, per participationem ad iustos reddendos subditos ordinatæ ex Legislatoris intentione. Sic Prouerb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.*

Si lex dubitetur: an sit iusta; adhuc eam esse in possessione, & iustam censendam asserunt Panormitan. Felinus, Turrecremat. apud Suarez *lib.* 1. *cap.* 9.

Adde, debere, vt lex iustè feratur, & ad hoc vt sit iusta, seruari iustitiam Legalem, vt ità sit ob bonum proximi; & Distributiuam, vt præcipiendo multitudini seruet proportionem oneris; & Commutatiuam, vt præcipiat solis subditis, quantùm vires eorum ferunt.

QVÆSTIO V.

An perpetuitas sit de ratione Legum.

Perpetvitas est triplex: alia positiua, quæ du- 8
plex est; prima dicit Æuiternitatem, seu vsque ad finem mundi; secunda, quæ dicit stabilitatem per multum tempus, proportionatum stabili regimini politico. Alia verò est perpetuitas negatiua, quæ negat termini assignationem; ità S. Bonau. *in* 4. *loco citando.*

Et quidem patet, Legem Naturalem esse immobilem, quippè quæ, durante naturâ, durat, vtpotè insita nobis, vt docet Seraphicus *lib.* 5. *compend. Theol. cap.* 2. *& in* 2. *dist.* 39. *quæst.* 1. *&* 2. vbi ostendit, conscientiam esse legem mentis, quæ à natura insita est, ad prima principia practica cognoscenda, & obseruanda; ex quo fit, vt, durante naturâ, perseueret.

Qvoad legem Diuinam veterem, sanè durauit cum Circumcisione vsque ad Christum; & translato Sacerdotio, remotisque vmbris, remouenda fuit, vt ait Apostolus *Heb.* 7. & post eum aduertit D. Bonau. *in* 4. *dist.* 3. *p.* 2. *art.* 3. *quæst.* 1. Habuit sanè lex illa, & Sacerdotium Aaronicum perpetuitatem etiam negatiuam, vt ait Seraphicus Doctor *loco citato ad* 1. quia non fuit tunc indicatum, quando essent cessatura.

Qvoad legem Euangelicam, quia est lex gratiæ, & 9
salutis, quæ ducit ad finem beatitudinis completæ, debet

debet vſque ad finem mundi perpetuari, cùm beatitudinem vltimò adibunt homines, vt notat D.Bonau. *in* 4. *loco citato*.

Qvoad leges Humanas certum eſt, eas habere perpetuitatem negatiuam, vt docet Seraphicus *in Dieta*, *tit*.3.*cap*.1. vbi ait. *Tres Scripturæ ſunt ſpecialiter immobiles. Leges Imperatorum: Donatio inter viuos: & Vltimum Teſtamentum.* Idem ſentiunt omnes apud Suarez *lib*.1. *cap*.10. Vaſquez *diſput*. 151. *cap*.3.

Hinc ſequitur, legem non expirare morte Legiſlatoris; ſicuti expirat præceptum, morte præcipientis; quia lex obligat homines, non modò contemporaneos Legiſlatori; ſed omnes ſucceſſores, quamdiù durat Reſpublica, ad cuius bonum ordinatur, donec reuocetur ab habente æqualem poteſtatem. Hinc verò deducitur tranſlatio ſucceſſiua poteſtatis Petri in legitimos ſucceſſores, contra hæreticos; quia enim Eccleſia inſtituta eſt vſque ad conſummationem ſæculi, vt dicitur *Matth. vlt.* quo tempore Chriſtus aſſiſtet ſemper, vt Caput in cœlis, neceſſe fuit, permanere Vicarium in terris, iuxta Chriſti inſtitutionem, vt Eccleſia, quæ eſt hominum congregatio ritè gubernetur eo ſtylo, quo Chriſtus inſtituit. Si enim Chriſtus ſufficienter exiſtimaſſet inuiſibiliter eam gubernari, non reliquiſſet Petro ſupremam poteſtatem. Matth.16. *Tu es Petrus*, &c. vt latiùs oſtendam 2.2. *Tract. de fide*, *diſput*.1. *quæſt*.13.

Collige etiam, cur Bulla in Cæna Domini olim dicebatur lata *ab homine*; nunc autem *à Iure*, nempe, quia ante Gregorium XIII. ferebatur pro tempore vnius anni; nunc verò, donec reuocetur, iuris vim obtinet, & ideò lex eſt perfecta.

QVÆSTIO VI.

An promulgatio ſit de ratione Legis.

D.Thom art 4.

10 Aſſero affirmatiuè.

Probatvr à Seraphico Doctore *in* 4. *diſt*.3. *p*.2. *artic*.3. *quæſt*.2.*fund*.2. & *in corpore*. Lex cogit homines ad ſui obſeruantiam; nullus autem obſeruare tenetur id, quod inuincibiliter ignorat; at ſanè ignorabit, niſi ſufficienter promulgetur. Eſt enim *prauum cor hominis*, *& inſcrutabile*; atque adeò nullus poteſt ſcire intentionem Regis, niſi manifeſtetur. Eadem eſt ratio D.Thom. qua vſus eſt etiam Iuſtinianus infrà.

Hinc lex Euangelica in toto orbe promulgata eſt: *In omnem* enim *terram exiuit ſonus eorum*, *& in fines orbis terræ verba eorum.* Pſal.16. vt obſeruat S.Bonau. *in* 4. *loc. cit. in corpore*.

Hinc etiam SS. DD. aſſerunt, non obligaſſe legem Euangelicam; nec vmbraticam Moyſis ceſſaſſe, quouſque promulgatum eſt Euangelium, vt notat D.Bonauent. *loco cit*.

Itaqve Iuſtinianus *C. de legib*. ait: *Leges ſacratiſſimæ intelligi ab omnibus debent*, *vt vniuerſi*, *præſcripto earum manifeſtiùs intellecto*, *prohibita declinent*, *& faciant præcepta.* Idem habet Gratianus §. *Leges*, vbi exponit verba D.Auguſt. *lib. de vera*, *& falſa relig*. *cap*.31. quæ ibi retulerat *cap. In iſtis*; nempè leges, poſtquam inſtitutæ, & firmatæ ſunt, non poſſe à ſubditis iudicari. Addit Gratianus, relatus etiam à D. Thom. hîc. *Tunc leges inſtitui*, *quando promulgantur*: *firmari autem*, *quando moribus recipiuntur.* Hoc eſt, quod D. Bonauent. *in* 4. vult, dicens, aliqua Sacramenta non fuiſſe à Chriſto inſtituta; nempè more legali; quia non fuere ab eo promulgata; ſed ab Apoſtolis Ex quo patet Seraphicum non dixiſſe hæreſim, vt perperam ei quidam inurunt; non enim negat condita fuiſſe à Chriſto Sacramenta, & tradita Apoſtolis promulganda, quod *Inſtitutionem* idiomate Iuriſtarum ſonat.

Et quidem leges Diuinæ promulgatæ ſunt; antiquæ quidem à Moyſe, &c. nouæ autem à Chriſto, 11
Apoſtolis, & aliis, verbo, & ſcripto. Neque tamen neceſſe eſt, eas Scripto promulgari. Vide Suarez *cap*.11. *lib*.1.

Leges autem Humanæ promulgantur à præconibus. De legibus Canonicis habetur *cap*.1. *de poſtulat. Prælati*, & *cap*.2. *de conſtit*. De ciuili verò habetur in Authent. *Vt factæ nouæ conſtit. collat*.5.

Qvoad legem Naturalem, D. Thom. *ad* 1. promulgari aſſerit, dum eam mentibus hominum inſerit, quod habet rationem quandam promulgationis. Clariùs D.Bonau. *in* 2. *diſt*.39. *quæſt* 1. *&* 2. promulgationem legis Naturalis explicat in eo lumine, & dictamine nobis inſito diuinitus, atque indito, quo prima principia practica, atque præcepta cognoſcimus, non faciendi alicui, quòd nobis fieri nollemus, colendi Deum, & parentes honorandi.

Vasqvez ad hunc articulum D. Thom. ait: Si hoc verum eſſet, fore, vt lex Naturalis eſſet actus intellectus, non per modum imperij, ſed iudicij: At verò imperium non eſſe intellectus, ſed Voluntatis, oſtendi *Tract*.1. *diſput*.13. *quæſt*.1. neque oppoſitum hinc ſequitur.

QVÆSTIO VII.

Vtrum effectus, à Legibvs *intentus*, *ſit facere ſubditos bonos.*

D.Bonau in 3 d 40.q.2.
D.Thom.quæſt.2.art.1.

Iam declaraui omnes ferè cauſas legum. *Efficientem*, 12
qui eſt Princeps habens iuriſdictionem. *Materialem ſubiectiuam*, nempe intellectum, & voluntatem. *Materialem obiectiuam*, quæ eſt honeſtas, & iuſtitia, etiam circa ſubditos. *Formalem*, quæ eſt modus, quo debet inſtitui, & fieri. Denique *Finalem*, quæ eſt bonum commune; finis autem, cùm producitur, eſt etiam effectus. Ideò hîc quæſtio eſt de effectu legum.

Assero primò, Diuinas leges eò tendere, vt faciant homines iuſtos.

Probatvr à D. Bonauent. primò, ex 7. Rom. *Lex quidem ſancta*, *& mandatum iuſtum*, *& ſanctum.* Gloſſa exponit *Iuſtificans*.

Probatvr ab eodem Seraphico ad Pſal.118. *Beati immaculati in via*, *qui ambulant in lege Domini*; & 13
ad Threnos Hierem. initio, vbi ex defectu cognitionis legis corruiſſe Hieruſalem, oſtendit littera ℵ & ſequentibus. Confirmatur à D.Bonau. *de ſeptem Donis*; de *Dono Conſilij*, *cap* 4. ex Pſal.18. *Lex Domini immaculata*, *conuertens animas*; *præceptum Domini lucidum*, *illuminans oculos.*

Dices. *Lex ſubintrauit*, *vt abundaret delictum*, Rom.5. & *cap*.3. vocat *legem mortis*; & *cap*.4. ait, *Legem iram operari*.

Respondet D.Bonau.*in* 3.*diſt*.37.*quæſt*.1.& *diſt*.40. *quæſt*.2. legem antiquam occaſionaliter fuiſſe legem mortis, occidentem,&c. quia enim oſtendebat peccatum, nec adiuuabat gratiâ; dabat anſam concupiſcentiæ

scentiæ in vetitum (si sola eius littera perpendatur.) Hoc indicat Apostolus, Rom.7. *Peccatum per mandatum occasione acceptâ seduxit me*; sicut qui portat gladium ordinatum ad defensionem; occasionaliter ab eo occiditur; sed de hoc *disput*.10. *quæst*.1. Idem respondet Vasquez hîc.

Assero secundò, legem ciuilem dirigi ad faciendum bonum. Irà Iurisconsulti *l*.1. *ff. de iust. & iur.* Aristoteles 3.*Polit.cap*.4. Ratio est,quia finis humanæ Reipubl. est vera fœlicitas Politica, quæ absque morum honestate esse nequit; per leges autem ciuiles in eam dirigitur fœlicitatem. Non tamen faciunt bonum simpliciter, idest per omnia; vt ait Aristoteles 3. *Polit. cap*.3.

14 Assero tertiò, idem dicendum de legibus Canonicis: Ad beatitudinem enim hominis diriguntur; nec tamen omnia media præcipiunt, sed aliquarum tantantùm virtutum; sola autem charitas facit bonum simpliciter; ideò, licèt aliquo sensu dicat D. Thomas, leges iustas facere simpliciter bonum; tamen absolutè non faciunt.

Nota verò cum D.Bonau. *in* 3. *loco cit.* quem sequitur Vasquez ad hunc articulum, D. Thom. non asseri à nobis, legem habere virtutem faciendi hominem studiosum; lex enim solam præstat notitiam eorum, quæ facienda sunt, & imperat.

Quod verò comminiscitur Vasquez, legem reddere bonum secundùm quid; sicut lex latronum reddit bonum latronem; non inseruit explicationi quæstionis. Quia enim lex non est, si iniqua sit, vt ipse fatetur *disp*.151. *num*.9. nihil facit ad quæstionem ordinatio latronum ad furta cautè extorquenda, etiamsi D.Thom. in fine articuli aliquid de hoc innuat. Cùm enim leges omnes honestæ esse teneantur, vt habetur in earum definitione; illa ordinatio, quæ erit ad bonum vtile, aut delectabile contrarium honestati, non erit Lex. Sic igitur distingui oportet bonum simpliciter, à bono secundùm quid, causato à lege; vt lex bona simpliciter reddat in omni genere honesti bonum: at bona secundùm quid, solùm in aliquo actu virtutis, aut in aliqua virtute reddat studiosum.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum obligare subditos sit proprius effectus Legis.

{ D.Th.quæst.91.art.2.

15 Assero primò, nullam esse legem, quæ non intendat obligare. Est communis. Vnde Gratian. dist.4. ait: *Decretum necessitatem facit.* Idem habet D.Hieron. *lib*.2. *contra Ioninianum*: Ambros. *lib. de viduis*, August. *lib. de sancta Virginitate, cap*.14. Gregor. *lib*.12. *epist*.17. & refertur *in cap. primo, de Donat.* Vnde Aristoteles 1. *Eth. cap*.9. ait: in lege esse vim coactiuam, idem habet D.Bonau. *in Psal*.118.

Dices primò. Dantur aliquæ leges permissiuæ, non cogentes. Respondet Suarez *cap*.14. eatenus obligare, quatenus latenter habent admixta præcepta, vt significat Glossa in lege. *Legis virtus, ff. de legibus.*

Dices secundò. Priuilegium est lex, ex D.Isidoro *cap. priuileg. dist*.1. & tamen non obligat, potest enim quilibet illi renunciare, cap. *cum ad Monasterium* de Regularibus.

Respondetvr primò ex Glossa, *loco cit.* Priuilegium esse legem secundùm quid: nam eo ipso, quòd vni concedit; aliis id prohibet. Deinde aliqua sunt priuilegia inuenta ob bonum commune, quibus non licet renunciare, vt Priuilegium fori clericorum, iuxta *cap. diligenti*, de foro competenti, & *l. Ius publicum, ff. de pactis.*

Assero secundò, effectus Legum esse quatuor. 16
Præcipere. Vetare. Permittere. Punire. Ità D. Isidor. & alij apud D.Th. hîc, & Suarez *cap*.15.

Probatvr à D.Th. quia actus humani aut sunt boni; aut mali; aut indifferentes. Circa bonos, est *præcipere*; circa malos, *prohibere*, & *punire*; circa indifferentes *permittere*; siue indifferentes, vt neque malos, neque bonos; siue bonos non necessarios.

In indifferentibus non est propriè ratio tota obiecti legum; sed aliquid tantùm partiale, quod tamen semper includit aliorum præceptum, vel prohibitionem. Si enim permittitur hoc; reliqua prohibentur, vel præcipiuntur: Illi autem effectus non singulis legibus conueniunt.

Ad hos effectus reducuntur, vt ait Suarez, *cap*.17. 17
Taxare pretia rebus; constituere medium in materia virtutis; formam constituere humanis actionibus, sine quibus irritentur contractus; mutare dominia, &c.

Pro quo supponitur duplex virtus legis. *Directiua*, & *Coactiua*, de quibus D. Thomas *quæst*.69. *art*.5. & nos *quæstione sequenti.*

QVÆSTIO IX.

Vtrum Viatores omnes Legibvs *subiecti sint.*

{ D Bonau.in 3.d.37.q.1.& 2.

Ore omnium meritò vertitur. *Abyssus Abyssum innocat.*

Sectarii horum temporum, vt perditissimè viuendi licentiæ habenas laxarent, eos omnes errores excogitarunt, qui in corruptionem huius sæculi homines pellicerent. Omnes igitur, fide nuda præditos, iustos esse iurant, dummodò id absque formidine credant; hoc verò satis superque dicunt ad beatitatis ianuam intrandam; neque vlla opera necessaria esse illis; neque alicuius legis obseruantiam. Itaque leges omnes, & iura susdeque vertunt. Ita docent, Lutherus *lib. de libert. Christiana*, & *in epistol. ad Galat. in argumento*, & *cap*.2. & *serm. de Moyse*, Caluin. *lib*.3. *Instit.* seu potiùs *Destructionum, cap*.19. §.2.4. & 7. hoc autem asserunt non modò de legibus humanis, siue Canonicis, siue Ciuilibus; sed etiam Diuinis. Cæteros autem, quos iniustos vocant, lege solâ Diuinâ teneri, non tamen necessariam ad salutem; homines verò nullos conscientias hominum posse cogere somniant. Eos sequuntur alij hæretici, quos refert Bellarm. *lib*.4. *de Iustific. cap*.1. Vasq. *disp*.66. *cap*.1. Valentia *disp*.7. *quæst*.5. *p*.4. qui omnia fere è Seraphico Doctore sumpsêre.

Hi errores à tota Ecclesia damnati sunt in Concil. Trid. *sess*.6. *can*.11. 19. & 20. vbi simul damnatur error Beguinarum, & Beguardorum dicentium, perfectos legibus non teneri humanis; qui error iam fuerat condemnatus in Clement. *ad nostram, de hæret.*

Pro legis Diuinæ obseruantia iaciendum est funda- 18
mentum, fundamento hæreticorum oppositum. Hi enim conclamant, Christum sanè Redemptorem, super cuius humeros imponunt onera suorum delictorum; legislatorem autem negant; at certè Christum legislatorem ostendit D.Bonau. *serm*.1. *de decem præceptis*, & *in Speculo B. Virginis, lect*. 9. quod probat ex illo Isaiæ 33. *Dominus iudex noster, Dominus legifer noster,*

Dominus

Dominus Rex noster; ipse saluabit nos, Hac authoritate nititur Bellarm. *lib.4.de Iustific. cap.5.* & alij, & conceditur ab hæreticis, vt dicam *disput.5.quæst.1.*

Ac ne ad Tropum aliquem confugiant, Apostolus comparat Christum cum Moyse, tanquam legislatorem cum Legislatore, in epistola ad Hebræos.

19 CONFIRMATVR ex vaticinio Patriarchæ Iacob, Genes.49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est.* Vbi Hebraica lectio, à Pagnino tradita, sic habet: *Non recedet Virga ex Iehuda, nec Legislator de interpedes eius, vsquequo veniat Siloh & ei obedientia populorum.* Hebræus autem habet יקהת pro obedientia IKEATH. Vbi supponit, defecturum Legislatorem, cui obediatur; & MESSIAM superuenientem fore illum, cui gentes omnes obediant, nempè, vt Legislatori.

LIBET autem hìc ponere responsum, quod mihi de hac re disputanti dedit Rabbinus quidam Abraham, qui hac versione vsus, vaticinium à me sibi obiectum detorquebat, ne Messiam aduenisse confiteretur: *Non recedet virga in signum de Iehuda*, idest principatus in denominatione, quippe omnes Hebræi cunctæque tribus vocantur Iudæi à tribu Iuda, & Legislator de interpedes; vbi ponitur Legislator pro lege inter pedes circumcisionis, donec veniat Messias (ipse legebat *Legislator*,) sed adhuc vocamur Iudæi, nec deficit circumcisio. Ergo non adhuc aduenit Messias.

20 EGO quidem reieci responsum, quia Septuaginta, apud eos Canonici, & Chaldæus, authenticus illis, dicunt: *Non auferetur Rex, vel sceptrum*, quod idem est, vbi de Regio diademate, & sceptro loquuntur; denominatio autem adhuc vigens Iudæorum non includit sceptrum, aut Regem; sic enim ad ludibrium potiùs Iudei conclamantur, Deo volente, vt memores dignitatis amissæ resipiscant, dum omnium ergastulam vident gentem, olim *Dominam gentium.* Quare neque *Legislator de interpedes*, significat circumcisionem (nisi fortè legislatorem, & Ducem decoronatum acclament membrum circumcisum) parcant pudicæ aures, vt Iudæorum audiant insaniam. Idem igitur significat, *De interpedes*, ac *de femore*, idest de loco generationis; ac scriptura modestè loquitur. Quod si de Circumcisione loqueretur, non *de interpedes*, diceret, sed *inter pedes.*

HIc verò oppressus Rabbinus respondit: Dato etiam Aduentu Messiæ, se non cogi ad nouam legem subeundam; quia Messias non est Deus; & quia ad abrogandam legem Mosaycam, sanè à Deo latam, requiritur Diuina authoritas, quæ in Messia non inuenitur, cùm sit homo, vt habetur *Deut.*18. & hic futurus de semine Hebræo.

EGO quidem subridens, sic argumentatus sum: Ille, qui est princeps, cui gentes obediunt, tanquam aduenienti Legislatori, habet authoritatem condendi legem nouam, eamque condit (non enim Legislator est sine lege) sed talis est Messias, per te: Ergo Messias nouam legem condidit. Tunc sic. Ille, qui nouam legem condit, vt desinat antiqua Mosayca, quæ data est à Deo, debet esse Deus, per te; sed Messias ex tua versione est huiusmodi: Ergo est Deus.

HAc igitur versione, quam magno plausu iactabat Rabbinis acceptam, eum conuici. Iam verò, vt vnde digressi sumus, eò nostra reuertatur ratio, satis contra hæreticos ostenditur Christus Legislator.

21 PRÆTEREA Christus, *Isaia allegato loco*, acclamatur Rex simul, & Legifer. Regum enim munus est leges condere; sic etiam Psalm.2.dicit. *Ego autem constitutus sum Rex*, & Lucæ 1. dicitur: *Regni eius non erit finis*, vt aduertit D.Bonauentura ad hunc locum Lucæ; vbi ad id probandum affert etiam illud Psalm.131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, & id Hierem.33. *Ecce dies veniunt: & suscitabo Dauid germen iustum; & regnabit Rex, & sapiens erit*, & Danielis 7. vbi *Antiquus dierum dedit ei potestatem, honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ seruient ei: Potestas eius, potestas æterna: & regnum eius, quod non corrumpetur*, & id Isa 9. *Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit*, & Psalm.144. *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum; & dominatio tua in omni generatione, & generatione.*

HINC deducit Seraphicus Doctor, Christum esse Legislatorem; vnde dictum est Matth.7. *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.*

PRÆTEREA Christus Iudex supremus asseritur, 22 Psalm. 10. *Iustus Dominus, & iustitias dilexit*, & Psalm.118. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum* & Psalm.144. *Iustus Dominus in omnibus viis suis*, & Sap 6. *Non subtrahet personam cuiusquam Deus, qui est omnium Dominator; nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum, & magnum ipse fecit*, vt refert Seraphicus in Speculo B. Virginis, *loco citato.*

HOc ampliùs probat S.Bonauentura *in 4. dist.48. quæst.1.* ex Ioan.5. *Omne iudicium dedit Filio.* Et Act.2. *Dominum fecit Deus, hunc Iesum*, & Matth. vlt. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Hinc deducitur potestas Christi. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* Idem aduertit Seraph. Doctor *in 3. dist.14. dub.4. litt.* Scio, non omnem iudicem habere potestatem in legem; ideò ait D. Augustinus *lib. de vera, & falsa relig.* quòd iudex non iudicat de lege, sed secundùm eam iudicat de aliis, vt refert D.Bonauent. *in 1. dist.3. quæst.1. ad penult.* At 23 potestas Christi acclamatur summa, atque suprema, vtpote Filij Dei coæqualis Patri, vt notat S. Doctor *in 4. loco citato.* Quorsum autem iudicium, vbi non est legis obseruantia? Neque de sola fide iudicat, vt patet, Matth.25. *Esuriui enim, &c.*

ASSERO primò, homines, etiam iustos, ante Christum, legi Diuinæ subiectos fuisse.

PROBATVR à D.Bonauent. *ferm. de decem præceptis*, primò ex 11. Deuter. *Oculi vestri viderunt omnia opera magna Dei; quæ fecit, vt custodiatis mandata eius*, Isa 48. *Ego Dominus docens te vtilia, gubernans te in via, quam ambulas. Vtinam attendisses mandata mea.* Psalm.118. *Seruaui mandata tua, & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.* Et Deuter.10. *Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi, vt timeas ipsum, & diligas ipsum, & ambules in viis eius, & custodias mandata eius*; nempe DOMINI, qui te creauit; DEI, qui te gubernat: TVI, qui te 24 saluat. Prouerb.7. *Serua mandata mea, & viues.* Leuit.26. *Si non audieritis vocem meam, & non feceritis omnia mandata mea. Visitabo vos in egestate, & calore, qui conficiet oculos vestros, & consummat animas vestras.* Psalm.118. *Maledicti qui declinant à mandatis tuis.* Deut.11. *Benedictionem, si mandata mea feceris: & maledictionem, si non feceris.* Clariùs *Exod.20.* vbi præcepta traduntur. *Ego sum Dominus Deus tuus. Non facies tibi sculptile*, &c. Et sanè totum habetur testamentum antiquum, his refertum testimoniis.

ASSERO secundò, in Testamento nouo, non sufficere fidem, sed obediendum ab omnibus legi Diuinæ.

PROBATVR primò è Seraphici fundamento. Christus enim est Legislator. Ergo ei obediendum sicut & legi eius. Confirmatur argumento Christi Matth. vlt. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* 25

Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes, &c. docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis, vbi baptizatis loquitur iustis. Similiter est Iudex supremus, vt habetur *Matth.25. Act.10. & 17. Rom.2. & 14. prima Petri 4.* & alibi passim. At quale iudicium, si nullæ sunt leges, ex quarum præuaricatione damnari, vel obseruantia coronari mereamur? Dicunt, examen futurum de sola fide. Contrà: nam *Matth.25.* dicitur examen de operibus misericordiæ, vbi nulla mentio fidei habetur, vt notat D.Augustinus *lib. de fide, & operibus, cap.15.*

26 PROBATVR secundò à D. Bonauent. *serm. allegato de decem præceptis*, ex Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*: qua authoritate vtitur etiam *in 3. dist.37. quæst.2. fund.1.* Similis habetur promissio, *Lucæ 10.* vbi cùm ille, qui salutem exquirebat, mandata à Christo asserta necessaria exposuisset, Christus respondit. *Rectè respondisti; hoc fac, & viues*; vt notat Seraphicus *loco cit. Lucæ.* Et reddit rationem allatam à D.Iacobo, *cap.1. Quia si quis auditor est verbi, & non factor; hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo: Considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit.* Et Paul. Rom.2. *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur*; & verè dicitur, *viues* (ait S.Bonauent.) quia Matth.19. dicitur. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et Ioan. 13. *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.*

RESPONDENT Aduersarij, Christum locutum Ironicè; quomodo, si aliquis diceret: si vis ad cælum conscendere, euola super aëra. Ità respondet Lutherus ad *cap.3. ad Galat.* explicans illud: *Qui fecerit ea, viuet in illis.*

SIC etiam Caluinus, *lib.3. Instit. cap.18. §.9.* dicit, Christum attemperasse responsum illi legis zelatori, qui in obseruantia legis cæcutiebat; ideò ad legem eum remisisse. At verò *in antidoto, ad sess. 6. cap.7.* vbi nostris catechumenis indicitur. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Væ (inquit) eorum catechumenis, si tam dura illis conditio imponitur. Quid enim aliud, quàm æterna illis maledictio indicitur?

Arridet Brentius *homil. 1. in Dominica 13. post Trin.* Christum potiùs indicasse viam æternæ perditionis.

SIC nefariè loquuntur ista Orci portenta, quibus tamen os obstruere parauit ex tunc *ibi* Seraph. Bonauentura, afferens alia loca, vbi seriò imponitur legis obseruantia, vt dixi; ibi enim Christus præcipiebat, non legisperitis tentantibus, sed discipulis; atque discipuli omnibus fidelibus, vt patet; ideò non ironicè alloquuti; sed potiùs, dubio procul, seriò loqui credendi. His similia *Ioan.15.* habentur. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Quæ ponderat S.Bonauent. *ibi*. vt infrà.

27 DEINDE is, cui Christus ait. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, erat adolescens quidam diues, & princeps in ciuitate, vt ait *Lucas, cap.18.* qui licèt secundùm D.Ambrosium, *lib.8. in cap.18. Lucæ*, & *in Glossa ad hunc locum*, curiosè interrogaret; attamen sincerè, & fideliter ad finem salutis inquirebat, vt notat Beda in Gloss. ad hunc locum Lucæ, quod probat; quia *Iesus intuitus eum, dilexit eum*, vt scribit S.Marcus. At, esto initio superbè; tamen posteà gratiâ motus, humiliter quæsiuit salutem, vt exponit D.Chrysost. *homil.64. in cap.10. Matth.* & refert D.Bonauent. *Lucæ 18.*

AT, esto vterque superbè interrogasset; tamen non ad fallendum, sed vtiliter ad salutem, vt notat Seraphicus *ad 18. Lucæ*; ideò inepta esset Ironia. Tandem non Ironicè loquutum, euidenter demonstrat S. Bonauent. *ibi* Lucæ 10. §. *secundo vero.* Cùm enim parabolam vulnerati in via Hiericho Christus retulisset, & quis esset proximus, & quomodo iuuandus, extorsisset, ipsi iniunxit: *Vade & tu fac similiter*, iniungens ei ex corde legem operum Misericordiæ. Adde, non reddidisse vnquam Christum dolum pro dolo, vt patet, præcipuè *Matth.22.*

PROBATVR tertiò à S. Bonauent. *serm. cit.* aliis Scripturis, quæ iustos alloqnuntur. Ioan.14. *Si diligitis me, mandata mea seruate.* Matth.25. *Venite benedicti: esuriui enim, &c.* Sicut è contra, à gratia, & gloria proiiciuntur violatores legis. Prima Ioan. 5. *Hæc est voluntas Dei, vt mandata eius custodiamus: & mandata eius grauia non sunt.* Quorsum autem facilitatem obseruantiæ præceptorum iniungeret, nisi essent obseruanda? Sic enim & Christus, Matth. 11. ait. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Plurima testimonia habentur etiam in Ioannis Euangelio *in serm. Cœnæ*, præcipuè *cap. 14. & 15.* Talia enim verba habet, quæ iustos compellant: *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea*; quæ exponit ad hæc S. Bonauent. *ibi*, & post eum Vasquez *num.5.* 28

HIC mihi sanè Ironicè libet alloqui Sectarios, qui Euangelium, bonum nuncium, non legem acclamant. Bonum sanè nuncium concedunt omnium scelerum perpetrationem, vitæ nefariæ libertatem: Equidem bonum eis nuncium autumo. Euangelium sanè bona nunciat spiritualia, remissionem culparum contritis, & afferendam salutem operantibus; vt ait Christus *Lucæ 4. ex Isa.61.* & latè differit S.Bonauent. *in Proœmiis ad Lucam, & Ioan.* & *ad 4. Lucæ.* Proh! cæcurientium & ad Tartari tenebras offendentium misereor: Bonum nuncium consolatorium attendite. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Matth.5. vbi confirmat legem moralem, vt ritè probat Seraphicus, *serm. adducto de decem præceptis*, & *in 3. dist.37. in dub. litt.* & *dist.39. art.2. quæst.1. & 2.* & *dist.30. quæst.4.* & *in 4. dist.35. quæst.3. & 4.* & passim aliis in locis.

PROBATVR quartò à S. Doctore *in 3. dist. 40. quæst.1.* Nam Christus non obseruantibus comminatur pœnas atrociores, quàm in lege veteri. Matth.5. *Qui dixerit Fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Matth.7. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Et ad *cap. 15. Ioan.* idem obseruat ad ea verba: *Si quis in me non manserit: mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Ostendit autem quomodo manere debeamus. *Qui manet in me, & Ego in eo, hic fert fructum multum*; vbi affert etiam illud Matth.7. *Omnis arbor, &c.* Et infrà Christus subdit, qui sint fructus, scilicet bonorum operum, vt notat ibi Seraphicus. *In hoc glorificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis.* 29

RESPONDENT Sectarij, comminationes in Euangelio ad legem pertinere, sicuti promissiones, quæ in veteri leguntur Testamento, ad Euangelium spectant.

AT si Scripturas consideres, inuenies comminationes istas esse Euangelij, vt notat D. Bonauentura *in 3. dist.40. loco cit.* Sic Apostol. Rom.1. *Reuelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem*, & cap.2. *In die cùm iudicabit Dominus occulta hominum iuxta meum Euangelium*, & Act. 24. *Disputante Paulo de iudicio, perterrefactus est Fœlix.* Et D.Iacob cap.5. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenient vobis*, & S. Iudas. *Ecce venit Dominus in sanctis suis,* 30

suis, facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum. Et Apoc. 14. *Vidi alterum Angelum volantem per medium cæli, habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret sedentibus super terram. & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum: dicens magna voce: Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius.*

31 Scio, Euangelium dici, quia annunciat etiam Saluatorem, & consolationem: tamen etiam terret. Adde, quòd Euangelium terret, vt amorem conciliet, & consolatur, & secum fert gratiam copiosam; lex autem antiqua terrebat horribiliùs, modicam secum ferens gratiam, & consolatorem à longe salutans, vt notat D.Bonau. *loco cit. ad argumenta.*

Probatvr quintò à Seraphico, *serm. de 10. præceptis*; vbi legis moralis præcepta ratificantur. Primum sanè præceptum, Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Et *Rom.1.* reprehenduntur Idolatræ, & qui seruiunt creaturæ, potiùs quàm Creatori. Et *Eph.4.* dicitur Auaritia *Idolorum seruitus*, & *Philip.3.* Reprehenduntur hi *quorum Deus venter est: & gloria eorum in confusione ipsorum.*

32 Circa secundum. Iuramentum falsum vetatur. Matth. 5. *Ego autem dico vobis, Non iurare omninò.* Vbi acutè S.Bonauent. obseruat, non vetari omninò iurare, sed non iurare omninò, *idest omnibus modis, & causis; sed ex veritate, & necessitate.*

Tertivm sanctificandi festa. *Heb.4.* &. *Ioan.5.* vbi Christus se iustificat, non fecisse opus seruile, die Sabbati, curando paralyticum.

Qvartvm præceptum, Ephes.6. *Filij obedite parentibus vestris. Hoc enim iustum est.*

Qvintvm præceptum, Matth. 5. *Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides? Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, Racha; reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue; reus erit Gehennæ ignis.* Ioan.3. *Qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam homicida non habet hæreditatem in Regno Christi.*

Sextvm præceptum, Matth. 5. *Audistis quia dictum est antiquis: non Mœchaberis. Ego autem dico vobis. Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo.*

Septimvm, Ioan.2. cùm eiecit negotiatores, dicens: *Fecistis domum Patris mei, speluncam latronum.*

33 Octavvm suprà, Matth.5. vbi omne falsum iuramentum vetitum est. Et *Ioan.19.* vbi falsa testimonia reprehenduntur.

Similiter Nonum, & Decimum, *Matth.5.* confirmantur.

Preterea confirmatur ex aliis præceptis Christi, Ioan.3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Ioan.6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Prima Cor.7. *His, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non Ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere*, & *Matth. vlt.* allato idem habetur.

Rvrsvs Ioan.13. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.* Ioan. 15. *Hoc est præceptum meum, &c.* quæ latè prosequitur Doctor Seraph. ad ea loca Ioannis.

Idem habent Apostoli. Petrus *epist.1. cap.1. & 4.* Ioan. *tota prima epistola.* Paul. *Rom.13. Ephes.3.* & alibi passim. Tandem tota Scriptura clamat, vt indicat D.Bonau. *dist.37. cit. in 4.*

34 Probatvr deinde ex Patribus à Doctore Seraph. *loco citato.*

S. Gregor. *homil. 23. in Euangelia*, super illud Lucæ 24. *Aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum in fractione panis. Audiendo Dei præcepta, Discipuli illuminati non sunt; sed faciendo ea illuminati sunt. Quare? Quia non auditores legis tantùm, sed factores iustificabuntur.* Idem refricat Seraphicus ad hunc Lucæ textum; vbi id probat ex eo Psalm.118 *Super omnes docentes me intellexi, quia mandata tua quæsiui.*

S.Avgvstinvs *lib.1.confess.à c.5.Tom.1.*& cæteris sequentibus, confitetur, se contra legem peccasse, quæ omnibus præcepta est, & *in Psalm.72.*ad finem, ad ea verba: *Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te: Mihi autem adhærere Deo bonum est*, explicat legis Diuinæ obligationem, *Tom.8.*

Ex *Tom.10. in serm. de verbis Apostoli*, præcipuè allegat Seraphicus *sermonem 53. & lib.2. de Doctrina Christ. cap.20. & 23. Tom 3.* vbi idem explicatur. Et in quæstionibus super Exod. *quæst.71.* propè finem, & *lib. de mend. à cap.21.eod. Tom.* Et *lib.3. Quæstionum super Leuit. quæst.68. Tom.4.* Idem habet *lib. de spiritu, & litt. cap. 14. lib. 10. contra Faustum, cap.2.* & *in Psalm.73.*

D.Hieron. in quadam epist. *in Psal.54.* Et *ad 14. Ezech.* & alij relati etiam ex magistro à D.Bonauent. *ad dist.37. tertio sent. ad finem libri.*

Probatvr deinde rationibus à D Bonauent. *in 3. dist.37. loco cit.* Vbi est lex, ibi est etiam præuaricatio transgressori statuta, sed Deus dedit in nouo Testamento legem: Ergo. Minor patet ex dictis. 35

Ostendit autem S. Doctor, conueniens fuisse, Deum etiam nobis dare Legem: Tum quia conditoris est deducere creaturas ad fines. Finis autem hominis est beatitudo, à quo potest aberrare ex suo libero arbitrio: Tum quia decet, Dominum à seruo obsequium exigere obedientiæ; Deus autem est summus Dominus: Tum quia decet, iustum Principem, ac iudicem secundùm merita retribuere; sed meritum, & demeritum non habent locum, vbi nulla cadit obligatio legis, quæ est regula iustitiæ: Ergo. Tum ad pacem, quia Deus est iustus per essentiam: ideò omnia debent ab eo ad iustitiam participandam dirigi: proptereà verò, vt ait Doctor Seraph. *in corpore*, necessariæ fuerunt leges; non potest enim seruari pax, vbi ius alienum violatur. Sic igitur instituit. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Matth.22.

Assero tertiò, iustos etiam legibus humanis esse subiectos. 36

Probatvr primò à D. Bonauentura *serm. 5. de præceptis.* Primò, ex prima Petri, cap.2. *Deum timete; Principes honorificate, subiecti estote omni humanæ creaturæ: siue Regi quasi præcellenti; siue Ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum; quia sic est voluntas Dei, vt benè facientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam; quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei.*

Probatvr secundò in 11. ad Heb. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.* Ad id affert etiam D.Hieron. *ep.4. ad Rusticianum, Tom.1.* sed hoc ex professo agetur *disp.5. quæst.1.*

Aduertit autem Seraphicus, hanc subiectionem præcipi in quarto præcepto, qui enim Reipubl. præest (ait S.Doctor) est pater, ratione authoritatis; vt Princeps, Baro, Comes, vel Dux; & dicitur Pater defensione, & tutelâ, & debemus eum honorare, eique obedire, quia habet authoritatem. Hoc verò latiùs ostendam *disput. 5. quæst.1.* cùm authoritatem in hominibus ad leges condendas ostendam.

Probatvr tertiò à D. Bonauentura *serm. cit.* 37
ex

ex 13. ad Rom. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, &c. Et ideo subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Ex quo ruit effugium hæreticorum, quod Seraphicus Doctor præuidit, atque præclusit *in 2. dist.42. art.3. quæst.1.* vt latiùs dicam *disput.5. quæst.1. & 2.*

38 Falluntur autem hæretici, dum libertatem Christianam in exemptione à Legum obseruantia ponunt; non enim est vera libertas illa; sed pessima seruitus omnibus subiugans peccatis, vt notat D.Bonauent. *hic ad* 3. Sic enim *Ioan.* 8. liberos eos vocat. *Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis*, idest à peccato; nam paulò antè dixerat. *Qui facit peccatum, seruus est peccati*, vt rectè discurrit Seraphicus ad eum locum Ioan. Libertatem autem in eo positam, vt sicut veteres leges onere grauabant, vt habetur act.15. *Iugum, quod nec nos, nec patres nostri, portare potuimus*; nos è contra gratiam habeamus singularem ad onus alleuiatum facilè ferendum, vt habetur Ioan.1. *Lex per Moysen data est: gratia & veritas per Iesum Christum facta est*; & Spiritu sancto ditati, *Vbi autem spiritus, ibi libertas*, vt habes secunda. Corinth. ideò ait Ioan. *Si Filius vos liberauit, gratia scilicet libertate, liberi eritis.* Pessima quidem seruitus peccati; ideò, cùm Iudæi iactarent. *Nemini vnquam seruiuimus*, & mentirentur; cùm eorum maiores multis fuissent captiuitatibus mancipati; eos tamen non redarguit; sed eos teuincit pessima, & miserrima esse mancipia peccati, quæ vera seruitus est, obiecit, vt habet S. Augustinus Tract. 41. in Ioan. *Qui facit peccatum, seruus est peccati*; loquitur autem de peccato mortali, quod in tetertimam trahit captiuitatem, nam aliqua omnibus irrepunt peccata è fragilitate, vt ait D.Augustinus *loco cit.* Id innuebat Apostol. Rom.7. *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei.* In hac vita tamen liberati à peccato, & serui facti Dei, mirifica fruimur libertate.

39 Prima enim libertas est, carere criminibus, vt ait D.Augustinus *loco cit.* Vt enim loquitur Seneca, ep.51. *Libertas est, non homines timere, non Deos, nec turpia velle.* Et Boëtius de Consol. lib.1. prof.5. *Summa libertas est, agi frænis Dei, & obtemperare iustitiæ.* Hæc verò libertas perfecta erit in gloria; quia, vt ait Seneca, epist.124. *Vera libertas est nulli rei seruire, nullis necessitatibus, nullis causis, fortunam in æqualitate ducere. Bonum hominis liberi est animus erectus, alia sibi subiiciens; se autem nulli.* Hæc S.Bonau. *ad* 8. *Ioan.* & *collat.*43. *ad cap.*18.

Obiiciunt primò, prima Timoth. 1. *Iusto non est lex posita.*

40 Respondet D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 1. *dub.*3. D. Thom. *quæst.* 93. *art.* 5. *ad* 1. & alij cum Suarez, *cap.*19. Bellarm. *cap.*6. cum D.Augustino *lib. de spiritu, & litt. cap.*10. Iusto non esse legem positam, quò ad motiuum terroris, & minarum, quibus iusti non indigent, sed iniusti; quia perfecta charitas foras mittit timorem, vt habetur *prima Ioan.*4.

Vasquez *numero* 11. refellit hanc expositionem; quia multi iusti, minùs perfecti, aguntur etiam timore pænarum, ad legis obseruantiam. Est enim Timor Donum Spiritus sancti; si cum spe veniæ coniungatur, vt definit Concil. Trid. *sess.*14. *cap.*4. Explicat autem, Iusto non esse legem positam ad damnationem, seu pænam à legibus impositam, quam expositionem esse D.Anselmi asserit.

Enim verò adducit D.August. *loco cit.* dicentem: *Iusto non est lex posita, non quia iustus ad iustitiam perducatur; sed quia legitimè, vt iustus vtatur.*

1 Suppono autem, in lege duas esse vires: alteram directiuam, seu vim imperandi, quæ in iubendo, aut vetando consistit; Alteram coactiuam, quæ in comminatione, & inflictione pænæ posita est. Iustum autem subdi legis vi imperatiuæ, seu directiuæ asserit D.Augustinus, quia subditur imperio legis, non autem coactiuæ; non quia comminatio non comprehendat etiam iustos, si contra legem peccauerint; sed quia iusti non ducuntur spiritu timoris; ac proinde nec mero pænarum metu; sed spiritu amoris, qui cum timore filiali coniunctus est, vt notat Seraphicus *in* 3. *dist.*40. *quæst.*1. *ad argumenta*, & hæc expositio est D. Augustini *loco citat.* vt fatetur Vasquez *num.* 22. Cùm autem iustus, amore filiali obseruet leges; hinc sequitur eum non subdi pænis legum. Et hoc vult D. Anselmus, vt patet legenti; nam si eo modo intelligeret, quo Vasquez ait. Iustus diceretur impropriissimè non esse sub lege; sed dicendus esset, non esse sub effectu legis.

Eadem responsione S. Bonau. *loco cit.* soluit omnia loca scripturarum, quibus dicitur, Iustum legibus non teneri: ibi enim respondit textui Galat.4. *Factum sub lege*, & ostendit, quo pacto Christus, imò & alij iusti non subiiciantur legi; (tametsi alia etiam ratione Christus eximatur, vt Filius Dei, & Deus) vt Galat. 5. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Et Rom. 6. *Non estis sub lege, sed sub gratia.* Eum sequuntur Sotus, Vega, & omnes Recentiores, excepto Vasquez, vt ipse fatetur *cap.*2.

Obiiciunt secundò illud *Galat.* 3. *Lex propter transgressionem posita est*, idest transgressoribus. 42

Respondet D.Bonauent. *in Apendice Dieta salutis, Dom.* 13. *post Pentec.* legem positam ad coercendas transgressiones, in quas populus ad malum admodum procliuis erumpebat. Ità exponunt Chrysost. & alij Patres Græci: Quare non solis transgressoribus imposita est; sed iustis etiam, ne transgrederentur. Vasquez *num.*24. sic exponit; legem positam esse, vt eà positâ, transgressio illius sequeretur, nec auferretur peccatum, nisi per gratiam Christi. Deinde expositionem S.Bonau. meliorem affert.

Obiiciunt tertiò *secunda Corinth.*3. vbi Apostolus ait: nos non agere illo velamine legis, sed auferendum fuisse: & subdit. *Dominus autem spiritus est, vbi autem spiritus, ibi libertas.* 43

Respondet D. Bonauent. *de septem. Itineribus Æternitatis, Itinere* 5. *dist.* 4. loqui Apostolum de velamine cæcitatis, & vmbrarum, illud nimirum esse reuelandum, & nunc reuelatum à Christo, dum manifestauit vobis Patrem, & alia Diuina mysteria, quæ adhuc Iudæis manent obscura ob eorum cæcitatem; ex qua reuelatione, Iudæos, remoto velo cæcitatis, spiritu charitatis in Christum formandos, & libertate à peccato fruituros, exponit Seraphicus etiam *in Dieta salutis, tit.*16. *cap.*1. post medium, & post eum Vasquez *num.*21.

Obiiciunt quartò. Deus non præcipit id, quod auget concupiscentiam; sed lex auget concupiscentiam, Rom. 7. *Peccatum, occasione accepta per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam.* 44

Respondet D. Bonauent. hoc factum esse, non à lege, sed occasionaliter per accidens à fomite nitente in vetitum; ipsa verò lege dante peccati cognitionem, nec sua nuda littera tribuente gratiam; homine verò scienter perpetrante peccatum, dicebatur lex intendere concupiscentiam, non ex vi sua, aut ex intentione Legislatoris, qui dedit legem ad salutem hominis; & gratiam exhibebat; sed ex hominis culpa. Ità respondet etiam Bellarm. *lib.* 5. *de Amiss. gratiæ, & statu peccati, cap.*3. ante medium. Hoc sensu ait Seraphicus Glossam ad id *prima Cor.*1. *Virtus peccati lex*, dixisse: *Lex prohibendo auget cupiditatem.* Addit

Addit enim, *nisi spiritus Sanctus diffundat charitatem*: At quamuis legis nuda cognitio, & littera non conferret, tamen cum gratia præparata, ipsa lex ad salutem conferebat.

45 OBIICIVNT quintò ex D. Augustino *super Genes. ad litt. cit.* Meliores iudicauit homines, qui ei liberaliter deseruirent; At debitum repugnat Christianæ libertati, & obsequio: Ergo.

RESPONDET S.Bonauent. obligationem ad bonum repugnare non veræ libertati, sed falsæ peccandi: posse enim peccare non est libertas; at verò tollitur seruitus teterrima, & ponitur impunitas, atque immunitas à captiuitate æterna diaboli, bono adhærendo.

OBIICIVNT sextò. Maioris liberalitatis est dare gloriam absque onere legis adimplendæ: At Deus est liberalissimus: Ergo.

RESPONDET D.Bonauent. primò, esse quidem maioris liberalitatis ex parte dantis ità largiri; At maioris gloriæ esse recipienti, ea bona mereri. Deus autem respicit nostram etiam gloriam.

PRÆTEREA merita nostra non derogant Diuinæ liberalitati; imò etiam eam manifestant; quia Deus, qui bonorum nostrorum non indiget, nobis dat gratiam, qua merita cumulentur, & sua dona coronat, vt ait D.Augustinus, & Apostolus, Rom.6. *Gratia Dei vita æterna.* Esse verò necessaria opera formata gratiâ ad meritum, ostendam *Tract.5.disput.4.quæst.7.* de quo Seraphicus Doctor *quæst.2.*

SATIS igitur elucet, quo sensu Euangelium dicatur, *Bonus nuncius*, nempè quia cum lege secum fert gratiam, qua facilè eam obseruemus. Vide D.Bonau. Procemio in Ioan. §.*secundò quære.*

QVÆSTIO X.

An possit in LEGIBVS *fieri mutatio.*

46 MVTABILES esse leges manifestum est, vel deficiente necessitate, quæ legem inuexerat, vel deficiente potestate, quæ illam sanxiuerat.

PRIMO igitur tollitur lex omninò, diciturque: *Abrogatio, & Irritatio:* dicitur etiam, *Mors legis*, quæ si prohibetur, dicitur: *Prohibitio.* Secundò, si tollitur obligatio ab aliqua persona, dicitur: *Dispensatio.*

SI loco prioris ponitur alia obligatio dicitur: *Compensatio, vel Commutatio,* & quando substituitur pro obligatione pecunia, dicitur: *Redemptio.*

SI comminetur alicui,& non puniatur,dicitur, *Permissio*; non *Dispensatio*; sicuti neque Licentia potest dici Dispensatio. Est ergo licentia mera circumstantia ad legis actum benè exercendum.

INTERPRETATIO est, cùm explicatur Lex in fauorem alicuius casus, non præuisi.

47 Si verò in aliquo casu non obseruatur Lex, quia non creditur Legislator in eo casu voluisse obligare, dicitur: *Emendatio legis.* Ità D.Thom.2.2.*quæst.*120. non quia sit mala, vel talis censeatur; sed quia creditur noluisse in eo casu cogere. Ab Aristotele verò 5. *Eth. cit.* dicitur *Epikeia.*

Cùm tollitur lex ad tempus, dicitur: *Suspensio.* De his agemus infrà, & est Iuristarum communis sensus.

QVÆSTIO XI.

De Varietate Legum.

D.Thom. quæst.91.

MVLTÆ sunt Legum species subalternæ, quæ singulis disputationibus perpendentur. 48

PRIMA ponitur Lex æterna, quæ est ratio practica in Deo ad gubernationem; sicut in Monarcha.

SECVNDA est Lex Naturalis, quæ est participatio legis æternæ, insita naturæ ad debitos actus, & fines.

TERTIA est Lex Diuina posita à Deo naturæ rationali ad debitum finem consequendum: est quidem à lege æterna, sed addit promulgationem externam aliquorum, quæ in lege æternâ sunt occulta.

QVARTA est Lex Humana, quæ est conclusio necessaria ex propositionibus practicis ad Reipubl. conseruationem. Hæc autem duplex est; Canonica, & Ciuilis. Ex his,alia est Odiosa; alia Fauorabilis. Membra alia recensebo etiam *Disp. quinta, quæst.1.*

DISPVTATIO II.

De Lege Æterna.

QVÆSTIO I.

Quid sit LEX ÆTERNA.

D.Thom. quæst 91. art.1.

IAM de singulis Legibus differendum: Et primò quidem de Lege Æterna, quæ est Regula aliarum vt habetur Prou.8. *Per me Reges regnant, & Legum conditores iusta decernunt:* & Rom. 13. *Non est potestas, nisi à Deo*, vt ritè aduertit Seraphicus Bonau. *Opusc.* cui titulus; *Principium Scripturæ.* 1

LEGEM Æternam, ait D. Thom. *quæst.*91. *art.*1. esse rationem gubernationis rerum in Deo, sicut in Principe vniuersitatis. Et quia diuina ratio æterna est; ideò dicitur Lex æterna. At quomodo huic legi aptetur definitio Legum, difficilè percipitur; præcipuè promulgatio non ei facilè conuenire inuenitur. D. Thom. *ad* 2. Legem æternam verbo, & scripto promulgatam ex parte Dei fuisse, ait; verbo sanè, quia Verbum Diuinum æternum est: scripto autem, quia scriptura *Libri vita* est æterna.

VASQVEZ ad eum articulum refellit responsum; quia Lex est à Deo,vt vnus est, & ideò nil facit Verbi Generatio, quæ personalis est, & ità solus Pater esset Legislator, qui Verbum protulit. Scriptura verò *Libri vita* est scientia Dei, in qua omnes res metaphoricè dicuntur scriptæ; hæc autem non potest habere rationem promulgationis, cùm non sit facta his, quibus lex imponitur; quia nulla creatura ab æterno fuit; neque ipsæ creaturæ realiter in æternitate fuêre præsentes. Potest igitur dici Lex æterna, non formaliter, sed materialiter; quia Decretum Diuinæ sapientiæ, quod in tempore promulgatur, est æternum, vt ait Valentia *disp.7. quæst.3. puncto* 3. in fine.

FATEOR

2 FATEOR, hanc legem non esse eiusdem rationis cum cæteris; & ideò non prærequirere aliarum conditiones. Est autem lex æterna, non quasi Deo imposita; sed ratio æterna idealis, quam omnes imitari debeant, vt ad fines suos operando perueniant; hæc autem æterna est, vt habet S. Bonau. *loco cit.* & *in* 1. *dist.*35. Est igitur lex æterna summa, atque æterna ratio Diuinæ sapientiæ, quatenus res omnes ad destinatos fines ita dirigit; vt illis, iuxta ipsarum exigentiam, aliquem modum conferat. Nam rebus necessariis necessitatem simpliciter; contingentibus verò solùm secundùm quid, ad aliquem finem affert. Vel etiam necessitatem peculiarem in ordine ad beatitudinem, quo pacto Diuina sapientia; atque adeò lex æterna requirit ab hominibus actiones aliquas alioqui liberas, & contingentes.

HÆC porrò lex ad nostram allatam descriptionem exponitur *Sap.*8. vbi dicitur, Diuinam sapientiam attingere à fine, vsque ad finem fortiter: hoc est, modum aliquem necessitatis afferendo, & suauiter disponendo; vt habet Seraphicus ad eum locum, & post eum Tanner. *disput.*5. *quæst.*2. *dub.*1. *num.* 3. Eodem sensu

3 dicitur Prou. 8. vers.23. *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret*, &c. *Quando præparabat cælos, aderam: quando certa lege, & gyro vallabat abyssos*, &c.

HANC autem legem, ait Valentia *loco cit.* creaturis propositam; irrationalibus quidem hoc ipso, quod ab æterno sancita est, vt suo tempore in huiusmodi creaturis habeat suos effectus: Creaturis verò ratione præditis intimari, & promulgari, maximè per hoc, quod eis innotescit, non in se. (Sic enim solis beatis est nota,) sed irradiatione in suis effectibus, præcipuè in lumine naturali rationis, vera cognoscentis, vt docet D.Thom. *quæst.*93. *art.*2. & D.Bonau. *in* 2. *dist.*39. *quæst.*2. *in corpore.* Quæ cognitio veritatis omnibus communis est, vt ibidem docent SS. DD. saltem quoad præcepta communia naturalia, per quæ lucet in primis Lex æterna.

IGITVR, dari legem æternam probatur à Seraphico *ad* 19. *Ioan.* & D.Thom. *quæst.*33. *art.*1. ex Dei prouidentia; Quia enim Creator est omnium, debet omnia ad fines suos perducere, prouidendo media necessaria; sicut autem in artifice præexistit ratio Idealis faciendorum; ità in gubernante ratio eorum, quæ agenda sunt per eos, qui gubernationi subduntur; & sicut ratio rerum faciendarum per artem, dicitur ARS; vel exemplar; ità ratio gubernationis dicitur LEX.

QVÆSTIO II.

Vtrum omnis LEX *deriuetur à Lege æterna.*

{ D.Bonau.in 2.d.44.art.2 q.1.
D.Thom. quæst.93. art.3.

4 VASQVEZ ad hunc art. D.Thom. tametsi concedat, omnes leges, prout dicunt imperium rationis, quo indicatur aliquid bonum faciendum, & id præcipit; & malum vitandum, quod prohibet, deriuari à lege æterna; in mente Dei existente; attamen dicit; si loquamur de lege ipsa Naturali, quatenus est aliquid prius omni imperio, & iudicio; non posse eam deriuari ex lege æterna; prout lex æterna est ratio existens in mente Dei; quia lex Naturalis est ratio ipsa, idest natura rationalis, vt rationalis est, quatenus ex se non implicat contradictionem; cùm autem hoc non habeat natura, vt rationalis est, ex voluntate, aut iudicio Dei; sequitur, hoc modo eam non posse deriuari à lege æterna, eo modo acceptâ, nisi quatenus est posterior primo Ente. Hoc dicit iuxta sua fundamenta, reiecta *tract.*3. *disp.*1. *quæst.*5.

OMNES igitur concedunt (exceptis ibi relatis, qui tenent aliquod malum culpæ reperiri, non ex lege aliqua) omnem legem esse à lege æterna.

ASSERO, vniuersaliter omnem legem deriuari à lege æternâ. 5

PROBATVR primò D. Bonau. *fundamento primo* & *ad cap.* 19. *Ioan.* Si aliqua lex, atque potestas non deriuaretur à potestate, & lege æterna, maximè illa, qua abutuntur Tyranni. Sed hæc, vt virtus. & potestas, est à Deo, Ioan.19. *Non haberes in me potestatem, nisi tibi datum esset desuper*: Ergo.

SECVNDO probatur à Seraphico *fund.*2. & *loco cit. Ioannis*, ex 13.Rom. *Non est potestas, nisi à Deo.* Prou.8. *Per me Reges regnant, & Legum conditores iusta decernunt.* Alias authoritates à Magistro adduci ait. Quibus authoritatibus vtitur etiam Valentia *disp.*7.*quæst.*3. *puncto* 1. & Tanner. *disp* 5. *quæst.*2. *dub.*1. Et idem Seraphicus ad ea verba Ioan.3. *Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras?* & in opusculo cit. cui tit. *Principium Scripturæ.*

PROBATVR tertiò ratione, quæ est etiam D.Th. Lex est effectus potestatis, mouentis subditos ad finem: Potestas autem dicit positionem, atque perfectionem mouendi, & dirigendi. Omnis autem potestas participatur à prima potestate, & omnis motus à primo mouente, qui est Deus. Ea ratione vtuntur etiam alij.

Confirmatur à D. Bonau. Inter præcipuos effectus Legum sunt pœnæ; At omnis pœna, vt talis, à Deo est. Tunc sic: Quod est causa effectus alicuius causæ, in quantum est causa, influit etiam in causam; sed Deus est causa effectus Legum, in quantum leges ipsæ sunt causæ talis effectus: Ergo.

ADVERTIT tamen Seraph. Doctor, Virtutem quidem, & potestatem condendi leges, quippe dicentem perfectionem, à Deo esse: Similiter & rationem potestatis secundùm iustitiam exercitæ; At si de modo loquamur, quo sæpe aliqui abutuntur potestate; quia legibus abutuntur, à Deo quidem ordinante est, si comparetur ad subditos, quos Deus exercet, aut ad emendationem culparum, aut ad punitionem iustam, aut ad probationem, & meritum. Ità *Iob* 24. dicitur: *Fecit regnare Hypocritam propter peccata populi.* Et Oseæ 13. *Dabò ei Regem in furore meo.* 6

AT verò, quoad abusum potestatis, est à Deo permissiuè. Ideò dicit Oseæ 8. *Regnauerunt, & non ex me.* Ideò ait D.August. lib. de natura boni, cap.32. tom.6. *Iniustum non est, vt improbis accipientibus nocendi potestatem, & bonorum patientia probetur, & malorum iniquitas puniatur.* Idem habet S.Bonauentura etiam *ad* 19. *Ioannis.*

QVÆSTIO III.

Vtrum omnia subiiciantur Legi Æternæ.

{ D.Thom. quæst.93.

ASSERO primò. Ea, quæ sunt intra Deum, non subduntur Legi æternæ. 7

PROBATVR à D.Thom. *art.*4. quia lex æterna est ratio gubernandi per rationem, & voluntatem; At quæ intra Deum sunt, non gubernantur à Diuina ratione, & voluntate; sed sunt ipsa ratio, &c.

ASSERO secundò. Omnia creata subduntur legi æternę.

PROBATVR

Probatur à D. Thom. quia subduntur Diuinæ gubernationi: Ergo, &c. Conseq. patet ex dictis. Nam Lex æterna est ratio Diuinæ gubernationis; atque adeò tam latè patet Lex æterna, quàm latè extenditur Diuina Prouidentia.

Quare *Psalm.* 148. etiam res naturales significantur habere legem. *Præceptum posuit, & non præteribit. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius*; vt notat Valentia *disp.7. quæst.3. puncto* 4. cum Seraphico Doctore *in 4. dist.3. part.1. art.3. quæst.1. ad argumenta*, & *in primo, dist.10. art.2. quæst.3. in resolut.*

8 Hinc homines duplici nomine tenentur lege æterna. Primò, vt sunt res; Deinde vt sunt rationis participes: Vnde illorum peccatum definitur à D. Augustino *lib.22. contra Faustum, cap.27.* esse contra Legem æternam, vt habet Seraphicus, *locis relatis, Tract.3. disp. 2. quæst.1.* Vide etiam Tannerum *disp.5. quæst.2. dub.1. num.27.*

Imo etiam peccatum, quatenus est peccatum formaliter, vt habet rationem pœnæ, subditur legi æternæ; non autem præcisè sumptum. Diximus enim *Tract.3. disp.5. quæst.2.* peccatum, vt peccatum, esse posse pœnam peccati.

Ex quibus colligit Valentia *puncto* 4. in fine, rectè D. Bonauenturam *in 2. dist.36.* dixisse, homines, etiam cùm peccant, & desciscunt à Lege æterna, vt præcipiente, reincidere in ordinem eiusdem Legis æternæ, vt punientis eos illo ipso incommodo, & damno spirituali, quod in se peccatum continet.

QVÆSTIO IV.

An Lex Æterna *sit mutabilis.*

9 Assero primò, hanc legem ex parte Dei esse immutabilem. Patet: est enim ipse Deus.

Assero secundò, ex parte rerum esse mutabilem. Sic enim mutatæ sunt leges veteres, vt habetur *Heb.7.*

Ex quo intelligitur id *Sap.7.* vbi dicitur Sapientia Diuina esse spiritus mobilis, & tamen stabilis: *Mobilis*; scilicet ob mobilitatem materiæ, & obiecti; *Stabilis* autem secundùm se. Sic ibidem dicitur: *Cum sit vna, omnia potest; & in se permanens, omnia innouat*; vt exponit Doctor Seraph. *ad eum locum*, & Valentia *puncto* 5. De humanis autem legibus alia est ratio. Nam sunt mutabiles etiam ex parte Legislatorum.

Ex his habes primò, omnes, tametsi teneantur Lege æterna, posse aliquem alio tempore teneri; alio verò eximi ob mutationem rerum. Simpliciter verò teneri Diuinæ æternæ Legis præscripto, nullâ rerum factâ mutatione.

Habes secundò, aliquam esse materiam liberam Legis æternæ; vt sunt, quæ possunt non prohiberi; aliqua verò esse materiam necessariam; vt sunt, quæ non possunt non prohiberi; vt odium Dei, & similia.

DISPVTATIO III.

De Lege Naturali.

Disputatio nostra est de Lege Naturali creaturæ rationalis, quæ propriè est Lex; non enim irrationales Legi obedire dicuntur.

QVÆSTIO I.

Quid sit Lex Natvralis.

D.Thom. quæst.94. art.1
D.Bonauent. in 2. dist 39 art 1. quæst. 1.

Prima opinio est Vasquez *disp.150. num.23.* Legem Naturalem esse ipsam naturam, ex se rationalem, cui tanquam regulæ etiam iure naturali bonæ actiones conueniunt; malæ autem dissonant. Itaque non esse imperium, aut iudicium rationis, aut voluntatem; sed quid prius; quinimò præcedere etiam voluntatem, & iudicium Dei: Ius enim naturale dictat bonum, & malum respuit, quæ talia non sunt, quia sic iudicentur à Deo; sed potiùs bona, vel mala iudicantur, quia talia sunt: non enim Idolatria est mala; quia sic à Deo iudicatur; imò potiùs sic existimatur à Deo, quia mala est. Hoc verò *quæst. sequenti* discutiam. 1

Exponens verò hunc articulum D. Thom. dicit, legem naturalem non esse habitum, sed opus, & actum intellectus; non quia actus intellectus sit primaria Lex naturalis, sed quasi secundaria, applicans primariam legem, & regulam ad operationes humanas. Quare, & ipsa naturalis vis, aut habitus synderesis quodammodo etiam dici potest Lex, quatenus principium est huius applicationis.

Secvnda sententia est D.Thomæ, quem sequuntur discipuli *hîc*, & Valentia *disput.7. quæst.4. puncto* 1. Legem naturalem non esse habitum, sed actum potiùs rationis, & quoddam dictamen, atque iudicium eius: Impropriè autem dici habitum, quatenus hæc dictamina legis naturæ sunt quandoque in intellectu; non actu, sed solùm potentiâ, & in habitu primorum principiorum legis, qui est Synderesis, & manet post actum dictaminis. Idem sentiunt Soto *lib.1. de iust. quæst.4. art.1.* S.Antonin. *p. parte, tit.13. cap.1.* Azor *lib.6.*

Tertia opinio est, Legem naturalem esse habitum facultatis intellectus, quo discernimus bonum à malo. Citantur à Vasquez *ad locum cit. D. Thom.* & Tannero *loco cit. Angelici*, Alens. 3. *part. quæst.27. memb. 2.* & Bonauent. *in 2. dist.19. art.2. quæst.1. in corpore, & ad 5.* hoc solum discrimen ponit Vasquez in Seraph. Doctore, quòd ait, accipi aliquando Legem naturalem pro obiecto ipsius Synderesis, quod vocat collectionem præceptorum. 2

Sententia igitur germana Seraphici *loco cit.* hæc est, legem naturalem esse vim quandam ad modum luminis, quod in natura rationali fundatur, quâ ea sectari tenentur homines, quæ sunt rationi consona. Ex hac igitur natura oriri vim quandam ad modum luminis, & habitus, quo opposito, tunc discernatur bonum à malo, & illud dictetur: hoc verò dissuadeatur. Et quidem quò ad prima principia practica communissima haberi à natura, V. G. *Bonum esse*

esse faciendum: malum autem vitandum. Quod quisque vult sibi ab aliis fieri; alteri faciat. Diuinum numen esse colendum. Parentes honorandos. Addit verò etiam ad hæc opere complenda necessarias esse species aliquas, demonstrantes nobis obiectum, V. G. hunc esse Patrem; illam esse Matrem; quamuis enim dictetur mihi, parentes honorandos; non tamen scio quinam sint mei genitores, nisi ediscam. Excipit ea, quæ, cùm lumine naturali cognita sint, non aliunde emendicantur, vt. *Deum esse colendum*, non enim Deus cognoscitur per similitudinem à sensu acceptam; imò Dei notitia naturaliter est nobis insita, vt ait Damascus *lib. 1. de fide, cap. 1. & 3.* Vide Seraphicum *in 2. dist. 39. art. 1. quæst. 2.* in fine resolutionis.

3 Legem verò naturalem ait Seraphicus circa alia minùs communia, & nota principia, egere aliqua instructione. V. G. coniugis fidelitas ad coniugem, & similia, quæ egent instructione aliqua vinculi obligantis. Idem sentit Alensis, *loco cit.* Abul. *Matth. 19. quæst. 30.* & communiter Iuristæ, titulo *de iustitia, & iure.*

Advertit autem D. Bonauent. *loco cit.* Legem naturalem vno modo significare habitum, seu lumen quoddam permanens, & dictans bonum: & malum dissuadens; alio etiam modo significare præcepta ipsa naturalia, vt sunt obiectiuè in mente, seu synderesi: Differe autem à conscientia; quia Lex naturalis dictat in genere; at conscientia dictamen applicat particularibus; Conscientiam tamen latiùs patere; quia applicat alias leges; imò etiam legem æstimatam, quando est erronea.

Tandem lex fertur de agendis; at verò conscientia etiam circa facta versatur. Ideò ei adscribitur non solùm dictare, sed ligare, testificari, accusare. Idem sentit D. Thom. *prima p. quæst. 79.* & *prima secunda, quæst. 19. art. 6.*

4 Ex hac doctrina habes primò, legem, seu lumen naturæ, non dictare applicando omnibus obiectis indiuiduis, sed solùm illis, quæ secundùm naturam nobis sunt consona, eaque à conscientia dictari indiuiduè; ita tamen, vt conscientia dictet etiam alia, quæ aliis legibus humanis quoque sunt conformia: Synderesim verò circa omnia pungere, remordêre, & appetere.

Habes secundò; sicut vna est natura hominum; ità vnam esse legem naturalem, præsertim quò ad vniuersalia; Quamuis apud aliquos ob prauam consuetudinem, & cæcitatem possit aliquando obrui; vt quoad aliquas conclusiones non sit nota. Sic aliquæ gentes, etiam legibus, plurima scelera admittebant, vt refert Cæsarius *lib. 6. comment. de bello Gallico*, & Theodoretus *lib. 9. de curandis affectionibus Græcorum*, & Valentia *disp. 7. quæst. 4. puncto primo.* D. Bonauent. *in 3. dist. 37. quæst. 3. fundamento primo.*

5 Assero, Legem naturalem non esse merum actum, sed habitum, seu ad modum habitus.

Probatvr à Seraphico, primò ex D. Hieron. *ad 2. Malach.* ad ea verba. *Custodite ergo spiritum vestrum; & vxorem adolescentiæ tuæ noli despicere.* vbi S. Hieronym. ait: *Vxorem adolescentiæ, naturalem dicunt Legem, in corde præscriptam, quæ omnibus hominibus insita est. Vnde & gentes, non habentes legem Dei, ea, quæ sunt legis, operantur.* Rom. 2. *& de hac coniuge in Prouerbiis prædicatur, & à Deo coniungitur vxor viro, & iubemur, vt de nostris aquis bibamus, & fontibus, nullusque in potando sit particeps, & vt lætemur cum vxore adolescentiæ nostra. Hæc vxor impellit & incredulos dicere. Deus indicet, & Deus videat.* Iudith. 7. *Hæc vxor residuum spiritus nostri est; quia nostro semper sensui copulatur, quæ si recedat à nobis, statim offendimus Deum.*

In eo igitur ponitur à D. Hieronym. lex naturalis, vt veluti vxor vnificata cum spiritu nostro permaneat indissolubiliter. Ex quo patet, non actum, qui transit, sed alterum sanè à spiritu essentiâ distinctum, ei tamen arctissimo vinculo copulatum esse. Vnde sequitur, neque esse potentiam, quæ est ipsa animæ substantia, vt vidimus *prima parte, Tract. de Anima, disput. 2. quæst. 1.* Erit igitur ad modum habitus. 6

Ex hac D. Hieronym. Glossa, educit S. Bonauent. rationem, qua vtitur Vasquez ad citatum art. D. Thom. ex Glossa *ad 10. Lucæ* ad ea verba: *Abierunt semiuiuo relicto.* Omnis actus creatus transit, sed Lex naturalis permanet solidissimè. Ergo non est actus. Confirmatur; si enim esset actus, non maneret in hominibus, qui praua consuetudine, & moribus oppositum iudicant.

Lex igitur naturalis est aliquid connotatum, spectans ad naturam, vt dixi *disput. præcedenti*, aliquo tamen modo distinctum.

Probatvr tertiò à Seraphico *in corp.* ex dictis *dist. 24. part. 1. art. 2. quæst. 3. in corpore*, vt citatur in tabula, sed non inuenitur eo loco, sed tantùm *in 4. dist. 6. quæst. 2. in fine resol.* ex illo Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Dicitur autem lumen vultus, seu rationis Dei vt notat D. Thom. & post eum Valentia *part. 1.* circa finem, vt ostendat legem naturæ, de qua antè dixit: *Quis ostendit nobis bona?* Et respondet: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Quibus verbis indicauit, Legem Naturalem, de qua hîc loqui Prophetam concedit Valentia, esse lumen diuinitus inditum ad discernendum bonum à malo; atque adeò esse prius ipso dictamine naturali. 7

Probatvr quartò à D. Bonauent. *in 2. dist. 39. quæst. 2.* Ex illo *Rom. 2.* suprà relato, vbi Apostolus ait: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt; ipsi sibi sunt Lex: quia ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Ergo lex supponitur ipsi actui. Deinde subdit ex Gloss. & si gentes non habeant Legem Scriptam, habent legem tamen naturalem, qua sibi conscij sunt. Vbi naturale dictamen, ostendens opera legis, supponit Legem. Subdit; *testimonium ipsis reddente conscientia ipsorum.* Vbi conscientia dictans, dicitur supponere aliquid legis, vt ità esse, sicut dictat, comprobetur.

Probatvr quintò à Seraph. Doctore *ibi*, ex August. 3. *de libero arbitrio*, vbi legem naturalem vocat, *Naturale indicatorium.*

Probatvr sextò à S. Doctore *loco cit.* quia ante omnes actus habemus instinctum ad colendum Deum; honorandos parentes, &c.

Ex his colligitur Definitio legis naturalis, *Est Lumen quoddam naturæ insitum à Deo, quo dictentur ea, quæ sint naturæ consona, & quæ dissona sunt.* 8

Ex quo habes, Legem naturæ dici, quatenus à Deo est; quapropter etiam dicitur Lex Diuina naturalis, à Deo enim habet imperium, promulgationem, &c. quæ definitioni Legis competunt.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

Vtrum LEX NATVRALIS *sit praeceptiua.*

D.Bonau. in 1. d.47. quæst. vlt.
& in 2. dist 35. dub.4.
D.Thom. quæst 100. art.8.

PRIMA opinio est, Legem Naturalem non esse præceptiuam, quia non est signum voluntatis alicuius superioris, sed solùm indicat, & dictat. Ità Gregor. *dist.*34. *quæst.*1. *art.*2. & alij apud Suarez, *lib.*2. *cap.*16.

SECVNDA opinio est, Legem Naturæ positam esse omninò in libero Dei imperio, vt est Author naturæ.

9 TERTIA sententia est, Legem Naturæ verè esse præceptiuam; non tamen liberè pendere à libera Dei voluntate, quia sunt aliqua mala ante Dei voluntatem, vt Idolatria. Ità Seraphicus *in* 2. *loco cit.* D. Thom. *quæst.*71. *art.*6. *ad* 4. & *loco cit.* Vasquez *disp.* 150. *num.*23.

ASSERO, Legem Naturalem esse præceptiuam.

10 PROBATVR à D. Bonauent primò *loco cit. ad* 4. Ea Lex est præceptiua quæ imponit necessitatem & cogit, ità vt nequeat etiam à Deo dispensari, & tolli. Talis est Lex Naturalis: Ergo. Maior patet. Minor probabitur *quæst.* 7. Confirmatur: alioqui non esset lex, quod est contra Scripturam, *Rom.* 2. & Contra SS. Patres.

ASSERO secundò, voluntatem Dei præcipientis non esse totam rationem legis Naturæ.

PROBATVR à Seraphico *locis citatis*, & *in* 3. *dist.*37. *quæst.*3. *fundamento vlt.* ratione, quam maximè viget, & refricat Vasquez *loco cit.* & alibi passim; quia multa sunt mala independenter à voluntate Dei, vt Idolatria; nam antequam intelligatur Deus prohibere illam, intelligitur mala; vnde prohibetur, quia mala; non autem est mala, quia prohibetur.

11 ATTAMEN, vt innui *disput.*2. *quæst.*2. Lex Naturalis non antecedit omne iudicium Dei, quod explico cum Seraphico *dub. illo litt.* Deus enim est Author naturæ, quam tali ordine composuit, vt aliqua sequatur esse ei repugnantia; ità vt Lex Naturæ sic à Deo constituta præcipiat aliqua, quæ, supposito tali ordine, non possunt à Deo tolli; atque adeò non requirunt nouum iudicium Dei, vt verè sint mala: vnde ait Seraphicus Doctor, non posse talem deformitatem à Deo tolli, vt Idolatria; supposito enim, quòd Latria ordinetur ad cultum Dei, non potest à Deo concedi Idolo. Imò addo, Latriam, vt Latriam, si ponenda est, soli Deo esse concedendam; atque adeò supposito iudicio Dei de concedenda Latria, non potest Deus eam Dæmoni concedere, quocunque ordine condatur natura. Quicquid in oppositum nitatur Faventinus; Vide *Tract.*3. *disp.*1. *quæst.*3. ad quam remitto.

QVÆSTIO III.

Quæ sint præcepta Legis Naturalis.

D.Bonau. in 3. dist 37. quæst 2.
D.Thom. quæst. 91. art 2. & 4.
& q.94. art.1.& 3. & q.100.

PRIMA opinio est, sola præcepta naturalia, in genere, esse legis Naturæ; vt. *Ne feceris alteri; quod tibi non vis fieri.* Ita Durandus, & alij apud Suarez *lib.*2. *cap.*7. Et videtur Iuristarum, qui eos actus, quos dictat ratio per discursum, quasi consequentias, seu conclusiones deductas excludunt à lege Naturæ. Ità habent *lib.* 1. 2. *&* 3. & *leg. omnes cum aliis*, *ff. de iust. & iur. & l. Bona fide*, *ff. Depositi.* 12

SECVNDA sententia est D.Thom. *art.*3. & Recentiorum Thomist. omnem actum virtutis, secundùm rationem communem, esse legis Naturæ; At verò secundùm rationes, & materias singulares, non esse legis Naturæ.

VASQVEZ ad *eum art. D. Thom.* sic exponit mentem Angelici Doctoris, vt loquatur de operibus virtutum tantùm, ad quæ homo obligatur; non de his, quæ sunt consilij; & eo sensu dixisse, omnia opera virtutum, quæ sunt in præcepto, si considerentur secundùm rationem boni, non considerata materiâ, esse legis Naturæ: si verò consideretur determinatio materiarum, non omnia esse à lege Naturæ; sed multa lege humanâ sanciri; V. G. temperanter viuere, esse iure naturæ præceptum; At verò hanc materiam. V.G. ieiunij, esse legis humanæ, explicat. Neque loqui air, D.Thom. de virtutibus infusis, quæ, licèt sint naturæ conuenientes, vt ait Soto *lib.*1. *de iust. quæst.*4. *art.*3. tamen non sunt iuris naturæ. 13

COMMVNIS sententia est, Legem naturalem complecti ea principia vtilia suprà allata, & consequentias eorum necessarias, vt refert Valentia *disp.*7. *quæst.*4. *punct.*2. sed hæc sententia indiget explicatione, vt sententia Seraphici Doctoris sanciatur.

NOTANDVM primò ex Valentia *loc. cit.* diuersas haberi posse considerationes legis naturæ, secundùm quas lex naturæ potest distingui. Triplici autem potest ex capite considerari. 14

PRIMO, vt est quoddam iudicium rationis practicæ naturale, & Euidens; & hinc distinguuntur duo gradus propositionum legis Naturæ, vt notat S. Bonau. *in* 2. *dist.*39. *quæst.*2. *in corp.* & D. Thom. *loco cit. art.*2. Præcepta enim legis Naturæ ita se habent ad rationem practicam, sicut principia prima demonstrationum se habent ad rationem speculatiuam: vtraque enim sunt principia per se nota. Probatur autem *per se notum* dupliciter: primò, quia non solùm per se, sed etiam omnibus notum est, vt: *Bonum est sectandum: malum fugiendum*, & alia relata *quæstione* 1. Quædam verò, etsi nota in seipsis sint; non tamen sunt nota omnibus; sed eruditioribus, qui penetrant rationes terminorum, cæteri verò egent instructione, vt V. G. *fidelitas debita coniugi*: & his similia, quæ indigent alia cognitione. V. G. *debitum nosse coniugi.* Hæ autem propositiones demonstrabiles, aliæ propinquiùs ducuntur ex primis principiis. V. G. *creditori esse satisfaciendum: non esse patrandam cædem.* Aliæ remotiùs. V. G. *propter vsum pecuniæ mutuatæ non esse aliquid vltra capitale exigendum.*

SECVNDO considerari potest lex Naturæ, vt respondet appetitui naturali; nam, vt docent D.Thom. *quæst.*94. *art.*2. & D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 39. *art.* 2. *quæst.*1. 15

quæst. 1. *in corpore.* Lex naturæ de his præscribit, quæ naturaliter, vel appetuntur, vt bona; vel repudiantur, vt mala. Possunt autem in homine tres appetitus distingui. Primus ad esse, viuere, & conseruari; & huic appetitui respondent propositiones, quæ huc spectant. Secundus appetitus respicit ea, quæ sunt consentanea naturæ animalis: & huic respondent propositiones circa vsum coniugij, & hoc sensu Iurisperiti *l.* 1. *Instit. tit. primo de iust. & iur.* §. 1. & *ff. de eod. tit. leg. Iuri*; dicunt, *Ius naturale esse illud, quod natura omnia animantia docuit.* Idem habet D. Isidor. *lib.* 5. *Ethymol. cap* 4. vt refert D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 39. *quæst.* 1. *arg.* 3. Non enim est sensus, legem naturæ propriè, datam esse irrationalibus, qui non sunt capaces obedientiæ formaliter; sed materiam legis naturalis, quoad aliqua, esse communem animalibus omnibus; quod verò ait Vlpianus *ad eam legem*, ius naturale commune esse omnibus animantibus, in rigore est falsum; sunt enim aliqua legis naturæ propria hominis, vt ea, quæ sunt materiæ virtutum, vt notat Seraphicus *loco cit.* maximè earum, quæ in parte sensibili non sunt, etiam materialiter.

16 Itaque tertius appetitus est earum rerum, quæ sunt hominis propriè, & quibus indiget, vt conuenienter rationi sese gerat, quoad Deum, quoad se, & quoad proximum. His autem respondet tertius gradus legis naturæ. Tales sunt propositiones Religionis de colendo Deo, pietas erga parentes, &c. Vbi aduertit Caietanus *quæst.* 94. *art.* 2. & Valentia *punct.* 2. in quolibet istorum trium graduum, quos S. Bonau.

17 *in* 2. *dist.* 39. *art.* 1. *quæst. cit.* alio modo distinguit in leges, seu propositiones, respicientes bonum honestum, & bonum commodum Naturæ, sub quibus tres illi appetitus continentur, reperiri propositiones aliquas per se notas, & aliquas egentes discursu, iuxta primam diuisionem. Rursus dicit, non eas solas dici per se notas, quæ vniuersalissimæ sunt, V. G. *Bonum est faciendum.* Et *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Sed alias etiam, maximè, quæ spectant ad primarium finem cuiusque appetitus, sicuti etiam in speculatiuis, non ea sola sunt principia per se nota, quæ vniuersalissima sunt, vt: *Quodlibet est, vel non est. Omne totum est maius sua parte*; sed etiam alia propria cuiusque scientiæ, quæ continent definitiones subiectorum scientiæ; & hoc colligitur etiam ex D. Bonauentura *in* 2. *dist.* 39. *art.* 1. *quæst.* 2. *in corpore*, relato *quæst.* 1.

18 Advertit quoque Valentia, inclinationes illas, seu appetitus naturales triplicis generis, quos in homine distinximus, non re ipsa distingui; sed esse eandem voluntatem hominis, vt ad illa tria genera rerum se extendit: Non facere autem se mentionem (subdit) appetitus sensitiui; quia naturæ lex non huic per se respondet, sed voluntati, à qua mouetur hic appetitus; & secundum quam contingat propriè, aut obedire legi, aut exorbitare ab illa. Et hoc idem obseruat Seraphicus *dist.* 39. *art.* 2. *quæst. cit. in corpore*, vt patet.

19 Tertio igitur potest Lex naturæ considerari quoad materiam, quam præscribit; & ex hoc capite tam est multiplex naturæ lex, quàm sunt multiplices etiam actiones morales, quas iubet, aut vetat. Communiter autem solent ex hac parte distingui decem præcepta legis Naturæ, quæ numerantur in Decalogo. Ita Valentia post D. Bonau. in margine cit. Nam ad hæc reuocantur reliqua omnia, vel antecedenter, sicut prima principia vniuersalissima; vel consequenter, sicuti aliæ propositiones, quæ ex principiis deducuntur; vt docet D. Thom. *quæst.* 100. *art.* 3. cum Seraphico Bonauent. *loco cit.* & *lib.* 6. *Compend. Theologiæ, cap.* 59.

Ex his S. Bonau. resoluit quæstionem: An obligatio mandatorum Decalogi attendatur secundum Legem Naturæ, vel secundùm legem scriptam. Et respondet, obligationem eorum decem præceptorum fuisse legis naturæ; explicationem verò illorum ad Legem scriptam pertinere.

Assero igitur, Præcepta Decalogi esse legis naturæ.

Probatur primò à S. Bonau. Quia lex, quæ 20
omnibus hominibus communis est, ad Legem Naturæ spectat; sed præcepta Decalogi omnes homines obligant. Ergo. Maior probatur primò. Quia, sicut Natura est eadem in omnibus hominibus: ita etiam vna debet esse Naturæ lex, quæ naturæ imposita est; præsertim quoad vniuersalia eius pronunciata, vt docent cum D. Bonauent. Isidor. *lib.* 7. *Ethymol. cap.* 4. D. Thom. *quæst.* 94 *art.* 4. Valent. *disp.* 7. *quæst.* 4. *punct.* 1. Et sequitur ex definitione legis naturæ, allata *quæst.* 1.

Probatur secundò ex Aristotele 5. *Eth. cap.* 7. Cicerone *lib* 2. *de Iuuentute.*

Probatur tertiò. Obligatio, quæ extenditur ad 21
omnia tempora, est secundum illam legem, quæ omni tempore cogit: sed obligatio mandatorum Decalogi viguit omnibus temporibus, nempè in statu Legis Naturæ; Legis Scriptæ; & Gratiæ. Ergo obligatio eorum attenditur secundùm illam legem, quæ semper cogit. Talis est Lex Naturæ: Ergo.

Quarto confirmatur. Illa lex, quæ præcisâ scripturâ, & Gratiâ, ligat, est Naturæ. Tale est. Decalogi vinculum: Ergo.

Qvinto. Ea, quæ sunt mala ante omnem legem positiuam, etiam vetita sunt; similiter ea, quæ bona sunt, & cognita ante omnem legem positiuam, sunt legis Naturæ. Talia sunt præcepta Decalogi, vt patet. Nam ante omnem legem positiuam, Deus est colendus; Idolatria vitanda, & sic de reliquis. Ergo: Maior probatur primò. Quia ius temporale diuiditur adæquatè in Naturale, & Positiuum. Probatur secundò; Quia lex positiua est de his, quæ non obligant, antequam Lex sit posita, ex Aristotele. His argumentis vtuntur Legistæ.

Obiicivnt primò, Exod. 20. habetur, Mandata 22
ista de cælo esse audita; & postea describitur quomodo fuere scripta. Ergo mandata Decalogi sunt principalia Legis scriptæ.

Respondet D. Bonauent. hoc factum fuisse non ad inducendam nouam obligationem; sed potiùs ad antiquam explicandam, hoc autem erat necessarium homini excæcato.

Obiicivnt secundò. Ea, quæ sunt legis Naturæ, manifesta sunt; sed ea, quæ sunt Decalogi, non erant manifesta ante legem scriptam: Ergo. Mi: probatur, quia Apostolus *Rom.* 1. ait; aliquos in reprobum sensum traditos, vt facerent, quæ non conueniunt, nimirum putantes, mala non esse, vt exponit D. Thom. *quæst* 94. *art.* 6. Et si dicas, hæc euenisse in aliquibus ex praua consuetudine, aut errore, vt dicit D. Thom. *quæst.* 94. *art.* 2. & Valentia *disp.* 7. *quæst.* 4 *punct.* 2. *ad* 1. Contra arguit S. Bonau. Nam ipse Apostolus de seipso ait, Rom. 7. *Concupiscentiam nesciebam* esse peccatum, ait Glossa: *nisi Lex diceret: Non concupisces*: sed mandatum, quod ligat ad legem naturæ, notum est, saltem viro sapienti, qualis erat Paulus, præcisâ etiam notitiâ legis scriptæ. Ergo præceptum: *Non concupisces vxorem alienam*; *non seruum*, &c. non spectat ad legem naturæ.

Respondet D. Bonauent. primò, eum loqui in 23
persona hominis carnalis, qualem se ante conuersionem fuisse ibi dicit; nam ante ea verba ait: *Cùm enim*

enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti: & posteà subdit: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit*: quasi dicat, si per legem excitabantur passiones concupiscentiæ, nixæ in vetitum; videtur lex esse causa peccati; & respondet, non esse causam; sed imò legem dare notitiam peccati, quæ naturâ suâ dirigit ad vitam, dum malum iam est cognitum; *sed peccatum* (ait) *non cognoui, nisi per legem*: vbi Lyra exponit; (saltem in multis) propter offuscationem legis Naturalis; & loquitur Apostolus in persona Generis Humani, sic offuscati. Non cognoui nisi per legem, quæ data est ad quandam renouationem legis Naturalis obnubilatæ.

24 RESPONDET secundò S. Bonauent. potuisse hoc dicere Apostolum in persona Generis Humani, cui non erant explicita in particulari à lege naturæ omnia ista præcepta; Vnde ait: *Per legem est cognitio peccati*, nempe explicitè; ita tamen erant implicitè in lege naturæ, vt quisquis inuincibiliter ea ignorare non posset; atque adeò omnes ante legem scriptam his præceptis tenebantur: propter quod in scriptione legis non est imposita obligatio, sed clariùs declarata; quia, nisi voluntaria ignorantia, aut peruicacia opponeretur, poterant omnes ex hoc principio naturæ: *Ne alteri feceris, quod tibi non vis fieri*; colligere, non licere sibi rem alienam rapere, aut vxori alterius turpitudinem inferre; aut eam concupiscere, &c.

OBIICIVNT tertiò. Quæ sunt legis naturæ, spectant ad statum etiam naturæ institutæ; imò & patriæ; At præcepta Decalogi ad eos status non spectant: Ergo.

Respondet D. Bonauent. proportionaliter, secundùm status illos, seclusis imperfectionibus remouendis, manere etiam obligationem Decalogi.

25 OBIICIVNT quartò. Illud est per se notum, cuius prædicatum est de ratione subiecti; at solius illius propositionis. *Bonum est appetibile: malum autem execrabile*, prædicatum est de ratione subiecti: Ergo. Maior est D. Thom. Mi: probatur; nam, quòd bonum sit actu appetendum, non est essentiale ipsi bono: multò minùs Deus est colendus; non enim cultus est de ratione Dei. Idem de reliquis.

RESPONDET Valentia, non omnem propositionem, *per se notam*, à D. Thom. ibi definiri, sed tantùm præcipuam. Est autem propositio, *per se nota*, illa, quæ cognitis terminis, nempe *subiecto*, & *prædicato*, est manifesta. Ità D. Bonauent. *in* 1. *dist*. 8. *part*. 1. *quæst*. 2. Ratio est, quia prædicatum clauditur in subiecto euidenter, etiamsi non essentialiter includatur, vt, *Nix est alba*; cognitis terminis, *Nix*, & *Albedo*, euidenter conuincitur manifesta propositio. Dicitur

26 autem *nota per se*, idest, non per aliud distinctum à se, quamuis enim ex terminis cognoscatur suis, tamen non dicitur per aliud extrinsecum cognosci; quia termini, ex quibus cognoscitur, ad ipsam spectant. Vt igitur cognoscantur propositiones legis naturalis per se notæ, oportet cognoscere illarum terminos, vt probat S. Bonau. *in* 2. *dist*. 39. *quæst*. 2. *argum*. 3. *secundo loco*. Terminos autem per sensus percipimus; nemo enim colorem, nisi per sensum oculi, percipit; neque sonum, nisi per aures, seu auditum. Ideò amittentem vnum sensum, necesse esse, vt amittat vnam scientiam, ait Aristoteles *primo Poster. cap. de ignoran. puræ negationis*. Plurimæ autem sunt huiusmodi propositiones per se notæ, siue ex connexione prædicati cum subiecto, siue ex sensu, & dispositione aliqua; vt videnti niuis albedinem, vel sentienti calorem ignis, euidens est, niuem esse albam, ignem esse calidum; tametsi prædicatum non sit de intrinseca ratione subiecti: siue etiam ex appetitu, qui cum est naturaliter determinatus ad id, quod per propositionem significatur, etiam intellectus est determinatus naturaliter ad ostendendum illi idipsum, tanquam apetendum, si est bonum; vel fugiendum, si est malum. Quo pacto propositiones aliquæ ad praxim pertinentes, censentur esse per se notæ, tametsi prædicatum in istis vix vnquam sit de ratione intrinseca subiecti.

SVNT autem hæ propositiones duplicis generis, vt suprà dixi; aliæ quæ facillimè ab omnibus præcipiuntur, eò quòd termini sunt magis sensibiles, vt: *Omne totum est maius suâ parte*, *Bonum est appetendum*, *&c*. aliæ verò, quæ non nisi studio percipiuntur, vt: *Homo est animal*. Hæc Seraphicus Doctor cum D. Thoma, quos sequuntur Valentia *loco cit*. & Galitius *lib*. 1. *Dialectica*, *Tract*. 5. *cap*. 8. 27

QVO AD doctrinam verò D. Thom. *art*. 3. Omnes actus virtutum, vt sunt actus honesti in genere, & rationi conformes, esse legis naturæ; non autem secundùm proprias singulares rationes, secundùm quas multa sunt legibus humanis præcipienda; non video, eum opponi Seraphico, si addatur cum Vasquez *ad eum articulum*, D. Thomam loqui de virtutum operibus præceptis. Loquitur enim de lege Naturæ, vt præcipit, aut prohibet; neque loqui de virtutibus infusis, vt dixi initio. 28

Ex primo argumento, suprà allato, habes id, quod docet quoque D. Thom. *art*. 4. Legem naturæ esse vnam apud omnes, vt ait D. Isidor. *lib*. 5. *Ethymol*. *cap*. 5. vbi ait: *Ius naturale esse commune omni nationi*; sicut enim vna est omnium natura rationalis; ità lex naturæ præcipit omnibus eadem principia vniuersalia; imò etiam particularia; tametsi hæc varianda sint aliquando ob singulares superaduenientes circumstantias; sed hoc non ex ratione legis naturæ oritur; sed ex prauo aliquo adiuncto V. G. Lex naturæ dictat, depositum reddendum; at si quis depositum repeteret ad prodendam patriam, non est exaudiendus.

QVÆSTIO IV.

Vtrum LEX NATVRALIS *obliget in conscientia*.

SVPPONO primò, Legem naturæ exigere, ad obligandum, vsum rationis, vt ritè aduertunt SS. Basil. *homil. in psalm*. 1. Hieron. *epist. ad Algasiam quæst*. 8. quod sanè colligunt ex illo Rom. 7. *Ego autem viuebam sine lege aliquando*; *Sed cùm venisset mandatum, peccatum reuixit*. Est autem septennium ordinariè, tempus vsus rationis, vt notat D. Bonauent. *in* 4. *dist*. 36. *art*. 2. *quæst*. 2. Tunc enim potest operari ad finem, præfixum libero arbitrio, & ab eo declinare; quia nouit bonitatem, & malitiam actuum, cùm iam habeat aliqua rationalia principia practicæ cognitionis, & ideò tunc illi lex naturæ promulgatur, vt docet D. Thom. *quæst*. 90. *art*. 4. *ad* 2. *&* 3. & Valentia *disp*. 7. *quæst*. 4. *puncto* 3. post initium. 29

NEQVE verò dicimus, in solis ratione vtentibus, tanquam in subiecto, esse Legem naturalem; sed eos tantùm obligari, nam in his omnibus est lex naturæ, in quibus est naturalis habitus synderesis, vt docet D. Thom. *quæst*. 94. *art*. 1. & D. Bonauent. *in* 2. *dist*. 39. *art*. 2. *quæst*. 1. & Valentia *loco cit*. quo fit, vt etiam in paruulis sit radicaliter, vt notat D. Thom. *loco cit. ad* 4.

30 Svppono secundò, duplicem esse obligationem legum. Alia est in foro conscientiæ; alia in foro externo sub aliquo reatu pœnæ. Prior præcipit in ordine ad finem supernaturalem consequendum; posterior verò ad aliquem finem temporalem. Neque verò sola posterior exercet virtutem coercitiuam; imò & leges obligantes in conscientia id habent, vt pœnam imponant, imò maiorem, relegantem, aut retardantem à fine supernaturali. Ad vim autem coercitiuam, quam simul cum directiua exercent omnes leges, sicuti Iuristæ dicunt, non est necesse, pœnas aliquas esse statutas; sed sufficit eas posse infligi. Quo fit, vt ad cogendum non sit necesse, cognosci legis pœnam. Ex quo sequitur, etiam Paganos ignorantes pœnas, inflictas transgressoribus legis naturæ, reos adhuc earum fieri, dum Legem naturæ violant.

Assero, legem naturæ in conscientia cogere.

31 Probatvr ex dictis *disput.* 1. *quæst.* 9. vbi pœnæ æternæ iniunguntur transgressoribus Decalogi, qui est legis naturæ, vt dixi *quæst.* 3. pœnæ autem æternæ imponuntur solùm ob violatam conscientiæ obligationem. Peccatum enim, secundùm Scripturæ phrasim, est defectus perfectionis necessariæ ad vltimum finem.

Probatvr secundò à D. Bonauent. *in sermonib. de decem preceptis*; præcipuè verò *serm.* 5. Vbi agit de honorandis parentibus, quod est quartum præceptum, sub quo continetur obedientia præstanda superioribus, vt ait Apostol. Rom. 13. *Reddite ergo, cui honorem honorem. Subditi estote, non solùm propter iram, sed propter conscientiam.*

Probatvr tertiò ratione Seraphici Doctoris *serm. primo de decem præceptis*. Præuaricatio legis naturæ est quædam naturæ coinquinatio, quæ omnino impedit, ne obtineatur beatitudo: *Nihil enim coinquinatum intrabit in regnum cælorum.* Ex quo sequitur, perfectionem oppositam, quam lex naturæ præscribit, esse in hac vita necessariam ad beatitudinem consequendam. Vide Suarez *lib.* 2. *cap.* 11. & Valentiam *loco citato*.

QVÆSTIO V.

An Ius naturæ non modò præcipiat, sed etiam irritet.

32 Asserendvm, legem naturalem non modò præcipere, sed etiam irritare, quæ contra ipsam fiunt.

Probatvr de contractibus quibusdam, V. G. de vsurario, quò ad obligationem vsuræ, vel per dolum grauem inito. Item de Matrimonio contracto, viuente primo coniuge, vt dicetur propriis locis.

Quia verò aliqui actus contra ius naturæ non irritantur, vt patet de matrimonio post sponsalia inita cum alio, aut aliâ; dant aliquas regulas, quando ius naturæ illos irritet.

33 Prima regula est. Quando actus prohibentur iure naturæ ob potestatis defectum, vel ob incapacitatem materiæ, irriti sunt; vt patet exemplo secundi matrimonij, viuente primo coniuge; & de secunda donatione facta Petro eiusdem rei, post priorem factam validè Paulo.

Secvnda regula est. Quando actus prohibentur ob turpitudinem actus, tunc est irritus actus, si turpitudo sit perpetua, vt aiunt Iuristæ; seu habent causam perpetuam. Sumitur ex Gloss. *in Clement.* 1. *de iure Patronat.* Verb. *Inhibentes in fine.* Sic vetantur coniugia cum genitoribus, &c.

Extra hos actus, licèt ius naturæ cogat, non tamen irritat actum vetitum; vel effectum eius. Id patet in matrimonio post simplex votum castitatis, quo ligatur tantùm potestas petendi debitum; non autem reddendi. Vide Suarez, & alios.

QVÆSTIO VI.

Vtrum possit aliquis Humanâ potestate eximi à præceptis Legis Natvræ.

Iam *Disput.* 1. *quæst.* 5. ostendi, Leges esse immutabiles, nempè diuturnis temporibus durare; & *quæst.* 10. ostendi, quibus modis mutetur Lex, nempè irritatione, abrogatione, Epykeia, dispensatione, & priuilegio. 34

Nvnc, Legem naturæ omninò immutabilem esse, ita, vt nunquam desinat, certum est, durante eadem natura, à qua necessariò manat, Deo agente, vt docet D. Thom. *quæst.* 34. *art.* 5. & D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 39. *quæst.* 1. & *art.* 2. *quæst.* 1. tametsi mutari possit per additionem; sicut cùm facta est rerum, & dominiorum diuisio, aliquid lege humana additum est legi naturæ, secundùm quam communis erat possessio, lege naturæ, hæc tamen est mutatio impropriè; nam priori modo, qui proprius est, immutabilis existit. Ideò in Decretis, *dist.* 5. dicitur, *Naturale ius non variari tempore; sed immutabile semper permanere:* & D. Isidor. *lib.* 5. *Ethymol. cap.* 5. ait, *Ius naturale esse commune omnium nationum, imò & animantium,* eo quòd vbique instinctu naturæ, non constitutione aliquâ habeatur, vt refert Seraph. Doctor *in* 2. *dist.* 39. *quæst.* 1. *argumento tertio.*

Possvmvs quidem cogitare mutationem in lege naturali ex parte subiecti, idest naturæ humanæ, & quidem, non posse delere synderesim, quò ad vniuersalissima principia, certum est; possent tamen humanæ mentes quò ad aliqua principia minùs vniuersalia deprauari, vt dicitur Rom. 1. *Obscuratum est insipiens cor eorum, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & serpentum*: vt notat S. Bonauent. *serm.* 2. *de decem præcep.* circa medium, & Valentia *puncto* 5. 35

Posse etiam per absolutam Dei potentiam euelli conscientiam, & synderisim, quarum prior dictat, posterior verò inclinat in ea, quæ sunt legis naturæ, ait Valentia; nam synderesis est habitus quidam, qui non est de essentia naturæ humanæ, vt docet etiam D. Bonau. *in* 2. *dist.* 39. *art.* 2. *quæst.* 1. licèt radix legis naturæ non possit tolli, manente naturâ.

Ex his sequitur, legem naturæ non posse abrogari, aut irritari, cùm sit ritè à Deo sancita, & immutabilis: Posse verò ab ea eximi aliquem per epikeiam, multi asserunt, vt dicam *disp.* 5. *q.* 13. vt, si quis furiosus depositum repetat gladium suum, potest negari; interpretando, *Legem depositi* non obligare in eo casu, vt notat Valentia *puncto* 6. Quamuis alij distinguentes Epykeiam ab interpretatione; vt interpretatio sit explicatio Legum; at Epykeia sit species interpretationis, quæ dicitur emendatio; quia explicatur Lex, non benè lata pro omnibus casibus, admittunt interpretationem pro lege naturæ, non autem Epykeiam; eò quòd ius naturæ continet intrinsecè æquitatem; & ideò non potest emendari. Ita Vasquez *disput.* 179. *cap.* 2. & *tota disput.* 176. Suarez *lib.* 2. *cap* 16. qui concedit, posse mutari ius naturæ, quò ad conclusiones, vt. *Non esse reddendum debitum* 36

ad

ad damnum Reipubl. Esse nubendum filio, si desit generatio hominum. Ego verò puto, non mutari Legem; sed materiam legis; quia obligationes legis hierarchiæ sunt. Itaque quando tale connubium vetatur lege naturæ ob turpitudinem copulæ cum Genitore; tamen fuit inclusus casus hic; quia præponderat.

QVÆSTIO autem est: An per Epykeiam, vel priuilegium possit aliquis à lege naturæ eximi.

37 ASSERO, non posse homines in lege Naturæ dispensare. Ita D. Bonau. *in 4. dist. 38. art. 2. quæst. 3.* D.Thom. 1. 2. *quæst. 100. artic. 8.* & *quodl. 4. art. 13.* & omnes, qui negant, posse Papam dispensare in iure Diuino positiuo. Vide Suarez *lib. 2. cap. 14.*

PROBATVR, quia lex naturæ vocatur Fœdus sempiternum, *Isa. 24.* & D. August. *lib. de vera Relig. cap. 31.* vocat incommutabiles regulas. Idem habet *lib. 83. qq. quæst. 53.* & Lactant. *lib. 5. Diu. Instit. cap. 8.* ait, Marcum Tull. diuina penè voce vim legis naturæ descripsisse his verbis, quæ ex eius lib. 3. de Republ. recenset. *Est vero lex recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna: Huic legi nec obrogari fas est, nec derogari ex hac aliquid licet; neque tota abrogari potest. Nec verò aut per Senatum, aut per populum hac lege liberari possumus.* Idem asseritur §. *Sed instit. de iure naturæ.*

ITAQVE meritò Didacus Couarru. *in Epitome, lib. 4. decret. p. 2. cap. 6. §. 9. num. 2.* reprehendit Panormit. & alios, qui *super cap. vlt. extra, de constit.* scripserunt, Ius naturale posse ex causa tolli. Ratio refellens est; Quia in lege naturæ Legislator est Deus, super quem homines non habent potestatem. Præterea Lex naturæ est fundamentum legis humanæ: Ergo lex humana destruit suum fundamentum: ergo & seipsam.

38 OBIICIT primò. Fit dispensatio in votis, quæ sunt legis naturæ, vt habet Gloss. ad id Psal. 75. *Vouete, & reddite*, vt notat S.Bonauent. *in 4. dist. 38. quæst. vltima.*

RESPONDET Valentia *puncto 6.* ex D.Bonau. *loco cit.* non relaxari legem naturæ, sed exponi aliquâ conditione remotâ, qua mutatur etiam obligatio Legis naturæ. Itaque non est propria dispensatio legis naturæ; nam dispensare, est remouere obligationem legis in aliquo casu, quo ipsa viget; at verò tantùm remouet conditionem obligationis Voti, aut legis, respectu alicuius, quod est propriè dispensare in lege particulari Voti, quod habet aliquid humanæ legis.

RESPONDET secundò D. Bonau. posse etiam dici, Votum esse legis naturæ, & Diuinæ dependenter à Papa, quia vota, & iuramenta habent quid mixtum ex naturali lege, & humana; & hac parte potest Papa dispensare, qui habet super homines supremam spiritualem potestatem: hæc ergo est dispensatio potius *Facti*, quàm *Iuris*. Hinc Iuristæ dicunt, Ius Gentium aliquid detrahere naturali. Vide Suarez *l. 2. cap. 14.*

39 OBIICIVNT secundò. Iure naturæ omnia erant communia *in cap. Ius naturale, dist. 1. cap. Quo iure, dist. 8.* Imò *in cap. Dilectiss. 12. quæst. 1.* dicitur: *Rerum diuisio per iniquitatem introducta*, vt refert Seraphicus *lib. 4. pharetræ, cap. 21.* Idem dic de libertate, quæ iure naturæ hominibus conuenit; & tamen per leges humanas ablata est. *L. Manumissionis, ff. de iust. & iur. L. libertas, ff. de statu liberorum*, vt refert Doctor Seraph. *in 2. dist. 44. art. 2. quæst. 1. arg. 4. ad oppositum.* Ideò Iustinianus, lib. Institut. ait: *Bella exorta sunt, & captiuitates sequutæ, & seruitus, quæ sunt iuri Naturali contraria.*

40 RESPONDENT communiter, dupliciter aliquid esse de iure naturæ. Primò negatiuè: secundò positiuè. Negatiuè dicitur, quòd ius naturale non prohibet, sed admittit, licèt illud nec positiuè præcipiat. Positiuè autem, quando aliquid præcipit. Diuisio ergo rerum non est contra ius naturale positiuè, quia nullum erat naturale præceptum, quod illam prohiberet. Vide D.Thom. *2. 2. quæst. 66. art. 2. ad 1.* & hic *quæst. 94. art. 5. ad 3.*

INSTAT Garzia. Sequeretur, stando in iure naturæ, potuisse hominem priuari libertate ab alio. Probatur sequela. Per te, libertas est de iure naturæ solùm negatiuè, permittente naturâ: Ergo & eâ priuari permittebatur. Idem potest dici de dominio rerum.

RESPONDET Suarez *lib. 2. cap. 14* negando sequelam; quia natura contulerat hominibus dominium commune, & libertatem; ideò eam possidebant; vnde non solùm lege permittebatur naturali, sed habebant dominium: ideò non poterant extorqueri, & sic erat contra ius naturæ, prout ius significat dominium, redigere in seruitutem, sic & nunc, quæ sunt communia, ita sunt concessa, vt in potestate sint.

Nos de hoc *Disputatione quarta, quæstione secunda* disseremus.

OBIICIVNT tertiò. Ius naturale præcipit, non auferre alienum, & tamen lex humana concedit vsurpationem, & Præscriptionem. 41

RESPONDETVR, hoc solùm probari, leges ciuiles posse transferre iura dandi, qua mutatione factâ, extrinsecâ ratione dicitur mutari Ius naturale.

OBIICIVNT quartò. Contractus Maris cum fœmina in matrimonio lege naturæ est validus, & tamen inualidatur lege humana, si fiat clàm; sic & testamenta, nisi adsint testimonia.

RESPONDETVR hoc solùm probare ius humanum, posse addere aliquid iuri naturali, conformiter 42 tamen ad illud tuendum, remouendo malitiam. Ideò prohibet matrimonia clandestina.

OBIICIVNT quintò. Matrimonium ratum est iure naturæ validum, & tamen dissoluitur à Papa.

RESPONDETVR ex dictis ad primum cum D. Bonau. matrimonio substerni humanum contractum, quem fateor non posse dissolui priuata authoritate, sed ob maius bonum publicum, seu communitatis, quod sub regimine gubernantium est, maximè Summi Pontificis. Idem dic de residentia Episcoporum, quæ est de iure Diuino Naturali, ex Concil. Trid. *sess. 23. cap. 1.*

RESPONDETVR deinde esse dispensationem, non iuris naturæ, sed materiæ eius, quatenus pendet ex humano contractu; ideò hoc pactum publica authoritate mutari potest, *cap. inter corporalia, de translat. Episcoporum.* Subordinatur enim hoc pactum superiori Pastori. Tunc autem Papa non tollit fundamentum, idest legem, quæ exigit, attendi gregi; sed suscipit super se onus, modo debito naturæ prouidendi.

QVÆSTIO VII.

An possit Deus absoluta potentia in Lege naturæ dispensare.

D.Bonau in 1. dist. 47. q. vlt.
D.Thom. quæst. 100. art. 8.

ALBERTVS Magn. *in sum. p. 2. tom. 20. quæst. 80. art. 2.* D. Bonau. *hic.* Vasquez *disp. 179.* & alij 43 quæstionem de Præcep. Decalogi instituunt: An possit in eis à Deo fieri dispensationis relaxatio. Quoniam

niam verò ea sunt præcepta principalia naturæ, ideò omninò quæritur: An circa præcepta Naturæ id fieri queat.

Prima igitur opinio est Ocham *in 2. quæst. 19.* Gerson. *tract. de vita spirituali, lect. 1. coroll. 10. in Alphab. 61. litt. E.* & Almaini *tract. 3. Moral. cap. 15.* qui omne peccatum dicunt, ideò malum, quia à Deo vetitum; atque adeò posse etiam ipsum odium Dei bonum fieri, & præcipi à Deo; & ideò in omni præcepto naturali posse dispensari. Idem ex eodem fundamento cogitur asserere Fauentinus, adductus *tract. 3. disput. 1. quæst. 5.* Idem sentit Corduba *lib. 3. quæst. 10.* adeò, vt sentiat, posse dispensari etiam in ea lege naturali, qua tenemur omninò non agere contra conscientiam. Andreas etiam de Castro nouo *in 1. sent.* circa finem, adducitur à Corduba pro hac prima sententia.

Secunda opinio est Scoti *in 3. dist. 37. quæst. 1. §. hic dicitur, & sequentibus*, Gabrielis *ead. dist. quæst. 1. art. 2. concl. 1. & sequentib.* non posse quidem in primis duobus præceptis Decal. dispensari. Quoad tertium præceptum, ait, posse dispensari in tempore colendi Deum, & in seruilibus faciendis; at verò in præcepto colendi Deum aliquo tempore, in quo dicit, esse substantiam præcepti, non audent definire; in cæteris verò præceptis dispensationem à Deo, admittunt posse fieri.

44 Tertia sententia est Durandi *in 1. dist. 47. quæst. 4.* vbi ait primò, Præcepta negatiua secundæ Tabulæ *Non furandi, non fornicandi, non mentiendi, non concupiscendi*, non posse à Deo dispensari. Neque illud, *Non adducendi nomen Dei in vanum*, primæ Tabulæ. Quoad præceptum non occidendi, ait, posse dispensari ad occidendum innocentem potestate Dei, qui est Dominus vitæ, & mortis; non autem ad occidendum propria authoritate.

Quoad Præcepta affirmatiua docet, ea, quæ Deum respiciunt, non posse relaxari; at verò Præceptum de pietate erga parentes, posse relaxari.

Quarta opinio est Thomistarum, quam tradit Sotus *lib. 2. de iust. quæst. 3. art. 8.* quam sequuntur aliqui Recentiores *ad hunc art. D. Thomæ*, nullum præceptum in Decalogo expressum, posse dispensatione relaxari: at verò cætera, quæ in Decalogo, saltem implicitè continentur, posse à Deo relaxari.

45 Quinta sententia est, Deum dispensare posse in præceptis secundæ Tabulæ, non primæ. Citantur pro hac sententia à Tannero *disp. 5. quæst. 2. dub. 4.* à Vasquez *num. 10.* & Valentia *disp. 7. quæst. 4. p. 6.* D. Bonau. *loc. cit.* Ægid. Romanus *ead. dist. 47. quæst. vlt.* sed malè S. Bonau. adducitur.

Sexta sententia est Altisiodorensis *l. 3. sum. tract. 7. cap. 1. quæst. 5.* vbi multos gradus necessitatis ponit in præceptis naturæ. Quædam in primo gradu, vt diligere Deum: Quædam in secundo, vt non habere, nisi vnam vxorem; Quædam in tertio, vt iuramenta, & vota: & quidem in secundo, & tertio gradu, ait, dispensari posse; non in primo.

Septima sententia vniuersaliter negat, aliquod præceptum naturale posse à Deo dispensari. Ita D. Thom. *hic*, vbi Thomistæ. Vasquez *disput. cit. cap. 2.* Suarez *lib. 2. cap. 15. & 16.* Becan. *tom. 3. cap. 1. quæst. 4.* Valentia *loc. cit.* vbi adducit etiam Albertum M. *loc. cit.* Antisiodor. *loc. cit.* Richard. *in 3. dist. 37. art. 1. quæst. 5.* Henricum *in 1. dist. 47. quæst. 3. art. 3.* & Sotum *lib. 2. de iust. & iur. quæst. 3. art. 8.* Caiet. *hic ad art. adductum D. Thom.* Sequuntur Abul. *Exod. 20. quæst. 35.* Viguer. *cap. 15. §. 1.* Sayr. *lib. 3. cap. 1. num. 12.* Victor. *relect. de Homicid. num. 13.* Molina *tom. 1. de Iustitia, tract. 1. disp. 4.* Azor. *tom. 1. lib. 6. cap. 1. quæst. 2.* Salas. *d. 5. sect. 9.* Tanner. *disp. 5. quæst. 2. dub. 4.* Sanchez *de matr. l. 8. d. 6.* Bass. *verb. Lex 1. 5.* Bonac. *d. 1. quæst. 1. p. 1.*

Sententia D. Bonau. ea est, quam Valentia, & Vasquez è Seraphicis fundamentis desumunt.

Notat autem Valentia *loc. cit.* Vasquez *num. 13.* Tanner. *num. 58.* ex D. Bonau. *hic*, & *in 4. dist. 38. art. 2. quæst. 3. & dist. 19. dubit. 6. litt.* dispensationem propriè, esse relaxationem legis, ita vt remoueatur obligatio obseruantiæ, manente lege in suo toto vigore cum omnibus circumstantiis; & ità obligatio remouetur à toto præcepto, totâque materiâ eius, & ab actu secundùm omnes conditiones, quæ reddunt legem adæquatè validam. Vnde dispensate (ait Seraphicus) significat diuersa pensare, & definitur: *Dispensatio est iuris relaxatio, facta cum causæ cognitione ab eo, qui habet ius dispensandi*; At verò si fiat mutatio in aliqua conditione legis naturæ, quæ inadæquatè reddebat legem eogentem, non fit propria dispensatio Legis, sed *Facti*, & materiæ illius, quæ, remota illa conditione, remanet inadæquata, vt lex non violetur. V. G. Præceptum septimum vetat ne auferas rem alienam, inuito Domino. Si Deus rem, quæ est Petri transferat in Paulum, iam is potest rem illam, olim alienam; nunc autem mutata conditione à supremo rerum Domino, vsurpare. Et hæc est impropriè dispensatio. Hoc sanè modo Deus dispensauit in homicidio, iubens Abraham occidere filium. In furto, præcipiens Hebræis, vt thesauros Ægyptiorum auferrent. In fornicatione, præcipiens Oseæ, vt meretricem assumeret, dum fecit eam ipsius mulierem, & ablato vitio libidinis concessit copulam. Ità aduertit Valentia ex Doctore ipso Seraphico *hic ad argumenta*, quem ideò debuit pro sua sententia allegare. 46 47

Obseruat autem S. Bonau. aliqua ex his, quæ vetantur lege naturæ, esse mala in se, nempe quia habent in se malum aliquod, deturpans totum actum; quod tamen malum non est intrinsecè inseparabile ab actu, vt vidimus in exemplis allatis; aliqua verò habent intrinsecè malum, & dicuntur mala formaliter, quod D. Bonau. vocat malum secundùm se; & hæc non possunt malitiâ purgari, vt Idolatria, odium Dei, Periurium, &c. Quapropter eùm nequeat Deus velle malum, non potest hæc velle, aut præcipere. Hoc idem habet D. Thom. vt notat Valentia. Et quidem Suarez *lib. 2. cap. 15.* eum adduxisset D. Bonauenturam pro Quinta sententia, eum posteà *num. 3.* benè interpretatur. 48

Assero, non posse Deum in lege Naturæ dispensare.

Probatvr à D. Bonau. primò ratione D. August. *lib. 1. de lib. arb. cap. 6.* Id, quod intrinsecè est malum, non potest à Deo præcipi; sed omnis transgressio legis naturæ est mala intrinsecè: Ergo. Maior probatur à Seraphico. Bonus per essentiam non compatitur malum, siue in se, siue extra voluntatem; alioqui fieret malus moraliter. Sed Deus est per essentiam Bonus: Ergo. Hac ratione vtitur Tannerus, Valent. *loc. cit.* Vasquez *num. 16.* Minor probatur secunda ratione. 49

Probatvr secundò à Seraphico Doctore. Si Deus præciperet contra legem naturæ, redderet contra iustitiam malum impunitum; sed hoc est absonum: Ergo. Probatur sequela, quia malum contra legem naturæ non idò est malum, quia Deus velit esse malum; sed ante Diuinæ voluntatis detestationem, est malum, eùm repugnet naturæ ab ipso conditæ, quæ dubio proeul est recta.

Probatvr tertiò à S. Doctore ratione, quam 50

Valentia

Valentia asserit validissimam, & est etiam D.Thom. *ad* 2. Dispensare in lege naturali, est efficere, vt qui priùs tenebatur per naturæ legem ad aliquid; eodem permanente cum iisdem conditionibus, non ampliùs teneatur. Sed Deus hoc efficere non potest: Ergo. Maior probatur ex natura dispensationis suprà allatâ. Minor probatur: alioqui Deus mutaretur, cùm anteà prohibuerit res illas, vt malas, & illis immutatis, Deus retractet; At Deus non potest negare seipsum; vt habetur 2. *ad Timot. cap.* 2. nec mutari: Ergo.

51 VALENTIA dicit, hoc non probare, Deum non potuisse hoc Decretum non sancire, vt obseruaretur lex naturalis; sed tantùm, non posse mutari, posito quòd sanciuerit; quia est immutabilis.

Ego autem probo, absolutè argumentum conuincere. Cùm Deus non potuerit, nec possit decernere, vt intrinsecè malum sit bonum, ne suæ bonitati detrahat; & cum malum contra legem naturæ; sit malum intrinsecè; sequitur; ex natura rei implicare, Deum fecisse tale Decretum præcipiendi tale malum; atque adeò Deum, qui seipsum negare, vel destruere non potest, non potuisse tale Decretum condere.

PROBATVR quartò à D.Bonau. Quia si Deus præciperet malum contra legem naturæ, tanquam bonum, cùm etiam priùs illud prohibuerit tanquam malum, & idem non mutetur in sua malitia; iam Deus stultè præciperet.

52 PROBATVR quintò à D. Bonauent. *in corp.* ex D Bernard. *lib. de dispensatione, & præcepto, col.* 2. post medium, vbi ait: *Deinde, quod inuiolabile nominaui, illud intelligo, quod non ab homine traditum, sed diuinitus promulgatum, nisi à Deo, qui tradidit, mutari omninò non patitur*, vt V. G. *Non occides; Non mœchaberis, non furtum facies, & reliqua illius Tabulæ mandata.* Deinde ostendit, quædam esse præcepta, quæ nec à Deo mutari possunt. Vbi aduerte, D. Bonau. asserere ex D. Bernard. dispensationem in præceptis secundæ Tabulæ; impropriam tamen infrà eam fateri, quia S. Bernard. dicit, mutari non posse ab alio, quàm à Deo, quia Deus potest mutare conditionem. V. G. in Furto; Homicidio, & Fornicatione, vt suprà vidimus.

OBSERVAT tamen Vasquez *num.*32. cum S.Bonauent. *in* 3. *dist.*37. *dub.*3. *litt.* & *serm.*4. *de decem præceptis.* Tertium præceptum sanctificandi Sabbatum, non esse omninò Naturale, sed mixtum ex naturali, & cæremoniali. Et quidem, quoad determinationem diei, cæremoniale est; siue etiam sit dies Dominicus, & potest auferri; similiter & quoad cessationem à seruilibus mixtum est, & potest à Deo dispensari; sicuti etiam ab ipsis Prælatis conceditur laborare in necessitate, diebus festis. Hoc enim est Ius positiuum, etiam pro die Dominico, vt notat D.Bonauentura *in Speculo animæ, cap.*2.

DISPVTATIO IV.

De Iure Gentium.

LEx creata diuiditur in Naturalem, & Positiuam. Positiua verò in Diuinam, & Humanam. Ideò discussâ Lege naturæ, agendum esset de Diuina. Sed quia lex Humana est facilior, de ea agemus, vt ad Diuinam ascendamus.

PRIMO igitur de Iure Gentium agam, quod simul cum omnibus aliis Humanis Legibus è Iure naturæ pullulat, vt ostendit S.Bonau. *serm.*5. *Hexaëmeronis.*

QVÆSTIO I.

Quæ differentia sit inter IVS NATVRALE, *&* IVS GENTIVM; *An quia hoc sit Humanum.*

SVPPONO primò dari Ius Gentium, quod omnium gentium congregatione sancitum est. De hoc habetur *in Iure ciuili, ff. de iust. & iur.* & *Instit. de iure naturali Gentium*, & *in Decretis, dist.* 1. *& sequentib.* & Isidoro, 5. *Ethymol. cap.*2. & DD. vtriusque iuris, & D.Thom.2.2. *quæst.*57. *art.*3. 1

IVS GENTIVM apud Iuristas distinguitur à Iure Naturæ, ità vt Ius Naturæ sit commune etiam belluis; Ius autem Gentium sit hominum proprium. Ita refert Vlpianus *l.*1. §. *Ius naturale, ff. de iust. & iur.* Iustinianus, §. *Ius Naturale, &* §. *Ius autem ciuile, &* §. *Ius autem gentium, Instit. de iur. naturali gentium; & ciuili*, & Rex Alphonsus *l.*2. *tit.*1. *partita* 1. & videtur D.Thom. *quæst.*95. *art.*4. *&* 2.2. *quæst.*57. *art.*3.

HÆC tamen distinctiò non probatur; alioqui præcepta Decalogi, quæ propria sunt hominis, erunt iuris Gentium; non Naturæ. Præterea nulla ratio institiæ communis est nobis cum bestiis, vt notat Franciscus Conanus *lib.* 1. *Commentar. iuris ciuilis, cap.*6. neque ius naturale, vt dicit legem, est formaliter in brutis. Vnde non potest esse membrum formale diuisionis legum, vt notat Vasquez *disput.*157. 2
*num.*4. & notaui *disp.*3. *quæst.*3. cum Doctore Seraphico.

Dominicus Sot. *lib.*1. *de iust. & iur. quæst.*4. *art.*4. in eo distinguit hæc duo Iura, vt Ius Naturæ sit tantùm circa principia moralia; Ius autem Gentium circa conclusiones ex eis deductas.

Hoc tamen obstat, sequi, præcepta Decalogi esse iuris Gentium, cum sint conclusiones tantùm, quod est falsum. Nam cogunt quocumque tempore, vt ritè arguit Vasquez *num.*6. cum Doctore Seraph. adducto *disput.*3. *quæst.*3.

ALII Thomistæ dicunt, Ius naturale esse illud, quod ex principiis naturalibus absolutâ necessitate deducitur; Ius autem Gentium, quod suppositâ congregatione, & societate ex iisdem principiis colligitur. Sic iure naturæ est necessarium Matrimonium; iure autem gentium inductum est, vt coram testibus fieret

fieret sponsalia, ne fraudes inueherentur. Hæc est sententia D.Thom. 2.2. *quæst.*57. *art.*3. Couaruu. *in Regula,peccatum*, 2. p. §.11. *num.*4. Dom. Soti *lib.*3. *de iust. & iur. quæst.*1. *art.*3.

3 Addunt verò, Ius Gentium commune esse Naturali, & ciuili. Conuenit enim cum Naturali; quia omnibus hominibus commune est; cum ciuili autem, quia consensu populorum est constitutum. Ex quo inferunt, ius Gentium esse ius Humanum, ac proinde lege humana abrogari posse; imò ita factum esse. Nam iure gentium inuenta est proprietas agrorum, & possessionum diuisio, cui derogatum est tempore Apostolorum, Euangelicæ paupertatis consilio, cum omnes in communi viuerent. Ob eam etiam rationem, in extrema necessitate omnia sunt communia. Eodem iure Gentium inducta est seruitus captorum in bello iusto, cui derogatur à lege Canonica, quæ prohibet,Christianos captos, etiam in bello iusto, fieri seruos.

Contra tamen arguit Vasquez. Si omne id est iuris gentium, quod reputatur in societate consonum naturæ; sequetur, iustitiam in contractibus, & bellis seruandam, & in diuisione agrorum; obedientiam erga maiores; ac proinde aliqua præcepta Decalogi esse iuris Gentium, non Naturalis; nam hæc omnia deducuntur è principiis naturæ, vt consona ipsi naturæ, non simpliciter, sed in societate consideratæ. Alia verò confutat, quæ illa opinio recenset.

4 Alii dicunt, Ius gentium esse membrum Iuris naturæ; atque adeò rectè diuidi Ius in Naturale, & Ciuile. Ita Conan. *lib.*1. *Commentar. Iuris ciuil. cap.*6. Hæc enim diuisio est omnium antiquorum Philosophorum. Sic enim Aristoteles 5. *Eth. cap.*7. Ius diuidit in Naturale, & Positiuum. Apud alios quoque antiquos Philosophos incognita est illa diuisio iuris Naturalis, & Gentium; sed à Iurisconsultis est excogitata.

Vasquez *cap.*3. cum Conano, Ius Gentium à iure Naturæ sic distinguit; vt Ius Naturæ complectatur omnia principia naturæ, & quicquid ex eis ratiocinatione deducitur præcipiens, vel prohibens, siue natura seorsim sumatur, siue respiciatur in vita ciuili: Ius autem Gentium sit solum Ius permissionis, & vtilitatis,conueniens naturæ humanæ, consideratæ in ciuili communitate. Ita, vt Ius Gentium sit mera licentia, & permissio.

5 Alterum discrimen etiam assignat, vt Ius naturale sit Regula præcipiens, & permittens; at Ius Gentium solum concedens, & permittens, vt Vtile.

Ex quo ruet expositio Suarez *lib.*2. *cap.*19. qui hanc diuisionem improbat; quia etiam Ius naturale est etiam concessiuum, vt ducendi vxorem; nam hoc est concessiuum, & præceptiuum necessariorum; At verò Ius Gentium est solùm concessiuum. Hoc tamen est falsum; nam Ius gentium est etiam præceptiuum, & concessiuum, vt mox ostendam.

Hoc tamen medio confutatur, Quia Ius gentium multa præcipit, vt Inducias seruare, & non cædere hostem, tempore induciarum. Similiter Legatis non nocêre inimicorum.

6 Respondet Vasquez, hæc esse iuris naturalis; Iure autem gentium esse solùm inducias inire cum hoste,habere legatos, &c. At vero lex gentium imponit suscipi legatos hostium pacificè, vt notat Valentia *disput.*7. *quæst.*5. *punct.*2. cum alioqui iure naturæ, vt missi ab inimico, eiusque ministri, sint expellendi. Similiter induciæ non sunt, nisi quatenus præcipiuntur seruari absque hostilitate; cùm alioqui iure naturæ liceat vim repellere.

Deinde, si Ius gentium est tantùm permissiuum: Ergo licebit vsurpare, & reducere ad communitatem ea, quæ sunt propria, vt arguebat Garzia, relatus *disput.*3. *quæst.*6.

Suarez, *cap.*19. ait, illa differre; quia præcepta iuris gentium non sunt necessaria ex natura ipsa; & ideò non sunt omninò immutabilia; at iuris naturæ præcepta, ait, esse naturâ ipsâ necessaria. Addit verò cum cæteris, Ius gentium differre à ciuili, quia hoc est scriptum, nec omnibus gentibus commune; Ius verò gentium est commune omnibus gentibus, nec scriptum. Hæc videtur sententia probabilior.

Aliam differentiam assignat Valentia inter hæc duo Iura, quòd Ius gentium immediatiùs eruitur è principiis naturæ; & ideò omnes gentes comprehendit: At Ius ciuile longius abest à naturæ principiis. Hoc voluit D. Thom. *art.cit.* dum ait, Ius gentium deriuari à iuris naturæ principiis; sicut conclusiones; quia scilicet faciliùs inferuntur: propositiones autem iuris ciuilis deriuari, sicut determinationes alicuius communis ad aliquid magis particulare, contentum sub illo: V. G. *Latrones esse suspendio puniendos*, deriuatur à principio legis naturæ, scilicet malefactores esse iustâ pœnâ plectendos, tanquam determinatio quædam formæ communis, nimirum iustæ pœnæ ad formam particularem, nempè ad talem pœnam iustam. 7

Addit verò, Ius gentium posse dici speciem iuris Naturalis, quatenus è principiis naturalibus deductum per conclusiones, vt suprà dixit: esse verò speciem iuris humani, quatenus è principiis naturæ deducitur, vt conclusiones non immediatæ, sed remotiores, nec necessariæ; tales tamen, vt facilè gentes omnes in vnanimem transferent consensum. 8

Si ergo consideretur Ius gentium ratione materiæ, habet aliquid naturale: ratione verò formæ est Ius humanum. Itaque Ius humanum diuiditur in Ius Gentium, & Ius singulare alicuius Reipublicæ, vel Principis.

Si verò Lex humana consideretur, quatenus ad commune bonum refertur, potest diuidi in Ius Militare, Ius Sacerdotum, & Ius Principum, quatenus istorum officia diuersa ratione conferunt ad bonum commune. Ex hoc capite potest diuidi etiam in Ius sæculare, siue Imperatorium, & Ciuile; & in Ius Ecclesiasticum, siue Canonicum. Ius enim Imperatorium respicit bonum commune temporale; Ecclesiasticum verò bonum spirituale.

Si tandem sumatur lex humana ratione potestatis, à qua fertur, sic diuiditur pro diuersitate regiminum in leges Principum, Senatusconsulta, Ius Prætorium, & Plebiscita. Vide D.Thom. & hæc pro diuersitate materiarum diuiditur in legem Iuliam *de Adulteriis*; in legem Corneliam *de Sicariis*, *&c.*

Assero primò, Ius Gentium esse humanum formaliter. Ita Iustinianus, §. *Ius autem de iure natura, gentium, & ciuili*, vbi ait: *Ius autem Gentium omni humano generi commune est*. Nam vsu exigente, & humanis necessitatibus gentes humanæ iura quædam sibi constituerunt. Idem sentit D.Isidorus *lib.*5. *Ethymol. cap.*5. Probatur exemplis suprà allatis Induciarum, Legatorum, &c. 9

Aliqua sanè mala permittit Ius gentium, vt Meretrices, quæ Iure Naturæ non sunt admissæ. Ità Suarez *cap.*20. Et hoc insinuatur à lege *In causa*, §. *idem Pomponius*, *ff. de minoritate adiuncta*, vbi dicitur: *Licere alium circumuenire in contractu emptionis*, idest impunè permitti, nam verè malum est 1. *Thessal.*4. Explicat autem Couarru. non dolum, sed sagacitatem id signare,iuxta id Prou. 20. *Malum est, dicit omnis emptor: & cùm recesserit, gloriabitur.*

Ex

10 Ex assertione colligitur, Ius gentium esse mutabile. Imò dicunt aliqui, mutari priuata authoritate; vt, cùm quis Religionem intrans cedit bonis suis. Sic in Ecclesia mutatum est Ius gentium de captiuitate captorum in bello iusto, & est seruandum, vt notat Bart. *l. Hostis*, *ff. de captiuis*, *numero sextodecimo*.

Hvivs tamen rationem non rectè assignat Vasquez *num*.25. quia Iure gentium nihil vnquam præcipiatur; sed ratio est; quia in hoc non præcipit, quoad proprietatem ex parte possidentis. Quoad captiuos etiam conceditur tantùm, si autem præciperet; derogatur ab habente authoritatem super gentes. Dantur tamen alia, quæ iure gentium præcipiuntur, vt Inducias seruare, Legatos hostium pacificè, & honorificè suscipere, & alia plurima, vt dixi.

QVÆSTIO. II.

An potestas dandi in seruos, IVRE GENTIVM *sit inuecta.*

{ D. Bonau. in 2. dist.44. artic.2. quæst.2.

11 CAPTIVITAS victorum captorum in bello, de qua mox loquebar, inducta est Iure Gentium. Similiter & seruitus aliquorum sub dominis, & proprietas bonorum, qua detractum est Iuri Naturali concedenti libertatem; sicuti etiam communitatem in bonis, vt rectè aiunt Almain. *in* 4.*dist*.15.*quæst*.2. *art*.1. Conaru. Regula *peccatum* 2. *p*. §.11. *num*.3. Vasquez *num*.25. *disp*.177. ansamque dedit Doctori Seraphico, *loco citato*, disputandi; qua æquitate inuecta sit seruitus.

Navarrvs in cap. *Ita quorundam de Iudæis*, *Notab*.11. *in Glossam penult*. *num*.7. *& seq*. Primò dicit, Ius libertatis non esse de iure Naturali, hoc sensu, vt aliquo iure naturali caueatur, ne aliquis homo in quocunque statu seruus sit; sed liber; sed hoc sensu, vt neque natura, neque ius naturæ inducat seruitutem, libertati contrariam. Nam sicut iure naturæ dicitur possessio agrorum communis; quia nullo iure naturæ diuisio agrorum inuecta est; ità etiam libertas dicitur de iure naturæ, quia hoc iure nulla seruitus, libertati contraria, inducta est.

Secvndo ait Nauar. libertatem esse de iure naturæ; quia in statu naturæ integræ seruitus vetita est.

Tertio dicit, seruitutem non esse inductam Iure Gentium, sed à Noë post Diluuium, cùm Chanaan subiectum, & seruum fecerat cæteris.

12 Vasqvez *disput. cit. à num*.26. primò dicit, libertatem esse de iure naturæ, sicut etiam Maris, & Fœminæ coniunctionem. Dicitur itaque libertas de iure naturæ primatiò, non quia sit hoc iure præcepta aliqua seruitus contraria; sed quia homines, si more gentium in communi viuerent, non induxissent seruitutem, nec capturam aliorum hominum in bello; sed ratione naturali ducti, omnes per se liberè viuerent. Est itaque libertas de iure naturali permissiuo, non sub præcepto naturali, & in hoc ferè consentit Nauarro *in primo dicto*.

Secvndo dicit, in statu quidem innocentiæ non futuram seruitutem; ex naturæ tamen permissione potuisse vnum hominem fieri seruum alterius, voluntario contractu. Quare non possumus dicere, iure naturali vetitam seruitutem ante peccatum; sed ideò tunc non futuram, quia seruitus, quauis ratione, siue præcedente culpa, siue ex contractu inducta est inter ciues, qui in societate post peccatum viuunt, & ideò dicitur Iure gentium inuecta.

Tertio dicit, ex Hermogeniano, *l. ex hoc iure*, *ff de inst.& iur*. seruitutem esse inuectam iure gentium. Neque satis respondere Nauarrum, quòd Hermogenes Paganus non agnouit historiam Noë. Nam S.Isidor. qui eam historiam optimè nouit *lib*.5. *Ethymol. cap*.6. & refertur cap. *Ius gentium*, 1. *dist*. inter exempla iuris gentium connumerat seruitutes. 13

Respondet Nauar. seruitutem, non tàm inuectam, quàm probatam iure gentium; & ideò inter iura gentium numerari; sed quia responsio videbitur insufficiens, dicit, tàm legem, quàm Isidorum loqui de seruitute introducta per bellum, quam ipse fatetur Iure gentium inductam.

Hoc refutat Vasquez, quia nulla seruitus introducta est, nisi iure gentium, hoc est hominum, in congregatione viuentium. Quare etiam ante Noë fuit; quod probabile est; quia gentes non vixerunt tot sæcula absque consortio, & diuisione agrorum; vnde sequuntur bella, & seruitutes; aut certè, si Noë verum dominij ius concessit Sem, & Iaphet super nepotem, non fuit introductum antè ius Gentium. Neque verò Chanaan fuit mancipium patruorum, vt patet; sed tantùm iure successionis primogenituræ priuatus; sicuti etiam *Genes*.27. dicitur Iacob: *Esto dominus fratrum tuorum*. Sequitur ergo, seruitutem esse iuris gentium: libertatem autem iuris naturæ modo dicto concessiuè. Quare nihil prohibet, iure humano ei derogari. 14

D.Bonaventvra primò ponit tres dominij acceptiones. Prima lata est, pro possessione rerum: Sic dicitur Dominus agri; est tamen lata acceptio; quia ager non refertur propriâ relatione seruitutis, sed possessionis ad Dominum, quem potiùs vocauerim *possessorem*. Secunda sumitur strictiùs pro excellentia potestatis in imperando ei, qui est rationis particeps, qua ratione in statu innocentiæ potuisset Vir filiis iure paterno, vel politico, sicut Vxor iure æconomico aliquid imperare, vt habetur 5. *Eth. cap*.6. & Angeli in ministrando, ordine prælationis incedunt; & huic imperio non respondet seruitus. Tertia sumitur propriè pro potestate coercendi subditos; & huic dominio respondet seruitus. 15

Primo modo dicit, dominium esse omni statui commune; Secundo modo competere statui viæ pro omni statu, siue naturæ institutæ, siue lapsæ; conuenire etiam angelis, vt ministri sunt, quia hac ratione sapiunt quid viæ: Tertio verò modo esse tantum pro statu naturæ lapsæ: inest enim ei secundùm culpæ punitionem; non secundùm naturæ institutionem; & hoc; quia seruitus correspondens, est pœna peccati. Ad tertium verò asserit, inductam seruitutem per peccatum à Noë; & adducit D.Ambrosium. Et hæc est sententia Tostati *ad cap*. 13. *Genes. quæst*.806. hanc verò maledictionem, ait, non fuisse statim iure gentium firmatam pro omnibus; sed pro solis posteris Chanaan: At verò iure gentium inductam post incæpta bella in secunda mundi ætate, qua Noë fuit; & ità inductas tunc seruitutes iure gentium, vt habetur *Instit. de iure personali*, §. *seruitus*; vbi habetur: *Seruitus est constitutio iuris gentium, in qua quis Dominio alieno contra naturam subiicitur*. Et quia in bello primùm capti, cùm possent occidi, seruabantur; ideò serui dicti sunt, vt dicitur *eodem tit*. §. *serui*, vbi habetur: *Serui autem ex eo appellati sunt, quòd Imperatores captiuos vendere iubent, ac per hoc seruare, nec occidere solent*. Et hoc sentit S.Bonau. *in* 2. *dist*.44. *art*.3. *quæst*.1. *in corpore*. 16

Et

17 Et hoc expressit Seraphicus *ad* 4. dum ait, Omnia esse communia, esse de dictamine naturæ institutæ; aliquid verò esse proprium dictari à natura lapsa, ad remouendas lites, & contentiones. Sic etiam hominem homini esse æqualem, dictari à natura instituta; hominem autem homini subiici, & famulari, dictari secundùm statum corruptionis, vt mali compescantur, & boni defendantur; nisi enim essent huiusmodi dominia coërcentia malos propter corruptionem, quæ est in natura, vnus alterum opprimeret, & in communitate homines viuere non possent. Ex quo deducitur, ex iure gentium ad communitatem conuiuentium hoc emanasse.

Assero primò, Seruitutem, & Proprietates rerum inductas esse iure gentium iustè ad conuiuendum ciuiliter in hoc statu naturæ lapsæ.

Probatur à D. Bonau. primò ex D.Gregor. qui ait: *Omnes homines natura æquales fecit, sed pro variis meritis alios aliis, occultâ Dei dispensatione, sed iustâ, præponit.*

Secundo ex D.August. 19. *de ciuit. Dei, cap.*15. vbi ait: *Rationabilem factum ad imaginem suam dominari noluit Deus; non hominem homini; sed hominem pecori.* Inde primi iusti pastores pecorum, magis quàm Reges hominum constituti sunt, vt etiam sic insinuaret Deus quid postulet ordo creaturarum, & quid exigat meritum peccatorum. Conditio quippè seruitutis iure intelligitur imposita peccatori.

Tertio, ratione deducta ex allegata authoritate D. August. Quod est oppositum dono, naturæ concesso, à peccato venit; sed seruitus est opposita libertati, quæ fuit à natura concessa: Ergo. Minor patet quoad priorem partem: quoad posteriorem verò probatur, quia libertas definitur: *Naturalis potestas, qua licet homini facere quod vult.*

18 Quarto. Imago Dei naturâ suâ soli Deo subditur; cæteris verò nequaquam, vt Dei potentia, & imperium imitetur: Sed homo est imago Dei: Ergo naturâ nulli subest, vt seruus, nisi Deo. Ergo seruitus ex praua peccati conditione superuenit; vnde omnia fluunt.

Quinto. Quod est causa vnius relatiui, est causa etiam alterius, quia sunt simul natura, tempore, & cognitione: sed peccatum est circa seruitutem, quæ est correlatiua Dominij: Ergo. Minor probatur ex D.August. *loco cit. de ciuitate Dei.* Vbi etiam ostendit, eam iustè peccato inflictam; primò *ex 9.Daniel*: vbi suæ gentis captiuitatem iustè ob culpas inflictam confitetur. Secundò id ostendit 2. *Petri, cap.*2. vbi præcipit, subiici Dominis, etiam discolis Principibus. Tertiò ex D. Paulo *Ephes.*6. vbi monet, seruos subdi Dominis ex corde.

19 Obiicies. Quod est ad conseruationem ordinis naturalis, pertinet ad institutionem naturæ; sed potestas proscribendi pertinet ad conseruationem ordinis naturalis: Ergo. Maior est manifesta. Minor probatur ex D.August.19. *de ciuit. cap.*16. vbi ait: *Pœnalis seruitus ea lege ordinatur, quæ naturalem ordinem conseruari iubet, & perturbari vetat.*

Respondet D. Bonau. *quæst.*1. *ad* 4. *& ad vltimum*, seruitutem conferre, imò necessariam esse, ad statum naturæ lapsæ, vt suprà dixi, ad remouendas malorum violentias, & oppressiones. Reliqua in D.Bonau. sunt clara.

Oportet autem explicare Seraphici dictum *lib.*4. *Pharetra, cap.*21. vbi ait: *Natura ius commune generauit; vsurpatio proprium.* Indicat, naturam à sua institutione omnia largitam communia; At verò ex prauitate Tyrannorum, ex quibus dicitur Princeps Nemrod, vsurpasse sibi, omnia, tanquam propria iure autem gentium in concilio populorum institutum, vt aliqui præsiderent ad rectum, & moderatum regimen; ità, vt relinquerentur aliquæ possessiones in potestate eorum, qui tenebant; & aliæ aliis darentur ad remouendas lites, & bella; ità tamen, vt deinceps non liceret vsurpare.

Ex his habes, ex natura rei potestatem leges condendi non esse in aliquo singulari, sed in communitate. Ità D.Bonau. *loc. cit.* D.Thom. *quæst.*93. *art.*3. *ad* 2. & *quæst.*97. *art.*3. *ad* 3. Ita habetur *l.*1. *ff. de constitut. Principum, & l.*2. *vers. Nouissime, ff. de origine iuris.* Estque communis. Vide Suar. *l.*3. *cap.*2. 20

Probatur. Nam homines naturâ sunt liberi.

Dices. Adam factus est Princeps hominum.

Respondet Suarez ex D. Bonau. *hic, fund. primo*, factum esse solùm caput Oeconomicum. Hinc malè tamen infert Caluinus, post peccatum non dari, etiam Principem Politicum.

DISPVTATIO V.

De Lege positiua Scripta.

Lex humana, posita in Scripto, est rectum decretum, litteris exaratum, conueniens legi naturali per ratiocinationem aliquam probabilem, ab habente publicam authoritatem sancitum, præscribens aliquid à subditis necessariò obseruandum. Deducitur ferè ex D.Thom. *quæst.*1. *art.*3. Vide Valentiam *disp.*7. *quæst.*5. *p.*1. Itaque hoc differt à iure gentium, quod Ius istud est scriptum, & particulare; Ius autem gentium non scriptum, & vniuersale.

QVÆSTIO I.

An sint in Hominibus potestates ad Leges condendas, maximè cogentes conscientias.

D.Bonau. in 2.d.44 art.2. & 3. & in 4. d. 18.
D.Thom. quæst.51. art.4.

1 Tametsi Ius etiam Gentium hanc postularet quæstionem; attamen Ius Gentium à communi omnium hominum consensu emanat, qui possunt seipsos cogere ad statuta à se seruanda; At verò Ius humanum, tàm Canonicum, quàm Ciuile, à persona aliqua in regimine Monarchiæ statuitur. Et has leges collegit, nonas additiones apponens, Iustinianus, vt notat D.Bonau. *serm.*16. *Hexaëmer.* Has verò primò à Constantino ad Christianorum normam redactas; deinde à Theodosio, asserit Seraphicus, *Opusc. Initium Scripturæ*, ex D.Isidoro, *lib.*1. *cap.*1. A Senatobus in Aristocratico regimine, in quo Optimates dominantur, Rempublicam constituentes; Atque indè dicuntur Senatusconsulta.

A paucis verò potentioribus. Et dicitur Ius Prætorium, seu Honorarium, iuxta regimen, quod vocatur Oligarchia.

A plebe, & dicitur Plebiscitum, secundùm gubernatio

gubernationem Democraticam; vt notat D. Thom. *quæst.*51. *art.*4. Et de his maior est difficultas: An valeant legibus cogere homines. Ideò ad præsentem disputationem, hanc controuersiam retuli.

2 FVERE Hæretici, qui omnem pœnitus humanam potestatem ad leges condendas è medio tollere conati sunt. Et quidem in Ecclesia potestatem istam negarunt primò Vualdenses, teste D. Antonino 4. *p. Theol. tit.*11. *cap.*7. §.2. Marsilius de Padua *in Defensorio pacis*, teste Pighio *lib.*5. *hierarchia.* Ioan. Vuicleph. vt patet ex *art.*38. relato in Concil. Constantiæ, *sess.*8. & Ioan. Hus, relatus in eodem Concil. *sess. vlt.* & damnatus. Ioan. de Vesalia, vt patet ex damnatione articulorum eius, facta Moguntiæ *anno* 1479. Luther. *lib. de captiuit. Babyl. cap. de Baptismo*, & *in explicatione visionis Danielis.* Philip. Melanct. *in Confess. August. art.*18. & in eius *Apologia.* Ioan. Caluinus *lib.*4. *Instit. cap.*10. 11. *&* 12. Hi omnes negant omnem in Ecclesia potestatem ad leges condendas, quæ obligent subditorum conscientias, nisi sint expressè in Scriptura imperatæ; sed admittunt tantùm facultatem ad aliquem ordinem statuendum, qui non obliget, nisi ratione scandali. Inter hos autem hæreticos, Lutherus, & alij post ipsum, omnem è medio tollunt, etiam in quouis Principe, potestatem ad leges condendas, nisi ratione scandali. Hunc errorem aliqui inutunt Gersoni *tract. de vita spirituali*, *lect.*4. qui est in *Alphabeto* 62. *litt. G. & sequentibus*, sed immeritò, vt ostendit Vasquez *disp. citanda*, *quæstione* 2.

3 CATHOLICA doctrina est, non modò in Pontifice, Conciliis, & Episcopis; verum etiam in Principibus sæcularibus, & Rebuspublicis, authoritatem condendi leges, quæ conscientias subditorum obligent, residere. Hanc veritatem defendunt aduersus hæreticos Alphons. de Castro, verb. *Lex Ecclesiastica*, *heresi* 3. & *lib.*1. *de lege pœnali*, *cap.*4. Driedo *lib.*1. *de libertate Christ. à cap.*1. Roffens. *art.*27. contra Lutherum, Turrecrem. *lib.*2. *Summa*, *cap.*45. *& sequentib.* Pighius *lib.*5. *de Eccl. hierar.* Turrian. *lib.*1. *pro Canonibus Apostolorum*, *cap.*27. & *lib.*4. *pro epist. Pontificum*, *cap.*16. Dom. Soto *lib.*1. *de iust. & iur. quæst.*6. *art.*4. & ante istos D. Antonin. *p.*1. *tit.*18. *cap. vnico*, §.2. Maior *in* 4. *dist.*15. *quæst.*4. D. Thom. *quæst.*96. *art.*4. vbi omnes Commentatores eius. Tanner. *disp.*5. *quæst.*6. *dub.*3. Bellarm. *lib.*4. *de Romano Pontif. à cap.*15. Suarez *disput.*1. *de Censur.* & *lib.*3. *de legibus*, *cap.*26. & *lib.*5. *cap.*3. Valentia *disput.*7. *quæst.* 5. *punct.*2. Vasquez *disp.*152. 153. *&* 158. *Prima secunda* cum Doctore Seraphico *locis citandis in argumentis.*

4 ASSERO primò, in Ecclesia esse potestatem condendi leges, conscientiam ligantes.

PROBATVR primò ex dictis *disp.*1. *quæst.*9. vbi varias ad hoc probandum attulimus authoritates.

PROBATVR secundò à D. Bonau. *in* 4. *dist.*18. *p.*1. *quæst* 1. *in corp.* & *dist.*20. *p.*2. *quæst.*5. *ad* 1. ex illo Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum. Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis* Et affert comment. D. Chrysost. *ibi* dicentis: homini mortali, cæli; & terræ, & omnium, quæ in eis sunt potestatem committit Dominus, & Ecclesiam cælo validiorem demonstrauit.

CÆTERIS autem Apostolis datam hanc potestatem, ostendit Seraphicus *in* 4. *dist.*10. *p.*2. *quæst.*1. *arg.*1. & *quæst.*3. *ad* 3. ex illo Matth. 18. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*; idest separetur, vt indignus Ecclesiastica communicatione, & fructu. Vt autem hoc validè faciendum ostenderet, subdit: *Amen dico vobis, Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis*, vt notat D. Bonau. Quibus verbis vniuersalibus omnia comprehendit, vt notauit Innoc. III. cap. *Solitæ, de Maior: & obedientia.* Et verbo *ligandi* explicat vinculum excommunicationis: Dum autem ait: *Erunt ligata & in cælis*; ostendit, hanc esse potestatem specialem ad conscientiam obligandam.

Vbi aduerto, tametsi aliqui negent, ibi datam potestatem excommunicandi; sed tantùm promissam dicant; nihil omninò obesse: nam si promissa à Christo est; certè etiam data; quia Christus seipsum negare non potest.

Et quidem Suarez *tom.*5. *in* 3. *p. disp.*1. *sect.*2. *num.*6. ibi solam promissionem potestatis factam, ait; quia tantùm pro futuro enunciatur. *Quæcunque alligaueritis*, post D. Bonau. *in* 4. *dist.*18. *p.*2. *&* 3 *ad* 3. vbi id probabile dicit. Attamen Seraphicus probabile etiam putat, *loco cit.* tunc datam. Licèt enim dicat pro futuro. *Quæ allegaueritis*; attamen priùs dixerat. *Si Ecclesiam non audierit*, sit in præsenti excommunicatus à vobis. Et quia exequutio futurum respiciebat, subdit: *Quæ alligaueritis*, dans potestatem iuris contentiosi, & externæ iurisdictionis, vt exponunt SS. PP. Hieron. *ibi*, Chrysost. *homil.*61. & indicat D. August. *lib.*1. *contra aduersarios legis*, *& Prophet. cap.*17. Et consentiunt Caiet. *tom.*1. *opusc. tract.* 3. *cap.*5. Victoria *relect* 2. *de potest. Ecclesiastica*, *num* 9. Suarez *loco cit.* Vasquez *loco cit. num.*11. 5

EANDEM authoritatem Apostolis datam fuisse, vel confirmatam, ostendit Seraph. Doctor. *Ioan.*20. ad ea verba: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Vbi Suarez *num.* 10. vult, esse primò concessam, Vasquez *num.*11. & Valentia *loc. citat.* dicunt, concessam potestatem leges condendi. Tunc enim Apostolos Vicarios, & Legatos suos declarauit, vt notat D. Chrysost. quem imitatur S. Bonauent. & Toletus *ibi*, atque Suar. *loc. cit.* sicut, inquiens, me misit Pater suprema potestate ad mundum gubernandum spiritualiter; ità ego, non pari potestate; sed Petrum supremâ; cæteros verò Apostolos, tanquam Legatos de latere, mitto. Ità exponunt SS. Cyrill. *lib.* 2. *in Ioan. cap.* 55. Cyprian. *lib. de vnione Ecclesiæ*, prope initium, & *epistol.* 73.

POTESTATEM verò supremam Petro dedit, ac declarauit. *Ioan.*21. cùm dixit illi: *Pasce oues meas*; vt probat Seraph. Doctor ad eum locum, & *collat.*90. *ad cap.* 21. *Ioan.* Prælatum enim summum, ibi Petrum constituit, non modò ad pascendos fideles, vt hæretici vellent; sed etiam ad gubernandam Ecclesiam. 6

PROBATVR primò à D. Bonau. ad illud Lucæ 12. *Quis, putas, est dispensator fidelis, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram?* Vbi Seraphicus, eum dispensatorem cibi, aduertit, Prælatum constitutum super Dei familiam, de quo Hebr. 5. *Nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Ex Psalm. 20. *Ego autem constitutus sum Rex. Reges eos in virga ferrea*, vbi Hebræus habet. תרעם therohem, idest *pasces eos.*

Confirmat S. Bonauent. primò; quia Rex Pharao ad constituendum Iosephum in vniuersalem dispensatorem. *Genes.* 41. necessarium vidit, dare ei Regiam potestatem. Et ideò hoc Euangelium legitur Festis Sanctorum Pontificum. Secundò ex illo *Osea* 4. *& sequentib.* vbi Prælatos pastores vocat, pascentes,

pascentes scientia. Et *cap.*8. quia non benè pauerant, vocat eos Reges, non ex Deo. *Ipsi regnauerunt, & non ex me.*

7 Præclarum autem affert testimonium *ex* 34. *Ezech.* vbi Dominus alloquitur Prælatos, & Reges; eosque pastores vocat Israël. *Væ pastoribus Israël.* Et subdit. *Et suscitabo super eos Pastorem vnum, qui pascat eos, seruum meum Dauid; ipse pascet eos, & ipse erit in Pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum; & seruus meus Dauid Princeps in medio eorum.*

Addit illud *Matth.*25. vbi dicitur: *Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, &c.* Ille autem dicitur præpositus familiæ Dei; nomen verò Pastoris est metaphoricus, qui non ad solùm pascendas oues destinatur, sed etiam ad regendas, & pleno dominio possidendas; ob id præcipui Principes priùs fuerunt pastores, vt aduertit Serlogus *in Cant.* ad ea verba, cap.1. *Indica mihi, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Vbi ad id refert eundem locum *Ezech.* Certum est autem, ibi interloquutorem Regem, fuisse sponsum Canticorum. Hinc D. Cyprian. *serm. de Nat.* obseruat, Præclarissimos Principes populi Dei fuisse Pastores, è quibus Moysen, & Dauid ad regnum sunt euecti. Et Marc. Varro *lib.*2. *de Re rustica, cap.* 1. ait: *De antiquis illustrissimis quisque pastor erat.* Idem obseruauit D. Bonau. *loco cit.*

8 Addit Doctor Seraph. locum 1. *Petri* 5. vbi hortatur Prælatos dicens. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei; & cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcessibilem coronam.* Certum est autem, Christum, dum se Pastorem vocat, & dicitur Princeps pastorum, suam potestatem, & suum Imperium indicare.

Quid vltrà? eo loco *Ioan.*21. vbi dicitur. *Pasce oues meas*, habetur in Græco ποίμαινε *pasce regendo, & principando.* Sic & Homerus *lib.*2. *Iliad.* frequenter vocat Regem Agamemnonem ποιμένα λαῶν pastorem populorum. Et *Matth.*2. vbi habetur: *Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israël*; habetur: *Pastor.*

Sancti Patres etiam prælationem Petro signatam autumant eo verbo: *Pasce oues meas.* Ità Chrysost. *lib.*2. *de Sacerd.* & *in opere imperfecto Matth. cap.*22. aliquid simile indicat. Et *homil.*87. *in Ioan.* quærit: Cur solùm Petrum alloquitur his verbis; & respondet. Quòd eximius Apostolorum erat Petrus, & Os Apostolorum, & Vertex; & propter hoc Paulus *Galat.*1. dicit, se ascendisse ad eum videndum.

D. Augvst. *tract.*123. *in Ioan.* regimen Petri hîc agnoscit. Eos refert ibi D.Bonau.

Tandem S. Gregor. *lib. de cura Pastorali*, passim Rectores vocat *Pastores.* Vide etiam Bellarminum *lib.*1. *de Rom. Pontifice, cap.*15. eadem afferentem ad hoc probandum.

Id obseruat Bellarm. *loc.cit. cap.*16. cum D.Bonau. ad eum locum. Pro quo notat, bis dixisse: *Pasce agnos meos*; semel autem: *Pasce oues meas*, vt omnes Latini Codices habent; nec Hieron. eam versionem improbauit. Ibi igitur bis agnos, idest plebem ex vtroque populo Iudaïco, & Gentili; oues autem proceriores, siue Episcopos, siue alios consignasse. Vel cum Ambrosio: *imperfectos, & perfectos.*

9 Deinde cùm dicat. *Pasce agnos meos: Pasce oues meas*; omnes includit, sicuti cùm ait, Ioan.10. *Cognosco oues meas: & ego pono animam meam pro ouibus meis*; omnes intelligere debemus, pro quibus mortuus est. Ipse enim testatur laborare, vt fiat vnum ouile, & vnus Pastor; idest vna Ecclesia, vt notat Bellarm. post D.Bonauenturam.

Denique id sentiunt omnes veteres Patres. Ità Epiphan. *in Anchorato*, Chrysost. *in hunc locum*, Ambros. *in cap. vlt. Lucæ*, Leo *serm.*3. *de assump. sua*, Gregor. *lib.*4.*epist.*32. Theophylact. *in caput vlt. Ioan.* Bernardus *lib.*2. *de Consideratione.*

Confirmatvr à D.Bonau. ad 10. Lucæ ex illis verbis: *Qui vos audit, me audit: Et qui vos spernit, me spernit.* Quæ verba, ad Apostolos, & eorum successores dirigi, docet Seraphicus post Sanctos, Cyprianum *lib.*4 *epist.*9. Basilium *in Constit. Monasticis, c.*23.

Obseruat autem S.Bonau. Christum missum à Patre, tanquam summo Imperatore, non modò ad docendum; sed etiam regendum. Ergo eodem modo Christus mittens Apostolos, dat eis potestatem Principem; & quidem singulis, quia separatim erant opus salutis mundi exantlaturi.

Probatvr tertiò à Seraphico *in* 4. *dist.*18. *p.*2. *quæst.*1. suppositis, quæ dixerat *in* 2.*dist.*44.*art.*2. *q.*1. *fund.*1.& 2.& *in corp.* ex Rom.13. *Non est potestas nisi à Deo.* Tunc sic: Ecclesia ab initio exercuit hanc potestatem per Prælatos suos sanctos, vt leges conderet; sed hæc potestas est à Deo: Ergo iusta, & legitima. Minor probatur. Quia omnis potestas (non tyrannica) à Deo venit positiuè: tyrannica verò permissiuè. Maior probatur primo *ex* 15.*Act.* vbi Petrus cum aliis 10
Apostolis in Concilio adunatis dixit: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos benè agetis.* Quem locum latè sustinent Vasq. *à num.*12. Bellarm. *lib.*4.*de Rom. Pontif.cap.*16. & alij. Confirmatur, nam *eod.cap.* Paulus dicitur: *Pertransiens ciuitates præcipiebat eis, custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum.* Et cap.16. *Tradebant eis custodire dogmata, quæ decreta erant Apostolis, & senioribus, qui erant in Hierusalem.*

Hinc ruit responsio Caluini *lib.*4.*Instit.cap.*10.§.21. & 22. vbi ait, Apostolos nihil à se præcepisse.

Confirmatvr à D.Bonau. illo loco, Rom.13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non enim est potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.*

Hic locus non solùm de Principibus sæcularibus, sed etiam de Ecclesiasticis intelligitur, vt fatetur Caluinus *lib.*4. *Instit. cap.*10.§.5.

Et patet, eum loqui de omnibus, nam vniuersim ait: *Non est potestas nisi à Deo*; esse autem potestatem ad conscientias legibus obligandas patet; nam protestatur trangressoribus æternam damnationem, vt exponunt Chrysost. Oecumen. Theophylact. Ambros. & fatetur Petrus Martyr, Caluinista, in hunc locum.

Neqve euasio hæreticorum quidquam iuuat. Hanc 11
enim præclusit S.Bonau. *loco adducto in* 2. *sent.* illa verba opponens. *Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram; sed etiam propter conscientiam.* Ità exponunt communiter PP.Theodoret. Ambros. Beda, Ansel. & alij ad hunc locum, & August. *epist.*4. *ad Macedonium*, & fateri coguntur Caluinus; Petrus Mart. & alij hæretici.

Respondet tamen Caluinus *loco cit.* obligationem conscientiæ non adscribi singulis legibus Principum, sed generali præcepto Dei, quo tenemur honorare Principes, & non eos contemnere.

At verò Apostolus eodem modo iubet, nos vitare transgressiones legum propter iram, & propter conscientiam;

ſcientiam; propter iram verò, ſeu pœnam, & citra contemptum, tenemur obedire; nam Principes puniunt morte tranſgreſſores, etiamſi non contempſerint leges, & ſcandalo fuerint. Itaque ſecretum furem conuictum, ſuſpendio necant.

Vrget Doctor Seraph. hoc argumentum *in 4. diſt. 18. p. 2. quæſt. 1.* exemplo Apoſtoli; quia 1. *Corinth. 5.* Fornicatorem tradidit illicò Sathanæ. Et 1. *Tim. 1.* idem ſupplicium excommunicationis inflixit Hymenæo, & Alexandro. Et *Galat. 1.* Aliter docentes anathemate ferit. Et 1. *Corinth.* vlt. Non amantes Chriſtum eâdem cenſurâ plectit. Aduertit autem, pœnam Anathematis, vel traditionis corporis Sathanæ, eſſe pœnam illatam, & Cenſuram ab homine Apoſtolo. Et 1. Corint. 4. *Quid vultis? In virga veniam ad vos; an in ſpiritu manſuetudinis?* Hanc autem Virgam iudiciariam aſſerunt Chryſoſt. & alij
12 huius loci Interpretes. D. Auguſt. *lib. 3. cap. 1.* contra epiſtolam Parmeniani, & *lib. 2. de conſenſu Euangeliſt. cap. 30.* Et 2. Corinth. 13. *Prædico, quoniam ſi venero iterum, non parcam.* Et ibidem. *Vt non præſens duriùs agam, ſecundùm poteſtatem, quam dedit mihi Dominus.* Et 1. Timoth. 3. vbi Apoſtolus legem ſtatuit, ne bigami ordinentur. Quam legem ligare conſcientias patet; tum ex praxi Eccleſiæ, quæ nunquam bigamos auſa eſt ordinare: tum ex Concil. Carthag. 4. *Can. 69.* vbi Epiſcopus, qui ſcienter ordinauerit bigamum, punitur priuatione authoritatis ordinandi. Et 1. Tim. 5. *Aduerſus Preſbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, vel tribus teſtibus.* Et 1. Corinth. 11. *Laudo vos, quòd mea præcepta tenetis.* Et 1. Theſſal. 4. *Scitis, quæ præcepta dederim vobis.* Et ibid. *Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit; ſed Deum.* Et 2. Theſſal. 3. *Si quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini illi.* Et Heb. 13. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant, tanquam rationem pro animabus veſtris reddituri.* Et Act. 13. *Elymam excæcauit.* Et *Act. 5.* Petrus Ananiam, & Saphiram morte mulctauit.

13 Respondet Petrus Martyr *ad 1. Corinth. cap. 5.* eſſe quidem in Eccleſia virgam, & poteſtatem; illam tamen non eſſe in aliquo vno, puta Papa, vel Epiſcopo, ſed in tota Eccleſia. Nam Paulus *1. Cor. 5.* volens punire inceſtuoſum, ait: *Congregatis vobis, & meo ſpiritu.*

At exemplis allatis manifeſtum eſt, ſolum Paulum, & ſolum Petrum hæc præſtitiſſe. Quòd verò tunc ait: *Congregatis vobis*, nihil aliud ſignificat, quàm publicè coram fidelibus eam pœnam infligere voluiſſe publico peccatori. Sic etiam ſolus Paulus Elymam, & ſolus Petrus Ananiam punierunt, qui caſus ad Virgam Eccleſiaſticæ poteſtatis pertinent, vt ibidem fatetur hæreticus.

Quid tum? (ait S. Bonau. *in 2. diſt. 44. art. 3. quæſt. 1. fund. vlt.*) omnes Pauli epiſtolæ his obligationum teſtimoniis ſunt refertæ.

Confirmatvr à S. Doctore *in 4. diſt. 18. paſſim* è praxi Eccleſiæ. Omnia enim ferè Concilia aliquid ſub anathemate præcipiunt. Plenæ ſunt epiſtolæ Pontificum, quæ vel *in corpore Iuris Canon.* legi poſſunt; vel *in Tomis Conciliorum*, fulminantes cenſuras.

14 Probatvr etiam rationibus à Seraphico ſparſim. Prima habetur *in 2. diſt. 44. art. 2. quæſt. 1. in fundamentis; & corpore.* In omni enim hominum collectione politica, neceſſariæ ſunt ordinationes publicæ pro bonis, ad bonorum operum promotionem; & aliæ pro malis, ad eos à culpis coërcendos; alioqui in Republica, ſeu Eccleſia orietur confuſio, vt Iuriſtæ dicunt cum D. Bonau. *in 2. diſt. 44. art. 2. quæſt. 2. ad vlt.* Tales autem ordinationes vim habentes cogendi ad bonum, & coërcendi à malo, vniuerſaliter leges ſunt, vt habet Ariſtoteles 10. *Eth. cap. 9.*

Qvod verò aliquæ leges, præter Naturalem, & Diuinam, neceſſariæ ſunt; audi S. Iſidorum, lib. 5. Ethymol. cap. 20. *Eſt autem Lex recta, ea, quæ eſt honeſta, poſſibilis ſecundùm naturam, ſecundùm conſuetudinem patriæ, loco, temporique conueniens, neceſſaria, ſiue vtilis, manifeſta quoque, ne aliquid per obſcuritatem in captione contineat; nullo priuato commodo, ſed pro communi vtilitate ciuium ſcripta, ſiue lata.* Et addit: *Factæ ſunt leges, vt earum metu humana coerceretur audacia, tutaque eſſet inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrænaretur nocendi facultas.* Id diſſerit Plato *lib. 4. de Legibus*, & Ariſtoteles 10. *Eth. cap. 9.* Iſidor. *lib. 5. cap. 11.* & D. Auguſt. *epiſtol. 50. & 54.* & D. Thom. *quæſt. 95. art. 1.* Vide Valentiam *diſput. 7. quæſt. 5. puncto 3.*

Iam verò cùm Eccleſia ſit ſpiritualis hominum adunatio ad virtutem, & finem beatitudinis congregata; ad virtutes autem neceſſe ſit, Rempubl. ſiue etiam Eccleſiam ſub Monarcha tranquillam eſſe, neceſſariæ ſunt leges Eccleſiaſticæ ad ſpirituale regimen; alioqui non erit Eccleſia, ſed confuſio; nam, vt agnouit ipſe Ariſtoteles 1. Polit. cap. 2. *Vt enim perfectione ſuſcepta optimum cunctorum animalium eſt homo; ita alienus ſi fiat à lege, & à iudiciis, peſſimum eſt omnium animalium. Itaque impiiſſimum, & immaniſſimum eſt ſine virtute; & ad libidinem, cibationemque deterrimum.*

Hinc neceſſariæ fuere leges Eccleſiaſticæ, quæ, 15 vt experimento habetur, additæ Diuinis, mirificè ad virtutes conducunt. Ità ad libidinem frænandam, & gulam compeſcendam, lex ieiunij; Ad religionem, Auditio ſacri diebus feſtis, &c. & non modò generales, ſed etiam aliæ ſingulis Epiſcopatibus leges vigebant pro varietate regionum, & gentium, vt ſuprà dixit S. Iſidorus.

Similiter in tota Eccleſia pro temporum varietate, vt ipſe Iſidor. aſſerit: Has verò à tempore Apoſtolorum ſancitas vidimus, additaſque legibus Diuinis. Et ideò Apoſtolus dicebat, 1. Cor. 7. *De cæteris ego dico, non Dominus.* Et *cap. 11. de Oratione* aſſerit, eſſe præcepta à ſe lata, eſſeque ſua, non autem ſimplices directiones, vt fingit Melanchon *in Confeſſ. Auguſtana.*

Ex his deducitur ratio D. Thom. *quæſt. 96. art. 1.* & eruitur ex Seraphico *locis cit. & ad 21. Ioan.* ad ea verba: *Paſce agnos meos. Paſce oues meas.* Quod ad aliquem finem eſt, debet eſſe fini proportionatum; ſed finis legis eſt bonum commune, vt dicit D. Iſidor. *loco cit.* Ideò oportet, leges humanas ad communem eſſe vtilitatem; bonum autem commune conſtat ex multis; quare oportet, vt lex multa reſpiciat, etiam ſecundùm tempora. Conſtituitur enim communitas ciuitatis ex multis perſonis, & eius bonum per multiplices actiones procuratur; nec ad hoc inſtituitur, quòd aliquo tempore modico duret, ſed quòd omni tempore perſeueret per ciuium ſucceſſionem, vt ait D. Auguſt. *lib. 2. de ciuit. Dei, cap. 21. & lib. 22. cap. 6.* Addo verò, ad variationem temporum, & rerum, mutandas conſequenter & leges; quòd ſæpè in Eccleſia vidimus factum in Decretis Pontificum, & Conciliorum; & ideò non ob id ritè hæretici inferunt, aliquando Eccleſiam aberraſſe: Nam variatis rebus, varia debentur ſtatuta; vt mox probo.

16 PROBATVR ergo ista ratione D.Thom. *art.2.& 3.* & D.Bonau. *loc. cit.* Lex ponitur vt mensura, & regula humanorum actuum: Mensura autem debet esse homogenea mensurato, vt dicitur 10. *Metaph. tex.3. & 4.* Diuersa enim diuersis mensurantur; vnde oportet, vt leges variæ imponantur hominibus pro eorum varietate ad operandum, vt ait D.Isidor. suprà relatus; At verò non omnes idem possunt, & necesse habent operari. Aliqua enim infirmis; aliqua validioribus; aliqua pueris; aliqua viris sunt necessaria. Itidem aliquæ virtutes his; aliæ illis sunt necessariæ; & ideò diuersæ leges plurimarum virtutum actus præcipientes, & vitiorum actus prohibentes, necessariæ sunt. Ex quo fit, vt multa præter ea, quæ Naturali, & Diuinâ lege imperantur, sint in Ecclesia necessaria. Hanc verò necessitatem latè prosequitur Seraph. Doctor in variis opusc. præcipuè *de Regimine animæ.* De *sex alis.* In *Itinerario mentis in Deum.* De *septem Itineribus.* De *Profectu Religiosorum*, &c.

17 PROBATVR tertiò à S. Doctore *in 4. dist.18. p.1. quæst.1.* ratione exemplis roboratâ. Videmus enim in Oeconomica gubernatione, plurima esse sancienda, præter Diuina, & Naturalia præcepta, & ob id filios à parentibus corripi, mulctari, & eliminari. Similiter videmus, Medicum ad sanandum hominem ægrotum, lenitiua primò; mox Rabarbarum, ferrum, ignemque adhibere, ac membra vrere, secare; & ægrotus obedit, licèt in sectione membrorum non teneatur, cùm non sit tanto dolore & periculo digna salus: Sic igitur in Politica gubernatione multa sunt præcipienda ad subditos in officio studiosè continendos, & ipsi obedire tenentur.

RESPONDET Gerson *lib. de Vita spirituali, sect.4.* ægrotum non obedire præcepto medici, vt præceptum eius est; sed vt ostendit debitum naturæ ad seipsum conseruandum impositum: Sic & humanas leges præcipere conscientiis ea tantùm, quæ iure Diuino, sancita sunt.

18 At cùm authoritatibus Scripturæ oppositum ostenderim, nihil iuuat Gersonem friuola similitudo, quæ gratis applicatur. Similitudo ergo in hoc stat, vt ponitur à D. Bonauent. Sicut varia remedia ægris necessaria sunt; ita etiam plura præscripta spiritualiter regendis animabus requiruntur. Vide etiam Valentiam *disp.7. quæst.6. puncto 6. §.1.* An verò legibus humanis cum vitæ periculo sit obtemperandum, sicuti dicebam, non teneri ægrotum, infrà dicam cum Valentia §.4.

Ex quibus deducitur, non modò Papam, sed etiam Episcopos, posse leges condere, nam Iure Diuino etiam ipsi perpetui sunt Diœcesum prælati. Et *Mat.18.* In Apostolis habent authoritatem, & aliis locis adductis. An verò à Deo solùm; num etiam à Papa illam recipiant, dicam *Tertia Parte, tract. de Pœnit.* Interim dico immediatè recipere à Papa, cùm Apostoli à Christo eam receperint. Ità Bellarm. *lib.4. de Pontifice, cap. 22.* vbi adducit Doctorem Seraph. Albertum, Durandum *in 4. dist.18.20. aut 24.*

19 HABETVR verò *in cap. de Maioritate, & obedientia*, Episcopos posse leges condere, neque solùm in Synodo, vt putat Glos. *ibi*, Quia Decretum non restringit, vt notat Vasquez *disput.153. num.4.*

DEINDE Legati Sedis Apostolicæ in Prouincia legationis id valent, vt notat Syluest. *verb. Lex, quæst.4.* Vasquez *num.5.* Ità statuitur *in cap. vlt. de off. Legati*; & constat *ex cap. de rescripto, de locato, & conducto.*

Prætereà conuenit potestas ferendi leges Prælatis Religionum in congregatione Generali, vt patet ex Priuilegiis.

ADDIT Syluest. Capitulum posse decreta condere, vim legis habentia. Id colligit ex cap. *Cùm cessissem, de constitution.* ibi tamen dicitur, validum fuisse decretum Capituli, si à Summo Pontifice fuit approbatum. Necessaria enim est Pontificis approbatio, qua Religiones constituantur; sine qua non est Religio; quæ circa vota ad Ius Diuinum spectantia versari debet. Vide Vasquez *numero 9.*

ASSERO secundò, etiam in Principibus sæcularibus esse potestatem ad condendas leges, obligantes in conscientia. Hoc non est visum adeò certum, sicuti præcedens; Quare Dominicus Soto *lib.1. de iust. & iur. quæst.6. art.8.* ait, non esse de fide. Attamen id de fide certum asserit Valentia *disputat.7. quæst. 5. punct. 6. §. 1.* Voco Principes, habentes dominium altum; non verò Marchiones, & similes, habentes dominium inferius. In hæc enim non diuiditur dominium Iurisdictionis. Vide Vasquez *disput. 153.* Molinam *tom.1. tract.2. disp.3.* Caspens. *tract. de legib. sect.3.* 20

PROBATVR primò à S. Bonau. *in 2. dist.44. art.2. quæst.1. & art.3. quæst. 1. in fundamentis*, vbi supponit fundamentum, quo id probat Apostol. *Rom.13.* Nempè, omnem potestatem esse à Deo, quòd supponit *ex Ioan. 19.* vbi Christus ait Pilato: *Non haberes in me potestatem vllam, nisi datum esset tibi desuper.* Deinde supponit S. Paulus. *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt.* Hinc infert Apostolus: Ergo, *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Ideòque sibi damnationem acquirit æternam, vt suprà ostendi ex Patribus. Hinc infert, necessariò obediendum Principibus, ne damnationem æternam incurramus. Ergo ordinationes Principum obligant conscientias.

ID verò adhuc astruit clariùs, ne hæretici effugium habeant; dicens: *Necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Sic exponi communiter, diximus suprà. Quamuis enim à Chrysost. Oecumen. & Theophylact. atque Ambrosio intelligatur *Conscientia*, non obligatio culpæ, sed conscientia beneficiorum, quæ quotidiè subditi à Principibus accipiunt; tamen ipse Ambros. nostro etiam sensu exponit cum cæteris, neque alij excludunt hunc sensum, qui est textui germanus. 21

Quòd verò Erasmus, conscientiam aliorum, non propriam, dicit intelligi ob scandalum, inane est. Nam consequenter nominat damnationem ad læsionem conscientiæ absolutè; non autem dicit *aliorum*: Ergo de propria loquitur.

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *art. 3. cit. quæst.1. fundam. vlt.* ex omnibus ferè Pauli epistolis, vbi præcipitur obedientia superioribus. Coloss.3. *Serui obedite Dominis vestris, non ad oculum seruientes, sed in simplicitate cordis timentes Deum.* Idem præcipit *Ephes.6.* Ad Titum 3. *Admone illos, Principibus subiectos esse.* Heb.13. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.*

PROBATVR tertiò à D. Bonau. *fundamento primo* ex 1. Petri, cap.2. *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi, quasi præcellenti; siue Ducibus, tanquam ab eo missis in vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: sic est enim voluntas Dei.* 22

PROBATVR quartò à S. Doctore *in 2. dist.44. art.3. quæst.1. fund.3.* nam cum ex Apostolo *Rom.13.* Principes sint à Deo constituti ad dominium, vti etiam probauit suprà *art.2. quæst.1.* sequitur, eis obediendum; & resistentes eorum iustis ordinationibus, Deo resistere,

resistere, & damnationis sententiam subire; cùm enim gubernatio politica ad pacem tendat, & tranquillitatem, neque hæc absque legibus valeat obtineri, vt suprà cum D.Bonau. vidimus; sequitur, legibus obediendum ex conscientia; quia tenemur cooperari ad virtutes, & beatitudinem aquirendam ex conscientia.

23 ADDO, etiam Principes iniquos, si legitimi sint, posse præcipere, condere leges; &c. Ità Concil.Constant. *loc. cit.* definit.

Probatur à Seraphico *in 2. dist.44. art.3. quæst.1.* & aliis; quia Apostoli *locis adductis*, iniungunt obedientiam Regibus, & Principibus, qui erant infideles. Ratio eorum est. *Quia sunt ministri Dei.*

Quòd verò teneantur in conscientia, Confirmatur: Nam Iure Naturæ, & Diuino obligamur in conscientia obedire; at obedire superioribus est de iure naturæ, & Diuino: Ergo. Maior probatur à Seraphico *serm.5. de Decem præceptis*; quia superior, ex ipso nomine, dicit aliorum subiectionem. Iure etiam Diuino tenemur, vt ait Christus, Matth.23. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis seruate, & facite.* Et confirmatur à Seraphico Doctore *ibi*, ex 1. Petri 2. *Deum timete, Principes honorificate, subditi estote. Hæc est enim voluntas Dei:* Et epist.2. cap.2. *Eos, qui Dominationem spernunt, in iudicium reseruari cruciandos,* affirmat. Et Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit.* Vnde etiam Minor probata manet.

24 Tales autem sunt primò Imperator, in locis subditis Imperio. Dein le Reges, & Respublicæ liberæ, vt est nostra Serenissima Veneta: quam Deus incolumem perpetuò tueatur. Vide Vasquez *disput.153.*

PROBATVR adhuc à D.Bonau. *in 2. dist.44. art.2. quæst.1.* Quod est à Deo, est licitum: Sed potestas dominandi, & sanciendi leges, est à Deo: Ergo. Minor probatur à Doctore Seraph. ex illo Ioan.19. *Non haberes potestatem, nisi datum esset tibi desuper.* Ibi autem ille iudicare debebat secundùm leges; ideò dixit, non cognoscens causam mortis in Christo secundùm legem. Vos secundùm legem vestram iudicate. Confirmatur ex Prou.8. *Per me Reges regnant, & Legum conditores iusta decernunt.* Confirmatur ex Principibus, Iudicibus, & Regibus à Deo constitutis, è quibus, multi Sancti leges statuêre, præter Diuinas. Sic Dauid 1. *Reg.30. num.24.* idem præmium statuit bellanti, & sarcinas custodienti. Confirmatur à Seraphico *loc. cit. quæst.2. in corpore, & ad vltimum*; quia homo, cùm sit animal sociabile, ideò duplicem requirit communitatem, nempè Oeconomicam, & Politicam; & quidem Oeconomica circa familiam, est imperfecta; ideò necessaria est Politica ad malos compescendos, &c. Vnde *Prou.11.* dicitur: *Vbi non est gubernator, corruet populus.* Vide etiam D.Thom. *opusc. de regimine Principum, cap.1.* & Chrysostomum *homil.34. in priorem ad Corinthios.*

Tandem hæc veritas definita est in Concilio Constantiensi *sess.8. & vlt.* In Bulla Leonis X. & in Concil. Trid. *sess.7. can.8.*

25 OBIICIVNT primò aduersarij. Matth. vlt. dicitur: *Baptizate omnes, &c. docentes eos, seruare omnia, quæ mandaui vobis.* Hinc deducit Vuessalia, non licere addere alia præcepta.

RESPONDETVR ex D. Bonau. *in corp. quæst.1. art.3. in 2.* Eundem Christum, qui hæc mandauit, mandasse etiam obedientiam Regibus, ita habetur Matth.22. *Reddite,* (dixit) *quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Et Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit,* & alia multa, vt suprà, & ideò Apostolum à Christo instructum, idem præcepisse, vt vidimus. Et 1. *Tim. vlt.* damnare, contraria prædicantes, subdendo. *Si quis autem aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, superbus est, & nihil sciens.* Et hoc probat *Rom.13.* & alibi.

Obiiciunt secundò Deuter.4. *Non addetis ad verbum, quod ego loquor vobis, neque minuetis.* Et cap.12. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quidquam, neque minuas.* Vbi sermo est de præceptis cæremonialibus, & iudicialibus. Nam *cap 4.* præcedit. *Audi Israël præcepta, atque iudicia.* Et cap.12. *Hæc sunt præcepta, atque iudicia.*

Hoc argumentum Petrus Martyr. *in cap.8. primæ Corinth.* exclamat: *Bonum argumentum!* 26

RESPONDETVR primò ex D.Bonau. ad Prologum Magistri 1. *sent. dub.2.* vbi explicat id Apoc. vlt. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Dominus plagas*; non esse addendum aliquid corrumpens præcepta, eisque contrarium; posse verò addi aliqua implentia, qualia sunt præcepta Ecclesiastica. Hoc patet *ex 12. Deuter.* vbi ea verba apponuntur ad excludenda sacrificia Paganorum, quæ ipsi Hebræi fecerant, vt patet legenti; & obseruat etiam Tanner. Huc spectat id *Galat.1.* vbi prohibetur aliud euangelizare *præter id*, quod docuit Paulus; sed particula *præter* significat *contra* ex Græco.

Confirmatur; nam & in lege veteri multa addita sunt ab hominibus. Sic *Esther 9.* factum à Mardochæo. Sic *Iudith. vlt.* à Principibus. Et 1. *Machab.4.* à Iuda noua festa instituta.

RESPONDETVR secundò ex D.Bonau. *in 2. loco cit.* Eundem Deum in nouo Testamento, præcepisse, vt obediamus legibus Principum, vt suprà dixi, in omnibus, quæ iustè præcipiunt.

OBIICIVNT tertiò id Isaiæ 33. *Dominus Iudex, Rex, & Legifer noster.* Hæc propositio sonat. Solus Deus est Legifer, vt colligitur Iacob. 4. *Vnus est Legislator, & Iudex.* 27

RESPONDET D.Bonau. *in corpore, & ad vlt.* Legislatorem Christum compati leges humanas; imò præcepisse, velut supremum Legislatorem, vt obediamus Principibus, qui Diuinas vices sustinent; non tamen supra leges Diuinas esse, nec eas iudicare; sed secundùm eas, de aliis iudicare. Multò magis inferioribus iudicibus competit, qui nec humanas iudicare debent leges, sed secundùm eas alios iudicare, vt notat Doctor Seraph. *in 1. dist.3. quæst.1. ad penult.* Maximè autem fideles vniuersaliter, quos S.Iacobus alloquitur, non debent iudicare præcepta; sed illa obseruare.

OBIICIVNT quartò. *Isaiæ 29. Matth.15. & Marci 7.* conqueritur Deus, populum fidelem suum cultum posuisse in hominum mandatis.

RESPONDETVR ex D. Bonau. *art.3. cit. quæst.2. ad argumentum primum*, Christum ipsum *Matth.22.* dixisse. *Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite*; & Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Hoc autem verum est de omnibus, quæ ad Cathedram, & potestatem Principum, & Prælatorum spectant, & de his, quæ consona sunt legi. Reprehendit verò Christus, *locis allegatis*, quædam minutula, vel superstitiosa, imperata ab illis Pharisæis; quia vel mala erant; vel omittebant propter illa legis Diuinæ impletionem, vt luce clariùs patet meridianâ in Euangelistis, qui Isaiam explicant.

OBIICIVNT quintò adoratam ab ipsis libertatem; vt verius dicam, prophanatam. Matth. enim 17. *Ergo liberi sunt filij*, vbi Glossa *Filios Dei* exponit. Ergo à tributis liberi sumus. Deinde Iacob. *cap.1.* Vocat Euangelium legem perfectæ libertatis, vt exponit etiam Gloss. & 2. Corinth.3. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Galat.4. *Non sumus Ancillæ filij, sed Liberæ: qua libertate Christus nos liberauit.* Galat.5. *State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* 28

RESPONDET Doctor Seraph. *art.3. quæst.1.* Falli aduersarios; Et primò quidem *Matth.17.* loqui Christum de se, & de Apostolis, qui rebus omnibus temporalibus exuti, ipsum sequebantur; at reliquos, qui sunt seruilis conditionis, vel facultatibus fruuntur, teneri vectigalibus soluendis.

QVOAD cætera loca respondet, Euangelicam libertatem in duobus consistere. Primò, quia liberat à seruitute peccati, de qua Rom.6. *Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ.* Secundò liberat à seruitute legis antiquæ, quoad cæremonialia, vt habetur *Act.15.* & *Galat.5.* non autem ab obedientia Prælatorum, vt multis noui Testamenti authoritatibus vidimus. Libertatem etiam aliquam, quoad moralia obtinemus; quia Spiritum Sanctum infundentem nobis gratiam, & charitatem copiosam recipimus, qua liberi à timore seruili, quo veteris legis obseruatores premebantur, amoris dulcedine Iugum Christi suaue subimus Vnde dicitur Rom.8. *Non accepistis spiritum seruitutis iterùm in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis, in quo clamamus: Abba, Pater.*

29 VBI autem Spiritus Domini, ibi libertas; vt dicitur 2. *Corinth.3.* Vnde D. August. *lib. de continentia, cap.3.* ait: *Non sumus sub lege, bonum quidem iubente, non tamen dante; sed sumus sub gratia, quæ id, quod Lex iubet faciens nos amare, potest liberis imperare.* Hæc est nostra libertas. Ideò Apostoli, Petrus, & Paulus, prævidentes, hæreticos horum temporum prætextu libertatis, omnia opera bona declinaturos, sæpè iniungebant, superioribus Ecclesiasticis obedire; imò & sæcularibus, ne cauteriatâ conscientiâ mundum fœtoribus implerent. De illis prædixit S. Petrus epist.2. cap.2. *Libertatem illis promittentes, cum ipsi serui sint corruptionis.* Et Paul. Galat.5. *Vos in libertatem (ait) vocati estis: tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis.*

30 OBIICIVNT sextò. Maius est vinculum legis Diuinæ, quàm sit vinculum constitutionis humanæ: Sed lex Euangelica absoluit ab onere seruitutis humanarum legum, Canonicarum, & Ciuilium, quæ multò plures sunt, quàm leges veteres, & magis graues. Quòd si leges Diuinæ dicuntur iugum importabile, *Act.15.* Tum propter multitudinem; tum propter obligationem conscientiæ; multò magis leges positiuæ Christianorum, quæ sunt decuplo plures, quàm essent illæ Iudæorum, vt patet conferenti volumina Iuris Canonici, & Tomos Conciliorum, atque alias leges Imperatorum, Regum, &c. cum Pentateucho Moysis. Si ergo istæ leges pœnam æternam indicunt, satiùs erat nobis legi subiacere Mosaycæ.

CONFIRMAT Caluinus hoc argumentum ex D. August. *epist.119. cap.19.* vbi de ritibus Ecclesiasticis temerè introductis conqueritur, dicens. *Ipsam religionem, quam paucissimis, & manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei liberam esse voluit, seruilibus oneribus premunt, vt tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui, etiamsi tempus libertatis non agnouerint, legalibus sarcinis, non humanis præsumptionibus subiiciuntur.*

31 SVBIVNGIT Caluinus, lib.4. Instit. cap.10. §.13. *Si in sæculum nostrum incidisset Sanctus ille Vir, quibus querelis deplorasset eam, quæ nunc est, seruitutem? Nam & numerus est decuplo maior, & singuli apices centuplo rigidiùs, quàm tunc, exiguntur. Ità fieri solet; Vbi semel peruersi isti Legislatores Imperium occuparint, nullum finem iubendi, & vetandi faciunt.*

RESPONDET D. Bonauent. *loc. cit. ad 4.* voluisse Deum nos liberos esse à legibus Mosaycis; quia erant figuræ noui Testamenti: Et ideò cessare debuerant, tanquam vmbræ. Iudicialia quoque præcepta pertinebant ad politiam populi Dei secundùm illum statum; & idcircò statu illo mutato, necesse fuit etiam ipsa præcepta mutari. *Translato enim Sacerdotio* (inquit Apostolus Hebr.7. *necesse est, vt legis translatio fiat.* Non autem sequitur, nullas nos habere debere leges Politicas, & Ecclesiasticas, si Mosaycas non habemus.

AD id, quod obiicitur de numero, & grauitate 32
legum Ecclesiasticarum. Respondetur ex Doctore Seraph. *in sermonib. Decalogi*, & *Confessionario*, & ex professo *in 3. dist.40. quæst. vlt.* vt ostendam *disp.6. & 7.* illas multò pauciores, & leuiores esse antiquis. Nam leges vniuersales omnibus fidelibus vix aliæ inueniuntur, quam quatuor; nimirum de seruandis Festis: De ieiuniis: De confessione, & communione annua. Cæteræ omnes, non sunt leges, sed admonitiones, vel piæ institutiones, sine obligatione ad culpam: vel sunt leges conditionales, vt Cælibatus impositus volentibus sacris initiari, quæ non grauant Ecclesiam, cùm vnicuique liberum sit. Vel sunt regulæ præscriptæ iudicibus Ecclesiasticis: vel sunt Censuræ latæ in eos, qui Ius Diuinum violant. Vel sunt explicationes Fidei, aut Iuris Diuini: At leges Moysis innumeræ erant, singulis impositæ.

QVOAD grauitatem; è quatuor dictis Legibus nulla est, quæ non sit potiùs Iuris Diuini determinatio, quàm noua Lex. Nam iure Diuino tenemur cultui Diuino, Confessioni, & Communioni. Itaque Pontifices solùm decreuêre tempora, præsertim verò Confessionis, quæ omnium grauissima est, statuta à Christo *Ioan.21.* Neque verò semel in anno confiteri est onus, sed simpliciter confiteri. Similiter aliæ leges ieiuniorum mites sunt; eximunt enim adolescentes vsque ad incrementi terminum, Ægros, Senes, laborantes, &c. Similiter Festorum vacatio ab operibus dispensatur in necessitatibus, & vtilitatibus. Sic & præceptum audiendi Missam impeditos excipit: At Iudæi suis legibus adeò premebantur, vt qui sola ligna collegerat die Sabbathi, fuerit lapidatus. *Numer.15.*

LOCVS verò D. August. perperam adducitur; ille 33
enim conqueritur solùm de quibusdam populorum institutionibus, quæ paulatim vim legis apud rudes obtinendo, eos à solidioribus exequendis impediunt, neque ad virtutem proficiunt, neque à Conciliis, vel Episcopis sunt ordinatæ, neque Ecclesiæ firmatæ sunt consuetudine. Ipsum vide.

OBIICIVNT septimò. Christus est caput vnicum Ecclesiæ, vt habetur *Ephes.4.* Ideò 1. *Cor.3.* dicitur: *Omnia vestra sunt, siue mors, siue vita, siue Cephas, siue Paulus: vos autem Christi: Christus autem Dei.* Et ad Ephes. & Coloss. refricat, omnes nos esse vnum in Christo, nec esse distinctionem serui, & liberi. Ergo gratia Christi nos ab omni alia subiectione liberat, quàm capitis nostri Christi; alioqui monstruosum erit corpus Ecclesiæ, plura habens Capita.

RESPONDET D. Bonau. *loco cit. ad 3.* nos vniri sub Christo capite participando eius influxus, & affectione coniunctos cum cæteris; ita tamen, vt sicut in vno corpore est membrorum varietas, & diuersitas secundùm nobilitatem; vt præstantior sit oculus, quàm pes; ità & in corpore Mystico, cui sanè Christus præsidet, vt caput, cuius nos omnes sumus membra. Sed Pontifex, qui non est caput aliud, sed vices in regendo capitis, Christi iussu exercet (cùm anatomica hæc distinctio, atque coniunctio sit mystica, ratione communicationis, & regiminis; vt, sicut caput diffundit motum,

motum, & sensum membris; ita & Christus) tenemur eodem modo hanc interpretari comparationem, quò ad gubernationem, quæ cùm sit visibilis hominum, tenentur habere Summum Gubernatorem visibilem, quasi caput, seu loco capitis Christi inuisibilis ad regimen visibile. Itaque Papa est solùm velut Protex in regno ad gubernandum, quòd, non iniuriam, sed gloriam Christo affert.

Obiiciunt octauò. Exempla scripturis narrata, quibus habetur, Deum reprobasse aliqua ab homini-
34 bus addita legis statutis 4. *Reg.*16. reprobatur Altare Achaz, & Vriæ Pontificis. Et *cap.* 17. punitæ sunt nouæ cæremoniæ transmigrantium. Et *cap.* 21. Manassis Altaria odio sunt habita.

At hæc nugæ sunt: nam Achaz, pariter & Manasses, sunt reprobati, non quia erexerint Aras; sed quia eas erexêre Idolis, vt notat S.Bonauent. *in Bibliis pauperum*, *cap.*22. Nam etiam Salomon 3.*Reg.*8. addidit Altare, nec ideò reprobatus; sed mox ei Deus apparuit, tale approbans factum.

Obiiciunt nonò. Paulus non permisit, fideles, à Christo solo redemptos, redigi in aliorum seruitutem. Ideò prima Cor.7. *Pretio redempti estis, nolite fieri serui hominum.* Vbi Paulus non præcipit, ne exteriùs serui obediant; hoc enim præcipit Ephes. 6. *Serui obedite Dominis carnalibus.* Neque præcipit, vt, qui sunt liberi, serui non efficiantur. Nam ibidem ait: *Seruus vocatus es, non sit tibi curæ; sed & si potes fieri liber, magis vtere.* Igitur prohibet seruitutem conscientiæ obligatione. Confirmatur; nam, vt ait D. Anselmus lib. Cur Deus homo, cap.5. *Per se Christus redimere voluit, vt in pristinam redigeret libertatem; & sibi homo subiectus esset, non homini.*

Respondet D.Bonauent. *ad vlt.* Christum solùm nos voluisse redimere, vt in perfectam libertatem
35 vindicaret, & quidem perfectam, tum à culpa; tum à miseria, quam tamen non assequemur, quousque liberati à seruitute corruptionis, euocemur in libertatem gloriæ filiorum Dei. In hoc verò tempore non eximit ab omni seruitute humana, etiam secundùm conscientiam; imò eam præcipit Apostolus, vt dixi, quia necessaria est, ad hoc, vt in officio omnes contineamur; & dominium Christi benè compatitur dominium hominis, licet excludat dominium omne contrarium; vnde dicitur Matth.6. *Non potestis duobus dominis seruire, idest Deo, & Mammone.* Locis verò allegatis præcipit Paulus, ne hominibus seruiamus propter homines; sed propter Christum, cuius sumus pretium. Ideò *Ephes.*6. ait. *Serui obedite dominis carnalibus; non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus.* Vide Chrysostomum *in primam Cor.*7. Hieronymum *in cap.6. ad Ephes.* Vel præcipit ne hominibus contra præcepta Christi obediamus; vt habet Caietanus ex Theophylacto.

Obiiciunt decimò. Conscientia ad solùm Dei forum pertinet: Ergo homines nequeunt cogere
39 conscientias.

Respondetur, etiam si Deus solus scrutetur corda; tamen posse homines à Deo substitutos præcipere actus saltem externos, obligando in conscientia, & remittendo ipsi Deo iudicium. Ideò dicitur Sap. 6. *Audite Reges; quoniam data est potestas vobis.* Vide Seraphicum ad eum locum; & Suarez *lib.*3. *cap.*24.

Obiiciunt vndecimò aliquos Patres. Primò Origenem *Tract.*12. *in Matth.* & Chrysost. *lib.*2. *de sacerdotio.*

Attamen Origenes, *homil.*14. *in Leuit.* concedit Principi Ecclesiastico coactiuam potestatem, vt supponit, & vidit Seraph. Doctor ex Magistro *in* 4. *dist.*18. *part.*2. *cap.*2. Ideò ibi solùm monet, vt non regant, sicut sæculares, qui ad finem dirigunt temporalem; sed ad finem supernaturalem, & ideò amore potiùs regant, quàm terroribus: simili modo loquitur Chrysost. qui *homil.*70. ad populum, & *epist. prima ad Innocentiam Papam*, & *homil.*3. *in Matth.* concedit potestatem coercitiuam Prælatis, id verò solùm monet, ne, veluti bestias, regunt Pastores, & Armentarij, ipsi homines regere velint; quippè debent volentes pascere, non inuitos ad fidem ducere.

Obiiciunt etiam D.Augustinum *lib.* 22. *contra* 37
Faustum, *cap.*27. vbi peccatum definit. *Peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam Dei:* & D.Ambr. *lib. de Paradiso*, *cap.*8. vbi, *peccatum* (ait) *est præuaricatio legis Diuinæ:* Ergo lege humana non statuitur peccatum.

Respondetur ex D. Bonauent. *locis adductis Tract.*3. *disput.*1. *quæst.*1. ibi definiri peccatum, pro vt est contra Deum, & ideò contra legem eius æternam, à qua omnia iura, etiam humana, deriuantur, vt dixi *disput.*2. *quæst.*2.

Obiiciunt etiam D. Bernardum, *lib.*1. *de consider.* At solas causas ciuiles prælatis Ecclesiæ conuenire negat; esto licere concedat, vt patet legenti: Vnde nil probant.

Hæc omnia è D. Bonauent. sumpsêre, ex more, Bellarm. Vasquez & alij Controuersistæ. Quo ad Gersonem verò, conatur eum in meliorem frugem reuocare Vasquez, *disput.* 154. & 158. vt dicam, *quæst.*2.

Quæres: An declarationes Eminentissimorum Cardinalium habeant vim legis.

Respondetur, probabliius esse, non habere vim legis: non enim promulgantur. Ità Suarez *Tom.*3. *de Matrim. lib.*8. *disp.*2. Poncius *lib.*1.*cap.*13. §.2. Bonac. de Legibus *disp.*1. *quæst.*1. *puncto* 8. Caspens. *disp.*1. *sect.*3.

QVÆSTIO II.

Quæ Leges Humanæ obligent conscientiam sub mortali.

Grauis admodum est quæstio ista, quæ plurimas, easque prægrandes includit difficultates. 38

Circumfertur Gersonis sententia fuisse, Legem humanam eatenus tantùm ad mortale posse cogere, quatenus à Diuina emanat, & vim habet. Eum referunt Almai. *Tract. de libert. Christ. cap.*1. Adrian. *quodl.*6. *concl.*1. Alphons. de Castro, *lib. de potestate pœnalis legis*, *cap.*4. Sotus *lib.* 1. *de Iustitia*. *quæst.*6. *art.*4 Idem verò sensisse de lege humana, & de Naturali refertur, ita, vt etiam Naturalis, nisi ex Diuina manet, non cogat sub pœna mortalis culpæ. Ità videtur sensisse *lect.*4. *de vita spirituali*, quæ est in Alphabeto 62. *litt. G.* vt refert Vasquez *disput.* 158. *cap.*1.

Hanc ex parte sequitur Almainus *loco cit.* dicens, 39
Legem quidem ciuilem, quatenus è sola voluntate Principis manat sæcularis, non posse obligare ad mortale: posse verò Legem Ecclesiasticam. Ratio eius est: Quia pœna æterna non spectat ad forum Principum sæculi; At verò Papa habet potestatem ab ipso Deo, cuius est hanc pœnam infligere.

Quo sensu Medina, *loco cit.* ait: Nullum Principem, etiam Ecclesiasticum, propria authoritate posse ad mortale obligare; sed authoritate solùm Diuina. Addit verò, hanc authoritatem Principes vtriusque fori à Domino accepisse.

Aliam tamen fuisse Gersonis sententiam conatur ostendere Vasquez *disput.* 154. *cap.* 2. Et verè hic Doctor id solùm videtur intendere; vt eæ leges, quæ nullo modo in Diuinas, vel in Deum reduci valent, nec aliquid honesti continent, non obstringant pœnâ damnationis; sed solùm in Externa gubernatione. Id patet ex fundamentis, quæ huic quæstioni substernit *lect.* 2. Aliter parùm ab hæreticis, præcedenti quæstione confutatis, absceederet.

40 Cæteri verò fideles Theologi vnanimi consensu docent, posse Leges humanas, tam Ecclesiasticas, quàm sæculares, pœnâ damnationis æternæ obstringere. Eos verò retuli *quæst. præcedenti*, è quibus aliqui, etiam Almaini sententiam, vt hæreticam, damnant. Quod tamen addit Vasquez *cap.* 2. in fine, non benè Almainum concedere Papæ, vt Leges statuat sub pœna damnationis; eò quòd hanc à Deo obtinuerit potestatem, non sibi placere; quia incertum est: An potestatem hanc expressè acceperit; falsum est. Nam Apostolus Paulus id testatur *Rom.* 13. de Potestatibus sublimioribus, vt dixi *quæst.* 1. Præter autem ibi allegatos, idem de vtriusque fori legibus tenent Malder. *prima secunda. quæst.* 69. *art.* 4. & *quæst.* 96. *art.* 4. Salon. 2. *secunda*, *Tom.* 2. *quæst.* 77. *art.* 2. *controu.* 8. Salas *de legib. disp.* 10 *sect.* 5. & *disp.* 15. *sect.* 1. Azor *part.* 1. *lib.* 5. *c.* 6. *quæst.* 4. Filliuc. *Tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 11. *num.* 420. Less. *lib.* 2. *cap.* 33. *dubio* 8. *num.* 59. Medina *prima secunda, quæst.* 96. *art.* 4. *dub.* 3. Aragon. 2. *secunda*, *quæst* 62. *art.* 3. Ruard. in Bullæ cœnæ *lib.* 3. §. 8. *quæst* 2. maximè verò de imponentibus pœnam mortis, triremium, confiscationes bonorum, asserunt Lorca *part.* 2. *Tom.* 2. *disput.* 22. *de legib. Regula* 2. Comitol. *in responsionib. lib.* 4. *quæst.* 17. Suarez *lib.* 3. *cap.* 26. Sanchez *Tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. vbi alios refert. His addam Ioan. Valerum *in differen. vtriusque fori*, verb. *Lex*. Hi loquuntur de lege pœnali, quam solam vim legis habere ait Vasquez *disput.* 158. *cap.* 3. Eos refert etiam, & sequitur Diana *Tract. de legib. resol.* 17. vbi cum aliis oppositum probabile dicit.

41 Alii verò de pœnali mixta, nempè, quæ non modò pœnam imponit, sed præcipit, vel prohibet; idem asserunt. Becanus *in sum. Theologica*, *part.* 2. *Tract.* 3. *cap.* 7. *quæst.* 2. Granado *prima secunda*, *controu.* 7. *Tract.* 3. *part.* 1. *disp.* 4. *sect.* 2. Malder. *prima secunda, quæst.* 96. *art.* 4. *metro* 2. Suarez *in sum. Tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 60. Vasquez *prima secunda*, *Tom.* 2. *disput.* 159. *cap.* 2. & 3. relati à Diana *Tract. de leg. Resol.* 20.

Hi tamen omnes negant omnes leges humanas conscientiam aliquâ culpâ ligare. Quibus adde etiam Nauar. *in Manual. cap.* 23. *num.* 55. Mirand. *in Manuali Prælat. Tom.* 2. *quæst.* 25. *art.* 18. *concl.* 2. Nicodemum de Florentia *in specul. confess. cap.* 53. Villalob. *in sum. Tom.* 1. *tract.* 2. *dub.* 22. Reginal. in Praxi *Tom.* 1. *lib.* 15. *cap.* 6. *sect.* 5. qui legem merè pœnalem negant obligare in conscientia; probabiliter tenet Diana *loco cit. Resol.* 16. Adde eos, qui Legem pœnalem mixtam ad mortale non cogere dicunt, quos refert Diana *Resol.* 20. & quos in toto illo *Tract. de aliis legibus*, idem asserentes, recenser.

Maxima verò est difficultas in inueniendo, quando leges sub mortali cogant.

42 Primo quidem, si Legislator præcipiat rem, declarans suam intentionem esse obligare sub mortali, & materia alioqui sit talis, vt grauis iudicetur, certum est tunc constringere sub mortali: Et quando Legislator testatur, se nolle obligare, certum est etiam, non obligare, vt ait Sotus *lib.* 1. *de iust. quæst.* 6. *art.* 4. Valentia, & Vasquez *citatis locis*, & alij omnes.

Quando verò ex verbis legis deducenda sit hæc veritas, variè Doctores loquuntur.

Caietanus 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 9. *ad* 2. negat, vllum verbum Legis id exprimere, etiam si dicat *Præcipio, &c.* Probat autem primò; quia sæpè in Euangelio Christus præcepit sanatis à se, ne manifestarent; & tamen manifestando non peccauerunt. Secundò D. August. initio suæ Regulæ dicit: *Hæc sunt, quæ præcipimus*; & tamen eius Regula non obligat ad culpam. Tertiò, quia Aristoteles 3. *Eth.* ait, præcipere esse actum prudentiæ; & tamen iudicium prudentiæ non habet vim præcepti.

Subdit tamen rationabile esse credere, quando apponitur verbum: *Præcipio*, *Prohibeo*, cogere in conscientia, hoc autem asserit ab authoritatem Clementinæ. *Exiui de Paradiso, de verb. signific. in* 6. vbi ex hoc fundamento generali ea, quæ ponuntur in Regula S. P. Francisci his verbis. *Præcipio*, *Prohibeo*, *Teneantur*, &c. cogere sub mortali declarat. Vide Doctorem Seraph. in fine expositionis Regulæ. 43

Hanc autem regulam generalem esse, non autem pro sola regula Minorum, patet ex verbis Pontificis dicentis: *Nec tamen putandum est, quòd B. Franciscus professores huius Regulæ, quantùm ad omnia contenta in Regula, modificantia tria vota, seu ad alia in ipsa expressa intenderit esse obligatos; quin potiùs apertè discreuit, quòd aliqua ex vi verborum cogant ad mortale peccatum, & quædam alia non. Cùm ad quædam ipsorum, verbum apponat præcepti, vel æquipollentis eidem, & quo ad aliqua, verbis aliis sit contentus.* Ità colligunt Valentia *disp.* 7. *quæst.* 5. *puncto* 6. §. 3. *in sexto signo*, Vasquez *disput.* 158. *num.* 20. post Medinam *lib. de ieiunio*, *quæst.* 7. Alphons. de Castro *lib.* 1. *de lege pœnali*, *cap.* 4. *docum.* 4. Syluest. *verb. præceptum*, *quæst.* 2. Armill. *eod. tit. num.* 7. Nauar. *in sum. cap.* 23. *num.* 30. *& sequentib.* Couarru. *in Regula, peccatum*, 2. *part.* §. 15. Idem sensit Seraphicus Doctor in expositione Regulæ nostræ, vbi addit, aliqua indirectè habere vim præcepti; nempè, quando aliquid licere dicitur tali conditione, V. G. vbi dicitur, equitare, & calceamenta ferre licere, suppositâ necessitate; indirectè enim hæc prohibentur, citra necessitatem.

Adduni verò Valentia, *quinto signo*, & Vasquez *num.* 23. in hoc sequi nos debere communem legis illius, seu Religionis existimationem; nam, vt ait Paulus Iurisconsultus *in lege, si de interpretatione, ff. de leg.* & Innocent. III. *in cap. Cùm dilectus, de consuetud.* Optima Legum interpres est consuetudo, maximè cùm habeat vim Legis, vt habet Vlpianus *in lege Diuturna*, *ff. de legib.* & D. Thom. *quæst.* 97. *art.* 3. Vide Caspensem *disput. de legib. sect.* 2. 44

Deinde obseruat Vasquez *num.* 21. non satis esse, si Lex præcipiat, nisi etiam materia legis, vt mox dicemus, sit grauis, ad hoc, vt obliget ad mortale; At verò *num.* 35. hanc conditionem in prima includit. Vide etiam Basseum V. *Lex* 4. multas hac de re tradentem regulas.

Præterea obseruandum, verbum *præcipiendi*, vel *prohibendi* non in solis legibus Ecclesiasticis habere vim cogendi in conscientia ad mortale, vt putat Alphons. de Castro *cap. illo quinto*, *docum.* 4. & ante eum Ioan. Medina *Cod. de ieiunio*, *quæst.* 7. §. *superest*; quos sequitur Nauar. *in sum. cap.* 23. *num.* 50. Valentia *in sexto signo*, qui addunt, neque in legibus Diuinis

Diuinis, verbum præcipiendi cogere ad mortale, nisi accedat Expositorum interpretatio.

45 Eqvidem non video hanc diuersitatem inter Legem humanam, Canonicam, & alias, cùm etiam aliæ habeant vim præcipiendi, vt dixi *quæst.1.* & notat Vasquez *num.30.* Addo tamen, materiæ quidem grauitatem interuenire debere; attamen eam semper supponi in Legislatore iusto, qui supponitur, nolle ob leuiora ad mortalem culpam obstringere, cùm Leges Diuinæ naturales id obseruent. Et ideò videntur meliùs loquuti Syluest. & Armilla *locis adductis*, & alij dicentes, tunc colligi obligationem sub mortali quando Legislator vtitur grauioribus verbis. *Præcipio, Iubeo, Prohibeo, Veto, Inhibeo, Interdico.* Ibi enim supponi debet materiæ grauitas, vel in se, vel in ordine ad finem, cuius gratia præcipitur, ad quem potest conducere non nonquam res naturâ suâ leuis. Non dico Ego, Legislatorem posse sua voluntate facere, vt quod est veniale peccatum, fiat mortale, in his, quæ naturâ suâ mala sunt, vt forsan putaret Vasquez *num.32.* sed in potestate Legislatoris esse facere, vt ea, quæ naturâ suâ essent leuia, grauia euadant, ratione Legislatæ, ex graui causa vetantis illud leue; quod sanè tandem fatetur Vasquez *num.35.* loquens de Clementina citata.

Tradit autem Vasquez *cap. 5.* quo pacto grauitas materiæ, aut leuitas discernatur; tametsi iuxta eius dicta *num.35.* id potiùs ad Legislatorem in præceptis imponendis spectaret. Dicit verò, id iudicio prudentis viri relinquendum. Regulæ tamen dandæ sunt, vt quando non adest aliud signum præcepti, vel prohibitionis; saltem ex pœna indicta colligatur grauitas obligationis conscientiæ.

46 Primo quidem, quando imponitur Excommunicatio Maior, ipso facto incurrenda; certum est apud Theologos, materiam esse grauem, quia hæc non imponitur, nisi ob mortale peccatum, vt notat Valentia *loco cit.* in quarto signo. Vasquez *num.40.* & cæteri apud Caspensem *disput.3. sect.3.*

Si verò excommunicatio non imponatur ipso facto; aliqui dicunt, non inducere peccatum mortale. Ità Valentia *loco cit.* citans Nauar. *loco cit.* Castro *lib.1. de lege pæn. cap.5.* Caietanus *verb. præceptum*: & D. Antonin. *2. part. tit.4. cap.2.* §.3. dicit, non esse certum: An talis Lex cogat sub mortali. Driedo etiam *lib.2. de libert. Christ. cap.1.* circa tertiam propositionem dicit, non omnem talem lege obligare sub mortali.

Cæteri verò asserunt indistinctè cùm D.Bonauent. *in 4. dist.18. part.2. quæst.2.* Legem latam sub pœna excommunicationis maioris cogere sub mortali, quos refert Vasquez *cap. 4.* Tanner. *disput. 5. quæst.6. dub. 5.* & alij præcisè docent, Excommunicationem comminatam indicere obligationem sub mortali. Ità docent sequentes Doctores.

47 Angelvs *verb. Lex, num 3.* Syluest. *verb. præceptum, quæst.3.* Caietanus *2.2. quæst. 186. art. 9. ad 2.* Ioan M dina *Cod. de Ieiunio, quæst.7 §. si autem.* Conar. *in Regul. peccatum, 2. part. §.5. num.3.* quorum sententiam magis probat D. Antonin. *loco cit.* si sermo sit de lege, quæ est in Iure: nam de præcepto hominis, quod non est Lex, anceps est. Eandem sententiam, vt magis tutam, amplectitur Armilla, verbo *præceptum, num.6.* & probabiliorem putat Salon.2.2. *Tom.2. quæst.77. art.1. controu. 8. num. 8.* Diana verò *Tract. de legib. resol. 21.* ait, oppositam sibi non placere.

Caietanvs, *verb. præcepti violatio.* Nauar. *in sum. cap. 23. num. 53.* ità moderantur, vt quoties Lex comminatur excommunicationem, absque eo, quod monitio aliqua præcedat, tunc reum incurrisse reatum mortalis, cùm iam possit à iudice puniri, vt excommunicatus; secus verò, si præmittenda sit monitio inflictioni pœnæ à iudice. Ità etiam Caspens. *num.22.* referens alios.

Secvndo verò, si imponatur pœna sub maledictione, indignatione Dei, vel Apostolorum, 48 certum est cogere sub mortali, vt notat Valentia *in tertio signo*, Vasquez *num.46.* post Nauar. *cap.23. num.52.* post D. Bonauent. *in 4. dist.18. part.2. quæst.2.* Idem habet Caspens. *disp.3. sect.3.*

Si verò imponatur interdictum, Suspensio, vel Irregularitas: aliqui dicunt, non incurri, seu non esse signum certum peccati mortalis transgressoribus. Ità Valentia *loco cit. in quarto signo.* Salon. *loco cit.* Et quoad pœnam suspensionis idem docet Azorius *part.1. lib.5. cap.6. quæst.5.* & quoad Irregularitatem Sayrus *in clau. Reg. lib.3. cap.7. num. 25.* De interdicto autem id concedens Alphons. de Castro *lib.1. de lege pæn. cap.5. docum. 4.* de suspensione, & irregularitate dubitat; an sufficiant ad reatum æternæ damnationis; quia hæ pœnæ ob veniale; imò irregularitas absque culpa infligitur, vt monet D.Bonauent. *in confessionali*, & de interdicto *part.1. centil. sect.27.* Imò de tribus his idem tenet Nauar. *num.51.* vbi id probat de suspensione, quia hæc non est maior pœna, quàm Excommunicatio minor, quæ solùm remouet ab vsu Sacramentorum: Excommunicatio autem Minor incurritur solùm ob culpam venialem, vt satis patet. De Interdicto verò, & irregularitate faciliùs probatur; quia hæ duæ pœnæ absque culpa incurri possunt.

49 Oppositam tamen sententiam docent communiter, vt refert Diana *loco citato.* Vasquez *num.48.* Tannerus *loco citato.*

Ratio verò est, quia hæ censuræ non nisi ob graues culpas infliguntur, quando ob culpam fulminantur; quando verò sine culpa, infliguntur tamen ob graues causas, quæ indecorum admodum redderent eorum sacrum ministerium.

Qvoad Leges verò imponentes pœnam temporalem.

Prima opinio est Nauar. *cap.23. num.35. & sequentib.* Leges humanas pœnales, etiam inflictiuas mortis, non cogere sub mortali, nisi aliter constet. Id tenere coguntur omnes, qui negant, legem vllam humanam, citra contemptum, ad mortale obligare; è quibus à Nauar. citatur Imola, in repetitione capitis. *Cùm contingat de iure iur.* Felinus *in cap. 1. num.18. de sponsalibus*; Caietanus *in sum. verb. Clericus, §. Verum; & verb. ieiunium, §. Quoad quartam.* Ità antea docuerunt Gomez *in cap.2. num.2. de constit. lib.6.* Ioan. Andreas *in cap. Relatum de Cler. non residentib.* Ex ea verò colligit Nauar. non peccare mortaliter eos, qui merces vetitas ex vno Regno in aliud transferunt, non soluto vectigali, neque eos, qui in fluminibus vetitis piscantur; vel in sylvis contra prohibitiones ligna cædunt, greges, & armenta pascunt. Eandem sententiam sequitur Miranda *in Manu. Prælat. Tom.2. quæst.2. art.18. concl.1.* 50 Nicodem. de Florentia *in spec. confess. cap.53.* Villalob. *Tom. 1. Tract. 2. dub.22.* Reginal. *in Praxi, Tom.1. lib. 15. cap. 6. sect. 5. num.50.* Eamque probabilem putat Valentia *Tom. 2. disp.7. quæst.1. punct.6.* Azor *part.1. lib.5. cap.6. quæst.4.* Fillluc. *Tom. 2. Tract. 21. cap. 11. num. 410.* Diana *Tract. de legib. Resol. 17.* Vnde mirum est, Sotum *de Iust. lib.1. quæst.6. art.5.* vocare hanc opinionem *vulgi errorem*, quem Hispanâ magnificentiâ increpat Villalob. *loco cit. num.6.* dicens: *Lo contrario de sta conclusion tiene Nauarro, Gomez,*

Gomez, Iuan Andr. Matteo metesilla, Scevola Decio yotros: y Esta sententia me parere muy probabile y puoique fauorece alas animas y la tiene tantos bombres doctos se puede muy tien seguir en practica. Ideò Philiarcus *de offic. Sacerdotis, Tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 2. *dicto quarto*, negat, ex pœna capitali deduci obligationem sub pœna æternæ damnationis: tum quia Lex explicari debet de minori pœna, *cap. in pœnis* 49. *de reg. iur. in* 6. & ex duobus propositis; si alterum affirmetur, solùm excluditur alterum, *l. cùm Prætor, ff. de iudic. cap. Nonne, de præsumpt.* Idem de vectigalia fraudantibus, quibus grauissimæ imponuntur pœnæ, asserunt probabile Less. *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 8. *num.* 55. Bonac. *de contract. disput.* 2. *quæst.* 9. *part* 1. Id verò absolutè tenent Angel. *verb. Pelagium*, Nauar. *in Manual. cap.* 17. *num.* 200. & *cap.* 23. *num.* 54. Becanus *in resp. part* 1. *casu* 13. Ruardus *in commentario Bullæ cœnæ, lib.* 2. *can.* 15 *quæst* 12. *num.* 9. qui omnes vniuersaliter eodem nituntur fundamento: tametsi Ruardus aliquando pœnæ addat culpam mortalem, *lib* 3. § 8 *quæst.* 2. *num.* 32.

51 Opposita verò sententia est, omnem Legem pœnalem cogere ad culpam aut mortalem, aut venialem, secundùm materiæ grauitatem. Ita Dom. Sotus *lib.* 1. *de iust. quæst.* 6. *art.* 5. Syluest. *in sum. verb. inobedientia*, circa finem, & communiter Thomistæ. Armilla *eod. tit. num.* 2. & aliqui Recentes cum D. Thom. *part.* 2. *quæst.* 96. *art.* 4. quibus adde allegatos initio quæstionis nostræ, ex Diana *Tract. de legib. Resol.* 16. Ratio est, quia pœna legis oritur ex culpa tanquam fundamento. Hanc sequitur Bassæus V. *Lex* 4. *num.* 9. multos allegans.

Tertia sententia est, non omnem Legem pœnalem obligare ad culpam. Distinguunt igitur Legem pœnalem in simplicem, & mixtam. Simplex pœnalis est, quæ solam pœnam imponit transgressoribus: Mixtam verò dicunt, quæ præceptum statuit, & addit pœnam transgressori. Legem igitur simpliciter pœnalem, negant cogere sub culpa: Mixtam verò affirmant. Ità Henricus *quodl.* 3. *quæst.* 22. Angel. *verb. Inobedientia, in fine*, Ioan. Driedo *lib.* 3. *de libert. Christiana, cap.* 3. *ad* 5. Castro *lib.* 1. *de lege pœnali, cap.* 8. & 9. Couarru. *Regula peccatum*, 2. *part.* §. 5. *num.* 4. Ioan. Medina *Cod. de restitut. quæst.* 13. §. *Neque tamen*, & *quæst.* 36. *ad* 6. Vasquez *disput.* 159. *cap.* 2.

52 Et quidem, Legem pœnalem mixtam cogere in conscientia docent etiam Becanus *in sum. Theolog. part.* 2. *Tract.* 3. *cap.* 7. *quæst.* 2. *num* 4. Granado *prima secunda, controu.* 7. *tract.* 3. *part.* 1. *disp* 4. *sect.* 2. *num.* 7. Malder. *prima secunda, quæst.* 96. *art.* 4. *memb.* 2. Sanchez *in sum. Tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 6. Licèt oppositum sentiant Villalob. & alij apud ipsum suprà relati, quam probabilem putat Filliuc. *Tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 11. *num.* 418. 420. & Valentia *Tom.* 2. *disput.* 7. *quæst.* 5. *punct.* 6. §. 3. in sexto signo, *verb. Accedit quod*; Henric. & alij, quos sequitur Caspens. *disp.* 3. *sect.* 4.

53 Assero primò, Legem mixtam pœnalem obligare aliquando in conscientia.

Probatvr à Vasquez *num.* 10. ratione deducta ex D. Bonauent. in expositione Regulæ. Lex humana, quando habet formam præcipiendi, vel prohibendi, cogit in conscientia, vt deducitur ex Clement. *ad Regulam Minorum:* sed impositio pœnæ addita, vim præcepto non detrahit: Ergo. Confirmatur ex D. Bonau. *in* 3. *dist.* 40. *quæst.* 2. *ad vlt.* quia etiam in testamento antiquo non fiebant prohibitiones graues transgressoribus legis sub pœnæ æternæ intimatione, sed tantùm sub mortis protestatione, & tamen obligabant in conscientia; imponebantur autem pœnæ temporales, præcipuè mortis; quia hæ magis deseruiunt ad terrorem; magis enim deterret latronem timor suspendij, quàm inferni. Sic igitur imponuntur pœnæ mortis, etiamsi obligent in conscientia pœnis etiam æternis; quia illæ magis deterrent.

Ex quo soluitur ratio aduersariorum, dicentium, Principes non habuisse intentionem obligandi pœnis æternis. Hoc enim falsum est; eo ipso, quòd vtuntur iure naturali præcipiendi. Ex quo ruit etiam fundamentum Nauar, Paganos Legislatores non cogitasse de pœnis æternis. Esto enim ita sit; attamen ad id ex lege naturali obediendi suis superioribus manent obstricti transgressores, vt notat etiam Vasquez *num.* 19.

Assero secundò, aliquam Legem pœnalem non obligare in conscientia. 54

Probatvr à Vasquez *num.* 11. quia potest fieri Lex, cui Legislator addat pœnam, & declaret, se nolle cogere conscientias. Sic in Religione S. Dominici tales multæ sunt, vt patet, & ostendit S. Thom. 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 9. Et in nostra Religione, Constitutiones nostræ omnes declarant, se nolle obligare conscientias, nisi in his, quæ sunt obligantia ex vi Legis naturalis, Diuinæ, aut Ecclesiasticæ, vel ex Regula; imponunt tamen pœnas graues transgressoribus. Ex quo habetur documentum, Legem merè pœnalem, etiamsi ex vi Legislatoris non cogat in conscientia, posse tamen cogere, si ex alio cap. obligauerit. Tales sunt Leges de iustis vectigalibus; vt notat Castro *loco cit.* & Vasquez *num.* 14. quia debentur in conscientia ob bonum commune. Non enim noua Lex merè pœnalis derogat præcedentibus legibus, eademmet imperantibus. In legibus Cæsarum graues pœnæ imponuntur fractoribus carcerum; & tamen potest in conscientia aliquis ad fugam eos frangere.

Assero tertiò, Legem pœnalem infligentem Maiorem Excommunicationem cogere sub mortali, etiamsi non addatur verbum præceptiuum, vel inhibitorium. 55

Probatvr ratione D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 18. *part.* 2. *quæst.* 1. & 2. Excommunicatio fulminat maledictionem coram Deo, per eam damnatur homo spiritualium subtractione, & communione Ecclesiæ priuatur. Hoc autem non fit, nisi grauiter delinquentibus, quibus solis aufertur gratia, & cœlum clauditur.

Assero quartò, incertum esse de legibus sub obtestatione aliarum censurarum, an sub mortali obligent. Patet ex dictis.

Assero quintò, Legem, quæ pœnam mortis, aut mutilationis membri imponit, obligare sub culpa mortali. Ità cum aliis Tannerus, *disput.* 5. *quæst.* 6. *dub.* 4. *num.* 60. Bellarm. *lib.* 3. *de militante Ecclesia, cap.* 11. 56

Probatvr ratione ducta ex Seraph. Doctore *serm. primo. Et sequentibus, Decal.* Grauissima pœna iusta ex grauissima culpa imponi debet: Sed mors, & mutilatio sunt pœnæ grauissimæ: Ergo.

De pœnis verò ad Triremes, exilium, & alia in vita, non est adeò certum, vt ait Vasquez *num.* 23. Sic effractoribus carcerum imponitur flagellatio, ex qua sequitur infamia; & tamen licet, ad mortem euitandam, carceres effringere, vt docet Vasquez *disput.* 174. *cap.* 2.

Ex quo sequitur, non benè Sotum, & alios, ex omni pœna arguere culpam, vt docet Valentia *loco citato, circa finem*, post Castrum *de lege pœnali, cap.* 9.

Qvoniam

57 Qvoniam verò sæpius diximus, ex materiæ grauitate colligi: An leges in conscientia obligent; videndum est, quomodo id colligatur.

Caietanvs *Tom.1. opusc. Tract.25. quæst.1.* docet, grauitatem materiæ colligi ex eo, quòd transgressio opponitur charitati Dei, vel proximi, seu opponitur præcepto alicui, quod nos ordinat ad aliquod opus cum Deo, vel proximo. Non sic quando Lex non ordinat ad Deum, vel proximum. Hanc Regulam videtur indicasse S.Antonin.*2.part. tit.4. cap.2.* §.3. Syluest. *verb. Præceptum, quæst.3.*

Contra tamen. Nam sequeretur, ieiunium non obligare ad mortale, quòd ideò de ieiunio Quadragesimæ perperam concedit Caietanus *in sum. verb. Ieiunium.* Prætereà idem sequeretur de culpa pollutionis: è contra, mendacium esset mortale, quia est contra proximum, quod est falsum, vt arguit S.Doctor *in 2. dist.38. quæst.3.*

Quapropter in his etiam, quæ sunt contra Deum, & proximum, est inuenire materiæ leuitatem.

58 Angelvs *in sum. verb. Inobedientia*, referens Richard. *quodl.1. quæst.16.* dicit, tunc solùm esse grauem materiam, quando pluries ex consuetudine legem transgreditur, quod dicitur contemptus interpretatiuus, & ità solùm ex contemptu erit mortale, nam multò magis contemptus expressus reddet materiam grauem. Quod tenent etiam aliqui Iesuitæ, relati à Valentia §.3.*cit. initio*, à Nauar. *cap.23.num.55.* Idem videtur docuisse Henric. *quodl.3. quæst.22.*

Contra arguit Syluester, quia sequeretur, eum, qui semel contrahit in gradibus prohibitis ab Ecclesia, non peccare mortaliter. Porrò hæc sententia damnata est ab Alexandro VII.

59 Contemptvs sanè in Legem, vel Legislatorem, reddit culpam mortalem, quæ aliàs esset venialis, vt D.Bernard. *lib. de præcepto, & dispensatione, cap.11. in fine*, vbi ait: *Præcepta positiua facere nos obnoxios peccato, non tamen magno, si contemptus absit?* Vbi non vult negare, præcepta humana obligare sub mortali; sed loquitur de leuioribus legibus. Eum refert etiam D.Bonauent. *lib.2. Pharetra, cap.44.*

Hinc Caietanus *in sum. verb. Præcepti transgressio*; dupliciter dicit tantùm peccari mortaliter contra præceptum humanum, primò per contemptum; secundò apponendo impedimentum fini legis. Quod verum est quidem, non tamen adhuc intentum nobis declarat.

60 Alii dicunt, materiæ grauitatem sumi ex grauioribus virtutibus, magis necessariis ad salutem, vel Reipubl. conseruationem, & salutem. Vide Suarez *lib.3. cap.25.*

Valentia *loco cit.* dicit, materiæ grauitatem, siue secundùm substantiam sumi, siue secundùm circumstantias, intentas à Legislatore, quæ possunt materiam leuem, facere grauem. Vnde addit post Caietanum *in sum. verb. Præceptum*; Impossibile videri in iure humano ex sola materia discernere præcepta obligantia sub mortali, cùm inueniantur minima præcepta sub mortali peccato, vt patet, (inquit) de concidentibus cadauera, vt ea, transferant ad alia loca; quod de se nullum est peccatum. Accedit (ait Valentia) quòd Deus obligauit Adamum sub mortali, vt etiam à pomo abstineret, quod quidem in se non ità graue erat, sed propter circunstantiam tantùm vt dixi, *part.1.Tract.10. disp.2. quæst.1.*

61 Magis autem id declarat Vasquez *num.58.* dicens, iudicio prudentis viri æstimandum, an sit materia grauis, nec ne; nec mirum; quia & in Lege naturali, & Diuinâ id sæpe euenit. Addit verò, materiam respiciendam semper in ordine ad finem intentum à Legislatore, vt docet etiam Adrianus *quodl.6. art.2.* Couaru. *in regula peccatum, part.2.§.5.num.2.*

Concludit Vasquez cum Caietano *loco cit.* facilè excusari à mortali transgressores legis humanæ, quando citra contemptum ex ignorantia pura, aut ea aliqua ratione apparente Legem non obseruant, qui aliàs parati erant eam obseruare; si scirent, eam tunc obligare. Nam, vt docet Driedo *lib.2. de libert. christiana, cap.1. prop.3.* humanæ Leges etiam vniuersè probatæ recipiunt interpretationes, quasdam conditiones, & ciuiles intelligentias, prout sapiens rectè iudicauerit. Monet verò Seraphicus Doctor *ad 3. cap. Ioan.* ad ea verba. *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* Turpe esse Magistro, & Principi leges ignorare. Ideò ait Flauius Vegatus. *Neque quemquam decet vel meliora scire, vel plura, quàm Principem, cuius doctrina pluribus potest prodesse.* Ideò *Exod. 18.* dicitur: *Elige viros potentes.* Alij legunt *sapientes.*

QVÆSTIO III.

An Lex humana præcipere possit actus internos.

Prima opinio est, Legem humanam habere potestatem in actus merè inter nos, qui non consummantur extra. Ità Sum. Rosellæ *verb. Hæreticus.* Adrianus *quodl.8. art.1. litt. H. & sequentibus*, Albert. Pighius *lib.6. Hierarch. cap.26.* Ioan. Medina *Cod. de oratione, quæst.15.* vbi oppositam quoque probabilem credit. 62

Secvnda opinio est, nullum Legislatorem, etiam Ecclesiasticum, potestatem habere in actus merè internos, qui extrà non consummantur. Ità D.Thom. *quæst.91. art.4. & quæst. 100. art.9.* Durandus *in 4. dist.17. quæst.8. num.7.* & *dist.15. quæst.12. num.6.* Palud.*4. dist.17.quæst.7. num.20.* & *dist.15. quæst.5.art.2. concl.4. num.24.* Gabr. *in Can. lect.62. litt.K.* Gerson. *lect.4. de vita spirituali, corol. 1. & 2. Alphab.62. litt.G. & H.* D.Antonin. *3. part. tit.24. cap.4.* Angel. *verb. Hæreticus, num.2. & verb. Hora, num.27.* Syluest. *verb. Excommunicatio, excom.2. parte prima, & verb. Hora, quæst.11.* Ioan. Driedo *lib.3. de libert. Christ. cap.5.* Caietanus *in sum. verb. Hæresis, in fine*, Alphons. de Castro *de iusta hæret. punit. lib.2. cap.18.* & *lib.2. de lege pœn. cap. vlt.* Dom. Sot. *in 4. d.22. quæst.2. art.3.* Nauar. *in sum. cap.11. num.17. cap. Inter verba, num.491.* Simanca *de Catol. Institut. tit.42. num.3. & sequentib.* Vasquez *prima secundæ disp.160.* Suarez *lib.4. cap.12.* & alij, quos referam infrà, negantes necessitatem attentionis in officio.

Ex his aliqui, vt argumenta primæ sententiæ soluant, dicunt, Legem humanam non posse in actus merè internos, posse tamen in internos, qui coniuncti sunt cum exterioribus, & eos informant. Ità Caietanus *in sum. verb. Excommunicatio, cap.3.* & *verb. Hora, §.3.* Sot. *quæst.95. dist.9. sect.1.* Azor *tom.1. lib.5. cap.10. quæst.1.* Suarez *3.part. Tom.5. disp.4.sect.2.* & *lib.3.de legib. cap.13.* Valentia *quæst.5. punct.7.* Bonac. *dist.1. quæst.1.* Bass.V. *Lex 2.* 63

Vasqvez *cap.3.* vt explicet, quo sensu id verum sit, aduertit, actum internum dupliciter comparari cum exteriori. Primò, vt solùm voluntas quædam efficax faciendi aliquid exterius, quod lege humana vetitum est, vel omittendi id, quod præceptum est; & hoc modo, dubio procul, (ait) actus interiores lege humana prohibentur, ità, vt solum propositum exequendi id, quod lege humana prohibitum est, sit

verè

verè peccatum; non quia Lex prohibeat præcisè talem voluntatem; sed quia ex opere prohibito deriuatur malitia in voluntatem efficacem illius. Ex quo fit, vt quia simplex delectatio non est causa operis externi, ac proinde quia ab externo non deriuatur in illum malitia, ideò talis effectus non possit Lege humanâ prohiberi.

64 Deinde comparantur effectus quidam interni, qui coniunguntur operibus exterioribus, non vt per se causæ illorum, sed quasi circumstantiæ, & causæ accidentariæ. Talis est voluntas finis, vt V.G. in Monacho Benedictino eunti ad curiam, vt Abbatem accuset, cui imponitur Excommunicatio; At verò, etiamsi eat, non incidit in Excommunicationem; quia, scilicet Monachus hic Benedictinus potest ob alium etiam finem ire ad curiam absque obedientia. Similiter iudicandum de Excommunicatione lata in Inquisitores, qui, ob priuatum amorem, in reos non inquirunt; potest enim oriri illa omissio etiam ex negligentia. Recitatio pariter officij non ostendit illicò attentionem: nam potest esse ita cum illa; sicuti sine illa.

In his igitur, & similibus casibus (ait Vasquez.) Lex humana non potest, quia perinde se habent, quando coniunguntur operibus, sicuti si nulli operi externo coniungerentur. Ille quidem effectus potest secundariò prohiberi, quatenus erit causa operis externi; at verò quatenus habet finem alium, exteriùs non indicatum, non potest prohiberi lege humana.

Affectum verò efficacem, qui est per se causa operis exterioris, idem Vasquez opinatur, prohiberi per accidens, & secundariò; tamen non posse infligi pœnam propter illum, nisi ad opus prodeat; sicuti nec potest prohiberi.

65 Sententia D. Bonauenturæ, meo quidem iudicio, est, Legem humanam non posse præcipere actus merè internos; sed eos tantùm, qui saltem moraliter per externos demonstrantur. Ità *in 4. dist. 17. part. 2. art. 2. q. in corpore*, vbi tres rationes affert, propter quas Ecclesia Confessionem annuam præcipit in cap. *Omnis vtriusque sexus*; *Tertia* (inquit) *est discretio gregis Dominici, ne Lupi absconderentur in grege, qui manducarent agnos; ideò institutum est, vt vultus conscientiarum suarum Sacerdotibus ostenderent, & ne hæretici palliarentur, & sub pelle innocentiæ se absconderent; omnibus, quantumcunque innocentibus præceptum est confiteri, & ideò omnes tenentur semel in anno.* Hæc Seraphicus Doctor. Ex quibus liquidò patet, Ecclesiam præcepisse interna, quæ sunt necessaria ad confessionem; alioqui enim fideles non agnos se verè ostenderent, sed lupos sub ouino vellere: Contra Henriquez *lib. 11. de Missa, tom. 2. §. 5.* & plures antiquos, contra Valer. *in differ. vtriusque fori, verb. Hora Canon.* Coninch. *de sacrament. quæst. 83. art. 6. num. 291.* Less. *lib. 2. cap. 37. dist. 11. num. 63.* Layman *lib. 4. tract. 1. cap. 5.* Caspens. *Tract. de legib. disput. 3. sect. 7.* & alios apud istos.

66 Assero primò, Legem humanam non posse in actus merè internos.

Probatur vniuersaliter, ratione sumpta ex D. Bonauent. *in 4. dist. 18. part. 1. art. 2. quæst. 1. ad vlt.* Legislator non potest præcipere, aut prohibere actus, de quibus non potest sententiam ferre; sed nullus Legislator humanus potest ferre sententiam de actibus internis. Ergo: Minor probatur; quia homo, vtpotè creatura quidem rationalis, potest, quæ discit extra, iudicare; at verò, quæ per sensus non apparent, vel non sunt in ipso homine, non potest iudicare. Eadem est ratio D. Thom. *locis citatis.*

Probatur deinde à Vasquez *num. 8.* alia ratione, deductâ ex D. Bonauent. *ibi.* Lex est imperium superioris, ideoque inferiores ad sui obseruationem obligat; atque hæc conformatio inferioris ad superiorem, in eo solùm attendi debet, quòd hominum proprium est; id autem est exterior operatio secundùm rationem. Lex igitur humana, humanam, seu rationalem postulans obedientiam, eam solum exposcit in his, quæ rationabiliter modo humano referuntur. Hæc verò sunt opera tantùm exteriora.

Assero secundò, posse Legem humanam in actus internos, qui moraliter per externos, super quos potestatem habet, manifestentur.

Probatur à D. Bonauent. *in 4. dist. 17. loco cit.* 67
ex præcepto Annuæ confessionis, qua præcipitur, vt confiteamur etiam peccata interna, quorum confessio in fideli, accedente ad confessionem, ex actu ipso confessionis elicitur moraliter. Quòd verò confessio imposita *in cap. Omnis vtriusque sexus*, præcipiat confessionem validam; Probatur, quia ibi præcipitur, vt omnia peccata confiteantur, & iniunctam sibi pœnitentiam adimpleant. Hoc igitur tenent Durand. *dist. 17. quæst. 14* Sot. *dist. 18. quæst. 3. art. 5.* Petrus Soto *lect. 8.* Nauar. *cap. 10. num. 4.* Medina *quæst. 24. de confess. sicut iteranda*, sub finem. Adrianus *quæst. 5. de confess. dist. 4.* Suarez *tom. 4. in 3. part. disput. 36. sect. 7.*

Probat autem Suarez, quia Ecclesia non præcipit absolutè confessionem, sed quatenus cadit in tempore, quod determinare potuit, eius confessionis faciendæ, quæ erat de iure Diuino, vt habet Concil. Trident. *sess. 14. cap 5.* & *can. 8.* Ergo hoc præceptum non potest impleri per aliam confessionem, quàm per illam, per quam præceptum Diuinum impletur: Præceptum autem Diuinum non impletur, aliter quàm per veram susceptionem Sacramenti.

Vbi Tridentinum non vult inferre, Concil. Lateranense non præcepisse etiam veram receptionem Sacramenti, ità vt ei præcepto satisfiat, & pœnas censurarum euitet per confessionem inualidam, quod putat Cano, quem sequitur Vasquez *num. 17.* sed tantùm, vult confessionem non esse humanum inuentum à Concil. Later. vt dicunt hæretici: Concilium verò Later. solùm præcepisse confessionem, iam diuinitus institutam, vt fiat tali tempore; quo fit, vt confessionem faciens inualidam, non adimpleat hoc præceptum, & contra Legem agat; atque adeò pœnas incurrat. Hoc autem præceptum confessione inualida non impleri, definit Alex. VII. 68

Et quidem si aliqua peccata absque causa omittat, vel non recipiat absolutionem, certum est, illum non implere externa præcepti; atque adeò incurrere censuras.

Quod si confiteatur integrè, & accipiat absolutionem; adhuc tamen non implet præceptum, si absque dolore interno confiteatur, quia malitia illa, quæ est defectus attritionis, redundat in actionem illam externam, vt notat Suarez *loco cit. sect. 8.* nec negat Vasquez *num. 14.* vbi concedit, affectum, qui est causa operationis externæ, posse lege humana secundariò prohiberi. 69

At dico: vel prohibet affectum, vt certò prodit in externum, vel etiam latentem: Si secundum, secum pugnat; & sanè hoc secundo modo concedit; licèt malè inferat, non posse ob id puniri, nisi prodeat. Contra. Nam ratio directiua Legis est, semper cùm coactiua, nec est Lex, nisi pœnam imponat, vt dixit *disput. 156. cap. 3.*

Obiicies primò. Potest Ecclesia dispensare, & irritare vota secretissimè emissa: Ergo.

Respondetur, dispensare, & irritare posse vota, si exteriùs manifestentur.

Vasquez dicit, adhuc posse id fieri, etiamsi votum sit omninò internum, sic: *Si es voto obstrictus, tecum dispenso, aut irrito illud, vel commuto*; licèt non possit præcipere actus interiores. Ratio diuersitatis est. Quia dispensatio fit ab eo, qui habet potestatem, nomine Dei. Ideò potest dispensare, etiamsi votum non innotescat.

At verò etiam ad leges ferendas odiosas habet à Deo potestatem, maximè Papa, ut dixi *quæst.*1.

Obiicies secundò. Præceptum sanctificandi festa est humanum; at per illud prohibetur violatio, etiam per peccatum cordis. Ergo.

Respondetur, si peccatum cordis moraliter prodeat in exteriora, fieri aliquam iniuriam festo, quæ qualis sit, dicetur, cùm *de præceptis Ecclesiæ*, erit disputatio.

Obiicies tertiò. In multis Canonibus Conciliorum anathematizantur, qui crediderunt oppositum ei articulo, qui ibi definitur: Ergo damnatur actus internus.

Respondetur ex Doctore Seraph. sententias ferri in eos, qui aliquo signo externo id ostenderunt.

71 Obiicies quartò. Ecclesia præcipit recitare Diuinum officium cum attentione. Multæ de hoc extant opiniones. Prima opinio est, eum, qui absque attentione virtuali recitat officium, non satisfacere præcepto. Ità Fernandez *in Exam. Theol. part.* 3. *cap.* 13. §. 6. Villalob. *in Sum. tom.* 1. *tract.* 24. *disput.* 15. *art.* 13. Nauar. *de restitut. lib.*2. *cap.* 2. *numero* 240. *de orat. cap.* 13. *num.* 18. & 19. Vasquez *prima secunda*, *Tom.* 2. *cap.* 103. Emanuel Sà *verb. Hora canon. num.* 19. Pesant. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *dub.*3 Zerola *in Praxi Episc. part.*1. *verb. Hora Canon.* §. 4. Beia *in respon. casuum conscientiæ*, *part.* 2. *casu* 33. Comitol. *in Resol. moral. lib.* 1. *quæst.* 63. Malder. 2. 2. *tract.*10. *cap.* 2. *dub.*2. Moneta *de distrib. part.*2. *quæst.*2. Carol. Macign. *de Horis*, *canon. cap.*86. *num.* 16. Molfezius *in sum. Tom.* 1. *tract.*4. *cap.*2. *num.*8. Syluinus 2. 2. *quæst.*83. *art.*13. *concl.*4. & 5. Homobon. *de Exam. Eccles. part.*1. *Tract.* 4. *cap.*5. *quæst.*40. Viguer. *Instit. Theol. cap.*5. §. 5. *versu* 11. Gauant. *comment. in Rubr. Missalis*, *Tom.* 2. *sect.*1. *cap.*6. *tit.*4. *num.*2. Belloch. *in Praxi de casib. reseruatis*, *part.*2. *quæst.*15. *num.* 19. Conrad. *in respon. casuum conscientiæ*, *part.*1. *quæst.*144. Rodriquez *Tom.* 1. *cap.* 143. Vega *in sum. Tom.*2. *cap.*118. *casu* 20. Valent. *Tom.*3. *disp.*6. *quæst.*2. *punct.*10. Azorius *part.* 1. *lib.*10. *cap.*16. *quæst.* 6. Ledesm. *in sum. Tom.*2. *tract.*9. *cap.*4. *concl.*20. Squillant. *de oblig. cleric. part.*1. *dub.*20. *num.* 56. Suarez *de Relig. Tom.*2. *lib.*4. *cap.*26. *num.* 3. & *de censur. disput.* 4. *sect.* 2. *num.*25. Tanner. *disp.*5. *de legib. quæst.*5. *dub.*2. *num.*95. Aragonius 2. 2. *quæst.*83. *art.* 13. Sayrus *de censuris*, *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 23. Salas *de legib. disput.* 9. *sect.*9. *num.* 24. Lorca *in prima secunda*, *Tom.* 2. *de legib. disp.*16. *memb.*2. Raphael à Torre, *part.*2. *de Horis Canon. controu.* 9. Antonius Ragucius *de off. Canonicorum in choro*, *quæst.*19. *num.*2. & alij apud citatos; è quibus Azorius citat Maiorem *in* 4. *dist.*12. *quæst.*7. Tabien. Verb. *Hora*, *quæst.*30. Gabr. *in Canon. lect.*62. & D. Thom. *in* 4. *dist.*15. *quæstiunc.*4. *art.* 2. *quæstiunc.*4. *ad* 2. & Bonac. *de Horis*, *Canon. disp.*1. *quæst.*3. *punct.*2. alios secum refert.

Probatur, quia *in cap. Dolentes*, *de celebr. Miss.* præcipitur, vt officium Diuinum celebretur *studiosè* pariter, & *deuotè*; vbi Glossa, *deuotè*, *quantùm ad affic... mentis.*

Opposita verò sententia est Durand. *in* 4. *dist.*15. *quæst.* 12. Syluester *verb. Hora*, *numero* 3. Medinæ *Cod. de orat. quæst.*4. Angeli *verb. Hora*, *numero* 17. D. Antonin. 3. *part. tit.*17. *cap.*4. § 8. Rosellæ *verb. Hora*, *num.* 13. Palud. *in* 4. *dist.*25. *quæst.*5. *art.*2. *concl.*4. Coninch, *de sacram.*3. *part. quæst.* 83. *art.* 6. *num.* 291. Ioan. Valerij *in different. vtriusque fori*, *verb. Hora*, *differentia prima*, quam probabilem asserit *Tom.*1. *Tract.*12. *de Horis canon. resol.*2. cum Lessio *lib.*2. *cap.*37. *dub.*2. *num.*63. Henriquez *lib.*9. *c.*25. *num.*5. in Glossa *litt. P.* Victorel. *in sum. Tolet. lib.*2. *cap.*13. Layman *in Theol. Moral. lib.*4. *Tract.*1. *cap.*5. *num.*10. 72

Ratio eorum est; Quia nemo potest præcipere, aut prohibere, quod non potest punire; nec potest punire, quod non potest cognoscere, & iudicare; sed Ecclesia extra confessionem non potest iudicare actus internos: Ergo.

Equidem arbitror sententiam Seraph. Doctoris primò esse, vt Oratio vera non sit, quæ voluntaria distractione emittitur. Hanc deuotione spoliatam, imò orationis essentiâ priuatam, quæ in eleuatione mentis in Deum consistit, egregiè deplorat S. Doctor *de perfectione vitæ ad Sorores*, *cap.* 5. quem refert Bonacin. *loco cit.* Idem sentiunt Diuus Thom. *in* 4. *dist.* 15. quos sequuntur Caietan. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 3. Medina *Cod. de orat. cap.*14. Valent. *Tom.* 3 *disp.*6. *quæst.*2. *punct.*9. Suarez *Tom.*2. *de Relig. lib.*3. *cap.*4. Filiuc. *Tract.*23. *cap.*3. *quæst.*2. *num.* 72. Lessius, Azorius, Vasquez *locis*, suprà *citatis.* 73

Deinde verò, *cap. Dolentes*, præcipiendo deuotionem in officio, non præcipere immediatè attentionem, probabile est; attentio enim est applicatio mentis ad hæc, quæ dicuntur in oratione. Deuotio verò est inclinatio, & tendentia promptissima in Dei seruitium, & eo casu in orationem, vt notat Sotus *lib.*10. *de iust. quæst.*5. *art.*5. S. Thesaurus & *in cap.*3. *Regulæ Minorum.* Attamen, quia deuotio maius quid dicit, quàm attentio, dum prædictum caput præcipit deuotionem, censetur præcipere & attentionem.

Tum verò cùm interna attentio in orante sincero moraliter redundet in actum illum externum, quamuis non ità certè, sicuti in communicante, vel confitente peccata sua; videtur Ecclesia præcipere etiam attentionem in via D. Bonauenturæ.

Respondet Diana cum Coninchez *in cap. Dolentes*, solùm præcipi actum deuotionis externum: Nam ibi agitur contra eos, qui inter officia fabulantur. Idem dicendum, ait, de audiente Missam. 74

At vero, si deuotionis essentiam ingrediamur cum D. Thom. 2. 2. *quæst.*82. *art.*1. est promptitudo quædam voluntatis ad Dei seruitium. Idem habet Seraph. Doctor *de sex alis Seraphim*, *cap.*8. vbi egregiè ostendit, officium Diuinum strenuè, non desidiosè persoluendum. Item, ait, deuotè, & reuerenter, sine aliqua dissolutione, & strepitu, distinctè, & attentè Diuina officia persoluantur, sicut in conspectu Angelorum, & in præsentia Dei, vt dicitur Ecclesiastici 39. *In omni corde*, & *ore collaudate*, & *benedicite nomen Domini.*

Probatur à D. Bonauent. primò, ex illo Hierem. 48. *Maledictus*, *qui facit opus Dei fraudulenter*; certè autem fraudulenter facit, qui corpore est in choro, & mente in foro (vt cum Seraphico eloquar.) Sed hic maledictionem incurrit: Ergo grauiter peccat.

75 Probatvr deinde à S. Doctore ex multiplici fine, qui Sanctam Ecclesiam mouerat ad orationes Canonicas præcipiendas. Primus est, vt conformetur sorori suæ, Ecclesiæ triumphanti, vt canit in Hymno Dedicationis.

Illi canentes iungimur.
Almæ Syonis æmuli.

Certum est autem, Angelos attentissimos esse diuinis laudibus. Ergo & pro nostra fragilitate tenemur attente eas recitare. Hinc eruunt Authores primæ sententiæ argumentum validissimum. Ecclesia *in illo cap. Dolentes*, præcipit verum actum orationis, vt suprà ostensum est, conformiter orationibus Angelorum; sed actus externus sine interno non est talis: Ergo.

Respondet Diana, post alios, actum externum orationis absque risu, & confabulatione, & similibus, esse verum actum religionis, sicut actus externus adorationis, Idolo exhibitæ, est verus actus externus Idolatriæ, licèt illum exteriùs exercens non
76 intendat adorare Idolum.

At verò hæc responsio non est ad rem. Nam argumentum probat, Ecclesiam intendere veram orationem, quæ est eleuatio mentis in Deum, vt dixi cum D.Bonau. Actus verò externus nudus non est eleuatio mentis in Deum, qualis requiritur ad Angelos imitandos. Exemplum autem non est ad rem: Nam actus externus Latriæ, Idolo exhibitus, non est formaliter Idolatria; sed materialiter tantùm.

Secvndvs finis Ecclesiæ est, ad beneficiorum Diuinorum memoriam, & gratiarum actiones, maximè verò eorum, quæ ad Redemptionem spectant. Itaque Matutina hora sub media nocte recenset Natiuitatem Christi; & noctem, passionis initium: Hora prima sententiam coram Iudice Pagano: Hora tertia Flagellationem: Hora sexta Crucifixionem: Hora Nona Mortem: Hora Vespera depositionem è Cruce: Completorium verò Sepulturam. At quis non videt, voluntaria distractione non agi gratias, non renouari memoriam beneficiorum, iuxta indictum etiam ab Isaia 63. *Miserationum Domini recordabor,*
77 *laudem eius super omnibus, quæ reddidit nobis?*

Tertivs finis, vt deuotionis feruor excitetur, sicuti dicitur, *Leuit.6.* Ignis semper ardebit; at quis ignorat, ignem deuotionis distractionibus voluntariis dissolui, & extingui. Maior patet ex Hymnis Ecclesiæ, vbi id intensè postulat, atque intenditur.

Os, Lingua, mens, sensus, vigor,
Confessionem personent,
Flammescat igne charitas.

Vasqvez, *num.*31. duplex præceptum, & vtrunque Diuinum, *hic* ponit; alterum negatiuum non recitandi sine attentione ob irreuerentiam; & contra hoc peccari, ait, peccato commissionis, quod nunquam est, nisi veniale; etiamsi omninò sit ex præcepto: alterum affirmatiuum, nempè recitandi cum attentione; & posse esse mortale, quando omittitur aliqua materia notabilis orationis, quæ est in præcepto. Esse autem in oratione duplex hoc præceptum, probat Vasquez; Et quidem negatiuum: quia aliqua est irreuerentia proferre verba, quibus cum Deo loquimur sine attentione: Affirmatiuum verò; Quia, nisi esset tale præceptum, non deberet repetere officium, qui semel distractus recitauit; tenetur autem recitare; alioqui peccat mortaliter. Et si sit beneficiarius, tenetur restituere fructus: Quæ pœna ponitur ab Ecclesia pro omissione officij, ad quod tenebatur. Peccatum autem omissionis esse solùm veniale, probat; Quia is, qui distractè recitasset, si iterum recitaret, nullius mortalis reus esset, nisi is eo animo sic recitaret, vt decerneret non repetere; tunc autem mortale esset; non commissionis; sed omissionis. Et de Missa idem dicendum.

Hac tamen distinctio mihi nullo modo probatur. Quia circa idem, alterum sufficit præceptum; sicuti etiam in reliquis similibus, quod paret, quia si præcipitur attentio, procul dubio remanet vetita distractio: & si vetatur distractio, remanet attentio præcepta. Ex quo sequitur, vt aut alterutrum obliget sub mortali; aut neutrum. Quod si oratio est ex præcepto, non video quomodo illa commissio distractionis sit venialis; moralis verò omittendo attentionem. Quòd verò assumit pro vtriusque diuersitate præcepti, inane est: nam probat, præceptum negatiuum eo medio; quia tenetur sub mortali repetere officium, recitatum distractè, seu attentione omissa; & restituere fructus: Hoc verò est petere principium, de quo est quæstio: an omittens attendere officio, peccet mortaliter; atque adeò teneatur repetere, vt satisfaciat, & fructibus gaudeat, si est Beneficiarius. Alterum verò sic probat; quia si repetat officium, non imputabitur præterita distractio ad mortale, nisi eo animo recitauerit, non repetendi. Hoc etiam petit principium, habitâ suppositione illa, distractionem esse leuem; fieri verò mortalem, ait, nisi officium repetatur, contra alterum præceptum positiuum. Contra tamen Vrgeo. 78
Supponamus hîc, primò distractum proponere non ampliùs recitare officium, vel repetere cadem distractionis irreuerentia; tunc solùm omittit eam reuerentiam, iure Diuino requisitam, seu vult eam irreuerentiam, quæ est contra ius Diuinum (in his enim nulla est differentia.) Tunc sic. Vel Ecclesia præcipit sub mortali, ne omittatur illa attentio; vel non: Si non: Ergo nullo modo peccabit mortaliter omittens eam reuerentiam attentionis. Si præcipit. Tunc sic: Ille actus, qui per se non prodit in externum, non potest præcipi ab Ecclesia; sed actus attentionis est talis, vt non prodeat per se ad externum: Ergo non potest præcipi ab Ecclesia. Totum argumentum est Vasquez *num.*28. & *sequentibus.*

Diceret, illum actum attentionis esse iuris Diuini, & præcipi ab Ecclesia.

Contra. Vel iure Diuino est mortalis; vel non. Si non: Ergo Ecclesia aliquid grauiter præcipit internum, quod non prodit per se extrà: Si est mortalis omissio attentionis: Ergo est positiua distractio, quæ necessariò infert omissionem attentionis. Cur ergo in his, quorum vnum necessariò sequitur ex alio, duo tam diuersa ponit præcepta?

Quòd verò subdit *num.*32. Beneficiarium, qui recitat distractè, priuari fructibus, non iure Ecclesiastico Concilij Later. & Bullæ Pij V. quatenus purè Ecclesiasticum; sed iure Diuino, ac proinde pœnam hanc non esse merè Ecclesiasticam, quia hoc ipso, quòd alicui datur beneficium, iure naturali Diuino incumbit ei onus orandi pro populo. 80

Contra sic arguo: Interrogo Beneficiarium huiusmodi: an distractè recitet officium. Mihi respondebit: Maximè. Ergo obiiciam ex Vasquez eum peccare mortaliter, & teneri restituere fructuum portionem illam, quæ recitationi Diuini officij respondeat. Ille mihi dicet, se tenere opinionem probabilem, non esse necessariam attentionem; & ideò non peccare mortaliter; atque adeò satisfacere, & posse frui fructibus, vt tenent opinionem suam deffendentes. Quomodo probabit Vasquez ex iure Diuino, eum teneri? scilicet quia, qui ex altari viuit, & metit temporalia; debet tribuere spiritualia, & altari seruire?

Respondebis

81 Respondebit, se altari seruire, & reddere spiritualia, quæ non possunt vendi, sed se laborare, recitando officium in Choro, canendo, & ità Ecclesiæ ministerium impositum adimplendo, compositè recitando; cum Ecclesia nihil possit imponere, quod extrà non prodit per se, & irreuerentia distractionis iure Diuino sit tantùm venialis, vt fatetur, Vasquez. Obsecro, quomodo conuincent hunc clericum? Sume Ergo Seraphici Doctoris argumenta.

Argumentum verò primæ opinionis soluitur ex D. Bonau. Dicendo ea interna, quæ moraliter extrà prodeunt, posse ab Ecclesia præcipi, vt dixi.

QVÆSTIO IV.

An Lex *humana obliget ad sui obseruationem cum dispendio vitæ.*

82 FVIT opinio Caiet. *prima secunda, quæst.96. art.4.* Legem humanam adeò, procul dubio, obligare cum dispendio vitæ, vt oppositum dicere, sit error.

SECVNDA opinio est Angeli *in sum. ex om.8. n.18.* & aliorum, obligare tantùm in causa fidei, vel Reipubl. tuendæ; in cæteris verò nos teneri potiùs vitæ seruandæ. Hanc sententiam videtur sequutus Almai. *Tract.1.moral. cap.3.concl.4.* & Maior *in 4.dist.18.q.4.*

TERTIA opinio est Recentiorum Thomist. qui docent, posse quidem legem humanam obligare ad sui obseruationem cum dispendio vitæ; sed tunc solùm, quando Legislator præuidens, subeundum periculum vitæ in eius obseruatione, apposuit ita obseruandam; veluti, cùm tempore pestis Episcopus Parocho imperat, ne ex vrbe discedat.

83 QVARTA opinio duo dicit: Primum, posse legem merè humanam cogere ad discrimen vitæ subeundum. Quam partem cum Caiet. *loco cit.* docet Dom. Soto *lib.1.de iust.& iur.quæst.6. art.4.* & *in 4. dist.24.quæst.1. art.4.* Ledesma *2. part.41. quæst.10. art.5. ante primum dub.* Couar. *in cap. Alma Mater, part.1.§.3.n.9.* Gabr. *in 4. dist.18. quæst.3.dist.4.* Ocham *part.1. Dial.lib.7. cap.57.* Hoc autem dicunt euenire, quando id, quod præcipit lex, maioris est ponderis, quàm vita ciuium. Quoniam verò id non semper, nec plurimum euenit: Ideò aiunt, non cogere.

ALTERVM, quod fert hæc sententia, est, leges humanas passim non obligare ad vitæ discrimina subeunda. Ita Sotus & plerique moderni Thomistæ, Gabr. & Ocham suprà.

VTRANQVE verò partem asserunt D.Th. *quodl.11. art.9.ad 3.* & *in Supplemento, quæst.23.art.3.ad 1.* Maior *dist.14.quæst.4.* Syluest. *verb.metus*, Valent. *quæst.5. punct.6.* Medin. *quæst.96.art.4.* Azor *lib.5.c.11.quæsit.1.* Vasquez *disp.161.cap.2.* Suarez *lib.3.cap.30.* Tanner. *disp.5.quæst.6. dub.5.n.88.* Caspensis *disp.3.sect.8.*

84 ASSERO primò, posse Lege humanam obligare ad discrimina vitæ adeunda.

PROBATVR primò ex dictis *disp.1.quæst.2.* Lex debet ad commune bonum ordinari, & ad hoc debet populus dirigi: sed potest euenire, vt aliquod bonum intentum à lege præualeat vitæ alicuius: Ergo poterit cum illius dispendio præcipere. Hac ratione nititur Caietanus *loc.cit.* eamque laudat Vasquez *numero nono.*

PROBATVR secundò ratione deducta ex D. Bonau. *in 2.dist.44.art.3. quæst.1 fund.2.* Id, quod conscientiam cogit sub pœna damnationis, est magis eligendum, quàm quælibet pœna: sed aliquæ leges humanæ conscientiam ligant sub damnationis pœna, vt habetur *Rom.12.* Ergo magis est obediendum legi humanæ, sic cogenti, & omnis pœna potiùs subeunda, quàm talis lex infringenda. Maior est clara: Nam omne tale est culpa mortalis; Certum est autem potiùs eligendam omnem pœnam, quàm culpam.

HAC ratione nisus Caiet. dixit, erroneum esse negare, legem humanam obligare cum vitæ dispendio. Quia idem est ac negare, obligare in conscientia. Nam pro omni iure obligante, etiam venialiter, in conscientia, mors est potius subeunda quàm tale Ius violandum, vt de mendacio ostendit S.Bonauent. *in 3. dist.38.* 85

PROBATVR deinde exemplis in omni ferè genere Legum: Militarium quidem, quæ præcipiunt Duci obediendum, etiamsi exponat vitæ periculis. Itaque milites in expugnatione, propugnationeque vrbium, in acie, in speculis, &c. coguntur vitam discrimini exponere; nec stationem deserere. In Ecclesiasticis Episcopus præcipit, ne Parochi deserant loca tempore pestis. Deinde sine vestibus sacris nullus potest celebrare, etiam cum periculo vitæ. Neque potest aliquis contrahere cum consanguinea intra gradus à Canonib. vetitos, etiam metu mortis. Et *in cap. Sacris*, non excusatur à peccato, qui metu mortis communicat cum excommunicato: Et Constitutio Carthusianorum, non vescendi carnibus, seruanda est, etiamsi instet mors.

VASQVEZ aliqua ex exemplis conatur eneruare, vt rarò necessitatem hanc euenire probet. Illud de militibus fatetur cogere, ob bonum publicum. Similiter & illud de Parocho, licèt addat, hoc exposcere ipsius officium, vt habetur Ioan.10. *Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis*, vt exponit etiam Seraph. Bonauent. *ad eum locum.* 86

Ad exemplum de paramentis sacris respondet, posse metu mortis absque sacris paramentis celebrari, & adducit Palud. *in 4.dist.33.quæst.2.* D. Antonin. *3.part. tit.13.cap.6.* Excipit casum, quo metus mortis incuteretur ab alio in contemptum legis.

Ad id de Matrimonio respondet cum Soto *in 4. dist.22.quæst.1.art.4.* & *lib.1.de iust.& iur.quæst.6.art.4.* non esse peccatum contrahere matrimonium ex metu mortis; esse tamen peccatum ad eam accedere, post illum contractum; quia inualidus fuit, & accedit ad non suam, contra ius naturale. Similiter exponere se periculo accedendi ad non suam, quam differentiam, ait, Caietanum non aduertisse.

SI OBIICIATVR, quòd illa irritatio matrimonij contracti ex metu mortis, est ex lege humana; eodem modo, quo etiam prohibitio contrahendi. Ergo sicuti ex metu mortis potest fieri contractus, non cogente ad contrarium, lege prohibente; eodem modo contractus initus erit validus; quia lex etiam irritans non cogit, instante occisore. 87

RESPONDET, legem irritantem esse maioris ponderis; quia contra bonum commune multa matrimonia metu mortis fierent; At verò contractus per verba non adeò perniciosus est, vt non possit initi, instante iugulatore.

HIC tamen solutio mihi nullâ ratione probatur. Primò, quia mendacium perniciosum, & deceptio grauis interuenit, quæ naturâ suâ ita sunt mala, vt ex metu mortis non liceant. Deinde verò lex irritans matrimonium ex metu mortis, est & ipsa humana, & cogit ad vitæ discrimina: Ergo datur aliqua huiusmodi lex, & in hoc genere.

AD *cap. Sacris*, respondet, licere ob metum mortis communicare, dummodo metus non incutiatur in contemptum Ecclesiæ, vel legis. Sic etiam Hebræi *Machab. primo, cap.2.* die Sabbathi pugnauerunt; quia imminebat alioqui mors, nec peccauerunt; quia illa irruptio hostium Sabbatho, non erat in contemptum legis Sabbathi. 88

Ex regione autem Eleazar 2. *Machab.* 7. qui districto gladio vrgebatur carnes vetitas edere, noluit, quia metus ille in contemptum Legis incutiebatur, vt notauit Adrian. apud Vasquez *num.* 23. Idem sentiunt Suarez, Becan. Sanchez mox citandi, cum Bonacina *loco cit. num.* 13.

Qvoad constitutionem Carthusianorum *disp.* 162. resoluit Vasquez, ita esse. Hoc probat ex praxi illius Religionis.

89 Assero secundò, ordinariè Legem humanam non ità cogere. Ità multi cum S. Bonauent. *dist.* 2. *quæst.* 8. *part.* 2. Ità Henriquez *lib.* 13. *cap.* 21. Suarez *de censur. disp.* 6. *sect.* 3. *num.* 7. & *lib.* 3. *de legib. cap.* 30. Becan. *Tom.* 2. *tract.* 3. *cap.* 6. *quæst.* 4. Naldus *verb. Metus*, Aragon. 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 3. *dist.* 1. Sanchez *in sum. lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 4. Sà *verb. Praceptum*, *num.* 2. Azor *part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 11. *quæst.* 1. & *lib.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 6. Clau. Regia *lib.* 3. *cap.* 7. Salas *disp.* 11. *sect.* 1.

Confirmatvr: nam etiam in legibus Diuinis, & Naturalibus, multæ non cogunt cum discrimine vitæ. Non est autem credibile, strictiùs obligare Legem humanam, quàm Diuinam, vel Naturalem.

QVÆSTIO V.

Vtrum, cessante fine adæquato Legis in aliquo casu particulari, cesset obligatio Legis.

90 Commvnis sententia est, non cessare obligationem legis, nisi cesset ratio communis finis, & necessitatis, ob quæ facta est lex. Itá censent triginta Doctores & vltrà, relati à Diana *Tract. de legib. resol.* 28. Hi sunt Layman. *in Theol. moral. lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 21. Vasquez *prima secundæ, disp.* 163. *cap.* 3. *num.* 19. & *opusc. de restit. cap.* 1. *dub.* 1. *num.* 4. & *opusc. de reddit. cap.* 2. §. 2. *dub.* 14. *num.* 5. Suarez *lib.* 3. *de legib. cap.* 23. & *lib.* 5. *cap.* 25. Salas *de legib. tract.* 14. *disp.* 10. *sect.* 4. *num.* 19. & *disp.* 5. *sect.* 7. *num.* 14. & *tract. de censur. dub.* 8. *num.* 16. Molina, *Tom.* 1. *disp.* 81. *ad tertium argumentum secundæ sententiæ*, Reginal. *Tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 18. *quæst.* 3. *num.* 180. Sanchez *in sum. Tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 37. & *de Matrim. Tom.* 1. *lib.* 3. *disp.* 3. *n.* 7. & 9. Rebell. *part.* 2. *lib.* 11. *quæst.* 13. *num.* 7. Coninch. *de sacram. disp.* 7. *dub.* 9. *num.* 86. & *disp.* 14. *dub.* 14. *num.* 144. Becan. *prima secundæ, Tract.* 3. *cap.* 6. *concl.* 4. *num.* 5. Villalob. *in sum. Tom. primo, tract.* 2. *dub.* 36. *n.* 6. Miranda *in Manual. Prælat. tom.* 2. *quæst.* 25. *art.* 23. *concl.* 2. Sotus *de iust. lib.* 1. *quæst.* 6. *art.* 2. Lorca *prima secunda, quæst.* 98. *art.* 6. Angurian. *de legib. lib.* 1. *controu.* 3. Salon. 2. 2. *tom.* 1. *quæst.* 5. *art.* 4. *concl.* 5. *ad* 1. Felician. *de censib. Tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 6. Sarmient. *select. inter. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 8. Couar. *in* 2. *part. Decret. cap.* 6. §. 9. *num.* 8. Malder. *prima secunda, quæst.* 96. *art.* 5. & 6. Sayr. *in clau. Regia, lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 6. & *cap.* 7. *num.* 11. & 13. Bonac. *de legib. disput.* 1. *quæst.* 1. *punct. vlt. part.* 2. & *de restitut. disp.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 3. Nald. *in sum. verb. Lex.* Poncius *Tract. de impediment. Matrim. causa* 31. *quæst.* 2. §. 5. Pitigian. *in* 4. *Tom.* 2. *disp.* 15. *quæst.* 2. *art.* 5. Portell. *in addit. ad dub. Regul. verb. Lex*, *n.* 4. Moneta *de commut. vlt. voluntatis, cap.* 4. *q.* 5. *concl.* 2. *n.* 150. Vega *in sum. Tom.* 2. *tract.* 23. *cap.* 13. Ponc. *de Matrim. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 7. & 8. & alij.

91 Oppositam tamen sententiam tenet D. Bonau. *in c.* 2. *Regula Minorum*, quem sequuntur Nauar. *Tom.* 4. *comment. in Rubr. de iudic. num.* 74. Scaccia *Tract. de commerc.* §. 1. *quæst.* 1. *num.* 511. Mexia *in pragm. taxæ panis, concl.* 2. *à num.* 19. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 17. *num.* 2. *in Gloss. litt. O.* & *lib.* 10. *cap.* 15. *num.* 8. *in Gloss. litt. R.* Comitol. *in respons. Moral. l.* 7. *quæst.* 1. *num.* 10. Abbas *in cap. Quia in insulis, de Regular.* Angel. *verb. Lex num.* 4. Sosa *in Bull. Clemen. VIII. de larg. muner. fundamento* 3. Sa *verb. Lex*, & *verb. Ludus*, Megala 2. 2. *lib.* 2. *cap.* 7. *quæst.* 2. *num.* 55. Granad. *in part.* 2. *controu.* 7. *tract.* 3. *part.* 1. *dist.* 15. *sect.* 2. Diana *Tract. de legib. Resol.* 28.

Assero ergo, Legem cessante fine, & necessitate particulari, cessare quò ad illud particulare. 92

Probatvr à Granado, Diana, & aliis argumento validissimo D. Bonau. sumpto ex Bulla Gregor. IX. quæ incipit. *Gloriantibus vobis in ipsa sola Cruce*, & posteà Nicolaus III. confirmauit, vbi declarat, Ministros Prouinciales, qui soli ex Regula iure postulantes admittunt ad nostram Religionem (vbi tamen includitur etiam Generalis) posse secundùm vim Regulæ hanc facultatem aliis delegare prudentibus Patribus, ne, ob absentiam Prouincialis, multi ab ingressu Religionis retardarentur, & alioqui Patres prudentes, atque zelantes Religionis bonum, portam apertam tenerent introeuntibus. Quare cessante fine legis Seraphici Patris, qui solos maiores Prælatos deputat, tanquam peritos piscatores, qui secus littus sedentes, eligant bonos in vasa; malos autem foras mittant, vt dicitur *Matth.* 13. & notat Pater Sanctes *in cap.* 2. *Regulæ*, ex D. Bonau. si ipsi eligant peritos, cessat finis, & necessitas legis in eo particulari, & consequenter etiam Lex. Quia lex dicit, *ff. de legib. Scire leges non est verbum earum tenere, sed vim, & potestatem*, & *dist.* 61. *cap. Statuimus*, dicitur: *Ecclesiasticæ prohibitiones proprias habent causas, quibus cessantibus, cessant & ipsæ.* Et *prima*, *quæst.* 1. dicitur. *Quòd pro necessitate temporum statutum est, cessante necessitate, cessare debet.* Hæc Seraph. Bonauentura.

Tunc sic argumentor. Sicut se habet lex in vniuersali ad obligationem in vniuersali: ità & particularis ad particularem. Sed cessante ratione adæquata finali legis, cessat omninò lex. Ergo cessante pro aliquo particulari personæ, loci, vel temporis, cessat pro illo particulari. Totum argumentum ex allegatis eruitur Decretis. Confirmatur Maior. Nam lex obligat non solùm omnes, sed singulos, neque ob id ego teneor quia præcisè alius tenetur.

Obiicivnt Lex conditur ob bonum commune: Ergo, licèt in casu particulari cesset, non cessabit in generali. 93

Respondetvr ex D. Bonau. quem reliqui sequuntur, ità esse ob bonum commune, vt singulos arctet. Ideò cessante in aliquo ratione boni communis, cessat, & lex in eo.

Obiicies secundò. Vt cesset lex in aliquo particulari, debet cessare ratio adæquata in eo particulari; at in casu prædicto deriuandi potestatem recipiendi ad Ordinem, non cessat ratio adæquata. Ergo ex eo casu nil deducitur interpretationis; sed potiùs relaxationis. Maior est euidens ab omnibus concessa. Minor probatur; Quia duæ sunt rationes, ob quas S. P. Franciscus solis maioribus Prælatis ministris concessit facultatem acceptandi ad ordinem, ex Doctore Seraph. *loco cit.* Altera; quia in eorum prudentiâ confidebat, qui supponuntur meliores; quibus à D. Bonau. aptatur id Matt. 20. *Qui maior est vestrum, erit vester minister:* Et hanc prudentiam si in aliis Ministri inueniant, quibus hanc Prouinciam imponant: possint delegare illos. Altera ratio est, vt experimentum fieret perseuerentiæ Nouitij, & hoc fit, si non habet adeò præ manibus recipientem hæc autem ratio motiua potiùs violatur, dum adeò faciles habemus receptores.

Respondetvr, Regulam quò ad hoc ritè obseruari, si Prouinciales ministri delegatis iniungant, vt in moram trahant Nouitios, experiendo eorum perse- 94
verantiam;

verantiam; & ex alio capite aliud principalius motiuum seruatur, fouendi spiritum proselytorum, qui sæpe ob locorum difficultates, & alias sexcentas causas nequeunt Ministros adire, & distrahuntur, atque deterrentur magno ipsorum, & Religionis detrimento.

Ex his habetur explicatio illius propositionis, Leges fundatas in præsumptione vim non obtinere in foro conscientiæ, quando præsumptio falsa est, & de opposita veritate constat, quam fatetur Vasquez *disput.* 163. *cap.*2. esse commune axioma Theologorum, & inter iurisperitos, Bald. *in l.Cùm quis, Cod. de iuris, & facti ingnorantia, col.*7. Iasonis *in Rubr. ff. de acquir. hereditate, col. penult.* Felin. *in cap.*1. *de constit. colen. num.*4. Couar. *in cap. Cùm esses, de Testament. num.*9. & aliorum.

95 Ratio est illa Seraph. Doctoris, quia Leges habent sua motiua, suasque necessitates, quibus cessantibus, cessare debet obligatio Legis, vt habetur *cap. Statuimus*; sic aliquæ Leges, quæ in præsumptione fraudis irritant testamenta minus publica, venditiones bonorum Ecclesiæ absque debita solemnitate, cessante fraude, non valent; & ita potest hæres adire hæreditatem. Hac ratione nixi grauiter extorquent tuentes oppositam sententiam, vt variè eos exponere coacti sint, nec satis, aut sufficienter, vt mox dicam.

Primo quidem Vasquez *num.*11. ex eo deducit, deceptos Iuristas, & Theologos, qui Testamentum minus solemne validum censent, si absit fraus, & violentia, quas præsumens lex inualidat: Quia Lex fundata in præsumptione, si deficiat id, quod præsumit, non cogit: Quia sequeretur, (ait) etiam matrimonium initum absque solemnitate, quam præcipit Concil. Trident. ad euitandas fraudes, & violentias, si istæ absint, esse validum, quod omninò absonum est.

96 Hæc tamen illatio friuola est. Siquidem S.Concil. Trident. *sess.*24. *cap. primo*, non ex mera fraude, aut violentia contrahentium, præsumptis in matrimoniis clandestinis, illa irritat; sed quia (ait) Sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa detestatur, & grauia peccata perpendet, quæ ex eiusdem clandestinis matrimoniis ortum habent, præsertim verò, quia multi iam coniugati transeunt ad secundas nuptias, relicta ea, quam secretò desponsarant, & ità perpetuò viuunt adulteri. *Cui malo* (ait) *cùm ab Ecclesia, quæ de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur; Idcircò, &c.* Itaque S.Concilium hoc Decretum in sola presumptione non fundat; sed præcipit fieri publicè matrimonium, vt possit de eo Ecclesia iudicare, maximè ad scandala amouenda. Itaque non benè nos vrget Vasquez qui *cap.*3. ità illa axiomati respondet, Duplex

97 esse genus præsumptionis; Alterum, quo Legislator in quolibet casu suspicatur, & hæc non obligat, si præsumptio in eo casu non est vera: Alterum est, quo Legislator non præsumit in singulis casibus, sed præsumit prudenter, ità sæpè euenire posse. Ideò Legem vniuersalem constituit, qua huiusmodi euentus arceantur; & hanc ait valere, etiamsi in aliquo casu præsumptio non sit vera; & hanc eandem esse cum propositione, quam tenuere Authores primæ sententiæ in nostra principali quæstione, dicentes: *Cessante ratione legis in aliquo singulari casu, non cessat eius dispositio; si ratio legis non cesset in vniuersum.* Quam quidem Diana, *loco cit.* & Scaccia imperceptibilem sibi visam fatentur: Attamen cum Vasquez est Sanchez *loco citando*, & alij. Porrò doctrina, atque distinctio, neque mihi probatur; quia non minùs prouidendum est in altero genere legum; quàm in altero; non enim Leges sunt propositiones vniuersalis naturæ abstractæ; sed concretæ singulos includentes. Quapropter singulos includere, atque excludere iustè debent. Quòd si ratio motiua Legis non adest, remanet sola nuda materialitas Legis, quæ non facit formaliter Legem; vt dicit D.Bonauent. *loco citato.* Neque propositiones Legis sunt de his, *quæ semper*, sicuti sunt Theoricæ. V.G. Eclypsis, sed de his, *quæ sunt sæpe*; vt notat Seraphicus *in* 4. *dist* 36. *dub.*5. *litterali.*

Id tenent cum D.Bonau. Homobon. *de Exam. Eccles. part.*1. *tract.*5. *cap.*8. *quæst.*53. & præter Doctores, 98
quos ipse citat, sequitur hanc sententiam Ioan. Valer. *in different. vtriusque fori, verb. Lex, differen.*12. *num.*1. Layman. *in Theol. Moral. Tract.*4. *cap.*21. *num.*4. Fernandez *in Exam. Theol. moral. part.*2. *cap* 4. §.3. Megala 1. 2. *lib.*2. *cap.*7. *quæst.*2. *num.*55. Diana *Tract. de legib. Resol.*27. eamque probabilem fatentur etiam appositum sentientes, Becan. *in sum. Theol. Moral. p.*2. *Tract.*3. *cap.*6. *quæst.*9. *conclusione quarta.*

Hinc sequitur, hæredem, qui non confecit Inuentarium, non teneri in foro conscientiæ soluere legata, vel debita defuncti, si excedant vires hæreditatis. Ita docent Salon. 2.2. *quæst.*77. *art.*3. *dist.*10. Sanchez *in sum. lib.*4. *cap.*15. *num.*37. Sayrus *in Clau. Reg. lib.*3. *cap.*7. *num.*7. Suarez *de legib. lib.* 3. *cap.* 23. *num.*5. Syluest. *verb. Lex, quæst.*9. Angel. *eodem verb.* Nauar. *de restit. lib.*3. *cap.*4. *dist* 9. *num.*137.

Ratio est; quia lex præcipiens, hæredem soluere 99
vltra vires hæreditatis, si omittat facere Inuentarium, nititur præsumptione fraudis occultationis. Ità Sanchez *loco cit.* qui amplexus illam diuersitatem Legum, assignatam à Vasquez, adhuc dicit, non teneri; quia hæc Lex est ex earum numero, quæ fundantur in præsumptione singulis casibus; sicuti, & quæ habetur, *cap. Is qui fide, de sponsal.* quæ statuit matrimonium censeri initum, copula subsequuta post sponsalia; quia Lex pro singulis casibus præsumit, copulam illam esse affectu maritali; licèt consensus nouus sequi etiam debeat.

Secundo infert Diana, Decretum Concil. Trident. *sess.*25. *cap.*19. denegans audientiam professis, qui, transacto quinquennio, incipiunt reclamare ad suam professionem inualidam comprobandam, cùm innitatur præsumptioni ratificationis intra illud quinquennium, in foro conscientiæ non obligare. At non video in illo Decreto aliquid mussitatum de conscientia. Solùm enim decernit in foro externo; ideò dicit. *Non audiatur, nisi intra quinquennium.* Et infrà. *Nullatenus ad allegandum quamcunque causam admittatur*, vt notat Sanchez *de Matrim. Tom.*2. *lib.*7. *disp.*37. *num.*9. Ideò dico potiùs, non esse ad rem hunc casum adducere.

Tertio infert, Bullam Clement. VIII. de largi- 100
tione munerum, quæ ex præsumpta causa ambitionis edita est; ea cessante, cessare illam prohibitionem in foro conscientiæ. Eum sequitur Valer. *in different. vtriusque fori, verb. munera, different.*1. *num.*81.

Quarto infert, non teneri denunciare Chiromanticos, si sciat eos non habere pactum cum Dæmone: nam Bulla Sixti V. præcipiens, fundatur in præsumptione talis pacti. Ita etiam Valer. *verb. Heresis, different.*1. *num.*4. Riccius *part.*3. *decis.*278. *num.*6.

Quinto denique concludit, hæredem ex testamento minùs solemni; si ei constet, nullam vim, nullam fraudem, nullumve alium defectum occurrisse, posse adire hæreditatem. Ità etiam Sayrus *in Clau. Reg. lib.*3. *cap.*7. *num.*9. Syluest. *verb. Hereditas* 3. *quæst.*7. Medina *Cod. de Restitut. quæst.*23. & alij.

Ex his potes etiam colligere, Leges humanas posse rescindere contractus. Similiter & inhabiles reddere personas ad contractus legitimos vt testamenta, donationes, &c.

Ratio est; quia Legislator potest obligare in conscientia ad aliquid faciendum, vel non faciendum: Ergo etiam talem, vel talem contractum potest interdicere, atque irritum declarare, & rescindere; dummodò id non sit de iure naturæ præceptum, sed tantùm concessum, vt notat Vasquez *disp.* 193. *num.* 4.

QVÆSTIO VI.

De natura Legis irritantis; Quomodo hunc effectum obtineat.

OBLIGARE est primus effectus Legis: Secundus est irritare.

Et quidem, posse Leges irritare actus, vidimus suprà, idque experientia dictat in testamentis, donationibus, venditionibus, & cæteris; hunc tamen effectum non esse semper pœnalem patet in irritatione testamenti minùs solemnis; & matrimonij inter affines, consanguineos, & cognatos spirituales: Aliæ tamen irritationes sunt in pœnam delicti. Ita irritatur matrimonium ob vxoricidium cum promissione matrimonij. Vide Baldum *l. Non dubium, Cod. de legib.* Decium *cap.* 2. *de constit.* Suarez *lib.* 5. *per multa capita.*

Videndvm est, Quando nam Lex sit irritans.

101 Sententia omnium fere Iuristarum est, Contractus à Lege vetitos, ipso facto esse nullos, idemque de quouis alio actu alioqui legitimo, censere debent, etiamsi Lex non explicet, se irritare tales actus. Nituntur *lege. Non dubium, Cod. de legib.* vbi Imperatores Theodosius, & Valentinianus sic loquuntur: *Nullum pactum, nullam conuentionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsequutum, qui contrahunt, Lege contrahere prohibente.* Ità Bald. Iason, & alij Doctores ad eam Legem. Angel. *verb. Lex, num.* 28. Syluest. *eod. verb. quæst.* 28. Ex Hispanis verò Gregor. Lupus *in l.* 28. *tit.* 11. *partita* 5. *gloss.* 7. Ioan. Matienzus *in l.* 1. *gloss.* 7. *tit.* 2. *l.* 5. *compilationis.* Et idem sentit Couarru. *in cap. Quamuis pactum,* 2. *part. relect.* §. 4. *num.* 7.

Hanc Legem variis modis exponunt Baldus, Lupus, & alij; at mihi in his explicandis non libet immorari; quia Lex illa Cæsarum, in solis Imperij terris est valida.

Omissis igitur tribus exceptionibus, quas Baldus huic Legi apponit; Quartam solam; quæ grauis est, appono, nempè tunc contractum, aut alium quempiam actum, Lege prohibitum, censendum irritum, quando prohibetur substantia, seu essentia actus.

102 Circa hoc, prima opinio est, substantiam, etiam actus vetitam, non reddere contractum irritum. Ità Reginald. *lib.* 13. *num.* 185. Salas *de legib. disput.* 16. *sect.* 8. *num.* 26. *&* 27. Suarez *de legib. lib.* 5. *cap.* 25. 27. *&* 28. Molina, Bald. & alij, quos refert, & sequitur Bonac. *de contract. disp.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 3. *num.* 23. & *de legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 7. §. 5. Vasquez *disp.* 164. *cap.* 2. Quod probat. Quia multi sunt contractus substantialiter vetiti, qui tamen non sunt irriti. Ex his solum ludum alearum affert, qui simpliciter prohibitus est; & tamen iuxta communem Theologorum sententiam, ille, qui lucratur, non debet ante sententiam restituere, quamuis intra certum tempus detur actio repetendi id, quod ludo amissum est, vt Theologi, & Iurisperiti communiter docent. Refert verò pro hoc Gabrielem *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 13. *art.* 2. *concl.* 1. Maiorem *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 13. Medinam *Cod. de restit. quæst.* 21. §. *Illud videtur.* Alphonsi. de Castro 2. *lib. de lege pœnali, cap.* 2. *corol.* 3. Adrian. *in* 4. *Tract. de restit. quæst. de Ludo,* Sotum *lib.* 4. *de iust. quæst.* 5. *art.* 2. Angelum *in Sum. verb. Ludus, num.* 7. Couar. *in Regula peccatum,* 2. *part.* §. 4. Nauar. *in sum. cap.* 19. *n.* 18. Ratio eorum est; Quia licèt hic ludus sit contractus vetitus, non est tamen declaratus irritus.

Alii tamen antiqui Theologi tenent, hoc tale lucrum restituendum. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 7. *ad* 2. & *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 4. *art.* 4. *quæstiun.* 3. *ad* 2. Alensf. 4. *part. quæst.* 33. *memb.* 2. *art.* 5. S. Bonauent. *in* 4. *dist.* 15. *p.* 2. *art.* 2. *q.* 1. *ad argumenta,* Palud. *Eadem dist. quæst.* 3. *art.* 5. *concl.* 2. Syluest. *in Sum. verb. Ludus, quæst.* 13. Armilla *eodem tit. num.* 5. 103

Hos tamen omnes ait Vasquez *num.* 15. velle tantùm restituendum pauperibus, quod signum est, non esse contractum ludi huius irritum, alioqui restituendum esset Domino, qui perdidit. Bonac. verò *de contract. disput.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 2. *propor.* 2. cum Azorio 3. *part. lib.* 5. *cap.* 24. & aliis, ait, non teneri restituere ante Iudicis sententiam. Et quidem iure naturæ non teneri probat; quia contractus ludi alearum, & similium est vetitus, sed non irritus; ludus autem non irritus, vim habet transferendi dominium, sequutâ traditione. Neque teneri iure positiuo; quia Authentica. *Vt alearum, Cod. de Religiosis, & sumptibus funerum,* solùm concedit perdenti, vt non soluat, & vt repetat perdita ludo illicito, quæ sunt consequentia. Cui enim conceditur actio ad repetendum, conceditur etiam actio, ne soluat, *l. Creditori, Cod. de pactis, & regul.* 71. *de regul. iur. in* 6. non irritat tamen contractum ludi. Secundò; quia est pœnalis, quæ non cogit ad sui exequutionem ante sententiam iudicis.

Mihi verò aliter differendum videtur. Et primò quidem D. Bonauent. non benè adducitur à Vasquez: ibi enim asserit, in ludo alearum non transferri dominium pecuniæ perditæ, eamque mala fide possideri, & titulo iniusto, qui pro nullo censeri debet; & ideò teneri in conscientia restituere illi, qui perdidit: Primò, si est talis persona, quæ rebus suis præesse non potest; vt est Religiosus, insanus, Minor, pupillus, surdus, & mutus, cæcus, perpetuò ægrotus: id quod asserit etiam D. Thom. & Azor. *loco cit.* & alij communiter. Secundò, si sit talis persona, quæ potuit amittere, & illa non pellexit, aut traxit, sed communi consensu ad ludi contractum conuenêre, dicit, non esse restituendum ei, quia indignus est propter turpitudinem ludi prohibiti, concorditer initi; sicuti, & qui lucrifecit tam turpiter, indignus est, sibi lucrum retinere, vt asserunt etiam Paludanus *loco citato.* Archidiacon. & alij apud Azorium, *Tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 24. Quod si à victo non fuit tractus; sed ipse traxit illum ad ludum, tenetur saltem in foro conscientiæ illi ipsi restituere, qui perdidit, vtpotè iniquè damnificato. 104

Ratio D. Bonau. non fundatur iure Cæsareo; sed quia per leges *in ff. & Cod. de condictione ob turpem causam,* datur repetitio pecuniæ perditæ in tali contractu, puta ludo, quæ repetitio conceditur innixa iure naturæ; ex quo deducitur Lex illa, nempè, quia ex se lucrum tale iniquum est; tametsi non adeò clarè constet ex solo iure naturæ, quo nixum vtrumque ius prohibet ludum; & Ius ciuile dat repetitionem perditorum vsque ad quinquaginta annos, *l. fin. Cod. eo, & Auth. alearum.* Fatetur autem Syluest. *verb. Ludus, num.* 12. ex illa repetitione, quæ conceditur, restitutionem mandari; licèt addat, hoc tantùm vigere, vbi Leges Imperiales obseruantur; lucrum tamen erogandum pauperibus, secundùm ferè omnes, quia turpe est; & quidem turpe lucrum esse pauperibus reddendum ex præcepto, multi asserunt; licèt alij dicant esse consilium tantùm. 105

Vasqvez

106 VASQVEZ ipse *num.*20. dat hanc primam regulam: Quando lex non prohibet substantiam actus, sed aliquas circumstantias actus, ipse validus est. De solemnitate verò infrà loquitur. Ex quo sanè concedere cogitur, aliquos actus, quia substantialiter vetitos, irritos esse; alioqui substantia actus nihil faceret ad rem. Et hoc saltem credo voluisse Seraph. Doctorem. V. G. in ludis vetitis. Ea enim regula, quam tradit Bonacina *tract. de legib. disp.*1. *quæst.*1. *punct.*7. §.5. actum esse validum per se, etiam substantialiter vetitum, dummodo lex illum non irritet, quam trahit post Reginaldum *lib.*13. *num.*185. Salam *tract. de legib. disp.*16. *sect.*8. *num.*26. & 27. Suarez *de legib. lib.*3. *cap.*25. 27. & 28. & alios, mihi non probatur.

107 HINC sequitur, actus, qui prohibentur ratione loci, temporis, &c. non esse ipso facto irritos; similiter nec actus, qui prohibentur alicui certæ personæ, non intuitu iustitiæ, sed religionis, liberalitatis, &c. non esse irritos; sicuti sunt contractus, qui Clericis prohibentur, vt indecentes.

ALIAM regulam habet Vasquez *num.*25. Cùm aliqua lex prohibet contractum non simpliciter; sed pretium iustum assignans, contractum quidem hunc esse validum; excessum tamen restituendum docet.

ALIAM assignat, *num.* 33. Quoties lex prohibet simpliciter actum certo generi personarum, vt assignet legitimum Authorem illius actus, contra legem, nullus est talis vbique terrarum inueniendus: Tales sunt leges testamentorum, quæ assignant personas, quæ testari valent, testes legitimos, partem, quæ cuique contingit, & similia.

108 ALIAM quoque habet *num.*36. Quoties lex aliqua præscribit certum numerum testimoniorum, vel tractatuum pro forma contractus, etiamsi tantùm prohibet, nec addat Decretum irritans, inualidus est; quia solemnitas illa datur pro forma contractus; Hæc tunc vera sunt, etiam in foro conscientiæ. Ratio est; quia res absque forma non stat. Vide Bonacinam *disp.*1. *quæst.*1. *p.*7. §.5. *proposit.*3. maximè verò, quando ita iudicatur exteriori fundamento, Vasq. *num. vlt.* ait, hæc vera esse.

VERVM enim verò difficile est admodum internoscere, quando nam lex, prohibens substantiam actus, præcisè irritet. Et quidem, si ratio Vasquez, & Bonacinæ, *locis allegatis* est valida, oportebit, omnes huiusmodi inualidos esse.

109 PROBATVR ratione illorum. Quidquid est sine propria forma, vel eâ priuatur, remanet destructum; nam forma est *Quod quid esse rei*. Sed contractus, vel alius actus, cuius substantia prohibetur, si fiat, caret propria forma moraliter: caret enim substantia præscripta moraliter: Ergo nullus est.

RESPONDEBVNT, Minorem esse falsam. Quia habet formam contractus; sed vetitam.

CONTRA sic argumentor. Sicut se habet compositum Physicum ad suam formam; ita compositum Morale ad suam, sed compositum Physicum, eo ipso, quòd non habet bonitatem Physicam, neque habet entitatem. Quia ens, & bonum conuertuntur: Ergo & compositum morale legitimum, eo ipso, quòd caret bonitate morali, caret & entitate moraliter subsistente.

Non video autem apud aduersos Theologos aliquem actum substantialiter vetitum, & validum.

QVÆSTIO VII.

An possit LEX HVMANA *cogere ad pœnam ipso facto.*

DVo sunt effectus legis; nempè *Directiuus*, seu *Præceptiuus*; & *Constitutiuus* ad pœnas. De altero actum est suprà: Nunc agendum de vi coactiua ad pœnas, quæ necessariò consequitur, qui enim vim non haberet cogendi pœnis, inutiliter præciperet; imò vim non haberet Præceptiuam. 110

EST autem duplex pœnæ incursio. Alia lata à iure ipso facto; alia infligenda. Hîc quæritur: an possit lex damnare ipso facto, ita vt statim Reus teneatur pœnam subire ante iudicis sententiam.

PRIMA opinio est Caiet. 2.2. *quæst.*62. *art.*3. & *in Sum. verb. Pœna*, quem sequitur Simancas *de Instit. Cathol. tit.*9. *à num.*191. Bannes 2.2. *quæst.* 12. *art.*2. *ad* 2. & alij, præcipuè Thomistæ plurimi apud Salam *de legib. disp.*15. *sect.*2. *num.*38. nullam legem obligare ad subeundam pœnam, quæ non possit sibiri absque rei actione aliqua, vt si exigat solutionem pecuniæ, &c. Sed tantùm, si pœna executioni mandatur absque actione, vt si inhabilem reddat ad aliquid.

SECVNDA opinio est Dominici Soti *lib.*1. *de iust. & iur. quæst.*2. *art.*6. vbi docet, nullam sententiam pœnalem obligare posse ad eam subeundam ante iudicis sententiam, siue actionem in exequutione requirat, siue non; sed solùm quando est Censura, aut Irregularitas. Ex quo deducit tamen, teneri subire priuationem vocis actiuæ ipso facto, ante iudicis declarationem. In quo notant Vasquez *disp.*168. *num.*4. & Villalob. *in sum. tom.*1. *tract.*2. *dub.*25. *num.*4. Sotum solitarium nullum inuenisse fautorem. In quo tamen hi decipiuntur, vt notat Diana *tom.*1. *tract.*8. *resol.*24. Nam idem sentiunt Granado *p.*2. *controu.*7. *tract.* 3. *p.*1. *disp.* 13. *sect.*2. *num.* 15. Ledes. 2. *p. quæst.*19. *art.*2. Sosa *in explicatione Bullæ Clement.VIII. De larg. muner.* §.9. Episc. Antuerpiæ Malder. *p.*2. *quæst.*96. *art.*4. *m.*4. *fol.*401. Molina *de iust. tract.*2. *disp.*96. *num.*8. qui Vasquesium præcessit. Idem nouissimè docet Castellin. *tract. de elect. canonica Prælat.* §.6. *num.*20. aliique apud ipsum; quàm opinionem probabilem credit Diana *tract.*4. *cap.*15. *num.*5. Sanchez *de Matrim. lib.*9. *disp.*30. *num.*2. 111

TERTIA sententia est, posse legem humanam cogere ad pœnam subeundam ante iudicis sententiam. Ità Molina *loco cit.* vbi dicit, esse communem Theologorum, & Iurisperitorum. Salas *loco cit.* vbi refert quadraginta tres pro hac sententia Doctores. Vasquez *disp. allegata, cap.*2. vbi refert Alphons. de Castro *lib.*2. *de lege pœn. cap.*5. Cordubam *lib.* 1. *quæst.*36. Nauar. *in sum. cap.*23. & 25. Couarru. 2. *p. de Matrim. cap.*6. § 8. *num.*10. Syluest. *in Sum. verb. Assassinus.* Idem sentit Reginald. *lib.*13. *num.*178. & 84. Sanchez *lib.*2. *Decal. cap.*22. Bartol. Bald. & alij apud Suar. *lib.*5. *cap.*5. *num.*11 Bonac. *Tract. de legib. disput.*1. *quæst.*1. *p.*7. §.2. *num.*8. Caspens. *disp.*3. *sect.*1. 112

ADDIT verò Diana *loco cit. resol.*23. referens Layman. *loc. cit. num.*3. & alios apud ipsum, & Malder. *p.*2 *quæst.*97. *m.*4. & communiter, non teneri eam sententiam subire; in qua actio Rei in exequutione requiritur, nisi clarè de voluntate Legislatoris constet.

Addit secundò Diana *resol.*24. cum Bonac. *loc. cit. num.*10.

*num.*10. non teneri etiam ad eam pœnam, quæ non dicit actionem; sed meram inhabilitatem. V. G. ad electionem, quando infamiam incurreret.

113 Quid senserit hac in re Seraph. Doctor, non admodum clarè inuenio; parum enim de legibus scripsit; attamen pro tertia sententia eum stantem arbitror.

Primo quidem, censuras posse ipso facto cogere, asserit *in* 4. *dist.*18. *p.*2. *quæst.*2. *fund.*2. vbi percussorem Clerici, ipso facto excommunicatum notat; non laici sæcularis. Qui tamen laici sæcularibus percussor excommunicatur alibi ipso facto, vt habetur *in* 6. *Decretal. lib.*1. *tit.*6. *cap.*12. & *lib.*3. *tit.*24. *cap.*3. Deinde *quæst. vlt. eiusdem dist. ad argumenta*, ait; pœnitentem in foro conscientiæ cogendum ad soluendas expensas, seu pœnas pecuniarias iuxta canones, vt notat etiam Couarru. 2. *p. de Matrim. cap.*6. §.8. *num.*16. Alphons. de Castro *l.*2. *de lege pœn. cap.*1. Sot. 1. *de iust. quæst.*6. *art.*6. *ad* 4. Cordub. *lib.*1. *quæst.*37. Vasquez *num.*17. qui aliquas referunt Regni Hisp. leges. Idem Vasquez *cap.*4. refert leges Ecclesiast. idem statuentes. *in* 4. *dist.*37. *quæst. vlt.* id asserit referens impedimenta matrimonij, quæ infliguntur, vt pœnæ. Quale est impedimentum, quod dicitur *Vxoricidium*, quod habetur *in cap. si quis viuente* 31. *quæst.*1. *& in cap.*1. *& in cap. Super hoc, de eo, qui dixit, quam polluit per adulterium.* Vbi idem decernitur *toto illo tit. de imped. adult.* viuente coniuge cum spe matrimonij cum adultero; propter quæ sanè impedimenta ipso facto, ante sententiam, irritari matrimonium, communem fuisse sententiam Scholasticorum, ait Vasquez *num.*10. non reluctante ipso Scoto *in* 4. *dist.*31. 36. *&* 37. Eandem legem de impedimento adulterij refert S.Bonau. *in Confess. particula* 27. Et est Concilij Elibertini.

114 Assero primò, legem posse cogere delinquentem ipso facto patrato, ad pœnam, quæ in sola priuatione consistit.

Probatvr primò à Vasquez *num.*10. ex pœnalibus impedimentis, & inhabilitatibus appositis ab Ecclesia ipsi matrimonio, ob culpam, quæ iustè apponi definit Concil. Tridentinum *sess.*24. *can.*2. *&* 3. & nos ostendimus ex Decretis cum D. Bonau. *loco citato.*

Probatvr secundò. Quia pœna excommunicationis, suspensionis, irregularitatis ipso facto incurritur, vt notat suprà Doctor Seraph. Cur ergo & aliæ pœnæ inhabilitatis non incurrantur? Et quidem excommunicatus, ipso facto, priuatus manet voce passiua, vt statutum est in cap. *Postulatis*, §. *De clerico excommunicato celebrante, & cap. Cum inter, de elect.* Similiter priuatus remanet voce Actiua, vt habet *in cap. Diuersitatem de concess. prabend.* & *in cap. Tanta, de excess. Prælat.* & *in cap. Si ad Episcopum*, §.1. *ne sede vacante, &c. in* 6.

Sotvs respondet, disparem esse rationem. Nam excommunicatus, dum voce actiua priuatur, bonis communibus tantùm Ecclesiæ priuatur; at verò hîc in electione ad Cathedram, vel similia, iure proprio priuatur; ideò nihil mirum, si iudicis exigitur sententia.

Hæc tamen responsio inanis est. Nam & Scholasticus, in communitate Collegiali degens, priuatur bono communi, & aliis, licèt adeptis non ex se; sed à Collegio.

115 Assero secundò, legem cogere posse ad pœnam, quæ postulat excommunicationem.

Probatvr à Vasquez *cap.*3. ratione D.Bonau. *in* 4. suprà *citato loco*, vbi notat, fuisse leges, quæ expensarum solutiones imponerent; è quibus plures post tempus D. Bonauenturæ, refert Vasquez ex aliis, *cap.*4.

Rationes Caiet. & Soti sunt parui momenti, & eliduntur facilè à Vasquez, *cap.*5.

Aduertit autem *num.*8. Vasquez in sententia Castri, omnes leges de quauis grauissima materia posse ferri adimplendas quoad pœnas, ante iudicis sententiam. Ipse verò docet, eas tantùm, quæ à solo iudice non est æquum infligi, posse cogere ante iudicis sententiam, quæ Regula mihi non probatur. Leges enim non habent rationem legis, nisi iustæ sint, & supponunt, iudicem secundùm eas iudicare, non autem se solo.

Mihi magis placet Regula Nauar. *loco cit.* tunc tantùm nobis pœnas nostro dictamine subeundas, quando non sunt è grauioribus; nam asperum esset nimis cogere ante iudicis examen, & sententiam ad pœnam mortis, & alias adeundas. De his, quæstionibus sequentibus aliqua dicam.

Hinc nimis seuerè Castro, omnes pœnas, etiam grauiores, subeundas asserit. Cæteri verò authores, qui indefinitè loquuntur, non benè à Vasquez trahuntur ad Castrum. Caspens. verò *disp.*5. *sect.*2. asserit, de pœnis, quæ prohibent ius acquirendum; cæteras verò non contrahi ante sententiam opinatur.

Oportet autem videre, quæ formula verborum cogat ad pœnas statim subeundas. 116

Primo quidem ad pœnas subeundas, quæ exigunt actionem Rei, non satis esse declarationem aliquam, etiamsi clarè dicat, incurri pœnam tali modo subeundam, aiunt Salas *disp.*15. *sect.*3. *num.*46. Sà *verb. Pœna*, Graff. *p.*1. *decis. lib.*2. *cap.*11. Perez *lib.*2. *ordinat. tit.*9. Sanchez *lib.*2. *cap.*22. Nauar. *in Manual. cap.*27. *num.*150. Clau. Regia *lib.*3. *cap.*9. Suar. *lib.*5. *cap.*8. apud quem fauet Innocent. *cap. Cum nos tuis, de concess. preben.* Decius *in cap.*1. *de constit. lib.*1. Felin. *in cap. A nobis*, Bald. *l.*2. *cap. de Vectigal.* & alij. Rodriq. *p.*1. *cap.*195. Vasquez *cap.*4. *num.*25. cum Couarru. 2. *p. de matrimonio*, *cap.*6. §.8. & alij, qui dicunt, priuationem officij, vel beneficij, vel etiam aliorum bonorum magni momenti, quæ quis possidet, non incurri ante sententiam declaratoriam, quamuis in lege dicatur pœnam huiusmodi incurri ipso facto, absque alia declaratione. Ratio horum est; quia esset nimia seueritas cogere ad se prodendum, & alioqui lex habet effectum, vt dicam.

Alii verò dicunt, sufficere, si Legislator clarè exponat, ità se velle. Sic apud Suarez *lib.*5. *cap.*8. communiter Legistæ authores tertiæ sententiæ, ex quibus Syluest. *verb. Assassinus*, ait, id exprimi, idque aliter, quàm si dicatur pœna, incurri ipso facto, absque alia declaratione. Ita Bonac. *tract. de legib. disp.*1. *quæst.*1. *p.*7. §.12. *num.*9. At Nauar. ait, *in sum. cap.*23. *num.*61. & Cordub. *lib.*1. *quæst.*36. sufficere, si lex dicat, eam incurri ipso facto. 117

Probat ipse primò; quia *in cap.* Licet. *de elect. in* 6. vbi statuitur, eum, qui promouetur ad beneficium, aut curatum, debere infra annum ad presbyteratum assumi; alioqui sit ipso facto priuatus beneficio. Deinde in Concil. Trident. *sess.*23. *Decreto de reform. cap.*2. statuitur, vt electus in Episcopum, si intra sex menses non consecretur, sit ipso facto Episcopatu priuatus, quas leges ante sententiam obligare, asserit etiam Nauar. *in sum. cap.*25. *num.*117. idque semper, ait, fuisse obseruatum.

Hæc ità se habere fatetur Vasquez *num.*28. attamen non ex vi legis humanæ, sed Naturalis, quæ exigit, vt qui habet beneficium, possit fungi officio Parochi. Et Episcopus officio Episcopi; & quia id non statim potest fieri, dantur induciæ rationabiles, quibus

quibus elapsis, cessat titulus legitimus; atque adeò naturaliter priuantur beneficio, & Episcopatu, qui naturaliter exigunt titulum.

118 QVOAD pœnas verò Censurarum, & Irregularitatum, quæ inhabilitates spirituales sunt, & actionem Rei non exigunt, omnes ferè dicunt, eas incurri ante iudicis sententiam, si apponatur *ipso iure*, *vel facto*, *vel eo ipso*. Ita Suarez. *loco cit. cap.*8. Sotus 1. *de iust. quæst.*6. *art.*6. *concl.*2. Nauar. *cap.*23. *num.*67. Valentia *tom.*2. *disp.*7. *quæst.*5. *puncto* 6. Clauis Reg. *lib.*3. *cap.*9. *num* 23. Salas, & alij communiter relati à Bonac. *puncto cit. num.*9. Quoad alias verò inhabilitates communiter dicunt, si dicatur incurri: *ipso facto*, eas aliquid efficere, quia alioqui hæc verba frustra ponerentur in legibus, & nihil differret pœna inflicta, à comminata; efficiunt autem, vt necessaria non sit sententia diffinitiua, sed declaratoria, *l. Eius qui, ff. de iure Fisci*, per quam declarationem Reus ità luat pœnam, ac si statim patrato delicto, pœna exequutioni mandata fuisset, quia retrahuntur, *l. vlt. cap. Ad legem Iul. Maiest.* Tandem leges, quæ

119 feruntur his formulis, *transgressor puniatur priuatione, vel sub pœna, sub interminatione, sub interpositione*, certum est, non cogere ante iudicis sententiam. De his fusè Castro 2. *lib. de lege pœnali*, *cap.*1. Si verò dicat: *Subiaceat*, *incidat*, quibus verbis non includitur ministerium honoris, tunc ait Vasquez *disp.*172. *num.*6. denotari pœnam ipso facto, quod non videtur certum. Potiùs assertorium verbum substantiuum *sum* cum nominibus passiuis, vt *sit excommunicatus, inhabilis*, id signat: sed cum neque sint clara cum Castro *loco cit.* in benigniorem sensum sunt exponenda.

Secundò, vt Reus, positâ sententiâ, teneatur in priuatione bonorum, fructus Fisco restituere.

Tertiò, vt hæredes conueniri possint ad persoluendum Fisco pœnam realem, iure impositam.

QVÆSTIO VIII.

An inter Leges, cogentes ipso facto pœnam subire, computetur pœna confiscationis omnium bonorum.

120 QVÆRITVR hic de pœna spoliationis omnium bonorum: An, si in lege imponatur *ipso facto* absque alia declaratione, sicuti imponitur hæreticis, non modò iure Ecclesiastico, sed etiam ciuili; vt habetur *in cap. Cùm secundùm leges de hæret. in 6.* vbi dicitur, eandem ob alia etiam crimina esse impositam, vt, ob læsam maiestatem.

Suppono autem ex Vasquez *disp.*169. confiscationem non posse fieri omnium bonorum simpliciter. Quæ autem bona Fisco sint obnoxia, quæ verò non, Vide apud ipsum.

FVIT opinio Felini *in cap.*1. *de constit. à num.*44. Antonij Gomez *tom.*3. *opusc. cap.*2. *num.*5. Alphonsi de Castro *lib.*2. *de iusta hæret. punit. cap.*6. & *lib.*2. *de lege pœnali*, *à cap.*8. pœnam hanc subeundam ante iudicis sententiam.

121 SECVNDA sententia, est huiusmodi leges priuare quidem dominio bonorum ante iudicis sententiam, non tamen possessione; & ideò posse hæreticum possidere sua bona, nec teneri dare ea fisco. Ità Caiet. 2.2. *quæst.*62. *art.*3. Conrad. *lib.*1. *de contract. quæst.*7. *concl.*2. & 3. Ioan. Medina *cap. de restitut. quæst.*1. & alij Recentiores, eamque probabilem dicit Corduba *lib.*1. *quæst.*36. *opinione* 1. Less. *lib.*2. *cap.*2. *dub.*2. Ex Iurisperitis verò Abb. *in cap. Excommunicamus de hæret.* Dominicus *in præparatione, cap. cum secundùm leges de hæret. in 6.* Gregor Lupus *in legem quartam, tit.*2. *partita* 3. Citantur à Bonac. *tract. de contract. disp.*3. *quæst.*8. *punct. vlt.* pro hac sententia Gregor. de Valentia *tom.*3. *disp.*7. *quæst.*5. *punct.*6. *vers. De quo deinde.* Azor. *p.*1. *lib.*8. *cap.*12. *quæsito* 2. & *lib.*5. *cap.*8. *quæsito* 4. Aragon. 2.2. *quæst.*11. *art.*3. Salon. 2.2. *quæst.*62. *art.*3. *controu.*5. Anton Gomez 3. *Variarum, cap.*2. *num.*3. & apud eum Bartol. Imola; & hanc dicit Bonacina esse communem Iurisperitorum.

TERTIA sententia est, Reum, cuius bona sunt publicata, non amittere statim dominium ante sententiam, nec priuari possessione, nec dominio, antequàm per iudicem condemnetur. Ea tamen bona ità manere dedita Fisco ob delictum, vt omnes contractus per sententiam rescindantur à die criminis. Ita Vasquez *disp.*162. *cap.*3. vbi adducit Simancam *tit.*9. *de Cath. Instit. à num.*157. Antonium Gomez *tom.*3. *opusc. cap. vlt.* cùm is anteà primam sententiam, suprà allatam, sequutus fuisset; Victoriam *in Relect.*1. *de Indis Insulanis*, *num.*8. Dominic. Sotum 1. *de iust. & iur. quæst.*6. *art.*6. Adrian. *quodl.* 6. *art.*1. *litt. L.* Angel. *in Sum. verb. Pœna*, Syluest. *eodem tit. quæst* 25. & *verb. hæresis* 1. *quæst.*8. & *verb. Assassinus*, *quæst.*5. Nauar. *in Sum. cap.*23. *num.*66. Idem tenet Bonac. *loco cit.* vbi adducit Molinam *tom.*1. *disp.*95. Henriq. *lib.*15. *de ex om. cap.*56. *num.*2. Vasquez *loco cit.* & *in opusc. cap.*9. *de Testam.* §.4. *d.*5. *num.*143. Sanchez *in sum. lib.*2. *cap.*22. *num.*3. Adde Suarez *lib.*5. *cap.*5. & communiter Thomistas, vt notat Bannes 2.2. *quæst.*11. *art.*2. *dub. vn. concl. vlt. pag.*670. & Bonac. *loco citato.* 122

Ex quibus deducitur, Fiscum, qui adit bona rei ante sententiam, teneri ad restitutionem, etsi delictum sit luce clarius meridiana. Ita Molina *disp.*95. *ad* 3. Sà *verb. Fiscus, num.*2. Aragon. 2.2. *quæst.*11. *art.*3. *ad* 4. Sanch. *loco cit. num.*18. 123

ASSERO primò, probabiliter cum hac sententia, reum ante sententiam non priuari dominio bonorum.

PROBATVR primò *ex l. Quæsitum est is, ff. Qui, & à quibus*, ibi Quæsitum est: *An is, qui læsæ Maiest. crimine Reus factus est, manumittere possit, quoniam ante damnationem dominus est.*

PROBATVR secundò *ex cap. cùm secundùm leges de hæret. in 6.* vbi sententia declaratoria requiritur ad priuandum hæreticum bonis. Quod si hoc requiritur in crimine læsæ Maiest. Diuinæ, multò magis in humanæ læsione exigetur, vt inferunt Syluest. & Suarez. In eadem verò lege habetur, bona hæretici esse ipso iure confiscata, non quia statim translatum maneat dominium; sed quia ex die criminis manent Fisco obligata, vt latâ sententiâ retrotrahetur confiscatio ad eam diem, vt notat Sanchez *num.*5. & quamuis Pontifex in ea lege præmittat, iure Ciuili publicari bona ob incestas nuptias, & deferentes arma Saracenis, & ob id eos perdere dominium suorum bonorum; & inde arguat, id multò magis in crimine hæresis verum esse; nihil tamen concutit nos; loquitur enim de dominio imperfecto, quatenus ea bona manent Fisco obligata sub conditione, si proferatur sententia. Sæpè enim Dominus alicuius rei dicitur, qui habet ius ad eam consequendam. Qui enim actionem ad rem recuperandam habet, rem ipsam habere videtur, *l. Qui actionem*, *ff. de Reg. iur.* Ità docet Simancas *tit.*9. *num.*241. Molina, & Sanchez suprà citati. Reliqua apud ipsos vide, quæ facilia sunt. 124

ASSERO secundò, non teneri Reum, bona Fisco differre ante iudicis sententiam, sequitur ex dictis, eamque

eamque tuentur cum Sanchez *lib.2. cap.22.* ibi quadraginta ferè Doctores allegati.

Ratio eorum est; quia nimis crudelis videretur lex facere hominem executorem omnimodæ spoliationis suorum bonorum. Imò etiam post latam sententiam non videtur æquum, ipsum Reum ad fiscum positiuè ea deferre.

125 Ex his etiam sequitur, contractus initos à tempore criminis, ad vsque sententiam esse validos. Ita Sanchez *lib.2.cap. Non.quæst.3.num.*50. adducens Bannem 2.2. *quæst.*12. *art.*2. Vasquez 1.2. *quæst.*69. *art.*5. & *disput.*171. *cap.*2. Azor. *tom.*1. *lib.*5.*cap.*7. *quæsit.*7. Ratio est, quia adhuc retinet dominium. Hi tamen contractus rescinduntur per sententiam à die criminis patrati. Et ideò Reus interim, volens vendere, tenetur admonere Emptorem de statu suorum bonorum. Vide Vasquez *disput.*171. & Sanchez *loco citato*, & *sequentibus*.

QVÆSTIO IX.

Vtrum omnis LEX *pœnalis obliget Reum ad pœnæ exequutionem post sententiam Iudicis.*

126 SVPPONO cum D.Bonau. *in speculo animæ*, *cap.*4. circa finem, inordinationem in pœnis debitis euitandis, esse concupiscentiam malè affectam.

PRIMA opinio est Couar. *p.*1. *de matrim. cap.*6. §.8. *num.*10. & *lib.*1. *Variar. cap.*2. *num.*2. negantis, Reum teneri ad cooperandum. Itaque neque tenebitur in exilium abire nec, soluere pecuniam, nisi exigatur. Refert Caietanum Adrianus, sed malè. Idem tamen sentit Decius apud Suarez *lib.*5. *cap.*10.

SECVNDA opinio est Caietani 2.2. *quæst.*64. *art.*4. Soti *lib.*1. *de iust. quæst.*6. *art.*6. Castr. *lib.*2. *de lege pœnali*, *cap.*4. pœnas vitæ, mutilationis, aut infamiæ non cogere Reum ad earum exequutionem; sed tantùm pœnas faciliores exilij, mulctæ, &c. Vide Suarez *loco citato*. Ità etiam Caspens. *disput.*5. *sect.*3.

TERTIA sententia est Cordubæ *lib.* 1. *quæst.* 36. *ad* 3. *secunda opinionis*, teneri Reum ad omnem pœnam, etiam mortis, iuguli, veneni, &c. Et quidem etiam Victoria *in Relect. de homicid. num.*30. probabile dicit, teneri Reum ad pœnam iugulationis; probabiliùs verò, ad potionem veneni non cogi.

127 VASQVEZ *disput.* 173. putat primò, teneri ad mulctæ, & exilij pœnas subeundas, antequam cogatur. Secundò teneri aliquas pœnas corporales adire, vt flagellationem, abstinentiam, &c. Pœnas verò iugulationis, suspendij, veneni, famis vsque ad mortem, & his similes, iniquè imponendas; & ideò non cogere Reum, qui pœnis solùm humanis tenetur, vt docet D. Thom. 2.2. *quæst.*156. *art.*2. Et in nulla adhuc Barbarorum Repub. id visum est præcipi aliquâ lege: Posse tamen, ait, præcipi, vt Reus scalam ascendat, collum in laqueum immittat, &c.

Addit, posse Reum, cui optio detur pœnæ grauissimæ, aut secandi sibi venam, vel veneno periendi; has leuiores eligere; dummodò à Iudice legitimo detur alternatiua, & iustè damnetur; si verò ex falsa præsumptione damnetur, sed tamen secundùm allegata, & probata, tunc ait; si publicè imponantur pœnæ flagellorum, ieiunij, tunc teneri ad exemplum aliorum, vt in Religionibus; non autem, si imponantur secretò exequendæ; quia ad sui correptionem his non indiget; pœnam verò mortis, non posse ab innocente exequi, ait.

128 ASSERO primò, non posse præcipi Reo, vt iugulum sibi confodiat, vel propinet venenum, aut mortem quouis modo inferat.

PROBATVR; quia hoc natura refugit rationalis, & horrorem, solùm audienti incutit, neque à Barbaris vsquam lege tentatum inuenitur, nec posset; quia lex, crudelitatem redolens, non est lex, vt ait S. Thom. *loco citato*.

ASSERO secundò, pœnas aliqnas pecuniæ, aut exilij, cogere Reum ad eas subeundas propria actione.

PROBATVR. Quia hæc nihil redolent iniquitatis, & ridiculum videtur, iustè damnatum exilio, expectare iudicis Rhedam, aut nouum pecuniæ ereptorem.

ASSERO tertiò, Non omninò iniquum esse præcipi Reo, vt scandat scalam, & collum gladio, vel funi flectat, vt suprà.

QVÆSTIO X.

An, & quomodo liceat declinare sententiam latam.

SVPPONO, damnatum morte, etiam ex sola præsumptione, non posse effugere grauiter offendendo ministros Iustitiæ. Ità D. Thom. 2. 2. *quæst.*69. *art.*4. quia ex parte iustitiæ est iustum bellum: Ergo non potest ex parte Rei esse iustum: non enim ex vtraque parte potest esse iustum, vt notat D.Thom. nisi ignorantia excuset. 129

DICVNT aliqui, iniustè damnatum morte, posse insurgere etiam armis contra iudicem, & ministros iniustitiæ conscios, eos occidendo, si sit necesse ad sui defensionem; non verò; si ministri ignorent. Idem dicunt, si infamia è condemnatione sequatur. Sed hoc damnatur à SS. Alex. VII. Si verò sit iusta sententia, fugere potest. Hoc Vasquez *disp.* 174. *num.*5. cum Caiet. 2.2. *quæst.*69. *art.*4. *ad secundum dub.* multis inuoluit distinctionibus. Vide ipsum, & Bonacinam *de legib. disp.*10. *quæst.*3. *punct.*2. *à num.*13. vbi alios refert. Et quidem à pœna mortis, & perpetui carceris ita se posse eximere, certum est: Similiter de Triremibus diuturnis. Addunt aliqui etiam de carcere ad tempus.

HINC ipse deducit, eum, qui licitè potest fugere, posse etiam carceres frangere; quia cui licitus est finis, licita sunt etiam media. 130

LICERE quoque subministrare Reo instrumenta ad carcerem frangendum, hinc deducit, quod plures tuentur cum Diana *p.*3. *tract.*5. Miscell. *Resol.*101. Vide etiam Bonac. *loc. cit.* Sed de his latiùs 2.2. *tract. de Iustitia*, *disput. de Reo*.

Addit Diana, non teneri ad restitutionem damni, ob muros carceris dirutos, &c.

QVÆSTIO XI.

Quid seruandum in Legibus Vectigalium.

HÆc quæstio grauis admodum est, & seriò pertractanda, quàm hîc sanè cum pœnalibus legibus commisceo; licèt hæc verè pœnalia non sint, cùm non absque culpa ligent subditos ad soluendum.

SVPPONO primò, Vectigal olim significasse tantùm portorium, quod ex rerum vectione debebatur; nunc autem significare omnes publicos redditus, & priuatos, *l. Vectigalia*, & obseruat Nauar. *de lege pœnali*, *in calce*.

SVPPONO

131 SVPPONO secundò, vectigalium, & triburorum plura esse genera. Aliud est Reale, quod persoluitur pro rebus immobilibus, & fructibus earum; & dicuntur etiam Pensiones, & Decimæ. Secundum Personale, quod pro persona soluitur, & dicitur etiam Census. Tertium, quod pro rebus, & personis, diciturque Gabella. Sunt etiam alia super operibus, & dicuntur Angariæ. Vide Suarez *lib.5. cap.13.* Sunt etiam Guida, quæ & Pedagia dicuntur ratione viarum. Vide quoque Lessium *cap.33. de Vectigalib.* & Nauar. *loc. cit.* & Syluestrum *verb. Gabella.*

SVPPONO tertio, ex Seraph. Doctore *ad 3. Lucæ*, aliquas conditiones requiri, vt Vectigalia sint iusta, atque adeò soluenda. Primò, vt imponantur ab habente potestatem, qui sunt Imperator; non Ciuitas eius absque licentia, *C. Noua vectigal. institui, l.2. & 3.* Reges, vt Rex Romanorum, Rex Franciæ, & alij Principes supremi. Vide Syluest. *quæst.2. num.2.* Respublicæ, maximè coronatæ Regnis, qualis est Nostra Serenissima.

132 SECVNDO requiritur, vt imponantur iusta de causa; alioqui erit rapina, vt notat D.Bonau. in speculo animæ *cap.2.* quem sequuntur Raymund. Syluest. & communiter omnes.

TERTIO requiritur, vt sint circa materiam conuenientem, nempè circa res determinatas, capaces, & circa personas, non Ecclesiasticas, & circa hæc obseruetur proportio debita in causa materiali.

QVARTO, vt imponantur secundùm proportionem, & quoad causam formalem; nempè secundùm necessitatem, non secundùm aliquorum auaritiam. Ita D.Bonau. *loco cit.* & alij.

ADVERTIT etiam Seraph. Doctor *loco cit.* id maximè in nouis vectigalibus euenire, quæ sæpe iniustè imponuntur, *cap. Quamquam de censib. in 6. & cap. Super quibusdam, de verb. signif. & C. allegato.* Ideò debet nobis è certa scientia innotescere, ea vectigalia esse iusta, tametsi de antiquis sufficiat probabilitas, vt notat Syluester *loco citato.*

133 SVPPONO quartò, subditos teneri soluere vectigalia ex iure Diuino, Matth.22. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Et id monet Apostol. Rom.13. *Reddite omnibus debita: cui vectigal, vectigal: cui tributum, tributum.* Et 1. Timot. vlt. vbi oppositum docentes, damnat. Ità D. Bonauent. *in 2. distinct. 44. artic.3. quæst.1.*

Circa quæ oritur Quæstio: An teneamur in conscientia ad soluenda vectigalia.

PRIMA opinio est negatiua, & ita docet licere, illa negare tergiuersando, & abscondendo, nisi petantur cum iuramento à Publicanis. Beda *in respons. casu 13. p.1.* Duard. *in Bulla Cœnæ, lib.2. can.25. quæst.12.* Angel. Nauar. Tabiena, Medic. Henric. Soto, & alij relati à Suarez *lib.5. cap.18.* & Lessio *lib.2. cap.33. disp.8.* Bonac. *de contract. disput.2. quæst.9. punct.1.* Diana *tom.1. tract. 10. resol. 19.* Ideò Malder. 2.2. *tract.5. cap.6. d.15.* fraudantes vectigalia, docet eos absolui posse, nec cogendos ad restitutionem.

134 SECVNDA opinio est, teneri ad ea, quæ antiqua sunt, certa, & notoriè iusta, non ad noua, incerta, an sint iusta. Ita Gabr. Syluest. Caiet. Driedo, Armilla, Aragon. Corduba, Medina, & Alij apud Suarez, & Less. citatos. Et qui dixere *quæst.2.* legem pœnalem non obligare in conscientia.

TERTIA sententia tenet, obligari in conscientia ad huiusmodi tributa soluenda. Ita multi cum Suarez, & Lessio *locis adductis.* Vasquez *disp.159. cap.2.* & expressè D.Bonau. *loco adducto in 2. sent.* & alij sexdecim Doctores, adducti à Diana *loco cit.* quos ipse sequitur, illique adducti *quæst.2.* Dicentes enim leges pœnales cogere in conscientia, id ipsum hîc tenentur dicere.

ASSERO cum hac sententia, subditos obligari in 135
conscientia ad Vectigalia soluenda.

PROBATVR primò à D. Bonau. *ibi* ex sententia præceptiua Christi, Matth.22. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.*

SECVNDO *ex Rom.13.* vbi Apostol. prælibat, obediendum Principibus hac ratione. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas, nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideò enim & tributa præstatis: Ministri enim Dei sunt. Reddite ergò omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal,* &c. Nihil clariùs poterat dici in fauorem huius debiti.

TERTIO 1. Timoth. vlt. *Quicunque sunt sub iugo* 136
serui, Dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur. Deinde subdit: *Hæc doce, & hortare. Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini Iesu Christi, & ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ; superbus est,* &c. Vbi innuit, ex lege Christi *Matth. 22.* id haberi, & damnandos, vt inobedientes, legisque Christi transgressores. Hinc Alphons. de Castro *de lege pœnali arguit* cum D.Bonau. *loco cit.* Quicunque iustè debet aliquid, sub obtestatione æternæ damnationis, tenetur id soluere sub pœna peccati, & restitutionis. At tributa hoc modo debentur, ex testimoniis Christi, & Apostoli: Ergo.

SECVNDA ratio innuitur à D.Bonau. præcipuè *ad argumenta.* Quia ordinati sunt Principes, vt tanquam Dei ministri, & operarij incumbant Reipublicæ saluti, & paci, vt habetur, *cap. si tributum, & cap. Magnum*; & declarant etiam D. Thom. & alij, nec est Catholicus, qui hæc neget. Ergo sicut negans mercedem operario, peccat mortaliter; ità qui Principi negat vectigalia, quibus secundùm suum statum subsistat, non minùs peccat.

His mediis vtitur Castro ad hoc conuincendum. Quibus allatis non respondit Nauar. sed quæstionem reliquit detruncatam, nec aliquid solidi præponderans pro se affert.

Coniecturas solùm aliquas affert, quòd hoc durum est, & quòd Doctores in confessionibus non vrgent pœnitentes ad has restitutiones; sed hæc leuia sunt.

Monendi tamen sunt Principes, ne iniqua vecti- 137
galia imponant, ne in *Bullam Cœnæ* labantur. Si verò dubium sit: an iustè imponantur, consule viros sapientes. Videndum autem præcipuè: an excedant vires, vel pretia rerum. Vide Suarez *lib.5. cap.18.* Videndum: an sint ad bonum publicum, puta ad bellum iustum tuendum, ad vias, vel pontes sarciendos, &c.

OPTIMAM autem Regulam deducit Seraphicus *ad 3. Lucæ*, ex illis verbis Ioan. quibus instruxit Publicanos, qui interrogarunt: *Magister, quid faciemus?* Respondit: *Nihil ampliùs, quàm quod constitutum est vobis, faciatis.* Constitutum, nempè secundùm legem Dei, & charitatis. Et ideò ad hoc, quòd tributa debitè exigantur, requiritur debita authoritas, Debita causa, & Debita mensura; & hoc notat, cum dixit: *Nihil ampliùs:* Ecce mensura. *Quàm quod constitutum est:* Ecce auctoritas: *Vobis,* idest, ad vtilitatem communitatis: Ecce causa. Igitur mensura sumenda est ex lege Diuina, & Naturali, vt scilicet considerentur primò, quæ necessaria sunt, cuique ad sustentatio

sustentationem, iure Naturæ, & Diuino concessa, neque subditi expilentur, vt nudi maneant, vel excorientur, vt spectaculo sint.

138 Hinc deducit Caietanus *verb. Vectigal*, iniustam esse gabellam, quæ imponitur rebus ad proprios vsus necessariis, nimirum carnibus, piscibus, oleo, frumento. Hanc sententiam sequitur Zanard. *in suo Directorio, p.2. cap.12. in exposit. septimi precepti*, Medina *p.2. quæst.6. art.4.* Sotus *de iust. lib.2. quæst.6. art. 7.* Tolet. *lib.5. cap.73.* Angel. *verb. Pelagium*, Sayrus *de censur.lib.3.cap.9.* Bertazol. *vol.1.consil.207.* Roland. *vol.3. consil. 42.* Decius *consil.96.* & Alij. Glossa, & Hostiens. *in cap. super quibusdam.* Sequitur Pisan. *Sum. Confess.* & Driedo *lib.2. de libert. Christiana, cap.5.* qui addit, hæc tributa vetita esse iure Ciuili, & Canonico: & ità imponentes incurrere Bullam Cœnæ. Ità etiam Tolet. *lib.5. summæ, num.1.* Licet *num.20. limitet, cap.79.* Inclinat Soto *lib.3. de iust. quæst.6. art.7.* Ledesma *2. p. quæst.18. art.3.* Hinc deducunt, non esse negandam absolutionem fraudantibus hæc vectigalia, quod probabile putat Diana *tom. 2. tractat. 17. Resolut. 28.* & fuit antiquorum opinio.

139 Oppositvm quidem tenent Molina *tom.3. disput.669.* Suarez *de legib. lib.5. cap.15.* Vasquez *opusc. de restit. cap.6. §.3. dub.1.* Azor. *p.3. lib.5. cap.21. quæsit.1.* Malder. *2.2. tract.5. cap.6. dubij*; Ioan. de la Cruz *in Director. conscient. p.1. precep.7. art.3. d.1. concl.1.* Turrian. *2.2. tit.2. disput.14. dub.3. num.2.* & alij.

Ratio eorum est; quia tales Gabellæ vetitæ sunt, solo iure ciuili, *l. Vniuersi, & l. Omnium, C. de Vectigal*; & *l.5. tit.7. partita 5.* Ius autem ciuile consuetudine abrogatur. Ideò eam sequuntur etiam D. Antonin. *2.p. quæst.18. tit.1. cap.4. §. vlt.* Gabr. *in 4. d.15. quæst.5. art.2.* Syluest. *verb. Gabella, quæst.5.* Angel. verb. *Pelagium*, Medina *C. de restitut.quæst.15.* Nauar. *cap.18. num.202.* Less. *cap.33. de Vectigalib. disput.1.*

140 Assero primò, probabilem esse opinionem Caietani.

Probatvr primò ad hominem contra Suarez. Nam lex, grauissimam pœnam capitis imponens, prohibet iniustum ex natura rei grauissimum. Sed *l. Vniuersi, C. de Vectigal.* pœnam capitis imponit exigentibus Pedagium de rebus ad proprium vsum, vel gratia iuris colendi, vel ad se defendendum emptis, aut delatis. Ergo id est grauissimè iniquum ex natura rei. Nam lex humana non obligat solùm ex virtute obedientiæ, sed etiam ex propria virtute actus, iuxta materiæ capacitatem, ex ipso Suarez *lib.5. cap.18. num.7.* Ergo, per te, prohibetur iure Canonico. Nam omne iniquum tributum prohibetur, per te, iure illo Canonico, *cap. Quamquam de censib. in 6.*

Probatvr secundò ratione Caietani. Vbi deficit Distributiua iustitia, ibi est iniquitas ex natura rei. Sed in ea Gabella deficit Distributiua iustitia: Ergo. Maior est clara. Minor probatur. Nam per hanc magis grauantur pauperes, quàm diuites. Probatur Minor: nam indigentia est radix vsus, qui enim magis indigent, plus vtuntur; sed pauperes sunt indigentes: Ergo.

141 Respondet Suar. ad Minorem, diuites habere maiorem indigentiam; quia pro eorum statu plura requiruntur.

Contra sumo pauperimum cum numerosa familia: Hic saltem eget pane, vino, oleo, panno ad sui sustentationem. Deinde sumo ditissimum solum. Hic habet omnia necessaria, etiam carnes, altilia, &c.

Respondet Suarez, esse per accidens, diuitem colligere altilia, carnes, &c. sicut & pauperem esse familiâ copiosâ grauatum.

At cùm sit accidentale, etiam diuiti, esse diuitem, & pauperi pauperem, non ob id vitatur iniuria; si pauper in suo statu nimis grauetur.

Deinde diuites habent possessiones, è quibus possident granum, vinum, oleum; habent greges; vnde lanas; habent armenta; vnde carnes; habent moros; vnde Serica, &c. & hoc per se, non verò per accidens.

Assero secundò, probabilem esse etiam oppositam sententiam, dato moderamine Lessij *lib.2.cap.33. d.7.* Reginald. *tom.1. lib.10. cap.25. num.377.* Molfesij *in sum. tom.2. tract.17. cap.22. num.96.* si ob publicas necessitates Principes cogantur, vt sæpe fit, posse vectigalia etiam in victuariis ponere. Secundò si ex communi consensu populi statuitur. Tertiò, quando securitati rerum prædictarum, diuectarum, aliâ viâ prouideri non potest. Quartò, id obtinuit consuetudo immemorabilis. Vide Syluest. *loco cit.* quoad reliqua, quæ obuia sunt. 142

QVÆSTIO XII.

De Interpretatione Legum.

Sapide D. Bonau. *ad cap.2. Reg.* ait: *Scire leges, non est verbum earum tenere, sed vim, & potestatem, ff. de leg.*

Interpretatio, seu declaratio legis, est expositio ipsorum verborum legis, & mentis Legislatoris, vt omnes fatentur cum D. Bonau. *in 4. dist.38. art.2. quæst.3. In resolut.* Triplex autem interpretatio legis assignatur. Prima est *Authentica*, quæ sola fit authoritate, & declaratione Legislatoris, vel successoris, aut superioris, vt habetur *l. vlt. C. de legibus*; vbi omnis interpretatio data legi ab Imperatore, rata, & indubitata definitur. 143

Secvnda est *Vsualis.* Hæc sumitur ex consuetudine, quæ dicitur optima Legum interpres, *cap. cùm dilectus de consuet.* & *l. Si de interpretatione, ff. de legibus.*

Tertia est *Doctrinalis*, quæ non cogit semper; aliquando tamen necessitatem inducit.

E triplici autem capite elicitur Interpretatio legis. Ex *verbis*, Ex *mente Legislatoris*; Et *è ratione.*

De verbis obseruanda est proprietas eorum, *l.1. §. si is, qui nauem, ff. de exercitoria actione.* Et *in l. Prospexit, ff. Qui, & à Quibus.* Probatur. Quia, alioqui nihil esset in legibus certum. Hæc est Regula communis Iuristarum. Vide Tiraquel. *l. si vnquam, §. libertis, num.45.*

Nota verò in lege duplicem proprietatem verborum. Prior dicitur Naturalis, quæ ex prima institutione aliquid significat, vt mors significat priuationem vitæ. Posterior est Ciuilis, quæ ex similitudine extenditur à lege ad aliud significandum. Sic professio, vel exilium dicitur mors Ciuilis. Ita Salas *disp. 21. sect.13. num.27.* & alij apud Bonacinam *disp.1. quæst.1. punct.8. num.1.* 144

Igitvr verba sumenda sunt priori modo, nisi aliud explicetur. Quòd si verba habeant plures sensus, discutienda est mens Legislatoris pro subiecta materia. Ea enim dicitur mens, & anima legis, *cap. Humanæ aures, d.22. quæst.5.* Itaque quando verba sunt ambigua, scrutanda est materia, cum circumstantiis, & ex qua voluntate potuerit oriri, videndum. Ità D. Hilarius

larius *lib.4. de Trinitate.* Licet autem leges interpretari *l. vnica, C. de professorib. l. prima, ff. si certum petatur*; & est commnnis opinio D. Bonau. *loc. cit.* D.Thom. 2.2. *quæst.60. art.5.* & aliorum.

145 QVOAD leges Concil. Trident. videtur Pius IV. *in Extrauag. Benedictus Deus*, sibi, & deputatis à se, eas reseruare. Idem videtur Sixti V. in Bulla. *Immensa aeterni Dei.* Enim verò videtur loqui Pontifex de expositionibus ex professo, & auctoritatiuis, non de expositionibus reuerentibus alicuius dubij. Ita Sayrus de Censur. *lib.3. cap.35. num.21. pag.306.* Rodriq. *tom.*˚*qq Regul. quæst.11. art.3.* Suarez *tom.5. in 3.p. disp.27. sect.7. num.12.* Salas *disp.21. sect.12.* Henriq. *lib.7. cap.29. num.4.* & alij apud Bonacinam *loco cit. num.4.*

QVOAD declarationes Eminentiss. Cardinalium: An habeant vim legis, asserunt tredecim Doctores, relati à Diana *tom.1. tract.10. resol.29.*

146 Alij tamen decem oppositum sentiunt apud Dianam; & alij apud Bonacinam *loco cit. num.4.*

ASSERO primò. Lex odiosa non est extendenda vltra proprietatem naturalem verborum. Ità Suarez *lib.6. cap.1. num.7. & cap.4. num.3.* Bonacina *num.8. loco cit.* qui addit; *modò necessitas aliud non cogat.* Probatur; quia odia sunt potiùs restringenda, non verò amplianda.

ASSERO secundò, legem fauorabilem ad sensum, etiam Ciuilem, verborum extendi. Ita Suarez *lib.6. cap.2.* Emanuel Sà *verb. Interpretatio*, Salas *disp.21. sect.3.*

PROBATVR; quia in vnaquaque arte adhibentur instrumenta artis. Sic igitur verba in sensu ciuili adhibentur ab arte Iuris. Vide Bonacinam *num.9.*

NOTAT verò Bonac. *num.13.* aliquam legem posse esse fauorabilem, & odiosam simul, quod si primò sit in odium, erit odiosa; si primaria intentione sit ad fauorem, erit fauorabilis. Quando ergo primo scopo est fauorabilis, erit secundùm fauorabilium naturam iudicanda, & ad sensum verborum etiam ciuilem extendenda, vt fauor amplietur. Nam finis legis est fauor, vt notat Suarez.

147 Quòd si alioqui lex foret irrita, potest extendi etiam vltra sensum ciuilem. Ita habetur, *l. Scire etiam §. Aliud, ff. de excus. tutor; & cap. si ciuitas, de sent. excom. in 6.* vbi sententia Interdicti ciuitatis extenditur ad suburbia, ne vilipendatur sententia.

Ratio est; quia omnis dispositio ità est interpretanda, vt valeat potius, quàm pereat. Et ita fit etiam in lege odiosa, ne irrita fiat, *l.4. ad Maced.* Est communis, vt refert Tiraquel. *in ll. Connub. Gloss.5 n.115.* Sarmiento *l.1. select. cap.12.*

AN verò lex, ob similem, vel eandem rationem possit extendi ad alios casus.

MVLTI asserunt apud Dianam *tom.1. tract.10. resol.26.* & Bonacinam *num.23.*

SENTENTIA tamen vera est, in pœnalibus ad alios casus non extendi. Vide D.Bonau. apud Bonacinam, & Dianam.

148 RATIO est; quia odia sunt restringenda, & in pœnis lenior pars accipienda, *cap. Pœna de pœnit. dist.6. & l. Interpretatione, ff. de pœnis.*

Imò neque dispensatio ad similes casus extenditur *cap.1. & 2. de Filiis Presbyterorum.* Probatur etiam; quia *cap. constitution. & cap. Non solum, in 6.* prohibitionem non admittendi nouitios ante annum probationis elapsum, factam FF. Minorib. & Prædicatoribus, extendit Bonifacius ad alios ordines Mendicantium, & ait: *Nos pari similitudine rationis inducti:* Ergo signum est, quòd ante non poterat extendi.

IDEO etiam in aliis legibus non pœnalibus idem dicendum; quia non constat de Legislatoris mente: An voluerit eas extendere. Ità Suar. *lib.6. cap.3.* Salas *disp.21. sect.13.* post Glossam, Butrium, & alios apud Bonacinam *num.26.*

NOTA tamen, quòd in foro externo, ex quadam prudentia, vtuntur lege simili ad iudicandum; quando non adest propria lex. Arridet *l. Nam, ff. de legib.* dicens: *Quando lex in vno disponit, bonam esse occasionem, cætera, quæ tendunt ad eandem vtilitatem, vel interpretatione, vel certa iurisdictione supplendi.* Vbi Gloss. addit: *Procedendi de similibus ad similia.*

Imò ad id videntur obligare Iudices, *l. Non possunt, ff. de legib.* & videtur necessarium, quia est velut præsumptio *iuris, & de iure.* 149

ADDIT verò Suar. *lib.6. cap.4.* legem extendendam ex identitate rationis adæquata. Et dicit esse communem Legistarum, & Canonistarum sententiam, multaque iura ei arridere, *cap. Quia in Insulis de Regularib.* quod de Monachis loquitur, & extenditur ad omnes Religiosos. *Et l. Illud, ff. ad l. Aquil. & l. cum Mulier, ff. soluto matrimonio.*

REQVIRI autem rationem adæquatam in vtroque casu, probatur *l. Adigere, §. si patronus, iuncto §. si verò, ff. de iure patronatus: & l. cùm pater, §. Dulcissimus, ff. de legatis.*

HANC extensionem etiam ad leges odiosas valere, ait Suarez; quia, licèt odia non sint amplianda voluntariè ad libitum, possunt tamen, quando aliter ius seruari nequit, & dicitur adæquata legis comprehensio, non extensio.

Ex his etiam colligitur, quonam modo restringenda sit lex per interpretationem. Nam oppositorum eadem est ratio. Tunc igitur restringenda, quando non est adæquata ratio in verbis legis. Tunc enim restringenda est ad terminos suæ rationis, & non est in tota generalitate exponenda. 150

ADDIT proptereà Suarez *lib.6. cap.6.* cessare interdum obligationem legis in particulari, contra verba legis, etiamsi per Principem non tollatur. Ità D.Thom. *quæst.96. art.6.* & 2.2. *quæst.60. art.5. ad 2.* & *quæst.120.* & alij. Neque ob id sequitur, quòd non sit recta; eò quòd non comprehendit omnes casus particulares; imò esset iniusta, si comprehenderet, vt ait Aristoteles 5. *Eth. cap.7.* Ad eius enim æquitatem sufficit, si comprehendat id, quod frequenter accidit, vt dicitur *ff. de legib. l.3.* Idcò Aristoteles ponit specialem partem iustitiæ, idest Epykeiam, quæ à multis vocatur *Æquitas legis.*

QVÆSTIO XIII.

Quandonam habeat locum Epykeia.

NOTA ex Aristotele 5. *Eth. cap. 10.* Epikeiam dici emendationem legis humanæ, deficientis in aliquo casu. Cùm enim lex humana omnibus casibus non semper prouideat. Ideò in aliquibus ob multifarium rerum euentum, ex circumstantiis, eget emendari; non ità tamen, vt iniqua ob id sugilletur, sed iusta sit, quia indefinitè iustum statuit; attamen hoc iustum, ait Aristoteles, ab æquo emendari; hoc autem æquum emendans, vocat *Epykes.* In lege quidem humana, ob rationem allatam, locum habet emendatio, non in na- 151

E turali,

turali, quæ omnibus circumstantiis prouidit. Sicut etiam Diuina, quæ prouida omnibus præuisis prouidet.

Hinc 61. *dist. cap. statuimus* dicitur, Ecclesiasticæ prohibitiones proprias habent causas, quibus cessantibus, cessant & ipsæ, & 1. *quæst*.1. Quod pro necessitate statutum est, cessante necessitate, cessare debet, vt notat D. Bonau. *ad cap*.2. *Regulæ*.

PRIMO igitur videndum, quam emendationem afferat Epykeia ipsi legi.

PRIMA opinio est, Epykeiam emendare legem, non modò priuatiuè deficientem, eò quod ibi adsit pro eo casu ratio præcipiendi; sed etiam deficientem contrariè, ità vt legem adimplere pro eo casu esset malum. Citantur Caiet.2.2. *quæst*.12. *art*.8. Ledesma 2.*p. quæst*.17.*art*.2.*d*.3. Nauar. *in sum.cap*.16.*num*.37. Couar. *in* 4.2.*p*. §.9. Medina *de contract. quæst*. 14. Suar. *lib.6. cap*.7. qui perperam adducit D. Thom. Vasquez *disp*.176. *num* 23.

152 SECVNDA sententia est, ad Epykeiam sufficere, si lex deficiat negatiuè; Ità D Thom. 2.2. *q*.147. *art*.1. *ad* 1. *&* 2. Caiet. *tom*.1. *opusc. tract*.1. *quæst*.2. Nauar. *loco cit*. Panormit. *in cap. Quoniam de prol. num*.6. Angel. *verb. Lex, num*.4. Syluest. *ibi, quæst*.8. Adrian. *quodl*.8.

ASSERO cum hac sententia, non modò esse Epykeiam ad defectum legis positiuum; sed etiam priuatiuum.

PROBATVR; quia si ad vsum Epykeiæ exigeretur, vt lex pro tunc esset impia, sequeretur, legem in multis esse nimis rigidam; sic enim, cùm imminet mors ab hostibus mihi egredienti ad Sacrum, tenerer egredi; & ieiunium cum graui periculo ægritudinis seruare.

ADDVNT aliqui, etiam integritatem confessionis seruare cum periculo infamiæ; sed non est ad rem. Quia confessio est de iure Diuino.

OBIICIT Suarez. Si sufficeret deficientia legis negatiua, posset aliquando Vir perfectus non teneri ieiunio; eò quòd caro esset mortificata satis. Similiter licita esset fornicatio, si cessarent impedimenta prolis.

153 RESPONDETVR, non cessare finem adæquatum legis, & quidem in ieiunio, vbi intenditur illa abstinentia, etiamsi motus carnis non ingruant, & prohibita est quoque fornicatio; quia non licet accedere ad non suam.

QVÆSTIO verò est: An subditis liceat vti Epykeia supra legem. Primò quidem, quando euidens est, legem deficere, in eo casu licitam esse, certum est; quia Princeps supponi debet rationabilis. Sic igitur lex, quæ vetat portas vrbis aperiri tempore obsidionis, si occurrant acies è fuga, debent milites introduci; alioqui occiderentur. Similiter etiam in casu audiendi Missam allato. Ita Sot. *lib*.1. *de iust. quæst.6. artic*.8. Caiet. 1. 2. *quæst*.96. *art*.6. Et est D. Thomæ 2. 2. *quæst*. 120. *art*.1. vbi Caietanus, & communiter alij.

PROBATVR; quia Epykeia est emendatio legis ex Aristotele *loco citato*.

154 EST autem quæstio: An in casu dubio possimus vti Epykeia; an verò teneamur consulere superiorem.

PRIMA opinio negat, nos vti posse Epykeia. Ità Ioan. Sancius *in select. disp*.43. *num*.8. Sot. *de iust. lib*.1. *quæst*.6. *art*.8. Vasquez 1.2. *disp*.176. *num*.15. vbi tamen multa distinguit; *&* 3.*p. tom*.3. *disp*.219. *cap*.8. *num*.43. Suarez *lib.6. cap*.8. *num*.10. Sanchez *de Matrim. tom*.1. *lib*.2. *disp*.41. *num*.37. Merolla *tom*.1. *disput*.3. *cap*.3. *corol*.7. *num*.126. & alij apud ipsos; & Castrus Palaus *tom*.1. *disp*.3. *p*.8. *num*.4. alios adducens, ait, non posse nos vti Epykeia, etiam in casu vrgenti, in quo superior consuli non potest.

OPTIMAM sententiam tenet Syluest. *verb. Papa quæst*.16. *dict*.2. *in fine*, & *verb. Dispensatio, quæst*.4. Corduba *qq. lib*.3. *quæst*.13. *ante regulam primam*, Ioan. Salas 1. 2. *tom*.2. *tract*. 8. *d. vnica*, *sect*. 25. *num*.260. Henriquez *lib*.14. *cap*.3. *num*.3. *in Gloss. litt*. X.

Hi autem DD. loquuntur de dubio æquilibri, vt notat Salas *loco cit*. contra Palaum, perperam interpretantem hos Doctores. 155

PRO hac firmanda sententia, multis est magni ponderis authoritas Syluestri, ipsum enim solum ad opinionem probabilem reddendam sufficere, fatetur Ioan. Sancius *disput. cit. num*.37. Syluestrum enim ab omnibus Theologis, & Iurisperitis reuereri, est manifestum. Hanc putat probabilem etiam Diana *tom*.3. *tract*.3. *resol*.23. Sanè non videtur Syluester cum modernis inuoluendus; de quibus extat Decretum Alex. VII.

HÆC mihi probatur; quia in dubiis melior est conditio possidentis: At ego sum in possessione meæ voluntatis, nisi mihi auferatur à lege; à lege autem dubium est, an auferatur: An, scilicet, Legislator, voluerit me obligare, cur ergo cogar?

OBIICITVR cum Sancio. Epykeia est virtus: Ergo non debet possessionem legitimam cuique auferre; at sic auferret, præferendo ius dubium, iuri certo, quod est in possessione. 156

RESPONDETVR facilè, supponi à Sancio ius certum, quod est falsum: nam in quæstione supponitur pro eo casu dubium; ex quo fit, vt cum ius Voluntatis sit certum, nisi tollatur iure certo, non auferatur legitimè; quia ius dubium non sufficit ad auferendum ius certum, vt ipse Sancius arguit.

PLACET verò Salæ limitatio, tunc licere vti Epykeia pro eo casu, quando est necessitas operandi, & hoc casu intelligit quoque Doctores aduersarios, excepto Castro Palao, qui nimis rigidè loquutus est; qua verò ratione, non video.

QVÆSTIO XIV.

De dispensatione Legum.

DVOBVS modis tollitur lex, Dispensatione, & Abrogatione. Interpretatione enim non tollitur lex, vt putat Vasquez *loco citando*.

MVLTI videntur confundere Dispensationem cum Interpretatione, & videtur sententia D. Thom. 1.2. *quæst*.97. *art*.4. & aliorum. Inter hos autem numeratur à Vasquez *disp*.178.*num*.8. D.Bonau. *in* 4.*dist*.38. *art*.2. *quæst*.3. sed perperam: ibi enim solùm distinguit, secundùm aliorum opiniones, Dispensationem, & dicit, eam à quibusdam sumi pro interpretatione legis, ita, vt dispensare sit distribuere, & ordinare, quo pacto lex vniuersalis à singulis sit obseruanda. Et quia potest lex vniuersaliter vtilis, non conuenire alicui singulari personæ; Ideò dispensare dicitur Superior, dum exponit legem pro eo singulari deficere, & non obligare. Et hoc modo etiam quilibet Doctor dispensare valet, etiam inferior. Secundò ait, accipi *dispensare*, pro *relaxare*, eximendo aliquem, alioqui lege inclusum. Est igitur dispensatio, *Exemptio, & remissio, & licentia, quæ alicui datur, vt, non obstante voto, aut lege, faciat contrarium.* Et hæc est sententia Diui Bonauenturæ, quam 157

ex

ex proprio sensu tradit eodem 4. *dist.19. dub.6. litt. ex d.33. quæst.3.*

158 Quod igitur primus modus Dispensationis sit improprius.

Probatur primò à Seraph. Doctore *loco cit.* quia eo modo potest dispensare etiam inferior, si doctus sit; at dispensatio propriè est relaxatio legis, quæ fit Superioris authoritate: vel determinatio potestatiua pro tali casu, vt habet S.Doct. *locis citand.* & *c.2. Regulæ.*

Secundò. Si dispensatio esset interpretatio; sequeretur, Summum Pontificem posse dispensare in iure Naturali, & Diuino; quia vtrumque potest interpretari. Sed contra communem Theologorum sensum est, posse Pontificem in illis Iuribus dispensare, vt docet, post D. Bonau. *loco cit.* Card. Turrecremata *lib.2. de potestate Ecclesiæ, cap.*107. Ioan. Maior *in 4. dist.24. quæst.*12 Catherin. *lib.6. cont.* Caiet. *cap.2.* Syluest. *in Sum. verb. Papa, quæst.*16. Sotus *lib.1. de iust. quæst.7. art.3.*

159 Igitur Dispensatio definitur à D.Bonauent. in 4. dist.19 dub. illo 6. litt. *Dispensatio est iuris communis relaxatio, facta cum causa cognitione ab eo, qui habet ius dispensandi.* Quid clarius? Relaxatio verò iuris particularis dicitur: *Indultum.* Nota verò, dispensationem latius esse potestatiuam declarationem.

Nota verò, causam dispensationis, non debere esse talem, quæ per se præcisè sufficiat obligationem legis, aut voti de medio tollere; alioqui dispensatio erit idem, ac declaratio; sed exigi ius, vt dicam 2.2. *d. de voto quæst.*28. & *d.2. quæst.5.*

Hanc dispensationis naturam tenent cum D. Bonau. Durand. *in 1. d.47. quæst.4. num.6.* Sot. *lib.1. de iust. quæst.7. art.3. & 7. de iust. quæst.4. art.1.* Richard. *in 4. d.38. art.9. quæst.1. & d.17. art.2. quæst.7. ad 1.* Suppl. Gabr. *dist.38. quæst.1. art.5. concl.3.* Couar. *2.p. de matrim. cap.6. §.9.* loquens de dispensatione legis. Tametsi Doctor hic celebris de dispensatione Voti aliter videatur sentire, *cap. Quamuis pactum 1.p. §.3.* De eadem dispensatione legis, eodem modo loquuntur Scotus *in 3. dist.3. quæst. vnica, §. Sed iste,* Gabr. *ead. dist. quæst. vnica, art.1. not.3.* Vasquez *loco cit. num.*11.

160 Quare dispensatio est actus iurisdictionis, quo aliquis eximitur ab obligatione legis. Ita Sanchez *lib.8. de Matrim. disp.1.* Azor. *p.1. lib.5. cap.15.* Salas *de legib. disp.20. sect.1.* & alij communiter post D.Bonau. vt refert Bonac. *de legibus, disp.1. quæst.2. num.2.* Solus igitur legislator, vel successor eius, aut superior potest dispensare in lege, vt docent communiter Doctores, adducti à Bonac. *num.4.* Posse verò eos, dispensare asserit Gelasius Papa, *cap. Necessaria dispensatione, 1. quæst.7.*

Probatur, quia cùm lex oriatur à voluntate humana, potest ab eadem mutari; quia ab eadem causa res producuntur, & corrumpuntur. Vnde Iudex, seu Prætor tenetur iuxta legem iudicare, cùm dispensare non possit, docet Seraph. Doctor *in 4. dist.46. quæst. vlt. ad vlt.* Solus ergo Legislator, vel successor, vel Imperator potest dispensare.

161 Ex quo colligit S.Bonau. *dist. illa* 38. Papam in omnibus legibus Ecclesiasticis dispensare posse. Ita Clauis Regia *lib.3. cap.15. num.6.* Azor. *p.1. lib.5. cap.15. quæsito 5.* Suarez *lib.6. cap.12. num.5.* & *cap.14. num.2.* & alij apud Bonacinam *num.8.*

Colligit secundò *in argumento vlt. secundo loco,* posse quoque Legislatorem secum dispensare. Ita etiam S.Thom. *2.2. quæst.185. art.8.* Suarez *lib.6. cap.15.* Nauar. *cap.25. num.74.* Sanchez *lib.8. d.3.17. & 33.* Cordub. *lib.3. quæst.31.* Salas *disp.20. sect.3 num.14.* Bonac. *loco cit. num.9.* & alij.

Hinc sequitur, quòd si Papa assumatur ex ordine Mendicantium, potest secum dispensare in Votis, & legibus Regulæ dignitati Papali repugnantibus.

Colligit tertiò, non posse inferiorem dispensare in lege superioris, non modò si ademerit potestatem inferioribus dispensandi; Sed etiam si non prohibuerit. Ita plurimi apud Bonac. *num.12.* etsi alij oppositum sentiant, ibidem relati. Probatur ex Clementina: *Ne Romani, de elect. & l.1. C. de legib.* 162

Collige quartò, effectus dispensationis, esse oppositos effectibus legum, & ideò tollere omnes illos; quia tot modis dicitur vnum oppositum; quot modis dicitur & alterum. Vnde tollit culpam, pœnas, &c.

Collige quintò, debere explicari à dispensante, vel expressè, vel implicitè, non tantùm dissimulando; hoc enim non admittitur à Canonistis signum sufficiens dispensationis, cum Innoc. Hostiensi *in cap. Venientes de filiis presbyterorum.* Vide Suarez *lib.6. cap.13.* Requirunt ergo ad implicitam concessionem positiuum assensum: Puta, si irregulari det beneficium; præsumitur enim, Principem nolle iniquè dare; Puta nutu, signo, &c. Addit Bonacina *disp.1. quæst.2. p.3. num.18.* etiam ratihabitionem; aliosque refert.

Addo, potestatem dispensandi posse alteri delegari. Ità communiter Doctores. Est autem hic grauis quæstio. Vtrum ad Dispensationem sit necessarium, vt adsit causa dispensandi, necnè. 163

Prima opinio est, Dispensationem datam à Legislatore sine causa, esse illicitam; esse tamen validam. Ità Sanchez *lib.8. disp.18.* Valent. *tom.2. disp.7. quæst.5. punct.9.* Sayr. *de Censur. lib.3. cap.10. num.11.* Azor. *p.1. lib.5. cap.15.* Henriq. *lib.12. cap.3. num.6.* Salas *disp.20. sect.4.* Suarez *de legib. lib.6. cap.19. num.6.* Clau. Reg. *lib.3. num.4.* Poncius *de Matrim. lib.8. cap.14. num.7.* Lorca *in 1.2. tom.2. disp.27.* Villalob. *in sum. tom.1. tract.2. dub.41 num.5.* Layman *in Theol. Moral. lib.1. tract.4. cap.22. num.13.* Tanner. *1.2. disp.5. quæst.7. dub.2. num.29.*

Ex his aliqui dicunt, sic dispensantem peccare tantùm venialiter. Ita Sanchez Valent. & alij apud ipsos, quibus adde Dianam *tom.1. tract.10. resol.35.* Villalob. *loc. cit.* Idem dicunt de petente, quem in vsu dispensationis à culpa veniali soluunt. Malder. *1.2. q.98. art.4. d.2.* Suar. *lib.6. num.14.* Ita Azor. *p.1. lib.5. cap.15 quæsito 3.* Diana *loco cit. Resol.32.*

Alii tenent, peccatum esse mortale. Ità Caiet. Armilla, Ledesma, Vega, Rodriq. apud Sanchez *loco cit.* His Adde Granad. *controu.7. tract.3. p.2. disp.17. sect.3. num.24.* Tanner. *disp.5. q.7. dub.2.* Salam *disp.20. sect.5.* 164

Hi tamen omnes sunt contra Bartol. Iasonem, & Alios, apud Sanch. *num.1.* & apud Azorium, & Salam *locis adduct.* clamantes, licere Principi vti suâ potestate.

Sententia tamen his omnibus contraria tenet, id esse illicitum, & ex genere mortale, atque dispensationem esse inualidam. Ità D.Bonau. *locis adductis,* præcipuè *dist.19. dub.6.* quem sequuntur Fortunius, Garzia *in l. Gallus, §. Et quid si tantum, ff. de liberis, & posthumis col.135.* Bernard. Hyppolitus, Iason, & alij, quos citat Couar. *2. de matrim. cap.6. §.9. n.8.* quam sequuntur etiam multi Iurisperiti nostræ ætatis. Mendoza *de Pactis, lib.1 quæst.2. num.35.* Loazes *de Matrim. Regis Angliæ, dub.4. num.14. & 15.* Menacha *lib.1 qq. Illustrium, cap.25 num.6.* & *cap.26. num.26.* & arridet Vasq. *disp.178. cap.4.* Addit tamen in calce, se nolle communi Theologorum opinioni præiudicium ferre. Alios vide apud Salam.

Assero cum hac sententia, Dispensationem concessam à Legislatore sine causa, esse inualidam. 165

Probatur primò à D. Bonau. *in 4. dist.19. dub.6. litt.* & *lib.4. Pharetra, cap.21.* Id, quo destruitur ratio

substantialis dispensationis, destruit dispensationem, & eam nullam reddit: Sed defectus causæ est huiusmodi: Ergo. Maior est euidens. Minor probatur à D.Bonau. ex D. Bernardo *lib.1. de consider.* vbi ait: *Quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Vbi necessitas vrget, excusabilis dispensatio est; vbi vtilitas prouocat, laudabilis est dispensatio; vtilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* Hæc eadem ferè verba assumit S.Concil. Trident. *sess.25. cap.18. de reform.* vbi ait: *Id nihil aliud esse, quam vnicuique ad leges transgrediendas aditum patere.* Ideò præcipit, vt dispensatio detur, causâ cognitâ, & summâ maturitate, atque gratis; aliter facta dispensatio subreptitia censeatur. Hoc idem statuerat *sess.24. cap.5.* Hanc verò causam ex præscripto Concil. Trident. non cognoscendam iuridicè, sed quouis modo sufficere, asserunt communiter DD. apud Bonacinam *disp.1. quæst.2. 1. §. num.17.* Imò aliqui dicunt, esse validam, etiam non cognitâ causâ, dummodò subsit: Concilium verò intelligendum quoad præsumptionem fori externi: Euenit tamen in quibusdam delegationibus ad dispensandum apponi, *vt causa cognoscatur*, & tunc dubio procul est necesse. Ita Bonacina *loco cit.* cum Nauarro.

166 Cùm autem tot, tantaque mala ex illicita distributione dispensationum oriantùr; non video, qua ratione à graui culpa excusentur, qui bona sibi credita ità dissipant.

QVANDO verò dispensatio ab inferiori datur circa legem superioris, esse irritam, & illicitam, fatentur Reginald. *lib.13. num.195.* Sanch. *lib.8. disput.17. num.3.* Salas *disput.20. sect.4. num.30.* & *sect.6. n.66.* Suarez *lib.cit.cap.19.* Tolet. *lib.5.cap.83.causa 2.* Valent. *disp.7. quæst.5. punct.9.* Vasquez *disp.178.cap.3.* Caiet. Syluest. Nauar. Sotus, & alij apud Sanchez, Salam *loco cit.* & Bonacinam *disp.2. quæst.2. punct.3. num.12.* Tanner. *disp.5. quæst.7. dub.2. num.28.* Ex quo deducit, huiusmodi dispensatorem grauiter peccaturum. Nam vsurpat sibi iurisdictionem, quam non habet. Non enim credibile est, superiorem concedere facultatem dispensandi illicitè. Ita Sanchez *lib.8. disp.18.* Salas *loco cit. num.59. & 67.* & alij communiter.

167 HINC luce clarius sequitur, inducentem ad ita dispensandum, peccare, & vtentem dispensatione huiusmodi, iniquè ea abuti, cùm nullam habeat. Ità Doctores communiter apud Bonacinam *num.16.*

SI verò dubitetur: an dispensatio sit valida. Respondet Diana *tom.3. tract.3. resol.45.* cum Riminaldo *lib.3. consil.275. num.17.* & *lib.5.consil.562. num.26.* Sanctarello *Variar. resol. tom.1.quæst.59. num.1.* posse vti dispensatione illa: Ratio est, quia in dubio iudicandum est in fauorem actus, vt scilicet potiùs valeat, quàm pereat, vt patet *ex cap. Abba de verb. signif. & l. Quoties, ff. de rebus dubiis.*

HIS adde, eos, qui dicunt; in dubio, quando subditus, petens dispensationem, dubitat: an sit iusta causa, & Superior iustam iudicat; posse acquiescere iudicio dispensantis, ad quem spectat id iudicare. Ita Sanchez *loco cit. num.19.* Nauar. *prælud.9. num.13.* Sà *verb. Votum de irritatione, num.21.* Salas *num.63.* & alij apud præcitatos Doctores, quos sequitur Bonac. *num.16.*

168 NOTA verò ex D. Bernardo apud D. Bonauent. *locis adductis*, multas dari causas dispensationis, vt habetur *in cap. Necessaria, dist.1. quæst.7.* & *cap. Pro medio*, quæ ad tres reuocantur. Prima est vtilitas communis, vel priuata. Secunda est necessitas. Tertia est pietas. Ita Rodriq. *Regular. qq. quæst.22. art.5.* Sanchez *lib.8. disp.19.* S. Thom. *2.2. quæst.63. art.2. & quæst.7.art.4.* Syluest. *verb. Dispensatio,quæst.1.* Salas *d.20. sect.8. num.75.* Reginald. *lib.13. num.192.* & alij communiter apud Bonac. *num.20.*

HINC deducit cum D. Bonau. *in 4. dist.38. art.2. quæst.3. arg.2. secundo loco*, dispensationis causam adesse, quoties graue malum imminet, aut maius bonum impeditur. Ità etiam Caiet. *2.2. quæst.79. art.4.* Salas *disp.20. sect.8. num.75.* & alij. Ibi enim est causa vtilitatis, vel necessitatis, cum D.Bernardo.

SECVNDO deducit cum Seraphico Doctore *arg.3.* causas faciliùs inter Principes adesse, ex eorum enim dispensatione ad matrimonia oritur sæpe pax publica; promptitudo ad Ecclesiæ defensionem. Ita Ledesma *de matrim. quæst.56. art. vlt.* Salas *loco cit. num.75.* Sanchez *loco cit. num.8.* Coninchius, & alij.

ADDIT S.Bonau. *ad 2.* non esse dispensandum in Votis Castitatis, aut Religionis, ex causis dubiis. 169
V.G. cum nescitur: an pax sequutura sit: an Rex per vsum carnalem sit sanandus; nec aliud medium habeatur.

Is autem casus, dubius censendus est, non indigere, neque habere causam dispensationis, Quando 170
verò dubium est circa casum; an egeat dispensatione, & adest probabilitas; potest operari absque dispensatione. Ita Barbosa *de potest. Episcopi*, *p.3. alleg.35. num.18.* Quando verò est dubium negatiuum, & affirmare quis non potest, dispensationem esse superuacaneam, tunc dispensationem esse petendam, docet Bonac. *disp.1. quæst.1. punct.1. num.18.* Sed Castrus Palaus *tom.1. tract.3. disp.6.p.5. num.10.* putat, si æque dubium sit, reputandum esse, non egere dispensatione; quia tunc est præsumptio pro libertate, quæ est certa; & idem ait, etiamsi inclines, te egère dispensatione.

Quòd si velis in tali dubio dispensationem, sufficit Episcopus; quia non censetur Papa dubios casus reseruare, nisi vbi id declarat. Ita Barbosa *loco cit.* Emanuel Sà *verb. Dispensatio*, & alij apud Dianam *p.3. tract.6. Miscell. resol.82.*

QVÆSTIO XV.

De Abrogatione Legum.

IAM vidimus; quomodo lex tollatur in aliquo casu 171
particulari per dispensationem; iam videndum, quomodo tollatur omninò per Abrogationem: Et quidem Abrogatio non modò licita; sed sæpè etiam vtilis est, vt probat D.Thom. *quæst.97. art.1.* tum ex parte rerum. Nam paulatim ab imperfectioribus ad perfectiora proceditur; tum ex parte hominum, quorum mores, cùm sint varij, & mutabiles, requirunt diuersas regulas; vt docet Aristoteles *2. Polit. cap.6.* Vnde D. August. *lib.1. de lib. arb. cap.6.* ait, *Legem non iustam posse per tempora mutari; quia mutatâ Republica, & moribus illius, leges quoque eius mutari necesse est.* Vide Couar. *in cap. Alma Mater, 2.p.*

CVM autem lex humana deriuetur à Naturali per modum determinationis, non verò illationis necessariè; potest, iure naturali immutato, mutari lex humana.

Ideò Concil. Tridentinum *sess.24. cap.2. & 4.* dicit, se mutare aliquas leges circa impedimenta matrimonij, ob incommoda, quæ sequebantur. 172

ASSERO igitur, Superiorem posse abrogare suam legem. Patet ex dictis.

ASSERO secundò, eam abrogando absque causa, ipsum peccare. Ratio est, quia tenetur bono Reipublicæ

publicæ prouidere, vt notat Couar. *in qq. pract. cap.31.* Vasquez *disp.178. cap.1.* Tanner. *disput 5. quæst.7. dub.1.*

Assero tertiò, non posse inferiorem abrogare legem superioris, *cap. Quod super his, de Maiorit. & obed.* Itaque Prouinciæ Gubernator non potest abrogare sui Principis, vel alicuius Reipub. leges.

Assero quartò, legem abrogatiuam debere publicari, vt valeat. Est enim de ratione legis Promulgatio. Ita Vasquez *disp.156. cap.4. num.25.* Azor. *p.1. lib.5. cap.3. quæsito 7.* Reginald. *lib.13. num.159.* Idem videtur sentire Salas *disp.12. sect.9. num.37.* Vide Bonacinam *disp.1. quæst.1. punct.4. num.13.*

DISPVTATIO VI.

De lege Humana Ciuili.

IAM agendum de particularibus legibus Humanis scriptis; nempè Ciuili, & Canonica. Est autem lex Ciuilis, lex specialis, scripta pro temporali regimine.

QVÆSTIO I.

An potestas Ciuilis sit à Deo.

D. Bonauent. in 2. d.44. artic.2. quæst 1.
D.Th. 2 d 44. quæst.1. art.2. & 2.2. quæst 10. art.11.

VT videamus, quam potestatem habeant leges, à Regibus, & Imperatoribus conditæ, videndum est, qua potestate eas condant. Hoc autem discutiendum, vt Politicorum quorundam amplam nimis inuectam libertatem, & potestatem plenissimam sæcularibus Principibus thurificantium, vt Ecclesiasticam minuerent libertatem, æqua lance pensitemus.

His visi sunt arridere nonnulli Catholici, indicantes potestatem Legislatiuam immediatè à Deo Regibus datam, tanquam à naturæ Authore. Ità Caiet. *tom. 1. opusc. tract.2. de potest. Papæ, p.2. cap. 10. ad confirmationem secundam*; Couar. *cap.1. Pract. qq.* Sot. *lib.4. de iust. quæst.2. art.1.* Victoria *Relect. de*
1 *potest. Ciuili, num.8.*

Commvniter tamen DD. fatentur, potestatem ciuilem, etiam Imperialem, esse à Deo; sed mediatè. Ità D. Bonau. *hic*, & *de Ecclesiast. Hierarch. p.2. cap.3. & serm.2. Cathedra S. Petri.* Eum sequuntur D.Thom. *hic*, vbi Thomistæ. Sotus verò *lib.4. de iust. quæst.4. lib.3. concl.2.* Tolet. *in 13. ad Rom.* Bellarm. *lib.3. de Ecclesia Milit. cap.6.* Molina *tom.1. de iust. disp.21. & seq.* Tanner. *disp.5. quæst.5. dub.1.*

A Deo quidem esse potestatem Regiam, concedunt omnes Catholici, quod probant cum D. Bonau. *hic*, ex 13. Rom. *Non est potestas, nisi à Deo.* Deinde, quia potestas valens obligare conscientias, debet esse à Deo; sed Regia potestas est talis, vt ait Apostolus, & ostendi *disp.5. quæst.2.* Ergo.

Qvare Theologi omnes, ac Iuristæ cum D. Bonau. *ad 4.* Illam reprobam sententiam exulare præcipiunt, dicentium, potestatem ciuilem esse contra ius naturæ. Quamuis enim respectu alicuius status particularis, in quo esset subiectio coacta, sit contra ius naturæ; tamen quantùm ad vniuersale dictamen, est consona iuri naturæ, vt docet Seraph. Doctor.

Deinde certum est, & apud omnes exploratum, 2
ex hypothesi, quòd aliquis sit electus ad Principatum legitimè, eum habere ipso iure Diuino potestatem, seu potiùs obligationem regendi, & præcipiendi ea, quæ iusta sunt; Similiter & subditos teneri obtemperare in rebus iustis.

Sic Regibus dicitur Prou.20. *Misericordia, & Veritas custodiunt Regem*; vt refert S. Bonau. *p.5. Breuil. cap.6.* Sic Prouerb. 29. *Qui in veritate iudicat pauperes, Thronus eius in æternum firmabitur.* Vt aduertit Seraph. Doctor. *de Ecclesiast. Hierarch. p.1. in Calce.* Et Ecclesiast. 10. *Iudex sapiens iudicabit populum, & principatus sensati stabilis erit*, vt ostendit S. Doctor *p.1. de Ecclesiast. Hierarch. cap.1.* circa medium.

Subditi verò admonentur *ad Titum 3. prima Petr.2. Ephes.6.* Vtrosque autem sæpe alloquitur Paulus *Rom.13.* vt ostendi *disp.5. quæst.1.*

Tertio certum est, potestatem Politicam in sua 3
radice esse à Deo; siue radicem vocemus hominis naturam, in quantùm est animal sociabile, vt ait Aristoteles *1. Polit. cap.2.* siue radicem vocemus lumen naturale, vt aduertit D. Bonau. *ad 4.* & cum eo Suarez *lib.3. cap.3.* Tanner. *num.12.*

Assero primò, potestatem Politicam in genere esse à Deo.

Probatvr. Nam Deus voluit aliquam potestatem regiminis Ciuilem. Vide Bellarm. *lib.3. de Ecclesia Milit. cap.6.* & D.Thom. *de regim. Principum*, & Aristotelem *1. Polit.*

Probatvr à D. Bonau. *ad 6. Sap.* illis verbis: *Audite Reges; &c. quoniam data est vobis à Domino potestas.* Et Ioan.19. *Non haberes potestatem, nisi tibi datum esset desuper.*

Assero secundò, nullam potestatem Politicam, 4
siue Monarchiæ, siue Aristocratiæ, siue Democratiæ determinatam, esse immediatè à Deo.

Est communis sententia; de qua latè Molina *disput.26.* post Durandum *de origine Iurisdictionis, quæst.1.* Driedonem *lib.1. de libert. Christ. cap.15.* Alphons. de Castro *lib.1. de potest. legis pœnalis, cap.1.* Accedunt Soto *loco cit.* Conar. *num.6.* Vide Suarez *lib.3. de legib.4.* Nec dissentit Baulaius *lib.3. cap.2. de Regali potestate.*

Probatvr primò à D.Bonauent. *in Bibliis Pauper. cap.100.* vbi electiones, etiam ipsæ, quæ sunt Dei iussu factæ, mediante electione humana factæ sunt; dantibus hominibus potestatem super populum. Hoc sanè in Papa non euenit, qui à nominantibus non accipit potestatem. Sic *Exod.28.* Septuaginta viri. Gedeon *Iudicum 8.* Iephte *cap.11.* Saulus *1. Reg.9.* Dauid *cap.16.* & *2. Reg. 2.* vbi vnctus est à Tribu Iuda, & *cap.5.* à toto Israële. Salomon. *1. Paral.28.* Iehu, & alij *in Libris Regum.* Non enim tale regimen super aliquem determinatum est. Neque lex naturæ id determinatè dictauit; 5
nam etiam in populo Dei aliquando fuêre Reges; aliquando Iudices cum Concilio; & fuit Monarchia mixta Aristocratiæ.

Id habetur ex iure Ciuili, *lib.1. ff. titul.2. de orig. iur. lib. 2.* vbi Romanæ Reipublicæ potestas ab hominibus asseritur. Et *lib.1. ff. titul.4. de constitut. Princip. lib.1.* idem ait Vlpianus de iure Imperatoris.

Sic Plato *in suo Politico*, & Aristoteles *in Polit.* & Kitiacus Stroza *lib.9. de Republica*, quem Aristoteli adiecit.

6 PROBATVR à S. Bonau. *ad 6. Sap.* ex Deuter.1. *Date ex vobis viros sapientes, & gnaros.*

PROBATVR à Seraphico *de Ecclesiast. Hierarch. p.2. cap.3.* ex Deuter 17. *Cum sederit Rex in solio suo, &c. Cum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, & habitaueris in illa, & dixeris, constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes.*

IDEM docet Panormitanus, & alij Canonistæ *cap. Per Venerabilem.* D. Thom. *quæst.91. art.3. & quæst.97.* Victoria ipse *relect. de hac re*; tametsi videatur contrarius.

Addunt tamen admittendum aliquod Politicæ potestatis subiectum primigenium, quod à Deo potestatem immediatè acceperit.

PROBATVR, quia nè detur processus in infinitum; oportet ad primum mouentem deuenire.

7 QVOAD modum verò certum est, non omnes à Deo habere potestatem immediatè; quia multi malis artibus irrumpunt ad Thronum de quibus *Osea* 8. *Ipsi regnauerunt, & non ex me*, vt admonet Seraph. Doctor, quem sequuntur alij.

SIMILITER error est dicere, vsum ipsum potestatis esse semper à Deo; nam multi eà malè vtuntur, de quibus *Sap.6.* Vbi vide Seraphicum. Ibi enim dicitur: *Audite ergo Reges, & intelligite, discite Iudices finium terræ, &c. Quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus*; vbi Gloss. apponit, *potestas iudiciaria in terra quoad sententiæ definitionem, & virtus puniendi, quoad potentiæ exequutionem, vel potestas in causis ciuilibus, & virtus in criminalibus data est vobis ab Altissimo, qui interrogabit opera omnia; quoniam cum essetis Ministri regni illius, non rectè iudicastis.* Vide Seraph. Doctorem.

QVÆSTIO II.

An Beatissimo Papæ sit authoritas condendi leges ciuiles in toto orbe.

PRIMA opinio est affirmatiua, Papam Beatissimam habere directam potestatem condendi leges ciuiles in toto orbe.

8 PROBATVR. Quia de Petro canit Ecclesia. *Tibi tradidit Deus omnia Regna mundi.*

Enim verò infideles non subduntur Papæ, vt tenent omnes Theologi. Nam Christus *Ioan.21.* dedit Petro potestatem solùm pro fidelibus. *Pasce oues meas.*

SECVNDA sententia est, Papam habere potestatem directam ad condendas leges ciuiles pro toto orbe christiano. Ita multi apud Suarez *lib.3. cap.6.* Nauar. *cap. Nouit. de iudic.* Salam *disput.7. sect.4. num.27.* Bonac. *disp.1. quæst.1. punct.3.* Dianam *p.1. tract.2. Resol.121.*

PROBANT ex Nicolao I. *cap.1. d.22.* Secundò ex Bonifacio VIII. *in Extrauag. Vnam Sanctam*, vbi ait, Papam portare gladium spiritualem, & temporalem. Tertiò quia Papa tribuit Imperatori potestatem Imperialem, *cap. In nomine Domini, dist.23.* & *cap. Venerabilem, de elect.* Vnde Imperator priusquam confirmetur, vel coronetur, iurat Pontifici fidelitatem, *cap. Tibi Domino, dist.63.* & *Clem.2. de iureiur.* Hinc etiam Papa deponit Imperatorem, *cap. Ad Apostolica, de sent. & re iudic. in 6.* Vnde & transtulit Imperium à Græcis ad Germanos, vt dicitur *cap. Venerabilem, & Clem.1.* Vide Bellarminum *tom.1. in fine.* Imò vacante Sede Imperij, Papa iudicat subditos Impetio. *Clem. Pastoralis, §. vlt. de re iudiciaria*: & *cap. Licet ex suspecto, de foro comp.*

TERTIA est, Papam non habere directam potestatem temporalem in toto orbe christiano, sed solùm in statibus, temporaliter subditis Ecclesiæ, quamuis omnis potestas in toto Ecclesiæ gyro Papæ spiritualiter subiiciatur. Est communis, & videtur D. Bonau. *in 4, dist.38. quæst. vlt. arg.3.* Eum sequuntur Nauar. *loco cit.* Couar. *regula Peccatum, 2. p. §.9. num.7.* Molina *tract. de iust. d.29.* Bellarm. *lib.5. de Pontif. cap.2.* Suar. *loco cit.* & *3. p. tom.1. disp.48. sect.2.* Salas *loco cit. num.30.* & alij quamplures apud eum, & Bonac. *loc. cit.* & Dianam. Quia neque è Scriptura, neque aliunde habetur temporalis illa authoritas. Probatur *ex cap. Solitæ, de maiorit. & obed.* & *cap. Per Venerabilem, Qui fil. legit.* & *cap. Nouit, de iudic.* vbi Papa dicit, se nolle derogare supremæ iurisdictioni Regis summi Galliæ; nec temporalia iudicia vsurpare. Similia habet Gelasius Papa *epist. ad Anastasium*, & Nicolaus *epist. ad Michaelem Imperatorem*, & habetur *in cap. Duo sunt*, & *cap. Cùm ad verum, dist.69.* Vnde idem Nicolaus *cap. Inter hæc 33. quæst. 2.* ait. *Sancta Ecclesia gladium non habet, nisi spiritualem.* Benè tamen indirectè habet etiàm temporalem, vt dicit Bonifac. & *cap. Si duob. §. Denique de Appellat.* dicitur, *In causis ciuilibus non appellari ad Papam, nisi in terris illi temporaliter subiectis.* 9

CONFIRMATVR. Nam Imperator, & Reges suprema potestate vtuntur temporaliter, *l.1. C. de veteri iure enucleando.* Confirmatur. Quia Christus tradidit Petro solas claues Regni cœlorum *Matth. 16.* non regna temporalia. Sed hæc, dono Imperatorum, data sunt Ecclesiæ, *cap. Constantinus, dist.96.* & *cap. Ego Ludouicus, dist.63.* & *in cap. Fundamenta, de elect. in 6.* 10

AD argumenta respondetur, Papam habere eminentiam potestatis spiritualis, quæ indirectè cadit super regimen temporale, quandocumque pro recto spirituali regimine oportet. Sic lex Canonica, *cap. Cum haberent*, reprobat ius Ciuile, negans alimenta filiis illegitimis; eò quòd est contra pietatem. Idem de aliis.

ADDO tamen, posse Papam in locis sibi temporaliter subditis leges ferre. Ità tenent omnes. Vide Bellarm. *lib.5. de Pontif. cap.9.* Salam *l. citato, sect.6.* Molinam *tom.1. de iust. tract.2. disp.21. & 29.* Suarez *loco cit.* Bonacinam *disp.1. quæst.1. p.3.* Anguianum *tract. de legib. lib.2. controu.17.*

QVÆSTIO III.

Penes quos resideat POTESTAS *condendi leges Ciuiles.*

ASSERO primò, Imperatorem in Regnis sibi subiectis posse leges sancire. Patet ex Cod. *Legum*; qui authoritate Cæsarea conditus est, *l.2. C. de Veteri iure* dicitur, *Soli Imperiali authoritati, leges condere, & interpretari concessum est.* 11

ASSERO secundò, non licere Imperatori leges condere pro toto orbe. Ita communiter, vt refert Bonac. *loc. cit.* cont. Bartolum, *l. Hostes, ff. de captiuis.* Socin. *consil.127.* Paul. Castr. *consil.61.*

PROBATVR

PROBATVR primò, quia Imperatores nunquam fuere totius orbis Domini, *l. Mercatores, Cod. de commerc. & l. 2. de offic. Præfect.*

PROBATVR secundò. Nam Maiestas Regis Galliæ, neque Imperatorem agnoscit superiorem, vt habetur, *cap. per Venerabilem*, & testatur Honorius III. *cap. Super specula*, de priuilegiis dicens: *In Francia Romanorum Imperatorum legibus non vtuntur.* Vide Suarez *lib. 3. cap. 8.*

DICES Lucæ 2. ab Imperatore Octauiano descriptus vniuersus orbis. Vnde *l. Deprecatio, ff. ad Legem Rhod. de Iactu*, Imperator ait: *Ego mundi Dominus.*

Respondetur, intelligi per synecdochen, sumendo partem principalem pro toto, non enim sublata erant Cæsari Regna Americæ, Indiæ, Scythiæ, &c. Ità D. Bonauent. ad ea verba Lucæ, cum D. Hieron. *Isa 13.* quos sequuntur Maldonatus ad eum locum, Suarez *lib. 3. cap. 7.* & alij apud Bonacinam *disp. 1. quæst. 1. punct. 3. num. 6.*

12 ADVERTE autem, Imperatorem posse condere Leges tum illis regionibus, quæ immediatè illi subduntur; tum etiam illis, quæ mediatè iure Feudi, vel simili titulo ei subduntur, tanquam supremo Domino. Ità Suarez *lib. 3. cap. 8.* Vasquez *prima secunda, disput. 153. cap 2. num. 24.* Salas *disp. 7. sect. 8. num. 46.* Bonac *disp. 1. quæst. 1. punct. 3. num. 5.*

ASSERO secundò, Reges posse Leges condere. Ità Nauar. *cap. Nouit. notab. 2. num. 110.* Bartol. *l. vlt. Cod. de legib.* Ex quo patet, non esse hæreticos, dicentes, Imperatorem habere potestatem condendi Leges in toto corde, sicuti asseruerat, *l. Hostes, ff. de capti.* Idem sentiunt de Regum authoritate D. Bonau. *in 2. dist. 44. art. 3. quæst. 1.* D. Thom. *prima secunda, quæst. 90. art. 1.* Suarez *lib. 3. cap. 9.* Salas *disp. 7. sect. 11. num. 51.* & alij communiter apud eosdem Doctores, quos sequitur Bonac. *loco cit. num. 7.*

13 ASSERO tertiò, etiam Principes alios supremos, & Respublicas liberas, veluti est Serenissi. semper Venetorum æuiterna. Ità DD. *loco cit.* Suarez *loco cit. disp. 7. sect. 8. num. 46. & 68.* Vasquez *cap 2. & 3.* Idem asserunt de Principibus dependentibus, qui potestatem obtinent à Regibus suis.

ASSERO quartò, idem dicendum de Regina dominante, *cap. Ex parte 2. de Priuil.* & *cap. Dilecti, de arbitrar.* vbi Innoc. & Abbas, Suarez *lib. 3. cap. 9.* & alij apud Salam *disp. 7. sect. 11.*

Hoc non euenit in Florentissimo Regno Galliæ, vbi generosi illi dedignantur fœminis subdi, Legesque Salicæ id decernunt. Vnde Philippus Pulcher, hoc argumento adiit Regnum, *Lilia non laborant*, idest sunt insignia nobilitatis: *neque nent*, idest fœminis non competunt. Sic gladij eorum fulminei, colo, & fuso non obediunt, nisi in Regis minoritate.

14 Quòd si Regina nubat priuato, ad eam adhuc spectat regnare, & condere Leges. Ratio est; quia eius est iurisdictio Regni, quæ dotis non subit conditiones. Non enim regnum alienari, vel in dotem dari potest, vt docet Bald. *cap. Significasti, de rescript. num. 3.* Tiraquel. *de nobilit. cap. 18. num. 3.* Vasquez *loco cit. cap. 3.* Suarez *lib. 3. cap. 9.* Salas *disp. 7. sect. 9. num. 63.* & alij apud eos.

QVOAD ciuitates, quæ retinent potestatem supremæ Reipublicæ, eas posse Leges ferre, asserunt communiter. Vide Suarez *loco cit. num. 16.*

Idem de Legatis Papæ in eorum Prouincia. Ità Panormit. *cap. fin. de offic. Legati*, Syluest. *verbo, Lex 5.* Salas *disp. 8. sect. 11.* Suarez *lib. 4. cap. 6.*

ET quia Legati potestas est ordinaria, vt habetur, *cap. Legatus, de offic. legati in 6.* potest potestatem delegare.

QVÆSTIO IV.

An sit idem finis Iuris ciuilis, & Canonici.

ASSERO, Ius Ciuile non intendere supremam fœlicitatem, quam intendit Ius Canonicum. 15

PROBATVR; Quia est quid naturale: Ergo non ordinatur ad finem supernaturalem. Idem dico etiam de iure ciuili Christianorum contra Nauar. apud Suarez *lib. 3. cap. 11.* Probatur ex Nicolao Papa *in cap. Quoniam, dist. 10.* & *cap. Cum ad verum, dist. 96.* vbi ait, *Imperatores indigere Pontificibus pro æterna vita, & non debere, nec posse Diuinis rebus præesse.* Imò Imperator, *in Authent. Dummodo oportet Episcopos*; ait, *Sacerdotium, & Imperium esse dona Dei; illud Diuinis ministrans: hoc autem humanis præsidens.*

QVÆSTIO V.

Quæ sit materia Legum Ciuilium.

FVIT error Nicolai Machiauelli, etiam obiectum Legum malum esse, si ad statum tuendum prosit. 16

ASSERO primò, Ius Ciuile versari solùm circa materiam honestam.

PROBATVR. Lex ciuilis subordinatur naturali: sed Naturalis non præcipit inhonesta: Ergo. Impia est autem propositio Politicorum; non posse conseruari Regnum, si honestum vbique vigeat. Deus enim supremus Dominus instituit optimam gubernationem, & vetat omne inhonestum. Temerè autem Michiauellus ingreditur ad regimen Dei emendandum. Vide Bossium *de signis Ecclesiæ, lib. 21.* Bellarm. *lib. 4. de notis Ecclesiæ, cap. 17. & 18.* Rebadineram *de Principe Christiano, cap. 13. & sequentibus.*

Fateor, sæpe Ius ciuile permittere aliquod malum ad peiora vitanda. 17

ASSERO secundò, Ius ciuile præcipere honestum, non modò in materia iustitiæ, sed etiam aliarum virtutum. Sumitur ex D. Thom. *quæst. 95. art. 3.* & aliis, apud Bonacinam, *loco citando, num. 3.*

PROBATVR ex Aristotele *5. Eth. cap. 1.* & Platone, *primo de legibus.*

PROBATVR secundò. Potestas Legislatiua non potest assequi suum finem, nisi in materia omnium virtutum præcipiat: loquor autem de virtutibus moralibus; nam Ius ciuile naturale nil de Theologicis nouit.

PROBATVR. Nam Temperantia est necessaria, ne natura nimis obruatur. Similiter Fortitudo ad conseruandam Rempublicam. De Prudentia non dantur quidem speciales Leges; sed benè de aliis virtutibus directis ab ea, in ordine ad ea, quæ possunt euenire.

NOTA tamen, Ius ciuile non posse præcipere omnes actus virtutum omnium moralium, puta Virginitatem; nec prohibere omnes actus vitiorum, puta Fornicationem non scandalosam. Ratio est D. Thom. *quæst. 96. art. 2.* ex D. Augustino *lib. 1. cap. 5.* Quia facere omnes actus bonos; & omnes malos euitare, est perfectorum. Lex autem ciuilis debet esse accommodata 18

modata communitati humanæ, secundùm naturalem conditionem imbellem: Si autem omnes actus virtutum præciperentur. V. G. Virginitas, &c. esset difficillimum; imò contra ius naturæ; nam cessaret generatio, & commune bonum. Ità D. Thom. *q.96. art.2.* Clau. Regia *lib.3. cap.3.* Valentia *disp.7. q.5. punct.7.* Reginaldus *lib.13. num.10.* Azor *part.1. lib.5. quæsito 2.* Caietanus, Sotus, & alij, apud Salam *disp.9. sect.3. num.36.* contra Suarez ex parte *lib.3. cap.12. num.11.* Vide Bonac. *disp.1. quæst.1. punct.5. num.5.* vbi tamen addit, posse Legem humanam vetare omnes actus vitiosos. Quia cùm Lex Naturalis obliget ad omnia peccata vitanda, poterit idem etiam Humana. Oppositum tamen sentiunt Salas *disp.9. sect.3. num.39.* Suarez *lib.4. cap.11.* & *lib.3. cap.12. num.12.* referens D.Thomam, & D. Augustinum. Bassæus V. *Lex 2. num.12.* alios recensens.

QVÆSTIO VI.

Quæ promulgatio sit necessaria ad Legem Ciuilem.

19 IAm vidimus *disp. 1. quæst. 6.* necessariam esse legibus promulgationem; & ratio est euidens; quia ad obseruantiam Legis exigitur scientia; hæc autem non nisi promulgatione à publico habetur. Ita sentiunt D.Thom. *prima secundæ, quæst.96. art.4* D.Bonauent. *in 4. dist.3. quæst.vlt.* Syluest. *verb. Lex, quæst.6.* Nauar. *in Manuali, cap.23. num.44.* Vasquez *prima secundæ, disp.115. cap.2.* Azor *part.1. lib.5. cap.3. quæsito 1.* Molina *tract.5. de Iurisdict. disp.70.* Rodriquez *Tom. 1. q. 9. Regul. quæst. 6. art. 3.* Suarez *lib. 6. de legibus, cap.11.* & *lib.3. cap.16. num.2.* Salas *de legib. disp.12. sect.1.* & alij apud istos, & Bonacinam *disp.1. quæst.1. part.4. num. 6.* Leges enim tunc instituuntur, quando promulgantur, *cap. In istis, dist.4.* & *l.Leges, Cod. de legib.*

20 ASSERO primò, satis esse Legem Principis inferioris promulgati in Curia, & ita statim incipiet obligare, non quidem singulos; sed omnes in actu primo. Ratio est; quia moraliter potest hæc promulgatio singulis innotescere. Ità Sotus *primo de iust. quæst.1. art.4.* Syluest. *verb. Lex, quæst.3.* Azor *lib. 5. cap. 3. dub.2.* Salas *disput.12 sect.2.* Clau. Regia *lib.3. cap.3.* Suarez *lib.3. cap.16.* qui testatur hanc esse communem sententiam. Vide Bonacinam *disput. 1. quæst. 1. punct.4. num.15.*

21 ASSERO secundò, Leges Imperiales, & Regias in singulis prouinciis promulgandas; & ità non ligare eas prouincias, in quibus non est facta promulgatio. Ità Syluest. *verb. Lex, quæst. 6.* Valentia *disput. 7. quæst.5. punct.5.* & alij; & definitur, *in Authent. Vt noua Constitutiones*, quò ad Leges Imperiales, apud Bassæum V. *Lex 2. num.3.*

Id verò ad Leges etiam Regum extendunt Soto *primo de iust. quæst.1. art.4.* Salas *loco cit.* Bartolus, Baldus, Angelus, Armilla, & alij apud Suarez *loco cit. num.8.*

RATIO est D. Bonau. *loco cit.* quia debet Lex, vt obseruetur, sufficienter intimari. Nam ignorantia reddit inuoluntarium, si inuincibilis est.

22 Itaque tunc obligabunt, cùm moraliter ad omnium notitias vniuersitatum peruenerint. D. Thom. *quæst.90. art.4. ad 2.* Suarez *loco cit. cap.17.* citans Panormit. Felinum, & Bartolum; & habetur, *cap. de concess. præbend. in 6.*

Ex iure Ciuili Imperiales Leges obligant solùm post duos menses. Habetur *in Authent. Vt noua constitut. collat.5.* & hoc etiam si antè innotuerint. Ità communiter sentiunt DD. apud Suarez *loco cit. cap.18.*

Ratio est; quia ante, non est sancita Lex; eam porrò Authenticam habere vim Legis, ostendit Castro Palao, *tom.1. tract.3. disput. 1. p.11.* ex Pio V. in Bulla pro Concil. Trident. quæ incipit: *Sicut Sacrorum*, vbi eius meminit dicens, *Iure communi statutum esse, vt Constitutiones nouæ, non nisi post certum tempus obtineant.*

QVÆSTIO VII.

An requirantur ad Legis validitatem suffragia vel acceptatio populi.

PRIMA opinio censet, cuiusvis Legis, tam Ecclesiasticæ, quàm Ciuilis, obligationem pendere ab acceptatione populi. Ità post Glossam *in cap. Vir autem, de secundis nupt.* & *in cap. Cùm olim, de cler. coniugatis*, & *in cap.1. de pactis*, docent communiter Canonistæ, speciatim Fœlinus ibi, Henric. *Tract. de synod. part.3. art.2. num.5. tract.13. part.2.* Item Archidiac. Præposit. Turrecrem. Innoc. Ioan. Andreas apud Azorium *tract.1. lib.5. cap.4. quæsito 1.* Item Syluest. *verb. Lex, quæst.6.* Nauar. *Manu. cap.23. n.41.* Azor *loco cit.* Valentia *quæst.5. punct.5.* qui aiunt, esse communem Theologorum, & Iuristarum consensum. Nituntur dicto Gratiani, *dist. 4. cap. In istis*, vbi ait: *Leges instituuntur, cùm promulgantur; firmantur, cùm moribus vtentium recipiuntur.* Taceo Gersonem, Nicolaum de Cusa, citatos à Carbone, *lib.3. de legibus, cap.10.* qui sentiunt, non posse aliter obligare, siue Regem, siue Papam. 23

SECVNDA sententia negat, vllas Leges pendêre ab acceptatione populi. Ita nonnulli apud Nauar. *de constit. consil.1. quæst.5. num.25.* Idem videntur sentire Carbo *lib.3. de legib. cap.10.* Vasquez *disput. 156. cap.5.* Idem sentit Suarez *lib.3. cap. 19.* vbi refert Cardinalem, Zabarellam, Turrecrematam, Archid. Hugonem, Præpositum, Medinam, *Cod. de Restit. quæst. 36.* Castro *lib.1. de lege pœnali, cap. 1.* Lopez *lib.16. tit.1. part.1. num. 4.* qui ait, esse communem Doctorum, & alij cùm Bassæo *2. n.8.* 24

TERTIA sententia est, leges saltem Pontificias non pendere à populi suffragio. Ità, præter alios citatos à Carbone, & Azorio suprà, sensit Medina *hic, q.90. art.3.* Tanner. *disp.5. quæst.5. dub.4.*

SVPPONO suffragia esse solùm necessaria, quando Leges dantur, & requiritur maior pars, *l. Quòd maior, ff. de Municip.* quod Gloss. exponit: *Maior pars eorum, qui conuenerunt*: debent autem saltem esse duæ partes. In iure autem Canonico additur. *Quòd conueniat pars sanior, cap. primo de his, quæ fiunt à maiori parte*; & hoc speciale est Ius Ecclesiæ, vt notat Abbas *ibi.* Fundamentum huius sententiæ est: Quia Papa, non à populo, sed à Deo habet potestatem.

ASSERO primò, non requiri acceptationem populi ad legis validitatem. 25

PROBATVR primò: Quia vbi populus non regit Democraticè, iam transtulit suum ius in Regem, vel optimates. Ergo nequit recusare. Confirmatur: nam neque Leges parentum pendent à filiis: Ergo. Confirmatur secundò; alioqui nulla stabilitas erit ad bonum publicum.

ASSERO secundò, probabile esse, Leges ciuiles pendêre ab acceptatione populi, nisi aliter in contrarium

trarium sit expressum, aut ex facto superioris manifestum.

Est communis sententia Theologorum, & Iuristarum. Probatur *ex l.32.ff.de legib.* vbi dicitur, *Leges nullâ ex aliâ causâ nos tenere, quàm quòd indicio populi recepta sint.*

Nota, damnari à Sanctissimo Alexand.VII. dicere; Populum non peccare, etiamsi absque causa recuset Legem Principis.

QVÆSTIO VIII.

An degentes extra suam Diœcesim, illius legibus interim teneantur, in qua degunt.

26 De illis ago, qui longum, aut fixum domicilium ibi habent.

Aliqui asserunt. Ità Molfesius *in sum. Theol. tract.9. cap.8. num.34.* & *tract.10. num.17. cap.4.* Suarez *de Relig. Tom.1. lib.2. cap.14.* Less. *lib.4.cap.2. dub.8. num.10.* Sayrus *in Claui Regia. lib.7. cap.3.* Fagundez *de praeceptis Ecclesiæ, Tom.1. lib.1. cap.8. num.20.*

Oppositum sentit Diana *tract. de legib. Resol.13.* cum Granado *prima secunda, controu.7. tract.3. part.p. disput.7. sect.4.* Sanchez *de matrim. Tom. primo, lib.3. disput.18.* & *in opere Morali, Tom.1. lib.1. cap.13. num.38* Azor *part.1. lib.7. cap.30. quæsito vlt.* Vega *in sum. Tom.1. cap.14. casu 11.* & alij apud ipsos, & Bassæum V. *Lex 3. num.6.*

27 Limitat hæc Diana: & primò docet, Quò ad contractus vnumquemque teneri loco, vbi degit. Hi enim sunt irriti, si non seruetur loci mos. Ità Fœlin. Iason. Bartol. Tiraquel. apud Salam *disp.14. sect.4. num.53.* Suarez *lib.3. cap.33.* Sanchez *lib.1. cap.12. num.25. operis Moral.* Vide Bonacinam *disp.1. quæst.1, part.6. num.50.* Secundò teneri ait, quando esset scandalum vel trangressio cederet in damnum illius loci. V. G. extrahere frumenta: Ità etiam Bonac. *loco cit. num 53.* alios citans. Tertiò dicit, non includi vagos. Quartò teneri, si Leges obligant etiam in loco domicilij, & non solùm in loco vbi reperiuntur; nam in hoc casu nulla est ratio excusans. Vide Villalob. *in sum. tom.1. tract.2. dub.37.* Fagundez, Sanchez, & alios, *loco cit.* cum Bassæo.

Assero probabiliter, non teneri degentem extra suam Diœcesim legibus loci, vbi degit.

Probatur: Quia Lex obligat tantùm subditos, & partes communitatis, pro qua fertur. Vide Dianam.

QVÆSTIO IX.

An degens extra suam Diœcesim per aliquot dies, teneatur eius Ieiuniis.

28 Assero probabiliter, non teneri. Ità Diana *Resol.14.* cum Sanchez *in sum. tom.1. lib.1. cap.22. num.35.* & *de Matrim. tom 1 lib.3. disp.18. num.29.* Fagundez *de præcep. Eccles. Tom.1. lib.1. cap.7.* Ratio est; quia vtitur iure suo. Vide Dianam *Resol.15.* vbi asserit, peregrinos non teneri legibus loci, nisi velint ibi manere pro maiori anni parte. Sic & alij cum illo, & cum Bass. V. *Lex 3. num.5.* & Amico *tract.5. de inst.disp.5. sect.16. num.359.*

QVÆSTIO X.

An Vagi teneantur Legibus locorum, in quibus sunt.

Assero affirmatiuè cum communi sententia 29
apud Dianam *Resol.16.* Sanchez *de matrim. l.3. disp.18. & 25.* Suarez *de Leg. l.3. cap.32.* Bassæum V. *Lex 3. num.7.*

Ratio firma est; quia alioqui ab omnibus legibus essent immunes, quod sanè eorum saluti, & rectæ gubernationi non est consentaneum.

QVÆSTIO XI.

An Leges Ciuiles obligent Ecclesiasticos.

Grauis est questio ista; ideò seriùs examinanda. 30

Suppono primò, personas Ecclesiasticas exemptas esse omninò à foro Ciuili, & à tributis Principis sæcularis. Est certissimum, & habetur, *cap. Significasti, de foro compet.* & Concil. Trident. *sess.25. cap.20.* Nec modò personæ, sed etiam Ecclesiasticorum bona exempta sunt à temporalibus vectigalibus, *cap. Non minus*, & *cap. Aduersus, de immu. Ecclesiast. cap. Nouerit de sent. excom.* & *cap. Quamquam, de censib. in 6.* Ideò de legibus, repugnantibus huic immunitati, non ago; quia iniquæ, & reprobatæ sunt, non modo Iure Can. *cap. Ecclesia*, & *cap. Quis in Ecclesiasticorum, de constitut.* & *cap. Nouerit, de sent. excom.* & *cap. vlt. de immu. Ecclesiast. in 6.* sed etiam Iure Ciuili, *cap. de sacrosancta Ecclesia.* Est autem Lex Ciuilis contra immunitatem Ecclesiasticam, quando vel de materia Ecclesiastica, spiritualique disponit directè; aut circa personas Ecclesiasticas directè versatur. Indirectè autem est contraria, quando 31
in propria materia ità disponit, vt ex huius obseruatione redundet aliquid contra Ius Ecclesiasticorum, vel Ecclisiastici ordinis, vel contra priuilegia eius, vt ait Innoc. *in cap. Nouit, de sent.excom.* & sequuntur alij. Ratio est, quia in Moralibus, *indirectum æquiualet directo.* Sic Federicus II. Imperator in peculiari constitutione, quam ex Vaticano codice affert Baronius, *Tom.2. Anno 1697. num.78.* Omnia statuta præiudicantia Ecclesiasticæ libertati, ac Diuino, & humano Iuri obuiantia, tanquam de radice prauitatis hæreticæ prouenientia, cassat, & annullat. Idem facit Honorius Papa *de sent. excom.* & Bulla cœnæ, & Concil. Trident. *sess.22. cap.8. & 11.*

Abeant igitur Sectarij, Caluinus *lib.4. Instit. cap.11. §.15.* Petrus Martyr *in cap.13. ad Rom.* Melancthon *in Locis, cap. de Magistratu*, Brentius *in Prol.* Vide Tanner. *in Defens. Ecclesiast. libert.* præsertim, *lib.1. à cap.9.* & *lib.2. à cap.6.* & *tom.4. de Sacro Ordine.* 32

Præcipuè verò reprobantur Leges imponentes tributa Ecclesiasticis absque Romani Pontificis licentia, vt videre est in Constitutione Bonifacij VIII. quæ refertur, *cap.3. de Immun. Ecclesiastica, in 6.* & in Concilio Later. sub Innocentio III. *can.46.*

Quæstio ergo est: An Clerici subdantur legibus, spectantibus ad bonum commune Reipublicæ, nec repugnantibus statui Ecclesiastico, & hoc secundùm vim directiuam: non coactiuam.

Prima

Prima opinio est Lorchæ *prima secundæ*, *tom.2. tract. de legibus*, *disp.25. memb.4.* Ecclesiasticos subdi legibus directè, non modò secundùm vim directiuam; sed etiam coactiuam, quamuis coactio nequeat fieri per pœnas à Iudice sæculari; sed Ecclesiastico.

33 Secunda opinio est, nullo modo subdi Ecclesiasticos potestati sæculari, etiam quoad directiuam. Ità Nauar. *consil.3. de constit. num.* 4. Marcus Antonius Genuensis *in Praxi*, *cap.74*.

Ceteri verò exuliantibus suffragiis sentiunt, Ecclesiasticos teneri dictis legibus ciuilibus. Nauar. *in Manuali*, *cap.23. num.88.* Valentia *Tom.4. disp.9. quæst.5. punct.* 4. Clauis Reg. *lib.3. cap.4. num.16.* Sauarus *lib.3. de legib. cap.34.* Azor *part.1. lib.5. c.12.* Molina *tract.2. de iust. disp.31.* Bellarm. *lib.1. de cler. cap.28.* Vasquez *prima secunda*, *disp.167. cap.4.* Salon. *Tom.2. quæst.77. art.1. controu.10. num.11.* Syluest. *verb. Lex*, *quæst.15.* Angel. *eod. verb. num.5.* Ledesma *in sum. tom.2. tract.8. cap.32. diffic.4.* Sotus *de* 34 *iust. lib.1. quæst.7. art.7. concl.* 1. & alij, quos citat, & sequitur Salgado *de Protect. Regia*, *tom.1. part.1. cap.1. num.64. Præl.2.* Ceuallos *tract. de cognitione per viam violentiæ*, *in Prol.n.30.* Peirinus *de Priuil. Minim. tom.1.* Constit. Iulij II. §.33. *num.151.* Auendagno *tract. de censur. Hisp. cap.32. num.20.* Lassarte *de Decima vendit. cap.10. num 3.* Mexia *in Prag. taxæ panis*, *conclu.5. num.39.* Salas *de empt. & vendit. dub.9. num.2.* Medina *Cod. de Restitut. quæst.36.* Castro *lib.1. de lege pœn. cap. vlt.* Victoria *relect. prima de Potest. Ecclesia*, Tolet. *lib. de septem peccatis*, *cap.2.* & alij.

Ex his aliqui asserunt, Ecclesiasticos teneri legibus ciuilibus directè, ratione vis directiuæ. Ità Sot. Medina, Victoria, Salas, & alij, quos hic citat *de Legib. disp.14. sect.8. num.94.*

35 Sed contraria sententia est probabilior, non teneri directè vi Legum, sed indirectè ex naturali dictamine, imperante conformitatem cum toto Reipublicæ corpore, ad bonum vniuersale Reipublicæ promouendum, ac conseruandum. Ita Tanner. *part.2. disp.5. quæst.6. dub.2.* Vasquez *prima secundæ*, *disp.167. cap.4.* Azor *part.1. lib.5. cap.12. quæsito* 3. & *part.2. lib.9. cap.7. quæsito.89. & 15.* Pesantius *tract. de immun. Eccles. disp.4.* Layman *tract.4. cap.13. num.6.* Vigianus *tract. de immu. Ecclesiast. disp.2. conclu.5.* Villalob. *tom.1. tract.2. disp.31.* Portel. *in dub. Regul. verb. Lex*, *num.2.* Filliuc. *tom.2. tract.35. cap.4. n.94.* Faust. *in speculo confess. disp.6. quæst.44. num.3.* Barbosa *in collect. lib.1. Decret. tit.2. cap. Ecclesia S. Mariæ*, *de constit. num.4.* Bellarm. *in Respons. ad epistolam incerti*, Diana *tom.1. tract. de Immu. Ecclesiast. Resol.* 8. Bonacina *de legib. disp.1. quæst.1. punct.6. num.29.* qui alios referunt cum Bassæo V. *Lex 3. n.4.*

Si attentè legatur D. Bonauent. *in 2. dist.44. art.3. quæst.1.* & *de Ecclesiastica Hierarch. part.2. cap.1.* idem omninò sentit cum istis; tametsi neque ipse S. Doctor, aut D. Thom. Alensis, Albertus, Sotus, Richardus, aliiue antiqui aliquid expressè de hac quæst. tractauerint, vt notat Azor *tom.1. lib.5. cap.12.*

Idem verò sentiunt de hac quæst. Canonistæ *in cap. Ecclesia*, *de constit.* vbi Panormit. *num.* 13. Decius *num.27.* Felinus *à num.37.* maximè *num.81. & 87.* qui refert Cardinalem, & alios. Ità etiam Salzedo referens alios *in Pract. crim. cap.15.* Couarru. in Pract. cap.33. Et tandem Iuristæ *in l. Cunctos populos*, *Cod. de summa Trinitate*, præcipuè Bartolus *à num.28.*

36 Assero primò, Ecclesiasticos teneri legibus iustis ciuilibus, promouentibus bonum commune, vt suprà.

Probatur primò, *ex cap. primo de Noui operis nunciat*: vbi Papa vult, causam inter Clericos super Capellæ constructioné, post noui operis nunciationem, secundùm Leges terminari, quia hoc non est contra bonum Ecclesiarum; sed in eorum iuuamen. In quo textu non videtur ius nouum constitui; sed antiquum declarari. Ita colligunt Panormit. & Decius. Idem colligitur, *ex cap. Innotuit, ibi. Cum legibus sit prouisione statutum de Arbitris*, *& cap. Si in ordinarium*, *dist.10.* & *cap. de capitulis*, *dist.* 10. ait Pontifex, se curare, vt Imperatoris Leges seruentur; *& cap. Cùm ad verum*, *dist.96.* ait, Pontifices pro vsu temporalium rerum, temporalibus legibus vti, quæ optima consirmatæ sunt consuetudine, quæ est optima legum Interpres, quæ consuetudo colligitur esse antiquissima ex Theodoret. *lib.4. Hist. cap.7.*

Hinc elicitur ratio; quia hæc subiectio à sacris 37 Canonibus ratificatur quo ad hunc effectum. Ità Decius *in cap. Ecclesia*, quod explicat intelligendum de legibus abstrahentibus à clericis, & laicis, quæ bonum commune promouent, & sunt omnibus vtiles, nec nocent clericis. Ità Panormit. Syluest. Angelus, Marcus Mans. *num.23.* Maranta *disp. 8. num.17.* Rebuff. *in comment. de constitut. Galliæ*, *tom.1. Proœm. Glossa prima*, *num.62.* & Suarez *lib.3. cap.34.*

Probatur ergo sic intellecta doctrina, *ex cap.1. de Noui oper.* & *cap. citato.* Secundò ex antiquioribus Decretis, & *cap. de capitulis*, *dist.10.* vbi Leo Papa IV. scribit ad Imperatorem, *se effecturum, vt constitutiones eius seruentur*, *quantùm valuimus*, *& valemus.* Et Nicolaus Papa *cap.1. eiusdem dist.* ait: *Legibus Imperatorum non in omnibus Ecclesiasticis controuersiis vtendum est.* (Ergo in quibusdam vtendum) & in fine ait: *Non quòd Imperatorum Leges*, *quibus sæpè Ecclesia vtitur*, *dicamus penitùs remouendas*, &c. *& cap. Quoniam*, ait Gelasius Papa, *Pontifices vti legibus Imperatorum tantummodò pro cursu temporalium rerum*, (vtique vbi Canones Ecclesiastici desunt.) Quæ constitutiones loquuntur etiam de legibus aliorum Regum, & Principum, vt *cap. constitut. & cap. Quis autem*, *dist.10.* & *cap. Duo sunt*, & *cap. Si adiutorium*, *dist.10.*

Assero secundò, non teneri Ecclesiasticos co- 38 actiuè legibus Ciuilibus.

Probatur. Quia nullus sic subditur legi eius, qui non habet iurisdictionem in ipsum; *l. finali*, *ff. de iurisdict. omnium Principum.* Sed Princeps laicus non habet iurisdictionem in Ecclesiasticos, *cap. Decernimus*, *de re iudic.* & *cap. Ecclesia S. Mariæ*, *de constit.* & *cap. Sæculares*, *de foro compet.* & probatur; quia is, cui aliquis est subiectus, potest eum punire, cùm iurisdictio sine coactione inutilis videatur, *l. fin. ff. de eo*, *cui mandata est iurisdictio*; sed sæcularis non potest punire Ecclesiasticos, *cap. Ecclesia S. Mariæ cit.* Ergo Ecclesiastici non tenentur legibus Principum directè, & ex vi coactiua. Ex quo fit, vt nòn possint puniri ab eis: Ab Ecclesiasticis verò Iudicibus mitiùs agendum monent Vasquez & Salas *sect.10. n.112.*

Aliqui verò ampliùs dicunt, non peccare mor- 39 taliter Ecclesiasticos, non obseruantes eas leges (seclusso scandalo.) Ità Bonac. *disp.1. quæst.1. punct.6. num.53.* Salas *disp.14. sect.10. num.11.* apud Dianam *tom.1. tract.10. Resol.12.*

Hic oportet scire, quo iure Ecclesiastici sint exempti.

Multi enim dicunt, esse Iuris humani: Ità decem, & octo Doctores apud Dianam *tom.1. Resol.1. Tractatus secundi*, *de Immunit. Ecclesiastica.*

Plurimi verò aiunt, esse iuris quoque Diuini. Ità communiter Canonistæ, & alij ferè innumeri apud Dianam, *loco cit.* & alios apud ipsum.

Hinc

Hinc sequitur, non posse tale Ius reuocari. Ità Diana *Resol.2.* stante etiam prima opinione: Imò neque posse à Clericis huic renunciari; quia hoc est eis interdictum, *d.11.quæst.1. cap. Insolita*, & *cap. Placuit extra, de foro compet.* Ita communiter Doctores apud Dianam, *Resol.3.*

QVÆSTIO XII.

An per aliquod Priuilegium sit in aliquibus Regnis prædictæ Ecclesiæ libertati derogatum.

40 Aliqvi respondent affirmatiuè. Ità Bannez 2.2. *quæst.67.art.1. dub.2. conclu. 2.* Ioan. de la Cruz *in Director. part. 1. precept.8. quæst. 3. art.1. dub.1. concl.3.* Pesant. *de Immun. Ecclesiast. disput. 3.* & alij. Regem, scilicet Hispaniæ habere Ius circa tribunal, quod vocant *de la Fuerza*, & Regem Franciæ obtinere Canonicatus, & Beneficia conferre in suo Regno, ex priuilegio Apostolico, vt notauit Grassalius *in Regalib. Franciæ, l. 2. iure 1. fol. 229.* & *iure 2. fol.23.*

Et Rempublicam Venetam ex priuilegio Sum. Pontificis procedere posse in aliquibus causis contra Clericos, notauit Zanard. *in Direct. Confess. tom. 3. cap.50.* & Decian. *tom.1. lib.4. cap.9. num. 66.* cum Gigante.

An verò illa Priuilegia sint reuocata per Bullam Cœnæ.

Aliqvi ausi sunt asserere, Reges habere aliqua priuilegia, quæ iam cessere in Iura regia, & irreuocabilia sunt, vt notat Zipæus *in Analysi Iuris Canon. l.2. de foro compet. num.71.* Magis verò modestè loquitur Henriquez *lib. 10. cap. 15. num. 5. in Gloss. litt. G.* quem tacito nomine, sequitur Malderus 2.2. *tract.5. cap.7. dub.7.* qui ait, Non debere Papam ea priuilegia reuocare.

Enim verò proculdubio potest Pontifex ea reuocare, etiamsi sint priuilegia remuneratoria, vt probat Sousa *in Bulla cœnæ, cap.26. disp.101. num.2.*

41 An verò sint reuocata per Bullam Cœnæ.

Filliucius negat *tom.1 tract.16. cap.10.num.258.* & Suarez contra Regem Angliæ *lib.4. cap. 34. num.29.* ex Bellarmino, non audet damnare vsum talium priuilegiorum; sed hoc Apostolicæ sedi remittit; quod antè præstiterat Nauar. *in Man. cap.27. num.11.* vt notat Vasquez *disput. 167. cap. 4. num. 31.* Becanus *part.2. tract.3. cap.6. quæst.11.* Salas *disput.14. sect.9. num.118.*

At ea reuocata dicunt Sayrus *de censur. lib. 3. cap.25. num.10.* Duardus *in Bulla cœnæ, lib. 3. §.5. quæst.1.* Maynardus *de Priuilegiis Ecclesiasticis, part.2. art.18. num.10.* Hugolinus *in respons. ad Iurisconsult. Gymnasij Patauini, cap.7. fol. 9.* Martha *de Iurisdict. part.1. casu 7. num.12.* Barbosa *in collect. l.1. Decret. tit.2. cap. Ecclesia S.Mariæ, de constit. num. 25.* PP. Theologi Religionis Seruorum, *cap.8.num.19.* Ioan. Beltran. de Gueuara *in Propugnaculo Ecclesiast. libertatis, §.7.num.42. assertione 1.*

42 At Malderus *part.2. quæst.9. art.4. fol.407.* negat, hæc priuilegia esse reuocata per Bullam cœnæ. Probat quia rigidiora verba, quæ erant in Bulla Gregor.XIII. circa hoc temperata sunt à posterioribus Pontificibus. Addit verò: *Iudicium sit ad S. Sedem.* Idem defendit Fagundez de præceptis Ecclesiæ, *Tract.1. lib.3. cap.7. num.17.* Videndus etiam Salgado *de Protectione Regia, tract. 2. part.3. cap. 10. num.96. & 97.* Hæc ex Diana *loco cit. Resol.6.* retuli, qui concludit: *Tuentur igitur vtramque sententiam doctissimi viri.* Vide eum etiam *3. part. Tract.1. Resol.57.*

Multas alias quæstiones resoluit *in eodem Tractatu*, & *Tractatu decimo.* Præcipuè *de origine huius iurisdictionis*, & concludit cum plurimis, eam esse à Iure Diuino.

QVÆSTIO XIII.

An Legis ciuilis Latores suis Legibus teneantur.

Svppono, Leges latas ab Ecclesia obligare singulos; nam singuli Christiani in eius communitate existunt. 43

Qværo ergo de Principe, quoad eas Leges, quæ obligant omnes ad bonum vniuersale. Et quidem, non eum teneri in conscientia, certum est, si est Princeps independens; quia à nullo puniri valet, neque à se; cùm idem nequeat esse iudex, & Reus, & coactio debet esse ab extrinseco. Habetur, *l.Princeps, ff. de legibus.*

Prima opinio est, Legislatores non teneri suis legibus, quoad vim etiam directiuam. Videtur D. Bonau. *initio Scripturæ, Tom.1. opusc.* Initio; sed loquitur de obligatione coactiua, iuxta *Legem Princeps* vbi dicitur, *Principes solutos esse legibus.*

Secvnda sententia est affirmatiua. Ità D. Thom. *quæst.96. art.5. ad 3.* Caietanus Conradus *loco cit.* Soto *primo, de iust. quæst.6. art.19.* Victoria *Relect. de potestate ciuili, num.21.* S.Antonin.2. *part. tit.17.* Syluest. *verb. Lex*, Couar. *in cap. Alma Mater, 1. part.* Nauar. *in cap. Si quando de rescript. except.* Abulensis Matth.23. *quæst.24.* Turrecremata, & alij *in cap. Iustum est, dist.9.* & alij Canonistæ *in cap. Cùm omnes, de constit.* Gloss. etiam DD. in dicta lege *Princeps*; & videtur D.Bonau. *in 3. dist.1. dub.3. litt.* 44

Ità etiam Caspensis *disp.4. sect.1.* Tannerus *disp.5. quæst.6. dub.2. num.19.* Valentia *quæst.5. punct.4.* Granado *part.2. controu.7. tract. 3. part. 1. disp.6. sess.1. num.6.* Layman *Tract.4. cap.9.* Suarez *lib.3. cap.35.* Fernandez *in Exam.part.2. cap.6.§.2.* Cruz *in Proœm. disput. 3.* Vasquez *disp.167. cap. 3. num. 17.* Becanus *part.2. tract.3. cap.6. quæst.12.*

Principem, transgressorem legis suæ grauis, mortaliter peccare, astruunt Granado, & Suarez *loco citato*, Sayrus *lib. 2. cap. 9.* Malderus *prima secunda, quæst.96. tract.5. fol.405.* 45

Oppositum tamen asserunt Diana *Tract. 10. Resol.10.* cum Filliuc. Azorio, Sala, & aliis, quos sequitur Bassæus V. *Lex 3. num.3.*

Assero, Principem teneri suis legibus.

Probatvr primò, *ex cap. Cùm omnes*, vbi sententia Catonis approbatur: *Patere legem, quam ipse tuleris*, & illud Prætoris dictum, *ff. Quod quisque Iuris in alterum statuerit, ipse eodem Iure vtatur*; & *in cap. Iustum est, dist.9.* dicitur: *Iustum est, Principem legibus obtemperare suis.* Et infrà dicitur, *Principem teneri suis legibus.* Sic ad Valentinianum scribit Ambrosius *ep.32.* & *in l. Digna vox, Cod. de legib.* dicitur: *Digna vox maiestate regnantis est, legibus alligatum, se Principem profiteri.* Et idem colligit D.Bonau. ex D. August. *lib.5. de ciuit. cap.7.*

Addvnt Reginal, Suarez, Salas, Azor, Filliuc. Villalob. quos adducit, & sequitur Diana, *loco cit.* Principem teneri stare contractibus, quos iniit cum subditis; aliter peccare mortaliter.

DISPVTATIO VII.

De Lege Canonica.

PAri potestatem ad condendos Canones, vidimus *disput.5. quæst.1.* vbi, quibus personis concessum sit, clarè perspeximus.

QVÆSTIO I.

An Ius Canonicum sit supra Ius Ciuile.

1 ASSERO. Probatur ex dictis, & aliis citandis. Est enim hæc Lex à sublimiori Potestate.

PROBATVR secundò, hæc enim est supernaturalis, non modò potestate, quod est de fide; sed ob finem æternæ vitæ, vt definit Nicolaus Papa *ep. ad Michaelem Imperatorem*, & habetur, *cap. Cùm ad verum, dist.96.* Idem habetur, *cap. Duo sunt; & cap. Si Imperator.* Sanè Leges Canonicæ ordinant ad supernam beatitatem; vnde & obiectum eorum est supernaturale, nempè res spectantes ad Fidem, Spem, Charitatem,& Religionem: quòd si virtutes alias inferiores respicit, id præstat, vt sunt ad sanctitatem ordinabiles.

Est sanè Lex hæc humana, sed prout homo est instrumentum Christi *Finis legis in salutem omni credenti.* Quare non est quærenda ad hoc entitas aliqua ordinis Angelici, sed ex fine, qui est anima legum, & è mediis, eam denominationem sumit.

HINC ruit argumentum Moderni cuiusdam, qui contra arguebat. Omnis Lex humana est Naturalis: Canonica est humana: Ergo.

2 RESPONDETVR, Legem humanam, sola humana tractantem, rationis solo ductu naturali ad ciuilem conuictum, esse naturalem. Tales sunt Leges ciuiles. His mixtæ erant Leges veteres plurimæ, vt obseruat S. Bonauent. *de Ecclesiast. Hierarch. part. 2. cap.1.* Vnde inter eas obseruat differentiam, quòd illæ Regno inseruiebant magis quàm Sacerdotalibus Religionis rebus. Ideò Regnum substantiuè nominat; & Sacerdotale adiectiuum. *Exod. 19.* At nostrum, è contra, dicitur Regale Sacerdotium, *prima Petri 2.*

PROBATVR tertiò à Seraphico *ibi:* quia Leges Canonicæ perficiunt animam ad finem beatitudinis supernæ, suntque veluti anima in corpore. Ideò Dominationibus comparantur. Vide S. Doctorem.

PROBATVR quartò à S. Bonauent. *ibi*: quia Potentatus spiritualis dominatur temporalibus; non è contrà. Et hæc potestas à Deo immediatè est relicta super omnes. *Matth.16. Actor.20.*

PROBATVR quintò à Seraph. Doctore *ibi*: ex Immunitate Ecclesiast. à tribunalibus sæcularium, atque ex subiectione omnium foro Ecclesiastico, à quo puniuntur censuris. Vide etiam Suarez *lib.4. cap.9.* Bellarm. *de Sum. Pontif. à cap.6.*

3 ASSERO secundo, Ius ciuile iacere sub Canonico. Ità D.Bonauent. *loco citato.* Vide Suarez, & Bellarminum *loco citato.*

PROBATVR à D. Bonauent. *loco cit.* quia Ius Ecclesiasticum est veluti Spiritus; Et corpus Ecclesiasticum habet pro capite Christum. Est ratio D. Nazianzeni, *orat.17.* Sic Bonifacius VIII. *in Extrauag Vnam sanctam.*

PROBATVR secundò à Seraphico *Initio Scripturæ, tom.1.* quia Lex Ecclesiastica abrogat aliquas Leges ciuiles de vsuris, vt habetur *dist.10. cit. l. Imperatorum, & dist.12. Non licet.*

PROBATVR tertiò à S Doctore, *loco* primò *citato,* quia licèt etiam Ciuilis versetur circa honestum; tamen Canonica versatur circa spirituale, vt notant Canonistæ *in cap. Ecclesia, de constit.* Et Iuristæ *in l.Omnes populi, ff.de iust. & iur.* Et sumitur *ex cap. Bene quidem*, & *cap.Si Imperator*, & *capite,Duo sunt, dist.96.* Actus enim Canonici iuris est circa materiam spiritualem Sacramentorum,Votorum, & Iuramentorum. Hinc & peccata contra has materias supernaturales reuisuntur à Iure Canonico per se, *cap. Vt inquisitionis.*

Aliquando tamen Ius Ciuile, & Canonicum versantur circa idem obiectum, quod dicitur mixti fori, vbi datur locus præuentioni.

QVÆSTIO II.

An Leges Pontificiæ, vt obligent, necesse sit, vt promulgentur in singulis Diœcesibus, & Prouinciis.

SVPPONO non modò Leges titulatas; sed etiam epistolas Pontificias, habere vim Legis. Est communis inter Iurisperitos. Ità Gloss. *in cap. ex maiorit. de fil. presbyterorum.* Imò Iuristæ ciuiles hoc magis certum tenent, quàm de epistolis Imperatorum. Ità Bartol. Paul. Castro *l.prima,Cod. de legibus.* Probatur *ex cap.1. dist.19.* 4

PRIMA opinio tenet, non esse necesse eas promulgari in singulis Diœcesibus, & prouinciis. Ità viginti quatuor DD. apud Dianam, *tom.10. Resol.8.* Adde alios cum Bassæo V. *Lex 2. num.4.*

SECVNDA opinio sexdecim DD. est affirmatiua, debere eas promulgari modo dicto.

PROBATVR. Quia asperum nimis esset, si statim ac Romæ promulgantur, cogerent vbique omnes. Vide etiam Caspensem *disp.1. sect.4.*

QVÆRES: An Leges Pontificiæ obligent solùm post duos menses à promulgatione.

PRIMA opinio est, eas obligare statim. Ita nouem DD. apud Dianam, *Resol.9.*

SECVNDA est, obligare solùm post duos menses. Ità vndecim alij Doctores. Vtramque probabilem ait Diana.

QVÆSTIO III.

An Leges Canonicæ, vt cogant, debeant acceptari.

PRIMA opinio est negatiua. Doctores retuli *disp.6. quæst.7.* Recensentur octo Doctores etiam à Diana *tract. 10. Resol. 10.* Ratio est; quia Pontifex habet potestatem non à populo; sed à Christo. Id sanè de nonnullis legibus Pontificiis, latis plenitudine potestatis, asserunt, non pendere, Syluest. *verb. Lex, quæst. 6.* Angel. *eod. tit.* Nauar. *Manuali, cap. 23. num.41.* Ioan. Medina *Cod. de Restit. quæst.36.* Carbo *lib. 3. de legib. cap. 10.* qui ait esse communem. Bartholomæus Medina *part. 2. quæst. 70. art.3.* Azor *lib.5.* 5

lib.5. Instit. cap. 12. quæst. 1. & 2. Vasquez *disp.136. cap.5.* à quibus citantur quamplures Iurisperiti, vt Panormit. Feliñ. Archid. Dominicus, Turrecrem. Hugo, Zabarella, Ioan. Andreas, Calderinus, Imola, Anton. de Butrio. E Recentioribus, Gregor. Lupus, Marius, Brugensis, qui ferè generatim loquuntur de legibus Ecclesiasticis. Ita quoque Bonac. *disp.1. quæst.1. punct.4.num.39.*

6 PROBATVR; Quia nonnunquam Pontifices omni contrariæ consuetudini derogant, ac contumaces pœnis compellendos statuunt. Exemplum habetur in Bulla cœnæ Domini, & de Ecclesiast. Immunitate. Vide Azorium *lib.5. cap.12. quæsito* 1. Nauar. *cap.27. num.32.* Tanner. *disp.5. quæst.4.dub.4.* & *lib.2. Defens. Ecclesiast. libertatis, cap.15. & 16.*

SECVNDA opinio asserit, etiam Leges Pontificias ab acceptatione pendere. Authores retuli *disput. 6. quæst.7.* Vide quoque Caspensem *sect.4.* Probatur *ex l. De quibus, ff.de legibus.*

EGO priorem sententiam veram existimo. Monens, vt seruetur Decretum Alex.VII. relatum *disp.6. quæst.7.*

QVÆSTIO IV.

An subditi peccent, non acceptantes Legem, maximè Canonicam.

7 OMNES ferè Doctores vtriusque sententiæ, suprà adducti, conspirant, non acceptando Legem, hos peccare. Attamen multi dicunt, solùm id verum, quando constat, Legislatorem voluisse ad hoc subditos cogere. Diana *Resol.2.* ait Supponi, Principes semper edere Leges dependenter à populo. Vide alias quæstiones in Diana *in eo Tract. de legib.* Addit Tanner. *num.133.* posse sine peccato populum non acceptare Legem, si vident, Legislatorem hanc non acceptationem videre, nec ad illam premere, cùm posset. Ità & Azorius *lib.5. cap 4. quæsito 5.* etsi Suarez cum Zabarella dicant, non receptionem nil operari, nisi transeat in consuetudinem à Legislatore non ignoratam. Refrico damnari ab Alex. VII. dicentes, non peccari eas recusando, etiam sine causa.

QVÆSTIO V.

An Regulares teneantur obseruare Leges Synodales Episcoporum.

8 ASSERVNT multi apud Dianam, *Resol. vndecima.*

Ipse tamen oppositum sentit cum aliis. Ipsum vide.

NOTAT verò, multos casus esse, quibus Religiosi, etiam exempti, tenentur legibus Episcoporum, quos refert Malderus *part.2. quæst.96. art.5. fol.* 408. Cenedus *in quæstionibus Canonicis, quæst.26.* Vide quoque Barbosam *de Potest. Episcopi, part. 3. allegat.* 105.

QVÆSTIO VI.

An Decretum Cardinalium contra Religiosos, accedentes ad alloquendas Moniales, obliget ad mortale.

ASSERO. Ità declaratum est, die prima Iulij 1606. 9
Vide Duardum in Bulla cœnæ *lib.3.§.8.num.47.* Dianam *loco cit. resolut.22.*

Anno verò 1669. Sacra Congregatio, habito verbo cum SS. D. N. Clemente IX. statuit, etiam ad modicum tempus, reatum lethalem incurri.

QVÆSTIO VII.

An Pueri teneantur Legibus Humanis.

CERTVM est, ante septennium eos non teneri; quia non vtuntur ratione. Lex autem est rationabilis. Quare possunt semper carnibus vesci, claustra Monialium intrare, &c. Vide Bomacinam *punct.6. num.6.* Tanner. *disp.5. quæst.6. dub.2. num.36.* Post septennium verò, ante pubertatem, negant, eos teneri Henriquez *lib.8. de Eucharistia, cap.42.* & alij.

PROBABILIVS tamen videtur aliis, eos teneri. Ità 10
refert Caspens. *disp.4. sect.3.* Attamen certum est, censuras non cogere pueros intra pubertatem, vt habetur *in cap.1. De delictis pueror.* An verò tunc occidentes contrahant Irregularitatem, asserunt Sancius *in select. d.26. num.* 18. & alij. Oppositum tenent Sanchez *lib.1. cap.22.num.8.* cum Syluestro.

PORRO legibus abstinentiæ à carne, & Missæ, pueros teneri post septenium, docent Caietan. Cordub. Angel. Syluest. apud Azorium *quæsito 2.* Sà *verb. Ieiunium.* Salas *disp.16.sect.13.num.327.* contra Sotum *4. dist.12. quæst.1. art.11.*

QVOAD Confessionem verò, & Communionem; esto puer ante duodecim annos non teneatur Lege Ecclesiastica, vt docent Valentia *Tom.4. disp.6. quæst.8. punct.4.* Henriq. *lib.8.cap.42.* Suar. *3.p.tom.3.disp.70. sect.1.* iuxta *c.Omnis vtriusque sexus*, quod Cordub. *loco cit.* & Sà *verb.confessio*, extendunt ad annos pubertatis; Lege tamen Diuina multò citiùs ad confitendum, & saltem in articulo mortis ad communicandum, tenetur, vt rectè Suarez, & Salas, contra Cordubam.

DISPVTATIO VIII.

De Consuetudine.

POSTQVAM de Lege scripta egi; iam agendum de Lege non scripta, quæ est Consuetudo.

QVÆTIO I.

Quid sit Consuetudo, Vsus, Mos, Forum, & Stylus.

CONSVETVDO definitur à D.Isidoro *lib.5. Ethymol. cap.3.* & refertur, *cap. Consuetudo, 1. dist. Consuetudo est Ius quoddam moribus institutum, seu vsu*

vsu frequente institutum, vt notat Vasquez *disp.* 177. *num.* 1. ab Alphonso Rege Hisp. definitur, *l.* 4. *Consuetudo est Ius non scriptum, quod ex longo, & continuo vsu ortum est.*

HINC habes primò, Consuetudinem ex vsu oriri. Est autem vsus longa repetitio dicti, vel facti, vt habet D.Bonau. infrà citandus.

HABES secundò, Vsum, & Morem idem ferè esse. Consuetudo dicitur oriri ex *Vsu*, vel *More*. Ità Vasquez *cap.* 1. post S. Bonauenturam infrà citandum.

FORVM autem est, consuetudo eorum, quæ in causis tractandis publicè tenetur.

STYLVS verò est modus procedendi in dicendis, vel scribendis causis, & negotiis. Ità Bartol. *relect. in legem, De quibus, ff. de legib.* Rocchus de Cua *Tract. de consuet. num.* 33. Marcus Burgensis *in l.* 1. *Tauri num.* 200. Vasquèz *num.* 12.

NOTA verò, Consuetudinem, si sumatur, vt est factum, definiri à D.Thoma *quæst.* 97. *art.* 3. *Est frequentia operandi liberè eodem modo.* Idem ostendit S. Bonauent. *lib.* 3. *Pharetra, cap.* 12. ex Sanctorum dictis. Consuetudo verò, sumpta apud Iuristas, dicit Ius quoddam, ortum ex *More*, vel *Vsu*.

2 DIFFERT quoque Consuetudo à Præscriptione; quòd Præscriptio est species consuetudinis. Itaque omnis præscriptio est consuetudo; non è contra. Nam cùm tria sint genera consuetudinis. Prima circa rem aliquam certam; puta locum; vel circa personam. Secunda circa vtrunque simul. Tertia circa facta Hominum. Duo prima genera consuetudinis sunt præscriptiones, quibus aliquis præscribit Ius in locum, seu possessionem, aut personam, vel in vtrunque. Tertium verò genus est consuetudo; non Præscriptio.

EST igitur Præscriptio acquisitio alicuius possessionis rei, vel iuris in personam, vel in vtrunque, vel elisio dominij alterius ex tempore, legibus definito, prouueniente.

Sic Vsucapio est acquisitio dominij, per continuationem temporis, Lege definiti, alicuius rei; non personæ.

3 NOTA etiam, Consuetudinem esse Legem non scriptam, vt definit Rex allegatus *l.* 4. inducitur enim tacitè, quasi Lex. Quod si redueatur in scriptum, cessat esse consuetudo, & fit constitutio. Ità Bartolus *loco cit.* Gratian. post *cap.* 6. *dist.* 1. §. *Cùm itaque* Rocchus *de consuet. in Præfat. num.* 5. & 6. Bald. *l. De quibus*, Iason *l.* 2. *ff. De vulgarib. & pupillis.*

4 DIVIDITVR consuetudo primò, vt dixi, in Realem, Personalem, Mixtam, & operum, seu actionum.

SECVNDO diuiditur in Vniuersalissimam, quæ est Ius Gentium, & vniuersalem alicuius communitatis. Vide Suarez *lib.* 7. *cap.* 3.

DIVIDITVR tertiò in eam, quæ est secundùm Legem: In eam, quæ præter Legem; & in eam, quæ contra Legem.

QVARTO diuiditur in Rationalem, & Irrationalem. Gloss. *cap.* 1. *de constit. in* 6. Hostiens. *in Sum. tit. de consuet.* §. *Quid sit consuetudo.* Ioannes Andr. Panormit. & alij, *cap. vlt. de constit.* Habetur & *cap.* 1. *De his, quæ fiunt à maiori parte capituli, eas consuetudines esse irrationales, quæ nec ratione iuuantur, nec sacris congruunt institutis,* qui textus sumptus est ex Concil. Later. sub Alex. III. *part.* 5. *cap.* 16. vbi præcipitur, seruari consuetudines, quæ ratione iuuantur, & sacris congruunt institutis.

QVÆSTIO II.

Quinam possint inducere Consuetudinem.

ASSERO, solam communitatem, quæ valet Leges condere, posse inducere Consuetudinem. 5
Ratio est, quia consuetudo habet vim interpretandi Leges *cap. Cùm dilect. de consuet.* Ideò dicitur: *Consuetudo optima Legum Interpres*, *l.* 37. *ff. de legib.* Et hæc est authoritas quædam in Legem, vt docent Syluest. *verb. Præceptum, num.* 2. Caietan. 2. 2. *quæst.* 86. *art.* 9. *ad* 2.

Habet etiam vim inducendi Legem, *cap. Consuetudo, dist.* 1. *cap. In his, dist.* 11.

IVS quoque habet abrogandi Legem, *cap. In his cit.* Valent. *disp.* 5. *puncto* 8. Clau. Regia *lib.* 3. *cap.* 11. Suarez *lib.* 7. *cap.* 14. & 17. Azor *lib.* 5. *cap.* 17. & alij apud Bonacinam *disp.* 1. *quæst.* 1. *punct. vlt.* §. 3. *num.* 4. Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 7. *dub.* 1. *num.* 5.

Hinc sequitur, eam necessariò introduci à communitate, habente vim condendi Leges. Et quidem cùm 6
ad Legem condendam requiratur maior pars; idem de consuetudine dicendum. Vide D.Thom. *quæst.* 97. *art.* 3. *ad* 3.

PONCIVS *lib.* 6. *de Matrim. cap.* 6. *num.* 7. & Vasquez *disp.* 177. *cap.* 2. aiunt, requiri expressum Principis consensum ad inducendam consuetudinem abrogantem Legem eius, in loco eius Dominij.

COMMVNITER verò dicunt, non requiri expressum Principis consensum. Ita Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 4. *num.* 11. & 14. & *disp.* 82. *num.* 20. Azor *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 18. *quæsito* 11. Rebellus *part.* 1. *lib.* 1. *quæst.* 5. *num.* 15. Vasquez *disp.* 176. *cap.* 2. *num.* 7. & 8. Becan. *Tract.* 3. *quæst.* 2. *num.* 5. Salas *disp.* 19. *sect.* 4. *num.* 20. & 37. vbi refert Conradum, D.Antoninum, & alios, & *num.* 39. *sect.* 6. *num.* 62. vbi citat Syluestrum, & *sect.* 9. *num.* 58. & *sect.* 11. *num.* 95. vbi refert Couar. Armillam, & alios, Reginaldus *lib.* 13. *num.* 147. Sufficere ergo aiunt consensum tacitum, vt habetur, *l. De quibus, ff. de legib.* Vide Bonacinam *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct. vlt.* §. 3. *num.* 35. Dianam *Tom.* 2. *Tract.* 5. *Resol.* 26. Sufficit etiam legalis consensus, si Princeps Legem condiderit, consuetudinem valere, positis talibus conditionibus.

QVÆSTIO III.

Quænam conditiones requirantur in Actibus ad inducendam Consuetudinem.

PRIMO debet esse circa rem, quæ sit materia legis; 7
nempè, vt non dissonet à iure Naturæ, vel Diuino. His enim iuribus nequit humana potestas derogare. Ità Salas *disp.* 19. *sect.* 11. *num.* 89. Suarez *lib.* 7. *cap.* 6. Becanus *Tom.* 2. *quæst.* 6. Reginaldus *lib.* 13. *num.* 243. & 251. Bonacina *loco cit. num.* 8. vbi infert, non posse induci consuetudinem contra Ius Gentium, quatenus tale ius deducitur ex Lege naturæ, ob eandem rationem. Ità Azor *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 17. *quæsito* 4. & alij apud Salam *disp.* 19. *sect.* 2. *num.* 22. Ergo non potest esse consuetudo circa materiam inutilem, vel malam, quia Lex debet esse iusta, & rationabilis. Ità habetur, *cap. fin.* de consuetudine, rationabilem esse debere consuetudinem, vt notat Tannerus.

SECVNDO

8 SECVNDO debet esse per actus voluntarios. Lex enim ex actus voluntarius liber. Ità Suarez *lib.7. cap.12.* Azorius *loco cit. quæsito* 8. Reginaldus *lib.13.num.*144. Salas *loco cit. sect.*11. *num.*9. & alij.

TERTIO, debet induci per actus eorum, qui Legem seruare tenentur. Itaque pueri, amentes, aduenæ, non possunt inducere consuetudinem. Ità Salas *disput.* 19. *sect.* 6. *num.* 59. Tanner. *num.* 6. Azor *part.p. lib.*5. *cap.*18. *quæsito* 13. Loquor de consuetudine, Legem abrogante.

QVARTO, debet esse intentio, se eximendi à Lege per consuetudinem, quæ intentio satis colligitur ex frequentia actuum, vt docet Suarez *cap.* 18. & alij.

QVINTO, requiritur, vt actus publicè fiat, vt maior pars populi consentire possit. Ità Suarez *lib.* 7. *cap.* 10. Vasquez *disput.*177. *cap.*7. Tanner. & alij.

SEXTO, requiritur actuum pluralitas. Ità Panormit. *cap. vlt. de consuetudine, numero* 19. Armilla, *verb. Consuetudo, num.* 7. Reginaldus *lib.*7. *num.*249. Salas *disput.* 19. *sect.* 11. *num.*93. Bonacina *loco cit. num.*33.

9 SEPTIMO requiritur diuturnitas actuum saltem decem annorum, pro legibus abrogandis. Ita Suarez *lib.6. cap.*15. Molina *tract.*2. *disput.*77. Azor *t.*1. *lib.*5. *cap.*17. Tanner. *num.*8. Reginaldus *loco citato, num.*243. Sà *verb. Lex, num.*17. Rebell. *part.*1. *lib.*1. *quæst.*5. *num.*9. & alij apud Salam *disput.*19. *sect.*4. Sic enim decem anni tempus diuturnum iudicatur, *l.vlt. Cod. de præscript. longi temporis.*

AT pro abroganda Lege Canonica requiritur tempus quadraginta annorum. Suarez *lib.* 7. *cap.* 18. *num.*22. Rebell. *loco cit. num.*12. Salas *disp.*19. *sect.*4. *num.*42. Becanus *cap.*18. *quæst.*3. Reginaldus *lib.*13. *num.*247. Bartolus, Panormit. Innocentius, & alij apud præallegatos. Nam ad præscribendas reliquas res Ecclesiasticas requiritur tantum tempus, *cap. De quarta*, & *cap. Ad Aures, de præscriptionib.*

Lessius verò *lib.*2. *de iust. cap.*6. *dub.*74. *num* 46. Azorius *part.*1. *lib.* 5. *cap.*18. Sà *verb. Lex*, & *verb. Consuetudo*, putant sufficere spatium decem annorum. Vide Bonacinam *loco cit. num.*32.

QVÆSTIO IV.

Qua voluntas requiratur, vt Consuetudo inducta habeat vim Legis cogentis.

10 SVPPONO, Consuetudinem inducere Legem contra Ius, dummodò sit rationabilis, & præscripta, vt ait Gregorius IX. *cap. vlt. de consuetudine.* Primus effectus Consuetudinis est, Legem inducere. Vide Suarez *lib.*7. *cap.*14.

ASSERO, ad inducendam Legem per consuetudinem, requiri, vt initio sit voluntas inducendi Legem. Syluest. *verb. Consuetudo, quæsito quarto.* Sotus *primo de iust. quæst.*7. *art.* 2. Rebell. *part.* 1. *lib.* 1. *quæst.*5. *num.*27. Clau. Regia *lib.* 3. *cap. vlt. num.* 9. Azorius *part.p. lib.*5. *cap.*18. *quæsito* 5. Suarez *loco cit. cap.* 14. *num.*6. vbi plures enumerat consuetudines, quæ non sunt legales, seu obligantes. Sà *verb. Consuetudo*, Menochius de Arbitrariis, *casu* 494. *num.*4. Vasquez *disp.*177. *c.*2. Salas ex parte tantùm, *disp.*19. *sect.*11. *num.*92. Becanus *tract.*3. *cap.*7. *quæst.*1. *num.*4. Reginaldus *lib.*13. *num.*244. Molina *disp.*77.

PROBATVR primò, *ex dist.*8. *cap. Frustra*, vbi Glossa

PROBATVR secundò. Actus agentium non transgrediuntur intentionem eorum, & nemo censetur se obligare absque intentione.

QVÆSTIO V.

An Consuetudo habeat vim interpretandi Legem.

ASSERO, omninò posse consuetudinem esse interpretem Legis, vt dixi *quæst.*2. 11

PROBATVR *ex l. Nam Imperator, ff. de legib.* vbi dicitur: *In ambiguitatibus, quæ ex legibus oriuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuò similiter iudicatarum authoritatem, vim legis obtinere debere.*

QVÆSTIO VI.

Vtrum Consuetudo habeat vim abrogandi Legem.

ASSERO ita esse.

SIC DD. citati *quæst.*2. & reliqui omnes cum 12
D.Thom. *quæst.* 97. *art.*3. Canonistæ *in cap. vlt. de consuet.* Iuristæ, *l. De quibus, ff. de legib.* & *l. prima, & secunda, C. Quæ sit longa consuetudo.*

ASSERO secundò, non posse Legem abrogari à consuetudine, quando ipsa Lex reprobat futuram consuetudinem, absque consensu tacito, vel expresso Legislatoris, vel eius successoris. Tales sunt Leges Canonicæ Bullæ Cœnæ, quæ reprobant consuetudinem ipsi Contrariam.

PROBATVR ex dictis *quæst.*2. Nam si ad inducen- 13
dam Legem requiritur tacitus saltem consensus Principis, quomodo, eo derogante, & reprobante futuram consuetudinem contra Legem, erit valida? Sic igitur, hac conditione, posse Legem abrogari tenent plurimi apud Bonacinam *disput.*1. *quæst.*1. *punct. vlt.* §.3. *num.*36. Ratio est, quia consuetudo habet rationem Legis ex dictis, vt docet Seraph. Doctor *in speculo animæ, cap.*3. ex D. Augustino *lib.* 3. *confess. cap.*8.

QVÆSTIO VIII.

Quomodo possit Consuetudo reuocari.

ASSERO, posse mutari à Principe per Legem op- 14
positam, *cap. Cùm Consuetudinis, cap.*1. *de Constit. in* 6. & *l.*2. *cap. Quæ sit longa consuetudo.*

Ratio est, quia consuetudo non habet vim, nisi ex voluntate, saltem tacita, eius, qui potest Leges ferre.

VT autem reuocetur, sufficit, si contraria sit, ne eludatur lex; vel si non contraria, debet addi: *Non obstante consuetudine, præcipio*, &c. Vide Suarez *lib.*7. *cap.*20. Azorium *part.p. lib.*5. *cap.*16. *quæsito septimo*, Salam *disput.*19. *sect.*13. *num.*98. Clauem Reg. *lib.*3. *cap. vlt. num.*10. Reginaldum *lib.*13. *num.*247. Rotam *Decis.*2. *de rescript. num.*2. *in nouis*, Bonacinam, *loco citato, num.*39.

DISPVTATIO IX.

De Priuilegiis

PRIVILEGIVM dicitur *Lex fauorabilis*, propriè. Quia specialem continet fauorem. De his tamen non differui cum De legibus scriptis; quia non habent intrinsecè, vt sint scripta, *cap. Institut.* 25 *quæst.* 2. & Clementina *Dudum de sepult.* & Extrauag. *Et si Dominici*, *vlt. de pœnit.* Potest tamen ob aliquem casum esse necessaria Scriptura, *cap. contra morem, dist.* 100. Imò videtur esse extra Tractatum de legib. Quia Priuilegium dicitur, quasi *priuans Legem.* Vnde propriè non est Lex.

QVÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Priuilegium.

SOLET Priuilegium definiri. *Priuata Lex, aliquid speciale concedens.* Ita DD. *in Rubricis de Priuil.* & Summistæ *verb. Priuilegium.*

DICITVR *Lex* impropriè, non quia sit Lex; sed quia ad modum Legis seruatur, vt notat Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 1. Dicitur, *priuata*, licèt enim sit, vel esse possit gratia pluribus concessa; attamen est specialis, & priuata, si cum iure communi comparetur, cui detrahit. Hinc habes, Ius commune non esse materiam Priuilegij.

2 DIVIDITVR primò, in Priuilegium REALE; & PERSONALE, *l. Forma*, *§. Quamquam, ff. de legib.* REALE est, quod cadit immediatè super aliquam rationem distinctam à persona, vt immunitas Templi. PERSONALE verò, quod super personam immediatè.

COGNOSCITVR autem, An sit reale. Nam si fiat personæ fictæ, vt Monasterio, ciuitati, quæ loco personæ nominantur, reale esse poterit, eò maximè, quòd est perpetuum. Si verò personæ veræ fit, neque erit perpetuum; eritque personale. Ideò nec transit ad hæredes, vt habetur in Iure. Vide Suarez *lib.* 8. *cap.* 2. Intellige, si detur personæ indiuiduæ (nam si detur generi personarum, vt filiis, maritis, &c. transit ad hæredes; esto sit personale.) Iidem si detur personæ, intuitu dignitatis, vt cùm Pari Franciæ datur dignitas Equitis S. Spiritus; si verò detur intuitu personæ, erit Personale.

3 Insuper videnda est materia Priuilegij, vt deducatur; An sit Reale, necne.

IN dubio verò, censendum est esse reale, quando est fauorabile purum. Ratio est, quia beneficium Principis est latè explicandum, *l. vlt. ff. de constit. Principum*, & debet esse mansurum, *de regul. iur. in* 6.

SI verò sit odiosum, idest contra Ius commune, vel præiudicans tertio, videtur personale; quia odia sunt restringenda; ratione tamen alicuius adiuncti, vt possidentis. Pro hoc stat Suarez *l.* 8. *cap.* 3. Salas *de Leg. disp.* 7. *sect.* 6. Portel. V. *Priu.* Dian. *part.* 4. *tract.* 3. *Resol.* 51. Ponc. *de matr. l.* 8. *cap.* 18.

SECVNDO, aliud est *Gratiosum*, quod gratis datur; aliud *Remuneratiuum*, quod datur in remunerationem, & hoc erit personale, nisi dans, donet etiam pro posteris. Ita Iason, Alciatus, Paulus de Castro, Aretinus, & alij apud Barbosam, qui hos sequitur, *l. Quia tale, ff. soluto matrim. a num.* 6.

TERTIO, aliud est purum, quod sine pacto fit: Aliud conuentionale cum pacto.

QVARTO, aliud datur ob bonum commune immediatè, puta alicui communitati: aliud datur ob bonum particulare immediatè, licèt mediatè ad bonum commune tendat, sicuti debent omnia priuilegia tendere. Ex his, priora ordinariè motu proprio dantur.

QVINTO, aliud est fauorabile simpliciter, & odiosum; & hoc est, quando, ex fauore alicui concesso, sequitur alteri incommodum. Bald. *l.* 1. *ff. de constit. Principum.* Panormit. *cap. Quia de Priuilegiis.* Suarez *cap.* 6. Portel. cit. Azor *l.* 5. *cap.* 23. Bonac. *t.* 2. *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 1. 4

SEXTO. Aliud est affirmatiuum; quod datur ad operandum; aliud negatiuum, ad omittendum.

SEPTIMO, aliud datur pro foro extrinseco; aliud pro interno. Vide Rodriquez *Tom.* 1. *quæst.* 61. *num.* 10. Suarez *loco cit. cap.* 6. Bonacinam *disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 1.

OCTAVO, aliud est datum: aliud consuetudine acquisitum. Potest enim consuetudine introduci contra Ius commune. Ità habetur *cap. Nouit, de Iudiciis.*

SICVT enim consuetudine induci potest Lex; ita multò magis Priuilegium, quod non est abrogatiuum totius Legis. Ex his, aliud insitum est corpori iuris, quod maximè ligat omnes; nec reuocatur, nisi in specie nominetur: aliud extra corpus iuris, & has conditiones non habet: Vide Bassæum *num.* 5.

QVÆSTIO II.

Cui, & Quis concedat Priuilegium.

ASSERO primò, eum posse concedere priuilegia, qui est Legislator. Patet, quia priuilegium est ius derogans Legi, seu iuri communi. Ergo debet super Ius commune habere potestatem. Vide Azorium *part. p. l.* 5. *cap.* 22. Suarez *lib.* 8. *cap.* 9. & 10. Salam *disp.* 17. *sect.* 3. *num.* 27. Tannerum *disp.* 5. *q.* 7. *dub.* 3. Syl. *quæst.* 2. Reg. *l.* 13. *num.* 154. Miran. *tract.* 2. *q.* 41. *art.* 3. Laym. *l.* 41. *tract.* 4. *cap.* 23. 5

ASSERO secundò. Priuilegium contra ius potest subditis solis dari.

PROBATVR. Quia hi soli possunt à lege solui, cùm ligentur.

Priuilegia verò, præter ius, concedi possunt, etiam non subditis, vt peregrinis, &c. Vide Bonacinam *loco citato.* Layman *num.* 15. Suarez *cap.* 9. *num.* 4. Bassæum V. *Priu.* 1. *num.* 7.

ASSERO tertiò, illis tantùm esse concessum, qui nominantur in eo. Nam Priuilegia tantùm valent, quantùm sonant. Hoc intellige de odioso, quia non supponitur præiudicare velle ampliùs. At fauorabile merum extenditur ad eas personas, quæ sunt necessariò connexæ, & sine qua connexione redderetur Princeps inurbanus. Ità Glossa *in cap. Generali de elect. in* 6. *verb. Vniuers.* Gloss. *in Clementina* 1. *de elect.* Archidiac. *in cap. Si quis suadente* 17. *quæst.* 4. Baldus *in cap. ad Audientiam* 11. *de Rescript. num.* 12. Sic Priuilegium concessum Patri, extenditur ad filium, qui vna res est cum eo. Ità *l.* 19. *ff. soluto matrim.* Baldus, Barbosa apud Suarez *lib.* 8. *cap.* 10. & nomine filiorum etiam nepotes intelliguntur *ex Authent. Si quid, Cod. potior in pignore*, Bartolus, *l. Si cum Procuratore, ff. de re indic.* Limitat Suarez, quando Priuilegium vtitur nominibus communibus; vt *Homo, Religiosus*, sic enim etiam fœminæ continentur, 6

tur. Vide Rodriquez *Tom.1. quæst.13.art.22.* & Bonanicam *disp.1.quæst.3. punct.7.* §.2.

ADDIT Suarez *cap.11.* non extendi ad correlatiuos ex natura sua; sed ratione communicationis specialis; vt, si detur ratione nobilitatis, in qua communicat vxor cum viro.

Nota si Princeps ex se concedat, est minus odiosum, & sine subreptitij suspectu; non sic concessum ad instantiam. Vide Suarez *l.5. cap.28.* Sanchez *de matrim. l.1 disp.6. num.29.* & *l.3.disp.36.* Azor *part.p. cap.3.quæsito 5.* Syl. *quæst.vlt.*

QVÆSTIO III.

De Materia, & Forma Priuilegij.

7 ASSERO primò, materiam priuilegij esse rem primò honestam, & rationabilem. Secundò fauorabilem. Tertiò in aliqua actione, vel facultate ad agendum, vel non agendum. Priuilegium enim est Lex, qua speciale quid conceditur. Vide Rodriquez *tom 1. quæst. 61. art.15.* Suarez *lib. 8. cap.9.* Salam *disp.17. sect.4.* Bonanicam, § *p.4.*

ASSERO secundò, priuilegij formam esse verba, quæ sedulò sunt consideranda. Vide Suarez *cap.12.*

QVERÆS: An sit necesse facere mentionem Iuris communis, cui detrahitur.

RESPONDET Gloss. *in cap.1.de constit.in 6.* Felinus *in cap. Nonnulli de Rescript. regul.2.* non esse necessarium. Ratio est, quia Priuilegium ex intrinseco habet esse contra Ius commune. Ergo eo ipso, quòd datur Priuilegium contra Ius commune, non est necessaria mentio de eo, quia Princeps supponitur scire ius commune *cap.1. de constit. in 6.*

8 SVAREZ limitat, hoc valere, quando Priuilegium non potest habere suum effectum, nisi præiudicet iuri communi. Secundò non valere, quando ius commune est qualificatum, & munitum particulis, excludentibus Priuilegia.

ADDIT etiam, in Priuilegio, *ad instar*, quod datur ad similitudinem alterius, puta Religionis; aucto exemplari per nouas concessiones illi primæ personæ, non augeri & aliis, qui ob similitudinem communicant. Ratio est, quia datur Priuilegium ad instar exemplaris, iam existentis. Ità *lib.8. cap.15.*

Hoc mihi etiam videtur rationabile; etsi videatur, aucto simili exemplari, augendum Priuilegium, quod datum est ad similitudinem.

Non exigitur Scriptura. Sic Canonistæ *cap. Institutionis d.25. quæst.2.* Requitur tamen ad probandum.

QVÆSTIO IV.

De Communicatione Priuilegiorum.

9 SINGVLARIS forma priuilegij est per communicationem, maximè in Religionibus. Vide Rodriquez *Tom.1. quæst.55.*

EST autem communicatio hæc, concessionis vni factæ, extensio ad alios. In ea sunt obseruanda accuratè verba, *quibus*, *quo modo*, *quousque*, extendant. Sæpè generalia in eo sunt verba, v.g. *esse communicabile*, neque tamen communicatum manet actu, maximè quia generi resistit species prohibitionis ex lege, vt cum Iuristis loquar. Neque in generali clausulâ venit id, quod Princeps non esset verisimiliter concessurus; vt monet Rodriquez *Tom.1. qq. quæst.55.*

E regione tametsi extet in genere priuilegiorum communicatio, non communicantur odiosa, pœnalia, onerosa, seu instituto suo speciali non apta, nedum contraria, quippè non essent tales Ordines ea accepturi, sunt enim ea in fauorem & commodum; talia verò non debent in odium & incommodum retorqueri, *cap.quod ob gratiam, de reg.iuris in 6.* Vide Rodriquez *t. 3. qq. 11. art. 4. & t. 1. quæst. 55. art. 17.* Mirandam *t. 1. quæst. 19. art.7. & t.2. quæst. 46. art.6.* Vecch. *disp.3. dub.1.* Tamburin. *t.1.disp.17. quæst.6.* Basseum V. *Religio.2. num.10.* 10

Quare etsi Priuilegia Religionibus communicentur æqualiter, Roderico monente, attamen ea excipiuntur.

HINC etiam aliqua Priuilegia, restrictione vni concessa, communicantur absque restrictione, vt notat Bassæus *num.10.* Conceduntur, exempli gratia, Priuilegia Societati Iesu hac restrictione, vt singuli eorum his vti nequeant, nisi à Præposito Generali, vel ab alio per ipsum deputato, eis communicentur. Iam verò, dum aliis communicantur Religionibus, non diffundit hæc restrictio, quia hæc priuilegia primò data fuere absoluta Societati: at restrictio est posteà superaddita, noua declaratione. 11

INSVPER conceduntur Societati aliqua Priuilegia hac restrictione, vt aliæ Religiones non possint eis vti. At aliæ Religiones habent priuilegia communicandi cum aliis, speciatim cum Societate, vt concessit Gregorius XIV. Cistercienfibus, vt Crucigeris. Ideò illa restrictio non potest aliis nocère. Ità Ioan. Cruz *de stat. Relig. l.2. cap.4.* Portel. V. *Priuil. communic. num.23.* Rodriquez, *t. 1. qq. quæst. 55. art.15.* Diana *part.5. t. 13. Resol. 46.* Miranda *t. 2. quæst. 46. art.5.* Bassæus V. *Priuil.5. num.10.* 12

CÆTERVM Religiosi mendicantes communicant inuicem in Priuilegiis, vt declarant Iul.II. *Bulla 8. 9. & 18.* apud Rodriquez. Leo X. *Bulla 2. & 3.* Iul.III. *Bulla prima.* Paulus IV. *Bulla prima.* Pius V. *Bulla 22.* præcipuè inter Fratres Minores, & Prædicatores, amplissima est communicatio priuilegiorum; de qua allegati Pontifices. 13

Eximia habetur Bulla Leonis X. pro Ordine Prædicatorum; motu proprio ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, concedens omnia indulta, priuilegia concessa, & concedenda omnibus Ordinibus mendicantium. Rodriquez *Bulla 33. Leonis X.* Pro minoribus, amplissima habetur Clem.VII. qua, motu proprio ex certa scientia tribus Ordinibus S.Francisci dat omnia priuilegia, indulta, concessa, & concedenda omnibus Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus. Hæc Bulla confirmata est à Paulo IV. Pio IV. Pio V. Gregor.XIII. Sixto V. & aliis Pontificibus.

CAMALDVLENSES participant omnia priuilegia, gratias, indulta, indulgentias, quibuscunque Regularibus elargitas, ac in posterum elargiendas, tam directè, quàm per viam communicationis, ex indulto Gregorij XIV. & habetur 18. *loco, in Bullario nouo.* 14

NOS Capucini, his omnibus, & quibuscunque. Fratrum minorum vti possimus ex concessione Clem.VII.ex Bulla edita anno 1529.apud Laert.Chebinum, *Const.2. dicti Clementis*, §. 9. Vide alia priuilegia & aliorum Ordinum in eo, ac Tamburin. *t. 1. de iure Abb. disp. 17. quæst. 1.* Rodriquez *t. 1. qq. quæst. 55.* Miranda *in Manual. t. 2. quæst. 46, art.2.* Lezana *t. 5. in mare magnum* Carmel. *num.385.* & in Bullam aut. § 4. Comp. Priuil. mendic. Portel. *part. 2. resp. moral.* Casarub. *in Compend.* Peytin. *de Priuil. t.1.* Bassæo V. *Priuilegium.*

QVÆSTIO V.

De confirmatione Priuilegiorum.

15 DVPLEX est confirmatio Priuilegiorum. Altera in forma communi, *cap. Quia diuersitatis, de concess. Prabend.* Secunda est confirmatio in forma speciali, quæ dicitur. *Ex certa scientia, cap.* 1. *de Transactione.*

TVNC confirmatio est in forma communi, quando non indicatur, confirmationem prouenire ex certa notitia distincta prioris priuilegij. Confirmatio ex certa scientia supponit notitiam claram prædicti priuilegij. Ita Panormitanus, *cap.* 101. & alij apud Felinum, *cap. Cùm inter, de exception.* Nam, vt ait Bartolus *l. confitentur, ff. de iure Codicilli*, debet supponi verum id, quod Princeps disponit ex certa scientia, vel plenitudine potestatis. Ità Alex. *l.* 4. *consil.* 122. *num.* 22. & *l.* 5. *consil.* 30. *num.* 9. Eodem modo, ac si dicat; *Non obstante Lege in contrarium.* Ità Felinus *loco cit.*

16 ASSERO primò, confirmationem in forma communi, nullum ius nouum concedere, nec dare valorem Priuilegio, si erat inualidum; & ità non dicitur concessio priuilegij; sed mera roboratio. Traditur *in cap. Quia diuersitatis, de concess. prabend.* Ratio est, quia confirmatio non est de nouo facere; sed supponit factum. Additur verò robur, iuxta *l.* 1. *Cod. de iure veteri enucleando*; & hoc, quando confirmatur à superiori eius, qui concessit Priuilegium, vel alio æquali; at confirmatio in forma communi, facta ab eo, qui dedit Priuilegium, nil addit.

17 ASSERO secundò, confirmationem ex certa scientia, habere vim nouæ concessionis. Ità Gloss. *in cap. Quia diuersitatem*, & *dicto cap. de Transact.* & *cap.* 2. *de Pactis.*

EST autem sufficiens talis confirmatio ad validandum Priuilegium, aliàs inualidum per non vsum; Excipit tamen Suarez, quando ab initio fuit subreptitium, nisi addatur, *non obstante subreptione.* Ità habetur ex Rota *tit. de confirmat. vtil. decis.*

RATIO est; quia subreptitium non potest admittere confirmationem, quæ supponit primam existentiam. Vide Suarez *lib.* 8. *cap.* 19. Tamb. *dist.* 18. *quæst.* 1. & 5. Vech. *disp.* 9. *dist.* 13.

18 ASSERO tertiò, confirmatis Priuilegiis vni Religioni, censentur confirmata eadem etiam cæteris. Ità Mandesius *Tract. de Priuileg. ad instar. quæst.* 8. Bartol. *in* 1. *more maiorum, ff. de Iurisdict.* Rodriq. *tom.* 1. *qq. quæst.* 8. *art.* 2. Miranda *tom.* 2. *quæst.* 42. *art.* 5. Portel. *in dub. reg. V. Priuil. num.* 34. si tamen confirmata sint è certa scientia. Quid si confirmentur in forma communi?

NEGANT miranda, & Rodriq. Quia sicut per reuocationem priuilegiorum vnius Ordinis, non censentur reuocata priuilegia *ad instar*: ita per confirmationem, à contrario, vnius, non sunt confirmata priuilegia, *ad instar*: nam oppositorum par est ratio. Subscribit Bassæus.

AT Suarez *l.* 8. *cap.* 19. Peyrin. *tract.* 1. *in declar. const.* 4. *Iulij II. num.* 12. Probant, quia etiam in forma communi est priuilegium, quamuis in communi sine examine; in quo differt à confirmatione exquisita, quæ datur è certa scientia, vel ex plenitudine potestatis; vel cum clausula, *non obstante Lege in contrarium.*

DIFFERVNT etiam, quia confirmatio, in forma communi, nullum ius nouum confert, nec dat valorem priuilegio, si erat inualidum, *cap. examinata, de confirm. vtil.* nam confirmare, non est de nouo facere. At confirmatio Priuilegij exquisita habet vim nouæ concessionis, *cap.* 1. *de transact. cap. Si Apostolica, de prebend. in* 6. Si tamen addat, se confirmare, quatenus sunt in vsu; non validantur inualida. Vide Suarez *de Leg. l.* 8. *cap.* 18. Tamburinus *l.* 1. *de iure Abb. dist.* 18. *quæst.* 1. & 5. Vech. *dist.* 9. *dub.* 13. Bassæum V. *Priuil.* 4. *num.* 1.

NOTA tamen, confirmationem è certa scientia, non confirmare priuilegium, quod ab initio fuit nullum, tametsi reualidaret reuocatum à prædecessore, speciali Bulla. Non ità, si fuit reuocatum per ius commune, vt per Concil. Trident. Ità Rodriquez *tract.* 1. *qq. q.* 8. *art.* 3. Rosella V. *Absolutio, num.* 123. Suarez *cap.* 19. Corduba ad Compend. V. *Absolutio*, quo ad sæculares 2. *ad* §. 16. Lezana, *t.* 3. *V. clausula, num.* 29. Bassæus *num.* 4. contradicens tamen *num.* 1. *litt. F.* 19

NOTA etiam clausulam. *Quatenus sunt in vsu*, reualidare priuilegia, initio nulla, si tamen sint in obseruantia. Ioan. de Cruz *de stat. relig. l.* 2. *cap.* 3. *d.* 2. Rodriquez *cit. art.* 3. & 4. Suarez *cap.* 18. *num.* 16. Mandesius, *tract. de priuil. ad instar, gloss.* 15. Panorm. *in cap. Cùm super, de causa possess.* Hier. Rodriquez *res.* 116. *num.* 11. Portel. V. *Præscriptio, num.* 2. & V. *Priuil. in addit, num.* 4. Barbosa *in collect. ad cap. Cum dilect. de confirm. vtili.* Miranda *t.* 2. *quæst.* 42. *art.* 4. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *Resol.* 88. qui benè aduertunt, hanc inobseruantiam & non vsum, esse debere 60. annorum *ex priuil. Eugenij IV.* apud Rodriq. *art.* 3. *quæst.* 8. *Tom.* 1. *qq.* & *in Bullario, bulla* 17. Imò *Bulla* 11. concedit monachis vti priuilegiis, absque limitatione temporis non vsus. Hæc ità concessere Sixtus V. & Clem. VIII. Minoribus adhiberi, vt notat Bassæus *num.* 5. cum Rodriquez *art.* 4. innouant enim priuilegia *è certa scientia, & de plenitudine potestatis*, omissa restrictone illa, *quatenus sunt in vsu.*

NOTA, Gregorium XIII. ex certa scientia & de plenitudine potestatis confirmasse omnia Priuilegia Minorum, quatenus sunt in vsu, & decretis Concilij Trident. & sacris Canonibus non contradicunt. Sanè hæc confirmatio destrueret Priuilegia, nam omnia fere iuri communi detrahunt. Quidquid sit, de quo Sorbus, Rodriquez, Bassæus, & alij. Iam Sixtus V. erasit verba, *Sacris Canonibus*, in confirmatione Priuil. Minorum. Idem egit Gregor. XIII. cum Iesuitis, & Gregor. XIV. cum Cistercienfibus. 20

SED quò ad alias particulas, *& decretis S. Concil. Trident. non aduersantur.*

Distinguunt alia esse reuocata exprefsè clausulâ, *non obstantibus, &c.* alia sunt contraria, non tamen exprefsè reuocata. Hæc posteriora non esse derogata dicunt Suarez *de Leg. l.* 8. *cap.* 18. Nau. *Man. cap.* 27. *num.* 190. Rodriquez *tom.* 1. *qq. Reg. quæst.* 8. *art.* 8. Crux *de statu relig. l.* 2. *cap.* 3. *d.* 6. Portel *in dub. Reg. V. Priuil. num.* 31. Lezana *tract.* 3. *summa, v. clausula, num.* 26. nec renuit Miranda *t.* 2. *quæst.* 42. *art.* 3. qui plurimos eruditos allegat. Et si renuat Peyrinus *tract.* 2. super *constit.* 1. *Gregor. XIII.* §. 3.

Quò ad exprefsè reuocata à Concilio Tridentino.

PRIMA opinio est, Regulares posse tuta conscientia eis vti. Ità Henriquez *l.* 7. *cap.* 24. *num.* 8. Rodriquez *tom.* 1. *qq. Regul. quæst.* 8. *art.* 9. Sanchez *l.* 5. *moral. cap.* 4. *num.* 16. Sorbus *in Comp. Priuil. fol.* 85. *Compend. Soc. Iesu, V. Concilium Trident.* §. 3. Ratio, eorum est, quia Pius V. viuæ vocis oraculo ea omnia confirmauit, vt refert Rodriquez & Veracrux

in

in specul. in fine, & *in comp. Societ.* & licèt Gregorius XIII. reuocarit illa in foro externo, ad lites euitandas, non tamen in foro conscientiæ.

21 Enim verò certissimum est, non posse in foro conscientiæ eis nos vti. Tum quia Gregor. meminit etiam confessionum audiendarum, pœnitentiarum iniungendarum a Religiosis, quæ spectant ad forum conscientiæ, quæ nec ita fieri secretò possunt, quin ad aures Episcoporum veniant, ex quo oriuntur lites. Tum quia reuocata sunt omnia viuæ vocis Oracula; continentia gratias, & priuilegia concessa Regularibus ab Vrbano VIII. 20. Decemb. 1631.

Atque adeò licèt concesserim Nauarro, *sum. Lat.* impressa Antuerpiæ 1584. Bullam Gregorij non exisse, aut esse promulgatam; quod necesse est ad validitatem legis. Et idem censeant multi apud Dianam *p.3. tract.2. Resol.*107. cum Nauarro; attamen Vrbani reuocatio est certa.

22 Tandem SS.D. Alexander VII. *in 2. decreto allato, tract.*1. *d.*17. *quæst.*10. damnat hanc propositionem *Regulares possunt in foro conscientiæ vti Priuilegiis suis, quæ sunt expresse reuocata per Concilium Tridentinum.*

Ex quo videtur deduci, non damnari dicentes, non esse reuocata priuilegia, quæ expressè non reuocantur in Tridentino.

Solent in confirmationibus Priuilegiorum aliæ apponi particulæ, de quibus vide Barbosam, de clausulis vsu frequent. Rodriq. *cit. art.*12. *& seq.* Mirand. *in Man. tom.*2. *quæst.*45. Tambur. *de iur. Abb. tom.*1. *d.*18. *quæsit.*6.

23 Concludit Bassæus *verb. Priuil.*4. *num.*11. Prælatos regulares posse tollere, & limitare subditis vsum Priuilegiorum, iuxta concessa Religionibus à Leone X. Ordini Minorum viuæ vocis oraculo. Simili modo à Clem.IV. Cistercien. à Gregor.XIII. Iesuitis.

At oraculum Leonis est abrogatum ab Vrbano, vt dixi cum Bassæo *verb. Priuil.*1. *num.*8. Concessiones verò huiusmodi aliis ordinibus factæ, non communicantur, vt dixi *quæst.*4. cum eodem Bassæo *verb. Priuil.*5. *num.*9.

QVÆSTIO VI.

De effectibus Priuilegiorum.

24 Assero primò, effectum primum Priuilegij, esse, dare aliquod Ius ad agendum, vel omittendum. Ità communiter.

Dices, Multa Priuilegia dantur ad pacandas conscientias, vt docent Rodriq. *tom.*1. *quæst.*11. *art.*9. Panormitanus *cap. Certificari, de sepult.* & alij apud Suarez *lib.*8. *cap.*22.

Respondetur, talia Priuilegia concedere ius nouo titulo *cap.*1. *In his, de Priuil. & cap. si Papa, de Priuil. in* 6. alioqui non esset lex priuata, *cap. Abbati, de verb. signif.* Saltem ergo Ius securè agendi tribuit.

25 Assero secundò, effectum quoque priuilegij esse, cogere alios ad Priuilegium obseruandum.

Assero tertiò, posse priuilegiatum vti priuilegio, contra alium priuilegiatum consimilem, communicantem in Priuilegiis, *l. vlt. ff. ex quibus*; vt ibi notant Bartolus, Baldus. Item Panormit. Felin. apud Couar. *Regula Possessor.*2.*p.* § 2. Vide Rodriq. *tom.*1. *quæst.*9.*art.*12. Ratio est, quia illa similitudo in Priuilegio, est per accidens ad vsum priuilegij. Ideò vnus non potest impedire vsum alterius. Ampliat hoc Suarez ad eos, qui gaudent Priuilegio *Ad instar*, vel *per communicationem*. Ita Corduba *in compend. Minor. verb. communicatio.* Rodriq. *tom.*1. *quæst.*55. *art.*21.

Ratio est, quia illa communicatio est noua concessio eiusdem, seu similis priuilegij cum æqualitate; hæc autem æqualitas non impedit vsum priuilegij contra alium æqualem. 26

Assero quartò, non posse tamen eo vti contra priuilegiatum, respectiuè oppositum, vt, si ipse habet priuilegium carcerandi delinquentes in se; non potest eo vti contra priuilegiatum, ne carceretur. Ità Couar. qui dicit, esse commune axioma; & sumitur *ex Authentica de Sanctissimis Episcopis*, §. *sed hac*, *& l. Verbum*, §. *vlt. & l. Sequitur*, *ff. de Minorit.*

Probatur; quia ad proportionem æqualitatis non sequitur actio in alterum, vt aiunt Philosophi. 27

Quæres: An priuilegiatus cogatur vti Priuilegio. Et quidem videtur negatiuè *ex cap. si de terra, de Priuilegiis.*

Respondetur, in duobus casibus ad hoc teneri. Primò, quandò non potest renunciare, ne aliis præiudicet, sicut in Priuilegio fori. Secundò, quando per priuilegium actus fit licitus, qui antè non erat; vel tollitur obligatio, quæ antè erat; nam tunc superueniente alia lege, præcipiente talem actum, potest quis obligari ad actum per priuilegium concessum: Vt qui habet priuilegium, tempore interdicti, audiendi Missam, tenebitur eam audire diebus festis, non virtute Priuilegij; sed Præcepti. Rodriq. *tom.*1. *qq.q.*61.*art.*15. Bonacina *tom.*2.*d.*1.*quæst.*3.*p.*4. Bassæus *verb. Priuil.*2. *num.*5.

Quæres: An ad Priuilegium sit necessaria promulgatio. 28

Respondetur, necessariam esse in Priuilegiis, quæ feruntur per vniuersales leges, quorum exempla habemus, *cap. si quis suadente Diabolo.* Clement. *Dudum de sepult.* non verò in his, quæ conceduntur per singularia Indulta.

Prima pars probatur *ex l. penult. C. de Decur. l.*10. *in fine.* Ratio est; quia ante promulgationem non habent vim legis: Ergo nec obligandi.

Secunda probatur ex perpetuo Vsu.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Priuilegium habeat suum effectum, antequam sit notum Priuilegiato,

Prima opinio est affirmatiua. Ità Nauar. *lib.*2. *de Rescript. consil.*2.3.*&* 4. Sà *verb. Gratia*, *num.*23. Azor. *tom.*1. *lib.*5. *cap.*23. *quæsito* 11. Salas *disput.*20. *sect.*4. *num.*108. Sanchez *lib.*8. *d.*26. Rebuff. & alij apud Sanchez contra Baldum, *l. Illud*, §. *si talis*, Panormit. *cap. Innotuit, de elect. num.*10. & alios. 29

Videtur autem illa opinio improbabilis. Nam moraliter non expedit taliter fieri, vt ignorans priuilegio fruatur, nec videtur concedens id velle. Ita Glossæ *cap. Ex parte, de concess. præbend. in* 6. Cardinal. in Procem. Clementinæ *verb. Vniuersitatis, quæst.*5. Ioan. Andreas, & ferè alij Expositores, §. *Ex parte* Panormit. *in cap. cognoscentes*, Felinus, qui referunt Innocentium, & alios, inter quos Bartolus *lib.*3. *ff. de constit. Principum*, vbi etiam Baldus, & communiter Summistæ, Sanchez *lib.*3. *de matrim. disp.*36. Suarez *lib* 8. *de legib. cap.*25.

Probatur secundò. Priuilegium non acquiritur absenti: Ergo nec ignoranti. Anteced. patet *ex l. Qui absenti*; *ff. de Acquisit. possess.* Ratio est; quia Priuilegium 30

legium dicit receptionem passiuam. Si tamen acceptatum à nuntio valere, aiunt multi cum Bassæo 2. *num.*2.

QVÆRES. An possit quis vti Priuilegio extra statum concedentis.

RESPONDETVR, non posse, quando extrà est vetitum. Vide Suarez *cap.*26. Sanchez *de matr.l.*8.*d.*31. *num* 17. Azor. *tom.*1. *l.*5. *cap.*23. *quæsit.*6. Laym. *l.*1. *tract.* 4. *cap.* 25. *num.* 16. Bassæum *verb. Priuil.* 2. *num.*8.

QVÆSTIO VIII.

De Restrictione, & Ampliatione Priuilegiorum.

31 ASSERO primò, Priuilegium, quod est merus fauor, non contra Ius commune, vel ius tertij, esse amplè interpretandum, quantum ratio suffert. Ita DD. infrà citandi, cum Suar. *l.*8. *cap.*28.

PROBATVR *ex cap. Olim,de verb.signif.* & *l. Beneficium, ff. de constit. Princip.*

PROBATVR secundò, quia tale priuilegium respicit solum dantem, & recipientem; dantem verò decet esse liberalem prudenter *l. Hoc modo, ff. de condonat. & demonst. & l. Cùm quidem, ff. de liberis, & Posthumis*, fauores enim sunt ampliandi.

32 ASSERO secundò. Priuilegium, quod est contra Ius commune, vel in damnum tertij, est restringendum. Est enim odiosum. Ita Innoc. *cap. Quod dilecti, de consanguin. & affin.* vbi Panormit. ait, esse certam doctrinam, & communem. Idem habetur, *cap. Olim, & cap. Abba,de verb. signif.* & *cap. Quia circa,de priuil. Glossa*, & alij scribentes super hæc iura. Syluest. *verb.Priuil.* Salas *d.*17. Nauar. *in sum.cap.*22.*num.*79. Sanchez referens plures *lib.*8. *d.*1. Tanner. *disput.*5. *quæst.*7. *d.*5.

PROBATVR ex Regul. iuris. Odia sunt restringenda. Sed derogatio iuris communis est odiosa: Ergo. Item tale priuilegium includit dispensationem iuris communis, quæ est Iuris stricti. Confirmatur: Nam bonum commune præferendum est singulari, cæteris paribus. Bonac. *tom.*2. *d.*1. *quæst.*6. *pag.*7.

ADDVNT tamen, si tale priuilegium datum est motu proprio, esse ampliandum, iuxta *cap. si motu proprio de Prebend. in* 6. & tradunt Abbas, Ioan. Andreas *in cap. Cùm in cunctis*, §. *cùm verò,de elect.* Felinus *in cap. Ex parte de Rescript num.*13. Alexander de Næuo, *cap. Qui circa de consanguin. & affinitate.*

33 PROBATVR. Nam quod motu proprio conceditur, censetur pertinere ad fauorem Principis.

DANTVR verò duæ Regulæ pro restringendis priuilegiis, & duæ pro ampliandis.

Circa restrictionem, Prima Regula est. Restrictio priuilegij nunquam debet esse tanta, vt reddatur inutile. Est sententia communis, *cap. In his de Priuil. & cap.*1. *de Rescript.* Item Syluest. *verb.Priuil.quæst.*3. Nauar. *in summa, cap.*12. *num.*79. Et ratio est, quia voluntas Principis nunquam debet frustrari, *l. Non dubium, C. de legib. & l. Qui contra, C. de legib.* Regula autem generalis est circa hoc, vt Priuilegium operetur aliquid vltra ius commune; alioqui redderetur inutile.

34 SECVNDA Regula est. Verba priuilegij seruanda sunt, iuxta proprietatem verborum, neque extrà trahenda ad restringendum, nisi vel iustitia cogat, vel intentio aliundè talis præsumatur in concedente. Sylu. *verb. Priuil. quæst.*3. Azor. *l.*3. *tom.*25. *quæsito* 2.

QVOAD extensionem. Prima regula est, non esse Priuilegium extendendum ad alias personas ob similitudinem rationis. Est communis apud Suarez *lib.*8. *cap.*28.

Ratio est; quia vis Priuilegij non in natura rei posita est, sed in voluntate concedentis: Ergo nihil refert, quòd personæ sint similis rationis, si voluntas concedentis non extenditur: Voluntas autem verbis exprimitur.

SECVNDA Regula est. Extensio Priuilegij facienda est intra proprietatem verborum, nisi requiratur amplior, vt Priuilegium operetur, nec sit otiosum. Sumitur ex Glossa *in Clement. Per litteras de prebend.* Vide Sanchez *disp.*1. *de Matrim. l.*8.

ADDIT tertiò Bass. *verb. Priuil.*5. *num.*12. Priuilegium datum vni monasterio, censeri concessum aliis eiusdem Ordinis; non tamen, si vni religioso conceditur, censetur dari cæteris.

QVÆSTIO IX.

Quomodo Priuilegium ab intrinseco Finiatur.

ASSERO primò, amitti intrinsecè per tempus 35 elapsum, si est temporale.

PROBATVR *cap. de causis, de offic. Deleg.* & *l.*2. *&* 4. *C. de Precibus Imperatori offerendis.*

ASSERO secundò, finire, cessante causa finali, *cap. Cum cessante, de Appellat.* Est communis, vt ait Panormit. *cap. Suggestum de Decimis, num.*5. Barbosa *l.*1. *ff. solut. matrim. p.*1. *à num.*83. Sanchez *lib.*8. *de Matrim. quæst.*30. *num.*14. Azor. *lib.*5. *cap.*22. *quæsito* 14.

PROBATVR, quia non debet præsumi, Principem concedere Priuilegia contra Ius commune absque causa; alioqui iniquè ageret. Oppositum tamen videtur Suarez, *cap.*30. Salas *disp.*20. *sect.*6. *num.*67. & alij sentire, dicentes, cessare solùm, dum causa cessat contrariè, vel dum vsus priuilegij factus est iniquus, vel perniciosus Priuilegiato. Vide Bonacinam *disp.*1. *quæst.*3. *punct.*8.§.2. Tannerum *disp.*5. *quæst.*7. *dub.*3. Sanchez *l.*8. *de matr. d.*28. Suarez *l.*8. *cap.*5. *num.*29. *& seq.*

QVÆSTIO X.

Vtrum Priuilegium expiret sola morte concedentis.

ASSERO negatiuè, nisi id explicetur. Ita Nauar. 36 *cap.*27. *num.*153. & *consil.*1. *de Priuil. num.* 1. Azor. *cap.*23. *quæsit.*4. Molina *lib. de Primogeneis, cap.*7. *num.*63. Suarez *lib.*8. *cap.*31. Sanch. *lib.*8. *de Matrim. disp.*28. *num.*84. & alij.

RATIO est; quia Priuilegium est fauor; at fauor non cessat morte concedentis, *cap. Si cui nulla,de prebend. in* 6. & *cap. Si super gratia,de offic.iudicis Deleg. in* 6. Ita colligunt Gloss. Archid. Ancaranus. Vide Suarez *lib.*8.*cap.*21. *&* 22. Sanchez *l.*8.*de matr.d.*28. *num.*64. Fill. *tract.*10.*cap.*10. *quæst.*10. Sà *verb. Gratia.* Layman. *l.*1.*t.*4.*cap.*23. Nauar.*cap.*27. Crous.*fol.*705.

QVÆST

QVÆSTIO XI.

An priuilegium amittatur per renunciationem.

37 ASSERO, probabiliter necesse esse in foro conscientiæ, vt renunciatio fiat in foro extrà. Ita Suarez *cap.*33. Probabilius tamen mihi videtur oppositum. Nam conscientia, sicut ligabatur ante Priuilegium, ità potest recusando Priuilegium, in eodem foro se ligare, cùm sit forum internum. Intellige de habente successionem; non de momentaneo, vt dispensatio irregularitatis, Suar. *l.*8. *cap.*33. Sanchez *l.*8. *disp.*32. hæc enim nequeunt *renunciari*.

QVÆSTIO XII.

An per non vsum amittatur Priuilegium.

38 ASSERO primò, amitti. Ità Gloss. Innoc. Panormit. Decius, Felinus *in cap. Cùm accessissent, de constit.* Bartolus, & alij Iuristæ *in l. Falso, C. de Diuersit. rescript.* & *l.*1.*ff. de Nundinis.* Vnde inferunt, restringi Priuilegium per vsum restrictum.

NOTA primò, hoc valere solùm de Priuilegio affirmatiuo.

NOTAT secundò Suarez *cap.*34 ex Panormitano *in cap. Ioannes de Clericis coniugat.* non dari in lege præscriptionem contra non vsum Priuilegij. Ideò ex non vsu, non amitti, ex hoc capite, Priuilegium.

RATIO est, quia non potest induci consuetudo sine actibus.

Mihi tamen non placet. Nam consuetudo inducitur etiam per non actus, V.G. non audiendo Sacrum die festo, &c. Hocque fatetur Suarez *cap.*34.*num.*14.

39 ASSERO secundò, per decem annos non vtendo, amitti aliquod Priuilegium. Est communis. Ita Bartolus *l. Falso, & l.*1.*ff. de Nund.* vbi alij communiter. Iason *l. Falso.* Item Panormit. Decius, Felin. *cap. Cùm accessissent, de Constit.* Sic Priuilegium Nundinarum per non vsum decem annorum deperditur. Hoc limitat, dummodo fuerit opportunitas vtendi Priuilegio, & noluerit. Deinde intelligendum est assertum de Priuilegiis, quæ sunt in grauamen aliorum. Ità Suarez *lib.*8.*cap.*34.*num.*15.& Iuristæ allegati suprà. Vide Bonacinam *disp.*1.*quæst.*3. *punct.*8. §.5. *num.*3. cætera verò Priuilegia, cum aliquem non grauant, non cessant per non vsum, nisi iure exprimatur. Hæc autem declaraui *quæst.*5. quoad Priuilegia Religionum. Contra Ecclesias est præscriptio 40.annorum: contra Romanam verò Ecclesiam 100. anni requiruntur.

QVÆSTIO XIII.

An Priuilegia amittantur per contrarium vsum.

40 ASSERO, amitti. Ità Gloss. *in cap. Gratum, de off. Deleg.* & *in cap. Ex ore, De his quæ fiunt à maiori parte, & in cap. vlt. de vita, & honest. Cleric.* Idem habent Interpretes *in dicta cap.* & *in cap. Cùm accessissent, de constit.* & *cap. Si de terra*, & *cap. Antecedentib. de Priuil.* Bartol. *l.*1. *C. de his*, quæ sponte, *l.*10. & *l.vlt. ff. de constit. Principum.*

NOTA primò, actus debere esse à Priuilegiario, etiam contrarios, non modò materialiter, sed etiam formaliter, idest, vt actus fiat voluntariè ex scientia, se agere contra Priuilegium. Ità Panormit. *cap. Cum accessissent*, Bartol. *loc. cit.* Suar. *lib.*8. *cap.*35. Salas *disput.*17. *sect.*13. *num.*66. Felin. *cap.Cùm accessissent, num.*20. vbi refert Baldum, & alios. Vide Bonacinam *disp.*1. *quæst.*3. *punct.*8. §.6. Sylu. *quæst.*10. Suar. *l.*8. *cap.*35. Azor. *p.*1. *l.*5.*cap.*22.*quæsito* 10. De Crus *l.*2. *cap.*3. *d.*3.

Hinc habes, si fiant actus illi cum protestatione non præiudicandi, verè priuilegio non præiudicari. Ita DD. citati.

NOTA secundò, non amitti priuilegium per contrarios actus, nisi ad tempus præscriptum. Vide Suarez *cap.*35. *num.*10. Præscriptiones verò suprà vidimus.

QVÆSTIO XIV.

An amittatur Priuilegium per abusum.

ASSERO, priuilegium amitti per malum vsum. 41
PROBATVR *ex cap. Vbi ita, dist.*74. *cap. Vt Priuilegia*, & *cap. Priuilegium* 11. *quæst.* 3. Ita Bernard. Diez *Regul.* 592. Syluest. *verb. Priuilegium, quæst* 10. Panormit. *cap. Licet, de regul.* Suarez *lib.*8. *cap.*36. Salas *disput.*17. *sect.*13. *num.*67. & Iurisperiti communiter. Vide Bonacinam *disp.*1. *quæst.*3. *punct.*8. §.7. Tanner. *disp.*5. *quæst.*7. *dub.*3. *num.*39. Tambur. *tom.*1. *de iur. Abb. d.*14. *num.*23. Laym. *l.*1. *tract.*4. *cap.*23. *num.*14.

QVÆSTIO XV.

An Priuilegium reuocari possit.

ASSERO primò, Priuilegium, concessum non 42
subdito, non posse ampliùs reuocari. Ita communiter Canonistæ *in cap. Nouit. de Iudiciis.* Ratio est, quia Priuilegium transit in contractum. Excipe, si incipiat esse Regi, vel Regno perniciosum; tunc enim bonum publicum potiùs vrget.

PROINDE verò iam sequitur Priuilegium datum ex contractu oneroso, vel lucratiuo, etiam subdito, non posse ampliùs reuocari. Ità DD. citati, aliique cum Bassæo 3. *num.*2.

PROBATVR; quia Princeps quoque tenetur seruare pacta subditis. Hæc enim est materia iustitiæ.

ASSERO secundò, Priuilegium remuneratiuum ex iustitia, non posse reuocari. Ita DD. citati apud Suarez *lib.*8. *cap.*37. Reginald. *l.*9.*num.*381. Less. *l.*2.*cap.*33. *num.*35. vt dicam *quæst.*17.

Hinc fit, Priuilegium, quod ex sola gratitudine datur, non ità certò esse irreuocabile. Ità Felinus.

ASSERO tertiò, Priuilegia gratis data, quæ trans- 43
ferunt dominium. V.G. Vrbis, vel Castri, esse irreuocabilia per se. Ità DD. citati *in cap. Nouit.*

PROBATVR; quia Princeps non potest violare ius alterius. Addo tamen, posse ea reuocare ex legitima causa, ob bonum commune.

ASSERO quartò, Priuilegium, gratis datum ad aliquam operationem, esse reuocabile, etiam sine causa. Ità habetur *Iuribus cit.* Ratio est; quia non transit in dominium.

QVÆST

QVÆSTIO XVI.

Quibus modis soleat Priuilegium reuocari.

44 ASSERO primò, reuocari posse in specie, vel in genere per clausulam Generalem. *Non obstante quouis priuilegio*; quæ sufficit regulariter. Nam genus continet species. Dixi regulariter, propter Priuilegia in iure contenta; quæ aliquid amplius requirunt; nam eo ipso, quòd sunt in iure, non solùm sunt Priuilegia, sed leges publicæ. Vnde non derogatur eis per clausulam Generalem Priuilegiorum derogatoriam, sed requirit particulam derogatoriam legibus, vt notat Glossa *in Authent. Quia. C. Vbi de crimine.* Vide Iasonem *l.* 1. *C. soluto matrimonio*, Suar. *l.*8. *cap.*18. Bonac. *d.*1. *quæst.*3. *p.*8. §.3. Syluest. *verb. Priuil. quæst.*10.

SECVNDO, dixi regulariter, quia aliqua Priuilegia ità sunt formata, vt ad sui abrogationem requirant mentionem de verbo ad verbum. Vide Canonistas, Felinum *cap. Nonnulli, de rescript.* & Abbatem, *cap. Cum instantia, de censibus.* Aliqua indiuiduam, vt Priuilegia Concilij Generalis moderni, v.g. Trid. Sanch. *de matr. l.*8. *d.*33. *&* 35. Henriq. *l.*7. *cap.*36. Molina *t.*2. *d.*173.

Tertiò dixi regulariter; quia Priuilegia per modum contractus sunt exprimenda, vt Cruciata.

ASSERO secundò, tacitè etiam ea reuocari. Primò, si Princeps aliquid agat, quod non potest stare cum exequutione priuilegij. Vide Suarez *cap.*39.

45 QVÆRIS, quando incipiat Priuilegij reuocatio habere exequutionem.

RESPONDETVR, quòd quando reuocatio est per legem, debet notificari per modum legis: quando verò fit per priuatam reuocationem, debet intimari. Vide Suarez *Tomo integro* Mitand. *Manu. Præl. t.*2. *à quæst.*41. Rodriq. *t.*1. *qq. Reg. quæst.*7.8.9.55. & *t.*3. *quæst.*51. Hieron. Rodriq. *resol.*116. De la Cruz *l.*2. *de stat. Relig.* Tamburin. *t.*1 *de iure. Abb. d.*16.17.18. Portel *in dub. Regul. verb. Priuil.* Azor. *p.* 1. *l.*5. *cap.*22. *&* 23. Reginald. *l.*13. *num.*231. *& seq.* Laym. *l.*1. *tract.*4. *cap.* 23. Comp. Priuil. Mendic. *verb. Priuil.* & *Communic. Priuil.* Cordubam, & Sorbum *ibi.* Bassæum *verb. Priuilegium*, tantùm Laconicè de his actum est, perpauca enim in Seraphico repetiuntur.

QVÆSTIO XVII.

Traduntur nonnulla spectantia ad reuocationem Priuilegiorum.

ADNOTA primo è Rodriq. *t.*1. *qq. Reg. quæst.*9. *art.* 6. in generali Priuilegiorum reuocatione, non censeri reuocata priuilegia Regularium, maximè Mendicantium, quia sunt ex meritis concessa, quæ, cum datis in remunerationem, recensentur à multis. Hæc verò irreuocabilia sunt apud multos Iuristas, allegatos à Tambur. *T.*1. *de iure. Abb. d.*16. *quæsit.*12. *num.* 9. Idque multis authoritatibus probat Surdus *consil.*540. *num.*39. & *consil.*419. *num.*51. Certum est tamen, ea esse reuocabilia.

Non reuocantur tamen Bullâ Cruciatæ. Ità Crux *l.*2. *cap.*3. *d.*7. Henriq. *l.*6. *cap.*16. Sanchez *l.*4. *Moral. cap.*54. *num.*62. Diana *p.*1. *tract.*11. *Resol.*100. Imò probabile censent, neque per Iubilæum anni sancti ea suspendi. His annuunt Tamburin. *t.*1. *de iure. Abb. d.*16. *quæst.*16. Mirand. *in Manu. t.*1. *quæst.*46. *art.*11.

NEQVEVNT autem Religiosi Priuilegiis sui ordinis renunciare, est enim bonum etiam aliorum, non proprium, *cap. si diligenti, de foro compet.* Tambur. *cit. t.*1. *d.*16. *quæst.*15. Portel. *verb. Priuil. num.*52. Diana *p.*3. *tract.*2. *Resol.*87.

ADNOTA adhuc, concessiones, quæ fiunt ad dispensandum in impedimentis matrimonij, & similes, puta ad confessiones audiendas; ad absoluendum à reseruatis, & quasuis alias absolutas, absque temporis determinatione, non expirare morte concedentis, iure communi, si destinentur imperio, sunt enim gratiæ factæ. At si concedantur non in fauorem accipientis, sed alterius dispensandi, absoluendi, videntur gratiæ faciendæ, & expirare cum concedente. Sanch. *l.*8. *de matr. d.*28. *num.*87. Henriq. *l.*12. *cap.*2. *n.*5. Fill. *tract.* 10. *num.* 347. Rodriq. *cap.* 235. Suarez *de Cens. d.*41. *sect.*2. In multis autem Religionibus varia est praxis, vt monet Portel. *verb. Licentia.* Ideò obseruanda.

ENIM verò iurisdictiones contentiosæ delegatæ, aut dispensandi, aut absoluendi hunc numero à reseruatis, expirant cum concedente; vel si ab officio amoueatur, Salas *d.*20. *sect.*17. *num.*125. Sanchez *cit. num.* 30. 57. 73. *&* 94. Suar. *de Leg. l.* 8. *cap.* 31. *num.* 5.

NOTA tertiò Greg XV. 2. Iulij 1621. omnia viuæ vocis oraculo priuilegia data quibusuis ordinibus, exceptis oraculis factis S.R.E. Cardinalibus reuocasse. At Vrbanus VIII. 20. *Decemb.*1631. omnia penitus abrogauit, viuæ vocis oraculo, seu ore, absque scriptura.

AT si primo ore tenus, mox verò scripto firmentur è certa scientia, vel è plenitudine potestatis desinunt esse Oraculum.

NON censeo tamen ablatas esse Indulgentias viuæ vocis oraculo concessas, Peyr. *t.*3. *ad hanc constit. Vrbani*, *cap.*12. Bordonus *Resol.*31. *quæst.*4. Lezana *t.*4. *verb. Oracula.* Nauat. *consil.*17. *de pœnit. num.*3.

Plura ex his oraculis referunt Cassarubius *in suo Compend.* Rodriq. *in suo Bullario.*

OBSERVA, Leges reuocatorias Priuilegiorum, & Indulgentiarum non obligare quo vsque promulgatæ sint, non modò in prouincia, sed in ciuitate, & parochia, est communis sententia, apud Bassæum *verb. Lex* 2. *num.*4. Clauis Reg. *p.*3. *cap.*5. Valent. *d.*7. *quæst.*5. *p.*5. *d.*2. Sot. *l.*1. *quæst.*1. *art.*4. Becan. *cap.*6. *quæst.*6. Caspens. *de Leg. d.*1. *sect.*4. *num.*60.

DISPVTATIO X.

De Lege positiua veteri.

QVÆSTIO I.

An data sit Lex antiquitus à Deo Ecclesiæ.

ASSERO primò, datam populo Legem antiquitus à Deo. Patet ex Pentateucho. Primò quidem data est lex Adæ, non edendi pomum. *Genes.*2. Deinde Abrahæ Lex Circumcisionis. Postmodum Moysi, Lex Scripta, *Exod.* 20. Et cæteris. Vide D.Thom. *art.*2. 1

SERAPHI

SERAPHICVS Doctor ex more doctrinas ad affectum deriuans *tom. vlt. Opusculorum*, initio, agit de Diuina Lege Veteri morali, & incipit ostendere, eam obseruandum ex multis motiuis.

Primum est; quia data est à Summo Rege Deo Creatore nostro, Iob. 10. *Manus tuæ fecerunt me.* Deuter.11. *Oculi vestri viderunt omnia opera magna Dei, quæ fecit, vt custodiatis vniuersa Mandata illius.* Secundum est, quia data est à Deo Gubernatore nostro, Isa.48. *Ego Dominus, docens te vtilia, gubernans te in via, qua ambulas. Vtinam attendisses mandata mea.* Et Psal.118. *Seruaui mandata tua, & testimonia tua; quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.* Tertium denique, quia à Saluatore nostro, Deuter.10. *Et nunc Israël, quid petit Dominus Deus tuus à te, nisi, vt timeas ipsum, & diligas ipsum, & ambules in viis eius, & custodias mandata eius.* Cui subiungit Seraphicus. *Dominus, qui te creauit. Deus, qui te gubernat. Tuus, qui te saluat.*

2 ASSERO secundò, legem veterem fuisse bonam. Vide, quæ dixi *disput.1. quæst.9.*

PROBATVR à D.Bonau. *loco cit.* adducente quartum motiuum ad obseruantiam legum suadendam. Ecclesiast.23. *Nihil melius est, quàm timor Dei, & nihil dulcius, quàm respicere in mandatis Domini.* Et Psal.18. *Lex Domini immaculata, conuertens animas. Iudicia eius desiderabilia super aurum, &c.* Rom.7. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & bonum.* Et Timot.6. *Præcipio tibi in Deo, qui viuificat omnia, vt serues Mandatum irreprehensibile.*

PROBATVR secundò à Seraphico, legem esse bonam,& vtilem; quod est secundum motiuum.Rom.2. *Non auditores legis tantùm, sed factores iustificabuntur.* Prou.7. *Serua mandata mea, & viues: & legem meam quasi pupillam oculi.*

IDEM probat ex opposita inobseruantia, quæ multa, atque grauissima inducit mala. Leuit.26. *Si non audieritis vocem meam, & non feceritis mandata mea: Visitabo vos in egestate, & calore, qui conficiet oculos vestros, & consumet animas vestras.* Baruch.1. *Non obediuimus voci Domini, vt ambularemus in mandatis eius: & abiuimus vnusquisque in sensu cordis nostri maligni.* Et Psal.18. *Israël non intendit mihi; & dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* Daniel.3. *Peccauimus, & traditi sumus, &c.* Psal.118. *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis.* Deuter.11. *En propono tibi benedictionem, & maledictionem: Benedictionem, si mandata mea feceris: Maledictionem, si non feceris.*

HINC deducit rationem, quam initio Tractatus proposuit. Id, quod ducit ad finem optimum, est bonum. Sed Lex deducit ad finem optimum, nempè vitam æternam, Matth.19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata:* Ergo, &c. Hac ratione vtitur etiam D.Thom. *art.2.* qui addit aliam rationem. Nam Lex vetus ordinabat ad Christum, Ioan.5. *Si crederetis Moysi, crederetis & mihi: de me enim scripsit.* Christus autem ad vitam æternam ducit. Ideò conqueritur. *Non vultis venire ad me, vt vitam æternam habeatis?* Quæ est ratio D.Bonau. ad ea verba *Ioan.5.* Ipsum vide ibi, egregiè differentem.

3 HANC autem legem datam soli populo Iudæo, clarè habetur. Vnde *Ioan.4. Salus ex Iudæis est;* vt notat Seraphicus *ibi*, siue quia etiam ex eo genere destinatus erat quoque Legislator nouus Christus. Circumcisionem quidem præcepit Deus, primò Abrahæ, *loco cit.* Deinde Moysi. *Leuit.12.* Vnde ait Christus, Ioan.7. *Moyses dedit vobis circumcisionem: non quia ex Moyse est, sed ex Patribus*, vt notat D.Bonau. ibi. Legem verò scriptam dedit Moysi, vt dicitur Exod.24. *Ascende ad me in montem & esto ibi: & dabo tibi duas tabulas lapideas, & legem, & mandata, quæ scripsi.* Vide Seraphicum Doctorem *serm.2. loco cit.*

DATAM verò per Angelos fuisse legem, ostendit S.Thom. *art.3.* cum D.Bonau. *ad 1. Lucæ*; quia imperfecta erat, & ideò per Ministros danda.

QVÆSTIO II.

An plura præcepta contineat Lex antiqua, & quæ.

D.Thom.*quæst.99.*

ASSERO primò, data esse plura præcepta à Deo in Lege veteri. 4

RATIO D.Bonau.*serm.1. & 2.* allegatis, est; quia Lex ex sui ratione ordinat communitatem ad bonum finem. Vnde lex Diuina ordinabat ad Deum, finem supernaturalem, in quo est omne bonum, vt dicitur: *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Psal.72. ad quem locum D.August. probat, in istis verbis contineri totum id, quod necessarium est ad salutem: Iam verò ad Creaturam ducendam in Deum plura sunt necessaria, nempè debitus cultus, debita reuerentia, & debitum obsequium, & remotio impedimentorum concupiscibilis, & Irascibilis; & ideò vna Lex plura debuit continere præcepta. Idem ferè habet D.Thom. *art.1.*

ASSERO secundò, in Lege veteri contineri præcepta moralia. 5

PROBATVR à D.Bonau. Exod.20. *Honora Patrem. Non occides. Non mœchaberis*; &c. Ratio est, quia finis legis est communitatem simul continere in vno corpore pacificè. Sic igitur Lex Diuina debet Homines componere in pacifico statu ad finem optimum, qui est Deus. Hunc autem, necesse est, vt amemus. Vnde dicitur Matth.22. *Hoc est maximum, & primum mandatum, Diliges Dominum Deum tuum*: Amor enim similem facit, & amantem amato vnit. Hoc autem fit obseruando præcepta, quæ ad ipsum deducunt, & ad eius amorem. Hoc enim iustum, sanctumque facit Deo similem; quia Bonitas hominis est virtus, quæ facit bonum habentem, & ideò oportuit legem Dei habere præcepta virtutum, quæ sunt moralia. Idem ferè D.Thom. *art.2.*

ASSERO tertiò, in Lege veteri contineri etiam præcepta cæremonialia. 6

PROBATVR à D.Bonau. *in 3. dist.37. dub.3. litt.* ex Osea, vbi asserit, dedisse Deum aliqua præcepta, vt essent signa, & mysteria. Sic dedisse Sabbathum ad requiem, vt indicaret, requiescendum ab operibus malis, & expectandam requiem Christi in morte, qua aperiretur ianua Paradisi.

DICIT autem D. August. *lib.6. cap.2.* & *lib.19. cap.18.* & *lib.10. cap.2.* contra Faustum, quòd in Lege sunt præcepta vitæ agendæ, & præcepta vitæ significandæ, quæ sunt cæremonialia, vt notat etiam D.Thom. *quæst.99. art.4. initio.*

ASSERO quartò, in lege veteri continebantur etiam præcepta iudicialia. 7

PROBATVR à D.Thom. *art.4.* Quia ad legem Diuinam spectat, vt ordinet homines ad inuicem, & ad Deum, quod est de dictamine naturæ: Debuere quoque dari aliqua præcepta, quibus ordinarentur homines ad inuicem, vt sic inuicem ordinatè viuerent, & ad hoc necessaria fuere præcepta Iudicialia.

Ideò Apostolus *Rom.7.* cùm dixisset, Legem esse sanctam,

sanctam, subdit, Præceptum esse iustum, bonum, & sanctum: *Iustum* per præcepta Iudicialia; *Sanctum*, quo ad cæremonialia, *Bonum* quo ad moralia. Idem ferè habet D. Bonau. *serm.1. allegato.*

8 Assero quintò. Lex vetus congruè inducebat ad sui obseruantiam promissionibus, comminationibusque temporalibus.

Probatur à Seraphico *in 3. dist.40. quæst.1. in corpore*, & *ad argumenta*, & D. Thom. *art.6.* Sicut in scientiis inducuntur homines ad assentiendum conclusionibus per media Syllogistica; ità & in quibuslibet legibus inducuntur homines ad obseruantiam præceptorum per pœnas, & præmia. Vnde sicuti in scientiis adhibentur media proportionata à notioribus nobis; ità etiam in disciplina ab his, quæ sunt nobis efficaciora ad inducendum, sumimus motiua. Sic puerum inducimus promissionibus, munusculis, vel timore ferulæ: Lex igitur vetus disponebat ad Christum, tanquam imperfectum ad perfectum, *Hebr.7.* Vnde populus ille comparatur puero sub pedagogo existenti, *Galat.3.* Igitur antiqui illi, cùm essent imperfecti, & pueriles sensu, affectuque, & duræ ceruicis, mouebantur his, quæ sunt sensibilia, nempè promissionibus bonorum temporalium, vt dicitur Isa.1. *Si audieritis me, bona terræ comedetis*; & terrebantur flagellis, vt dicitur Leuit. Deuter. & aliis locis suprà adductis à D. Bonau. quæ refert etiam Vasquez hîc *in notatione ad D. Thomam* vbi tamen addit (vt innuit etiam idem D. Bonau. *loc.cit.* & *in 2. dist.19. quæst.1.* latius ostendit) innumeras, dicens, adesse, authoritates sanctorum, qui authenticè confessi sunt immortalitatem animæ, & bona æterna. Sic Tobias, *cap.2.* ad vxorem, & Filium ait. *Filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est iis, qui fidem suam nunquam mutant.* Et *in Machab.2. cap.6.* Eleazarus: *Et si præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manus omnipotentis Dei nec viuus, nec defunctus effugiam.* Et *cap.7.* Secundus ex septem fratribus, cum ad necem raperetur, ait: *Sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æterna vitæ resurrectione suscitabit.* Idem dixit Mater illorum puerorum. Sic Isa.64. *Oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis non ascendit, quæ præparasti diligentibus te.* Quo textu vtitur ad id Apostolus 1. *Cor.2.* Sic Daniel.12. *Multi, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt; alij in vitam æternam; alij in opprobrium, vt videant semper.*

9 Hanc veritatem cognitam in veteri Testamento testatur Christus *Matth.22.* vbi resurrectionem ex veteri Testamento probauit dicens: *Non legistis, quod dictum est à Deo, dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob? non est Deus mortuorum, sed viuentium.* Et Apostolus Hebræos 11. *Alij autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem.* Quod sanè intelligit de Eleazaro, & septem fratribus Machabæis; de quibus diximus, noluisse redimi à præsenti supplicio, ne subirent æternum supplicium.

Obiicies. D. Chrysost. *homil.4. in Marcum*; Et Hieronymus *lib.1.* contra Pelagium dicunt, Regnum cælorum primum auditum, ac prædicatum in Euangelio.

Respondet D. Bonau. *ad 10. Lucæ* ad ea verba: *Appropinquauit in vos Regnum cælorum*, & *ad cap.16.* ad ea verba: *A diebus Ioannis Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; quod etiam in Testamento veteri Regnum cælorum mercati sunt iusti, sperantes æternas promissiones; tamen à tempore Christi fuit tempus rapiendi, quia ab eo fuit apertum Regnum cælorum. Idem respondet Vasq. *loco citato.*

Hæc retuli, vt hostes animæ immortalis erubescant, quos latè excussi. *Tract. de Anima.*

QVÆSTIO III.

Vtrum Lex moralis in decem Decalogi præceptis contineatur.

D. Bonauent. in 3. d.37. artic.2. quæst.1.
D.Th. q.100.art.3.4. & 5.

Svppono ex *disp.3. quæst.3.* Decalogum ad legem naturæ pertinere. Sunt enim primæ conclusiones practicæ legis Naturæ. Vide etiam Tostatum, *Exod.32. quæst.22.* Ideo eam esse indispensabilem ostendi *disp.3. quæst.7.*

Assero primò, Præcepta moralia, decem Decalogi præceptis contineri. 10

Id explicant S.Bonau. & S.Thom. *art.5.* quia lex ordinat homines ad quandam communitatem, seu Rempublicam. Et quidem humana lex ad ciuilem conuictum pacificum, & secundùm æquitatem ordinat; ac propterea debent Ciues ordinati esse ad Principem, & inter se; vnum enim ex alio sequitur; quia, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Sic igitur Lex Diuina ordinare debuit homines, & in ordine ad Deum, & inter se. Sicut autem Principi debentur tria. Primum, Fidelitas, ita vt ad alium Principem non desciscant. Secundum, Reuerentia. Tertium, Famulatus.

Sic in ordine ad Deum tenemur ità referri. Primò, vt honorem Summi Domini Dei ad alium non deferamus. Et ecce primum præceptum. *Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos coram me.* Secundò, vt eum honore prosequamur. Et ecce secundum præceptum: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Tertiò, vt famulemur Domino. Et hoc in tertio præcepto Sabbatha sanctificandi clauditur. Quod sanè præceptum est morale, quatenus honorem, & obsequium Deo imperat: Est verò cæremoniale, quatenus talem diem Sabbathi ad hoc specialiter destinat, vt notant communiter cum D. Bonau. *in 3. dist.37. dub.3. litt.* Et hæc sufficiunt in ordine ad Deum. His enim remouerentur Idola, superstitiones, blasphemiæ, & similia. 11

Sic ordinantur actus operis in adorationem Dei vnius. Secundò actus oris in non assumendo Dei nomine in vanum, siue ludricis, siue periuriis, siue blasphemiis. Tertiò actus cordis in sanctificationem festi cum quiete cordis, in Deo, mente sancta. Sic Irascibilis deuouetur Deo, adoratione altissimæ Maiestatis; Rationalis, confessione veritatis; Concupiscibilis, per exhibitionem sanctificationis. Adest etiam cultus SS. Trinitatis, & Vnitatis. In primo Maiestas, quæ Patri adscribitur, ità Latria adoretur. Maiestas inquam Creatrix, quæ est causa efficiens rerum. Secundo Veritas, quæ Filio attribuitur, quæque conuenit Deo, vt est causa Exemplaris, seruatur, dum non assumitur eius sanctum nomen in vanum, aut falsò per blasphemias, aut periuria. Tertiò colitur Bonitas, quæ est Dei, vt causæ finalis; & attribuitur Spiritui Sancto, per Sabbathi sanctificationem. Itaque ex parte actuum, ex parte subiecti ordinati; & ex parte obiecti, ad quod ordinamur, satis dirigimur in Deum per tria prima Decalogi præcepta. 12

In ordine verò ad proximos diriguntur deinde actus. Primò quidem in ordine ad speciales personas, quibus 13

quibus tenemur per beneficium. Et ita præcipitur honor, & obsequium parentibus, sub quibus Maiores, & Seniores intelliguntur; de quibus *Leuit.*19. vt notat Seraphicus *in* 3. *dist.*37. *dub.*4. & *de Ecclesiast. Hierarch. p.*3. *cap.*1. & ibi includitur etiam amor filiorum.

Deinde ad alios omnes, vt pacificè ordinemur, dirigimur, ne lædamus personas, & ad id datur quintum præceptum non occidendi, ad quod reducuntur omnes iniuriæ, contumeliæ, detractiones, odia, omnisque læsio personalis; de quibus *Leuit.*19. etiam in seipsum, vt notat D. Bonau. *in* 3. *dist.*27. *dub.*2. *litt.* Secundò, ne lædamus proximum in personis coniunctis; vnde prohibetur Mœchia, & omnis actus contrarius communitati ordinatæ ad generationem. Hinc prohibentur omnes actus Luxuriæ,
14 de quibus *Leuit.*18. & *Deuter.*24. Tertiò ordinamur quoad res proximo illæsas seruandas. Hinc prohibetur furtum, fraus, Vsuræ; de quibus *Deuter.* 18. & 25. & exactiones crudeles, vt habetur *Exod.*22. Quartò remouentur nocumenta falsi testimonij, quod ore infertur, & *Exod.*23. Prohibetur etiam detractio, mendacium, &c. de quibus *Leuit.*19. quæ omnia nocere possunt vitæ, famæ, honori, rei familiari, & coniunctis.

Tandem remouetur iniuria cordis, a mouendo concupiscentiam mulieris, quæ est proximi. Et quia concupiscentia effrænis difficilè edomatur, distinguitur ibi Decimum præceptum: *Non concupisces rem proximi tui.* Vide D.Thom. *quæstione* 100. *articulo* 11. vbi alia crimina ad hæc reducit. Idem præstat D.Bonau. 3. *dist.*37. *in dub. litt.* sic ordinamur secundùm Rationalem, obsequendo parentibus, nec falsum dicendo: secundùm Irascibilem, non occidendo: secundùm Concupiscibilem, non appetendo res alienas.

15 Sic honoratur Maiestas Dei Patris in parentibus, & aliis maioribus. Veritas Filij, in non dicendo falsum. Bonitas Spiritus sancti, in seruanda innocentia. Vide D.August. *in Psal.*32. *Tom.*8. & *de qq. Exod. quæst.*71. *Tom.*4.

Obiiciunt primò. Debuit Decalogus tradere præcepta, etiam pro ordinatione hominis ad seipsum.

Respondetur ex D.Bonauent. *in corpore*, satis tradidisse omnia, dum præcipit, seruari iustitiam Generalem in ordine ad Deum; dum cognoscitur Dominus noster, impedimur, ne aliquid faciamus tanquam Domini V.G. nos occidendo, vel infirmando, aut mutilando, aut impediendo vsum rationis ad debitum Deo obsequium reddendum, ebrietate, mutilatione, &c. Sic de reliquis.

16 Obiiciunt secundò. Rom.13. *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Ergo pro proximo vnum sufficiebat præceptum.

Respondet D.Bonau. debuisse homini obnubilato declarare ea, quæ ex iure Naturali consequentiâ facili deducuntur, nempè modos, quibus potest lædi charitas.

Obiiciunt tertiò ex Glossa ad Rom.7. *Ablatâ concupiscentiâ, tollitur omne malum.* Ergo sufficit vnum præceptum: *Non concupisces.*

Respondet D. Bonau. debuisse explicari, in quibus specialiter concupiscentia esset mortalis, quod fieri non potuit, absque adiectione aliorum mandatorum.

Obiiciunt quartò, Lex prohibet Manum; Euangelium verò etiam Mentem: Ergo satis fuit in lege ponere prohibitionem operis.

Respondet D. Bonauent. legem antiquam ideò 17
dici prohibere manum, non animam, quia peccatis imponebat pœnas iudiciales, quæ infligi non poterant absque extrinsecis probationibus.

Obiiciunt quintò. Pluribus tenemur Deo, quàm proximò. Ergo sicuti septem præcepta traduntur in ordine ad proximum; plura debent dari in ordine ad Deum.

Respondet S. Bonauent. Ea, quæ exhibemus proximo, exhiberi Deo. Enim verò; quia ordinatio ad Deum magis spectat ad vitam contemplatiuam, quæ vnitatem quærit, vt dicitur Lucæ 16. *Porrò vnum est necessarium.* Ad proximum verò ordinamur per actiuam, quæ turbatur circa plurima; ideò, plura præcepta erant necessaria quibus piè & iustè in hoc sæculo proximo consociemur; quàm quibus ad Deum dirigamur.

Obiiciunt sextò. Tot modis dicitur vnum 18
oppositum, quot modis & alterum, sed cogimur sex præceptis ad non malefaciendum proximò. Ergo totidem cogi debemus ad illi benefaciendum.

Respondet S. Bonauent. ex corruptione naturæ nos proniores esse ad malum, & difficiles ad bonum; quia verò procliues sumus ad malum, ideò plura præcepta sunt ad malum prohibendum. Adde, non adeò graue esse omittere bonum, sicut malum inferre, quod aliquid amplius addit.

Præterea dum malum prohibetur, includitur etiam implicitè obsequium, quod est quoddam bonum. V. G. dum prohibetur *ne occidas*, infertur debitum obsequium proximo, ne rixæ suscitentur.

Obiiciunt septimò. Sicut prohibetur Auaritia, 19
itâ & Ira; quia vtrumque vitium est capitale, cur non prohibentur etiam alia vitia capitalia, maximè Superbia?

Respondet D. Bonauent. hæc omnia esse in Decalogo. Superbia quidem tollitur præcepto honorandi proximum, & Deum colendi; sicut Auaritia in prohibitione furti. Inuidia, & Ira in prohibitione Homicidij; & Inuidia specialiter, non concupiscendo rem alienam. Luxuria verò patet, & hæ quidem cum Auaritiâ maximè prohibentur; quia ex libidine improba ruunt; & sic etiam Gula, Luxuriæ soror; cum ea vetita est: Accedia verò in sanctificatione Sabbathi propellitur.

Obiiciunt octauò. Ita contingit occidi mente, 20
sicut adulterari: Ergo sicut adulterium *facti* prohibetur in Sexto præcepto; & *mentis* in Nono; ità duobus præceptis debuit etiam homicidium prohiberi.

Respondet D. Bonauent. non esse simile. Nam concupiscentia est furiosior, imò radix Irascibilis; ex eo enim rumpimus in odia, & homicidia, quia remouentur bona concupita.

QVÆSTIO IV.

An Præcepta Decalogi recto ordine ponantur.

{ D. Bonauent. in 3 d.37. artic.2. quæst.2.
D.Thom. quæst.100. art.6.

ASSERO. Probatur, & Explicatur ab vtroque Sancto Doctore: Leges iustitiam præcipiunt conuiuentibus in ordine ad communitatem, & communitati in ordine ad Principem, qui est finis, & principium legis. Principium, scilicet, & caput Reipublicæ; finis verò, vt proximus bono communi, quod promouet. Igitur debuit primò ordinari lex in ordine ad Deum, qui maximè est Finis legis vt dicitur Rom.10. *Finis legis Christus.*

21 DEBENT autem primò præcipi meliora, & prohiberi peiora. Ideò sicut in exercitu pessimum esset coniurare cum inimicis contra Imperatorem: deinde ipsum conuiciis afficere: Tertiò obsequium ei negare. Ita etiam, in ordine ad Deum, dicendum: ac propterea primò remouetur aliorum Deorum adoratio; Deinde conuicia in Deum. Tertiò promouetur eius obsequium.

SIMILI ratione ad proximum promouetur id, quod melius est, idest obsequium his, quibus magis illud debemus, nempè parentibus. Deinde prohibentur mala, & primò peiora, quibus læditur vita proximi, &c. Deinde coniuncti cum proximo. Tertiò res familiaris. Postea vetantur mala oris, quæ minora sunt malis operibus, nempe falsum testimonium dicere. Postremo mala cordis, quæ minùs perniciosa sunt proximo. *Non concupisces.*

Alias congruentias affert S.Bonau. Vide ipsum. Vbi etiam argumenta facilè soluit.

QVÆSTIO V.

An Præcepta Decalogi rectè in duabus tabulis diuisa sint.

{ D.Bonauent. loc. cit. quæst.3.
D.Thom. art.4.

22 VNA è rationibus, ob quas decem præcepta duabus tabulis distinguerentur, est; quia includere debeant præcepta spectantia ad Deum, & ea, quæ ad proximum, vt ait D.Bonau. & sequitur Tostat. *Exod.*32. *quæst.*23.

VARIE autem ea distinguunt DD. & distribuunt in tabulis; imò aliqua præcepta diuidunt, alia simul in vnum componunt. Ità diuidunt: *Ego sum Dominus Deus*, & dicunt, esse primum præceptum. Secundum. *Non habebis Deos alienos.* Et quia sic essent vndecim præcepta, ideò duo vltima in vnum componunt.

PRIMO igitur aliqui ponunt in vna tabula præcepta affirmatiua: in alia, negatiua. Itaque in altera tabula sunt tantùm duo hæc. *Sabbatha sanctifices*; & *Honora Patrem, & Matrem.*

HÆC ordinatio vocatur stulta à Tostato *quæstione* 24. Tum quia confundit præcepta ad Deum ordinata, cum his, quæ de proximo disponunt. Secundò, vna tabula esset minuscula; altera magna. Tertiò, quia mutatur ordo præceptorum assignatus in Scriptura.

ALII ponunt quinque in vna tabula, & quinque 23
in altera. Ita Rabbi Salomon, & Iosephus, qui diuidit primum præceptum in duo. Et vltima duo in vnum componit; vt dixi.

ALII tamen primum præceptum alio modo diuidunt. Primum dicunt: *Ego sum Dominus Deus tuus*; *non habebis Deos alienos coram me*: Secundum dicunt esse: *Non facies tibi Sculptile*; Sed hæc diuisio materialis est, vt notat S. Bonauent. *in corpore.*

Hæc positio falsa est. Primò quidem, quia ver- 24
ba illa: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*, est simplex narratio historica beneficiorum, & eruditio ad Dei Legislatoris cognitionem, vt notat Tostatus. *Exod.*32. *quæstione* 24. post D. Bonauent. *serm.*2. *de decem præceptis*, vbi S. Doctor aduertit, addi: *Ego sum Deus Fortis, & Zelotes, visitans peccata Patrum in filios vsque ad quartam generationem, & custodiens misericordiam in millia his, qui diligunt me.* Omnibus verbis stimulos addendo ad sedulam obseruantiam mandatorum: Non autem mandata dat. Hæc enim vel imperant. *Fac*; vel prohibent. *Ne feceris.* Quod futurum respicit; sicut historia præteritum signat; *Eduxi te, &c.*

ITAQVE primum præceptum est. *Non facies Deos alienos*; præceptum enim à præcipiendo dicitur. Similiter id. *Non facies tibi Sculptile, nec similitudinem, &c.* Includuntur in eo. *Non habebis Deos alienos*; infertur enim. *Non adorabis Idola.* Nam quoad similitudines non prohibentur simpliciter, cùm in Arca essent figuræ Cherubim ex Dei præcepto. Nec video quo fundamento Vasquez *lib.*2. *de adoratione, num.*67. & Tanner. *num.* 23. allegent D. Bonauent. quasi ibi vetitum sit præcepto cæremoniali, non facere Sculptile. Nam S. Doctor *hic* expresè dicit, eo præcepto vetari Idola, & explicari præceptum colendi Deum.

QVÆRES. Cur Deus posuit cultum sui implicitè; 25
& prohibuit explicitè Idolas.

RESPONDET S.Bonauent. *serm.*2. *de decem præceptis*, id præstitisse ad maiorem facilitatem reuocandi à Diis vanis ad sanctam Latriam Dei benefici, veri, &c.

Vbi etiam aduertit, præcepta illa obligasse omnes, licèt enim alloquatur Hebræos tantùm. *Ego Dominus, qui eduxi te de terra Ægypti*; attamen etiam ad Gentiles extendebatur, qui liberati sunt ex potestate Diaboli. Ratio est; quia hæc præcepta erant conclusiones Legis naturæ, quibus omnes tenentur: esto quibusdam aliis consecrationibus teneretur ille populus, quippe Stipes Christi, vt notat etiam D.Thom. *quæst.*98. *art.*5.

QVOAD vltima duo præcepta, aberrant, ea componentes in vnum; quia differunt ex ratione obiecti, & finis. Nam vxor concupiscitur ad copulam; res verò proximi cæteræ ad possessionem; & altera est concupiscentia carnis: altera oculorum, vt ait S.Bonauent. Vide Tostatum *quæstione* 24. Vnde colligit Seraphicus Doctor, diuisionem Origenis fuisse materialem, qui ponebat quatuor præcepta ad Deum in vna tabula; & quinque in altera, distinguens, & componens, vt suprà.

D.AVGVST

26 D. Avgvst. & communiter Latini, vt refert Tostatus *loco cit.* ponunt tria præcepta in vna, & septem in altera tabula. Primum est: *Non habebis Deos alienos.* Secundum: *Non assumes nomen Dei in vanum.* Tertium: *Sabbatha sanctifices.* In altera tabula erant septem narrata.

Probatvr à D. Bonau. quia exprimebant duo præcepta charitatis, Dei, & proximi: Ergo secundùm hoc debuere distingui, vt in priori tabula scriberentur præcepta charitatis Dei, in altera Proximi. Sed præcepta ad Deum pertinentia sunt Tria, vt suprà; proximi autem sunt septem: Ergo.

QVÆSTIO VI.

An obligatio Legis Moysis *cessauerit in Aduentu Christi.*

D. Bonau. in 4. d. 3. art 3.
D. Thom. quæst. 104 art 3.

Qvæstio nostra fit de præceptis tum Cæremonialibus, de quibus S. Thom. agit *quæst.* 101. *vsque ad* 104. tum de Iudicialibus; de quibus idem S. Thom. *quæst.* 104. tum de Moralibus: In qua quæstione versatur D. Bonauent. At D. Thom. de solis Iudicialibus agit.

27 Assero primò, legem Moysis cessasse, contra Ebionitas, & Cerinthicos, qui Legalia cum Euangelio permanere dixerunt, vt refert D. Bonauent. *quæst.* 2.

Probatvr ex *Actorum* 15. vbi definitur in Concilio Apostolorum. Idem habetur in epistola *ad Galat.* vt notat D. Bonau. *loco citato.*

Nota verò, Leges antiquas dici sæpe fœdus æternum, seu legitimum sempiternum, maximè vero *Genes.* 17. at vox *Gholam* עוֹלָם, quam Vulgatus vertere solet *æternum*, sæpè denotat tempus finitum longum, vt notat Vasquez *disp.* 180. *num.* 1. & Valentia *disp.* 7. *quæst.* 7. *punct. vlt. in fine*, ex D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 3. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad* 1. vbi obseruat, promitti Iudæis terram Palæstinæ in possessionem æternam; & tamen eam nunc non possident. Id notat Bouër. *dem.* 2. *art.* 7.

28 Assero secundò, non cessasse legem Mosaïcam aliqua ex parte, ante Christi mortem.

Probatvr à D. Bonau. *quæst.* 1. *arg.* 3. quia Christus eam obseruauit in vita sua, aliosque dictis ad eius obseruationem induxit. Nam circumcisus est, *Lucæ* 2. vnde obseruauit Sacramentalia legis. Et mox obtulit se in templum, offerens duos Turtures, obseruans Cæremonialia. Deinde ascendit in Templum cum parentibus ad legem Moralem, simul & Cæremonialem de festorum sanctificatione; vt ritè aduertit Seraph. Doctor *ad* 2. *Lucæ.* Ipse enim Matth. 5. ait: *Non veni legem soluere, sed adimplere.* Et *Psal.* 16. ait: *Propter verba labiorum tuorum, ego custodiui vias duras*; vbi alia littera habet: *vias latronis.* Vbi D. Bernardus *sermone* 3. *de Circumcisione Domini* ait: *Qui sine peccato est, non dedignatur peccator reputari: imò latronis cauterio est signatus.* Tandem celebrauit Phase, *Lucæ* 22. & ideò ingressus est Vrbem Sanctam, vt benè aduertit S. Bonau. ibi, & *ad* 13. *Ioannis.*

29 Similiter verbis obseruantiam legis iniunxit. Sic *Lucæ* 5. *&* 17. mundatos leprosos misit ad Sacerdotes, provt in lege præceptum erat. *Leuit.* 13. *&* 14. vt notat Seraph. Bonau. ad ea loca Lucæ, & *in* 2. *dist.* 44. *art.* 3. *quæst.* 2. *ad* 1. notat, Christum, *Matth.* 23. docuisse: *Super Cathedram Moysis, sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite.* Planum autem est, tunc Pharisæos docuisse legem Moysis.

30 Probatvr secundò à D. Bonauent. *quæst.* 1 *fund.* 2. addita definitione quæstionis sequentis, ex Apostolo, Heb. 7. *Translato Sacerdotio, necesse est, vt Legis translatio fiat*; at translatio Sacerdotij fuit in passione, quando Christus obtulit se in Eucharistia, & maximè in morte: Ergo.

Probatvr tertiò à D. Bonau. *quæst.* 2. *arg.* 2. Per nouum Testamentum abolendum est vetus, ex Apostolo *Hebr.* 9. At nouum Testamentum confirmatum est morte testatoris, quando, cunctis adimpletis, Christus moriens clamauit: *Consummatum est*: Ergo, &c.

Confirmatvr à S. Doctore *ibi*; quia, vt ait Apostolus, *Hebr.* 10. Repetitæ sunt victimæ, & hostæ veteris testamenti; & quia non sufficiebant ad emundandum; Christus vna hostia consummauit omnes oblationes, sacrificia, & cæremonias. Id, quod in morte eius pretiosissima expressit, cùm Velum templi scissum est in duas partes. Quæ S. Bonau. prosequitur etiam *ad cap.* 19. *Ioan.* & *Lucæ* 23. ait: *Et quia Christus non solum erat Dominus naturæ, verum & legalis obseruantiæ: Ideò velum Templi scissum est medium.* Hæc intellige, quoad obligationem, vt dicam infrà.

Assero secundò, Legem Moysis cæremonialem cessasse obligare in morte Christi. Ita D. Bonauentura *hic.* 31

Patet ex illo Hebr. 7. *Translato sacerdotio, fit translatio legis*; sed Sacerdotium translatum est in morte Christi, vt dixi: Ergo; hoc verò de Iudiciali, & Cæremoniali tantùm verum esse, ostendam; non autem de Morali.

Et quidem, post mortem Christi cessasse debitam Legalium obseruantiam, habetur *Act.* 15. & *epist. ad Galat.* vt probat S. Doctor *quæst.* 2. *argumentis secundo loco.*

Quòd Iudicialia ante mortem non cessauerint, probatur à D. Bonau. *ad* 11. *Lucæ*, vbi Christus reprehendit Iudæos, qui gloriabantur soluere Deo Decimas, etiam minutorum. *Væ vobis, qui decimatis mentam, & rutam, & omne olus.* Sicuti ille inflatus, cap. 18. *Decimas do omnium, quæ possideo*; non quia hæc facerent; sed quia prætteribant Iudicialia, & Moralia, ob aliqua Cæremonialia; *& præteritis omne iudicium.* Vbi D. Bonau. Per iudicium intelliguntur præcepta Iudicialia, secundùm illud Exod. 21. *Hæc sunt iudicia, quæ propones eis, &c.* Per charitatem verò Moralia. Et ideò subdit Dominus: *Hæc oportuit facere; & illa non omittere.*

Quòd verò cessauerint in morte Christi, probatur ex dictis. Translata lege, transferuntur & iudicia, & tribunalia. Sed lex translata est simul cum Sacerdotio in morte Christi: Ergo. 32

Obiicies. *Galat.* 5. dicitur: *Testificor omni circumcidenti se; quia debitor est vniuersæ legis faciendæ.*

Respondet Vasquez *num.* 13. ex D. Bonauent. *quæst.* 1. *ad* 2. Apostolum arguere contra aliquos, qui volebant, necessariam simul cum Euangelio esse circumcisionem. Arguit autem ad impossibile: Circumcisio data est illi populo specialiter, tanquam signum, se esse populum Dei, cui data est lex per Moysen: Ergo qui tenetur circumcisione, tenetur tota lege Iudæorum; At Euangelium euacuat legem Iudicialem, & Cæremonialem: Ergo.

Quoad Moralia. Fuit opinio D.Thom. *quæst.*98. *art.*5. *& quæst.*103. *art.*3. & Thomistarum *ibi*, ac Sori *lib.*2. *de iust. & iur. quæst.*5. *art.*4. Valentiæ *quæst.*7. *punct.*7. Toleti *in cap.*3. *ad Rom.* Salmer. *Rom.*7. *d.*6. Bastadij *tom.*1. *lib.*2. *cap.* 21. Suar. *lib.* 9. *cap.* 11. cessasse moralia etiam ipsa, quatenus sunt legis Diuinæ, & durare solùm, vt sunt præcepta naturæ. His subscribit Tannerus *disp.*5. *quæst.*3. *dub.*4. *num.*63.

33 Alii tamen è contra volunt, durare moralia, seu Decalogum, etiam vt sunt Lex à Deo data. Sic Vasquez *disp.*180. *cap.*3. Bellarm. *lib.*4. *de Iustif. cap.*6. Lorinus *Act.*15. Est autem expressa D.Bonau. ad illud Lucæ 16. *Lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem.* Et *in* 4. *dist.*3. *art.*3. *quæst.*1.

Assero cum hac sententia, præcepta moralia etiam vt data, à Deo, adhuc durare.

Probatur primò à D.Bonau. *in* 3. *dist.*37. *in dubiis litt. ex Matth.*5. vbi Christus declarans; quomodo venisset legem adimplere; non autem soluere; proponit præcepta legis Moysis. *Non occides, non mœchaberis, &c.* quæ aliis confirmat additamentis, seu monitis. *Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides. Ego autem dico vobis: Omnis, qui irascitur fratri suo, &c.* Idem de cæteris infert. Ex quo rectè deducitur, Christum voluisse seruare Ius Diuinum legis Mosaycæ moralis. De Cæremonialibus verò, ne verbum quidem dixit.

Idem vrget S.Doctor *in* 3. *dist.*39. *art.*2. *quæst.*1. *&* 2. *ad argumenta*, quoad Iuramentum.

Probatur secundò à Seraphico *in* 3. *dist.* 37. *dub.*2. *litt.* ex *Rom.*13. vbi Apostolus ad præceptum charitatis probandum, adducit præcepta secundæ Tabulæ. Nam. *Non adulterabis; Non occides, Non furaberis, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum.* Idem punctum obseruat S.Doctor *in* 3. *dist.*33. *quæst.*1. *ad* 1. & *dist.*37. *art.*2. *quæst.*1. *ad* 1. & *dist.*40. *quæst. vlt. ad* 2. vbi aduertit, Apostolum obligationem legis charitatis erga proximum ad præcepta secundæ Tabulæ Decalogi reducere, atque exclusisse Cæremonialia, ordinata ad proximum, quæ grauia sunt, & ob ea, lex antiqua grauis erat.

34 Pluribus autem hoc ostendit authoritatibus S.Bonau. *in sermonib. de decem præceptis, serm. primo* ex illo Matth.19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et ibi Christus illi discipulo recitat Decalogum; & ex Rom.2. *Factores legis iustificabuntur.* Iacob.2. vbi præcipit legem, dicens: *Si tamen legem perficitis regalem secundum scripturas;* vbi allegat Scripturam Decalogi. Rom.7. *Lex quidem sancta, &c.* Matth.22. adducit duo præcepta dilectionis, & subdit: *In his vniuersa lex pendet.*

35 Sermone *quarto* iniungit è 1. *Petri* 3. Præceptum de Festorum sanctificatione, vbi aduertit, *ibi*, & 2.*p. Breuil. cap.*2. & 5.*p. Centil. sect.*7. *& in* 3. *dist.*37. *dub.*3. Sabbathi sanctificationem tolli, qua parte cæremonialis est; non qua moralis.

Sermone *quinto* ponderat *id Ephes.*6. vbi Apostolus iniungit: *Honora Patrem, & Matrem, quod est mandatum tibi in promissione, vt sis longæuus super terram.* Ecce adducit Scripturam Decalogi, prout superaddit promissionem iuris Diuini.

Sermone *sexto* repetit authoritatem *Iacobi* 2. Et infert: *Quicunque totam legem seruauerit; offendat autem in vno, factus est omnium reus. Qui enim dixit. Non mœchaberis, dixit. Non occides. Qui autem hæc dixit, fuit Deus in Syna.* Ibidem repetit id *Matth.*6. suprà adductum.

36 Probatur deinde ex PP. à D. Bonauent. Et primò quidem *sermonibus adductis* ex D. Augustin. *in quæst. super Exod. quæstione* 71. & aliis in operibus passim, maximè *locis adductis.* Idem probat S.Bonau. ex ratificatione matrimonij, & reprobatione libelli repudij, Lucæ 16. *Omnis, qui dimiserit vxorem, mœchatur.* Vbi S. Bonauent. *Dominus volens ostendere statum legis, quantùm ad moralia, & transitum, quantùm ad cæremonialia, & iudicialia, exemplificat de Matrimonio, pro eo, quòd in ipso libellus repudij dabatur, & matrimonij lex in Euangelio confirmatur, tanquam ius morale, & libellus repudij reprobatur.*

En quàm clarè S.Bonau. hanc sententiam teneat, quæ tamen Vasquez *disput.*183. *num.*22. videtur ignorasse, cùm solos citet, Durandum *in* 4. *distinct.*1. *quæstione* 9. *num.*2. Paludanum *quæst.*6. *art.*5. traharque D.Thom. & tamen authoritates omnes, suprà allatas, à D. Bonauent. Vasquez ipse eripuit, è more, simul cum responsionibus *ad argumenta*, vt mox ostendam. 37

Affert autem è penu suo ratiunculam; quia Christus nec antiquauit legem moralem, nec etiam initio eam dedit pro aliquo tempore. Sed Authores contrarij vtrumque asserunt.

Obiicit primò Sotus *Exod.*20. Deus tradens legem, sic exorsus est: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te terra Ægypti.* Ergo Lex solos Iudæos alloquitur.

Respondet S.Bonau. *serm.*2. *Decalogi*, etiam populum Gentilem, dum insertus est cum populo Hebræo, censeri vnum populum eductum ex Ægypto. Ideò enim dicitur Abraham Pater omnium Gentium; sic & nos, Hebræis figurantibus, educti sumus è potestate Ægyptiaca per sanguinem veri Agni; imò ait Apostolus 1. Corinth. *Omnes in mari, omnes sub nube, omnes eandem escam manducasse spiritaliter.* Hanc expositionem laudat etiam Vasquez *num.*27. Vbi aliam affert, quòd Deus ibi alloquitur non modo Iudæos, sed etiam Gentiles; cum solis autem Hebræis loqui in aliquibus tantùm præceptis, quæ voluit. Quæ est ad verbum responsio Seraphici Doctoris, *loc. cit.* vbi addit rationem, quam Vasquez non refert.

Obiicit secundò Lucæ 16. *Lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem.* Ergo præcepta Decalogi tempore Christi cessarunt. 38

Respondet Tannerus *num.*60. ex D. Bonauent. *ad eum locum Lucæ*, id velle Dominum, Prophetas scilicet & legem vsque ad Ioannem prænunciasse Christum. Vnde *Matth.* 11. dicitur: *Omnes Prophetæ, & Lex, vsque ad Ioannem prophetauerunt.* Ideò subdit Lucas: *Ex eo Regnum cœlorum Euangelizatur*; idest non ampliùs prædicitur, sed præsens ostenditur. Hæc autem iniungit Christus Pharisæis, qui Supercilio superbiæ spernebant Christum; At finis legis Christus ostenditur ad iustitiam; & lex terminatur in Ioanne, non præcisè, sed annunciante Christum præsentem: *Ecce Agnus Dei.* Voluit autem ex humilitate sua Christus terminum legis designare Ioannem. Et ideò etiam Euangelistæ, Marcus, & Lucas, à Ioanne exordiuntur, vt verificetur ex eo Regnum Dei. Idem indicat *in* 4. *loco cit. ad* 1. & Vasquez *num.*28.

Obiicit tertiò ex Apostolo *Rom.* 7. vbi dicit, nos esse mortuos legi, nec ampliùs eâ teneri. Et *Galat.* 3. dicit: Legem veterem fuisse pædagogum, & sub ea non esse nos ampliùs more puerorum. *Heb.*7. dicit, Translato Sacerdotio, factam esse legis translationem. 39

Respondetur ex D.Bonau. *locis adductis*, & *in* 3. *dist.*40. *quæst.*1. Legem veterem, quia ad perfectionem non

non ducebat aliquem, cùm esset lex vmbrosa, cessasse quoad Cæremonialia, & Iudicialia, quæ figurabant Christum, qui est finis legis; at verò secundùm moralia, non cessasse. Dicitur verò, cessasse, vt pædagogus docens eos tanquam pueros, fidem in Christum, quoad supradicta, & ideò translato sacerdotio, translata est etiam lex, dum vmbra transiit in veritatem.

40 QVOAD Circumcisionem, fuit opinio Scoti *in 4. distinct. 3. quæst.4. §. Quantum ergo.* Gabrielis *in 4. dist.1. quæst.4. art.3. dub. vnico, conclus.1.* & aliorum; Circumcisionem à puncto institutionis Baptismi non obligasse.

Cùm autem Baptismus institutus fuerit, Ioan.3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*, vt docent Scholastici cum Magistro 4.*dist.*3. inter quos D. Bonauent. *dubio* 1. *litt.* & definit Concil. Trident. *sess.7. can.2.* Præceptum verò Baptismi datum fit Matth. vlt. *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* vt docet Seraphicus, *loco cit.* & communiter. Hinc Scotus, & asseclæ docent, multò ante præceptum Baptismi, cessasse præceptum Circumcisionis.

ENIM verò Circumcisionis præceptum solùm in morte Christi cessasse quoad obligationem, docent D. Bonauent. *in 4. dist.3. quæst. vlt.* quem sequuntur Sotus *lib.2. de iust. quæst.5. art.4.* Et Recentiores Thomistæ, afferentes D.Thom. *quæst.*103. *articul.3. ad 3.* Vasquez *disput.*180. *cap.5.* Tannerum *disput.5. quæst.3. dub.4. num.*72.

41 ASSERO cum hac sententia. Tantum in morte Christi expirasse Circumcisionis præceptum. Est communis Theologorum, & Patrum, vt notat Valentia *quæst.7. punct.7.*

PROBATVR primò à Tannero *ex 23. Lucæ*, vbi velum Templi ruptum dicitur, vt lex vmbratilis cessare agnosceretur. Tunc quoque Christus ea verba protulit: *Consummatum est.* Ioan.19. quæ hoc etiam sensu à Patribus exponuntur, & defenduntur à Vasquez *disput.*187.*num.*18. quamuis D.Bonau.*Collat.*51. *in Ioan.* id non videatur sic intelligere; quem sequuntur Suarez 3. *p. tom.*2. *disput.*37. *sect.*4. & Toletus *in cap.*19. *Ioan.* Tanner. *num.*73. Sensum igitur esse aiunt, prophetias de passione, & cæteris vitæ Christi Mysterij impletas, vt præclarè exponit Seraphicus Doctor, qui addit, *consummatam* ibi declarari hostiam debitam pro mundo, & alia, quæ vide in S. Doctore.

42 OBIICIT Scotus. Circumcisio instituta fuit in remedium peccati Originalis; at Baptismus erat melius remedium: Ergo adueniente Baptismo, debuit cessare obligatio circumcisionis. Est argumentum S. Bonauent. *quæst.*1. *vltimum, secundo loco, & tertium quæst.*2.

RESPONDET Vasquez *loco cit.* Circumcisionem fuisse institutam in signum populi Dei; hoc autem signum debuisse perseuerare cum lege, & cessare, cùm per Christum lapidem angularem factus est vnus paries vtriusque lateris. Hæc verò ante mortem Christi non fuere facta, vt Scotus ipse concedit. Hæc responsio è D.Bonau. *quæst.*1. *fundamento* 3. elicitur.

Altera responsio habetur à S.Doctore *quæst.*2.*arg.*2. *secundo loco*, quod aliam petit quæstionem, quam Vasquez agit *disput.*18. An lex Moysis in morte Christi fuerit reddita inutilis, atque adeò Circumcisio à morte Christi nihil profuerit, necne.

43 PRIMA opinio est Scoti *in 4.dist.3.quæst.4.§.Quantum ergo ad istum.* Gabrielis 4. *dist.*1. *quæst* 4. *art.3. not.2. concl.2.* Circumcisionem profuisse, vsque ad diem Pentecostis, quando promulgatio Baptismi facta est: Vasquez verò ait tempus fuisse sub consilio. Citatur etiam D. Bonauent. *in 4. dist.3. p.2. art.3. quæst.* 2.

SECVNDA sententia est, Circumcisionem cum cæteris legalibus, in morte Christi redditam inutilem. Adducitur S.Thom. *quæst.*103. *art.3. ad 2.* quia dixit cæremonias cessasse omnes, cùm Christus ait: *Consummatum est:* Itaque Thomistæ hanc sententiam sequuntur, Sotus *de iust. quæst.5. art.4.* Durand. *in 4. dist.1. quæst.9. num.8.* Palud. *quæst.6. art.5.* Richard. *d.1.art.6.quæst.4.* Adrian. *quæst.1. de Baptismo §. Quo ad primum*, Valentia *loco cit.* Vasquez *cap.2.* vbi adducit pro hac D.Bonau. *in 4. dist.3. art.3. quæst.2.* Verum S.Bonau. in responsione *ad 3. & fund.2.* oppositum docet, & primam sententiam tenet.

ASSERO, Circumcisionem vtilem fuisse, vsque ad 44
promulgationem Euangelij.

PROBATVR primò à D.Bonau. *quæst.2. in corpore, & ad cap.3. Ioan.* ad ea verba: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* ex Hugone de S.Victore *lib.2. Sacram. p.6. cap.4.* quem miror à Vasquez *num.*14. pro se adduci. Si enim habet: *Quamuis ergo in passione Christi, perquam consummata sunt omnia, veteris figuræ status finem accepit; & noui Sacramenti constitutio exordium; tamen, & prius aliquanto tempore, & noua inchoata sunt ad consuetudinem, & vetera postmodum aliquamdiu tolerata.* Et paulò post. *Sicut enim ante passionem ipsa circumcisio in statu suo ad remedium suscipiebatur, & tamen etiam tunc Baptismus sine periculo salutis non contemnebatur ab iis, quibus prædicabatur: ita post prædicationem, Baptismus quasi in statu suo percipiebatur ad salutem; & tamen etiam tunc circumcisio sine periculo salutis, non contemnebatur ab iis, quibus finis eius nondum manifestabatur.*

Ex his colligit Vasquez contra nos, Circumcisio- 45
nem, & alias cæremonias in morte Christi cessasse, & posteà toleratas tantùm: Secundò, obligationem Baptismi incepisse statim in morte Christi.

EGO autem oppositum firmiùs deduco. Primò quidem cessasse Sacramenta, quoad figuræ statum, & incepisse exordium noui testamenti, quod etiam S. Bonauent. *quæst.2. ad 2.* considerat in illis verbis Christi: *Consummatum est:* Ideò impletio figurarum fuit causa Cessationis, vt etiam Patres exponunt, & consummata Redemptione, & Testamento stabilito morte Testatoris, cæpit habere actum primum obligationis; At verò, vt Iuristæ dicunt, & D.Thom. *quæst.90. art.4.* docet, necessaria est promulgatio, vt
lex, quæ est Regula morum, obseruetur. Omnis enim 46
Regula humanarum actionum mediâ scientiâ applicatur, vt ait Vasquez *disput.*155. *cap.*2. & *in explicatione art 4. quæstionis* 90. Et hoc etiam Legi Diuinæ necessarium aduertit, & in proposito nostro, veritas debebat clarescere, vt vmbræ cessarent; vt loquitur S.Bonau. Quapropter etiam Hugo deducit pro nobis, sicut Baptismus ante passionem erat datus Nicodemo, & forsan aliquibus aliis, & aliis, & ideò vtilis erat; nec absque peccato contemnebatur à scientibus; Circumcisio autem in præcepto vigebat; sic post passionem, Circumcisio adhuc vtilis erat nescientibus baptismum, qui vigorem legis non obtinuit, donec manifestatus est, & circumcisionis finis prædicatus. Quòd verò dicat Hugo, sacramenta veteris legis postea tolerata per aliquod tempus; nihil contra nos. Nam Hugo reddit rationem; *sicut enim*, &c. nempè quia, licèt institutus esset Baptismus; tamen adhuc non habebat vim legis: Vnde tolerabatur Circumcisio, profectò ob vtilitatem, alioqui otiosum fuisset. Hanc verò doctrinam ex D. Bernardo hausit.

47 Probatur à D. Bonau. *quæst.* 2. *in corpore* ex D. Bernardo *epist.* 77. longè à principio, scribente ad eundem Hugonem, vbi; vt ingenuè fatetur Vasquez *num.* 32. nostram sententiam apertè profitetur.

Quod caput est; Concil. Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 4. describit Iustificationem impij, esse translationem à statu iræ, in quo quis nascitur filius primi Adæ, ad statum gratiæ adoptionis filij per secundum Adam. Et subdit: *Quæ quidem translatio post Euangelium promulgatum, sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest, sicut scriptum est.* Nisi quis renatus fuerit, &c.

Sensit ergo Concilium; Ante promulgationem potuisse absque Baptismo, atque eius voto impium transferri, &c.

48 Respondet Vasquez *num.* 34. per promulgationem Euangelij, intelligere Concilium eam, quæ auferret ignorantiam Baptismi, non vt ostenderet, ex eo tempore tantùm incepisse præceptum; sed vt ostenderet, ab eo tempore neminem excusari à susceptione illius, aut proposito, si desit copia.

Obsecro; quæ differentia est inter incipere præceptum Baptismi, necessitate medij; & neminem excusari? Cùm igitur, eodem tempore, quo incipit habere vigorem præceptum, desinat excusatio ignorantiæ; sequitur, responsionem Vasquez esse inanem.

Confirmatur ex Concilio Florent. apud Sotum, vbi dicitur: *Non tamen negat S. Synodus, licuisse illa obseruare ante sufficientem Euangelij promulgationem, modò ad salutem esse necessaria non crederetur.* Fateor cum Valentia, & Tannero hæc in Vulgata editione non haberi.

49 Probatur tertiò à D. Bonauent. *quæst.* 2. *fund,* 2. & *in responsione ad* 2. & 3. Ad essentiam legis pertinet promulgatio; At legis Euangelicæ non est facta promulgatio in morte Christi, sed in die Pentecostis: Ergo ex hac die tantùm cœpit Euangelij obligatio; at virtus Circumcisionis, & aliorum legalium non cessauit, quousque Sacramenta Euangelica cœperint obligare: Ergo toto illo tempore, ante Pentecosten, permansit vtilitas Circumcisionis. Fuisse verò factam promulgationem Euangelij in die Pentecostis, clarum est, quia nunquam Apostoli Euangelium publicè antea proposuerant, vt patet ex Actibus Apostolorum. Ideò completis mysteriis omnibus in Ascensione Domini, fuit post quinquaginta dies à Paschate facta illa promulgatio, quam propterea figurauit promulgatio facta legis Mosaycæ in Syna post quinquaginta dies à Paschate Iudæorum, vt testantur D. August. *epist.* 119. S. Leo I. *serm.* 1. *de Pentec.* & alij. Hac ratione vtitur etiam Scotus *loco cit.* & Tostatus *Paradoxo quinto, cap.* 159. Suarez *tom.* 3. *in tertiam partem.*

50 Respondet Vasquez *num.* 27. licèt promulgatio Petri in Pentecoste facta fuerit, non tamen fuisse necessariam ad rationem legis; sed ad tollendam ignorantiam eius.

Hæc tamen responsio seipsam implicat. Nam promulgatio legis de essentia legis est, ob eam rationem, vt tollatur ignorantia eius; vt ipse Vasquez fatetur *locis adductis* cum D. Thom. *quæst.* 90. *art.* 4. Hac enim manente inuincibiliter, lex non ligat.

Probatur quartò à D. Bonauent. *quæst.* 2. *fundamento* 2. ratione, quam desumpsit Scotus *loco cit.* eique illam adscribit Vasquez *num.* 100. Baptismus non fuit alio modo populo Iudaico promulgatus post mortem Christi ante Pentecosten, quàm ante

51 mortem; ante mortem autem non obligabat: Ergo nec post mortem ante Pentecosten; ac proinde non debuit Circumcisio eorum paruulis esse inutilis. Tum etiam, quia nunquam homo fuit relictus sine remedio certo: pro illo autem tempore medio, non fuit aliud remedium certum pro Iudæis his, qui ignorabant instructionem Baptismi: Ergo Circumcisio adhuc erat illis vtilis.

Respondet Scotus *loco cit.* & Capreol. *in* 4. *dist.* 3. *quæst.* 3. *art.* 3. toto illo tempore à morte Christi ad diem Pentecostis non mansisse paruulos sine remedio. Nam illi, qui notitiam habebant Baptismi, poterant baptizare paruulos; qui verò Baptismum ignorabant, poterant vti circumcisione, non vt remedio legis veteris; sed vt remedio legis naturæ. Nam ante datam Abrahamo Circumcisionem, 52
per signum aliquod poterant fideles parentes offerre filios suos Deo, & illos hoc modo iustificare; tunc autem excusaretur signum Circumcisionis à mendacio, etiamsi ex se significaret Christum venturum, & ille iam venisset, quia tale signum, quatenus poterat esse signum legis naturæ, abstrahebatur à repræsentatione Christi venturi, aut iam præsentis.

Contra tamen hanc responsionem arguit Vasquez *numer.* 29. se non satis intelligere, quomodo Iudæi ignorantes Christi Aduentum, & Baptismi institutionem, & abrogationem Circumsionis, possent vti remedio Circumcisionis abstractæ à Christo venturo, vel præsente, cùm eorum credulitas semper ferretur in Christum venturum, quousque scirent eum venisse. Quare vterentur remedio ex falsa fide; atque adeò inutili.

Deinde; Iudæi soliti vti circumcisione, quam præceptam sciebant ad iustificandos paruulos, quo fundamento aliud signum eligerent ad hunc effectum ex propria voluntate?

Respondet Vasquez *num.* 40. Si argumentum valeret; sequeretur, non solùm vsque ad Pentecosten; 53
sed etiam ad multos menses, seu etiam annos, quibus non est prædicatus Baptismus in longinquis regionibus, vbi Iudæi degebant, fuisse vtilem Circumcisionem, ne pueri absque remedio relinquerentur. Imò etiam nunc posset aliquis Iudæus ignorans Baptismum, vti circumcisione vtiliter. Quod si hoc absurdum est; sequitur, argumentum nihil ponderis habere.

At verò adducere inconueniens, non est soluere; neque sequela vera est; quia, vt ipse Vasquez *locis adductis* ait: Lex sufficienter promulgata cogit, & quidem necessariam esse promulgationem non modò in legibus præceptoriis; sed etiam abrogatoriis, docet Vasquez *disput.* 156. *num.* 17. Et sanè D. Bernardus suprà *adducto loco*, extendit Circumcisionis vtilitatem vltra Pentecostis diem, vsque ad Concilium Apostolorum saltem. *Actorum* 15.

Respondet igitur, quòd sicut Deus, aliquos 54
paruulos finit perire in vtero Matris, absque eo quòd industriâ humanâ possit applicari Baptismi remedium; sic se habuissent pro eo tempore Iudæorum paruuli sine remedio decedentes; sicut etiam nunc paruuli multi Indorum.

At quod me ab hoc repellit, est; quia Deus instituerat Circumcisionem, promittens circumcisis salutem, vt mox *quæstione* 12. ostendam. Iam verò si absque alia noua institutione, circumcisi perirent; non video quomodo Deum à simulatione, & circumcidentes à deceptione defendant.

Suarez *sect. citata* ait, durasse remedia Legis naturæ, inter quæ erat circumcisio; & ideò à morte Christi valuisse adhuc, vt Sacramentum Legis naturæ; licèt non valuerit, vt cæremonia Legis vmbraticæ.

Obiiciunt

55 Obiiciunt primò. D. Augustinus & D. Hieron. in epistolis ad se mutuò rescriptis *quæst.7.* adducendis, conueniunt, Circumcisionem, & alia Legis Sacramenta in morte Christi mortua fuisse. Sic sentiunt communiter PP. qui exponunt illud Ioan. 19. *Consummatum est*; & ob id velum templi scissum fuisse,vt diximus suprà.

Neque, cum Soto, aliquod tempus posteà concedendum, vrget Valentia; quia simpliciter omnia consummata sunt, & PP. docent, simpliciter finem Legi impositum fuisse.

Respondet D. Bonaun. *quæst.2. ad 2.* consummatum esse omne præceptum legale, ita vt lex vetus quoad cæremonias,& prophetias cessarit,etiam quoad obligationes: nam cùm anima Legis sit obligatio; exspirante obligatione, exspirat lex; & ita cedente veteri, secuta est noua.

Enim verò de essentia Legis est, vt aduersarij fatentur, promulgatio, vt suprà dixi. Itaque hæc cessatio non poterat effectum habere, nisi clarescéret veritas, vt suprà ostendi.

Ex quo etiam deduco, non benè ab aduersariis adduci pro se D.Thom. quia 3. *part. quæst.66. art.2.* ait: In passione Christi terminata fuisse Sacramenta figuralia. Esto verò cessauerint quoad figuram, & necessitatem; non tamen cessauerunt quoad vtilitatem, donec promulgatio facta est. Idem vult *prim.2.q.103. art.3. ad 2.*

Neque verò D. August. aliud voluit; quàm mortuam esse circumcisionis Legem, nempè, quia Legis vita; est obligatio, & cessante obligatione operis, exspirat Lex; & tamen res illa potest adhuc vtilis esse, licèt non necessaria, vsque ad promulgationem Euangelij inclusiuè, vt notat D. Bonauent. *in corp.* & Vasquez *num.19.* innuit.

56 Neque PP. ità exponunt id Ioan. 19. *Consummatum est*; sed, vel de consummatione operum suorum, oblationis, & redemptionis, vt ait Apostolus *Heb.7.* & exponit D.August. *tract.119.in Ioan.* quem etiam iisdem verbis imitatur Beda ad illud Euangelium; Euthymius *ibi*, Tolet. *ad 19. Ioan.* Vel prophetiæ, vt exponit Theophylac. *ibi*, & alij. Vide D. Bonauent. *collat.85. in Ioan.* hæc præclarè dicentem. Nullum autem inuenio, qui amplectatur modum illum Valentiæ, quo dicit, PP. communiter pro se exponere.

57 Similiter Velum templi dicitur scissum à Gloss. ordin. vt Sacramenta Legis apparerent reuelata, & ad gentes transirent. Sic exponit etiam Origenes *homil.35. in Matth.* & Catena Aurea, D. Hieron. *in eum locum Matth.* Chrysost. *loco cit.* Beda *ibidem*, Theophylac. *ibi*, qui etiam addit, templum more Iudaico scidisse vestimenta in testimonium doloris, ob illam Messiæ mortem. Idem habet Euthymius, qui addit diuisum velum; quia apertum est cœlum hominibus. Hos ego PP. *in Bibliot. Patrum, ad Passionem Domini secundùm Matthæum*, sic exponentes perlegi.

Victor Antiochenus *in Marcum*, dicit, Velum templum scissum in vaticinium desolationis templi deplorabilis, & quia vmbræ iam consummatæ erant.

Theophylactus ait, fuisse signum, gratiam Spiritus Sancti è templo euolare. De reliquo cæteri Patres eodem modo exponunt Veli scissionem. Quare non rectè hæc Euangelia obiiciunt.

58 Obiiciunt aliqui secundò, *Rom.7.* dicitur: *Mortificati estis legi per mortem Christi*: Ergo in morte Christi omnia legalia mortua sunt.

Respondet Suarez *in 3. part. tom.3. sect.7. §. obiici verò potest*, ex D. Bonauent. *quæst.2. ad 2.* mortem Christi fuisse causam ablationis Legis, hæc tamen causa habuit suum effectum, positis omnibus conditionibus necessariis, inter quas est promulgatio, & vt honestè deduceretur Synagoga ad tumulum.

Obiiciunt tertiò. Translato Sacerdotio, necesse est translationem Legis fieri. *Heb.7.* Sacerdotium autem Leuiticum translatum est in morte Christi, cùm ipse Sacerdos in æternum seipsum obtulit; & nouum Testamentum condidit, ac morte confirmauit *Heb.9.* At quis non videt, duo testamenta eiusdem subsistere non posse: Euacuato ergo veteri testamento, euacuatæ sunt omnes illius Cæremoniæ; alioqui mansisset vetus cum nouo.

Respondetur ex D.Bonauent. *quæst.1. in corpore, & quæst.2. ad argumenta*, adueniente nouo testamento, cessasse vetus obligare, in quo stat ratio testamenti; non tamen tollitur, quin necessariò publicandum esset; hæc est enim ratio necessaria testamentorum; alioqui inualida sunt.

Obiicit quartò Vasquez. Dum confirmatur nouum testamentum, veteratur prius *ex cap.8. ad Heb.* nouum autem confirmatur: Ad confirmationem autem non est necessaria promulgatio publica, nisi quatenus dicit propositionem voluntatis Regis ad ipsos subditos; sed hoc modo loquutus est in Cœna,instituens Eucharistiam; sicut & in vita,anteà, cùm Baptismum instituerit, quem post Resurrectionem confirmauit. *Matth. vlt.* Ergo à die mortis habuere virtutem, nec fuit necessaria alia promulgatio, vt veram Legis rationem haberent. 59

Enim verò parco Authori, qui solitâ subtilitate omnia tentat. Dico autem primò (si cum eo libet respondère;) sequi ex eius discursu, in mortis puncto, nullum Sacramentum incepisse, vel esse antiquatum. Tunc enim nullum præceptum dedit, vt Princeps. Præceptum enim Baptismi dedit. *Matth. vlt.* & ob id, ait Vasquez *disput.180. num.41.* nullum dicere, vsum Baptismi necessarium fuisse ante Resurrectionem Christi; quia Baptismus post Resurrectionem, Ascensionis tempore, præceptus fuit. Quo posito manifestum est, non cessasse præceptum Circumcisionis, quovsque adueniret præceptum Baptismi.

Hinc etiam vrgeo contra Vasquez. Quodcunque Princeps loquitur, vt Princeps, etiam absque solemnitate, censetur naturâ suâ Legem condere, si explicet voluntatem suam, esse imponendi necessitatem, & licèt stylus hominum publicationes adhibeat in foro; tamen non est necessarium ad hoc, vt Lex sit obligatoria, ex Vasquez *disput.181. à num.10.* Sed Christus in Cœna loquutus est, vt Princeps instituens Eucharistiam, & antea Nicodemo, instituens Baptismum, ex eodem Vasquez *num.22.* Ergo ab illis temporibus habuere illa Sacramenta vim Legis; non autem in morte Christi, contra ipsum *ibi*, & *disput.180. cap.5.*

Vrgeo secundò.Eodem tempore cessauit Circumcisio, quo obligauit Baptismus, ex Vasquez *disp.180. num.41.* Sed Baptismus incepit obligare aliquot annos ante mortem Christi: Ergo, & cessauit circumcisio. Mi: probatur. Tunc incepit habere vim Legis, cùm, tanquam Princeps, Christus loquutus est, ostendens, se id velle obseruari, ex Vasquez *disput.181. num.21.* sed hoc fuit in vita Christi ex ipso Vasquez *num.22.* Ergo. 60

Dicit *num.22.* Baptismum post mortem confirmandum fuisse, nempè *Matth. vlt.*

Contra. Vel illa confirmatio fuit necessaria ad declarandam voluntatem Principis Dei, necessariam ad hanc Legem condendam, vel non. Si fuit necessaria: Ergo solùm propè Ascensionem, cùm Christus.

Matth. vlt. Baptismum confirmauit, incepit obligare. Si non fuit necessaria. Ergo ante mortem obligauit, quia tunc loquutus est vt Princeps, condens Legem, secundùm Vasquez *num.*21. In morte autem, ne ista quidem de Baptismo mussitauit.

QVÆSTIO VII.

An post Pentecosten, licitum fuerit aliquo tempore vti cæremoniis Legis.

D. Bonauent. in 4. dist.3. art.3. q.2.
D.Thom. q.103 art.4.

61 QVæstioni ansam præbuit illud, quod Apostolis Paulo, & Petro accidit. De quo *ad Galat.* 2. Res autem ita se habuit. Absoluto Apostolorum Concilio Hierosolymis Petrus Antiochiam venit, vbi, dum cum Gentilibus nonnullis pranderet, superuenêre quidam Hebræi, nuncij D.Iacobi, quos cùm vidisset Petrus, illicò subtrahens se Gentilium conuiuio, etiam conuiuas (inter quos Barnabam) induxit, vt à mensa recederent. Hoc autem Petrus, quodam timore perculsus præstitit, ne Iudæi illi, qui superuenerant, stomacharentur, virum Apostolum Iudæum cibos cum Gentilibus edere. Hoc autem consilium cœpit, cùm esset Apostolus, præcipuè Iudæorum, hos non lædendi; etiamsi Gentiles conuiuas aliquo pacto offenderet, ab eis secedendo. Hoc Paulus reprehendit acribus satis verbis, dicens. *Si tu, Iudæus cùm sis, gentiliter viuis, & non iudaicè; quomodo cogis gentes iudaizare?* Et ait, loco præfato *ad Galat.* se restitisse in faciem Petro, quia verè reprehensibilis erat, nec ambulabat ad veritatem Euangelij.

62 Id præbuit præclaris Ecclesiæ sanctæ Luminibus, Hieronymo, & Augustino, disputandi materiam. Videbant enim, quàm insolenter hæretici in vtrumque debaccharentur, ex quibus Marcion exclamabat, Apostolos in rebus fidei defecisse, & præcipuè Paulum nouatorem extranea in Ecclesiam inuexisse contra cæteros Apostolos, vt refert Tertullianus, *lib. de Præscript. contra hæreticos, cap.*17. Porphyrius Paulum petulantiæ inclamat, quippè qui id reprehenderet in Petro, quod ipse præstitisset circumcidens Timothæum *Actor.* 16. seruans votum Nazaræorum *Actor.*21. Purificationes Iudaicas seruans *Actorum* 21. Ità testatur D.Hieronymus, *ep.* 80. inter suas epistolas, & 10. inter epistolas D. Augustini. Accerbior Apostata Iulianus, in Petrum conuicia iactauit; eò quòd nunc Gentilium more vixerit; modò Iudæorum instituta seruarit. Ità scribit Cyrillus *lib.*9. *contra Iulianum.* Hos verò imitati posteà Magdeburgenses hæretici, *centur.*1. *lib.*2.*cap.*10. horrendum Petri lapsum exclamant, vt refert Bellarm. *lib.*1.*de Romano Pontifice, in calce, cap.*28.

63 Verum enim verò, Petrum ab omni culpa eximunt omnes PP. Græci *ad cap.*2. *ep.ad Galat.* atque *Epistola* 89. *ad D. Augustinum.*

Fuere tamen, qui culpam aliquam, quasi nænum Petro inurerent. Ità Latini aliqui, è quibus Tertullianus, *lib.* 4. *in Marcionem*, Cyprianus, *ep. ad Quintum,* Ambrosius *in cap.*2. *ad Galat.* Augustinus *in cap.*2. *ad Galat.* Augustinus *ep. ad Hieronymum*, 8. 9. & 19. Gregor. 28. *Moral. cap.*12. & alij nonnulli; Paulum autem omnes laudant. Ita etiam D.Bonauent. *in corpore*, & *ad* 3.

Suppono autem Cepham, reprehensum à Paulo fuisse Principem Apostolorum; de quo nominatim loquutus erat antea, vocans eum Ecclesiæ columnam.

Primo igitur D. Hieronymus, vt Petrum ab errore, dum visus fuit ritibus Iudæorum, Paulum verò à procacitate vindicaret, *in magnis commentariis epistolæ ad Galat. cap.*2. quæ *in sexto Tomo* continentur, & *ep.* 88. quæ est 15. *inter Epistolas.* Sic discurrit. Duo tempora ponens: alterum condendi Euangelium, quod incepit ab Aduentu Christi vsque ad mortem; alterum promulgandi; à die Pentecostes vsque ad finem mundi. In priori tempore dicit, licuisse vti legalibus, tanquam necessariis, vsquequò Euangelium prædicaretur, & innotesceret; at post acceptam notitiam Euangelij moritura fuisse legalia: Licuisse tamen Apostolis vti ritibus illis, vt cum Iudæis beneuolentiam inirent, eosque prudenti simulatione ad Euangelium allicerent. Hoc igitur præstitisse docet Apostolos dispensatione quadam, quam vocat prudentem simulationem. Sic Paulum 21. *Act.* purificatum esse more Iudæorum, vt quærimonias Iudaicas conclamantium, cum à Iudæis desciuisse, sedaret. Et eadem simulatione Petrum id Antiochiæ præstitisse, secedendo à mensa Gentilium, aduenientibus Iudæis; ibi enim ea dicitur *simulatio.* 64

Porro licitum esse ad bonum finem, maximè salutis, simulare, probat Hieronymus exemplis Christi, qui venit in similitudinem carnis peccati, *Galat.*2. & *Lucæ vlt.* Finxit longiùs ire. Et 4. *Regum* 10. Iehu finxit se cultorem Baal, vt sacerdotes Baal congregaret ad necem. 65

Quod ampliùs confirmat Adrianus *quæst.*1.*de Baptismo*, §. *Ad partem oppositam*, exemplis Iosue *cap.*8. qui, vt Haitis insidias strueret, finxit timorem, & fugam. Et §. *Sed maior difficultas*, exemplo Naaman Syri, qui petiit ab Elisæo, vt pro se oraret, dum cogeretur comitari Regem suum in Mesquitam, & coram Idolo *Remmon* procumbere. Elisæus autem dixit: *Vade in pace*, quasi id licitè ageretur.

Iam verò D. Hieronymus dicit, Paulum restitisse in faciem Petro, non ex animo, sed vt publico conniueret; sicuti etiam Petrus non ex animo, sed prudenti simulatione à Gentilium mensa se retraxerat; & ità dissidium inter se inuicem composuisse ex sancta simulatione, vt Iudæos, & Gentiles vnà ad fidem sanctam pellicerent, qui inter se dissidebant. Sperabant enim, Iudæos pertinaces in seruandis Mosaycis ritibus simul cum Euangelio, videntes, Petrum reprehensioni Pauli acquiescere, credituros, non esse eos ritus necessarios. Itaque vtrunque Apostolum excusat. 66

Hanc sententiam ex antiquioribus tradidere Origenes, Dydimus, Apollinaris, Laodicenus, qui, vt ait Hieronymus, paulò antè ab Ecclesia discesserat, & Alexander antiquus hæreticus, quos S. August. *epist.*19. spernit ibidem, Eusebius Emissenus, Theodorus Eracleates, quos allegat S.Hieronymus *ep.*89. His annumeres. His annumeres Chrysostomum, Theophylac, & Oecumenium in eum locum ad Galat. Colligit verò Chrysostomus hanc fuisse reprehensionem simulatam, ex illis verbis. *Restiti in faciem*, quod Græcè habet. *Cataprosopon*, idest, *secundùm faciem.* Idem ipse docuit *lib.* 1. *de Sacerdotio.* Refertur etiam Cassianus, *collat.*17.*cap.*20.

E Scholasticis verò eam sententiam grauiter sustinet, ac magnis roborat argumentis, Adrianus, *quæst. de Baptismo.*

E regione autem S.Aug. in multis epistolis *ab octaua*, vsque *ad decimam nonam*, præcipuè verò in hac postrema, expositionem S. Hieronymi euertere conatur. 67

Tria

Tria autem tempora distinguit. Primum ab Aduentu Christi vsque ad mortem, vbi Legalia fuere infirmata, & in morte Christi mortua quoad obligationem.

Secundum tempus vsque ad diuulgationem Euangelij factam, cùm posset dici: *In omnem terram, &c.* & tunc Legalia fuere ad tumulum deducti.

Tertium est ab eo tempore, vsque ad mundi finem, in quo Legalia sunt tumulata. Primo tempore dicit, Legalia potuisse adhiberi ob necessitatem salutis, vel vtilitatem. Secundo tempore, ob honestatem, vt Synagoga honorificè ad sepulchrum duceretur. Tertio verò impium est, quia sic extumularetur. Itaque potuit in sententia D. Augustini Circumcisio esse vtilis vsque ad Pentecosten inclusiuè, non enim
68 hoc excludit. Et primò quidem fatetur ingenuè, Legalia in morte Christi adeò occubuisse, vt lethale esset, non statim, sed post Euangelij promulgationem, illis vti: Interim verò licuisse tunc eis honorem deferre, vt eis vterentur fideles, dummodo non existimarent adhuc præcepta esse necessaria ad salutem. Et hoc idem concedit etiam D.Hieronymus, vt fatetur Vasquez *disput.*182. *cap.* 3. Non determinat tamen; An vtilitas circumcisionis in morte Christi cessarit.

Cæterum in duobus à D. Hieronymo recedit. Alterum est; quia non licebat ex aliqua simulatione vti cæremoniis illis, toto illo tempore concesso: sed quidem ex quadam in Iudæos misericordia, vt honestè Synagogam, olim à Deo institutam, ad tumulum deferri viderent; & eo affectu, Paulum ritus aliquos Iudaicos exercuisse, vt suprà retulimus; non quidem, vt Iudæorum simularet religionem, neque quia eos ritus ad salutem necessarios crederet; sed, vt testaretur, ritus illos sanctos fuisse, nec buccis conclamantibus simul cum Gentilium superstitionibus in exilia expellendos, aut cum pestiferis Paganorum ritibus tumulandos.

69 Alterum, in quo D. Augustinus à D.Hieronymo discrepat, est, dicens, seriò quidem, Paulum restitisse in faciem Petro; eumque reprehendisse, quia reprehensibilis erat; alioqui sequi, Paulum, non modò factis, sed etiam verbis, mendacium turpe patrasse *cap.*2. *ad Galat.* Minus verò incommodum est dicere, Petrum venialiter lapsum, quàm Paulum in Scripturis mendacia miscuisse. Et sanè Paulum non bene aliter defenderet Adrianus, vt dicam.

Cum D. Augustino incedunt Scholastici omnes (excepto Adriano.) D. Thom. *p.* 2. *quæst.*103. *art.*4. vbi Thomistæ; Richardus *in* 4. *dist.*1. *art.*6. *quæst.*4. Durandus *quæst.* 6. *num.* 7. *&* 8. Paludanus *quæst.*6. *art.*5. *concl.*4. Gabr. *quæst.*4. *art.*3. *dub.*3. Scotus *dist.*3. *quæst.*4. Maior *quæst.*2. Dominic. Sotus *lib.*2. *de iust. quæst.*5. *art.*4. *ad tertium membrum primi argumenti*, & ante hos omnes Hugo de S.Victore id tenet *lib.qq. in ep. ad Galat. quæst.* 6. Refertur etiam à Caietano, & Dominico Soto Concilij Florent. definitio, pro sententia D.Augustini; tamen nec *in Decreto Eugenij*, nec *in litteris vnionis*, se inuenire potuisse, ait Vasquez *num.*27. vbi huic sententiæ subscribit cum Valentia *disput.*-. *punct.*7. in fine. Henriquez *lib.*2.*cap.*2. Baronius *tom.*1. *anno* 44. *&* 58. Suarez 3. *part. tom.*1. *disput.* 1. *sect.* 2. & *lib.*9. *de legibus*, *cap.*16. *&* 17. Vasquez *disput.*182. Tanner. *disput.*5. *quæst.*3. *dub.*5. *num.* 285. Hanc sequutus est D. Bonau. qui egregiè eam inter cæteros explicat.

70 Assero primò, non licuisse vti, ex prudenti illa, (vt aiunt) simulatione, legalibus.

Suppono autem ex D.Bonau. *in corpore quæstionis præsentis*, & *in* 3. *dist.*38. *dub.*3. *litt.* vbi etiam D. Ambrosium allegat, mendacium primo quidem esse in verbis, quæ sunt prima mentis expressiua; attamen etiam in factis esse, quod probat etiam D.Thom. 2. 2. *quæst.*110.*art.*1. ex Aristotele 4. *Eth.c.*3. vbi veritatem non modò in verbis, sed etiam in factis ponit; atque adeò etiam mendacium, quod veritati opponitur; nam contraria in eodem subiecto esse habent. Stat autem mendacium in rebus, vt quis vtatur nutibus, vel actione, aut re alia ad demonstrandum extra oppositum eius, quod habet in mente. Eiusdem verò malitiæ est, ac mendacium in verbis. Porrò non posse excusari mendacium, ob quamlibet magnam vtilitatem, docet D.Augustinus *locis adductis*, & *lib. de mendacio ad Consentium*, & *in lib. contra mendacium*, *in* 4. *tomo*, etiam in scholis determinata est sententia omnium calculis. Imò ab Innocentio III. definita *in cap. Super eo, de censuris*.

Ratio est; quia obiectum, aliàs malum, solùm excusatur, si ratione circumstantiæ variatur materia, 71
& ratio obiecti formalis, quod malitiam actui tribueret, vt, cùm quis accipit rem alienam, consensu Dei; tunc variatur ratio obiecti furti, quod est res aliena, non quomodocunque, sed inuito Domino, secundùm rationem, vt ritè aduertit in casu Hebræorum, qui abstulerunt Thesauros Ægyptiorum. S.Bonauent. *in* 2. *dist.*40.*dub.*2. *litt.* Deus enim est Dominus rerum; At malitia mendacij in hoc posita est, vt quis verbis aliud significet, quàm habeat in mente. Hoc autem totum subiectum integrè manet, etiamsi mentiamur ob vitæ salutem. Ideò Innocentius III. *loco cit.* ait: *Diuini verbi præcepto prohiberi, ne quis, etiam pro alterius vita seruanda, mentiatur:* Ergo ex nullo fine licebit mentiri. Ex quo patet etiam, PP. sectatores sententiæ D.Hieronymi, non rectè asserere, licitum esse mendacium ex causa honesta; nam semper manet deordinatio mendacij in materiam non debitam, id est falsum ex intentione fallendi, vt latè probat S.Bonau. *in* 3. *dist.*38. *quæst.*2. *in corpore*, & post eum Vasquez *hic*, *cap.*4.

Probatur ergo primò à Seraphico: quia mendacium est illicitum semper. Ergo non licuit Aposto- 72
lis eo vti ad alliciendos ad fidem paganos.

Probatur secundò à D. Bonauent. *in corpore.* Non licet vti cæremoniis sacris, fingendo religionem falsam; sed eo tempore cæremoniæ Iudaicæ erant falsæ Religionis. Minor probatur ex D.Hieronymo. Erant mortiferæ, nedum ad salutem non necessariæ; at eas exercere, vt fingerent Iudæis eas esse bonas, vel necessarias, est fingere actus falsæ Religionis: Ergo.

Confirmatur à S. Doctore, argumento D.Augustini. Non minùs lethales erant tunc cæremoniæ iudaicæ, quàm nunc, ex D. Hieronymo. Sed nunc non licet vti illis, ob vtilitatem lucrandi Iudæos, etiamsi scandalum aliis non præberemus: Ergo. Hanc rationem vrget & Vasquez *num.*40.

Assero secundò, Paulum non restitisse in faciem 73
Petro simulatoriè.

Probatur à D.Bonauent. *in corpore*, argumento D.Augustini validissimo. Si simulatè, & fictè Paulus Petrum reprehendit: Ergo mentitus est in Scriptura *Galat.*2. dicens: *Restiti in faciem Cephæ, quia reprehensibilis erat, & non ambulabat ad veritatem Euangelij.*

Respondent aliqui, in Græco habere. *Cataprosopon*, quod Chrysostomus, & alij exponunt, *secundùm faciem*, vt sensus sit. *Secundum exteriorem faciem.*

Contra. Nam significat etiam in præsentia 2. *Corinth.*10.

*Corinth.*10. vbi dicit: *secundùm faciem quidem humilis*, & Act.23. vbi habes: *Nisi is, qui damnatur præsentes habeat accusatores.* Habetur in Græco *Cataprosopon.*

74 CONTRA secundò. Quia Paulus reddit rationem, cur restiterit in faciem; quia scilicet reprehensibilis erat.

VERUM S.Hieronymus & alij Græci non legunt. *Catagnostos*, quod latinè significat *reprehensibilem*; sed *Categosmenos*. Latinè *reprehensus*, & sensus fit. Ideò restiti in faciem Petro, quia à Gentilibus, à quibus recessit, fuit reprehensus.

CONTRA primò. Quia hac reprehensione Petro facta, vult Apostolus Galatis persuadere, circumcisionem non esse necessariam.

Contra secundò. Quia sic legit Vulgatus noster.

Contra tertiò, vrget D.Bonau. quia Apostolus addit reprehensibilem fuisse Petrum, quia non ambulabat ad veritatem Euangelij.

HVIC obiectioni, ait Vasquez, *num.*49. nescire se, quid valeat D.Hieronymus respondere. Quòd si hæc fictè sint dicta, quis non respondeat, ait D.Bonau. viam hæreticis amplam aperiri, dicendi, etiam aliàs Scripturam mentiri, & fictè loqui?

HINC deducit Seraph. Doctor *ad penult.* Satiùs esse in Petro aliquod veniale in facto admittere, quàm in Scriptura Canonica Pauli grauissimum mendacium, & in Spiritus Sancti effatis falsitatem. Ità concludit ex Vasquez *cap.6.* qua ratione, *cap.7.* ipse rursus ait, vsos esse Scholasticos.

75 ASSERO, verè fuisse à Paulo reprehensibilem Petrum; non quia vsus esset cæremoniis Iudaicis eo tempore. Nam iis vsus est etiam Paulus, dum circumcidit Timotheum. *Act.* 16. Purificatus est Iudaicè *Act.*21. Et se totondit ad ritum Nazareorum, vt notat D.Bonauent. *hic.* Ratio ergo, ob quam reprehensione fuit dignus, est; quia his cæremoniis, alioqui tunc permissis, intempestiuè vsus est, & modo quodam, qui poterat alils obesse. Nam sic resiliens à mensa Gentilium aduenientibus Iudæis, poterat in animum inducere videntium Gentilium, id eum fecisse ex conscientiæ stimulo, nempè, quia Iudaici ritus adhuc essent necessarij; ideò rectè Apostolus Paulus obiecit. *Si tu cùm sis Iudæus, Gentilium more viuis, cibos cum eis sumens, quomodo hac necessitate cogis Gentes iudaizare, imitando hos Gentiles ad ritus Iudaicos?*

76 VASQVEZ à *num.*56. probare conatur, Petrum reprehensibilem fuisse, etiamsi neque venialiter errauerit, quia putauit, ita conuenire, ne Iudæi illi perturbarentur, videntes, eum reliquisse morem Iudaicum, cùm ita ipsi conuersi essent, vt tamen permitterentur, ritibus patriis adhuc vti. Itaque ex inconsiderantia omninò est excusandus.

ATTAMEN reprehensibilem fuisse, ob rationem dictam, & venialiter peccasse patet, quia tenebatur considerare, actum suum posse scandalum afferre gentilibus, & magis tenebatur oppositum facere ex dictamine, quia Iudæi iam instructi erant in Concilio Hierosolymæ, ritus Mosaycos non esse necessarios, & ideò non debebant mirari; si Petrus eis non vteretur; at verò sic recedendo, Gentiles lædebantur, quasi ritus Iudaici essent necessarij. Itaque satiùs puto, admittere cum D.Thom. & D.Bonau. cæterisque Scholasticis, venialiter Petrum errasse.

77 OBICIES primò cum priori sententia. Paulus Timotheum circumcidit, & in Cenchris votum, more Iudaico, persoluit, & Hierosolymis purificatus est. Hæc autem præstitit, non animo obseruandi Legem, sed prudenti simulatione, vt Paulus Iudæis, Iudæus appareret, & ipsi falsum existimarent id, quod de Paulo audierant, eum discessionem à Moyse docere. Confirmatur; nam Paulus nominat factum Petri simulationem.

RESPONDET D.Bonauent. ex D.Augustino id præstitisse Paulum, non animo simulandi, Iudaismum esse necessarium; sed ne ritus Iudaici sepelirentur, more Gentilium superstitionum. Quo tempore tamen noluit Titum circumcidere, quia Gentilis erat; nec illi falsi fratres iure id prætendebat, tanquam necessarium. Neque in Petro reprehendit vsum illum cæremoniarum, sed vsum intempestiuum, vt suprà dixi. Dicitur sanè simulatio; non quia Petrus id faceret animo ostendendi ritus illos Iudaicos necessarios, quod in corde non sentiebat; sed quia illud factum externum videbatur simulatio; quia eo Gentiles mouebantur, vt crederent, Petrum id, animo ostendendi ritus Iudaicos esse necessarios, præstitisse.

OBICIES secundò, vtilem esse simulationem, ob finem honestum. Sic Christus venit in similitudinem carnis peccati, & *Lucæ vlt.* Finxit longiùs abire, & *Iosue cap.*8. Finxit fugam, vt caperet Haitas, & *Iehu* 4. *Reg.*10. finxit se cultorem Baal, vt Sacerdotes prophanos deciperet. Et 4. *Reg.*5. Naaman Syrus petiit ab Eliseo, ne sibi imputaretur, fingere adorationem Idoli simul cum suo Rege. 78

RESPONDIT D.Bonauent. *in* 3. *dist.*38. *quæst.*2. simulationem cautelæ, vel doctrinæ licere, non duplicitatis. Sic igitur Christus ad erudiendos Discipulos ostendit, se velle longiùs ire, non simulando propriè; sed se præparando ad vlteriorem viam, quam prosecutus fuisset, nisi eum coegissent, vt ait Seraphicus ad eum locum Lucæ, vbi id etiam addit quod *Marci* 6. fecit, quando volebat præterire Discipulos ad Mysteria significanda. Vbi aduertit S. Bonauent. *ad argumenta*, & post eum Vasquez *cap.*4. quod hæc est differentia inter significationes vocum, & rerum, quòd voces nequeunt assumi, nisi ad communem significationem: at res plura significare possunt; ideò non est par mendacij nota in vtrisque, licèt etiam verba sæpè transumptiuè ad Metaphoram liceat adhibere.

AD factum Iosue, & Iehu, respondet, fuisse simulationem materialem, solùm cautelæ. Propterea, vt infert S.Bonau. cum D.Augustino hoc esset contra D.Hieronymum; nam, si licuit simulare falsam Religionem, licebit & nunc, quod absit. 79

AD factum Naaman respondet Vasquez eum postulasse, non vt sibi liceret simulare adorationem Idoli; sed, vt oraret pro se, vt sibi remitteretur; si quando peccasset comitando Regem, & cum eo procumbendo. Vnde ait illi. *Vade in pace*, quasi diceret; *orabo pro te.*

RESPONDEO præterea ex D.Bonauent. etiamsi aliquando simulare liceret, etiam cultum falsum ad saluandam vitam; tamen non licere, quando ex eo inducerentur alij ad eundem cultum; sicuti esset actio Petri, si esset simulatio.

RESTAT hinc deducendum, cæremonias legales aliquo tempore durasse, non mortiferas, ob rationes allatas: At verò ad quod vsque tempus licuerit absque culpa eis vti, incertum videtur. Hoc vnum, ex dictis suprà, confirmo, eas licuisse vsque ad promulgationem Euangelij. Aliqui dicunt, tempore B.Ignatij, eas mortiferas esse incepisse, vt ipse Sanctus testatur, *epist.*8.

ALII autem, nil certi, dicunt, haberi. Ità Vasquez *disp.*182. *cap.*19.

RECEPTA verò sententia est apud Theologos, eas incepisse circa tempus desolationis Hierusalem, circa annum 80

annum quadragesimum post Christi Passionem, cum iam sufficienter Euangelium fuisset promulgatum, & adimpletæ septuaginta hebdomadæ, vt notauit Henriquez *lib.2. Instit. cap.2.* vbi allegat Sotum *lib.2. de iust. quæst.5. art.4.* Et *ad Rom. cap.7.* & *in 4. dist.3. art.11.* & *dist.5. quæst.1. art.2.* Medinam *quæst.103. art.4.* Et fauet D. Thom. *quæst.103. art.4. ad 3.* Vega *in Concil. Trident. lib.5. cap.3.* Scotus *in 4. dist.3. quæst.4.* qui addit; tametsi è Scripturis non habeamus præcisè tempus, quo Legalia cœperunt esse noxia, tamen probabile esse, Deum per Apostolos, vel successores, determinato tempore, simpliciter prohibuisse legalia. Ratio est; Quia hæresis est dicere; Legalia currere simul cum Euangelio, vt habetur *cap. Maiores, de Baptismo.* Consentit Tannerus *disp.5. de Legib. quæst.3. dub.5. num.96.* vbi prudenter à Scoto sic decisum ait; Sed prudentiùs à S.Bonauent.persistit, incepisse legalia esse perniciosa, post sufficientem Euangelij promulgationem, quæ æqualis non fuit vbique; sed tardior in locis remotissimis vltrà marinis. Sic enim & in Decretis Pontificum maius tempus conceditur degentibus vltra mare, quàm Incolis Italiæ, & Insularum adiacentium. Innuit autem S.Doctor, viuentibus Apostolis, satis Euangelio promulgato, incepisse legalium prohibitionem. Sequitur Suarez *lib. 9. cap. 18.* Inter Legalia amplius durauit prohibitio à sanguine, & suffocato, quod permissum est etiam *Act.15.*

81 Qvibvsdam tamen videtur illud *à suffocato* additum esse. Sic inter alios S. Gaudentius Episcopus Brixiæ, quem Bellarminus, *in controuersiis de Eucharistia*, æqualem Ambrosio acclamat. Tunc de Machabæis verbum illud *à suffocato* per interpretationem addidisse videtur, dum ait: Simul abstineatis vos *ab immolatis, & fornicatione, & sanguine*, idest *à suffocatis*, nempè ne ederent carnes, è quibus non esset sanguis effusus. Ita exponit etiam D.August. *lib.32. contra Faustum, cap.13.*

Idem volunt etiam PP. Græci, & quotquot vulgatum sequuntur, *vt abstineant se à contaminatione simulachrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine*, nomine enim *sanguinis*, intelligitur etiam ille, qui remanet in suffocatis, & ità siue retentus, siue effusus, vetabatur.

Ratio verò cur hoc præceptum diu remanserit, & confirmatum fuerit in multis Conciliis. Aurelianensi secundo, *can.19. & 20.* Vvormatiensi *cap.63.* Imò etiam cur Leo Imperator, *Nouella 58.* eandem Legem renouauerit: arbitror eam esse causam, quia hæc Lex non erat de his, quæ figurabant Christum; sed de his, quæ arcenda erant, tanquam olida ethnicæ superstitionis. Nam inter pretiosa sacrificia erant carnes cum sanguine, idest suffocatorum, & sanguis ipse; de quibus immolantes comedebant, vt testatur Origenes, *lib.8. contra Celsum*, Strabo *lib.15.* Geographiæ, & notauit Turrianus *lib.1. cap.5.* pro Canonibus Apostolorum. Vide Vasquez, *cap.9.*

QVÆSTIO VIII.

Obseruationes aliquot è D. Bonaventvra *excerpta circa præcepta Cæremonialia Legis veteris.*

82 Qvia S.Doctor quæstionem nullam è proposito instituit de Cæremonialibus Iudæorum; sed aliqua tantùm dixit passim; libet ea colligere, & cum his, quæ habet S.Thomas à pluribus quæstionibus, *quæst.100.* componere, non enim plurimum conferunt.

De Mysteriis veterum Cæremoniarum.

Assero primò, Deum fuisse Sacrificiis, & Cæremoniis honorandum. 83

Probatvr à D. Bonauent. *Opusculo de septem Donis, de Dono pietatis, cap.2.* Quia Deus, vt summus Rex, debet recognosci cultu quidem interno per actus Fidei, Spei, & Charitatis; externo autem, Sacrificiis, adorationibus, quæ sunt signa potestantia interiorem cultum, soli Deo debitum. Sic enim in quauis Republica honor singularis præstatur Principi, quem si alteri exhibeas, Reus fies læsæ Maiestatis, vt ait D.Augustinus *lib.1. de ciuit. Dei, cap.4.* Vnde Lege Diuina, *Exod. 22.* pœna mortis statuitur his, qui Diuinum honorem aliis, quàm Deo exhibent. *Qui immolat Diis, occidetur, præterquam Domino soli.*

Exod.20. Factum est Altare ad Sacrificia, & hoc de terra, vel lapidibus non sectis, ad quod per gradus non ascendebatur, vt euerteret cultum Gentilium, qui excelsa altaria constituebant, vt ea adorarent. Hoc etiam factum est, vt in altari è terra coleretur Christi humanitas; in qua Deus erexit Altare salutis, & vt confiteremur eius cum Patre æqualitatem, & ideò vetitum est, ne per gradus ascenderet, ne ascensionem crederemus. De quo S.Bonau. *in expositione Missæ*, ad verba Canonis: *Iube hæc perferri per manus S.Angeli tui, in sublime Altare tuum.* 84

Aliam rationem affert D.Thom. *quæst.102. art.4. ad 7.* ne reuelaretur turpitudo, & hoc in contemptum sacrorum Priapi, in quibus, pudenda Sacerdotes ostendebant. Ita D.Bonau. *de sex alis Seraphim, cap.8.* post medium.

Levit.6. iubet, ignem in altari perpetuum seruari idest feruoris. Ita D.Bonau. *loco cit. cap.8.* 85

Levit. 11. Dedit regulas circa animalia, quæ poterant Hebræi comedere. Inter hæc erant pisces; vbi eorum mysteria prosequitur D. Bonauent. *de septem Donis, De dono Pietatis, cap.4.* & D.Thom. *quæst.102. art.6.*

Erant tunc septem Solemnitates temporales, & vna continua, vt colligitur *Numer.28. & 29.* Continua erat, quia quotidie, mane, & vespere offerebatur Agnus.

Festorvm temporalium, primum erat in singulis septimanis *Sabbathum*, in memoriam creationis. Secundum singulis mensibus *Neomeniæ*, quæ dicebantur ad gratias agendas Deo, pro gubernatione. Tertium erat *Phase*, pro liberatione populi ex Ægypto. Quartum erat *Pentecostes*, ob datam Legem.

Alia tria festa colebantur in mense septimo, qui totus ferè erat solemnis. 86

Prima die erat festum Tubarum cornearum, ob memoriam liberationis Isaac de victima, pro quo inuenit Arietem, hærentem cornibus inter vepres. Erat hoc festum acclamans præparationem ad festum Expiationis decimo die, pro beneficio, quo Deus propitiatus est populo, pro adoratione Vituli, precante Moyse. Post hoc celebrabatur festum *Scenopegia*, idest tabernaculorum septem diebus ad commemorandum Diuinum beneficium diuinæ protectionis, & deductionis per desertum, vbi in tabernaculis habitarunt; vnde in hoc festo sumebant fructum arboris pulcherrimæ, idest Citrum & lignum densarum frondium, idest Myrtum, quæ sunt odorosa, & spatulas palmarum, & salices de torrente. De quo vide D.Bonauent. *in speculo B. Virginis, lect.16.* Vbi id B. Virgini applicat,

plicat, fructum optimum illum, &c. Arboris speciosissimæ. Sic etiam illud, loco cit. *Dabo benedictionem meam anno sexto, & faciet fructum suum annorum.*

Octavo autem die celebrabantur, *Collectæ*, in quo colligebantur à populo necessaria ad Diuinum cultum, & significabatur adunatio populi, & pax in terra promissionis.

87 Nvmer.4. Præcepit Deus filiis Caath. vt emundarent altare à cineribus; & inuoluerent purpureo vestimento, & illud ponerent cum vasis ministerij. Subditos hinc monet S. Doctor *part.3. de Ecclesiast. Hierachia, cap.2.* vt Legem Dei eximio conscientiæ nitore seruent, sint ideò, vt filij Caath. idest pœnitentiæ; emundentur, non modò ab igne Luxuriæ, sed etiam à cinere, idest reliquiis immunditiæ, scilicet à memoria, & cogitatione; sicut dicitur Genes.19. *Nec stes in omni circa regione, &c.* Hæc S.Doctor. Quicunque verba hæc sedulò perpendat, exponet, moneri istos, vt non modò peccata, maximè ardentia carnis, extinguere satagant; sed & cineres, nempè memorationes, cogitationes, imaginationes remanentes, quibus detur occasio ad ignem rursus peccatorum excitandum. Hæc enim inter occasiones & causas numerat peccatorum, & cum peccatis delenda, monet D.Bonauent. *opusc. de modo confitendi, cap.5. cap.11. & 13.* Affert verò præceptum Lot iniunctum *Genes.19.* vt è gentis pessimæ exiens contubernio, è locis illis conspurcatis; tunc ocyus erumperet ad incendium euitandum, sicque doceantur pœnitentiæ Sacramento armati, etiam externas ignis spurci occasiones declinare, nempè locorum, personarum, temporis, &c. quas edisserit *cap. 5. opusc. cit.* Et expositores loci *Genes.* explicant. De quo vide Glossas Haye, hîc, & Aluarez *Tom.1.lib.4. cap.5.* Quare immeritò Modernus quidam, me, ait, non rectè interpretasse Seraphici mentem, dum exposui, de occasionibus vitandis, memoriam, cogitationem, &c. Dicat mihi ille, quam aliam memoriam, quasvè alias cogitationes intelligit S. Doctor præcauendas, vltra peccata?

QVÆSTIO IX.

De Iudicialibus.

88 Qværes primò: An ritè prouisum sit circa Iudicialia, quò ad institutionem Principis.

Respondet D.Bonauent. *opusc. de sex alis Seraphim, cap.5.* Genus illud gubernationis, quo vnus principatur secundùm virtutem, & aliqui optimates eliguntur ad subleuandum Principem à nimio curarum onere, quæ dicitur gubernatio Monarchiæ mixtæ cum Aristocratia; (& Democratia, si optimates etiam è plebe eligantur) esse optimum regimen. Sic enim pax in Regno stat, cùm omnes in principatibus concurrunt; quia omnes regnare cupiunt, & insitum habent illud: *Dominamini.*

Talis fuit gubernatio instituta in populo Dei. Nam Moyses primus, & sic etiam successores principabantur; quod est species quædam regni. Eligebantur autem septuaginta duo seniores, secundùm virtutem. Dicitur enim Deuter.1. *Date ex vobis viros sapientes, & gnaros, & quorum conuersatio sit probata in Tribubus vestris, vt ponam eos vobis Principes.* Et, *Tuli de vestris tribubus viros sapientes, & nobiles,* quod non Aristocraticum: sed Democraticum erat; quia isti de omni populo eligebantur, vt dicitur Exod.18. *Elige ex omni plebe, &c.* quem locum refert S.Bonauent. *part.3. de Ecclesiast. Hierarch. cap.1.* 89
vbi ritè obseruat, id eò meliùs seruatum in regimine, quod etiam spiritualia continet. Nam sic Regnum administratum, nimis ad temporalia distraheret Principem; & ideò oportet, vt sumantur alij in partem sollicitudinis. Idem docet D.Thom. *quæst.105. art.1.* & latè prosequitur Bellarm. *lib.1. de Romano Pontif. præcipuè à cap.5.* vbi idem probat esse regimen Ecclesiæ, vbi, vt Monarcha, Papa Sanctissimus principatur, & Episcopi Principes assumuntur coadiutores, in quo seruatur Aristocratia; & ex omni plebe eliguntur, si digni sint, in quo Democratia miscetur: sed de hoc *secunda secundæ*, vbi etiam conferemus electionem Papæ, quæ est à Deo, cum antiqua Principis Israel: de qua dicitur *Numer.27. Deut.cap.7.*

Idem motiuum necessitatis ad regimen spirituale, & temporale simul adducit S.Bonauent. *de sex Alis Seraphim, cap.7. circa medium*, ex cap.8. Exod. *Esto tu populo in his, quæ sunt ad Deum, & leuius fiet, partito in alios onere.* Et in Actis, c.6. *Non est æquum, nos relinquere verbum, & ministrare mensis.*

Exodi 22. Pœna mortis statuitur adorantibus alium, quàm Deum, Latriâ, aut alij Sacrificium offerentibus, tanquam reis læsæ Maiestatis, vt notat D.Bonauent. *opusc. de septem Donis. De Dono Pietatis, cap.2.* vt dixi suprà de cæremoniis cum S. Doctore *loco cit.* & D.Thom. *prima secundæ, quæst.102. art.3. in corpore.* Et quia Sacrificia ordinant mentes in Deum: Deus autem debet cognosci Rex, supremus author omnium, vt ait Dauid *primo, Paralip. 20.* & Principium, & Finis, & ideò alium Sacrificiis talem honorare, est crimen læsæ maiestatis, & pœnâ mortis dignum. Sic enim, & Principes faciunt vt dixi cum de Cæremoniis. Exod.22. *Maleficos non patieris viuere*, quos publicâ potestate occidendos præcipit, vt perniciosos. Vide D.Bonau. *in 3. dist.37. dub.5.* & *in 4. dist.37. art.2. quæst.1.* 90

Præcipit Exod. 23. *Si errauerit bos, vel asinus proximi, & inueniatur: Reducatur:* hoc sane in Mysterium, vt multò magis errantes homines in viam salutis reducamus, vt habetur *Iacobi vlt.* & docet D. Bonauent. *de Ecclesiastica Hierarch. part. p. cap. 2.* Magnam Legem dat, *Exod.23.* Ne Principes, & Iudices accipiant munera, quia excœcant etiam prudentes, vt notat Seraphicus *in Confessionali cap.1. particula quarta*, vbi idem iniungit Confessoribus. Et de Ecclesiast. Hierarchia *part. 2. cap. 2.* vbi idem Principibus, & Prælatis commendat. *Exod.23.* præcipit. *Si videris asinum odientis te, non pertransibis, sed subleuabis.* Vide S. Bonauent. *in 3. dist. 30. quæst. 5.* initio. 91

Ibidem præcepit, Ne fœdus inirent cum Chananæis, nec cum Diis eorum. Vide D.Bonau. *in 3. loco cit.* argumentis secundo loco. 92

Nvmer. 5. Leprosus, & feminę fluens eiiciebatur, simul etiam pollutus super mortuos, de quorum mysteriis Vide S. Doctorem de sex Alis Seraph. *cap.7.* circa modum.

Poenam mortis omittentibus Phase indicit, *Numer. 9.* quod S.Bonau. componit cum necessitate indicta manducandi Sanctissimum Christi corpus, Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, &c.* Vide eum in Præparatione ad Missam *cap.5.*

Animal, quod offerebatur, non poterat mutari etiam in melius. Hoc aliqui adducunt, vt probent, vota esse incommutabilia. Sed D.Bonau. *in 4. dist.38. art.2. quæst.2. ad 1.* exponit, ex Glossa, ea non posse commutari à vouente, propria authoritate.

Devter.17. præcipit, si dubium fuerit, id quod iudicandum;

iudicandum; consulant Sacerdotes. Vide D.Bonau. *in Confessionali, cap.1. particula quinta.*

93 DEVTER.21. præcipit: *Si cadauer occisi inuenietur, oportebit metiri, quæ Vrbs sit vicinior, & maiores vobis viciniores egredientur, & iurabunt, se esse innocentes à sanguine occisi.* Vide D.Bonau. *in serm.3. de decem præceptis.*

DEVTER. 24. scribitur libellus repudij. Vide S. Bonau. *de Ecclesiast. Hierarchia, cap.1. part. p. ad finem*, & D. Thom. *prima secunda, quæst.* 105. *art.* 4. *ad* 8. *Permisit autem ad duritiam cordis eorum*, vt dicitur *Matth.*19.

DEVTER. 24. *Non accipies loco pignoris inferiorem, & superiorem molam.* Vide Seraphicum *in Diæta, tit.5. cap.4. in fine.*

DEVTER.24. Nolebat, ingredi creditorem domum debitoris ad pignus extorquendum. Vide S.Doctorem *in Confessionali, cap.2. particula prima.*

QVÆSTIO X.

De Sanctuario

94 PRIMO quidem erat ibi intra Tabernaculum exterius ARCA, quæ significat Cor humanum, in quo oportet adorare Deum in Spiritu, & veritate; vbi eriguntur duo Cherubin, idest scientia eorum, quæ ad Deum pertinent: & scientia eorum, quæ ad humana spectant, vt habet D.Bonauentura *de Ecclesiast. Hierarchia, part. prima cap.* 3.

VEL significant Cherubim illi altissimam, & beatam contemplationem Diuinæ Maiestatis, in cuius visione est beatitudo, vt dicitur Ioan. 17. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te Deum.* Ità Seraphicus. *Itinerario mentis in Deum, cap.6.*

Similia habet S. Thom. *quæst.*102. *art.*4. *ad* 6. vbi id latè prosequitur.

95 CAPITE 25. aduertit: *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* In Tabernaculo enim, & toto Sanctuario figurabatur Ecclesia militans ad similitudinem triumphantis, vt dixit S. Bonau. *in Incendio amoris, cap.3.*

TOTVM etiam Tabernaculum, & omnia antiqua Sacra erant figuræ Christi, ad cuius Exemplar docere voluit, nos conformare, vt dixerat S. Bonau. *in* 3. *dist.*11. *quæst.*2. *in corpore.*

ITEM significabantur Ordines Sacri, vt notat Seraph. Doctor *in* 4. *dist.*24. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.*4. *arg.*3.

96 Quoad Tabulas Legis, quas in ARCA includi voluit, vt Lex seruanda demonstraret, & essent testimonium pacti inter Deum, & populum. Vide D.Bonauent. *in sermonibus super Decalogum.* Et *in* 3. *dist.*37. *art.*2. *quæst.*3. & D.Thom. *prima secunda quæst.*98. *art.*2. *&* 3. & *quæst.*106. *art.*2. *ad* 3. & *art.*4. *ad* 3. Et *quæst.* 107. *art.* 1. *circa finem*, & 3. *parte quæst.*42. *art.*4. *ad* 2.

ALTARE Tabernaculi præcepit fieri *Exod.* 25. de terra, vel de lapidibus non sectis, ad offerenda munera, & sacrificia. Erat trium cubitorum in altitudine, figurans tres gradus humilitatis. Ideò sine gradibus erat, vt in imo iacere doceret coram omnibus. Vide D. Bonauent. *in Diæta, tit.7. cap.1.* circa finem.

97 MENSAM de lignis Sethim, duos cubitos in longitudine, & vnum in latitudine habentem, præcepit. *Exod.* 25. voluit circumquaque coronam esse auream. Hæc significat Sanctam Trinitatem, in vnitate coronatam perfectionibus infinitis, quæ sunt vnum, licèt differant quò ad Connotata. Vide S. Bonauent. *Proœmio in libros sent.* quod incipit: *Gyrum cœli circuiui.*

FECIT Altare, de lignis Sethim tectum, *Exod.* 30. & cauum: Significabat verò pœnitentem attenuatum. Vide S.Bonauenturam *in Diæta, titulo* 2. *cap.*4.

ERAT & Lauatorium Æneum, vbi erant specula, vbi sese intuerentur Sacerdotes; & aqua munda; quæ significant cordis munditiam, necessariam Sacris, maximè personis. Vide Seraphicum *in Diæta, tit.7. cap.5.* circa finem, vbi Prælatis id applicat, qui sunt Cherubim interpretes Dei, atque tenentur Diuinam subditis reuelare voluntatem. 98

IN Rationali erant quatuor Ordines lapidum, *Exod.* 28. vbi humilitatis prærogatiuæ elucent, vt docet S. Bonauentura *in Diæta, titulo* 7. *cap.*1. *in fine.*

Vel significant quatuor, quæ in Rationali, seu in consideratione debet habere Prælatus. Primum est quomodo ad perfectum tendant, & in perfectione perseuerent subditi. Secundum, quomodo lapsos corrigat. Tertium quomodo exteriora negotia disponat. Quartum, quomodo in omnibus his, se gerat.

TRES lapides erant in singulis versibus, significantes, tria esse ad singula prædictorum necessaria. Videatur D. Bonauenturam *de sex Alis Seraphim, cap.*7. 99

Deus facultati omnium prouidens postulauit pro Sacrificiis quadrupedia, vel si ea non haberent, volatilia; ex quibus erant Turtures, Columbæ, & Passeres, quibus Regio abundat. Pauperibus verò præcepit, vt offerrent panem, vel saltem farinam, aut spicas. *Leuit.* igitur 2. præcipit, offerri panem coctum in Clibano, de Simila panis absque fermento. Hic significabat Christum Redemptorem, igne charitatis adustum, Cruce decoctum absque fermento malitiæ. Adde in Sanctissimo Sacramento oblatum. Vide D. Bonau. *de septem Donis. De dono Sapientiæ, cap.* 5. circa medium, & D. Thom. *prima secunda, quæst.*102. *art.*4. *ad* 2. *&* 3.

OMNIS oblatio ibi præcipitur, esse absque fermento, nempè, vt ostenderet, longè ab oblationibus, vel offerentibus, rem debere abesse alienam, & malitiam. Ità S. Doctor *in Diæta, tit.* 2. *cap.* 7. circa finem. 100

TRIA genera sacrificiorum recenset Iosephus *lib.*3. *antiquitatis, cap.*50.

PRIMVM genus est Holocaustum, quod totum comburebatur ad protestandum Diuinam Maiestatem, & bonitatem institutum, quæ digna est, vt totum se homo dedat Deo. Ritus holocausti habentur *Leuitici* 1.

SECVNDVM erat hostia pacifica *Leuit.*7. quæ erat duplex. Altera pro gratiarum actione; altera voti, scilicet pro beneficiis impetrandis. Vna pars huius incendebatur; altera cedebat in vsum Sacerdotum; & alia in vsum offerentium.

TERTIVM erat Sacrificium pro peccato; & erat duplex. Alterum pro peccato; alterum pro delicto, idest pro culpa leuiori, vt exponunt Origenes *homil.*5. *in Leuit.* Et D. Augustinus *quæst.*20. *in Leuit.* Oppositum tamen credit Philo, *lib. de Sacrificiis.* Ex hoc, vna pars comburebatur; altera cedebat in vtilitatem Sacerdotum.

Materia Sacrificiorum erat ex quadrupedibus Ouium, Boum, Caprarum. Ex auibus, Columbarum, Turturum, & Passerum.

Similiter ex terræ nascentibus offerebatur Panis, Vinum, & similia, Thus; & sal ex marinis. Vide Gregorium de Valentia *disp.7. quæst.7. puncto 5.*

QVÆSTIO XI.

De Sacramentis.

101 MVlta fuisse in Lege veteri Sacramenta, asserit Eugenius IV. in Decreto fidei, in Concilio Florent. post vltimam sessionem. Et D.Hieron. *cap.5. de Ecclesiastic. Hierarchia, part.1.* & alij PP. apud Suarez *Tom.3. in 3. part. disp.5. sect.2.* & D.Bonau. *in 4. dist.1. part. 1. quæst.5.* & D.Thom. *quæst.102. art.5. part.2.*

Assero, plura fuisse in Lege veteri Sacramenta.

Probatvr à D. Bonau. primo ex Hugone *lib.1. de Sacramentis, part.8. cap.12.*

Probatvr secundò à Seraphico Doctore *in corpore*; quia Sacræ cæremoniæ, oblationes, &c. figuræ erant, sacraque signa mysteriorum Christi.

Sic immolatio Agni figurabat immolationem Christi. Prima Corinth.5. *Pascha nostrum immolatus est Christus.*

Sic purificationes, & baptismata significabant nostrum Baptisma, & Pœnitentiam.

Præcipve autem id ostendit S. Bonauent. ex aspersionibus sanguinis, eleuationibus hostiarum, communicationibus Sacris, concremationibus hostiarum, *Exod.* præcipuè 24. *Numer.* 19. quæ Apostolus *ad Heb.* ostendit fuisse signa sacra venturi testamenti, & Messiæ Sacerdotis æterni. Erant autem ea præcepta, & ob id necessitate præcepti necessaria; non tamen medij.

102 Horvm erat ianua Circumcisio, quæ fuit Sacramentum Legis Naturæ, vt dicam *quæstionibus sequentibus*, quia non licebat eis vti incircumcisis, vt patet de Agno Paschali, *Exod.* 12. & idem de cæteris. E contrà, Circumcisus toti Legi tenebatur, vt habetur *Galat.5.*

Hæc verò Sacramenta fuerunt triplicis generis, vt habet D.Thom. *prima secunda, quæst.112. art.5.*& D.Bonau. *loco cit.* Quædam erant instituta ad conseruandos Sacerdotes, & Pontificem: Alia ad vsum rerum Sacrarum, seu recognitionem beneficiorum Dei. Alia ad expiationes, & purificationes Legalium irregularitatum, vel peccatorum. Vide etiam Suarez *loco citato.*

Enim verò, quia plurima erant tunc signa sacra significantia sanctificationem hominis; neque tamen huiusmodi omnia erant Sacramenta; nam neque transitus maris præfigurans Baptismum, nec Manna indicans Eucharistiam, erant Sacramenta; oportet scire, quid ad rationem Sacramenti exigatur. Sacramentum ergo debet esse signum Sacrum ex parte ipsius rei significantis, idest res aliqua, vel cæremonia ad cultum Dei ordinata, seu instituta. Ità Suarez *loco cit. disp.1. sect.1.* secutus D. Bonau. *in 4. dist.1.* & alios Scholasticos; & D.Thom. *prima secunda, quæst.101. art.4.& 102. art.5.*

Talia autem erant: Circumcisio, qua consignabantur in populo Dei. Consecratio Sacerdotum, qua cultui Diuino dedicabantur, & ad hoc munus sanctificabantur, &c. Sed de his *in tertia parte*, agendum.

QVÆSTIO XII.

An Sacramenta Legis veteris vim habuerint iustificandi.

D.Bonau. in 4. dist.1. art.3. q.5.
D.Thom.3. part.quæst 62. art.6. ad 3. & quæst.70. art.4.

COncedvnt quidem Nouatores hæretici, Sacramenta Legis veteris non iustificasse; at inde etiam procedunt, vt Sacramenta nouæ Legis eadem ferè imperfectione laborent, quos 3. *part. Tom.2. Tract. 1. disput. 1. quæst. 1.* latiùs refutabo. Nunc quæstio est solùm de antiquis: An virtutem habuerint iustificandi non solùm *ex opere operantis*, quatenus eorum erat opus bonum factum auxilio gratiæ, vim habens impetrandi remissionem peccatorum, impetrandi etiam spiritum compunctionis, & pœnitentiæ, & crescendi in iustitia, si fieret in statu gratiæ; sed etiam *ex opere operato*, ità vt ex institutione Dei haberent virtutem iustificandi, quam aliàs non haberent, pro vt sunt tantùm opus bonum, factum auxilio gratiæ, quæ distinctio videatur in D.Bonau. *in 4. dist.1. part.1. quæst.5. in corpore*, quem imitantur alij, ex quibus Vasquez *loco citando*. Vide D.Bonau. *in 4. loco cit.* Quæstio verò est præcipuè de Circumcisione. 103

Prima opinio est Paludani *in 4. dist.1. quæst.6. art. 4.* qui Circumcisionem, & aliqua alia etiam Sacramenta Legis veteris, *ex opere operato* iustificasse, ait. Sed contrà arguit S. Bonauent. *in 4. dist. 1. part. 1. quæst. 5.* quia hæc non sunt asserenda, nisi adducatur reuelatio Diuini pacti. Hæc verò de sola Circumcisione habetur *Genes.* 17. vt infrà. 104

Secvnda opinio est Magistri *in 4. dist.1. cap.2.* Sacramenta antiqua nunquam iustificasse animas; sed sola corpora emundasse, quia erant præcepta seruitutis. Hæc verò opinio videtur velle, neque *ex opere operantis* iustificare, seu disponere ad iustitiam potuisse, etiamsi in charitate fierent, vt notat D Bonauent. *in 4. loco cit.*

Tertia opinio est Varronis *in primo, dist 41. quæst. 2.* Per Circumcisionem solam fuisse ablatum peccatum, non tamen datam gratiam. Eam refert hîc S.Bonauentura. 105

Qvarta opinio est aliorum antiquorum; peccatum quidem fuisse Circumcisione remissum, & datam gratiam, non tamen ad positiuum aliquem effectum, puta ad vincendas tentationes, ad seruanda præcepta, sed solùm ad remittenda peccata. Eos refert D.Thom.

Celebris verò est sententia, negans omninò, Circumcisionem, aut alia Sacramenta Legis veteris *ex opere operato*, iustificasse; sed fuisse Circumcisionem merum signum gratiæ, quæ in ipsa *ex opere operantis*, conferebatur. Ità D. Thom. *loco cit.* & *prima secunda, quæst. 102. art. 5.* Eum sequuntur discipuli. Capreol. *in 4. dist. 1. quæst. 2. art. 1. concl. 2.* Bellarminus *Tom. 2. lib. 2. de effectibus Sacramentorum, cap.13.* Ferrar. 4. *contra Gent. cap.57.* vbi D. Thom. idem refricat. Cano *relect. de Sacram. in genere, part. 5.* Burgensis *in Scrut. Scripturæ, dist. 8. cap. 15.* Ledesma 1. *part. 4. quæst. 3. art. 1.* Hosius *in confess. Cathol. cap. 32.* Vasquez *prim.2.*

prim. 2. *diſput.* 184. *cap.* 3. vbi magno eam plauſu à Modernis, maximè complutenſibus, acclamatam ait; Becanus *cap.* 3. *quæſt.* 11. Mærac. *diſput.* 5. *à ſect.* 4. De Lugo *diſput.* 5. *ſect.* 3. qui alios citant.

106 SECVNDA ſententia eſt, Circumciſionem attuliſſe gratiam ex diſpoſitione adultis, & ex neceſſitate paruulis, ex Dei liberalitate. Ità adiuuante aliena fide. Sic Valentia *diſput.* 4. *quæſt.* 5. *punct. vnico*, adducens D. Thom. 3. *part. quæſt.* 70. *art.* 3. *&* 4. Caſpenſis *tract.* 21. *diſput.* 2. *ſect.* 1. allegans Bellarminum *cap.* 14. 15. *&* 16. Bonacin. *tract. de Sacram. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 3. Coninch. *quæſt.* 6. *art.* 1. Suarez *diſput.* 10. *ſect.* 2. Ità etiam Amicus, & alij apud Morandum. Bouerius *demonſt.* 2. *in Iudæos, art.* 7.

His accedit Soto 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 3. *art* 6. & *diſt.* 2. *quæſt.* 1. *art.* 4. dicens, eam fuiſſe conditionem ad gratiam conſequendam.

His oppoſita ſententia docet, Circumciſionem *ex opere operato*, gratiam contuliſſe, emundando à labe originis. Ità Alenſis 4. *part. quæſt.* 4. *memb.* 3. *art.* 3. *&* 4. D. Bonauent. *loco cit.* Scotus 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 6. Durandus *quæſt.* 7. Palud *quæſt.* 6. *art.* 4. Gabr. *quæſt.* 4. *art.* 1. & vniuerſa Seraphica Religio apud Maſtrium *diſp.* 1. *quæſt.* 2. *num.* 44. Bonac. *punct.* 3. Victor. *cap.* 2. Henriquez *l.* 1. *cap.* 6.

107 ADVERTE, Seraphicum 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 5 quærere differentiam Sacramentorum nouæ Legis, & veteris; vbi allatâ opinione Magiſtri, quam ſuprà retuli, refert Hugonem ex oppoſito, dicentem, priſca Sacramenta contuliſſe gratiam non modò ex opere fidei internæ, qua exercebantur, ſed etiam in ſe per accidens, quatenus inſtituta erant à Deo ad actus Religionis, & fidei exercendos, cum alioqui eſſent iugulationes, & combuſtiones animalium, nil Sacrum habentes. Sanè quærentem Hugonem de Sacram. *An conferrent gratiam*, intelligendum, ait *ex opere operato*. Itaque hoc ſenſu, ſumpto *opere operato*, dici poſſe per accidens ea ad gratiam ducere diſponendo, virtute fidei exercitæ in illis littationibus, & conſecrationibus, de quibus habetur conſecratio *Leuit.* 4. *&* 5. *Deuter.* 6. *Exod.* 28. 29. Promiſſiones, &c. alicuius diſpenſationis, ſaltem ad gratiam, egentibus hominibus fide, &c. vt docet etiam D. Thom. *prima ſecunda*, *quæſt.* 103. *art.* 2. Cano 12. *de locis*, *cap.* 13. *ad* 9. & refert Suarez 3. *part. diſput.* 10. *ſect.* 2.

ADDIT D.Bonauent. probabiliùs locutum Hugonem; quia in ſententia Magiſtri ſequitur, non fuiſſe Deo grata Sacrificia Abel, Abrahæ, Melchiſedech, contra Canonem Miſſæ.

108 ALIQVI è relatis, in celebri ſententia, carpunt Seraphicum, quaſi vel æquiuocè locutum *de opere operato*, vel id implicantis inuoluerit; cùm nullum opus ſit dans gratiam vltra meritum operantis, niſi adſit Dei promiſſio.

IMMERITO ſanè. Tunc quia ex ſententia Hugonis loquitur, quem coactum loqui de opere operato, conatur mitiùs exponere, nec in omnibus ſequitur; ſed in eo, in quo probabiliùs iuxta Magiſtrum opinatur. Ipſe verò in ſua ſententia de reliquo fixis pedibus ſtans, præmiſſa diſiunctiua. *Sed, &c.* ſic aſſignat differentiam Sacramentorum vtriuſque Legis. Quòd noua iuſtificant per ſe, ex Dei pacto; at antiqua per accidens, ratione fidei, & aliarum virtutum, operantium opus à Deo ordinatum non *ex opere operato*, idest virtute Sacramenti, pacto Diuino ad gratiam ordinati conferendam.

ASSERO primò, Circumciſionem iuſtificaſſe *ex opere operato*.

PROBATVR primò à D.Bonau. *art. cit. quæſt.* 2. *ad argumenta*, ex illo Geneſ. 17. *Maſculus, cuius præputij caro Circumciſa non fuerit, peribit anima eius.* 109
Vbi aduertit S.Doctor, LXX. appoſuiſſe: *Maſculus, cuius præputij caro, octaua die Circumciſa non fuerit.* Ergo infantibus erat neceſſaria ad ſalutem animæ, & emundationem, ſine qua peribant; At infantes octo dierum non habent, niſi culpam originalem. Ergo.

SVBSVMIT autem *quæſt.* 3. Non deletur culpa, quin infundatur gratia, ſed Circumciſio delebat culpam originariam infantibus: Ergo.

Hoc eſt argumentum D. Auguſt. qui eſt huius noſtræ ſententiæ Patronus, *lib.* 6. *de ciuit. Dei*, *cap.* 27. & *lib.* 2. *de peccato Originali contra Celſum*, *cap.* 30. *&* 32. & *lib.* 3. *contra Iulianum*, *cap.* 18. & *lib.* 5. *cap.* 9. & *lib.* 2. *de Nuptiis*, *& concupiſcentiis*, *cap.* 11. & hic locus refertur à Gratiano *de conſecr. diſt.* 4. *cap. Ex quo.* Idem habet *lib.* 2. *contra litteras Petiliani*, *cap.* 72.

RESPONDET Vaſquez *num.* 45. ingenuè fatendo, hunc ſibi videri ſenſum D. Auguſt. quod probat, tum quia eo loco Geneſ. vtitur ad probandum, peccatum Originale in paruulis, à quo niſi emundarentur Circumciſione, perirent. Tum etiam, quia alij Patres, doctrinæ Auguſtinianæ ſtudioſiſſimi idem aſſerunt. 110

PRIMVS eſt Author *ep.* 84. apud Ambroſium, qui creditur eſſe S.Proſper.

SECVNDVS Fulgentius, *lib. de Incarnatione cap.* 15. qui eodem argumento vtuntur cum ſuo Magiſtro.

TERTIVS eſt D. Gregorius, *lib.* 4. *Moral. cap.* 3. & refertur *in cap. Quod autem de conſecr. diſt.* 4. vbi dicitur. *Quod apud nos valet aqua Baptiſmatis, hoc agit apud veteres, vel pro paruulis ſola fides; vel pro maioribus virtus ſacrificij, vel pro iis, qui de Abraha Stirpe prodierunt, Myſterium Circumciſionis.* Nil clarius dici potuiſſe, ait Vaſquez *num.* 13.

QVARTVS eſt Beda, *Homil. de Circumciſione Domini.*

QVINTVS eſt Bernardus, *ep.* 77. & *ſerm.* 3. *de Circum. Domini*, & *ſerm.* 1. *de Aſſumpt. Virginis.* 111

SEXTVS eſt Hugo de S. Vict. ad quem S. Bernardus eam epiſtolam ſcripſit *in lib. qq. in epiſtolam Pauli ad Rom. quæſt.* 113. & *lib.* 1. *de Sacram. part.* 12. *cap.* 2. vbi adducit etiam D. Auguſt. & concludit ex Beda nobiſcum, adeò perſpicuis verbis pro noſtra ſententia, vt nulla eum explicatione, nullaque expenſione indigere fateatur Vaſquez *num.* 16.

SEPTIMVS eſt Rupertus, *lib.* 5. *de operib. Trinit. cap.* 33. cum quibus eſt Iſidorus *in* 17. *Geneſ.*

OMNES iſti aſſeuerant, Circumciſionem eſſe latam in remedium peccati Originalis, vt fatetur Vaſq. *n.* 46. niſi (ait) explicentur, per Circumciſionem dari gratiam, licèt illa non ſit cauſa gratiæ.

Hoc tamen gratis diceretur. Nam Sancti Patres, poſt D. Auguſtinum, grauiter arguunt neceſſitatem Circumciſionis pro Hebræorum maſculis, ne anima eorum periret; neque aliam cauſam afferunt inſtrumentalem iuſtificationis eorum.

CONFIRMATVR. Nam idipſum argumentum ſtruit Innocentius III. *in cap. Maiores de Baptiſmo*, *& eius effectu*, dicitque, Baptiſmum Circumciſioni ſucceſſiſſe; deinde locum illum Geneſ. 17. *Maſculus, &c.* explicat de adultis, & paruulis ſicut etiam illud Ioan. 3. *Niſi quis renatus*, 112 *&c.*

&c. Tandem assignans differentiam inter Baptismum, & circumcisionem, dicit: *Quoniam, etiamsi Originalis culpa remittebatur per Circumcisionis Mysterium; & damnationis periculum vitabatur; non tamen perueniebatur ad Regnum cœlorum*; Ergo, &c.

Respondent aliqui, id non esse ab Innocentio definitum, sed pro ratione tantùm adductum; nil enim de circumcisione ab eo quæsitum fuit.

113 Nec quicquam (inquiunt) valet, quòd dicat: *Respondemus, quòd Baptisma circumcisioni successit*. Hæc enim responsio non est definientis, sed præmittentis rationem suæ definitionis. Adde, quòd id *Genes.* 17. non est vnicum fundamentum Papæ, ex quo colligat suam definitionem, sed adducitur à Pontifice per modum exempli, iuxta opinionem aliquorum; pro fundamento autem suo adducit id Ioan. 3. *Nisi quis renatus, &c.*

Respondet Vasquez Innocentium non disputasse de modo, quo dabatur gratia; sed solùm dixisse, eam dari; nos verò dicimus, eam non fuisse per se causam gratiæ, & sic exponi posse aliquos Patres.

Hæc tamen friuola sunt, vt soluant authoritatem.

Quæstio ergo erat quidem facta Atelatensi Episcopo. An Baptismus prodesset infantibus, qui credere nequeunt, cùm tamen dicatur, Matth. vlt. *Baptizantes, &c. Qui crediderit, & Baptizatus, &c. Saluus erit.*

114 *Ad id respondemus* (ait) *quòd Baptisma Circumcisioni successit. Cum ergo circumcisio tùm adultis, quàm paruulis ex præcepto Domini conferretur, &c. Sicut enim sine distinctione qualibet, Mosayca Lex clamabat: Anima, cuius praputij caro, &c. ita nunc indistinctè vox intonat Euangelica. Nisi quis renatus, &c.*

Primo quidem oportet videre, Innocentium firmare authoritatem *Ioan.* 3. authoritate *Genes.* 17. Quia enim videbatur illa exponenda, iuxta vlt. Marci. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c. saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*, hanc firmat alia Scriptura, Genes. 17. *Masculus, &c.* quæ definitur, de fide intelligenda, vt sit fundamentum definiendi illud Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* intelligi etiam de puerulis, ita vt necessarium sit Baptisma infantibus, sicut illis necessaria fuit olim Circumcisio; quia Baptismus Circumcisioni successit. Quod si illa authoritas *Genes.* 17. vacillet, etiam hæc *Ioan.* 3. labilis apparebit, ob contextum Matthæi, qui fidem actu exigit, cui infantes inepti sunt. Sic igitur arguit: Baptismus Circumcisioni successit in delendo originali: Sed Circumcisio delebat *ex opere operato*, etiam in paruulis, vt dicitur *Genes.* 17. Ergo & Baptismus. Quod si respondeas, non successisse in danda gratia *ex opere operato*; ita vt ipsa Circumcisio priùs daret gratiam, causans eam; elabitur tota authoritas *Ioan.* 3. vt dixi.

115 Deinde hinc deduco, Definitionem directè cadere super Circumcisionem, non verò, quæstionem esse de Baptismo. At Circumcisionis veritate vtitur, non tanquam exemplo aliquo, vt fingit Vasquez; sed tanquam fundamento necessario, quo nititur definitio fidei, quæ debet reuelatione fundari, hæc satis illo *Ioan.* 3. solidabatur, vt dixi, pro paruulis.

Vasquez *num.* 19. & 48. ait: Innocentium non definire nostram sententiam; quinimò oppositum statui ab Eugenio IV. in Concilio Florent. post vltimam sessionem in Decreto fidei ad Græcos §. *Quinto Ecclesiasticorum Sacramentorum, &c.* vbi ait: *Quæ multum à Sacramentis differunt antiquæ Legis, illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per Passionem Christi dandam esse figurabant: hæc verò nostra, & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.*

Respondent aliqui, Circumcisionem, vt erat Sacramentum Legis veteris, non habuisse virtutem illam, sed, vt cum Sacramento Legis nouæ conuenientiam habebat, & idem munus ad effectum obtinebat simul cum propria institutione. Hanc responsionem probabilem dicit Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 10. *sect.* 1.

Respondetur secundò cum Vasquez *num.* 46. 116
velle Eugenium, Sacramenta antiqua, prout Sacramenta, idest significantia res sacras futuras Christi, non contulisse gratiam, *ex opere operato*, sed vt erant opera coniuncta cum tali fidei professione, quæ fiebat; sicuti nunc etiam Sacramenta nouæ Legis, licet *ex opere operato*, conferant gratiam, tamen requirunt determinatum ministrum cum tali intentione, & talem dispositionem etiam fidei in suscipiente adulto. Vnde non necessariò arguit Vasquez *numero* 27. Quod si *ex opere operato* contulisset gratiam, potuisset ministrari ab infideli; sicut nunc Sacramenta nouæ Legis; quia *ex opere operato* conferunt gratiam, possunt à Ministro absque fide conferri. Hoc inquam inane est. Primò, quia Circumcisio ex natura sua erat ordinata ad aggregandum etiam populum Dei, & erat tale Sacramentum, quod intrinsecè erat professio fidei, quæ debebat in infantibus fieri à Circumcidente, qui assumebatur vt Patrinus, sicut nunc leuans de fonte Baptismali assumitur, vt Patrinus. Licet non ità sit nunc necessarius.

Deinde verò etiam Sacramenta nouæ Legis, eo 117
quòd talia sunt, requirunt talem Ministrum fidelem & aliqua etiam Sacrum; & sine eo non est Sacramentum, vt patet, etiamsi *ex opere operato* dent gratiam; & requirunt in recipiente fidem, si sit adultus, vt notat D. Bonauentura *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 2. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad* 3. & Alensis, Palud. Scotus, & alij apud Suarez *disput.* 10. *sect.* 1. vbi idem tenet, & probat ex D. Augustino *lib.* 1. *contra Cresconium*, *cap.* 31. & probatur ex Innocentio III. qui videtur in hoc æquiparare Circumcisionem Baptismo.

Respondeo secundò, applicando responsionem à Vasquez datam, Decreto Innocentij III. nempè non esse determinatum de fide id, de quo non est quæsitum, vel intentum principaliter.

Hoc verè in Decreto Eugenij, si placet, aspice. Sic enim exorditur Eugenius. *Quintò Ecclesiasticorum Sacramentorum veritatem per ipsorum Armenorum tàm præsentium, quàm futurorum faciliori doctrina sub hac breuissima redigimus formula. Nouæ Legis septem sunt Sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Vnctio extrema, Ordo, & Matrimonium.* Subdit. *Quæ multum differunt à Sacramentis, &c.* Et redit ad propositum. *Horum quinque prima, &c.* Igitur intentum Papæ est, tradere numerum, & essentiam Sacramentorum nouæ Legis. Differentia verò lata, ad intentum non spectat, dummodò credantur causare gratiam Sacramenta nostra. 118

Hoc

Hoc igitur voluit Eugenius, quod posteà S.Concilium Tridentinum *sess.* 7. *canon.* 2. *&* 6. definit, quos quidem Canones aduersarij frustrà adducunt.

119 Et quidem *can.*2. damnatur, qui dixerit, Nouæ Legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alij ritus externi. Ex quo deducunt Vasquez & alij: ergo differunt; eò quòd hæc conferunt gratiam; illa verò nequaquam conferebant; nam alia differentia non potest assignari.

Canone verò sexto damnantur dicentes, hæc Sacramenta nostra non conferre gratiam; sed esse tantùm signa externa: In margine verò ponitur Concilium Florent. sub Eugenio IV. vers. *Hoc docet Ecclesia.*

120 Equidem miror, viros eruditos priorem inferre consequentiam, cùm in Canone tertio statim alia apponatur differentia, quæ esse potest. Nam damnantur dicentes, omnia nostra Sacramenta esse paria; cùm tamen omnia conferant gratiam *ex opere operato*; Cur ergo hæc etiam non adest diuersitas assignanda inter Sacramenta antiqua, & noua, quòd hæc, vtpotè instituta immediatè à Christo Redemptore, abundantiori gratia dotata sint? Prætereà plures habet in eis gratia effectus, maximè cùm dicantur Sacramenta gratiæ; quam differentiam assignat D. Bonauent. *distinct.*1. *p.*2. *dubio* 2. Et prætereà, quia noua Sacramenta aperiunt ianuam cœli, quod non præstabant antiqua; quam differentiam affert etiam Innocentius, *loco citato.*

121 Ex Canone verò sexto deduco, id solùm intendisse Eugenium, in margine citatum, definire, quod Concilium Tridentinum definit; nempè Sacramenta nostra gratiam continere. Nam & Concilium Tridentinum, quod Florentino conformatur, hoc solùm definiuit, nihil de Sacramentis legis veteris statuens, sed Scholis relinquens disputandum.

122 Multa alia obiicit ex Scriptura, & PP. quæ soluta iam sunt à nobis *Tractatu de Peccatis*, *disputatione* 4. *quæstione* 1. Quibus adde cum Suarez *loco citato*, *disputatione* 5. *sectione* 1. ante medium cum S. Bonauent. *in* 4. *dist.*1. *p.*2. *artic.*3. *quæst.*1. *ad argumenta*, Circumcisionem, ex sententia Patrum, datam esse in signum, non tamen exclusiuè. Patet, datam esse etiam in remedium. Hoc enim non implicat.

Obiicit etiam; sequeretur, Circumcisionem iustificasse adultum, actualibus culpis mortalibus grauatum, sola attritione; sicut nunc Baptismus.

Respondetur ex D. Bonauent. hîc, omnes adultos hoc modo iustificatos fuisse. Quid tum? Ità concedit Scotus *in* 4. *distinctione* 2. *quæstione* 1. *artic.*4. *ad* 5. Richard. *in* 4. *distinct.* 1. *artic.*6. *quæst* 3. Durandus *quæst.*7. *ad* 2. Palud. *quæst.*9. *art.*4. *conclus.*2.

Quod verò Abrahamo iam iustificato non attulerit hoc beneficium, nihil contra nos; imò hoc est, quod Scripturæ aliquæ, & Patres dicunt Abrahamo non fuisse datum pro se ad iustificationem, sed ad signum; licèt reliquis ad iustificationem. Hoc autem Abrahamo euenit; quia non indigebat; non quòd Sacramentum non esset validum, vt ait S. Bonauent. *distinctione* 1. *dubio* 8. *litt.*

123 Assero secundò, cætera vetera Sacramenta non attulisse gratiam *ex opere operato*, contra Paludanum.

Observa, opus operatum conferre gratiam, quando ex vi suæ virtutis, acceptæ à Deo ex promissione certò semper confert gratiam, quotiescunque efficitur, modo à Deo instituto, præcisa omni alia ratione, seu dignitate extrinseca operantis. Illud verò confert gratiam *ex opere operantis*, quod ad mensuram dispositionis, vel status operantis habet effectum.

Quo percipies aliam differentiam horum operum. Nam, quæ *ex opere operato* habent effectum gratiæ; æqualem obtinent à quocunque fiant, iuxta institutionem. Ideò tantam gratiam confert Baptismus collatus à peccatore, quantam qui à Sancto, vt monet D. Gregorius Nazianzenus *in Homil. Octaua Epiphaniæ*: at verò, quæ *ex opere operantis*, inæqualem conferunt, pro inæqualitate operantis. Ita eleemosyna intensiori pietate, vel charitate data, erit Deo gratior.

Iam probatur à D. Bonauent. *in* 4. *distinctione* 1. *pag.* 2. *dubio* 1. *&* *quæstione* 5. *in fine corporis.* 124
Ea, quæ conferunt gratiam *ex opere operato*, nituntur Dei pacto, & promissione, qua detur talis gratia, & Sacramentum instituatur; siue aliud simile: Sed non habemus, quoad hoc, pactum à Deo, nisi de sola Circumcisione, *Genes.* 17. quod vidimus suprà: Ergo. Maior est certa; quia voluntas Dei est tota ratio huius causalitatis, vt notat Suarez 3. *p. tom.*3. *disputat.*7. *sect.*1. §. *Quartò rationibus.* Hoc enim medio vnico Catholici probant gratiam *ex opere operato* in Sacramentis nouæ legis. Si enim ad gratiam *ex opere operantis* accipiendam, requiritur meritum, Diuina promissione sancitum; multò magis ad eam accipiendam *ex opere operato*, quæ datur ex vi operis, vltra meritum operantis. Sic enim opus operans, & opus operatum distinguuntur à D. Bonauent. *in corpore quæstionis quintæ*, *dist.* 1. *p.* 1. quem sequuntur alij Theologi apud Suarez *loco cit.* & Gabr. *in* 4. *dist.*1. *quæst.*3.

Probatur secundò à S. Bonauent. ex Hugone *lib.* 1. *de Sacrament. pag.*7. *cap.* 3. circa finem. 125
Et confirmat ex illo Ioan.1. *Lex per Moysen data est*; *gratia & veritas per Iesum Christum facta est.*

Hoc itidem ostendunt authoritates Apostoli nonnullæ *ad Rom.* & *ad Galat.* Præcipuè Rom. 3. *Non ex operibus legis iustificatur homo*, quod sanè intelligendum est *ex opere operato*; nam *ex opere operantis* concedit, iustificari: *Factores legis iustificabuntur.* Per hæc verò excluditur Circumcisio, quæ non ex Moyse, sed ex Patribus est, vt notat D. Bonau. *in* 4. *dist.*1. *p.*2. *art.*3. *quæst.*1. *argumento* 3. *secundo loco.*

Assero tertiò; omnia Sacramenta veteris Legis, eiusque Cæremonias attulisse gratiam *ex opere operantis*, quatenus, scilicet, erant opera bona moralia, ex Diuino gratiæ auxilio facta à iustis, contra Magistrum. 126

Patebit hoc, ex dicendis *tractat.*5. idest de Gratia, *disputatione* 4. *quæstione* 8. vbi ostendam, omnia opera huiusmodi, ampliùs iustificare augendo gratiam, quod adducit etiam S.Bonauent. loco mox citando, *argumento quarto.*

Probatur à D. Bonauent. *in* 4. *distinct.*1. *p.*1. *quæst.*5. ex sacrificio Abel, quod placuit Deo, vt habetur *Genes.* 3. *Hebr.* 11. De sacrificio Abrahæ *Genes.* 22. *&* *Hebr.*11. Et Melchisedech *Genes.* 14. *&* *Hebr.*7. Quod confirmatur ex Canone Missæ, vbi sacerdos precatur: *Supra quæ propitio, ac sereno*

vultu respicere digneris , & accepta habere , sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & Sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ : & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech. Idem de sacrificio Beatæ Virginis , quando obtulit par Turturum , vel Columbarum pullos , confirmat. Idem probat ex Hugone *lib. 1. de Sacrament. p.8. cap.12.*

127 ASSERO quartò , Circumcisionem deleuisse Originalem , & gratiam attulisse , contra Varronem.

PROBATVR à D. Bonauent. *in 4. distinct.4.p.2. art. 3. quæst. 3. in corpore.* Primò , quia ablatio mali , quod est priuatio , fit per inductionem habitus noui & contrarij secundùm modum proportionalem ; si sit malum morale, per bonum moraliter contrarium deletur: Sed per se auferebatur malum culpæ : Ergo per bonum moraliter contrarium ; sed hoc est gratia , sine qua nunquam deletur culpa , maximè Originalis ; quia dicimur Rom.3. *per gratiam gratis iustificati* : Ergo.

SECVNDO. Si sola culpa fuisset ablata , eodem modo fuissent exclusi illi circumcisi à Regno æterno ; sicuti etiam si non fuissent circumcisi ; sed hoc est absonum : Ergo. Probatur sequela. Quia nullus introduci potest in Regnum cœli , nisi sit filius, & hæres , vt habetur *Rom. 8.* sed non fit aliquis filius , nisi per gratiam adoptionis , vt definit Concil. Trident. & nos videmus *tract.5. disput.3.* per multas quæstiones : Ergo.

128 ASSERO quintò, non modò deletionem culpæ fuisse *ex opere operato* ; sed etiam donationem gratiæ. Ità D. Bonauent. *loco citato in corpore.* contra aliquos dicentes , Originale deletum *ex opere operato* : gratiam verò , sine qua non deletur peccatum , datam ex liberalitate Dei , quatenus necessaria erat ad delendam culpam ; quia Deus non delet culpam , nisi per gratiam , quamuis posset aliter facere ; quia secundùm naturam datur medium inter culpam , & gratiam , nempè innocentia , neque culpa est priuatio gratiæ physica.

129 PROBATVR à D. Bonauent. argumento difficili, quod videtur repugnare his , quæ diximus cum illo *tractat.3. disput.1. quæstione 6.* Sic autem arguit S. Bonauent. Si innocentia esset medium secundùm naturam inter culpam , & gratiam ; priùs naturaliter restitueretur innocentia , & expelleretur culpa, quàm infunderetur gratia : Sed hoc est manifestè falsum ; quia tunc gratia non deleret culpam. Sic enim priùs deleretur culpa per innocentiam , quàm gratia infunderetur.

Aliam rationem affert ; quia, etiamsi Deus posset delere culpam sine gratia , tamen decreuit , non delere sine gratia. Ergo si dat virtutem Sacramento , consonantem suo decreto , non dat virtutem ad culpam delendam , nisi in ordine ad gratiam.

130 ARBITROR hunc esse D. Bonauenturæ sensum , vt velit arguere contra prædictam opinionem , quacunque via ; siue asseratur gratia non opponi physicè peccato , vt illi supponunt authores ; siue physicè opponatur ; & insuper ostendere , illos non adeò firmo fundamento , & immobili nixos , dum supponunt, gratiam, & culpam non opponi immediatè , cùm & opposita opinio sit probabilis.

Vel dic , Seraphicum Doctorem *hic* loqui de gratia , vt habet esse Physicum pro hoc statu morali , in quo non pellit culpam virtute mera physica ; sed morali , qua traducit hominem à statu peccatoris ad statum iusti , & ideò non potest fieri transitus à statu culpæ originalis , ad statum naturalis meræ innocentiæ , sed oportet transire ad statum adoptionis filiorum Dei per gratiam sanctificantem. Ex quo sequitur , vt si Circumcisio pellebat culpam , daret etiam gratiam *ex opere operato*, eodem modo.

ASSERO sextò , Circumcisionem contulisse etiam effectus positiuos gratiæ contra quartam , & quintam sententiam. 131

PROBATVR à D. Bonauent. primò cum D.Thom. quia vnus ex effectibus positiuis gratiæ est, inducere in vitam æternam. Si ergo gratia non habuisset aliquem effectum positiuum ; sequeretur , eodem modo exclusos fuisse homines , à peccato Originali absolutos per Circumcisionem , & non emundatos.

PROBATVR præcipuè à S. Doctore. Quia effectus formalis non potest à forma separari : Sed effectus formalis gratiæ est reddere animam speciosam, & dignam vitâ æternâ. Similiter effectus secundò proprius & necessarius est habilitare potentias , easque roborare : Ergo , si Circumcisio conferebat gratiam , præstabat etiam effectus positiuos illius. Confirmatur à D. Bonauent. quia effectus aliqui gratiæ positiui , sunt idem cum aliis positiuis , vel ab eis inseparabiles ; sicut effectus illuminandi , est etiam eiiciendi tenebras : Ergo , &c

FATETVR tamen S. Bonauent. *distinctione 1. p.2. dubio 2. litt.* vt suprà vidimus , aliquos speciales effectus habere Sacramenta nostra , vtpotè vberiori gratiâ referta, quos non habuere Sacramenta Mosaïca, infirma quippè elementa.

QVÆSTIO XIII.

Quomodo Circumcisio fuerit Sacramentum congruè institutum.

D Bonauent. in 4. dist. 1. parte 2. art.2.
D Thom. quæst. 102. art 5. primæ secundæ & 3. p. quæst 70.

IAM patet ex dictis , Circumcisionem fuisse Sacramentum , seu signum Sacrum. Id refricat S. Bonauent. sæpè ex illo Rom.4. *Et signum accepit Circumcisionis , signaculum iustitiæ fidei* , præcipuè verò Abrahæ fuit signum iustitiæ , & amoris Dei erga ipsum , vt aiunt Chrysostomus , & Theophylactus. 132

Quòd etiam fuerit signum Circumcisionis spiritualis , & gratiæ dandæ per Christum , patet *Coloss.2.* Fuit etiam signum Circumcisionis à culpa, & gratiæ præsentis, vt dixi suprà , & signum Circumcisionis non modò à culpa , sed etiam à miseria : ob id octauo die in Resurrectionis Symbolum dabatur , vt ait D. Bonauent. *dist.1. p.2. dub.7. litt.*

DENIQVE *ex 17. Genes.* habetur , fuisse pactum inter Deum , & homines è stipe Abrahæ , & signum fœderis : Quare habuit ex Diuina institutione , vt per eam homines Abrahamitæ Deo vero sacri fierent. Nihil ergo illi deerat ad rationem Sacramenti. In hoc consentiunt omnes PP. citati *quæst.*

quæst. præcedenti, contra Gnosticos, & Manichæos: qui Circumcisionem rem turpem & à malo principio ortam proclamabant, contra quos disputant,
133 præcipuè D. Ambrosius *epist.* 77. Origenes *lib.* 2. *in epist. ad Rom. cap.* 2. August. *lib. contra Adimantum*, *cap.* 16. & *lib.* 6. *contra Faustum*, *cap.* 3. vbi ad hoc adducit illud ad Titum 4. *Omnia munda mundis; infidelibus autem nihil est mundum.* De quo vide SS. PP. *locis citatis*, præcipuè S. Bonauent. *quæst.* 2. *ad* 2.

Qvomodo autem fuerit Sacramentum veteris legis, docet Seraphicus Doctor, *distinct.* 1. *p.* 2. *art.* 2. *quæstione* 1. Quia, licèt data sit Abrahæ, tamen remansit sub lege Mosayca, quasi ianua aliorum Sacramentorum, sicut apud nos Baptismus; nullus enim ad legales cæremonias admittebatur incircumcisus; nomenquè incircumcisi, opprobrij notam conclamabant. Vide etiam Suarez *disput.* 5. *sect.* 1. in fine.

Fvit inquam Abrahæ instituta, cui primò data est promissio generationis Messiæ, & possessionis terræ promissionis; in qua populus Dei designatus erat aggregandus; ideò Abrahæ data est pro omnibus filiis, qui ex Iacob terram ingressuri erant.
134 Hinc filij Ismaël non tenebantur; sicuti neque Iob: attamen circumcisus dicitur, quamquam aliqui dicant, ipsum fuisse de stirpe Nacor, non autem Esau, vt ostendit S. Bonauent. *distinct.* 1. *p.* 2. *dub.* 4. & *quæst.* 1. *ad penultimum*, & D. Thom. 3. *p. quæstione* 70. *art.* 2. Fuit ergo data ante legem ad præparandum, ac segregandum populum. Vide Seraphicum Doctorem *quæst.* 1. *ad* 4.

Qvoad conditiones, idest sexum masculinum, membrum genitale, & tempus diei octauæ. Vide D. Bonau. *quæst.* 2.

135 Sexvs quidem masculinus eligebatur; quia per hunc fit actiua propagatio hominum, & quia per hoc signum imponebatur populo Dei, ex quo propaganda erat series Patriarcharum, præcipuè verò Messias, mundi Redemptor, ideò nihil mirum, si hoc signum masculis solis est concessum.

Fiebat in membro generationis, in quo est propagatio; quia erat remedium contra Originale, quod traditur per propagationem; adde per delectationem: vnde pœnalis esse debuit, contra concupiscentiam, & quia est malus circularis, quo persona corrumpit naturam, & natura personam, vt ait D. Anselmus *lib.* 1. *de conceptu Virginis*, *cap.* 1. ideò circulariter fiebat. Vide D. Bonau. *quæst.* 1. *in argumentis*, & D. Thom. *art.* 3.

Fiebat octaua die, significans octauæ ætatis Resurrectionis exemptionem à miseria, & si incidisset in Sabbathum, poterat Circumcisio fieri, vt habetur *Ioan.* 7. vbi D. Bonauent. & *loco citato*, *dubio* 5. *litt.* & *art.* 2. *quæstione* 1. & D. Thom. *art.* 3. *ad vlt.*

136 Fiebat cultris petrinis, non in prima institutione; sed in renouatione. Iosue 5. *Fac tibi cultros lapideos*, per quod significabatur, per petram *Christum* omnes circumcidendos. Significat etiam duritiem ipsorum, & duritiem legis. Hoc autem instrumentum non erat necessarium. Vide D. Bonau. *dub.* 6. *litt.* & D. Thom. *loco cit. ad* 2.

Aliqva obiectio circa sexum videtur elidere nostram superiorem sententiam, quòd Circumcisio esset in remedium peccati Originalis, quod debet esse commune etiam fœmellis, quam affert Suarez *disp.* 5. *sect.* 1. §. *Sexto adduci.*

Respondet D. Bonau. *quæst.* 2. *ad* 1. Circumcisionem datam etiam in signum generis electi à Deo, ex generatione Israël; ideò debuisse exhiberi in sexu masculo, vt dixi. Pro fœmellis verò datum aliud remedium, vt infrà dicam.

Alia est etiam obiectio ex tempore. Nam, si erat remedium culpæ originalis, debuit posse præstari, etiam ante octauam diem, imminente morte infanti, ne remedio careret. 137

Respondet D. Bonau. *quæst.* 2. *ad* 3. non potuisse mutari tempus; Quia ex Dei institutione erat: *Circumcidetis masculos octauo die.* Et. *Masculus, cuius præputij caro octaua die, &c.* Genes. 17. Quòd si mors immineret, posset succurri eis remedio, quod erat pro fœminis, per fidem, & oblationem. Vide S. Bonauenturam *quæst.* 2. *ad* 3. vbi præclarè hæc edisserit, & *in corpore* asserit, tempus non fuisse de efficacia Circumcisionis, seu de essentia; sed solùm ex præcepto.

QVÆSTIO XIV.

An in statu Innocentiæ fuissent Sacrificiorum, vel Sacramentorum Leges, aut Ritus.

Svppono primò, in statu innocentiæ, futurum cultum Dei externum. Id probat Suarez *tom.* 3. 138 *in* 3. *p. disput.* 3. *sect.* 1. ex D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 1. *p.* 2. *quæst.* 3. ex naturali dictamine. Quia hic cultus à natura dictatur erga Deum, vt Creatorem humanæ naturæ, quæ animo, & corpore constat. Hæc est ratio fundamentalis, qua sæpè vtuntur PP. Hæc autem ratio dictaretur etiam in statu innocentiæ: Quoniam verò alius est cultus externus, quo adhibemus actus nostros, vt orando, adorando; alius, quo assumimus alias res, puta offerendo res creatas; de hoc videre oportet: An futurus esset in statu Innocentiæ.

Sotvs *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 2. *art.* 2. Vasquez *p.* 2. *disput.* 130. *num.* 30. In statu innocentiæ futura Sacrificia, vel oblationes, negat.

Secvnda opinio est affirmatiua. Ita Suarez *loco citato sect.* 2. & videtur D. Thom. 2. 2. *quæst.* 85. 139 *art.* 1. & 4. Mihi videtur S. Bonauentura esse pro hac sententia *in* 4. *loco citato.*

Assero, Futura in lege naturæ innocentis Sacrificia.

Probatvr à D. Bonauent. Quia ratio naturalis in omni statu dictat, vt recognoscas Deum Summum Dominum rerum, atque datorem; homo enim, non modò corpus, & animam à Deo accepit; sed etiam res externas, fructus terræ, iumenta, aurum, &c. Ergo non modò debet impendere animam actibus internis, & corpus externis, sed etiam res externas afferre, in signum grati animi. Hac ratione vtitur etiam Suarez.

Obiicit Soto. In statu innocentiæ non fuissent peccata; Sacrificium autem est ratione peccati; neque etiam ad recognitionem Dei, quia potuissent homines aliis modis Dominum suum reuereri.

Respondet Suarez, probabilius esse futura peccata. Nos verò contra eum *p.* 1. *tract.* 11. *disput.* 3. *quæst.* 10. oppositum ostendimus. Quare dico, non ob solum peccatum exhibenda Deo sacrificia; sed in gratiarum etiam actionem. Quamuis enim etiam ore possimus gratias agere de acceptis; tamen consentanea est etiam oblatio.

Quoad Sacramenta. 140

Prima

Prima sententia negat, in statu innocentiæ futura fuisse Sacramenta. Hanc Tannerus sequens, ait, esse communem *tom.4. disput.3. quæst.2. dub.2.* multos referens. Ità D.Thom. *3.p. quæst.61. art.2.* vbi ea necessaria non fuisse ait, & *in 4.d.1. art.2. quæst.2.* Richard. *artic.1. quæst.1.* Gabr. *quæst.1. concl.1.* Maior *quæst.4.* Palud. *quæst.3. concl.2.* Altissiodor. *lib.4. Summa, in principio.* Vasquez *p.2. disput.130. cap.2.* Valentia *quæst.2. p.2.* post Hugonem *de S.Vict. lib.1. de Sacram. p.9. cap.3. & 5.* & in Summa *tract.9. cap.1.* Caietanus, Soto, & Ledesma, quos citat Suarez *sect.3.* adducens etiam D.Bonau. *art.1. quæst.7.* quem adducit etiam Caspens. *tract.21. disput.2. sect.2.* Sequuntur Becan. Hiquæus, Mæracius apud Morandum *tract.2. quæst.7.*

141 Verum S.Bonauent. si attentè legatur, non negat futura Sacramenta in statu innocentiæ: neque ea esse instituta, ait, occasione peccati; sed talia Sacramenta Legis Scriptæ data esse V. G. expiationibus legalibus, curatione ab Originali, & actualibus remittendis, cuius signum est, quòd argumento vltimo, primo loco, pluralitatem mandatorum, naturæ sanè sacrificia præcipientium, admittit, quia natura validior.

Adde quòd *dist.2. quæst.1. in corpore*, quærens: An omnes tempus idoneum fuerit ad Sacramenta.

Respondet, Sacramenta instituta esse in remedium principaliter, excepto matrimonio; ideò congruebant statui lapsus. Et *ad 1.* idem sonat. Et *ad 3.* vbi de Sacramentis institutis ad humiliationem, ad hauriendam à Creaturis cognitionem, & consolationem, loquitur. Igitur fallitur Suarez, & transgreditur suum documentum, latum in Proœmio *disput.3.* non confundendi rationem specificam Sacramentorum, cum ratione communi Diuini cultus externi.

142 Secunda sententia est, Sacramenta non fuisse quidem pro eo statu adeò necessaria; fuisse tamen congrua. Ità Alens. *4.p. quæst.1. membr.2. art.1.* Sotus *dist.1. quæst.3. art.3.* Durand. *quæst.2. num.9.* Lugo *d.3. sect.1.* qui à Morando citantur, dixisse, fore necessaria, vt ipse tenet.

Tertia sententia est Suarez, qui dicit primò, Sacramentorum institutionem non esse contra debitum ordinem illius status, quinimmò potuisse habere aliquam tunc decentiam. Secundò, nullum fuisse de facto institutum. Tertiò, incertum esse: An, si status innocentiæ absque peccato durasset, fuissent Sacramenta. Vltimò post Christi Incarnationem, quam, non peccante Adamo, concedit, futurum aliquod Sacramentum, V. G. Eucharistiam.

143 Assero primò, non futura necessaria Sacramenta ad sanandam ignorantiam, vel subleuandam concupiscentiam, &c.

Probatur à D. Bonau. Quia hi sunt effectus peccati; in eo autem statu non forent peccata, vt ostendi *loco citato.*

Assero secundò, potuisse esse aliqua Sacramenta pro eo statu innocentiæ.

144 Probatur. Quia Sacramenta possunt esse ad profitendam interiorem fidem. Secundò ad excitandam memoriam, vel affectum. Tertiò ad repræsentationem quorundam Mysteriorum supernaturalium, in quibus eguisset erudiri. Quartò ad consensum in Dei cultu, vt docet D. Bonau. *p.2. dist. quæst.1. in corpore*, ex D.August. *lib.19. contra Faustum, cap.11.* Et *cap.16. de vera Relig. cap.7.* & *3. de Ciuitate, cap.20.* quos refert D.Bonauent. *in 4. dist.1. quæst.1. argum. vltimo.* Quatenus verò Sacramenta conferunt gratiam, potuit conueniens existimare Diuina Sapientia, hominem roborandum esse quibusdam gratiis singularibus, vt perseueraret, easque sacris signis dare.

Assero tertiò, tunc institutum fuisse Matrimonium tanquam Sacramentum, signans futuram Verbi Incarnationem, vt dicitur *Ephes.5.* non quidem ad Concupiscentiæ remedium; sed ad officium Naturæ. Ità S.Bonau. *dist.2. quæst.1.* Suarez *disput.3. sect.3.* non oportebat tamen reuelari in particulari, quòd hoc fuerit Mysterium desponsationis Christi ad Ecclesiam, Redemptionis, vel Glorificationis.

QVÆSTIO XV.

Vtrum in Lege Naturæ fuerit aliquod Sacramentum institutum ad curandos infantes ab Originali.

D. Bonau. in 4. d.1. p.2. quæst.1. & 2.

Tempus naturæ censetur à lapsu Adæ vsque ad Legem datam à Deo Abrahæ de Circumcisione, quando solo dictamine naturæ homines vtebantur absque alia lege positiua, vel vsque ad Legem datam Moysi. Nam Circumcisio inuoluit legem naturæ, *Ioan.7.* 145

Svppono autem primò, omni tempore Deum prouidisse remedium pro infantibus ab Originali labe, vt supponit S.Bonau. *tota dist. prima* passim, & *dist.2.* cum cæteris Theologis; quod docuerat D. August. *lib.5. contra Iulianum, cap.9.* quem secuti sunt SS. PP. Gregorius, Beda, & cæteri; & videtur sententia Innocentij III. *in cap. Maiores, de Baptismo.* Id autem probat Seraph. Doctor *in 4. dist.1. quæst.1.* ex Diuina prouidentia, Sapientia, Misericordia, quæ postulabant, subleuari hominem lapsum.

Et *dist.2. quæst.1.* idem confirmat ex necessitate. Iam verò quærendum; quodnam fuerit remedium in lege Naturæ. Nam in Lege Euangelica est Baptismus, & in Lege Moysis Circumcisio pro Iudæis, vel pro his, qui illis aggregari volebant. Pro cæteris verò, & pro fœmellis Iudæorum, eadem est quæstio, ac de statu Legis naturæ. In quo suppono, remedium infantibus ab alio applicandum.

Prima opinio est, solam fidem parentum fuisse, quæ non sola esset credulitas, sed aliquis etiam actus moraliter bonus, à fide manans, quo Parens filium Deo offerret, vel salutem spiritualem eius deprecaretur, vel aliquod simile. Pro hac sententia Suarez *disput.4. sect.2.* adducit Richardum *dist.1. art.5. quæst.1. & 2.* & D.Bonauent. *art.2. quæst.1. & 2.* quos ait fundare effectum, seu fructum huius remedij in merito *de congruo* ipsorum parentum; & nihilominus asserere, sufficientem fuisse fidem informem parentum, quia hæc satis est ad meritum *de congruo.* 146

Sed hi authores (ait Suarez) etiam falsum supponunt, quia, reuerà, ad meritum *de congruo* non sufficit fides informis; & præsertim ad merendam alteri gratiam, & sanctitatem; & prætereà non satis explicant vim, & radicem huius remedij, quod vt esset infallibile (quod necessarium erat) & certum remedium, non satis erat meritum *de congruo*; quia non

non semper, & infallibiliter habet effectum; sed necessaria erat Diuina promissio, & hanc oportet ostendere. Quod si illa interuenisset, non erat necessaria illa actio congruè meritoria; sed sola illa, quam Diuina promissio instituisset. Pro ea sententia citatur etiam à Vasquez *disput.165. cap.3.* etiam Morand. *tract.2.quæst.7.*

147 Verum sententia Seraphici, nec verè refertur, nec verè confutatur, vt mox videbimus.

Refert deinde Suarez alium modum sustinendi, fidem parentum fuisse remedium pro paruulis, nempè ex Diuina promissione, & quasi *ex opere operato*, absque aliquo Sacramento. Id sentit D.Thom. *in 4. dist.1. quæst.2. art.6. quæstiuncula 1. & 2.* & Soto *in 4. dist.1. quæst.1. art.4.*

148 Secunda sententia est, remedium paruulorum fuisse signum aliquod externum, quod esset professio fidei interioris. Hanc ait Suarez sibi probabiliorem videri, & esse communiorem Theologorum sententiam; vti Alensis, Scoti, Durandi, Paludani, Maioris, Gabrielis, infià adducendi *in 4. dist.1.* Adriani *in 4. quæst. vlt. de Baptismo, ad 2.* Armach. *lib.8. de quæstionibus Armenorum, cap.27.* & videri sententiam D.Thomæ *3.p. quæst.60. art.5. & quæst.61. art.3.* & *quæst.70. art.4. ad 2.*

Hoc autem signum fuisse Sacramentum aliquod, licet non aliqua determinatâ cæremoniâ præfixum, asserit Suarez *sectione 3.* referens D. Thom. *quæst.61. art.3. ad 2.* qui tamen hoc non dicit; sed, solùm ante legem non fuisse determinatum, quibus Sacramentis vterentur, quod diuersum est; & vult dicere, nullum Sacramentum fuisse adaptatum pro paruulis curandis ab Originali. Refert etiam Alensem *4. part. quæst. 1. membro 3. artic. 3. & quæst. 5. membr. 1.* Paludanum *in 4. distinct.1. quæst.5. artic.5.* Maiorem *quæst.4.* Gabrielem *quæst. 2. art.3. dub. 1.* Cano *relect. de Sacram. in genere, p.3.* Scotus verò
149 *in 4. dist. 1. quæst. 6. & 7.* ait, determinatum signum sensibile esse institutum à Deo pro paruulis. Quam sententiam Scoti refutat Suarez, quia (ait) affirmat rem incertam sine fundamento; & ideò à reliquis Theologis relicta est. Assumptum probatur, quia neque in Scriptura, neque in Patribus, neque in aliqua historia est aliquod vestigium huius traditionis, vel institutionis determinati signi. Confirmatur; quia hæc institutio debebat fieri aliquâ Dei lege positiuâ, quæ non inuenitur; alioqui durasset etiam pro fœminis in Lege Scripta, quod non est obseruatum.

E contra verò Durandus *in 4. dist. 1. quæst. 8.* negat, hoc signum sensibile ad medelam infantium, fuisse Sacramentum. Ratio est, quia Sacramentum debet esse aliqua cæremonia, determinata à Deo ad significandam gratiam, quæ sub tali opere, vel cæremoniâ datur ex Diuina promissione. Sed hoc non erat huiusmodi, sed sola actio meritoria *de congruo*, ratione cuius, Deus dabat gratiam.

150 Hoc fundamentum Durandi, ait Suarez, supponere videtur sensum illum falsum S. Bonauenturæ. Suponit quidem, & solidè, licèt non satis explicet.

Pro explicatione igitur sententiæ Seraphici, quæ verissima est, licèt non benè intellecta. Oportet adnotare primò, ex ipso Suarez, suprà *allatis locis*, Sacramenta, & alia, quæ ex Dei institutione remittunt culpas, & conferunt gratiam, non aliter nobis asserenda, quàm ex Diuina reuelatione interprete Diuinæ voluntatis, quæ est vnicum fundamentum institutionis. Iam verò ex Scriptura, non habemus huiusmodi institutionem, neque ex traditione, aut definitione Ecclesiæ; sed solùm habemus aliquos PP. de hoc dicentes, remedium profectò datum fuisse pro paruulis. Neque Suarez pro se aliud affert *sect.2. & 3.* Illud igitur probabiliter asserimus remedium, à Deo institutum, quod SS. PP. astruunt, quos Seraphicus Doctor ritè perlegit.

Ex his refert S. Bonauent. D. Gregorium *4. Moral. cap.2. & 3.* vbi clarè docet, solam fidem parentum fuisse remedium, à Deo institutum pro paruulis emundandis: Ait enim: *Quod apud nos valet aqua Baptismatis; hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierant Mysterium Circumcisionis.* 151

Vbi S. Bonauent. obseruat, D. Gregorium distinxisse remedium paruulorum, à remedio adultorum, in hoc, quod pro paruulis erat sola fides: pro adultis verò Sacrificium. Hoc autem infert, illud (sola fides) excludere omnem actum externum; alioqui nulla esset differentia, vt notauit etiam Suarez *sect.2.*

Idem verò docuerat D. August. *lib. 2. de Nupt. cap. 11.* vbi ait, per fidem fuisse iustificatos tàm paruulos, quàm adultos, quamuis Mysterium iustificationis ex fide multos latuerit. Magis fauet Tertullianus, *lib. de Baptismo, cap. 13.* dicens, olim fuisse sufficientem fidem sine Sacramento ad consequendam salutem; posteà, auctâ fide, additum fuisse Sacramentum: & ibi loquitur vniuersaliter, includens etiam paruulos, etiamsi de his specialiter non dicat, vt Suarez notauit: Satis enim est, omninò negasse pro eo tempore fuisse Sacramenta ad salutem, vt paruuli etiam includantur. 152

Eodem modo loquitur Beda *lib.2. in Lucam, cap.8.* Bernardus *epist.77.* Hugo de S. V. *lib.1. de Sacram. p.11. cap.3. & 6.* & *p. 9. cap.5.* quos refert S.Bonauentura. 153

S. igitur Bonaventura sciens, remedium paruulorum non potuisse adhiberi per aliquam eorum actionem, cùm vsu rationis careant, & solas habeant actiones naturales, per quas, si iustificati fuissent, essent omnes quidem iustificati naturaliter, antecedente Diuino pacto; si actio illa ab omnibus fieret, puta ter in prima hora natiuitatis oscitando, vel Deus quibusdam non concessisset illam actionem, & ita aliis non prouidisset remedium.

Fuit igitur applicandum hoc remedium, per aliquam actionem parentum (ait S. Bonauent. *quæstione 2. in corpore*) vel eorum, quibus infantium cura incumbebat. Non enim aliud, siue ex parte remedij, siue ex parte applicantis, potest aptum excogitari. Nam, quòd fuerit necessaria actio humana, patet; quia si, hominibus nihil agentibus, Deus iusticasset aliquos paruulos, vel iustificasset omnes, vel aliquos tantùm suo arbitrio, vel certè per causas naturales applicasset gratiam, quæ omnia sunt absurda, & improbabilia. 154

Rursus hoc remedium non fuit positum in aliqua sanctitate habituali parentum, vt notat S. Bonauent. *quæstione 1. in argumento tertio*, Primò, quia peccatum actuale Patris imputaretur filio, & ob illud damnaretur absque remedio, patre existente peccatore.

155 Præterea, cùm nullus sit certus de propria sanctitate, vt habetur *Ecclesiast.9.* Nulla vnquam haberetur certitudo moralis de curatione filij, & semper remedium pro Originali esset replicandum. Tertiò, quia Filius deberet dici potiùs emundari in charitate parentum, quàm in fide, quod non dicit Diuus Gregorius, nec videtur dicendum. Sicut enim sanctitas parentum impedire non potuit, ne filij conciperentur in peccato Originali; ita nec sufficere potuit, vt tolleretur absque aliqua eorum actione. Debuit autem, vt dixi, esse actio parentum, vel eorum, quibus incumbebat cura infantis; quia sicut infans per alienam actionem culpam contraxerat; ita etiam per alienam
156 emundaretur. Neque ad alium magis quàm ad Parentes pertinebat remedium infanti præbere; quia infans, cùm voluntate propria non vtatur, debet regi aliena parentum in his, quæ ad animam spectant; & ita seruatum videmus etiam in remedio legis scriptæ, & gratiæ, in quibus aliena actione paruuli emundantur.

Hæc autem actio ex communi omnium consensu posita fuit in aliqua actione, vel professione fidei, & cultus religionis, quo paruulus dicaretur Deo; quia cùm paruuli essent Dei amicitiæ iungendi, necessaria erat fides per aliquam actionem sacram. Et quia fundamentum omnis iustitiæ, & omnis cultus est fides; ideò in fide parentum iustificati paruuli asseruntur ab omnibus, vt admonet Suarez *sect.2. disput.4.*

157 Debuit igitur hoc remedium ab asserentibus esse deductum, fundatumque in Diuina promissione, sine qua, vt initio aduerti, temerè illud asseri efficax, & infallibile.

Ex his deducit S. Bonauent. hunc actum, licèt ex se insufficientem, & solùm de congruo, ad summum, aptum ad emundandum Originale, fuisse ex Diuina misericordia institutum, vt infallibiliter emundaret Originale, vt notat S. Doctor *quæstione 1. in corpore.* Parùm autem refert: An actus alienus moraliter bonus, etiamsi informis ex defectu gratiæ, sit sufficiens de congruo ad alium disponendum ad iustificationem, vt negat Suarez; tametsi id probabile sit; quia, etiamsi id de iustificatione à mortali actuali concederetur; difficilè tamen de Originali; quia Originale est con-
158 tractum aliena voluntate, nec tenetur labefactatus conteri: ex sola autem voluntate credendi, & dedicatione cultui Diuino disponitur paruulus; quam dispositionem, cùm non possit ipse habere, debuerunt supplere parentes, vt dixi. Ideò (infert S. Bonauent. modestiâ suâ, qua assolet) sine præiudicio, fidem illam congruè disponentem, sufficientem fuisse ex Diuina acceptatione, quæ Patrum authoritate innititur. Non ponit quidem S. Bonauent. hanc fidem merè internam necessariò extitisse; sed externam professionem; at Sacramentum non fuisse necessarium ex D. Gregorio, & aliis: illud verò meritum de congruo fuisse veluti conditionem necessariam, quam Deus tunc imponebat, vt remedium posset applicari omnibus paruulis, quod sanè probabile esse fatetur Suarez *disputatione 4. sectione 2.* adducens D. Augustinum *epist.23.*

Quod verò ait, tunc iustificandum sic paruulum, absque aliqua bona actione; sicut nunc in Baptismo; falsum est: nam etiam nunc actio Baptizandi est sacra, & tunc ex ipso Suarez, actus ille erat Sacramentum.

Ex his ruit id, quod Suarez contra Seraphicum struxit. Sic enim infallibile hoc remedium probatum est, sicut & sufficientia meriti de congruo, addita Diuina institutione. 159

Assero, remedium infantium pro Originali, tempore legis naturæ, fuisse sufficienter fidem interiorem.

Probatur à D. Bonauent. primò ex SS.PP. præcipuè Gregorio, suprà allatis.

Respondet Suarez *disput. 4. sect. 2.* Sanctos Patres assignare quidem pro remedio fidem, non tamen solam, sed humano modo cum extrinseca cæremonia, præcipue verò D. Augustinum.

Ad D. Gregorium, qui videtur repugnare, respondet, eum sub fide includere fidei professionem, & applicationem, humano more factam; differentiam autem, quam constituit inter paruulos, & adultos, hanc esse, quòd, quia paruuli non habent, nisi Originale peccatum, illis sufficiebat Sacramentum fidei ad salutem: adultis verò, propter actualia peccata; necessaria erant sacrificia, per quæ Deo satisfacerent, saltem *ex opere operantis.*

Enim verò responsio est friuola, & impugnata iacet à D. Bonauent. *quæst.1. in corpore.* Primò, quia D. Gregor. loquitur de remedio pro Originali, non pro actualibus, quibus non sufficiebant Sacrificia, sed necessaria erat contritio. Et S. Gregor. dicit: *sola fides paruulis*; quòd non humano modo, eo sensu intelligi debet, idest externo: Nam fides sola humano modo non profitetur exteriori cæremonia (excepta necessitate) hanc autem necessitatem debuit Suarez probare ex Diuina institutione, ne temerè asseratur, conferre gratiam *ex opere operato*, vt ipse Suarez aduertit suprà *locis cit.* & rursum *disp.3. sect.3. §. solum potest obiici*; at nullam, vt video, reuelationem Suarez attulit. 160

Deinde impugnatur à D. Bonauent. ex Hugone *loco cit.* vbi dicit, Sacramenta illius temporis fuisse deuotionis; non præcepti: Ergo nulla externa cæremonia erat præcepta.

Imo ex eis arguo contra Suarezium ad hominem: Vt asseratur aliquod Sacramentum conferens gratiam *ex opere operato*, debet assignari fundamentum, quod est Diuina Voluntas, & institutio, ex ipso Suarez, *locis adductis.* At nulla huiusmodi ab eo assignatur circa remedium pro Originali, paruulis, in Lege naturæ: Ergo temerè asseritur aliquod ibi Sacramentum extitisse. 161

Quod enim aliqua Sacramenta asserantur (esto etiam pro paruulis) in lege naturæ à Patribus, non conuincit, vt notat S Bonauent. ex Hugone; debet enim illa cæremonia probari ex Diuina institutione necessaria. Non negat verò S. Bonauent. potuisse adhiberi, aut adhibitas esse aliquas externas cæremonias ad eam fidem profitendam; at verò non probant aduersarij, fuisse necessarias *ex opere operato*, vt deleretur Originale.

Hinc D. August. sæpè de hoc remedio locutus, dixit, in Scriptura non inueniri aliquem ad hoc exteriorem ritum; non quòd fuerit aliquis ritus, & illum Scriptura tacuerit, vt coniicit Suarez; sed quia ex ea non licèt eum colligere. Ita habet 15. *de Ciuit. cap.16.* & *lib.2. de Gratia Christi, cap.30.* Quòd verò *lib.9. contra Iulianum, cap.9.* dixerit S. August. vt refert Suarez, qui ter hunc locum, eodem numero allegat, eo tempore aliquo Sacramento subuentum esse paruulis, apud ipsum non inuenio; ibi enim alia prorsus agit. 162

Affert

Affert etiam Suarez D. Cyprianum, *lib. de operibus Cardinalibus, cap. de Circumcisione*, vbi afferit: *Originale omni tempore, aliquibus remediis oportuit expiari, licèt vim plenam significantia non habuerint* & posteà ea vocat Sacramenta.

163 Respondetur, in primis verbis non afferere, signa illa fuisse sensibilia, vt dicit Suarez; sed solùm fuisse signa imperfectè significantia; vel quia *ex opere operato* non emundabant, sicut Baptismus; vel quia varia assumebantur secundùm cuiusque deuotionem, vt ait Hugo, suprà relatus. Quòd verò posteà ritus illos veteres, mox vocet Sacramenta, nihil contra nos; quia non ob id dicit, necessaria fuisse ad emundationem Originalis: oportet autem assignare determinatum Sacramentum, institutum à Deo, quod ipse Suarez *locis citatis* premit; *& disput.4. sect.4. §. Dico secundò*, vbi hanc institutionem ostendit debuisse esse à Deo, dante gratiam per Sacramentum.

Respondet Suarez *disput. 4. sect.3.* quòd illa determinatio *hic, & nunc* orta sit è sola institutione Diuina, vel etiam ex arbitrio humano, hoc solùm pertinet ad causam extrinsecam efficientem Sacramentum; mutat tamen rationem Sacramenti; sicuti, si Christus instituisset Baptismum, non solùm in aqua naturali, sed etiam in qualibet aqua, in genere, siue naturali, siue artificiali. En quomodò secum pugnat.

164 Contra. Quia longè diuerso modo res se habet; si Christus ipse, ex quo pendet institutio Sacramenti, id instituisset; at si homo quispiam instituisset; non haberet virtutem *ex opere operato*; quia, vt suprà dixi cum eodem Suarez, institutio Cæremoniæ, conferentis gratiam *ex opere operato*, potest efficienter esse à Deo solo. Dicat igitur Suarez; Sicuti, si aliquis homo, præter Christum, instituisset Baptismum, etiam in aqua artificiali, non valeret.

Obicit tertiò Suarez cum Cano. In lege naturæ necessarius erat cultus Dei externus: Ergo per actum externum sensibilem debuit fieri hæc sanctificatio paruulorum. Antecedens est ferè manifestum. Consequentia probatur à Suarez: primò, quia hic modus est proportionatus cultui externo. Secundò, quia necessaria est exterior fidei professio. Tertiò, quia fiebant hoc ritu membra Ecclesiæ visibilis. Hoc idem vrget Morandus, *numero* 417.

165 Respondetur tamen, has esse simplices congruentias, vt fatetur Suarez, quas non refellit S. Bonauent. eas tamen negat necessarias, quia infantuli tunc incipiebant communicare in cultu externo Dei, cùm ad vsum rationis peruenissent, & tunc poterant fidem profiteri, siue explicitè, siue implicitè, conueniendo ad sacrificia, orationes publicas, &c. & licèt essent membra Ecclesiæ ab initio, tamen dicto parentum credebatur: sicuti de his, qui, morte imminente, secretò baptizantur, &c. Concludit igitur *disput.4. sect.4. §. Dico secundò*, potuisse aliis ritibus, quàm Sacramentis, fieri professionem fidei.

166 Ex his habes, aliqua fuisse in lege naturæ Sacramenta. Ita S. Bonau. *hic* post Hugonem *loco cit.* & alij apud Suarez *disput.4. sect.4.* Lugo *disput.3. sect.2.* Pasqualigo *disp.66. sect.2.* Morand. *num.417.* cum D.Thoma.

Probatur primò. Quia fuit cultus Dei externus in suo genere perfectus. Ergo habuit signa exteriora cultus Diuini.

Probatur argumentum à Seraphico *in 4. quæstione 1.* Quia ex D. August. *lib.19. cap.16. contra Faustum*, & *lib. de vera Religione, cap.17.* Omnis religio habuit signa exteriora, in quibus conuenirent, vt Deum colerent. Qua ratione nititur Suarez *disput.4. sect.4.* ad probandas exteriores sacras cæremonias.

Probatur secundò à D. Bonauent. *ibi.* Quia homo, quò ad Rationalem, erat cæcus: Ergo egebat, signis rerum sacrarum illuminari. Erat elatus, quò ad Irascibilem: Ergo debuit habere Sacramenta, quibus humiliaretur coram Deo. Erat, quoad concupiscibilem, fastidio respuens spiritualia. Ergo eguit Sacramentis, vt in eorum sensibili varietate delectaretur, ne semper idem repetere coactus, stomacharetur. Ità etiam Caspensis *tom.21, disput.2. sect.1.*

Decentiam etiam affert ex parte Dei, qui ex sua natura debuit instituere Saramenta, ad quæ homo recurrens recuperaret gratiam, quam ex peccatis amittebat. Decuit iustitiam, quæ aliquam humiliationem in homine peccante intus, ad extra prætendebat. Decuit sapientiam, vt sicut in prauis signis homo erat lapsus, ita sacris resurgeret. 167

Suarez dicit, ea non fuisse Sacramenta, quia non significabant gratiam.

Respondetur, posse dici significasse etiam gratiam, saltem futuram per Christum. Sic panis à Melchisedech oblatus, significauit Eucharistiam *bonam Gratiam*, vt indicat D. Augustinus *epist.95. ad Innocentium*, vbi panem illum vocat Sacramentum mensæ Domini. Et idem sensit Ambrosius *lib.4. de Sacramentis, cap. vltimo*, & Clemens Alexandrinus 4. *Stromatum*. Hæc tamen non sunt adeò certa, quia non habetur in illis sacris Diuina promissio, vel institutio, gratiam præsignans.

DISPVTATIO XI.

De Lege noua.

CVM *Verbum abbreuiatum* fecerit Dominus super terram, non est, cur breuiter legem nouam, vtpotè ab hoc Sacratissimo Verbo pronunciatam, non tractemus: Eam tribus quæstionibus absoluit S.Doctor, pulchrisque antithesibus illam à veteri discriminat: hæc nimirum lex timoris, illa amoris: Vetus lex occidens, noua viuificans, prior Mosaïca, lex grauitatis, posterior Euangelica, lex suauitatis.

Ego totidem me etiam quæstionibus expediam, postquam priùs de fine, & efficiente huius legis aliquid quæsiero: huic etenim potiùs expedit in corde dilatari, quàm longo sermone protrahi.

QVÆSTIO I.

De Fine, & efficiente Legis nouæ.

1 CONSTAT ex dictis *disp.1. quæst.9.* Christum Legislatorem fuisse, atque hominibus dedisse legem obseruandam: contra Hæreticos.

FINIS igitur Legislatoris sancti fuit, Iugum alleuiare antiquum, dando auxilia, per quæ Lex suauiter obseruaretur, sicuti dederat necessaria semper ad simpliciter obseruandum. Hoc discurrit S. Bonau. *ad 1. Ioan.* ad ea verba: *Lex per Moysen data est: gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* Ideò dicitur, venisse complere Legem *Matth.5.* & *sub lege factus, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* Galat.1. Quia enim homines conantes implere legem viribus suis, temeraria sua præsumptione ceciderunt, & facti sunt sub Sarcina Legis, & non poterant implere viribus suis, & tunc implorauerunt auxilium Liberatoris, quia reatus legis fecerat ægritudinem superbis; ægritudo verò superborum facta est confessio humilium. Et sic, dum confiterentur ægroti, venit Medicus; idest Iesus Christus, & sanauit, & accepimus gratiam pro gratia. Hæc S. Bonau. ibi ex D.Augusf. *tract.3. in Ioannem.*

Quando verò cœperit hæc lex obligare, vidimus *superiori disput. quæst.6. & 7.* vbi enim cessauit antiqua, ibi noua incepit cogere gentes, sui Iugi suauitatem subire.

QVÆSTIO II.

An Lex noua sit è radice nobilior veteri.

D. Bonauent. in 3. d. 40. quæst.1.
D.Thom.quæst.107.art.1.

2 EX dictis perpaucis eruitur nobilitas, & excellentia Legis nouæ, præ Veteri. Primò ex statu perfectioris, & amplioris gratiæ; quia non modò gratia ad obseruandam simpliciter legem datur, sed vberrima eam ad facilè obseruandam. Nam veteris legis homines ob ceruicum peruicaciam, ferè legem non obseruabant. Ideò ait Christus Ioan.7. *Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo exvobis facit legem?* vt ritè edisserit S. Bonau. ibi, & post eum Valentia *disput.7. quæst.6. punct.3.*

SECVNDO ex fine proximo Nobilitas legis nouæ eruitur à D. Bonauent. *hic*, nam vetus proponebat obseruantiam ob bona temporalia obtinenda. Isa.1. *Si audieritis me, bona terræ comedetis:* Lex autem Euangelica, promittit bona, & temporalia, & æterna: *Pœnitentiam agite, appropinquauit in vos Regnum Dei.* Et Marci 10. *Centuplum in hac vita, & in sæculo futuro vitam æternam.*

3 QVÆSTIO aliqua est: An in radice, & modo differat. Dicitur enim vetus timore seruili compulisse; nostra verò, amore filiali, vt habetur Rom.8. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater)* Et D.August. *lib. contra Adimantum, cap.17.* ait: Breuis differentia legis, & Euangelij, est *Timor*, & *Amor.*

NOTA ex SS. DD. posse has Leges comparari, vel ex fine vniuersali legis, qui est subdere Deo, & hoc modo conueniunt; alio modo pro fine subdendi perfecto, vel imperfecto modo, & in hoc differunt; quia lex antiqua motiuo timoris cogebat; vnde & Dominus Legislator, *Exod.19.* apparuit fulminans, & imperfectè admodum ducebat ad Deum. Ideò ait Apostolus, *Hebr.7.* Lex ad perfectum neminem adduxit: Lex autem noua perfectionem magnam edocet Matth 5. *Estote perfecti, sicut, & Pater vester perfectus est.* Multa enim 4
præcepta perfectionis, præter consilia, addit, & allicit amore. Vnde Christus humanissimè inter discipulos sedens, docebat. *Beati pauperes spiritu, &c.* atque bona æterna spopondit: *Quoniam ipsorum est Regnum cælorum.* Erant enim homines antiquitus duræ ceruicis; Ideò virga timoris concutiendi; postmodum verò ex gratia *docibiles Dei* facti, vt ait Christus *Ioan.5.* Amore alliciendi ad perfectionem; iam enim apparuerat *humanitas & benignitas Saluatoris.*

ASSERO ergo, Legem nouam à veteri in hoc 5
discriminari, quod vna timore, altera amore persuaderetur.

PROBATVR à Diuo Bonauentura primò ex *loco citato.* Diui Augustini, & ex loco allegato, *Rom.8.*

OBIICIES primò. Omnis timor ex amore procedit, vt ait D. Augustinus *lib.14. de ciuit. Dei, cap.7. & 9.* Ergo timor potest ad amorem, tanquam ad suam radicem reduci; ac proinde non benè statuitur differentia veteris legis à noua, in Timore, & Amore.

RESPONDET Seraphicus *ad primum*, Deum esse bonum, & beneficum: Hinc duplex oritur amor, & duplex timor; vt est bonus, amorem conciliat sibi beneuolentiæ, & timorem filialem, quo quis timet Deum offendere, quia ipsum amat: At verò vt est beneficus, amatur quidem, quia bona largitur; sed tamen timetur, ne beneficia subtrahat, & pœnas irroget. Primus amor, sicut & timor conuenit nouæ legi; secundus verò Mosaïcæ; Et cum amor simpliciter, sit amor Dei propter Deum ipsum; hinc dicitur, amorem ad legem spectare Euangelicam, sed timorem pertinere ad Mosaïcam.

OBIICIES secundò penes alias Animæ affectiones nullius stat legis differentia, etsi aliæ sint, quibus aut ad bonum allicimur, aut à malo deflectimus: Ergo non videtur lex noua differre ab antiqua penes Amorem, & Timorem.

RESPONDET S. Bonauent. *ad 2.* alias quidem esse animæ affectiones, sed omnes ad amorem, vel timorem, tanquam ad radices reuocari. Cùm vel respiciant bonum, & sic reducuntur ad amorem; vel malum, & sic spectant ad timorem; vnde dicit S. Doctor hæ duæ passiones tenent principatum, & dominantur cæteris, inclinando ad bonum, aut repellendo à malo.

HIC obuiat Seraphicus obiectioni, qua possit confirmari prior oppositio è D. Augustin. cùm enim non repellimur à malo, nisi vt Impellamur ab bonum; sequitur solum amorem principatum tenere; & sic ipsum timorem sub suo imperio retinere.

RESPONDET, timorem semper amoris radicem supponere; quia tamen diuersa habent motiua, vnde causantur, diuersosque effectus, ad quos terminantur; hinc diuersæ sunt affectiones secundùm

cundùm immediatam comparationem ad vtrumque.

Obicies tertiò. Cùm Lex naturæ viguerit suo tempore; & sit à noua & veteri distincta, debet habere tertiam radicem; sed hæc non est assignabilis: Ergo.

Respondet S. Doctor *ad* 3. Legem naturæ conuenire cum gratia in sua libertate, vnde ad amoris radicem potest reduci; conuenire autem cum Lege veteri ex imperfectione, & obscuritate; & ideo secundùm hoc motiuum, ad timorem potest referri.

Obicies quartò. Etiam Lex vetus præcipit amorem. *Diliges Dominum, &c.* Deuter. 6. Et Lex noua timorem, Philip. 2. *Cùm metu, & tremore vestram salutem operamini.*

Similiter in vtraque Lege fiunt promissiones æternæ, vt habetur *Heb.* 11. Et similiter in nouo testamento promittuntur temporalia, *Marci* 10. Et maiora suppplicia indicuntur. *Ibunt in ignem æternum.* Matth.25.

6 Respondet diffusè S.Bonauent. Legem veterem principaliùs timore ductam, & promissiones accepisse temporales, & comminationes etiam temporales, quæ quippe sensibiles, magis terrore concutiunt; sic enim Latro magis à furtis deterretur timore suspendij, quàm gehennæ comminatæ; tamen eis Deus etiam pœnas indixit æternas, vt habetur *in Cantico Deuter. & Iudith*, & *in Psalmis.* In nouo verò testamento incutitur timor, sed oscula gratiæ abundantioris porriguntur, quæ postulabat Ecclesia *Cant.*1. Vide Seraphicum Doctorem.

QVÆSTIO III.

An Efficacia in Iustificando præferat Legem nouam veteri.

D.Bonau. dist 40. quæst 2.
D.Thom. quæst.100 art.2.

7 QVANTÒ Illustrior, & vulgatior hæc differentia, ore Patrum, ac Theologorum voluitur, tantò difficilior, & obscurior mihi semper est visa, & à Recentibus non satis exposita. Assignatur autem hæc differentia ab Apostolo ad Rom. à cap.3. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.* Ad *Galat.*3. & ad *Heb.*7. Et hoc verum esse, etiam quò ad præcepta moralia, docent D. Bonauent. & D. Thom. & D. August. *lib. de spiritu, & littera, cap.*14. Nam Apostolus vniuersaliter loquitur de tota Lege: Et de præcepto: *Non concupisces*, asserit, non solùm non iustificasse, sed etiam occasione, mortem attulisse spiritualem. At Euangelium iustificare asserit Apostolus *Rom.*1. & 8. *Non enim erubesco Euangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti.* Vide D. Thom. *hic*: De veteri autem Lege eundem D.Thom. *quæst.* 100. *art.*12. & *quæst.*113. *art.*2. consule. Quomodo autem hoc verum sit, variè explicatur.

Facile admodum id definit D.Thomas. Ad Euangelium (ait) duo pertinent. Vnum quidem principaliter, scilicet ipsa gratia Spiritus Sancti, interiùs data; & quantùm ad hoc, Lex iustificat. Vnde D.Augustinus *lib. de spiritu, & littera, cap.*14. ait: *Ibi* (nempè in veteri testamento) *Lex extrinsecùs est posita, qua iniusti terrerentur*: *Hic* (scilicet in nouo testamento) *intrinsecùs data est, qua iustificarentur.*

Aliud pertinet ad Legem Euangelij secundariò; scilicet documenta fidei, & præcepta ordinantia affectum humanum, & humanos actus; & quantùm ad hoc, Lex noua non iustificat: Vnde Apostolus, 2. Corinth. 3. *Littera occidit. Spiritus autem viuificat*: Et D. Augustinus exponit *loco cit.* per *Litteram* intelligi quamlibet Scripturam extra homines existentem, etiam moralium præceptorum, qualia continentur in Euangelio, vnde etiam littera Euangelij occideret, nisi adesset interiùs gratia fidei sanans. 8

Hanc tamen expositionem etiam ipsi Commentatores obnubilant.

Aliqui enim apud Vasquez, *disput.* 183. *cap.*2. volunt, sic intelligi: Legem ipsam, pro vt dicit præcepta Euangelica, iustificare, quia simul data est à Deo gratia fidei, & charitatis; nam Legislator fuit etiam Redemptor.

Contra tamen est; nam etiam tempore antiquo in meritis Christi dabatur gratia ad Diuinam Legem obseruandam, vt indicat S. Bonauent. *ad* 3. & Vasquez *numero* 4. Ideò enim *Deuter.* 30. protestatur Moyses: *Mandatum hoc, quod Ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, neque in cœlo situm, vt valeas dicere, quis nostrum valeat ad cœlum ascendere? &c. sed iuxta te valdè est in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illud.* Quem locum hoc sensu interpretatur Apostolus, *Rom.*10. Nam recitato hoc testimonio, & per singula explicato, vt exponeret etiam illa verba: *sed iuxta est sermo valide*, (inquit) *prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus.* 9

Per verbum autem fidei intelligit Spiritum fidei, & gratiæ, quo dixerat, Legem impleri, & obseruari: Iustitiam verò ex illo acquisitam vocauerat *iustitiam Dei.* Dixerat autem de hoc spiritu fidei. *Finis enim Legis Christus, ad iustitiam omni credenti.* 10

Hoc est: complementum, & consummatio Legis, quæ in obseruatione consistit, est Christus per fidem creditus. Hoc notat S. Bonauent. *in* 2. *dist.* 28. *quæst.* 3. *ad* 1. & *dist.* 38. *quæst.*2. *ad* 1.& Vasquez *numero* 5. Nulla ergo erit differentia in hoc; quia etiam Lex vetus habuit gratiam per Christum, qui ideò dicitur. *Agnus occisus ab origine mundi.*

Alii dicunt, Legem nouam iustificare ad differentiam antiquæ; quia noua habet Sacramenta, conferentia gratiam *ex opere operato*: At Sacramenta antiqua erant egena elementa. 11

Verum, contrà est, quia Sacramenta sola non constituunt Legem nouam, sed multa alia (vt ait S. Bonauent.) concurrunt, & in tota Lege oportet inuenire differentiam. Taceo etiam in Lege veteri, Circumcisionem iustificasse, vt dixi *quæstione* 12.

Vasqvez doctrinæ S. Thomæ propiùs inhærens, ait, Legem Euangelicam dici iustificare ad differentiam antiquæ; quia nempe, continet, & dicit principaliter ipsam gratiam, & fidem, quæ nos mouet ad operandum, atque iustificat. Secundò verò, solùm præcepta ideò dici præcellere in iustificando.

Enim verò Spiritus iste fidei communicatus est etiam antiquis, vt fatetur Vasquez *num.* 12. 12

At respondet, Legem Christi, dici Legem spi-

ritus, & gratiæ; quia Christus adueniens soluit pretium salutis, cuius valore collata est gratia. Addit Vasquez ex D.Thoma, non incepisse simpliciter spiritum gratiæ, tempore Euangelij, sed solùm, quò ad abundantiam.

Deinde Apostolus comparat cum noua totam Legem veterem, quæ etiam præcepta continet, non solùm spiritum fidei, vt exponit ipse Vasquez.

13 Ideo *cap.* 3. ait, præcellere in tribus. Primò in Mysteriis reuelatis, quia nunc reuelatum est Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis. Secundò in promissis; quia nunc expressiùs, & clariùs regnum cælorum promittitur seruantibus Legem. Tertiò in præceptis, quæ faciliora sunt, quantò notabiliora, præcipuè præcepta de Sacramentis, quæ plena sunt gratiâ *ex opere operato*. Hanc ferè expositionem etiam Valentia sequitur *disput.* 7. *quæst.* 6. *punct.* 3. dicens, hanc Legis nouæ iustificationem attendendam in huius obseruantia fieri. Quamuis autem etiam antiqua iustificaret; tamen non ex se, sed quatenus signabat Christum, & eius Legem; sine hac verò relatione ad Christum, damnabat, vt habetur *Rom.*7. ostendendo peccatum, & concupiscentiam occasionaliter excitando, quæ in vetitum nititur. Vnde ait Apostolus Galat.2. *Si per Legem iustitia. Ergo Christus gratis mortuus est.*

14 Hæc ita fateor, sed non video expressam differentiam in iustificando. Quamuis enim, quia Lex noua est ab Authore Gratiæ data, & Redemptore, magis sibi nomen gratiæ adscribat; attamen cum etiam antiquæ Legis gratiam Christus communicauerit, non hinc tam expressa differentia eruitur, vt hæc iustificet: illa nequaquam.

Cæteris meliùs id discrimen expressit S. Bonauent. qui nonnulla prælibat, vt quæstionem resoluat.

Ante omnia quatuor modis aliqua res dicitur iustificare. Primò efficienter principaliter, & sic solus Deus iustificat: *Ego sum, qui deleo peccata*, ait Dominus per Isaiam. Secundo modo, aliquid iustificat formaliter, & talis est habitus gratiæ, vt dicam *tractatu quinto, disput.* 3. *quæst.*2. Tertio modo moraliter efficienter, & sic actus fidei, & charitatis iustificat, vt dicam *loco citato, quæst.* 10. *&* 11. Quartò, dicitur aliquid iustificare exercitatione, & vsu; & talia sunt præcepta Dei, quæ dum exercentur, seu adimplentur, inde eliciuntur actus virtutum, iustificantes moraliter.

15 Advertit prætereà, tria in Lege veteri esse consideranda, similiter & in noua. Primò, mouentia ad obseruantiam Legis, & disponentia ad iustificationem; & ista erant promissa, quibus inflammantur homines. Secundò, Dirigentia, & hæc erant præcepta. Tertiò, Adiuuantia, & sunt Sacramenta. Sacramenta enim, vt ait Hugo, sunt adiuuantia, vt per præcepta veniatur ad promissa; cum hoc tamen discrimine, vt in Lege noua promissa sint Spiritualia de bonis æternis. Similiter & præcepta spiritualia de animæ profectu, Sacramenta etiam conferentia gratiam. Itaque promissa excitant Christianum ad amorem

16 æternorum, seu ad charitatem. Præcepta dirigunt sufficienter in via morum, docendo vitare omne peccatum. Sacramenta sanant animam à peccatis, & conferunt multiplicem gratiam. Baptismus regenerando, & lauando ab Originali, concupiscentiæ fomitem moderando. & Confirmatio, confirmando, & roborando contra tentationes. Eucharistia nutriendo spiritum, sicuti cibus reficit, vegetat, & auget corpus. Pœnitentia dimittendo actualia, & sanctificando impium. Vnctio, extrema dimittendo reliquias mortalium, & venialia, & disponendo ad egressum animæ, ac perseuerantiam vsque in finem. Ordo, sacrificia pro hominibus exhibendo. Matrimonium corpoream coniunctionem sacrando. Hæc maximè adiuuant ad Legis transgressiones redimendas, ad obseruantias Legis, &c.

Sic igitur Lex Euangelica iustificat, non pro 17
vt est in littera, & legitur, & cognoscitur; sed vt obseruatur, ad cuius obseruantiam habet non modò præcepta, & consilia dirigentia; sed etiam promissa excitantia ad actus moraliter iustificantes, ad charitatem, & spem æternorum; & Sacramenta conferentia gratiam, & auxilia omnia necessaria ad sanctificationem. Itaque Sacramenta effectiuè iustificant per gratiam, quæ est forma iustificationis: Præcepta verò exercitatione actuum charitatis, qui sunt causa efficiens moralis iustificationis.

Lex autem Mosayca habuit hæc tria diuer- 18
sa. Promissa temporalia. Præcepta, vt plurimum, externum regulantia, & Sacramenta figuralia; & hæc (Circumcisione excepta) erant inania. Hinc à promissionibus non excitabantur veteres ad amorem spiritualem merum; licèt enim ad diligendum Deum impellerentur; attamen terroribus compellebantur; vel promissis terræ, vt plurimum, pelliciebantur. Præceptis verò non dirigebantur perfectè ad iustitiam interiorem. Quamuis enim haberent præcepta diligendi Deum, & proximum; in quibus stat perfectio; attamen ad id extrinsecis ritibus cæremonialibus, & iudicialibus ducebantur, imperfectis etiam Sacramentis & vmbrosis, nil solidæ gratiæ continentibus, quibus non adiuuabantur, non reficiebantur, non roborabantur ad resurgendum à peccato, aut ad permanendum in gratia, & iustitiâ vsque in finem. Erat igitur simpliciter Lex onerosa, terrens flagellis, & minis, non habens intrinsecè coniunctam gratiam; & extrinsecè tantam auxiliorum copiam ad perfectam iustitiam; licèt haberent gratiam sufficientem extrinsecè, vt Legem seruarent necessariam.

Itaque Lex nostra intrinsecè continet gratiam in præceptis Sacramentorum, quæ gratia est intimè coniuncta exercitio virtutum præceptarum in tota Lege Euangelica; & simul cum littera habet intrinsecè spiritum fidei, charitatis, & gratiæ. At Lex vetus, vt sic, inops exponebat quidem, & prohibebat vitanda, & præcipiebat obseruanda; sed non habebat intimè in esse suo coniuncta media ad iustitiam, exercitio consequendam, atque in posterum conseruandam. Sed exponendo nudè vetita, per accidens accendebat appetitum, qui fertur in vetitum, & dabatur occasio mortis, & ideò dicitur esse *Lex mortis*. Rom.7. *Erat quidem Lex sancta*, vt dicitur *Rom.* 7. ex intentione Legislatoris; sed, occasione recepta, eâ vtebatur aduersarius, tanquam gladio tuo ad te occidendum.

Ex his habes primò, D. Bonaueut. non diui- 19
dere in Euangelio vnam quandam Legem, quæ dicatur *Lex spiritus*, & sit auxilium gratiæ, & gratia ipsa, vt vult D. Thom. & post eum Vasquez,

&

& Thomistæ. Gratia enim, esto coniuncta intimè Euangelio, non est Lex; non enim est præceptiua, vt sic, sicut est necessarium ad esse Legis; neque Apostolus, quando dicit, nos non iustificari *per Legem factorum*, sed *per Legem fidei*, intelligit *per Legem factorum*, Legem obseruatam, *per Legem fidei*, ipsam gratiam. Sed per Legem factorum, intelligit Legem ipsam, quæ facta præcipit nudè, non habentem intrinsecè adiunctum auxilium abundans gratiæ, & auxiliorum. Per Legem autem fidei, intelligit Legem, pro vt habet intrinsecè Gratiam, Fidem, Spem, Charitatem, &c.

20 Hoc videtur indicasse ex se Suarez *lib.9.* vbi explicat hanc differentiam sic: Quòd Lex vetus non iustificabat, quia opera eius non erant talia, vt possent hominem sanctum efficere; nam Lex non potest sanctificare, nisi per opera, quæ præcipit; neque enim iustificabat *ex opere operato*. In hoc videtur consentire Seraphico (excipe tamen Circumcisionem.)

Qvod verò addit: Neque iustificabat *ex opere operantis*, falsum est; Lex enim illa præcipiebat actus fidei, charitatis, Et contritionis, qui iustificant.

21 Respondet Suarez, non dedisse vires ad hos actus eliciendos. Itaque sequitur, non esse verum, aliter Legem non iustificare, nisi per opera, quæ præcipit; iustificat enim adiuuando ad opera præcepta, quæ quidem auxilia concedo Suarez, & Valentiæ, appropriari Legi Euangelicæ, quatenus ab eius authore Christo subministrata sunt antiquis; Et hoc est, quod ait S. [illegible] quòd lex obseruabatur spiritualiter virtute Euangelica. Nam Lex Euangelio erat grauida, non quasi mater filio, alioqui debuisset alimenta Euangelio in vtero præbere, sicuti mater per vmbilicum præbet duabus venis, & totidem arteriis mediatè ex Hepate alimenta sanguinis, & spirituum fœtui. Sed dicebatur grauida Euangelio, quatenus Euangelium, à quo omnia bona recipiebat, in vtero figuratum abscondebat exhibendum luci, tempore Messiæ: Legem verò à Christo gratiam habuisse, ostendit S. Bonauent. *Ioan.1.* ad ea verba, *Lex per Moysen data est: gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* At in hac sola relatione posita est, cum & Lex antiqua ad Christum datorem gratiæ referretur.

Omitto discrimen Legis antiquæ, & nouæ, quod Sectarij excogitarunt, nempe, Legem veterem habuisse promissiones conditionales. Si Legem obseruarint: Legem autem nouam habere promissiones absolutas, independentes ab obseruantia Legis. Hæc eorum insania explosa est à nobis *disput. 1. quæst. 9.*

QVÆSTIO IV.

Quomodo Lex noua in suaui obseruabilitate discriminetur à veteri.

D. Bonauent in 3. dist.40 quæst.3.

Qvamvis loco, nuper allegato, ostenderim contra Hæreticos, Legem nouam veteri faciliorem esse; attamen aliqua libet etiam hîc dicere cum D Bonauent. 22?

Antithesis hæc habetur in Testamento nouo, vbi *Matth* 11. dicitur Lex noua, *Iugum suaue*, At 15. *Actorum*, dicitur Lex vetus *onus intolerabile*.

Distingvit igitur rectè S.Bonauent. Leges istas posse comparari. Primò in præceptis, & in his Legem veterem habuisse quidem aliqua, pluraque aspetiora: At Legem nouam habere aliqua altiora, & maioris perfectionis, atque adeò difficiliùs obseruanda; & ideò, se habere sicut excedens, & excessum: nam, ob perfectionem hæc est maioris difficultatis; illa verò in multitudine, & arduitate tot Iudicialium, & cæremonialium excedit.

Secvndo ait, posse comparari in motiuis; 23 & in hoc Euangelium esse suauius, quippè amore allicit, qui, vt ait D. Bernardus, onus subleuat.

Vnde & D. Augustinus ad illud. *Iugum meum Suaue, &c.* Matth.11. ait: *Amanti suaue est. Dominus dedit suauitatem*; Lex autem vetus timore percellebat, & pœnas graues infligebat; Vnde dicitur, *Exod.* 17. Graues fuisse manus Moysis, vtpote onus grauitatis duris Iudæorum ceruicibus imponentis.

Tertio ait comparari in Sacramentis; & hoc pacto Lex noua est leuior. Nam Sacramenta faciliora sunt, & conferunt copiosam gratiam: Antiqua verò inania erant (excepta Circumcisione, quæ aliquam gratiam conferebat) at esto gratiam contulerit, non video tamen, vnde conferatur incisio illa cruenta, cum suaui Baptismi aspersione.

Obiicies primo è prima. Canonica, Ioan. 24 capite 5. *Mandata eius grauia non sunt.* Et Roman. 13. dicitur: *Qui diligit proximum, Legem impleuit.*

Respondet D. Bonauent. Mandata naturæ sanæ non esse difficilia; at vitiatæ esse difficilia. Quod verò secundò dicitur: Respondet, adimpleri Legem, quò ad secundam tabulam; non tamen ità facilè, vt non lædatur impingens. Deinde hîc non concludit tot iudicialia, cæremonialia, &c.

Obiicies secundò. Hæc difficultas, vel 25 premit hominem virtuosum, vel vitiosum: non primum; Quia agitur charitate, quæ virtus reddit actum, expeditum & facilem: Non etiam secundum, quia peccatori Lex Euangelica, non grauis solùm, sed importabilis videtur: Ergo.

Respondet D. Bonauent. premi his difficultatibus, etiam hominem virtute præditum, quò ad tot iudicialia, & cæremonialia, quæ potiùs significabant iustitiam, quàm facerent. Virtus quidem reddit actum proprium facilem; non alienum. Præterea, quò ad statum perfectum facilè est virtutis exercitium,

exercitium, difficile vero, quo ad profectum in bono, nisi magno iuuamine fulciatur.

Obiicies tertiò. Difficiliora sunt, quæ plura cohibere debent; at Euangelium cohibere debet plura passionalia incitamenta; nam Euangelium Legi multa addidit, vt habetur *Matth.5*.

Respondet D. Bonauent. grauiora esse in quantum laboriosa sunt opera; non tamen habenti charitatem, & gratiæ copiam, quæ Euangelio sunt coniuncta, vnde additio nouorum in Lege Euangelica, dicit onera alleuiantia, sicut sunt pennæ auibus; & rotæ curribus, aut nauibus vela.

26 Ex dictis habes materiam Legis nouæ non esse adeò præceptorum multitudine, ac varietate onustam; sed diuidi in actiones aliquas externas, ad gratiam acquirendam institutas, & hæc sunt Sacramenta, vel operationes morales præceptorum Decalogi: alias internas in componendis animi motibus, vt habetur *Matth. 5*. Prætereà etiam Consilia sunt materia Euangelicæ Legis, vt ait S. Bonauent. *locis citatis*, & D. Thom. *quæst.* 108. *art.* 4.

Horum est triplex genus, ad quæ alia reuocantur, idest Castitas perpetua, *Matth.* 19. Et prima *Corinth.* 7. Voluntaria paupertas. *Matth.* 19. & obedientia perpetua, *Matth.* 19. & *Luca* 16.

Hic quærunt aliqui: An non solùm actus virtutis; sed & modus agendi sit in præcepto.

Dico breuiter, modum substantialem actus virtutis esse simul cum actu præceptum. Sed hoc agetur 2. 2. *disp. de Charitate*.

Hæc de Legibus nunc satis sint, vt ad Legis Leuamen, diuinam nimirùm gratiam, expeditiùs transeamus.

TRACTATVS

TRACTATVS QVINTVS
PRIMÆ SECVNDÆ
THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ
DE GRATIA,
AD MENTEM
D. BONAVENTVRÆ.

PROOEMIVM.

HOC est celebre illud Stadium, in quo omnes, quotquot sumus, currimus vt comprehendamus: Hæc est etiam spectabilis illa Palæstra, in qua nobis est colluctatio aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum: Omnes quidem currimus, sed vnus accipit Brauium: omnes colluctamus contra spiritualia nequitiæ, sed non omnes firmiter stamus.

VNVS instar omnium AVGVSTINVS, tamquam inuictissimus Athleta, in hanc descendens Arenam, in Scuto fidei omnia tela nequissimi ignea extinxit: galeamque salutis assumens, & gladium spiritus (quod est verbum Dei) Colubrum illum Brittanicum, Pelagium, per deuia toties serpentem, & tamquam immanissimam Hydram toties renascentem, tandem attriuit, extorsit, & de terris extulit.

HIC in Campo GRATIÆ (testibus Gelasio & Cœlestino Pontificibus) securiùs, & feliciùs dimicauit. Hunc, velut fidus Achates, magno testante Macedo, nunc celebri Patauij Oraculo, propiissimè sequutus est Seraphicus BONAVENTVRA, Qui licèt pro sua tempestate hostes non haberet, præuidens tamen è Pelagianorum reliquiis, dudum per vniuersum orbem fœtentibus, tandem aliquando forsan emersuram bicipitem illam Anguem, Lutheri nimirum, & Caluini hæresim, deposita resumpsit arma, eaque ad bellum habilitata nobis tradidit, vt succincti lumbos nostros in veritate, induti Loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis, possimus resistere in die malo.

Horvm ego Armaturam pro viribus portans, pugilis vtriusque stabo fixè vestigiis, & tanquam, vtrique deuotissimus, Satelles ad bellum pro pace sequar; cautè tamen, sciens inimicum hominem vsquequaque plagas intentaturum; sed quâ fortiùs ictus attulerit, hâc me sub septemplici Augustini Clypeo, A Bonauentura mihi iniecto, velut cautus Vlysses, recondam.

Absolvto igitur tractatu de altero principio extrinseco, à Deo proueniente, humanorum actuum, quod quidem in Legum institutione positum est, ac constitutum; Iam de altero principio humanorum actuum, extrinseco quidem, vt à Deo; at intrinsecé inhærente in nobis, quod est Gratia, agendum. Hæc est præcipua Theologiæ portio, qua homo suæ eruditur insufficientiæ, ad finem supernaturalem consequendum.

De qva Gratia, vt est medium, Christi sanguine comparatum, ad beatitudinem consequendam, quæ ideò dicitur *Gratia per Christum*, erit nostra Disputatio. De qua sæpè Apostolus *Rom.*5. *V.*5. *Ephes.*2. *V.*8. *Prima Tim.*4. *V.*14. *Iacobi* 4. *V.*6. *Secunda Petri*, 1. *V.*4. & D. Augustini *ep.*95. *&* 105. agebant. Omissis autem gratiis gratis datis, quæ ad alios etiam deducendos in æternam conducunt felicitatem; de quibus erit sermo *Secunda Secundæ:* Nunc de Gratia *gratum faciente*, siuè dispositiuè, siue formaliter, est discursus, quæ sanè in Actualia Dei auxilia, quibus ad sanctificationem disponimur, atquè Perseuerantiam; & in Habitus gratiæ, & charitatis; quibus filij Dei instituimur, diuiditur: Bipartita igitur erit nobis pertractatio. Et quidem in priori disputatione, de Auxiliis Diuinæ gratiæ actualibus; in posteriori verò de Habituali dicam. Proinde verò de earum effectibus, Iustificatione, Perseuerantia, & Merito, differâm.

DISPVTATIO

DISPVTATIO I.

DE AVXILIIS DIVINÆ GRATIÆ.

VT faciliùs ab omni gratia se expediret Pelagius, & soli Arbitrio nefanda libertate thurificaret, variis & impropriis gratiæ acceptionibus se implicabat; modò Legem & exempla latissimè pro gratia intelligens, modò latiùs ipsam naturam, vt potè nobis è Dei liberalitate collatam, quo sensu dicitur Sap. 16. Gratia rerum omnium nutrix, vt ibi S. Bonau. loquitur & *6. Synodo, actione* 11. in epistola Symphronij dicuntur Angeli *immortales gratiâ Dei*, modò etiam latè ordinaria diuinæ prouidentiæ auxilia, naturæ licèt debita, pro gratia accipiebat, Teste D. August. epist. 105. & 95. Donum verò nobis collatum ex meritis Christi, de quo ad Roman. 3. *Iustificati estis per gratiam ipsius*, impius hic inanibus subterfugiis negabat: cùm tamen in auxilio hoc præstantior & eminentior gratiæ acceptio consistat: vbi enim pœna solùm debetur, & vberior tamen gratia conceditur, hæc vera est gratia, & supernaturale auxilium, quod est semen gloriæ, & pignus vitæ æternæ, nobis diuinitus immissum.

QVÆSTIO I.

An dentur Auxilia Dei supernaturalia

D Bonau. in 2. dist. 26.
D Thom. prima secundæ, quæst. 110. art. 2.

1 ASSERO de fide, dari auxilia Dei supernaturalia, ad vitam æternam conferentia.

PROBATVR à D. Bonauent. primò *in opusc. de Resurrectione à peccato.* Prima Cor. 15. *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit.* Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Isa 31. *Proteget Dominus exercituum Iudæam, & Hierusalem, protegens, & liberans, transiens, & saluans,* 1. Cor. 15. *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum.* Rom. 7. *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum.* Math. 6. *Ne nos inducas in tentationem.* Threnorum 3. *Misericordia Domini, quia non sumus consumpti.*

2 ALIA multa loca Scripturarum, & Patrum affert passim in suis libris, præcipuè *2. part. Breuil.* per multa capita, *3. part. Centil. à sect. 35. lib. 2. Pharetra, c. 16.* vbi plurimos Patres refert. Et *lib. 4. Compend. Theol.* per multa cap. Et *in cap. 1. Lucæ*, & *primo Ioan.* Probatur à S.D. *in 2. loco cit.* è 1. Cor. 12. *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* Et Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus.* Deinde id probat è D. August. *ead. dist.* adducto à Magistro, ex multis locis.

3 PROBATVR secundò à Seraphico *loco cit. Breuil. cap. 1. 2. & 3.* Primum principium Deus, cùm ex nihilo produxerit creaturas rationales ad finem beatitudinis supernaturalis, conuenienter etiam media adaptauit ad hunc finem; & quia creatura hæc, tum quia ex nihilo, non habet à se operari, sicuti neque esse, eget mediis naturalibus ad fines naturales; tum quia finis supernaturalis est supra vires naturæ, præparauit media supernaturalia ipsi homini, qui est deficiens, etiam quo ad naturalia in statu lapsus, nedum ad superna consequenda; ac proinde nequit se ipso ad rectitudinem iustitiæ, impius assurgere, & Deum supernaturalem suum finem absque Dei auxilio attingere, quod cùm non mereatur homo, quippè totus Deo debitor, nec iste finis sit naturæ eius debitus, nec Deus bonorum nostrorum indigeat; ideo gratiæ rationem talia auxilia obtinent. Sicut igitur cæteris creaturis ad suos fines consequendos dedit & motus, & qualitates; easque aliis principiis perficit, vt in motus inclinentur; Ità 4
etiam multò magis creaturæ rationali dedit excitamenta ad finem supernaturalem per gratias actualium auxiliorum, & habitus ad hunc finem inclinantes. Est enim sapientia Dei attingens à fine vsque ad finem fortiter, & suauiter disponens omnia, vt habetur *Sap. 8.* Vnde Gratias Actuales, & Habitualem optimè colligit Seraphicus; & cum eo D. Thom. *prima secunda, loco cit.* quos sequuntur Theologi cæteri, præcipuè Valentia *d. 8. q. 3. punct. 2.*

QVÆSTIO II.

De diuisione Gratiæ in Operantem, seu Præuenientem, Excitantem Inspirationem; & in Cooperantem, seu Comitantem Adiuuantem; & in Subsequentem.

D Bonauent. in 2. dist. 27. dub 1. & d. 28. quæst 1.
D. Thom. q 111. art 2. & 3.

CELEBRIS est hæc diuisio Diuinorum auxiliorum; quamuis & Habitualem operantem gratiam, & Cooperantem asseruerint D. Bonau. *in 2. dist. 26. q. 6.* D. Thom. *prima secunda, quæst. 111. art. 2.* Albert. *in 2. dist. 26. art. 7.* Gabr. *quæst. 1. art. 1. notab. 2.* Marsil. *in 2. quæst. 12. art. 1. notab. 2.* Alensis 3. *part. quæst. 96. memb. 3. art. 2. & 3.* S. Antonin. 4. *part. tit. 9. cap. 3. §. 1.* & alij Scholastici innixi, vt reor, Concilio Mileuit. vt dicam: Neque verò eam diuidunt in *Operantem*, & *Cooperantem*, vt fingit Vasquez *prima secunda, disp. 185. cap. 1.* sed solùm aiunt, eandem gratiam habitualem, quod longè diuersum est, operari, & cooperari. 5

GRATIÆ Operantis, & Cooperantis meminit Concilium Arausic. 2. *can. 9.* Eiusdem meminit Concilium Trid. *sess. 6. c. 5.* vbi Operantem vocat præuenientem, & excitantem; Cooperantem verò adiuuantem appellat. D. August. sæpè hæc nominat, vt mox dicemus. 6

Post eum S. Bernardus, *opusc. de gratia, & lib. arb.* Et Ecclesia *in orat. Dom. 5. post Pascha*, Operantem, vocat inspirationem; Cooperantem verò gubernationem. Et concil. Arausic. 2. *can.* 4. gratiam operantem vocauit infusionem, & operationem Spiritus Sancti: *can.* verò 5. & 6. vocauit inspirationem.

Hinc, modus ille loquendi in D. August. *Deum operari aliqua in nobis sine nobis; aliqua verò nobiscum*; vnde orta est illa diuisio gratiæ in Operantem, & Cooperantem. Quomodò autem hæc sint intelligenda, magnoperè Scholastici controuertunt.

7 Primo quidem Vega *lib. 6. in Concil. Trident. cap.* 8. sic explicat, Gratiam operantem esse motum voluntatis, quo homo subitò mouetur ad bonum, seu cogitationem sanctam, quam Deus in nobis, sine nobis, operatur; quia ad eius productionem solus Deus physicè operatur: homo autem merè passiuè se habet: Cooperantem verò eam esse, quam nobis cooperantibus physicè per consensum, Deus operatur nobiscum. Fauent quoque aliqui Thomistæ, qui putant, primum actum voluntatis non effici ab ipsa voluntate, sed à Deo solo; eò quòd D. Thom. *secunda secundæ, quæst.* 19. *art.* 4. ait, in eo actu voluntatem à solo Deo moueri. Sed hæc opinio confutata est, *tract.* 1. *disp.* 6. *quæst.* 4.

8 De cætero cùm D. August. inuenerit primùm hanc cogitationem Sanctam, vt initium salutis à Deo exorditetur contra Semipelagianos; non curauit: An hic actus physicè, etiam esset à nobis, dummodò constaret, hunc esse ante omne meritum.

Secvndo D. Thom. *quæst.* 111. *art.* 2. Conradus, Caietanus, & Recentiores *ibidem*, Durandus *in* 2. *dist.* 26. *quæst.* 1. S. Antonin. 4. *part. tit.* 9. *cap.* 3. §. 1. & 2. Soto *de natura, & gratia, cap.* 16. Driedo 2. *de gratia, & lib. arb. tract.* 1. *cap.* 2. Ruardus Tapper. *art.* 7. § *Et quia articulus, pag.* 299. dicunt, Gratiam operantem esse in primo motu voluntatis circa finem, etiam libero, ex quo voluntas mouetur ad secundum, qui est circa media; & ad actionem exteriorem, in quo iam inuenitur Gratia cooperans.

9 Contra. Nam in primo motu voluntatis libero inuenitur gratia cooperans, vt colligitur è D. August. infrà citando. Oportet igitur aliquid anterius gratiæ operanti assignare.

Gregorivs de Arim. in D. August. apprimè versatus, sic intelligit *in* 2. *dist.* 28. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 12. Gratiam operantem consistere in quodam impulsu Dei, & quadam applicatione, quæ à solo Deo est moraliter; esto physicè sit etiam à nobis, tanquam à causa secunda, Deo cooperante. Hunc impulsum, ait Gregorius, esse medium quid inter ipsum consensum liberum, ad quem cooperetur Voluntas; & primum motum non deliberatum Voluntatis, seu cogitationem, quæ ex parte intellectus præcedit.

10 Contra tamen; Quia iste impulsus siue sit sancta cogitatio, siue consensus liber, debet esse etiam à nobis, non à Deo solo, vt ait Vasquez *num.* 17. Secundò talis impulsus reddit necessitatem non resistendi. Deinde talem impulsum, & applicationem, distinctam à vocatione, explodunt D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 26. *quæst.* 6. & alij plurimi apud Tannerum, *De gratia, disp* 6. *quæst.* 2. *num* 45. qui suprà quadraginta nominat Doctores, in idem conspirantes.

11 Vasqvez *cap.* 6. sic explicat. Gratiam operantem esse sanctam cogitationem, quæ est ante consensum; sicuti & motum nostræ voluntatis subitum, sine nostra libertate ex illa cogitatione ortum, quo deterremur à malis, & ad bonum prouocamur: & sic excluditur sententia Gregorij: Gratiam verò cooperantem, qua Deus dicitur, nobiscum, operari, esse in consensu libero. Et quidem Vasquez vult, gratiam operantem operari in nobis sine nobis, quia licèt physicè concurrat ad eum actum, vtpotè vitalem, nostra voluntas, vel intellectus, non tamen concurrunt modo morali, & liberè.

At Gregorius de Valentia *disp.* 8. *quæst.* 3. *punct.* 3. 12
ex eo capite non approbat, dicens, actiones vitales à solo Deo posse in mente produci, cùm Deus excellenti modo habeat eam perfectionem, qua nostra mens valet efficaciter producere eas actiones; quia experimur eodem ferè modo in nobis excitari huiusmodi vocationis motus, quo etiam excitantur in nobis motus naturales non liberi, Qui dicuntur *primo primi*, ad quos proculdubio etiam nos concurrimus. Eueniunt enim nihil minus tale cogitantibus, aut procurantibus, iuxta illud Isaiæ, quod Apostolus *Rom.* 10. recitat: *Inuentus sum à non quærentibus me, &c.*

Idem sentit, quò ad hanc sententiam, Suarez *lib.* 2. 13
de Auxil. cap. 5. *num.* 3. Martinus Mascatenas *de auxiliis gratiæ, disp.* 1. *part.* 1. *num* 12. Molina *in Concord. quæst.* 14. *art.* 13. *disp.* 42. Tanner. *disp.* 6. *quæst.* 1. *dub.* 4. *num.* 53.

Eandem indicant Sancti PP. apud Vasquez *cap.* 6. atque Concilium Arausic. *can.* 9.

Hæc mihi videtur Seraphici mens, vt palam fiet, recitatis locis illius. Primò, *Quinta parte Breuil. cap.* 2. ait, Hominem ad hoc, vt se præparet ad donum supernæ gratiæ, indigere auxilio gratiæ, gratis datæ, ad opera propter summum bonum, ad quod non assurgit spiritus, nisi præueniatur à Deo per aliquam gratiam gratis datam. Posteà subdit, Deum solum esse principium per modum infundentis; & liberum arbitrium per modum cooperantis, quia cooperatur gratiæ. Aduerte autem D. Bonauent. hîc intelligere per Gratiam gratis datam, illam, quæ ex non debito conceditur vt patet in ipso textu. Ipsum Vide.

Clarivs 3. *part. Centil. sect.* 35 docet è D. Ber- 14
nardo, *opusc. de gratia, & lib. arb.* vbi vtramque gratiam disertis verbis satis expressit: *Ipsa* (nempe gratia) *liberum excitat arbitrium, cùm seminat cogitatum, sanat eum, immutat affectum: roborat, vt perducat ad actum: seruat, nè sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, vt tantum illud in primo præueniat* (nempe cùm seminat cogitatum) *in cæteris comitetur; ad hoc vtique præueniens, vt iam sibi deinceps cooperetur.* Quo nihil clarius dici posse, ait Vasquez *num.* 22. qui vtitur hoc testimonio. Nam si post primum, qui est sola cogitatio, quam Deus seminat, nihil aliud superest, quàm effectus, & consensus liberi arbitrij, & in primo præuenit, illa profectò erit præueniens gratia, qua, ex D. August. Deus in nobis operatur, quamquam congrua ratione eam S. Bernardus *præuenientem* appellauerit, vt infià dicam.

Deinde in reliquo, scilicet, nostri consensus, erit gratia comitans, vt vocat S. Bernardus, & cooperans: siquidem, vt ille inquit; ad hoc præuenit, vt ipsa comitante cooperetur homo. Sed & præuenientem illam, *operantem sine nobis*, secundùm phrasim D. Aug. Bernardus etiam appellat, statim enim ait: *Hinc*
ergo Deus tria hæc, hoc est, bonum cogitare, velle, per- 15
ficere, operatur in nobis. Primùm profectò (scilicet cogitatum) *sine nobis; Secundum* (scilicet consensum) *nobiscum. Tertium* (scilicet actum, seu opus, ad quod perducit) *per nos facit, tanquam per eius instrumenta, sicut res diuinas operatur per ministrum.* Hæc S. Bonau. *l. c.* &

in

in 2. d. 27. dub. 1. litt. & post eum Vasquez *loco citato.*

Quæ confirmat S. D. *lib. 2. Pharetra, cap. 16.* è D. Gregorio *lib. 33. Moral. cap. 10.* vbi ait: *Bonum, quod agimus, & Dei est, & nostrum. Dei per præuenientem gratiam: nostrum per obsequentem liberam voluntatem.* Secundò è D. Isidoro *lib. 1. de summo bono, cap. 5.* sent. 5. *Hominis meritum, vt inueniat, superna gratia præuenit; & postquam praeuenerit, perficit, atque ad indignam mentem veniens, facit in ea meritum, quod remuneret, quæ solùm inueneras, quod puniret.*

16 Affert secundò D. August. *lib. 3. Hypognost.* post medium, tom. 7. *Opera liberi arbitrij bona, quæ vt fiant, præparantur per gratiæ præuentionem; nullis liberi arbitrij meritis, & ipsa faciente, gubernante, & perficiente.*

Refert deinde locum D. August. *de Gratia, & lib. arb. cap. 18.* vbi ait: *Gratia Dei nos facit Legis dilectores: Lex verò ipsa sine gratiâ non nisi prauaricatores.* Ex quo loco habemus, quid velit S. August. locis adductis ab Ariminensi, quibus ait, *Deum facere vt velimus, & facere, vt faciamus; etsi nos volimus, cum volumus, & faciamus, cùm facimus; quia tali vocatione nostram præparat voluntatem, vt consensum emulgeat*, non quia ipse solus impellat, determinet, &c. vt putat Gregorius.

17 Hoc igitur vltimo modo explicat D. August. naturam gratiæ operantis; quod ostendit Vasquez *ex lib. 2. de bono perseuer. cap. 13.* vbi ait: *Nos ergo volumus, sed Deus operatur in nobis & velle. Nos ergo operamur, sed Deus operatur in nobis & operari*; sed hic locus nil probat, vt patet. Affert etiam ex *lib. 1. ad Simpl. quæst. 2.* aliqua verba, vbi dicitur: *Solius Dei miserentis esse voluntatem nostram, seu quod velimus*, At hoc non retundit Gregorium, qui vult, nos impulsu ad volendum determinari. Idem habet *ep. 117.* & *lib. 1. de prædest. Sanct. cap. 19.* & *lib. de spiritu, & litt. cap. 34.*

18 Clarius, vt reor, per alia verba, *eisdem duobus locis ad Simpl.* & *de spiritu; & litt.* ostenditur: *Quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo eius voluntas moueatur ad finem?* Hæc ad simplicianum. Atque idem ferè habet in altero libro, de spiritu, &c. *Visorum suasionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus; siue extrinsecus per Euangelicas exhortationes, vbi & mandata Legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, vt ad gratiam iustificantem credendo confugiat: siue intrinsecus, vbi nemo habet in potestate, quid ei eueniat in mentem.* Et subdit: *Consentire autem diuinæ vocationi, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.*

19 Clare de hac loquitur D. August. *lib. de Eccles. dog. cap. 21.* vt refert Seraphicus *opusc. de resurrect. à peccato*, & post eum Vasquez *num. 25.* vbi ait: *Manet ad quærendam salutem arbitrij libertas, sed admonente prius Deo, & inuitante ad salutem, vt vel eligat, vel sequatur. Initium ergo salutis nostræ, Deo miserente habemus: vt acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est.* Verùm hic liber non censetur D. Augustini; sed Gennadij.

De hoc locutum est Concilium Arausic. *cap. 20.* vbi ait: *Multa in homine bona dicuntur fieri, quæ non facit homo.* Et Concilium Trident. *sess. 6. cap. 5.* vbi ait: *Initium nostræ iustificationis sumendum à gratia præueniente, hoc est, ab eius vocatione.*

20 Habent autem hæc auxilia plura nomina. Gratia prima operans, dicitur etiam præueniens, quia præuenit nos; non quia præuenit omnem nostram operationem, illa enim gratia est vitalis quædam operatio, suapte naturâ à nobis pendens; & ità sine nostro physico concursu fieri nequit; sed dicitur præueniens, quia præuenit omnem operationem liberam. Cooperans verò dicitur comitans, quia nostram operationem comitatur.

Præterea gratia operans, dicitur Inspiratio, quia ab extrinseco sine nobis, idest sine libero consensu venit, & infunditur, ac inspiratur: Gratia verò cooperans dicitur Gubernatio, quia cùm per eam cooperemur, rectè dicimur eâ gubernari.

Quare prima gratia dicitur excitans, quia fungitur velut excitantis à somno munere, & sicut excitatio fit sine consensu excitantis; ita vocatio ista Dei alma, qua voluntas à somno desidiæ excitatur, fit absque nostro consensu. Id annuit Apostolus, Ephes. 5. *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Concurrimus verò ad actum vitalem, vt monet Petrus à S. Ioseph *lib. 4. cap. 6.* 21

Tertium membrum diuisionis gratiæ actualis est subsequens; vbi SS. Patres, præcipuè D. Augustin. disputantes cum Pelagio de Auxiliis gratiæ Dei, gratiam hanc diuiserunt *in præuenientem*, & *subsequentem*, non autem *in præuenientem, comitantem*, & *subsequentem.* Dicitur præueniens, quæ præuenit consensum nostrum, quæ dicitur & excitans, & operans; & præuenit etiam ipsam iustificationem; subsequens verò quælibet gratia, quæ nobis datur consequenter ad omne bonum aggrediendum, & prosequendum. Ità loquitur D. August. *lib. de natura, & gratia, cap. 31.* vt refert Vasquez *num. 44. Præuenit* (scilicet gratia Dei) *vt sanemur, & subsequitur, vt sanati vegetemur. Præuenit, vt vocemur: subsequitur, vt glorificemur. Præuenit, vt piè viuamus: subsequitur, vt cum illo semper viuamus.* Idem habet D. Fulgentius *lib. 1. ad Monim. cap. 11.* quos sequitur D. Bonauent. *opusc. de resurrect. à peccato, tom. 1.* qui etiam *3. part. Centil. sect. 35.* hunc locum refert.

Ex quo patet, Vasquez errasse, quia ait, *num. 43.* Scholasticos non esse locutos de gratia subsequente ad mentem Sanctorum Patrum, quia triplex membrum ponunt gratiæ, *Præuenientis, Comitantis, & Subsequentis*, cum tamen comitans non sit secundùm mentem S. August. & discipulorum eius. Sanè D. Bonauent. loquitur ad mentem Sanctorum Patrum, vt suprà vidimus. 22

Addit Vasquez *num. 44.* Gratiam præuenientem esse, non quæ præuenit consensum per singula bona opera, etiam in iustificatis; sed quæ præcedit iustificationem, vt à peccato sanemur: subsequentem verò esse quamlibet aliam, quæ nobis datur etiam per singula opera ante nostrum consensum, vt in iustificatione perseueremus, vegetemur, & ad gloriam perueniamus. Loquitur sanè apertè de vocatione, & sanatione, quæ in D. Augustin. significat sanationem à peccato, vel aliquando præparationem ob infirmitatem, quam contraximus, vt fatetur ipse Vasquez. Et hoc idem differit Seraphicus *loco adducto*, vbi subsequentem, ait, esse omnem gratiam adiuuantem ad omne opus bonum eliciendum, & prosequendum. Idem docet *in 2. d. 27. dub. 1. litt.* eandem gratiam ponens cooperantem, & subsequentem, & *3. p. Centil. sect. 35.* vbi cum D. Th. exponit locum illum *de natura, & gratia, cap. 31.* vt gratia præueniens sit omnis gratia, tam actualis, quàm habitualis: subsequens verò sit gloria, & hoc iure

asserit. Nam D. August. ait: *Prauenit, vt piè viuamus: subsequitur, vt cum illo semper viuamus*, esto etiam de gratiis, vt suprà dixi, loquatur.

23 Miro sanè modo sumitur à Patribus, etiam sic, vt præueniens dicatur, quæ nostrum consensum præcedit: comitans, quæ simul est cum consensu: subsequens, quia subsequitur voluntatis consensum, præbendo opportunitatem boni operis, quod voluntas efficere desiderabat.

Hac ratione loquitur Concilium Trident. *sess.* 6. *cap.*16. vbi ait: *Quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur.* Vbi sanè de Auxiliis per Christum loquitur.

24 Alias distinctiones gratiæ *præfinitis locis*, affert S.Bonauent. vt comparata ad suum principium, diuidatur in gratiam Prædestinationis, Vocationis, & Iustificationis, vt habetur Rom. 8. *Quos prædestinauit, hos vocauit, &c.* Primò enim Deus gratiam præparat, Secundò offert, Tertiò confert, Quartò complet. Comparata ad suum subiectum, in quo est, diuiditur in gratiam cognitionis, voluntatis, & perfectionis, secundùm triplicem potentiam cognoscitiuam, affectiuam, & operatiuam; & sumitur è D. Bernardo *lib. de lib. arb.* Comparata ad oppositum, contra quod est, diuiditur in gratiam Protectionis, Liberationis, & saluationis: protegit enim à tentatione, liberat à miseria, saluat à culpa, & damnatione; & sumitur Isa 31. *Proteget Dominus exercituum Hierusalem, protegens, & liberans, transiens, & saluans.* Comparata ad effectum, ad quem est, diuiditur in præuenientem, & subsequentem, siue operantem, & cooperantem. Seraphicum vide præfatis locis, vbi præclarè de his edisserit.

25 Ex his habes, quâ ratione aliquando in Scripturis dicatur Gratia Dei subsequi, vt Psalm.22. *Misericordia tua subsequetur me.* Sensus enim est, aliquam gratiam subsequi, vt dixi cum Seraphico, post D. August. *l. de natura, & gratia citato*; nam dicere, omnem gratiam præcedere, est amentia; vt ait D. August. *l.* 2. *contra duas epistolas Pelagianorum, cap.*9.

26 Hinc libeat mihi exponere locum illum Authoris operis imperfecti in Matthæum, quod D.Chrysostomo adscribitur *homil.* 32. *in Matth.* post medium, vbi ait; vt refert S.Bonauent. lib.2. Pharetræ, cap.16. *Debet voluntas præcedere; & sic sequitur gratia; nam nec gratia sine voluntate aliquid operatur, nec voluntas sine gratia potest. Nam & terra non germinat, nisi pluuiam susceperit, nec pluuia fructificat sine terra.* Videtur enim loqui non ritu semipelagiano; sed Catholico, vt voluntas iam imbuta gratia habituali, & Diuinis auxiliis edocta, præcedat gratiam, quæ ad vegetandum, & crescendum in virtute ordinatur. De qua dicit D. August. loc. cit. *Prauenit, vt sanemur; subsequitur, vt sanati vegetemur.* Et hoc sensu locutum sanctissimum Chrysostomum constat. Nam affert similitudinem vegetationis terræ, quæ nec à pluuia sola, nec à sola terra arida ortum habet.

QVÆSTIO III.

De diuisione Gratiæ actualis in sufficientem, & Efficacem.

27 Diuisio hæc gratiæ præuenientis est, quæ ab omnibus ferè Theologis certissima astruitur. Et quidem pro gratia sufficienti afferunt multa loca Scripturarum, Isa: cap.5. *Nunc ergo viri Iuda, & Hierusalem iudicate inter me, & vineam meam. Quid vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci?* Hieren. 7. *Vocaui vos, & non respondistis.* Prouerb. 1. V. 24. Matth. 23. V.27. Rom. 10. num. 21. quod habetur etiam *Isa* 56. & *Act.*9.

Efficax habetur, Ezech. 36. V.27. *Auferam cor lapideum, & dabo cor carneum.* Rom.8. *Quos prædestinauit, hos vocauit: quos vocauit, illos & iustificauit.* Deinde è Sanctis Patribus, præcipuè August. *l.*83. *qq. quæst.*68. & *l.* 1. *ad simpl. quæst.*2. Idem definitur in Conciliis Arausic. *can.*25. & Trident. *sess.*6. *cap.*13.

QVÆSTIO IV.

In quo distinguatur Gratia Efficax à sufficienti.

Hæc præclara est illa de auxiliis disputatio, ex qua altiores difficultates complanantur: & quia prolixior est, & sexcentis difficultatibus obuoluta; ideò per dubitationes plurimas intersectam, eam digeremus.

Dvbitatio I.

An Gratia Efficax à sufficienti distinguatur, quia sit prædeterminatio physica ad opus bonum.

Est igitur prima opinio, eam efficaciam gratiæ formaliter consistere in prædeterminatione physica, qua Deus antecedenter, ac naturâ prius, quàm existat consensus liber voluntatis, influat in ipsam voluntatem, physicè illam præmouendo, ac prædeterminando tanta vi, & efficacia, vt voluntas, ex hypothesi talis præmotionis, non possit non consentire. Hæc est communis sententia Thomistarum recentiorum, Medinæ *prima secundæ, quæst.*109. *art.*10. Bannes *part.p. quæst.*14. *art.*13. & *quæst.* 16. *art.*8. & *quæst.*22. *art.*4. *disput.*6. *dub.*8. Pauli Nazarij *part.p. quæst.*22. *art* 4 Raphaelis Ripæ *part.p. quæst.*23. *art.*5. *dist* 1. *cap.*6. Matthæi de Rispolis *lib.*2. *de auxil. gratiæ.* Didaci Aluarez *de auxil. gratiæ, disput.* 83. *& sequentibus*, & *disp.*108. *num.*6. qui etiam *disp* 86. asserit, auxilium efficax actuale non subiacere potestati nostri liberi arbitrij, quantùm ad vsum, sicut subiacent habitus, quibus vtimur cùm volumus. Et *disp.*90. docet, auxilium gratiæ in ratione efficacis auxilij non dependere ex libero influxu arbitrij creati cum illo; sed esse efficax secundùm se, & vt venit à Deo antecedenter ad liberam cognitionem arbitrij. Et *disp.*91. docet, Deum per auxilium efficax præoperantis gratiæ ad modum causæ physicæ, id est verè, efficaciter prædeterminare liberum arbitrium ad consensum. 28

Ex antiquioribus Theologis, tametsi iidem Thomistæ plures adducant, inter quos citant D.Bonaventuram *in* 2.*dist.*26 *quæst.*6. tamen solus eam tradidit. Ariminensis *in* 2.*dist.*28.*quæst.*1.*art.*3.*ad* 12. Insinuant eam Soto *lib.*1. *de natura, & gratia cap.* 6. & Vega *lib.* 6. *in Tridentinum.* P. Bongratia Habsens. adducit S.D. etiam *dist.*25.*quæst.vlt.* & *dist.*28. *quæst.*2. & 5. *p. Breuil. cap.vlt.* sed nullibi id ait. Addit *dist.*47. *quæst.*1. *ad* 2. vbi oppositum lego, nempè, voluntatem Dei efficacem connotare effectum simul cum nostro concursu. 29

Disserunt

Differunt tamen inter se in eo isti authores: Quidam enim hanc prædeterminationem adscribunt Deo, etiam vt causæ vniuersali, qui proinde asserunt ad omnes actiones etiam malas, in quantùm entia sunt, sic hominem à Deo physicè prædeterminari. Ità docent Cabrera *quæst.*18. *art.*4. *d.*3. *num.*56. Risspolis *lib.*1.*concl.*1.& *l.*2.*quæst.*1.*concl.*3.Ripa *quæst.*19. *dub.*1.*cap.*12. Aluarez *lib.*3.*d.*24.*num.*15.Fauent. Bannes *p.*1. *quæst.*19.*art.*10. *dub.*1. Medina *p.*2. *quæst.*49. *art.* 2. Capreolus *in* 2. *d.*1. *quæst.*2. *art.*1. Ferrar. 3. *contra Gent. cap.*70. Addit Aluarez *d.*24. *num.*16. Omnes ferè Thomistas, paucis exceptis, ità sentire.

Alii tamen hanc prædeterminationem physicam concedunt Deo, solùm ad actus bonos; non autem ad malos. Ità Zumel *quæst.*111.*art.*3.*disp.*3.*concl.*5. & *disp.*4.*concl.*2.*&* *p.*1.*quæst.*22.*art.*4. *in Appendice*, vbi ait, non esse doctrinam sanam illud asserere;in ordine ad actus malos, vt quidem materiales sunt respectu peccati.

30 Secunda sententia acriter contra hanc physicam prædeterminationem pugnat. Ità Molina *in concord. quæst.*14. *art.*13. *d.*37. *&* 38. & *quæst.*23. *art.*4. *&* 5. *d.*1. Bellarm. *lib.*1. *de Gratia*, *&* *lib. arb. cap.*12. & *lib.*4. *cap.*14. &*lib.*6. *cap.*15. Valentia *hic*, *quæst.*3.*p.*4. §.2. Fonseca *lib* 6. *Metaph.cap.*2.*quæst.*5.*sect.*10. Vasquez *p.*1. *d* 88. *cap.*6. Mascarenas *de auxil. gratiæ, d.*1. *p.*2.*&* 3. Lessius *opusc. de gratia efficaci*, *cap.*1. *&* *sequentibus.* Suarez *in opusc. libris tribus de auxil.* quibus fusè probat, eiusmodi prædeterminationem quoad actiones humanas liberas, nec tribui posse Deo, vt causæ vniuersali, nec vt auctori actionum bonarum moralium, nec vt auctori rerum supernaturalium, vbi simul ostendit, esse communem veterum Theologorum sententiam; licèt Thomistæ conentur in suam sententiam trahere D.Thomam, D. Bonauent. & alios. Contra quos fusè disputat etiam Mascarenas *d.*2.*p.*7. vbi simul pro nostra sententia citat Alensem *p.*1.*quæst.*23.*memb.*3 *art.*4.& *quæst.*24.*m.*5. & *quæst.*26. *m.*4. *art.*3. & *m.*7. *art.*2. & *quæst.*40. *m.*4. *ad* 3.D.Bonau. *in* 2.*dist.*26.*quæst.*6. Henricum *quodl.* 9. *quæst.*5. & *quodl.*11. *quæst.*6. *&* *quodl.* 12. *quæst.*26. Ocham *in* 1.*d.*28.*quæst.*1. Marsil. *d.*40. *art.*2. Ægydium *in* 2. *d.*1 & *in opusc. de prædest.* & *præscientia*, Gabrielem *in* 1. *d.*45. & *in* 2. *d.*1. *quæst.*2. *art.*2. *&* 3. & *d.*37. *art.*1. Dionysium Cisterciensem *in* 2. *d.*25. *quæst.*2. *art.*2. Andream de Castro nouo *in* 1. *d.*22. *quæst.*2. & *d.*38.*quæst.*1. Adamum Goddam *in* 3.*d.*14. *quæst.*1. *d.*1. & *quæst.*3.*d.*1. *&* 3. Abulensem *in cap.*11. *Iosue*, *quæst.*76. & *in cap.*18. *Matth. quæst.*36. & *in cap.*19. *quæst.*175. Almainum 1. *Moral. cit.* Angestum *ibidem, cap.*1. Cordubam *lib.*1. *quæst.* 55. *dub.*8. *&* 10 Valdensem *lib* 1.*doctrinal. à cap.*23.Roffensem *art.*36. Driedonem *de captiu. & redemp. humani generis*, *tract.* 4. *cap.* 2. & *tract.*5. *cap.*4. Ruardus *art.*7. Scotum *in primo, dist.*8. *quæst.*5. & *in* 2. *d.*37. *quæst.*1. & *in* 4. *dist.* 49. *quæst.*6. quem sequuntur Scotistæ, præcipuè Fauentinus *in* 1. *d.*60. Ex Thomistis Capreolum *in* 1.*d.*38. *quæst.*1.*art.*1. *ad* 2. Conradum 1.2. *quæst.*80. *art.*1. *ad* 3. Sotum *lib.*1. *de natura*, *&* *gra-*

31 *tia*, *cap.*16. Denique his adiungit omnes eos, qui propterea absolutas actuum liberorum prædefinitiones negarunt, quod existimarent non posse cum illis cohærere arbitrij libertatem; in quibus speciatim enumerat Catherinum *opusc. de præscientia*, *&* *prouidentia Dei*, *cap vlt.* Cordubam *lib.*2. *quæst.*55. *d.*10. Iulium Sirenum *lib.*8. *de Fato,à cap.*11. *vsque ad* 14. Osorium *l.*9.*de Iust.* quibus addit Armacanum *lib.*12. 16.*&* 18. *quæst. Armen. in multis capitibus*, Franciscum de Chartagena *lib. de Prædest.* Philiarcum *lib. de Prædest.* Turrianum, *opusc. de electione Diuina.* Petrum Aureolum *in oppugnat. assert. Lutheri*, *digress.*3. *de præscientia*, *&* *lib. arb.* Iauellum *opusc. de Prædest.* Sixtum Senensem *lib.*6. *Biblioth. annot.* 248. Ioannem Ron. *de Prædest. quæst.*3.*sect.*5. quos sequitur Tanner. *p.*1.*d.*2. *quæst.*11. *dub.*1. vbi D. Thomam, Caietanum, Sotum, Gabrielem, & alios allegat. Tandem prædeterminationes illæ in omnibus Scholis, & Academiis extra D.Thomæ Scholam ab omnibus reiiciuntur, & exploduntur. Authores longâ tesserâ refert Tannerus *d.*6. *quæst.*2. *dub.*3. & latè insectatur cum Ludouico Dolano *p.*3. *opusc.*

Quoad Seraphicum *in* 2. *d.*37. *quæst.*1. *ad vlt.* 32 concedit, Deum ad opera sola supernaturalia antecedenter, gratiâ præueniente, excitare; intelligit *moraliter*; alioqui, ad omnes actus deberet concurrere præmouendo, vt causa prima, iuxta Thomistarum fundamentum, vt dixi *p.*1. *tract.*1. *d.*16. *quæst.*16.

Addit: *In aliis verò operibus indifferentibus, vel etiam materialiter malis, non est, nisi sola cooperatio Diuinæ virtutis, quæ existens in creatura potentialiter, essentialiter, & præsentialiter, sicut conseruat eam in essendo, sic adiuuat in operando, propter quod conceditur ibi esse cooperatio; non præuentio.* Negat igitur, Deum physicè præmouere non modò ad actus malos; sed neque ad bonos morales. Itaque Deus simul cum agente secundo operatur effectum, non autem in agens secundum agit physicè prædeterminando, vt notat Seraphicus Doctor etiam *ad penult.* Ex quo Suarez, & alij, modum agendi Dei auspicati sunt. Quòd verò præmotiones, quas vocat *excitationes ad supernaturalia* solùm concedat morales, non physicas, patet manifestè. Nam deberent concedi etiam ad quascumque actiones bonas, vel indifferentes physicas, vt concedunt etiam Thomistæ, & tamen eas negat. Id obseruare visus est Suarez, adducens Seraphicum *loc. cit.* tametsi aliqui Thomistæ, relati suprà, effugere conentur. Similiter prædeterminationes physicas ad actus malos entitatiuos negat *ad cap.*12. *Ioan.* ad ea verba: *Non poterant credere.* Idem infert *in* 1. *d.*40. *art.*4. *quæst.*2.

Hanc prædeterminationem reiicit S.Bonau. etiam 33 *in* 1. *d.*40. *art.*2. *quæst.*2. *&* *in Compend. Theol. lib.*1. *cap.* 30. Præcipuè autem prædeterminationes istas confutat S. Bonau. *in cap.*6. *Ioan.* ad ea verba: *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*; Vbi asserit, Deum trahere per reuelationes, & illuminationes, inuitando blanditiis, & minis terrendo. Sic puer trahitur ostensis nucibus; Idem asserit *in* 2.*d.*26. *quæst.*6. vbi vult, gratiam agere non modò cum libero arbitrio, sed etiam in liberum arbitrium; sicut Sol agit cum aëre ad illuminandum, & agit etiam in aërem. Vult autem Deum agere illuminando, docendo, mouereque, ac trahere moraliter, non physicè, vt dixit etiam *Ioan.*6. Idem sensisse Seraphicum ostendi *p.*1. *d.*21. *de Prædest. quæst.*20. Ex quo patet malè Forestum *Tract. de Trin. fol.*596. ex eo loco, *d.*26. atque ex ea similitudine Solis, trahere Seraphicum ad primam sententiam. Alioqui necessitatem operandi è naturalium comparatione in nos induceret. Idem S.D. *serm. Fer.*4. *Pentec.* explicat præmotionem, moraliter inuitando è Turri, fune demisso, eum, qui inter flammas, vel vndas periclitaretur. Idem habet 34 *serm.*4. *Dom.*2. *post Pentec.* ad id: *Compelle intrare.*

Assero primò, Deum non prædeterminare physicè actus liberi arbitrij bonos.

Probatur primò à D. Bonau. *locis adductis*, præcipuè *in cap.*6. *Ioan.* Necessitas antecedens tollit libertatem. Sed prædeterminatio ista physica ponit

K 4 necessitatem

necessitatem antecedentem: Ergo. Maior est D. Anselmi *lib.2. Cur Deus homo, cap.18.* & *opusc. de concord. præscientia, & prædest. cap.1.* Ratio eius est; quia necessitas præcedens est causa rei, vt sit. Ideò non potest non esse, quia posita causa efficaci physica actu, necesse est, vt sequatur effectus actu; è contra verò se habet necessitas consequens.

35 Rispolis *loc. cit. pag. 295.* fatetur, hoc argumento, aliquos è suis concuti; se verò, in eo nullam inuenire difficultatem. Fateor (inquit) optimam esse distinctionem Anselmi, suppositionem antecedentem destruere libertatem: quod tamen subdistinguendum puto, si id videlicet, quod supponitur antecedens, supponatur per modum necessarij, & libertatem destruentis, tunc verum est, non autem si per modum linientis, & confortantis, & dulciter determinantis.

Hæc tamen responsio friuola est; nam necessitas antecedens non est, nisi sit necessaria, ità, vt aliter esse non possit, & hoc modo concedunt prædeterminationem physicam, ita, vt non possit non sequi consensus. Quod verò de liniente ait: Non video quid adimat, vel liniat, de necessitate, illa prædeterminatio, quæ est physica, & talis, vt non possit non sequi effectus, vt notant etiam Suarez, & alij, qui hoc argumento nituntur.

36 Probatur secundò à S.D. è D. Chrysostomo *homil.45. in Ioan.* Si Deus prædeterminat bonos actus pro quibusdam determinatis, vt aiunt isti Doctores; sequitur, eos, qui non eliciunt tales actus, non esse dignos reprehensione, quia non habent illam prædeterminationem necessariam ad eos eliciendos; è contra verò eadem ratione sequitur, eos, quibus præparata est talis determinatio, non egere exhortationibus, incitamentis, spe præmiorum, aut terrore pœnarum: nam isti non possunt non elicere tales actus, supposita prædeterminatione Dei Physica.

37 Probatur tertiò à S. D. *loc. cit.* Quia sequeretur, hos actus esse violentos. Probatur sequela. Violentum est illud, cuius principium est extrà, non conferente vim passo; sed principium horum actuum in eo instanti prædeterminationis est extrà à Deo prædeterminante; voluntate non conferente, & sæpe reluctante è praua inclinatione: Ergo. Aut saltem sequitur, non esse actiones voluntatis, modo connaturali productas. Probatur seq. quia modus naturalis voluntatis est liberè agere. Agens autem liberum ab omnibus definitur, Quod positis omnibus requisitis potest agere, & non agere: at supposita hac prædeterminatione physica, non potest voluntas non agere: Ergo. Minor probatur: Quia si talis prædeterminatio ad actionem est requisita necessariò, vt ipsi dicunt: Ergo est vnum è requisitis ad agendum; hac verò positâ non potest voluntas non agere: Ergo. Confirmatur; Quia causa libera non est, nisi priusquam agat, sit intrinsecè indifferens ad vtrumlibet. Præterea de ratione causæ liberæ est, vt seipsam determinet ad agendum; in hoc enim differt à naturali, & necessaria; at prædeterminatio Dei physicâ tollit istam facultatem se determinandi: Ergo.

38 Respondent aduersarij primò, illam prædeterminationem non lædere arbitrium, quia suauiter operatur, quippe à Diuina prouidentia est attemperata modo agendi causæ liberæ.

Hæc tamen responsio inanis est; non enim video, quo pacto tollatur ab hac suauitate necessitas; cùm posita prædeterminatione, non possit non sequi effectus.

Respondent secundò, eam necessitatem, quæ sequitur è Diuina præmotione solùm esse conditionatam, & hypotheticam, adeòque in sensu composito; non verò absolutam, & in sensu diuiso; seu esse necessitatem consequentiæ, non consequentis; eò quòd sequatur ex conditione illius præuiæ determinationis.

Hæc tamen responsio mihi semper visa est inanis; 39
quia sensus compositus est, quo cum determinatione compositum est liberum arbitrium, vtroque agente; at necessitas hæc prouenit ex illa physica prædeterminatione, vtique priori ipsa coniunctione eum libero arbitrio agente, ideò enim est prædeterminatio. In illo igitur priori, cùm illa prædeterminatio sola sit, nihil adhuc agente, vel agere valente libero arbitrio, sensus est diuisus, & in eo tunc liberum arbitrium remanet cum suo sequenti concursu determinatum, vt non valeat dissentire; at libertas debet esse pro eo instanti, quo liberum arbitrium est in actu primo ad agendum. Secundò, Concilium Trident. ait *sess.6. cap.5.* liberum arbitrium verè agere, & posse dissentire gratiæ efficaci. De hoc enim erat controuersia cum Lutheranis: An gratia efficaci mouente, liberum arbitrium posset eam recusare. Idem habet Concilium Senonense *decreto 15.* Vult igitur Concilium Trident. posse in sensu composito veram esse hanc propositionem hypotheticam. *Liberum arbitrium mouetur à gratia efficaci, & illud huic possibile est dissentire*, alioqui nihil concluderet contra hæreticos, qui 40
non ex diuisione totali arbitrij à gratia, sed ex motione gratiæ arguebant necessitatem consensus, & libertatis perditionem. Sensus compositus componitur è duabus Cathegoricis constituentibus vnam hypotheticam, vt habet Aristoteles *1. Perhierm.* à quo hic modus dicendi ortus est. Dat Aristoteles exemplum: *Bellum nauale cras erit, vel non erit.* Hæc propositio necessaria, est hypothetica; ex eo enim quòd duo contradictoria nequeunt esse simul; & vnumquodque aut est, aut non est; sequitur veritas illius hypotheticæ. Igitur Concilium Trident. vult, duas illas Cathegoricas: *Liberum arbitrium mouetur*: & *Liberum arbitrium potest mouenti resistere.* Facere vnam hypotheticam, quæ est: Possibile est, motum à gratia efficaci ei dissentire in sensu composito, vt sic error Lutheranorum retundatur: at isti Doctores faciunt necessarium consensum in sensu composito, contra Concilium, & etiam in sensu diuiso, vt suprà ostendi. Neque satisfaciunt; eò quòd Deum sapientissimum Motorem instituunt; nam si adimit libertatem, non video, qua ratione sapientissimè eam conseruet. Fateor verum sensum compositum cum esse, cùm etiam liberum arbitrium agit, vt dicam.

Neque verò minùs falluntur authores isti in suo 41
fundamento, putantes, hanc prædeterminationem esse necessariam, vt causa prima moueat secundam, siue vt actiuitas causæ secundæ in actu primo per eam compleatur, & perficiatur; siue quia omnis virtus operatiua creata, est actus admixtus potentiæ, siue vt ad actum secundum determinetur, & applicetur; & ipsa determinatio, cum sit à prima causa, requirit aliam priorem actionem ipsius Dei, applicantis causam secundam, vt operetur.

Hæc verò valdè friuola sunt, vt latè ostendunt Suarez, Tanner. aliique adducti. Causa enim secunda, vt supponimus, vel est causa principalis, vim sufficientem habens (fateor à Deo) ad suam operationem, vt est ignis respectu calefactionis, seu ignitionis; vel est ipsa vis causæ secundæ principalis, ad hanc determinata actionem, vt est calor ad calefactionem; vnde ad eius vim actiuam complendam non est necessaria præmotio. Quod si causa secunda sit instrumentalis, quæ producit effectum supra vires suæ actiuitatis; vt quando calor producit ignem; tunc

tunc quidem, fateor, necesse foret vim eius agendi suppleri à causa principali, & influxu Dei simultaneo.

42 QVOAD secundùm, omnis causa naturalis est determinata; vel si est libera, potest seipsam determinare, nec habet opus aliquo extrinseco prædeterminante.

43 QVOAD tertium; actio, seu influxus, adeóque determinatio causæ secundæ est quidem à Deo, & latè loquendo est quasi effectus Dei, sed non per aliam priorem actionem Dei transeuntem, ne detur processus in infinitum, sed per seipsam; sicut etiam seipsa, non per aliam actionem pendet à causa secunda. Neque verò etiam reipsa est alia actio, seu influxus Dei, & alia causæ secundæ, sed vna, & indiuisibilis actio vtrumque respiciens, & ab vtroque dependens, quæ, qua ratione à Deo pendet, dicitur Dei concursus; vt verò pendet etiam à causa secunda, dicitur concursus causæ secundæ.

ASSERO secundò, huiusmodi prædeterminationem physicam in actionibus peccaminosis esse impossibilem.

44 PROBATVR primò à D.Bonau. *in 2. d.37. quæst.1.* præcipuè *argumento vlt. ad opp. addito responso.* Si Deus prædeterminaret, & excitaret physicè ad actionem prauam materialem peccati, ex qua necessariò sequitur peccatum; puta ad blasphemiam; sequeretur, Deum esse authorem peccati, & ad peccatum impellere. Sed hoc est hæreticum: Ergo. Probatur sequela à S. D. Quia si fur ad actionem illam furti, & adulter ad adulterium, & blasphemus ad blasphemiam prædeterminatur; iam non potest ex vi illius applicationis non sequi horum actuum malitia. Si ergo Deus est ibi primum, & principale præmouens ad illam actionem, iam erit causa peccati. Minor probatur è Scriptura, Eccl 15. v.12. *Ne dicas: Ille me implanauit: non enim necessarij sunt ei homines impij.* Iacobi epist. Cath. cap.1. v.13. *Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur.* Et Matth.6. *Orate. Ne nos inducas in tentationem.* Est argumentum D.August. *lib.1. de ordine, cap.1.* & *lib. de articulis sibi falsò impositis, cap.10.* & Eusebij *lib. de prepar. Euangelica, cap 5.*

DEINDE est contra Concilium Arausic. 2. *can.13.* vbi ait: *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet.* Et Concilium Trident. *sess.6. can.6.* definit: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere; sed mala opera, ita vt bona Deum operari, non permissiuè solùm, sed etiam propriè, & per se, adeo vt sit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli; Anathema sit.* Certissimum est autem, non fore in potestate hominum vias suas facere malas, si physicè prædeterminantur ad actionem, quæ necessariò habet coniunctum peccatum, puta si ad blasphemiam Os prædeterminetur, & ad odium Dei Cor; nam ex vi actionis, sequitur hæc determinari ad culpam.

45 RESPONDET Aluarez, malitiam non sequi ex vi illius actionis, vt est actio à Deo, sed vt est defectus à libero arbitrio; & ideò non esse imputandum Deo peccatum, sicuti D.August. *lib.3.cont. Iulianum, cap.8.* ostendit, non esse imputandum Deo peccatum paruulorum; eò quòd creet animam nostram in corpore illo, infecto de semine Adæ; quia illa infectio non sequitur ex vi creationis; sed ex vi peccati primi parentis, qui massam totam conspurcauit.

46 VERVM hæc responsio, & comparatio non est ad rem; infectio enim illa est priùs in carne Adamica, ita vt actio Dei creantis sit bona per se, ex qua non sequitur naturâ suâ culpa consequenter, quia finem habet, non inficiendi illam, sed producendi ad beatitudinem; at verò Actio illa, prvt prædeterminatur à Deo, & habet adiunctam necessariò malitiam, esset primò à Deo, qui primus inuentor, & impulsor esset in illud peccatum. Nullus enim magis est complex, criminis, quàm qui impellit, & prædeterminat peccantem; ita vt ex vi illius actionis aliter fieri non possit. At exemplum de paruulis longè diuersum est, vt rectè aduertit S.Bonau. *in 2. d.32. art.3. quæst.1.* Nam, cùm Deus ab initio pactum inierit creandi animam in quocumque corpore organico, genito è stirpe Adæ, eique dare iustitiam, si Adam stetisset, & eandem negare filiis, labente Patre; non est in culpa Deus, si infundit iam animam in corpus maculosum, atque necessitas illa labendi in Originale, non inest puero à natura; sed quia in voluntate Adæ intrusit puer se in illam necessitatem; ac proinde Deus ab illo exigit iustitiam, quàm deberet habere, non quam habere non potest. Deus itaque cùm non 47
sit prima causa impellens in labem illam, non est culpandus; benè tamen culpandus esset, si primò impelleret in actionem illam, quæ cum peccato actuali vnita est. Et de hoc verum erit dictum D.Augustini. *Reum teneri quempiam, quia non facit, quod facere non potest; summæ iniquitatis, & insaniæ est.* Itaque homo non erit reus, si à Deo prædeterminetur ad hæc verba: *Non est Deus*, vel ad odium Dei. Ideò responsio Aluarez est inanis.

PROBATVR secundò à S. D. *in 1. d.40. quæst. vlt.* Si Deus prædeterminet positiuè ad actionem malam, sequitur, eum positiuè operari indurationem, & obstinationem peccatoris. Sed hoc est contra sententiam Sanctorum PP. Ergo. Probatur sequela. Quia præ- 48
determinando V.g. ad actionem illam, quæ est resistentia veritatis agnitæ, determinatur ad illam culpam, quæ meretur subtractionem gratiæ. Minor probatur à D.Bonau. è D.August. *ad cap.1. Ioan.* & *lib. de predest. & gratia, cap.34.* & *lib.1. ad simpl. quæst.2.* & *lib.10. de ciuit. Dei cap.29.* & *tract.13. in Ioan.* Anselmo *lib. de concord. prædest. & lib. arb.* Euthymio *in Psal.78.* Chrysostomo *homil.6. in Ioan.* Hieronymo *quæst.10.* ad Edibiam. Damasceno *lib.4. de fide, cap.20.*

RESPONDET Aluarez, Deum indurare positiuè indirectè, quia tanquam iustus iudex, ministerio Diaboli ad puniendos reprobos pœnâ excommunicationis, vtitur, Psal.77. *Immissiones per Angelos malos.* Secundò occasionaliter, vt habetur Rom.12. *Ad æmulationem vos adducam in non gentem.* Enim verò non est ad rem responsio ista, quia non ob id positiuè influit obdurando, determinando ad impœnitentiam peccatores.

PROBATVR tertiò ab eodem Seraphico *ad cap.6. Ioan.* ad ea verba: *Nemo venit ad me, &c.* Si Deus 49
prædeterminaret hominem ad actiones malas, iam homo esset excusatus, nec dignus reprehensione. Probatur seq. Quia non essent actiones illæ homini liberæ; de ratione autem actionis laudabilis, vel vituperabilis, est, vt sit libera, vt docet Aristoteles *3. Eth. cap.1.* & D. Nyssenus *lib.5. Phil. cap.1.*

ASSERO tertiò, Hominem non prædeterminari 50
physicè à gratia ad opera supernaturalia.

PROBATVR validè à D. Bonau. *loc. cit. ad cap.6. Ioan.* Primò, quia, Nemo potest venire, per ipsos aduersarios, ad Deum, absque illa tractione, & prædeterminatione. Sed hæc non datur omnibus: Ergo non datur omnibus id, quod est necessarium, & sufficiens ad salutem, & ità adimitur gratia sufficiens omnibus, qui carent gratia efficaci. Sed hoc aduersatur fidei: Ergo. Minor probatur à D.Bonau. ex illo Sap.12.

Sap. 12. vers. 11. *Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti? Non enim est alius Deus quàm tu, cui cura est de omnibus.* Vide Seraphicum *loc. cit. ad librum Sap.* Probatur quoque è Concilio Trident. *sess. 6. cap. 13. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ità perficiet operans velle, & perficere.* Et Apostolus *Philip. 8. vers. 6.* idem astruit. Et D. August. *lib. de bono Perseuer. cap. 8.* ait: *Voluntate sua quisque deserit Deum, vt meritò deseratur à Deo. Quis hoc negauerit?* Et D. Prosper *lib. 2. de vocat. gent.* cap. 12. *Certissimè nouerimus, nullum fidelium, à Deo non discedentem, à Deo relinqui.* Idem probat *ibi* S. Bonau. è Prophetis ibi allegatis à Christo: Isa. 54. *Ponam filios tuos doctos à Domino.* Hierem. 31. *Omnes enim cognoscent me à minimo vsque ad maximum.*

Respondent, omnes habere gratiam sufficientem; eò quòd ad hanc non requiritur, vt conferatur formaliter *posse*, sed satis est, quòd terminetur ad *posse*, veluti ad terminum.

51 Hæc tamen inania sunt: Omnis enim facultas sufficiens in quouis genere debet conferre ipsum *posse*, nec aliud est gratia sufficiens, quàm facultas gratuita ad benè operandum, vt ait Suarez *lib. 3. de Aux. cap. 6. num. 5.* Mascarenas *de Aux. d. 1. p. 6. num. 14.* Tanner. *num. 49.* qui hanc rationem vrgent.

Similiter inane est, quod respondent, gratiam sufficientem dare *posse operari*; non autem *operari*. Nam potentia ad actum ordinatur. Adde solam efficacem dare *posse*, vt habes Ioan. 6. *Nemo potest &c.*

52 Probatvr secundò à D. Bonau. *ibi* argumento validissimo. Si Deus prædeterminatione physica traheret ad actus supernaturales, iam temeraretur libertas; sed hoc est absonum dicere: Ergo. Probatur sequela, quia prædeterminatio physica non potest suum non habere effectum. Minor probatur ex Concilio Trident. *sess. 6. cap. 5. can. 4.* vbi generaliter definitur. *Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem*, (quam paulo ante excitantem vocauerat,) *posse hominem dissentire*; loquitur autem de gratia efficaci contra hæreticos, qui volebant, per eam liberum arbitrium sua libertate priuari. Loqui autem Concilium *ibi* de gratia efficaci, patet; quia affert loca Scripturæ, quæ efficacem operationem cum nostra libertate astruunt. Zach. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Apoc. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso: si quis aperuerit, intrabo, & cœnabo cum illo.* Et Isa. 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.*

53 Similiter vrget Seraphicus illum locum Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, quod non significat tractionem aliquam physicam prædeterminantem è D. Chrysostomo *homil. 45. in Ioan.* & D. August. *tract. 26. in Ioan.* qui dicunt nos trahi reuelationibus, & illuminationibus, quibus ideò dicitur homo trahi, qui ex lapsu ad inferiora labitur, ac ruit, & necesse habet eleuari; ideò eleuatio dicitur tractio, non sicuti in motu corporali, sed Diuina reuelatione, vel doctrinæ sacræ eruditione, vel præmij promissione, ad eum modum, quo Puer ostensis nucibus allicitur, vel Ouis viridi ramo exhibito attrahitur. Quam doctrinam Concilium Senonense adhibet ad hoc dicens, Decreto 15. *Nec tamen tanta gratiæ necessitas libero præiudicat arbitrio.* Et infrà: *Nec tale sit trahentis Dei adiutorium, cui resisti non possit.* Hic autem loquitur de tractione efficaci) & paulò infrà explicat naturam huius tractio-
54 nis, dicens: *Trahit quidem Deus, sed in eius odorem currimus; non vi, non vnco raptamur.* Ergo posito auxilio efficaci potest homo dissentire. Idem asserit Concilium Trid. *sess. 6. cap. 5.* quæ omnia in D. Bonau. *loc. cit.* clarent. Hoc argumento Seraphici nituntur Tannerus *num. 47.* Suarez, Faber, & alij *locis citatis.*

Respondent aduersarij, Concilia loqui in sensu diuiso, non in sensu composito. Nam in hoc sensu nequit voluntas reclamare ex hypothesi compositionis gratiæ cum libero arbitrio.

Hæc mihi responsio semper visa est inanis; Nam 55
cum gratia, prædeterminatiua physicè, habeat suam ineuitabilem efficaciam, antequàm cum libero arbitrio composita cooperetur, ita vt prædeterminet arbitrium, nec sit in potestate eius, sed anteà præsupponatur efficax; sanè non video, quo fundamento dicatur, in sensu composito habere suam ineuitabilem efficaciam, cùm (*præ*) idest, ante liberi arbitrij operationem iam sit efficax, prædeterminans ipsum arbitrium. Esset sanè sensus compositus, si acciperetur pro eo instanti, quo & liberum arbitrium cum gratiâ compositum operaretur; & ita hypothesi data de illius concursu, iam non posset non concurrere, sicuti in hypotheticis propositionibus apparet veritas, quæ dicitur consequentiæ, vt: *si currit, mouetur.* Quo pacto sumendus est sensus compositus, iuxta 56
regulam authoris eius, Aristotelis 1. *Perhierm.* Quod si sensus compositus sit in sola propositione Conciliorum, sic, Liberum arbitrium, tactum à gratia efficaci, potest dissentire, si sola ponatur actio gratiæ; non, si liberum arbitrium consentiat; Nam sic non potest non consentire, & hic est verus sensus compositus hypotheticus, de quo Aristoteles *loc. cit.* at necessitas, quæ sequitur ex illa prædeterminatione est penitus antecedens, non hypothetica, sed absoluta; nam licèt sequatur ex conditione prædeterminationis, hanc tamen quis non videt, esse conditionem antecedentem, & necessitatem absolutam, iuxta doctrinam D. Anselmi, suprà adducti, *assert. 15.* Ea enim, quæ facit necessitatem consequentiæ, est conditio consequens, qualis est: *Si currit, mouetur.*

Probatvr tertiò à D. Bonau. ibi è Patribus, qui 57
tractiones gratiæ asserunt, non esse prædeterminationes, sed motiones quasdam morales. Ita SS. August. & Chrysost. *loc. cit.* Bernard. *serm. 22. in Cant.* Gregor. *in Ezech. lib. 1. homil. 8.* & *in Euang. homil. 33.* & *lib. 34. Moral. cap. 2.* D. August. *tract. 2. in Ioan.*

Idem habent S. Clemens P. *epist. 3.* D. Hieron. *ad 49. Isa.* D. August. *lib. 1. ad Simpl. quæst. 2.* Et *de spir. & litt. cap. 33. & 34.* Prosper *lib. de Vocat. gent. cap. 9.* aliàs 26. Nazianz. *orat. 31.* & alij adducti à Suar. *lib. 3. cap. 9.*

Dari tamen aliquas gratias moraliter determinan- 58
tes, ita vt moraliter infallibiliter trahant, docet D. Bonau. *p. 1. Breuil. cap. vlt.* & *lib. 1. Compend. Theol. cap. 3.* vbi id probat, authoritate D. August. *lib. de prædest. Sanct. cap. 8.* vbi ait: *Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus Diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur*, vt infert etiam Valentia *disp. 8. quæst. 3. p. 4.*

Idem habet *lib. de corrept. & gratia, cap. 8. 11. & 12.* quem locum malè Aluarez adducit ad prædeterminationem physicam astruendam, cùm solam infallibilitatem è morali efficacia deducat. Idem tantùm vult S. August. *in lib. de gestis Pelagij*, nouiter inuento; vbi non rectè Aluarez in eo vim facit, quòd D. August. dicat, filios Dei non modò regi gratiâ, sed etiam agi. Hoc enim non est ad mentem D. August. qui *serm. 59. de verbis Apostoli*, se satis explicat dicens. *Quotquot spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Dicit mihi aliquis: Ergo agimur, non agimus? Respondeo.*

pondeo. Imò & agis, & ageris; & tamen benè agis, si a bono agaris. Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adiutor est; vt refert Valentia *d.*8. *quaest.*3. *p.*4. §.2. post folium.

59 Loca Scripturarum, quæ, contra secundum assertum ad probandum, Deum prædeterminare ad opera praua, iam satis soluta sunt *p.*1. *tract.*1. *disp.*16. *de Volunt. Dei*, *quaest* 6. intelligi autem debent permissiuè, vt docent SS. Chrysost. *homil.* 36. *in Matth.* Damascenus *lib.*4. *cap.*10. August. *de gratia*, & *lib. arb. cap.*23. Prosper *ad Capitula Gallorum*, *cap.*11. & 12. Vide Suarez *lib.*2. *cap.*3. His adde Psal.77. *Immissiones per angelos malos*, quo abutitur Bannes.

Respondetur enim hæc significare, Deum permittere diabolo potestatem ad tentandum, vt habet Glossa, & notat S. Bonau. *in* 2. *dist.*28. *art.*2. *quaest.*2. *in corpore.*

Loca verò, quæ videntur asserere, Deum mutare physicè corda. *Genes.*43. *Esther.* 15. loquuntur de motione morali, vt notat D. Bonau. *loc. cit.* Vide Suarez, & alios.

Similiter intellige loca D. August. vbi dicit, Deum facere, vt velimus, vt dixi *quaest.*2.

Dubitatio II.

An efficacia Diuinæ gratiæ sit aliquid additum sufficienti; & quid illud sit.

60 Qui gratiæ prædeterminationes physicas insectantur, & persequuntur; inter se etiam diuisi, in varias abiere sententias. Et quidem omnes ferè Societatis Iesu asserunt, gratiam efficacem addere nouum beneficium suprà sufficientem: sic autem ex præcepto P.Claudij Aquauiuæ, Præpositi Generalis, anno 1613. opinione oppositâ improbatâ,coacti sunt docere; cæteri verò plerique huic sententiæ subscribunt: alij verò negant. Referam vtramque classem, quas in varios modos interfectas subdam.

E Prima classe aliqui dicunt, gratiæ efficaciam supra sufficientem addere quandam intrinsecam vim, & efficaciam ex natura suæ entitatis, vt quamuis physicè non cogat; moraliter tamen ei resisti non possit. Eam referunt Suarez *lib.*3. *de Auxil. cap.*10. *num.*5. Mascatenas *disput.*3. *p.*1. *num.*6.

61 Secundo alij dicunt, efficaciam gratiæ positam esse in tali contemperatione, & vt dicam sympathia cum libero arbitro, vt Vocatione positâ, consensus infallibiliter sequatur, etiam abstrahendo ab omni scientia media, aut præscientia Dei. Ita Mascarenas *de Auxil. d.* 3. *p.*4. Et quidem in aliqua entitate ipsius gratiæ physica, addita sufficienti, qua liberum arbitrium ad consensum suauiter trahat, positam esse efficaciam. Ita etiam docet. Valentia *d.* 8. *quaest.*3. *p.*4. §.2. eam verò, omnibus vocatis, & excitatis vtpotè necessariam, in aliquo dono dicunt consistere, quod homo iam præuentus à gratia vocante, & excitante, possit cum auxilio Dei consequi per pium vsum sui liberi arbitrij, ità vt defectus sit hominis, si ea gratiâ careat: Hac verò positâ aiunt, non posse hominem non conuerti, tametsi liberè conuertatur absolutè; nam ea cum libero arbitrio est conuersio ad Deum. Et hic est tertius modus, statuens nouum gradum physicum additum.

62 Quarto, alij efficaciam gratiæ in eo ponunt, vt habeat vim quandam infallibilem efficiendi consensum, non è sua entitate, sed pro vt subest scientiæ Dei mediæ, qua præuidit hominem, si tali gratia præueniretur, consensurum. Ità Suarez *lib.*3. *de Aux. cap.*6. Bellarm. *lib.*1. *de Gratia*, *cap.*12. Eamque è Societate Iesu Theologos Romæ defendisse testatur Tannerus *disp.*6. *quaest.*2. *num.*95. Et à multis Recentioribus acclamatam ait; Eam verò prædestinatis tota vita esse præparatam, non reprobis, ita vt illis congrua; istis autem incongrua præparetur. Sic & Fuliensis *lib.*4. *cap.*7.

Ex altera classi afferunt, gratiam efficacem nihil addere entitatis, etiam moralis, supra sufficientem, excitantem, & vocantem; sed solo effectu discerni, quatenus à libero arbitrio acceptata habet suum effectum. Itaque per solam actualem efficientiam cooperationis distinguitur, ita vt in potestate hominis sit reddere gratiam efficacem. Ita Molina *in concord. quaest* 14. *d.*38. & *p.*1. *quaest.*23. *d.*1. *membr.*6. Lessius *disp. de Gratia efficaci*, *cap.*10. *num.*9. & *de prædest. sect.*6. *num.*72. Citatur Vasquez *p.*1.*disp.*92. *num.*6.7. & 11. & *d.*99. *cap.*8. *num.*50. Enim verò Tannerus, qui pro hac sententia eum adducit *num.*76. posteà *num.*114 adducit eundem *d.*98. *cap.*7. cum omnibus asserentibus suæ Societatis, Gratiam efficacem moraliter semper addere aliquid supra sufficientem in ratione beneficij; hoc autem, ait, esse congruitatem, vt subest scientiæ Dei mediæ, vt suprà in quarto modo primæ classis; & intentionem efficacem deducendi talem ad beatitudinem. 63

Ex his, aliqui dixère, consensum esse à sola voluntate; gratiam verò ad excitandum tantummodò requiri, qui modus est erroneus, contra Concilium Arausic. *cap.* 9. vbi ait: *Quoties bonum operamur, Deus in nobis, atque nobiscum operatur, vt operemur.* Philip.2. *Deus operatur in nobis velle, & perficere.* Ezech. 18. *Faciam, vt in præceptis meis ambuletis*, &c. 64

Alii dicunt, consensum esse primariò à voluntate; secundariò à gratia. Hic modus videtur aliquid redolere Semipelagianismi. Eum tamen excusat Fauentinus *in* 1. *d.*40. *in tract. de Prædest.* & Vasquez *loc. cit.* quia Semipelagiani ponebant absolutè initium nostræ salutis in nobis; est tamen falsa opinio; quia, cùm talis consensus sit supernaturalis, debet esse præcipuè à principio supernaturali.

Tertius modus est, consensum voluntatis esse à gratia simul, & libero arbitrio, non solùm tempore, sed etiam causalitate; tamen ex parte gratiæ excitantis reprobum aliquando æqualem esse prædestinato; & ità data pari gratia alterum assentiri, altero renuente. Fatentur tamen, dari aliquas ex priuilegio gratias quibusdam insignes, quales datæ sunt Magdalenæ, Saulo, & aliis, non tamen his solis ex prædestinatione præparari efficaces contra Catharinum. Itaque volunt, gratiam vocantem primò excitare voluntatem; hanc verò cum ipsa gratia iam cooperante elicere consensum.Et hoc tantùm aiunt velle Cœlestinum Papam, dum ait: *Nihil nos posse sine gratia.* Hic modus dicendi est Fauentini, desumptus ex parte à Molina *p.*1. maximè *disp.*9. & 10. eumque sibi, & Scoto adscribit, Carpens Molinam, tanquam accedentem ad Semipelagianos. Hic modus videtur D. Thom. *p.*2. *quaest.*111. *art.*3. *ad* 2. vbi gratiam cooperantem, ait, distingui ab operante ex effectu solo. 65 66

Adducit etiam Scotum in Report. *in* 2. *dist.*7. *quaest.*1. & 1. *sent. dist.*17. *in solut. primæ quæstionis*, Seraphicum *in* 4. *dist.*15. *p.*1. *art.*1. *quaest.*5. vbi asserit, gratiam præuenientem esse necessariam ad iustificationem, neque aliam gratiam additam reputat necessariam. Neque verò *in* 2. *dist.*28. præcipuè *quaest.*1. oppositum sentit, vt volunt aliqui; ibi enim solùm vult,

vult, liberum arbitrium non posse se disponere ad gratiam gratum facientem, puris viribus naturalibus; sed egere aliqua gratia, seu dono superaddito naturæ; at non dicit esse gratiam additam præuenienti, vt notat Faber. Ideò *in 4. dist. 16. art. 4. quæst. 1.* docet, ex duobus æqualiter præuentis gratiâ, alterum conuerti: alterum non; quod tamen plurimi etiam primæ classis authores confitentur apud Tannerum *num. 118.* Idem S. Bonau. *in 3. d. 20. quæst. 1. ad 3.* vbi diuersitatem hominis, in cadendo, & non cadendo, adscribit soli arbitrio. Hinc infert, hominem cecidisse, quia voluit, etiamsi adiuuaretur à Deo, & ideò Deum non debuisse eum inuitum præseruare; sed quia post lapsum voluit resurgere, ideò decuit ei manum porrigere. Ità, vt manus ista ad illos se extendat, qui volunt resurgere, non ad eos, qui nolunt. Quid clarius?

68 Id autem fieri à Deo per scientiam mediam, præparantem gratiam, reor; ita tamen, vt nulli antecedenter detur incongrua, vt putant multi Societatis Iesu. Addo, in libertate nostra esse facere eam congruam, vt Vasquez fatetur cum aliis, Deum verò aliquas speciales secretas gratias habere, quibus infallibilem præcognoscit consensum. Et hoc solùm vult S. Bonau. *lib. 1. Compend. Theol. cap. 30.* vbi refert D. August. *lib. de prædest. Sanct. cap. 8.* vbi ait: *Gratia, quæ occultè humanis cordibus attribuitur, à nullo duro corde respuitur: ideò quippè tribuitur, vt duritia cordium auferatur.* Idem vult *p. 1. Breuil. cap. vlt.* Et quidem vult, prædestinatis, è motiuo, dari gratiam infallibiliter operantem; neque negari reprobis congruam, quæ, ex eorum mera malitia, incongrua fit, non autem est antecedenter talis, data à

69 Deo consultò, vt quidam aiunt. Et hoc vult Seraphicus *in 1. d. 47. quæst. 2.* vbi quærit: Quare Deus non vult omnes iustificare? Et respondet, *ob iustitiæ suæ ostensionem.* Hinc sequitur, eos non iustificari, quia ipsi nolunt; alioqui non essent actus iustitiæ, eos non iustificare; sed voluntatis, & secretæ sapientiæ; ex quo sequitur, Deum omnibus auxilia efficacia præparasse, quæ quidem ad salutem necessaria sunt, vt dicam cum D. Bonau. *in 1. dist. 46. quæst. 1. in corpore*, & *dist. 40. art. 4. quæst. 2.* vbi id declarat exemplo cæci, Solem non intuentis, non ex defectu Solis. Sic enim & Deus est LVX, in tenebris lucens, *Ioan. 1.* illuminans omnem hominem. Eam verò, quæ est efficax, omnibus dari, asserit D. Bonau. *in 1. dist. 46.*

70 *quæst. 1.* vbi exponit eam propositionem. *Deus vult omnes homines saluos fieri*, & ait, expositiones D. August. esse bonas; inter has, D. August. *lib. de corrept. & gratia, cap. 10.* ait: *Deus facit, vt velint omnes salui fieri*, & dicit bonam esse expositionem; si igitur facit, vt velint: Ergo ex parte sua Deus omnibus dat efficaciter velle; nam verbum *facit*, de gratia efficaci, in D. Augustini phrasi, sonat. Sic *lib. de gratia, & lib. arb. cap. 16.* vbi ait: *Certum est, nos velle cùm volumus; sed ille facit, vt velimus bonum.* Et infrà. *Certum est, nos facere cùm facimus; sed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficacissimas.* Idem habetur, *cap. 17.* & *lib. 1. ad Simpl. quæst. 2. ante medium*, quem modum dicendi colligit ex illo Philip. 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle, &c.*

71 Idem penitus docet *ad cap. 6. Ioan.* sæpiùs adductum, *dubio præced.* & *in 1. dist. 47. quæst. 1. & 2.* vt infrà dicam, & *ad 7. Ecclesiastæ*, vbi ait: *Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit*, vbi dicit: *Vnde quamuis non possit aliquis surgere, nisi Deus porrigat manum, tamen non excitatur; quia culpa sua est. Vnde August. dicit, quòd nemo corripitur, nisi volens.*

Assero primò, gratiam efficacem non esse nouam gratiam super sufficientem; nec verò dari solis electis.

Probatvr primò à D. Bonauent. omnibus locis Scripturæ, quibus Deus protestatur, se omnem illuminare, & vocare, vt habet S. Doct. ad illud Ioan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ideò notat ex Chrysostomo *homil. 7. in Ioan* eos, qui non illuminantur, esse in culpa, quia oculos claudunt. Et quamuis D. August. *lib. de prædest. Sanct. cap. 8.* hanc propositionem accipiat *pro generibus singulorum*, non *pro singulis generum*, quia illuminat omnes, qui illuminantur; sicuti etiam dicitur: Magister docet omnes pueros huius Villæ, non quia omnes doceantur; sed quia nullus ab alio docetur; quod idem docet etiam *in Enchir. cap. 103.* tamen, *tract. 1. in Ioan.* ait, aliquos non illuminari, quia corda eorum grauantur; & dat exemplum de cæco, vel claudente oculos, qui non ex defectu Solis non videt, sed ex propriæ voluntatis, vel naturæ vitio. Quo exemplo idem probat S. Bonauent. *in 1. d. 40. quæst. vlt. arg. penult.* Ex eodem D. August. ad ea verba Ioan. *Lux in tenebris lucet.* Itaque cum ad actiuum respondeat passiuum. Si Deus omnes illuminat, idest, omnibus dat gratiam, qua fiant filij lucis, & non omnes illuminantur, defectus est, quia ipsi nolunt; non defectus gratiæ efficacis, quæ dat ipsis posse velle efficaciter. 72 73

Idem obseruat *in Commentario ad sapientiam* ad ea verba Sapientiæ. *Misereris omnium Domine, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*; misericordia autem est gratia efficax, vt docent D. August. *lib. 1. ad Simpl. quæst. 2.* & Vasquez *p. 1. d. 98. cap. 4.* Hæc igitur omnibus datur. 74

Ezech. 33. *Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat.* Matth. 11. *Venite ad me omnes.* Apoc. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso: si quis aperuerit, intrabo, &c.* Prima Tim. *Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Vbi D. August. *lib. de corrept. & gratia, cap. 10.* *Vult, idest, facit vt velint.* Hæc verò phrasis D. August. est de gratia efficaci, vt suprà ostendi. Et reddit rationem. *Vnus est mediator Dei, & hominum, Christus Iesus.* Quasi dicat; sicuti omnes redemit peccatores; ita post præuisa omnia peccata, quorum Christus est Redemptor, vult adhuc ex parte sua eorum salutem. Hinc arguitur: Qui vult aliquid, vult etiam media necessaria ad illud: Sed Deus omnibus peccatoribus præuisis vult salutem: Ergo & media necessaria; tale autem medium est gratia efficax: Ergo. Hoc saltem de voluntate antecedente asserendum ait D. Bonau. cum Damasc. 2. *de fide, cap. 29.*

Respondent aduersarij, homines illo auxilio posse saluari, sed non saluandos. 75

Contra. Si possunt illo saluari: Ergo ex parte illius auxilij nihil efficaciæ deest; quod si illud sufficit: Ergo omne aliud efficax distinctum superfluit; si verò non sufficit, & aliud efficax negatur; Ergo negatur omne auxilium sufficiens; imò & illud primum falsò dicitur sufficiens; & sic vocibus illudimus res Diuinas. Audi D. August. de vera, & falsa pœnit. cap. 7. *Præsto semper est gratia, quæ nunquam deficit, nisi priùs expulsa, continuè, & necessariò quod suum inspirat, si est qui recipiat. Idcircò nostra culpa est, quia fugimus gratiam, quam possumus habere perpetuam, semper inuita recedit, & nunquam aliquem spontanea deserit.* Et *serm. 89. de tempore*, ad ea verba: *Indurauit cor Pharaonis. Primò hoc fideliter, & firmiter credat dilectio vestra, quia nunquam priùs deserit hominem, priusquam ab homine deseratur.* Et adducit pro ratione illud Ezech. 18., & 33. *Viuo ego: Nolo*

Nolo mortem peccatoris, *&c.* Idem habet Concilium Trident. *sess.6.* Hinc sequitur, Deum expectare peccatorem, non quidem vt incipiat (absit,) sed vt gratiæ præuenienti consentiat, quam gratiam congruam esse oportet; alioqui Deus fingeret se expectare, quod non haberet sufficientem causam, vt esset.

76 PROBATVR secundò ex omnibus Scripturis, quæ nobis præcipiunt obseruantiam Diuinæ legis, quæ promittunt præmia obseruantibus; & minantur pœnas transgressoribus æternas. E quibus S. Bonau. *opusc. in decem præcepta*, *serm.*1. deducit validissimum argumentum, sumptum ex Isa. 48. *Ego Dominus docens te vtilia*, *gubernans te in via*, *qua ambulas. Vtinam attendisses mandata mea: facta fuisset*, *sicut flumen, pax tua.* Quo argumento vtitur quoque D. August. *lib. de natura*, *& gratia*, *cap.*43. Argumentum autem est hoc: Deus præcipit in Scripturis multa. *Exod.*20. & *Deuter.*10. Et *in Euang. Matth.* 19. *Ioan.*14. *Iacobi* 2. & aliis locis. Ergo vel dedit auxilia necessaria ad eorum obseruantiam, vel præcepit impossibilia. Quòd præceperit impossibilia absit.

77 Deuter. 30. *Mandatum*, *quod præcipio*, *tibi hodie non supra te est*, *nec procul positum.* Idem definit Concilium Trident. sess.6. cap.11. *Nemo temeraria illa*, *& à Patribus sub anathemate prohibita voce vtatur*, *Dei præcepta homini iustificato esse ad obseruandum impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet*, *sed iubendo monet*, *& facere quod possis*, *& petere quod non possis*, *& adiuuat*, *vt possis.* Tunc sic: Sed ad obseruantiam mandatorum omnium Dei necessaria est gratia efficax, vt concedunt Suarez, Vasquez & alij: Ergo eam dedit omnibus.

78 RESPONDEBVNT, dare gratiam omnibus; incongruam quidem reprobis; non antecedenter, sed supposito eorum præuiso negando consensu.

HÆC sanè nunquam percepi. Si Deus antecedenter vult omnes saluos: Ergo vel illudit, vel dat gratiam congruam; alioqui erit Deus improuidus, Pater impius, medicus præparans remedia incongrua, & iniustus iudex damnans eos, qui talibus mediis incongruis non sunt sanati; Non potest esse, vt velit omnibus salutis finem; & in mediis ad eam consequendam adeo discrepet.

PROBATVR tertiò à D. Bonau. *ad cap.*1. *Ioan.* ex illo: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, *&c.* Quod sic explicat D. August. *tract.*53. *in Ioan.* datam esse potestatem, vt fiamus filij Dei, per auxilium Dei efficax. Ideò & 2. *Petri* 1. dicitur: *Satagite*, *vt per bona opera certam vestram vocationem faciatis.*

79 PROBATVR quartò à D Bonau. *ad cap.*16. *Ioan.* Si tractio Dei; de qua etiam *Ioan.*6. dicitur: *Nemo venit ad me*, *nisi Pater*, *qui misit me*, *traxerit eum*, idest, per gratiam efficacem, esset seruata solùm aliquibus, non omnibus exhibita; sequeretur reprobos esse excusandos, si non veniunt ad Deum; quia si Pater traxisset eos, venissent: Ergo non sunt rei, nec peccatores. Ergo iniustè damnantur, cùm, non tracti, non possint venire.

80 PROBATVR quintò à S.Doct. *ibi* ratione D.Chrysostomi *homil.* 45. *in Ioan.* Nam Christus allegans prophetas ibi ait: *Est scriptum in Prophetis. Et erunt omnes docibiles Dei.* Nam *Isa.*54. dicitur: *Ponam filios tuos doctos à Domino.* Et Hier.31. *Omnes cognoscent me à maiore vsque ad minorem.* Hæc autem subdit illis verbis: *Nemo venit ad me*, *nisi qui misit me*, *Pater traxerit eum*, vbi ostendit, omnes ex parte Dei trahendos per fidem, & gratiam.

81 PROBATVR sextò à S. Doct. *ibi* ex D. Chrysostomo. Si Pater trahit: Ergo nobis nihil imponitur faciendum. Ergo poterit dicere vnusquisque: si prædestinatus sum, trahar: Nam mihi efficacia auxilia sunt præparata. Non est cur quidquam operer. Imò possum dissolutè viuere; nam efficacia auxilia mihi sunt certa, quibus infallibiliter trahar ad Deum. Si præscitus sum: Actum est; & sic Deus erit prima causa perditionis; eò quòd antecedenter paret auxilia incongrua.

PROBATVR septimò. Omnes possunt facere vias suas bonas. Nam *Ioan.*1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, vt notat D. Bonau. *Ioan.*1. Et Concilium Trident. *sess.6. cap.*13. ait, De hoc firmam in Deo spem habendam, &c. ideò potest vnusquisque vocationem suam facere congruam. 82

RESPONDET Vasquez *disp.* 98. *cap.*8. posse simpliciter, & antecedenter, non autem supposita scientia Dei, qua præuidit, eum non assensurum; alioqui esset facere, vt futurum, in quantum futurum, non sit futurum.

CONTRA. Si antecedenter, vt coniungitur cum libero arbitrio potest vocatio fieri congrua à nobis: Ergo est efficax è consensu. Quod si antecedenter datur incongrua; eò quòd videtur talis futura, iam Deus subdolè ageret præcipiens reprobis, promittens vitam æternam, dans confidentiam dicens, se velle eos saluare. Sepeliantur ergo Diuinæ misericordiæ 83
laudes. Sic posset dici illud Exod.32. *Callidè eduxit nos*, *vt interficeret.* Dicere enim, posse illâ gratiâ conuerti, est etiam fictio, cùm nullus vnquam incongruo remedio sit curatus.

PROBATVR octauò ex aliis locis D. August.12. *de ciu. cap.*6. Quærens ibi: Cur è duobus videntibus mulierem alter consentiat; alter non: relictis cæteris rationibus, Respondet: *Quid aliud apparet*, *nisi vnum voluisse*; *alterum noluisse à castitate deficere?* Et *lib. de prædest.* & *gratia*, *cap.*15. confert Pharaonem cum Nabuchodonosor, dicens: *Quantùm ad naturam*, *ambo homines erant*; *quantùm ad conditionem*, *ambo Reges*; *quantùm ad causam*, *ambo captiuum populum Dei possidentes*, *quantùm ad pœnam*, *ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diuersos? nisi quòd vnus monitum Dei sentiens*, *in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit*; *alter libero contra misericordiosissimam Dei veritatem pugnauit arbitrio?* Vbi soli libero arbitrio diuersitatem assignat. Et tract.26. in Ioan. *Quare hunc trahat*, *illum non trahat*, *noli velle iudicare*, *si non vis errare. Simul accipe*, *& intellige: Non traheris*, *ora vt traharis*; Quæ vltima verba omittunt aduersarij, adducentes pro se D.August. qui dicit nos trahi illuminationibus, reuelationibus, pollicitationibus, sicut trahitur puer, nucibus ostensis, idest morali tractione.

ASSERO secundò, gratiæ efficaciam non consistere in illa entitatiua vi eius contra primum modum primæ classis. 84

PROBATVR primò: quia eadem entitatiua vocatione vnus trahitur, alius non; vt prædicatione eadem Petri *Act.*2. vel Pauli *Act.*13. Antiochiæ; vel Athenis *Act.*17. aliqui conuersi sunt; alij non. Ergo non venit ex entitatiua ratione vocationis. Vide Tannerum *à num.*58.

ASSERO tertiò, non consistere in Sympathia gratiæ cum voluntate, contra secundum modum.

PROBATVR. Nam stante summa conuenientia obiecti, sæpè voluntas renuit. Vide Tannerum *à num.*64. 85
Modus verò communis PP. Iesuitarum, iam confutatus iacet.

OBICIES primò Ioan.6. *Nemo venit ad me*, *nisi Pater*, *qui misit me*, *traxerit eum.* Ergo, qui veniunt

veniunt ad Christum, speciali auxilio trahuntur. Sic intelligitur à D. August. *tract. 26. in Ioan.* & *lib. contra duas epistolas Pelagianorum*, *cap. 3.* Confirmatur: Nam ibi Christus reprehendit Pharisæos, quòd non crederent in ipsum; sed murmurarent. Tunc sic: Ergo habebant auxilium sufficiens; alioqui non essent culpandi; & tamen caruere illa speciali tractione, quam statim dicit, esse necessariam ad ipsum venientibus.

RESPONDET Molina *hic*, eum loqui de fide in Christum, quæ non omnibus erat danda expressè, neque hoc erat ex defectu gratiæ; Nam ait: *Erunt omnes docibiles*, seu *docti à Deo.*

86 RESPONDETVR secundò solùm indicari, contra superbos Pharisæos, necessarium esse donum Dei, vt aliquis veniat ad Christum. Ideò *lib. contra duas epistolas Pelagianorum* S. August. id exponens, solùm arguit eos, probans, quòd non trahitur voluntas vi (vt volebant ipsi) sed mitis modis suauibus; non tamen indicat hos modos esse specialia auxilia. Ad confirmationem respondetur, quòd retundit eorum superbiam, qui fidebant in sua scientia, præsumentes penetrare altissimum Eucharistiæ Mysterium, de quo ibi agebat, ideò adducit fidem: *Et erunt docibiles*, seu *docti à Deo.* Imò retorqueo argumentum. Vos dicitis, quod gratia sufficiens dat posse; sed de ea loquitur dicens: *Nemo potest venire ad me, nisi, &c.* Ergo ea, de qua loquitur, non est aliqua specialis efficax. Secundò, si illi Iudæi non habebant illam specialem gratiam efficacem necessariam, profectò erant excusandi, & immeritò reprehenduntur à Christo; sed hoc non est dicendum: Ergo. Secundùm aduersarios autem habebant gratiam sufficientem: Ergo hæc non differt ab efficaci secundùm substantiam, sed solum in effectu, quia in illis non habebat suum effectum, ob illorum obstinationem. Vel dic, velle Christum dicere: Quare Pater hunc trahat gratiâ, & illum non trahat ampliori, cùm posset, licèt det ex sua parte efficacem, nolite scrutari.

87 RESPONDETVR tertiò, eum agere contra obstinatos Iudæos, qui vocati murmurabant, præsumentes solum de se; ideò protestatur, non omnes trahi, idest eos, qui obstinati sunt, sed relinqui, vel saltem posse, vt Pharaonem, priuari alia quadam vocatione, qua traherentur, & venirent; sed dari eis ordinariam; qua tamen conuerterentur, si vellent; sed non conuertentur ob eorum peruicaciam.

RESPONDET Faber, Christum velle dicere: Nolite murmurare, quod dixerim: Ego sum panis de cælo, quia ex vobis non potestis id percipere, sed opus est auxilio supernaturali; necessarium tamen est plusquam sufficiens. Sic autem respondere, est in sarculum pedem impingere.

88 OPTIMA est responsio Seraphici ad eum locum, Deum multos modos habere trahendi, reuelationibus, inspirationibus, blanditiis, admonitionibus: Et sanè sine aliqua tractione morali, qualis hic intelligitur, sicut puer, qui nucibus trahitur, nemo venit ad Deum; tamen non omnes, quibus tales escæ proponuntur, veniunt: nam & misit seruos in figura vocare ad nuptias, & non venerunt; habet sanè efficaciores impulsus, & stimulos, vt aduersitates; de quibus dicitur: *Compelle intrare*; *sepiam viam tuam spinis, ait Dominus.* Omnes tamen istæ gratiæ ex se sunt efficaces, licèt aliæ aliis validiores pro Diuinæ prouidentiæ dispositione sapienter adhibitæ. Et hoc auxilium supernaturale est necessarium, non tamen semper habet effectum, quia, licèt ex parte Dei omnes sint docibiles Dei; vt ait Christus; de quibus dicitur: *Illuminat omnem hominem venientem*; 89
attamen multi comprimunt aures, & nolunt audire, & venire. Vnde non ait: omnis, qui trahitur à Patre venit; sed nullus venit, qui gratia supernaturali, sine ad fidem, siue ad iustitiam non trahatur. Venit autem, si dicat: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.*

OBIICIES secundò, Ioan. 10. *Ego cognosco oues meas; & non rapiet eas quisquam de manu mea.* & Rom. 8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*; sic autem gratia peculiari agi intelligendi sunt. Ita videtur S. August. intelligere *tract. 48. in Ioan.* Et Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei!* & Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis.* Si autem saluarentur, quia volunt, non esset Ansa admirationis; esset enim facilis responsio: Saluantur, quia volunt. Confirmatur Rom. 9. *Cui vult, miseretur, & quem vult,* 90
indurat. Ergo illis dat gratiam efficacem: istis non. Vnde S. August. *lib. 1. ad Simpl. quæst. 2.* ait: *Si vellet eorum misereri, posset etiam vocare, quomodo illis aptum esset, vt & mouerentur, & intelligerent, & sequerentur.* Et infrà: *Cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.*

RESPONDET D. Bonau. *ad 1. in Comment.* ad eum locum, Christum cognoscere oues suas, quæ vocem eius audiunt, & ipsum sequuntur imitando, & vitam æternam dare eis præmiando, quia *procedent, qui bona egerunt in resurrectionem vitæ; qui verò mala, in resurrectionem iudicij.* Ioan. 5. & subdit huius probationem: *Et non rapiet eas quisquam de manu mea*, qui scilicet ex motiuo prædestinati semper respondent vocibus meis, vt bonæ oues: Nec possunt rapi à Diabolo, si sic ambulent, quia finaliter in Domino obibunt, quia Perseuerantia est specialis gratia, quæ non omnibus datur, vt docet Concilium Trident. quod tamen de gratia efficaci non asserit idem, nec id sonant verba Euangelij. Ad 91
illud *Rom. 8.* respondetur ex D. Bonau. *in Diæta salut. tit. 10. cap. 6.* quod est *vltimum Diætæ.* Eos esse filios Dei, qui sequuntur Diuinas inspirationes vsque in finem, & hos hæredes fieri Dei. Sed nihil de noua gratia efficaci hîc habetur. Ad locum *Rom. 11.* Suppono, Paulum, & Augustinum institisse ad probandum, gratiam non esse ex meritis, neque cogere arbitrium; ideò repetunt, non esse à nobis, quòd Deus det. Secundò, hos Patres sollicitos quæsiuisse; cur Deus aliquos saluet; alios verò non, cùm etiam pro istis media haberent efficacissima. Iam verò respondet Faber è D. Bonau. *in 1. d. 41. quæst. 2.* Quod si saluarentur eò quòd Deus his dat gratiam efficacem, nihil esset mirandum; nam facilis esset responsio: Saluantur, quia Deus vult, & ideò dat gratias insignes; neque iudicia Dei essent incomprehensibilia, sed voluntaria. Mirum autem est, quòd aliqui saluantur voluntate, & pueri pereunt sine voluntate peccante 92
actualiter; tot damnantur; & ignorantur causæ lapsuum, & finalis inpœnitentiæ, cum tamen habuerint auxilia plurima. Mirabile quoque est; cur Deus ex prædestinatione quibusdam det gratiam maiorem, quàm aliis, vt notat D. Bonau. *p. 1. Breuil. cap. vlt.* & *p. 1. Compend. Theol. cap. 30.* Vbi ideo exclamare ait Apostolum: *O Altitudo &c* Et si quis (ait) obiiciat; eò quòd peccatores respuunt gratiam, ideò damnantur. Respondet, si prædestinati essent, non repellerentur finaliter: Non vult dicere: ideò non repellerentur, quia Deus eos prædestinauit voluntariè absque merito; sed quia prædestinati ex aliquo motiuo congruo, se magis disponunt ad gratiam vsque

vsque in finem, quod sanè motiuum est in nostra potestate.

93 Ad illud *Matth.* 11. respondetur, loqui de quibusdam reuelationibus arcanorum fidei, exhibitis quibusdam humilibus, & negatis tot sapientibus arrogantibus, vt exponit D. August. *serm.* 8. *de verbis Domini.*

Ad alia loca respondetur, Apostolum niti contra superbiam Iudæorum, qui ob originem suam ex Abraham, præsumebant sibi debita dona gratiarum, vt dixi *p.1.disp.21.de Prædest.quæst.12.& disp.22.quæst.3.* Ideò gratiam subsequentem ait, dari solùm veris filiis Abrahæ in Spiritu; & insistit, ne prætendant priuilegiatas gratias, quales Iacob datæ sunt.

Ad D. Augustinum respondetur, eum sumere congruitatem pro accommodatione ipsi libertati contra Pelagianos, & si quibusdam non dat priuilegiatas gratias quibus conuerterentur, eos non posse conqueri; sed satis esse dari eis efficacem ex parte Dei, cui si respondere vellent, iustificarentur.

94 Obicies tertio. *Ipse dat velle, & perficere pro bona voluntate*, Philip. 2.

Respondet D. Bonau. *Opusc. de sex alis Seraphim, cap.* 8. Deum dare velle, &c. docendo, illuminando, iuxta illud Ioan. 14. *Docebit vos omnia, & suggeret, &c.* roborando ad perficiendum, vt ait Apostolus, *Dat velle, &c.* non autem quod modo physico applicet, vel gratiam nouam conferat ab efficaci; de qua dictum est.

Obicies quartò, *Baruch* 3. dicitur: *Non hos elegit Dominus: propterea perierunt.* Et Ioan. 9. dicitur Deus *indurare.* Item Ioan. 6. *Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* At non omnes veniunt: Ergo non instruuntur, seu illuminantur à Deo efficaciter. Et idem Ioan. addit: *Propterea non poterant credere, quia Isaias dixit: Excæcà cor populi huius*, vt habetur *Ioan.* 12.

95 Respondet Faber, loqui de gratiæ plusquam sufficientis defectu, quam non dat omnibus. Sed hic author concedit, ex defectu gratiæ efficacis, illos petiisse, quod non est dandum.

Respondetur ergo, notanda verba Baruch: *Non hos elegit Deus, neque viam disciplinæ inuenerunt: propterea perierunt. Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam.* Igitur Baruch vult, istos esse reprobos, quia disciplinæ viam non quærentes, eam non inuenerunt.

96 Ad illud, *Quod indurat.* Respondet Seraphicus *in 1.d.40. quæst. vlt. ad* 6. Indurationem dicere carentiam gratiæ, & voluntariam ineptitudinem ad eam suscipiendam; non est autem ex parte Dei, qui est liberalissimus, vt induret; sed quia exhibenti gratiam non consentit arbitrium, ideò nihil contra nos.

Ad illud Ioan. *Omnis, qui audiuit, &c.* Respondet Molina è Seraphico ad eum locum, *audire*, mentis esse actum vitalem, & liberum, qui est à nobis: ideò qui audit, id est, qui aures aperit, & vult discere clamans: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, is venit.*

Ad illud de excæcatione. Respondet D. Bonau. ad eum locum *Ioan.* 12. è D. August. *tract.* 53. *in Ioan.* illud (*non poterant*) esse, quia noluerunt, iuxta illud Hierem. 13. *Si potest Æthiops mutare pellem.* Vide Seraphicum ibi præclara dicentem, vbi excæcationem in peccatorem conicit.

Obicies quintò. D. August. *lib. de Prædest. Sanctorum, cap.* 4. ait: *Multi audiunt verba veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt. Volunt ergo isti: nolunt illi: quis hoc ignorat? Sed cum voluntas aliis præparetur: aliis non præparetur, discernendum quid veniat de misericordia, quid de iudicio.* Hunc locum vrget Bannes *p.1. quæst.23. art.3. dub.3.* & ait, illum sculpendum altè in corde.

Faber trepidans, quatuor responsiones affert. 97 Prima est, D. August. loqui de quibusdam obduratis, vt suprà. Secunda, vt licèt omnibus præparetur, tamen effectus eius attribuitur gratiæ præparanti, obstinatio verò soli peccatori. Tertia, hoc non asseri vniuersaliter. Quarta, omnibus quidem præparari; sed quibusdam auxilio plusquam sufficienti.

Seraphicus facilè respondet *in cap.1. Ioan.* ad ea verba: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*; præparationem cordis esse etiam à nobis, dum præuenti gratiâ assentimur, & aperimus cor ad audiendum, & videndum. Lux enim spiritualis manifestat se oculo spirituali, mundanti se à peccatis obcæcantibus, vt ait D. August. *tract.* 1. *in Ioan.* propè finem. *Stultus, & iniquus est absens sapientiæ. Quid ergo faciet iste? Cur mundet, vnde possit videri Deus: Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Attribuitur tamen ista præparatio Dei gratiæ, quæ eleuat ad operationes supernaturales liberum arbitrium infirmum; impræparationem verò nobis adscribit, quia ex parte Dei non stat, quin audiamus, si velimus, dicendo: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Præparationem verò cordis esse etiam à nobis, ait Samuel 1. Reg. 7. *Præparate corda vestra Domino.*

Obicies sextò. D. August. *lib. de correpț. & gratia*, distinguit gratiam sufficientem ab efficaci, quod 98 sufficiens est illa, sine qua non possumus permanere; sed datur alia efficax, vt qui eam habent, permaneant. Et lib. de bono Perseuer. *Quoniam, vt crederent, non erat datum eis; & vnde crederent, negatum est.* Et cap. 8. ait: *Ex duobus itaque paruulis, Originali peccato pariter obstrictis, cur ille assumatur; ille relinquatur, & ex duobus ætate iam grandibus impiis, cur iste vocetur, vt vocantem sequatur; ille autem non vocetur, vel non ita vocetur, vt vocantem sequatur: Inscrutabilia sunt iudicia Dei. Ex duobus autem impiis, cur huic donetur perseuerantia vsque in finem: illi autem non donetur, inscrutabilia sunt iudicia Dei.* Alios similes textus afferunt aduersarij.

Respondet Faber *ad* 1. quod D. August. arguit 99 Semipelagianos dicentes, gratiam Dei requiri solùm, vt conatus nostri arbitrij non sint irriti. At D. August. vult necessariam esse gratiam, etiam vt incipiamus. Verùm non soluit Faber difficultatem.

Cvm autem magna sit in materia gratiæ D. August. authoritas, oportet adnotare cum Molina *disp.12.* 100 scopum D. August. fuisse cogere Pelagium ad fatendum, nostram salutem principaliter venire à gratia: & Semipelagianos ad fatendum, initium salutis esse gratiam, non à nobis, vt ostendit etiam Vasquez *p.1.disp.98.cap.5.& 6.* Ideò gratiæ tribuit effectus, & contra eos nititur probare, quòd manente libertate, adhuc egemus ad opera supernaturalia Diuino auxilio, cùm nostra libertas non sufficiat: ideò reperit, quod si Deus vellet, etiam eorum, qui renuunt, misereri, haberet etiam alios modos præcipuos trahendi suauiter, & liberè; tamen concedit, trahi omnes gratiâ sufficienti, quæ posset fieri efficax, si velint: alioqui iniuriam inferrent Diuinæ misericordiæ; sed semper is, qui conuertitur, ideò conuertetur, quia habet peculiarem gratiam. Quare *loc. cit. de bono perseuer.* ait, datas non esse omnibus priuilegiatas vocationes, Pauli, Matthæi, &c. licèt sit eis data gratia sufficiens, nempe

nempè, quæ fieret efficax, si vellent; ideò hæc priuilegiata auxilia petit Ecclesia, non ordinaria, quæ semper præsto habet: quare non sunt Ecclesiæ inanes orationes, vt inducunt aduersarij.

101 ADVERTE etiam Scripturas, & Paulum, atque Augustinum anxiè proponere: Cur Deus non saluet omnes, cum posset Caino, Esau, Iudæ, &c. insignibus auxiliis succurrere efficaciter. Et hæc est quæstio Apostoli, & Augustini; non verò: An gratia efficax addat aliquid supra sufficientem, quod ad eos non pertinebat. Ideò sæpè eos audies dicentes, *Deum aliorum non misereri; aliorum verò misereri.*

AD locum primum igitur dico, eum loqui de gratia diù permanendi, quæ est perseuerantia, quæ est specialis gratia superaddita; vt habet Concilium Tridentinum, non autem de efficaci ad iustificationem. Idem habet Cælestinus Papa, quem malè contra nos citant.

102 OBIICIES septimò, D. August. accusabatur à Semipelagianis, quia distinguebat gratiam sufficientem, & efficacem, & dicebat, eos solos saluari, qui habent efficacem; vnde ipsi inferebant, viam præcludi omnibus correctionibus, & desperationem induci, quia hi soli saluantur, quos Deus vult gratia efficaci donare. Ergo doctrina vestra est Semipelagiana, contraria D. Augustino, cuius doctrina à Cælestino Canonizata est.

RESPONDETVR, quòd Semipelagiani volebant, Deum distribuere gratiam ex meritis liberi arbitrij, itavt arbitrio facienti quod in se est, Deus teneatur dare gratiam; ideò negabant gratiam sufficientem, qua liberum arbitrium possit respondere, quæ fit efficax è respondentia, & volebant omnibus statim ob bonum vsum arbitrij dare efficacem, qua consentirent. Hoc autem est, quod distinguit D. August. non in sensu aduersariorum.

103 OBIICIES octauò. D. Thom. *p.2. quæst.* 112. *art.* 4. ait, gratiam sanctificantem in vno esse maiorem, quàm in alio, ex varia arbitrij dispositione; sed primò ex dispensatione donorum Dei, quibus voluntatem vnius præparat, & non alterius.

RESPONDETVR, ibi loqui de gradibus Ecclesiæ, in qua alij sunt maiores, alij minores ad ornatum.

OBIICIES nonò cum Vasquez *d.*98. *cap.*6. Illa gratia est maior, quæ consultò datur in maiorem vtilitatem à Deo; talis est gratia congrua: Ergo.

RESPONDETVR, esse maius donum etiam illam, quæ habet suum effectum, qualem ponimus nos; neque datur gratia tali ratione congrua; sed apud Augustinum congruitas dicit, non cogere, vt Pelagiani dicebant.

OBIICIES decimò cum Soto *lib. de natura, & gra-*
104 *tia, cap.*3. Disponere se ad accipiendam gratiam, est conuertere se ad Deum: Sed conuersio adscribitur Deo præuenienti nos: *Deus virtutum conuerte nos.* Secundò, dispositio ad gratiam sufficiens est inchoatio Iustificationis, quæ attribuitur Deo. *Non sumus sufficientes, &c.* Tertiò, Nos ab Apostolo comparamur luto, quod efformatur à figulo: Ergo non à libero arbitrio venit.

RESPONDETVR, hæc probare, nos egere gratiâ & Præueniente, & Cooperante: at non probat, debere addi nouam gratiam efficacem, nec similitudo stat in omnibus. Nam de fide, liberum arbitrium agit simul cum gratia, ex Concilio Trident. non sic lutum simul cum figulo.

OBIICIES vndecimò. D. Bonau. *in* 2. *d.* 5. *art.* 3. *quæst.* 1. *fund. vlt.* arguit: Si per sola naturalia fuisset conuersio: Ergo Lucifer fuisset conuersus magis quàm alij: quæ ratio non valeret, nisi daretur maior gratia bonis.

RESPONDETVR primò, rationem satis concludere, supposita inæqualitate naturalium: quia sicut se 105
habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. Si ergo simpliciter è naturalibus est conuersio: Ergo è perfectioribus naturalibus, qualia erant Luciferi, fuisset maior conuersio. Nec tamen idem ostendit de ordine opposito gratiæ. Deinde (esto) non negamus, dari inæqualitatem gratiarum; sed dicimus, omnibus dari sufficientem, & efficacem ad salutem pro cuiusque necessitate.

PLACET hic pro Coronide apponere aliud argu- 106
mentum, contra illam gratiam congruam, suprà confutatam. Si gratia est incongrua: ergo non est sufficiens. Probatur sequela. Illa causa non est sufficiens, cui deest aliquod principium ad operandum. Sed huic gratiæ deest congruitas necessaria: Ergo reprobi non habent gratiam sufficientem. Minor probatur. Vel congruitas est necessaria gratiæ congruæ, vel non. Si non: Ergo est superflua. Si est necessaria: Ergo sufficienti deest aliquid necessarium ad gratiam.

SVPEREST ardua illa difficultas superanda, in 107
quo scilicet præcisè Gratiæ efficacia consistat. Verùm cùm plurium difficultatum, & dubiorum cardo in huiusce quæstionis decisione versetur, meritò Sanctissimus Dominus noster Paulus quintus Pontifex maximus eam Apostolicæ Sedis definitioni reseruauit, ac Scholasticis tractandam prohibuit. Quare in tanti Pontificis reuerentiam, & Ecclesiæ obsequium ab vlla nos assertione abstinere hac in re opportunum duximus.

QVÆSTIO V.

An Auxilia Gratiæ PER IESVM *necessaria sint ad veritates Fidei cognoscendas.*

PRÆMITTVNT hic Theologi, præcipuè Caietanus 108
quæst. 109. *art.* 2. Vasquez *p.* 2. *disp.* 185. *cap.* 12. Soto *de natura, & gratia, cap.*2. multos status hominis, in quibus potest necessitas hæc Diuinorum auxiliorum esse varia. Quos status edisserit S. Bonau. *in* 2. *à distinct.* 23. & aliquando distinguit, vt *distinctione* 28.

PRIMVS status est in puris naturalibus. Secundus Iustitiæ Originalis. Tertius hominis iustificati. Quartus hominis lapsi in peccato. Alium addit Caietanus, qui parum facit ad præsentem quæstionem.

ILLVD dicam, non mihi probari doctrinam Vas- 109
quez *loc. cit.* Caspensis *tract. de Gratia, disp.* 1. *sect.* 2. statum naturæ meræ à statu lapsus solùm differre, vt hominem nudum ab homine spoliato, ita, vt easdem repugnantias sensus, ac rebelliones pateretur in natura nuda, sicut nunc in spoliata gratuitis per Originale; mihi enim constat, peccatum reliquisse rebellionem quandam sensus contra rationem, quæ non esset in puris naturalibus adeò saltem intensa: Nam sensus, naturali in ordine relicti, secundùm rectam Dei ordinationem subiicerentur rationi, esto & ipse Homo in eo statu inclinaret ad bonum delectabile. Hoc videtur colligi è Seraphico *in* 2. *d.* 28. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 1. Quoniam verò nos miseri in statu naturæ lapsæ iacemus, de ea principaliter agendum. De statu verò innocentiæ multa diximus *p.* 1. *tract.* 11. aliqua verò *hic* etiam addemus.

EA

110 Ea verò, quæ disputanda sunt, præcipuè erunt; quid necessarium sit Diuini auxilij, quoad intellectum, & quid necessarium sit Voluntati.

Verum enim verò, ne eadem sæpius repetere cogar, aduerto., gratiæ auxilium esse illud, quod Christus nobis acquisiuit, non enim mortuus est pro iis, qui non sunt, vt obtineret eis donum creationis, vt notat D. August. *epist.*105. Concilium Valent. *can.*3. & 5. Cælestinus P. *epist.*1. *cap.* 10. & Concilium Carthag. circa tempora Bonifacij *cap.*78. sed vt gratiam benè viuendi obtineret, quam, *gratiam iustificationis* appellant præfati PP. Dicitur autem gratia iustificationis, quia per eam formaliter iustificamur, vel quia per eam disponimur ad iustificationem, vel
111 in ea roboramur. De hac verò sola, quæ est actuale auxilium, fuisse disputationem cum Pelagio; non de gratia sanctificante, quam D. August. *epist.*105. appellat gratiam remissionis peccatorum, asserit Vasquez *d.*185. *cap.*1. Sed falsò, vt docet D.Bonau. *in* 2. *d.*28. *art.*1. *quæst.*2. Scotus apud Fabrum *d.*61. *cap.*4. Probatur. Nam D.August. *epist.*105. ait, Hanc gratiam, de qua erat quæstio, esse eam, qua iustificamur, & qua impius fit iustus. Idem habet *epist* 95. Vnde patet imprudenter Vasq. *loc. cit.* dixisse, antiquos Theologos ignorasse, quæ esset disputatio cum Pelagio, & adducere *epistolam* 105. *D. Augustini*, in qua dicitur fuisse disputationem cum Palagio, de gratia etiam actuali, quod SS. Bonau. & Thomas non negant. Ideò Seraphicus *loc. cit.* ait, multipliciter Pelagium aberrasse. Credendum autem est potius SS.Doctorib. quàm Vasquio.

112 Assero, dogma esse fidei Catholicæ; fidem mysteriorum Dei non haberi sine auxilio gratiæ per Christum.

Probatvr à Morando *quæst.* 2. ex 1. Cor.12. *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto.* Sic probatur à D.Bonau. 1. *d.*46. *dub.* 8. *litera.*

Probatvr à Seraphico *ad* 6. *Ioan.* ex illo: *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et addit: *Est scriptum in Prophetis erunt docibiles Dei*, & vers.45. *Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit*, &c.

113 Secvndo probat ad cap.12. Ioan. *Propterea non poterant credere, &c.* Quibus authoritatibus nititur Tannerus *d.*6. *quæst.*3. *num.*13. Est definitum in Concilio Arausic. 2. *can.* 5. contra Semipelagianos. Vbi post definitionem, infert Concilium: *Qui enim fidem, qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos, qui ab Ecclesia Christi alieni sunt quodammodo fideles esse definiunt.* Imò *can.*7. definit in genere de omni eo, quod ad salutem pertinet, esse donum Dei. Cùm autem Concilia dicunt, esse donum Dei, loquuntur de gratia per Christum, vt notat Vasquez *d.*186. Fuliensis *lib.*4. *cap.*5.

Aliqvi id colligunt etiam ex Concilio Trident. *sess.*6. *can.*3. vbi definitur. *Si quis dixerit, sine præuenientis Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit.* Illud autem (*sicut oportet*) explicant, vt sit certa ex parte obiecti, vt credatur, quia reuelatum à Deo; & ex parte subiecti, vt promptus sit homo pro ea mortem subire.

Vasqvez verò intelligit ea verba (*sicut oportet*). contra Semipelagianos, qui dicebant, posse nos propriis viribus disponi ad iustificationem.

114 Probatvr secundò à D.Bonau. *in* 2. *d.*28. *art.*2. *quæst.*2. *in corpore*, ex 1 Cor.12. vbi ait: *Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij datur fides in eodem Spiritu.* Eodem modo probatur ab eo *in opusc. de resurrect. à peccato per gratiam*, circa medium, vbi illud Concilij Trident. (*sicut oportet*) priùs dixerat Seraphicus ea expositione, quam sumpsit Vasquez: *Sicut oportet*, vt præparetur scil. ad iustificationem. Idem assumit *in* 3. *d.*23. *art.*2. *quæst.*2. vbi aliis mediis id probat.

Præcipva ratio est prima, quam post authoritates affert D.Bonau. *loc. cit. in* 3. *sent.* Fides est assensus veritatis quorundam articulorum, quorum obiectum est supra naturæ ordinem: at verò omnes articuli sunt necessarij ad salutem, de quibus non possumus cogitare ex nobis, quasi ex nobis, vt ait Apostolus 2. *Cor.*3. Ergo non possumus his assentiri, quia non assentimur, nisi cogitatis. Hæc ratio est D.August. *cap.*2. *lib. de prædest. Sanct.* quam Tannerus *loc. cit. num.*15. sequitur post Seraphicum *loc. cit.* & *s.p. Breuil. cap.*7. Bonerius *Exam.*2. *Err.*10. confirmat; quia aliàs nos discerneremur ab infidelibus nostra virtute, contra Apost. 1. *Corint.*4. 115

QVÆSTIO VI.

An Affectus etiam ad credendum sit donum per Iesvm.

Actvs credendi pendet è bono voluntatis affectu, & hoc est initium fidei, vt docet D. August. *tract.*26. *in Ioan.* & *lib.*1. *contra duas epistolas Pelagianorum, cap.*19. & *lib.*1. *ad Simpl. quæst.*2. & *epist.* 100. & *de prædest. Sanctorum, cap.*5. & D.Bernard. *lib.*5. *de consider.* D.Bonau. *in* 3. *d.*23. *art.*2. *quæst.*2. *in corpore.* 116

Probatvr à D. Bonau. *ad cap.*5. *Ioan.* ex illo: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis*, vbi notat S.D. & post eum Vasquez *d.*186. *num.*7. prauum affectum multum aduersari intellectui, ne rebus fidei, quæ aliàs conuincerent, assensum præbeat. Idem docet Concilium Arausic.2. *can.*5. vbi ait: *Si quis sicut augmentum, ita initium fidei, ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iustificat impium, & ad regenerationem baptismatis peruenimus, non per gratiæ donum, id est per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidelitatem, ab impietate ad pietatem; sed naturaliter nobis inesse dicit; Apostolicis dogmatibus aduersarius probatur.* 117

Hinc malè aliqui docent, voluntatem credendi naturaliter haberi posse, (*& credulitatis affectum*) intelligunt vltimam dispositionem ad credendum; sed malè; Nam hi Canones missi sunt à Leone Papa ad Ciuitatem Arausicanam contra reliquias Pelagianorum, qui dicebant initium salutis esse à nobis. Et ob id non tantùm vltimam dispositionem, & fidem, sed etiam affectum, siue sumatur pro imperio voluntatis, quo imperat intellectui; siue pro desiderio sciendi res necessarias, definit à gratia prouenire.

Tandem illud esse dogma Patrum, præcipuè D.Prosperi, & D. Hilarij, patet ex epistolis ante Librum Augustini *de prædest. Sanct.* quibus ipse respondet eodem modo *cap.*2. 118

Obiicivnt. Multa Mysteria nostræ Religionis credunt hæretici, hæc autem profectò sine gratia creduntur. Ergo.

Respondet Vasquez *disp. cit. num.*27. è D.Bonau. *in* 3. *d.*23. *art.*2. *quæst.*2. *ad* 4. eam fidem haberi ex humana persuasione, non enim nititur authoritate Diuina, ideò non est fides, quæ est principium salutis.

PROBATVR à Fulienſi *lib.4. cap.5.* ratione D. Bonauent. *loc. cit.* Talis cauſa, qualis effectus. Actus fidei eſt ſupernus: Ergo & affectus.

QVÆSTIO VII.

An aſſenſus Fidei Diuinæ ſit ſupernaturalis.

119 ASSERO affirmatiuè, eſſe ſupernaturalem, non modò ex parte effectus, nec ſolùm ex parte modi, aut medij, ſed etiam quoad ſubſtantiam. Vide de hoc Vaſquez *diſp.*187.

HÆC aſſertio pugnat contra Pelagianos, & horum reliquias, volentes, ſufficere ſolam, & nudam rerum ſupernaturalium reuelationem, & huic poſſe intellectum ſuis viribus aſſentiri.

PROBATVR primò Ioan.6. *hoc eſt opus Dei, vt credatis.* Rom. 12. *Vnicuique dedit Deus menſuram fidei.* His adiunge Concilia Arauſ. & Trident. *ſeſſ.6. can.3.*

PROBATVR ſecundò ratione; quia aſſenſus ordinis naturalis confert ad finem tantùm naturalem: Ergo ille aſſenſus, qui conducit ad ordinem ſupernaturalem, debet eſſe ſupernaturalis; talis eſt aſſenſus fidei: Ergo.

PROBATVR tertiò, alioqui fruſtrà daretur habitus infuſus ſupernaturalis ad credendum; non eſt autem talis habitus ſuperuacaneus, eò quòd perfidem anima eleuatur ſuper ea, quæ ſunt ei naturalia, vt ſunt illa, quæ ad principium, & finem ſupernaturalem ſpectant, ſicut & ad futura præcognoſcenda. Ad hæc autem neceſſarius eſt habitus ſubſtantialiter ſupernaturalis, & non tantùm ratione modi alicuius, vt probat Vaſquez *diſp.*187.qui vtitur hac ratione Seraphici *in 2.d.28. art.2. quæſt.2. in corpore:* & *in 3.d.23.art.2. quæſt.2. in corpore*, quem ſequuntur etiam Bartholomæus Medina *p.2. quæſt.62. art.3. concl.2.* & ante ipſum, fidus Seraphici diſcipulus Richardus *in 3. d.23. art.3. quæſt.1.* Id altiùs oſtendam *2.2. Tract. de fide diſp.1. quæſt.28.*

QVÆSTIO VIII.

Quale Auxilium ſit neceſſarium ad veritates omnes naturales cognoſcendas.

120 DE hoc diſſerui *p.1. tom.1. diſp.11.quæſt.28.* probans per creaturas Deum cognoſci.

ASSERO primò, cognitiones naturales, vt ſic, non egere auxilio gratiæ per Chriſtum.

PROBATVR primò quia Chriſtus nobis meruit auxilia, quæ ad officium Saluatoris pertinent; at non ſpectat ad officium Saluatoris, quòd ſciamus Mathematicas, vel ſimiles ſcientias; ſed vt cognoſcamus Deum Patrem, & quem miſit, Ieſum Chriſtum.

121 PROBATVR ſecundò, quia ad veritates non excedentes ordinem naturalem, ſufficit auxilium eiuſdem ordinis: tales ſint omnes veritates, quæ ex obiectis ſenſibilibus deducuntur: vnde ait Apoſtolus *ad Rom.1. inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, conſpiciuntur*; hoc eſt abſtractiuè, & per naturales conſequentias inferendo, dari Deum inuiſibilem, infinitum, immenſum, &c. dum conſpicitur creatura viſibilis, finita, limitata, &c.

Hoc tamen intellige de veritatibus naturalibus diſtributiuè, cùm,vt ſic,ſint proportionatæ propriis viribus facultatis cognoſcitiuæ: verùm ſi collectiuè, & pro tota maſſa cognoſcendorum ſumantur, videntur longè excedere vires noſtri intellectus, ſaltem morales; tum quòd horum infinitus eſt propèmodum numerus; tum etiam quòd innumeris difficultatibus, & impedimentis ſint implexæ, & inuolutæ, quas omnes ſuperare, peculiaris eſt auxilij, non propriæ facultatis.

OBIICIES, hæ veritates, quantumuis intellectum ſuperent, non ſunt ſupernaturales: Ergo naturali potentiâ ſunt cognoſcibiles.

RESPONDETVR, Conſequentiam eſſe veram, ſi ſpectetur vis phyſica potentiæ, quæ ad eiuſdem ordinis obiecta percipienda ſe extendit; ſed vltra vim phyſicam, requiritur moralis facultas ſibi ſua obiecta applicandi, & quæ obſtant, difficultates remouendi: Hæc verò moralis facultas in Viatoris intellectu quoad omnes veritates naturales deficit: vnde Salomon ſapientiâ diuinitùs inditâ obtinuit, quod diſputaret ſuper lignis à Cedro, quæ eſt in libano, vſque ad Hyſopum, quæ egreditur de pariete *3.Reg.4.*

DICES talis phyſica potentia,naturæ viribus irreducibilis ad actum,erit fruſtrà; ſed à potentia fruſtraneâ natura abhorret, quæ nihil fruſtrà facit: Ergo.

RESPONDETVR, talem potentiam obtinere ſuum actum in aliqua ſingulari veritate; quod ſufficit, vt ab illa fruſtraneitate vindicetur. Sicut liberum arbitrium non dicitur fruſtra conceſſum Beatæ Virgini, licèt nunquam ad vnum oppoſitorum, ad actum ſcilicet peccaminoſum deflexerit,quamuis ad hunc etiam habuerit potentiam.

INSTABIS. Non ad ſingularem tantùm veritatem, ſed ad omnem, (vti loquuntur philoſophi) collectiuè cognoſcendam ſe habet naturalis illa potentia phyſica. Ergo.

RESPONDEO, potentiam incompletam, & remotam reſpicere omnem veritatem collectiuè; ſicut dicitur de materia prima reſpectu omnium formarum; ſed completam, & proximam tantùm eſſe ad actum reducibilem in aliqua ſingulari veritate: vnde cùm potentia remota, qualis hîc controuertitur, non reſpiciat actum niſi remotè, indiget adhuc ſuperaddita potentia morali, quæ difficilè in hac vita conceditur.

ASSERO ſecundò, naturales cognitiones, prout ad ſalutem, & iuſtificationem ordinatæ ſunt, egere auxilio per Chriſtum. Probatur è Concilio Mileuit. *can.4.* vbi dicitur: *Donum Dei eſt, & ſcire, quod facere debeamus, & diligere vt faciamus.* Vide Vaſq. *diſput.*188. deinde probatur è Concilio Arauſ. vbi habetur: *Diuini muneris eſt, cum rectè iudicamus:* è D.Auguſt. in epiſt.105. *Nemo rectè ſapit, niſi qui habet ſpiritum ſapientiæ*, & aliis locis innumeris.

QVÆSTIO IX.

An ad omnes, & ſingulas tentationes vincendas neceſſarium ſit Auxilium actuale per Chriſtum.

S Bonau.in 2.d.28.quæſt.2. & 3.art.2.quæſt.2.
D.Thom.quæſt 109.art.2.

QVÆSTIO hæc grauis aliam includit: An neceſſarium ſit Dei auxilium actuale ad obſeruanda omnia mandata Dei. Hoc enim eſt vincere tentationes omnes.

PRIMA

122 Prima igitur sententia, posse hominem euitare omnem tentationem contra ius naturale; ac proinde seruare omnem Legem naturalem sine vllo auxilio per Christum, à multis adscribitur Durando *in 2. dist. 28. quæst. 3. & 4.* Abulensi *in 19.* Matth. *q.* 178. Scoto *in 2. dist. 28. quæst. vnic.* Gabrieli *quæst. 1. art. 2.* At isti ibi quærunt: An sine gratia habituali possint vinci tentationes, & obseruari præcepta.

Qvare non videtur hæc opinio alicuius Catholici; solus enim Pelagius id vniuersaliter cum suis Asseclis asseruère.

123 Secvnda sententia est, posse hominem in statu naturæ integræ seruare omnia præcepta naturalia, quamuis ardua, & omnes euitare tentationes simul: at in hoc statu non posse quidem omnes simul collectas tentationes superari, & præcepta huiusmodi seruari simul; singula tamen posse, & singulas tentationes superari. Hanc sententiam multi Recentiores sequuntur, & paucis ante annis in Hispania fuisse communem, ait Vasquez *disp.* 189. *num.* 5. Refertur pro ea S.Thomas *prima secundæ, quæst.* 109. *art.* 4. & potest adduci Conradus *hic*; & refertur Sotus *l. 1. de natura, & gratia, cap.* 22. *concl.* 2. & 3. Verùm D. Thom. solùm vult, in statu peccati cum auxilio actuali, etiam à non habente gratiam habitualem sanctificantem, posse euitari singulas tentationes, &

124 hoc sensu videntur locuti. Idem habetur *art.* 8. *huius quæst.* vbi Caietanus, & Conradus. Idem volunt Richardus *in 2. dist. 28. art. 2. quæst. 2. & 3.* Scotus *quæst.* 1. Marsil. *in 2. quæst.* 12. *art.* 2. *concl.* 4. Capreol. *in 2. dist. 28. quæst. 1. art. 1. concl.* 3. Vega *quæst.* 13. *de Iustific. concl.* 6. & Sotus *lib. 1. de natura, & gratia, cap.* 2.

Quoad præcepta, tentatione non irruente, Morandus, *quæst.* 6. Tanner. *disp* 5. Arriaga *disput.* 41. *sect.* 2. Ouiedo *controuers.* 4. *part.* 2. *num.* 44. idem astruunt.

Pro hac tamen opinione secunda primò proposita, ait Vasquez *cap.* 2. allegari posse melius S.Bonauent. *in 2. dist. 28. art. 2. quæst. 2.* qui, cùm dixisset, sine gratia, gratum faciente; non tamen sine aliqua gratia gratis data, seruari posse omne præceptum, & vinci omnem tentationem; subdit tamen, sine omni gratia gratum faciente, & sine omni auxilio gratiæ, quod appellat gratiam gratis datam, voluntatem nostram non necessariò succumbere omni tentationi.

125 Addit Vasquez. His tamen verbis, eum solùm denotare, saltem posse liberum arbitrium vitare aliquam tentationem sine auxilio gratiæ, quam ipse putat esse mediam sententiam inter duas, quas ibi memorat. Et vt colligitur è solutione prima, quæ est *num.* 39. docet, hominem aliquando incidere in aliquod peccatum, nisi adsit aliquod munus gratiæ. Concludit verò: In eadem opinione fuit Ruardus Tapper. *art.* 7. §. *Hæc confirmantur.*

126 Pro hac citatur S.Bonauent. etiam à Scoto *loc. cit.* & Fabro *in primo dist.* 61. *cap.* 4. sed malè, vt mox ostendam. Videtur autem potiùs ipsius Scoti, & ideò adducitur pro hac à Medina, & aliis.

Et quidem D. Bonau. *in 2. dist. 28. art. 2. quæst. 1. in corpore*, astruit, nec à singulis nos tentationibus vinci, carentes auxilio Dei; nec sine eo posse omni tentationi resistere, quia, etsi resisteretur vni, 'possunt multiplicari, & opprimere; & de his dat exempla omninò apta, vt cogitur fateri Vasquez. Idem habet ad argumenta, quæ velim legantur, vt palam fiat, quam alienus sit S.Doctor ab hac sententia. Idem docet *in opusc. de Resurrect. à culpa*, circa medium, idque latè probat.

Tertia sententia est, non posse absque Dei auxilio per Iesvm quamlibet etiam minimam euinci tentationem. Ità Ariminensis *in 2. dist. 26. 27. & 28.* Capreolus *dist. 28. quæst. 1. art. 1.* & multi Recentiores, quos adducit, & sequitur Vasquez *disp. cit. c.* 4. Bellarm. *tom. 3. controu. lib. 5. cap.* 7. 127

Qvarta sententia est, posse hominem in hoc statu vincere aliquas tentationes leuiores sine auxilio per Iesvm; non tamen singulas, vel omnes simul. Ità D. Bonauent. locis adductis, D.Thom. *loco cit.* vbi Caietanus, Medina, & alij Thomistæ. Sotus *lib. 1. de natura, & gratia, cap.* 21. Vega *in opusc. de Iustific. quæst.* 12. Bartholomæus Medina *prima secundæ, quæst.* 10. *art.* 1. Staplet. *lib. 2. de Iustific. cap.* 9. & 13. Valentia *hic disp.* 8. *quæst. 1. punct.* 3. Tannerus *disput.* 6. *quæst.* 3. *num.* 97. Aluarez *disput.* 54. *concl.* 3. Caspensis *disp. 1. sect.* 7. Morand. *tract.* 4. *quæst.* 5. referens Arriagam *disp.* 40. *sect.* 2. Auersam, aliosque, qui etiam referunt Seraphicum. Pro ea Faber adducit Scotum, qui malè in fine quæstionis carpit Seraphicum, quasi dixerit implicantia; nempe posse vinci naturaliter singulas tentationes, non tamen omnes simul collectiuè, quod idem adscribit Seraphico Faber.

Primo quidem id non ait S. Bonauent. vt fatetur 128 etiam Vasquez. Deinde si plures, per modum vnius, tentationes occurrerent, V. G. adulterium, ex quo quis machinaretur excidium coniugi, & filiorum deceptionem, familiarium petiurium, &c. quæ possunt vno actu intelligi, & volita esse (quod Scotus, & Fauentinus non negabunt,) cur mox fieret, vt qui vnam ex his vinceret, resisteret eodem modo, & his omnibus simul? Deinde (vt ait Seraphicus) si quis tentatus aliqua graui tentatione, & ea deuicta, rursus inuaderetur alia grauiori, & postea aliqua enormi, & aliis enormioribus; nonne à prima fatigatus, & imbellis inueniretur ad sequentes ob instabilitatem, & infirmitatem? Quod optimè probat D. Bonauent. *adductis locis*, ex illo Threnorum primo. *Peccatum peccauit Hierusalem, propterea instabilis facta est.* Nam experientia præteritæ vtilitatis, vel voluptatis, quasi pondus mergit hominem ad abyssum. Vnde D.Gregorius, homil. 13. in Ezech. *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, mox suo pondere in aliud trahit*, vt notat D.Bonau. *lib. 2. Pharetræ, cap.* 5. & post eum Valentia *disp. 8. quæst. 1. puncto* 5. §. 2. qui posteà etiam addit *ad 4. argumentum*, posse aliquem distributiuè aliquas tentationes vincere; neque tamen sequi, omnes collectiuè vincendas, & esse consequentiam captiosam, à sensu distributiuo ad collectiuum. Vt si aliquis argumentaretur. Potest Iacobus comedere omnes panes, qui coquuntur in toto anno Romæ, quia potest singulos panes comedere; & simile est in casu nostro. Affert autem exemplum S. Doctor de naui, quæ habet vnum foramen, per quod intrat aqua, & dum nauta intendit huic obstruendo, perforatur nauis in aliis, & aliis partibus; sanè non poterit omnibus obstruendis intendere, & obruetur. Aliud ponit exemplum in pugile, qui cum se clypeo 130 operit ad vnam partem, relinquit aliam ictibus obnoxiam; ita dum aliquis se defendit naturaliter contra Luxuriam, & strenuè pugnat; relinquit vanæ gloriæ inerme latus. Quid verò senserit de hoc ad statum iustitiæ originatiæ, dicam in fine quæstionis. Sic etiam Suarez *lib. 1. cap.* 24. Albertinus *princ.* 5. *num.* 4. Morandus *cap.* 6. vbi causas affert ex instabilitate, infirmitateque potentiarum nostrarum, quæ semel peccato viciatæ, facilè omni Vento circumferuntur.

Assero primò, non posse seruari totam Legem, & vinci omnes tentationes, absque Dei auxilio per Iesvm.

131 PROBATVR primò à D. Bonauent. *art.* 1. *quæst.*2. authoritatibus, & rationibus. Prima Cor. 15. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum.* Rom. 7. *Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum.* Idem probat Glossis, ad ea verba Psalm.26. *Infirmati sunt*, & Psalm. 77. *Immissiones per angelos malos.*

CONFIRMATVR authoritas illa *Rom.*7. Nam PP. Africani ex duobus Conciliis Carthaginensibus, scribentes ad Innocentium, *epist.*90. apud August. Pelagium insimulant erroris, quòd dixerit, ad seruandam omnem Legem, siue naturalem in corde conscriptam, siue in litteris datam, sufficere liberum arbitrium sine auxilio gratiæ. Reprehendunt autem Pelagium, quod non agnosceret gratiam, quam prædicabat Apostolus, illis verbis *Rom.*7. allatis. *Sentio aliam Legem in membris meis repugnantem Legi mentis meæ, & captiuantem me in Lege peccati. Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum.* Constat autem, Paulum hîc loqui de obseruanda Lege naturaliter, ad cuius trangressionem caro inclinat, per effrænem appetitum luxuriæ. Ibi autem postulat Paulus liberari de tentatione, carnis; vocat autem *corpus mortis*, quia est ad peccatum procliue. Porrò horum Patrum doctrinam mirificè laudat, & approbat Innocent. *in epist.*91. apud eundem D. August. Hac authoritate nititur Vasquez *num.*19.

132

133 Confirmatur à D. Bonauent. *ead. quæstione ad* 3. (nam in reliquis loquitur de gratia gratum faciente.) Etenim iidem PP. Africani, *epist.*99. apud S. August. vrgent, Pelagium, dolosè in Concilio Palæstino confessum, debuisse confiteri gratiam, idest adiutorium per CHRISTVM ad concupiscentias, tentationesque vincendas; concupiscentiæ autem sunt contra Legem naturalem. Et *in ead. epist.* refutant eundem errorem Pelagij, ex eo, quòd præceptum continentiæ, quod tamen naturale est, nullus sine gratiæ auxilio seruare possit. Sic ad hoc confirmandum S. Bonau. hîc *art.*2. *quæst.*2. *in corpore*, vtitur illo Sap.8. *Et vt sciui quoniam nemo potest esse continens, nisi Deus det.*

134 FRVSTRA autem Vasquez interpretatur *continentem sapientiam*; nam certè loquitur de Continentiæ virtute. Quærens enim Sapientiam, præmittit suæ, indolis, ac corporis incoinquinati dispositiones, quæ duo maximè ad sapientiam consequendam faciunt; statim subdit: *Et vt sciui quoniam aliter, &c.* Quasi dicat: Mihi necessaria est continentia ad sapientiam: Nam Luxuria inter peccata hebetat, & reddit stolidum, ac ineptum, vt experientia docet. Hoc autem donum Dei est, esse continentem: Ergo. Ideò oratione prolixa postulat sapientiam *cap.*9. & addit: *Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum.* En sensus germanus sapientis. Quiescat igitur Vasquez, & sicut rationem Patrum cum D. Bonauent. adhibet ad hoc assertum probandum, ne recuset authoritatem Scripturæ, quam S. Bonauent. ad eum etiam locum ex Patribus solidat.

135 PROBATVR secundò à D. Bonauent. *quæst.*3. *articuli primi*, adducta. Primò ex Hierem. 10. *Scio Domine, quia non est hominis via eius: neque viri iusti, vt ambulet, & dirigat gressus suos.* Vbi de obseruantia Legis Diuinæ loquitur. Deinde probatur à S. D. alio argumento, quo maximè nititur Vasquez *cap.*4. alioqui sequeretur nudam litteram Legis nobis sufficere ad obseruantiam; sed hoc est contra Apostolum 2. *Cor.*3. vbi solam litteram occidere docet. Deinde infrà, ministerium Moysis in Lege promulganda vocat ministrationem mortis, litteris deformatam, & iterum vocat ministrationem damnationis, quia prædicare Legem alicui, non ministrato spiritu ad eam seruandam, ex se quidem est ministrare mortis, & damnationis occasionem. Quo etiam sensu prima *Cor.*15. ait: *Virtus peccati lex*, id est potentia peccati est Lex, quia occasione Legis peccatum, quod aliàs non esset, incipit. Multa quoque habet Apostolus *ad Rom.* & *Galat.* quæ hanc Legis imbecillitatem ad sui obseruationem manifestè indicant. Eam vocat *inane elementum, imbecillum*, &c. & semper illam opponit gratiæ per Christum, ostendens, sine hac nil boni Legem afferre. Vnde *Rom.* 3. docet, Per Legem non iustificari hominem; redditque rationem. Per eam enim venit cognitio peccati, id est, solùm habemus ab ea, vt cognoscamus peccatum, non vt illud vitemus, vt exponit D. August. *lib. de spiritu, & litt. cap.*14. & 17. & *lib.*1. *de Gratia Christi*, contra Pelagium, & Cælest. *cap.*8. & *lib. de gratia, & lib. arb. cap.*11. & 12. & *ep.*57. & Patres Africani *epist. ad Innocentium*, quæ est 95. apud S. August. In quem sensum S. August. *loco cit. de gratia, & lib. arb.* & D. Hier. *lib* 3. aduersus Pelagianos explicant illud: *Littera occidit* 2. Cor. 3. Hinc Apostolus *cap.*4. *Rom.* ait: *Lex iram Dei operatur.* Robur harum rationum à D. Bonauent. ponitur etiam in illo *Act.*15. vbi Petrus vocat Legem, *Iugum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari.* Ex quo testimonio habetur, Dei mandata non posse sine Diuino auxilio seruari, nec vinci omnes tentationes, & impulsus, contra illam Legem pellicientes.

136

137

138 PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *loco cit.* argumento validissimo, quod est tertium, addita resolutione. Ad perseuerandum requiritur, vt homo sanè supponatur in gratia; & deinde ne transgrediatur præcepta Dei, omnibus resistens tentationibus. Matth.19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et sanè perseuerantia vsque ad consecutionem gloriæ æternæ, est donum Dei, vt definit Concilium Trident. & habet Apostolus Rom.6. *Gratia Dei vita æterna.* Si ergo posset homo viribus naturalibus seruare præcepta, & omnibus resistere tentationibus, posset suâ naturali vi perseuerare vsque in finem, quod est hæreticum. Sic definitur in Conciliis Mileuit. *can* 3. 4. & 5. Africano sub Bonifacio I. *can.*78. 79. & 80. Arausicano 2. *can.*10. à Cælestino Papa I. *epist.*1. Innocentio I. *ep.*25. quæ est apud S. Aug.91. Et Concilio Trident. *sess.*6. *can.*22. Hac ratione nititur Vasquez *num.*35.

139 PROBATVR à Seraphico *in art.*2. *quæst.*2. ratione, qua nititur Vasquez *loco cit.* Christus docuit nos orare, Matth.6. *Et ne nos inducas in tentationem.* Nullus autem postulat ab alio, quod à seipso potest. Secundò, consequenter debent reddi gratiæ Deo de hac victoria 1. Cor. 12. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum*; vt notat D. Bonauent. *art.*1. *quæst.*2. *in fundamentis*: Ergo est donum Dei vincere tentationes.

Respondet Fauentinus *cap.*2. *num.*23. has rationes esse inanes, easque contra nos retorqueri sic: Ea, quæ postulantur à Deo, sunt à gratia per Christum; sed petimus pluuiam, serenitatem, &c. Et in oratione Dominica petimus panem quotidianum; & gratias agimus in Missa de his beneficiis. Ergo hæc sunt dona per Christum; hoc autem est falsum, non enim Christus mortuus est, vt dentur nobis pluuiæ, &c.

140 VERVM hæc ratio est D. Hieronymi *ep. ad Tesiphontem*, aduersus Pelagianos, ante medium, contra eos, qui cum Pelagio solam gratiam creationis admittebant. Sic infert: *Ergo nequaquam vltrà orare debemus,*

debemus, vt petamus, quod acceptum, est in nostra potestate. Isti homines tollunt orationem: & *lib.* 1. *contra Pelagium*, hanc repetit rationem. Eadem est ratio D. Cypriani *serm.5.de orat. Dominica*, D.Augustini *lib. de Bono perseuer.* paulò post initium, & *epist.* 89. vbi argumentatur sic: *Frustra rogantes Deum dicimus, Ne nos inferas in tentationem, si hoc in nostra positum sit potestate.* Eodem sensu Patres Concilij Africani, *epist. ad Innocentium*, quæ est apud August. 90. post medium. *Consideret sanctitas tua, quid istorum disputatione necessariò sequatur, vt nec orare debeamus, ne intremus in tentationem*, & inferunt: *Ipsa igitur oratio est clarissima gratiæ testificatio.* His autem Patribus respondens Innocentius *epist.* quæ est 91. apud S.August. & eorum doctrinam contra Pelagium firmans, ait: *Dauid orationis ignarus, & scientia naturæ accusetur, qui cùm sciat, tantùm in sua inesse natura, adiutorem sibi Deum inuocat, & ne aliquando eum despiciat, orationibus pronus exoptat, & per totum corpus Psalterij hoc clamat.* Eodem argumento vtitur Cælestinus Papa I. ad Episcopos Galliæ, *cap.* 9. & Glossa super illud Rom. 8. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* Vbi aduerte, hos Patres ex oratione Dominica præcipuè: *Et ne nos inducas*, inferre necessitatem gratiæ per Christum, contra Pelagium, non vniuersalem, quam ipse concedebat. Satis igitur imprudenter Fauentinus hanc rationem inanem dicit.

142 Ad argumentum Fabri respondetur, quòd Ecclesia petit ista bona, quæ non sunt in nostra potestate, vt victum, pluuiam, & similia, per merita Christi, vt patet in fine orationum. *Per Dominum nostrum Iesum Christum*: non enim petit ea, vt sunt bona temporalia, sed vt his sufficienter adiuti sempiterna fiducialiùs appetamus, vt Deo possimus pacatè seruire; pro his enim Christus mortuus est.

Respondetur, secundò, quod similitudo stat in hoc, quòd sicuti in nostra potestate non est pluuia, ideò egemus orare Dominum, vt moueat causas secundas; ita, quia in nostra potestate non est vincere tentationes, petimus auxilium proportionatum, quod sanè non potest esse auxilium generale conseruationis, quod semper adest; sed auxilium, quo efficaciter liberemur à tentatione, in quam incidunt plurimi, qui fruuntur adhuc beneficio conseruationis; & cùm hæc liberatio sit ad finem supernaturalem beatitudinis, eget auxilio proportionato supernaturali, ex quo fit, insulsam esse Fauentini deductionem.

143 Quoniam verò hac ratione vtitur Vasquez, vt probet ad omnem leuem quoque tentationem indigere auxilio per Christum, quod aliis etiam orationibus Ecclesiæ per annum confirmat, quibus Ecclesia petit, *vt quia nullâ nostra virtute confidimus, contra aduersa, & tentationes omnes muniamur.* Vt in Oratione Sexagesimæ, D.Martini, Dom.2. Quadragesimæ, Fer.3. Dom.3. Quadragesimæ, Dom. 7. post Pentec. & Dom.14.15.19. & 20.

Respondetur, peti pro omnibus tentationibus auxilium, quia nescimus quasnam possumus viribus nostris superare.

Seraphicus respondet, Ecclesiam id petere, quia non potest omni tentationi ex se resistere.

144 Eodem scopo gratias agimus Deo pro superatis tentationibus, & ideò signum est, victoriam ipsam esse donum Dei per Christum. Hoc enim argumento S.August. *lib.1. de Predest. Sanct. cap.* 19. probat, fidem esse donum Christi, adducens illud Ephes.1. *Audiens fidem vestram, non cesso gratias agens, &c.* & prima Thessal. 2. idem habetur. Clariùs autem S.Bonau. *art.1.quæst.2.* affert hoc argumentum, quo nititur Vasquez *loco cit.* & roborat, è prima Cor. 15. *Deo autem gratias, qui dedit victoriam per Iesum.* Quid clarius?

Tandem probatur authoritate CC. quibus etiam roboratur argumentum secundum, in secunda classe allatum. Concilium. Mileuit. *can.*4. definit sub anathemate, non sufficere propriam virtutem, & notitiam Legis ad eius obseruantiam, & *can.* 5. damnat anathemate dicentes gratiam solùm iuuare, vt Lex faciliùs obseruetur; non autem vt necessariam ad obseruantiam eius. Idem definitur in Concilio Afric.III. *can.*79. & 80.

Similiter Concilium Arausic. II. *can.* 16. expo- 145
nit Apostolum modo à nobis suprà explicito. Ait enim: *Nemo, ex eo quod dicitur habere, glorietur, tanquam non acceperit, aut ideò se putet accepisse, quia littera extrinsecus sonans, vel vt legeretur apparuit, vel vt audiretur sonuit. Nam vt Apostolus dicit: Si per Legem iustitia: Ergo Christus gratis mortuus est.* Id verò esset iustitia ex Lege, si ex sola littera nostrum arbitrium seruaret eam: Frustra ergo esset Christi meritum, si nos possemus nostris viribus eam obseruare.

Nota verò, Decreta Concilij Mileuit. esse, vt 146
plurimum, à D. August. contexta. Decreta verò Arausicani à D. Prospero. Vnde ex his Patribus sumitur historia horum Canonum. S. August. autem loquitur de Lege Decalogi, vt notat etiam Vasquez *num.*27. & simul cum S. Prospero asserit, non posse singula mandata seruari, & omnes tentationes euinci, sine Dei gratia opitulante.

Assero secundò, non posse singulas tentationes vehementes sine auxilio gratiæ per Christum superari, contra secundam sententiam.

Probatur authoritatibus, & argumentis suprà 147
factis, quæ sanè de grauioribus tentationibus maximè concludunt. Adde Rom. 8. *Sed in omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* Vbi S.Prosper *lib. contra Collatorem, cap.*35. legit (*Per eum.*)

Probatur à D. Bonauent. *art.2. quæst.* 2. argu- 148
mento quo nititur Vasquez, quia non potest haberi continentia sine gratia Christi, vt patet; quod probat S.Bonauent. illo *Sap.*8. suprà citato. Id verò sæpe reperit D.August. *lib. de natura, & gratia, cap.* 4. & *cap.*89.*q.*2.& *epist.illa* 106.Idem habetur *epist.*90. & 95. apud eum, vbi apertè habetur præceptum: *Non concupisces*, seruari non posse absque gratia Dei. Sicut nec præceptum humilitatis, contra superbiam; quod idem habet S. Bonauent. *loc.cit. in corpore hîc*, & *in argumentis, quæst.* 2. *articuli primi.* Vide Seraphicum, vbi ex vehementia concupiscentiæ, & ignorantia arguit periculum tentationis carnis. Idem probat S.D. etiam ex aliis locis D.August. vt *de perfectione iustitiæ*, & *de vera Religione.*

Probatur verò à S. Bonauent. *in corp. quæst.* 2. 149
articuli secundi, primò ex illo Thren.2. *Peccatum peccauit Hierusalem, propterea instabilis facta est.* Secundò ex illo Thren. 3. *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti.* Vbi Glossa: *Non potest homo stare contra insultus diaboli, nisi misericordia Domini adiuuetur.*

Probatur ratione à quibusdam. Si posset singulas tentationes vincere, posset etiam omnes; nam quamuis non liceat arguere à singulis ad omnes in potentia non libera, quæ minuitur, & fatigatur, vt in virtute motrice; tamen in potentia libera, quæ non fatigatur, valere debet.

Enim verò hæc ratio non valet, vt notat D. Bo- 150
nauent. *in corpore*, quia virtus etiam libera laxatur in pugnando cum tentationibus, quæ à proprio sensu fouentur. Et ideò post impugnatam tentationem carnis

carnis grauissimam, remanet inclinatio in appetitu, in imaginatione, qua sequens foueatur, & voluntas à præcedenti aliquo modo inclinetur naturaliter, & sic infirmitas sit maior, & præualet concupiscentia, vt notat Seraphicus *ad* 4. *& seq.* Quicquid dicat Vasquez *cap.* 7. *&* 19.

Alias rationes vrget Vasquez, futurum, vt viribus naturalibus posset quis perseuerare. Secundò, non egere orationibus, vt liberetur à tentationibus, si ab enormibus se naturaliter eximit. Sed hæc suprà à D. Bonauent. satis patent.

151 Assero tertiò, posse viribus arbitrij superari aliquam leuem tentationem.

Probatvr à D. Bonauent. *quæst.* 2. *articuli primi, arg.* 1. ex illo *Genes.* 4. Vbi dixit Deus Caino: *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*; hoc verò non in omnibus verificatur: Ergo in aliquo.

Probatvr secundò à D. Bonauent. *art.* 2. *quæst.* 2. *in corpore*, è D. August. *lib. de perfectione iustitia, ad tertiam ratiocinationem*, Tom. 7. quem librum S. Augustinus composuit in extrema ætate, post exortam hæresim Pelagij, vbi ait: *Respondetur, naturale non esse peccatum, sed naturæ, præsertim vitiatæ, vnde facti sumus natura filij iræ: parumque esse nobis ad non peccandum voluntatis arbitrium, nisi adiectâ sanetur gratiâ per Iesum Christum Dominum nostrum.* Vbi August. dixit de arbitrio ad vitandum peccatum, parum esse, quod *in epist.* 106. & *alibi* dixerat, nihil valere ad non peccandum: cùm igitur dicat, parum esse liberum arbitrium; sentit planè, aliquod peccatum vitari posse ab eo, sine vllo auxilio gratiæ per Christum. Hoc testimonio vtitur Stapletonius *cap. illo* 13. *citato.*

152 Respondet Vasquez *num.* 179. illud (*parum*) idem esse, ac nihil valere; sic solemus dicere, parum illi profuit astutia, quando nil valuit.

Contra quia *hic* moderatur id, quod *ibi* dixerat, & loquitur disputando subtiliter, non crassa Minerua ad alios ritus vulgi. Confirmatur. Nam & *de corrept. & gratia, cap.* 11. relato à D. Bonau. *ibi*, ait: *Liberum arbitrium sufficere ex se ad malum; ad bonum autem parum esse.* Illis igitur locis D. Augustinus vult sanè, hominem suis viribus non posse vincere omnes tentationes, sed tamen concedit de aliquibus, vt exponit S. Bonau. *in corpore.*

153 Probatvr tertiò à S. D. in argumentis, è potentia voluntatis, & arbitrij, quæ pluribus ostenditur. Primò è D. Gregorio *in Moral.* Attulit etiam *art.* 1. *quæst.* 2. *in argumentis*, testimonium D. Bernardi *lib. de lib. arb.* vbi ait: *Liberum arbitrium est potentissimum sub Deo, neque potest omninò cogi, vt habet appetitum ad bonum honestum, & habet naturale indicatorium, quod inest ei per naturam.* Confirmatur à D. Bonauent. Liberum arbitrium ante lapsum poterat alicui tentationi resistere: Ergo & nunc. Probatur consequens, quia nunc differt, sicut infirmus à sano; at infirmus potest aliquid. Quæ est ratio etiam D. Thomæ. Potest enim, qui, dum erat sanus, ambulabat vna die 20. milliaria; æger stadium ire, vt fatetur ipsemet Vasquez *num.* 166. & multò etiam magis concedit, potuisse liberum arbitrium, nunc infirmum, supra se ipsum, dum erat sanum, quia est potentia libera, quæ non fatigatur sicut ægrotus.

154 Diceret Vasquez, etiam in puris naturalibus fuisse ad hoc infirmum liberum arbitrium: Ergóne ad omnes leues tentationes prosterneretur, nec illius habilitates naturales, & appetitus ad bonum aliquod morale quidquam iuuant? Confirmatur à S. D. *ad argumenta, Rom.* 6. vbi hortatur Apostolus: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*: vbi supponit, nos spontè subiici peccatis, & posse in mortalitate nostra alicui resistere.

Probatvr quartò è Seraphico *in argumentis*; quia potest liberum arbitrium facere aliquod bonum morale suis viribus, vt ostendam *quæst. sequenti*; hoc autem supponit, aliquas contradictiones posse vinci. Hoc argumento vtitur Tannerus *num.* 79.

Cofirmatvr à D. Bonauent. *arg.* 3. quo nititur Valentia. Non minorem virtutem habet voluntas ad bonum, quàm sensus ad praua. Ergo si sensus trahit ad praua, etiam voluntas ad aliquod bonum. 155

Respondet Vasquez *cap.* 20. nullum obiectum creatum posse cogere voluntatem, neque arbitrium cadere necessitate antecedente, sed consequente; v.g. posito, quod Deus sinat tentationem tali gradu, in quo videt eam præualituram contra liberum arbitrium: Necessarium autem esse etiam ad leues tentationes, sicuti ad graues auxilium Dei per Iesum, quia non possumus vincere aliquam tentationem absque præuia cogitatione salutari de eius malitia, damno, &c. At sancta cogitatio est à Diuina inspiratione, vt ait Apostolus 2. Cor. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* At video, Vasquez concedere, Deum prævidere tentationes non in omni gra- 156
du præualituras libero arbitrio. Quoad illam verò necessariam cogitationem sanctam, quam Vasquez adeo zelatur, miror. Nam D. August. hanc sanctam congitationem inuenit, vt initium salutis à Deo probaret contra Semipelagianos, vt fatetur Vasquez *disp.* 185. *cap.* 6. non ad omne opus moraliter bonum necessariam, sed ad misericordiam Dei consequendam, vt habet D. August. *lib.* 1. *ad Simpl. quæst.* 2. apud eundem Vasquez *disp. cit. num.* 27. vbi asserit, hanc esse vocationem ad salutem, & conuersionem: & *epist.* 107. S. August. vocat eam præparationem ad gratiam (vt fatetur Vasquez *num.* 28.) & *lib.* 1. *de Prædest. sanct. cap.* 19. circa medium, vocat eam vocationem, vt credamus, & vocationem secundùm propositum. Quo sensu Concilium Trident. *sess.* 6. *cap.* 5. ait: *Initium iustificationis sumendum à gratia præueniente*, vt fatetur Vasquez *num.* 29. At verò non 157
omnis tentationum expulsio est à gratia, vt cùm tentatio vrget de maiori peccato, & minus committitur, non est à gratia Dei, vt dicit Vasquez *in hac disp. num.* 181. Vnde etiam D. August. *lib.* 1. *ad Simpl. quæst. illa* 2. ait circa finem: *Cùm agitur de electione Diuina, qua homines eliguntur ad gratiam, nihil Deum in homine eligendo inuenire ante gratiam, nisi maius ingenium, aut minora peccata, aut honestas, vtilesque doctrinas.* Ergo non succubuisse vni tentationi, est ante Dei primum auxilium.

Obiicies primò cum prima sententia illud Deuter. 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in Cœlo situm, vt possis dicere: Quis nostrum valet ad Cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare positum, vt causeris, & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsque deferre: vt possimus audire, & facere, quod præceptum est? Sed iuxta te est sermo valdè, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.* Hîc autem loquitur de tota Lege Decalogi, vt patet legenti. 158

Respondet Vasquez *cap.* 18. è D. Bonau. *art.* 1. *quæst.* 3. Moysen dicere, *Prope est, &c.* quia propè est verbum fidei, quod prædicamus, id est Spiritus fidei, vt exponit Apostolus *Rom* 10. & gratia Christi; ideò mandatum est in tua potestate, &c. vt non sit opus ascendere in cœlum, aut transfretare ad virtutem aucupandam, qua Lex integrè obseruetur.

Obiicies

159 Obicies secundò, quia nulla obseruatio præcepti alicuius naturalis, aut victoria tentationis contra eadem præcepta, est supernaturalis Ordinis. Ergo ex se est nostris viribus proportionata, nec eget auxilio supernaturali.

Respondet D.Bonauent. *ad argumenta, quæst.2. articuli secundi*, præcepta quidem naturalia esse proportionata naturæ, si natura esset sana; At cùm sit infirma, tum naturâ suâ, quatenus sensus contra bonum honestum sæpe appetit delectabile, & aliquam ei pugnam affert; tum maximè ob rebellionem è peccato Originali secutam, non potest homo ea seruare suis viribus; natura enim infirma non potest ea, quæ potest sana. Ità respondent post D.Bonau. etiam alij apud Vasquez.

160 Vasquez *num.164.* hanc responsionem refellit, quia vires infirmi respectu sani diminutæ adeò sunt, vt limitatam valdè contraxerit virtutem, pura solum tot passus eundi; At liberum arbitrium integrum manet, ac liberum, vt necessariò non moueatur, nisi ab obiecto, quod offerat totam rationem boni sub omni ratione boni, quale non est aliquod obiectum culpabile; cur igitur non potest liberum arbitrium infirmum, sicut etiam sanum, totam Legem seruare? Adde, hominem in statu naturæ integræ, & sanæ non potuisse seruare totam Legem naturalem absque gratiæ auxilio; alioqui posset in gratia perseuerare, quod damnatum est in Concilio Arausicano II. *can.19.*

161 Hæc tamen nullo negotio eluuntur. Non enim Seraphicus ponit hanc impossibilitatem in sola infirmitate contracta ex peccato, quæ, licèt cogi non possit, tamen infirmitas ipsa ad omne obiectum non sustinet ex pugna concupiscentiæ inclinantis ad obiectum delectabile, sed etiam in infirmitate naturæ etiam integræ, quæ licèt libera esset, tamen ad bonum commutabile inclinaretur à seducente diabolo, immittente impetus. Deinde non sequitur ob id naturaliter perseueraturum, etiamsi in eo statu seruaret Legem naturæ. Nam ad perseuerandum requiritur, non modò, vt Deus tanquam finis supernaturalis beatitudinis ametur, sed omnia quoque supernaturalia obseruentur, seu possint obseruari; esto non occurrat interim occasio circa omnia: Nam etiam circa præcepta naturalia, potest occurrere, vt nulla sint interim obseruanda, vt si aliquis paulò post iustificationem moriatur; ergone ob id naturaliter perseuerauerit? absit; sed protectione Dei.

162 Præterea plurimi Theologi docent, hominem in statu innocentiæ potuisse perseuerare, vt refert ipse Vasquez *disp.197. cap.2.* quos non satis refellit. Eiusdem verò sententiæ est & D.Bonau. *in 2. dist.14. quæst.2.* qui tamen existimat necessariam esse continuatam Diuinæ gratiæ, iam datæ, influentiam. Magna enim, vt ait etiam Magister, erat in eo statu rectitudo, & viuacitas ad resistendum tentationibus.

Obicit Vasquez Concilium Arausic. *can. 19.* vbi, verbis desumptis è D.August. *epist. 196.* definit, ***Sic natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adiuuante, seruaret.*** Idem habet S.August. de vera Innocentia.

163 Respondet D. Bonauent. *loco cit. ad 1. ibi* S.Patrem velle solùm, etiam in eo statu continuatam gratiæ, iam datæ, necessariam fuisse influentiam. Non autem intendit iniungere, necessariam esse habitualem ad perseuerandum.

Hæc enim esset responsio Gratiam; sed fuisse necessariam continuationem donorum, quibus adiuuaretur Adam ab insidiis; etsi addas etiam efficaciam operandi gratiæ habitualis, quam ei concedit Concilium Mileuit. nil falsum dices, aut friuolum, vt putat Vasquez *loco cit.* Quod verò ipse vrget, non fuisse cum Pelagio de gratia habituali controuersiam, iam suprà refutatum est *quæst.5.* Quod autem negat actiuitatem gratiæ habitualis, confutabitur *disp. sequenti, quæst 4.*

Dices, esto Adam ex vi donorum illorum perseueraret; non tamen sequitur, eum naturalibus nudis perseueraturum, deuictis tentationibus nudo libero arbitrio; ità, vt tota difficultas vincendi sumatur ex corruptione, ob peccatum secutâ. 164

Respondetur, ità esse, & ideò alias præmisi solutiones; hanc verò addidi ad claritatem maiorem huius materiæ. Addam, Donum iustitiæ originalis, licèt supernaturale, tamen habuisse ordinem naturæ. Nam hominem regebat in ordine ad finem naturalem tantùm, vt dixi *part.prima, tract. 11. quæst 19. & 20.*

Obicies tertiò cum secunda sententia. Liberum arbitrium ex natura sua est potestas seruandi irectitudinem; & omni gratia destitutum, liberum est naturâ suâ, nec potest cogi à quolibet obiecto creato. Ergo qualibet graui ingruente tentatione persistet.

Respondet D.Bonauent. *hic*, voluntatem hominis non posse quidem cogi ab obiecto creato, quod non obiicit se sub omni ratione boni; attamen ex magna vi concupiscentiæ liberè, & infallibiliter succumbere, non quia cogatur; sed quia ex illa vehementi propositione obiecti, maximè carnis, ità liberum arbitrium est affectum, vt assentiatur: Ideò eget sustentatione, & auxilio, quod illi prestò semper est, vt vincere valeat, si vult. Neque verò ad libertatem facit, vt liberum arbitrium quodcunque obiectum propositum valeat eligere suis viribus, sic enim, etiamsi fide cognosceret Deum, vt finem supernaturalem; non tamen sequitur esse liberum, vt suis naturalibus viribus eum diligat supernaturaliter; sed eget charitate, vel motu eius. Vnde hæc non est, necessitas, sed infallibilitas, supposita prauâ arbitrij dispositione. 165

Vasquez aliis responsionibus reiectis (in quibus tamen hanc integram omittit,) respondet *n.174.* Tentationem non posse necessitate antecedente vincere arbitrium, sed necessitate consequente, expositione aliqua consequente libertatem, nempè posito quod arbitrium contra talem tentationem non præueniatur bona cogitatione congrua, qua sciebat Deus, tentationem fuisse vincendam: vel posito, quòd Deus tentationem sinat in tali gradu, in quo scit, eam præualituram contra arbitrium; sic enim supponitur euentus consentiendi peccato. 166

Hæc tamen responsio petit principium, & futilis est. Nobis enim est quæstio: Cur naturaliter non possint vinci tentationes graues, solis viribus naturæ, cùm natura arbitrij sit libera. Cur ergo necessarium est Dei auxilium per Christum? 167

Respondere autem has non posse vinci viribus naturæ, quia supposita tali tentatione in gradu illo intenso, debet tentatus præueniri sancta cogitatione, quia Deus sic præuidit necessarium; & ideò hac deficiente labitur arbitrium, quia sic Deus præuidit, est verè petere principium. Tenetur enim Vasquez reddere rationem ex parte principij; cur liberum arbitrium, cùm sit liberum, nec possit cogi à quouis obiecto creato, adhuc egeat auxilio Dei ad standum. Et non sufficiat libertas innata ad eligendum quodcunque obiectum, quod non obiicit omnem rationem boni. Congrua verò cogitatio apposita est, nec probat arbitrij ineptitudinem, sed supponit. 168

Pro

Pro responsione verò ad argumenta tertiæ sententiæ, quæ vrget Vasquez.

Nota primò ex Valentia, Concilia, & Patres solùm negare, posse hominem facere opera bona perfecta in ordine ad finem, qui est vita æterna. Ità exponitur præcipuè Concilium Arausicanum.

169 Nota secundò, quòd quando negant posse vinci tentationes, loquuntur de victoria perfecta, quacum tentatione habetur prouentus, de qua 1. *Cor.*10. Ità D.Bonauent. *art.*1. *quæst.* 2. Alia verò Concilia, & alij Patres asserunt, orandum vniuersaliter, quia nescimus, quibus tentationibus naturaliter resistere valeamus, vt ait Seraphicus *art.*2. *quæst.*2. *ad argumenta secundo loco.* Has responsiones accipit Caspensis *tract. de Gratia*, *disp.* 1. *sect.*7. Sic dicitur: *In te eripiar à tentatione.* Adde, quando dicimus simpliciter tentationem, eam nominamus, quæ est simpliciter talis, quæ grauiter ad malum graue æternæ damnationis impellit. Tandem nostra sententia ex Bulla Pij V. asserenda *quæst. sequenti*, Catholica declaratur.

170 Est autem attentè super omnia obseruandum, Concilia illa, & Patres, quibus Vasquez pugnat, egisse contra Pelagianos, aut Semipelagianos, negantes necessitatem gratiæ, siue omnino, vt Pelagiani; siue ad initium salutis æternæ; ac proinde de vocationibus, victoriis tentationum, & cæteris mediis constanter ad hunc finem perpetuò egisse. Quod si nos his Patribus, & Conciliis vsi sumus ad refellendam primam, & secundam sententiam, hoc est, quia obseruantia totius Legis, & victoria omnium tentationum ad finem facit supernaturalem, non sic victoria singularum; maximè quia inter tentationes sunt aliquæ contra finem supernaturalem.

171 Testimonia verò Pontificum, Zozimi, Cœlestini, & Innocentij solùm nituntur definire contra negantes vniuersaliter necessitatem Diuini auxilij in tentationibus, vt patet legenti; & in ordine ad vitam æternam. Hi enim Papæ egerunt contra eosdem Pelagianos, & Semipelagianos. Idem sentit D.August. & eius discipuli; ex quibus iustam interpretandi hoc modo ansam accepisse fatetur Vasquez *disp.* 190. *num.*69. & quidem *num.*72. multa loca recitat Patrum, in quibus hoc præclarè declarant. Sic D. August. *lib. contra duas epistolas Pelagianorum*, *cap.* 5. & *lib. de Prædest. sanct. cap.*2. & *lib. de gratia Christi*, *cap.*26. & 27. & *lib. de Bono perseuer. cap* 13. Author Hyppognost. *lib.*3. *cap.*1. Discipuli quoque S.August. idem dicunt. S.Prosper *lib. contra Collatorem*, *cap.*19. & 38. S. Fulgentius *de Incarnatione*, *cap.*12. & 13. Petrus Diaconus *lib. de Incarn. & gratia Christi*, *cap.*16. Ioan. Maxentius *in sua confess. fidei*, quæ habetur 4. vel 5. tomo Bibliot. sacræ. Idem sentiunt alij SS. PP. vt notat D.Bonauent. *dist.*28. *quæst. vlt.*

172 Hæc verò latiùs prosequemur *quæst. sequenti*, & probat etiam Tannerus *numero* 98. vbi interpretatur Scripturas, Concilia, & Patres relatos à Vasquez.

Ex dictis habes, nos vinci necessitate, non antecedenti, sed consequenti impotentia morali, vt ait Malderus *quæst.* 109. *art* 8. *disp.*2. Morandus *quæst.*6. Amicus *disp.*26. *sect.*2. & 8.

QVÆSTIO X.

An ad singula opera bona moralis virtutis acquisitæ indigeamus auxilio Gratiæ Per Christvm.

D. Bonau. in dist. 28. art. 2. quæst. 2.
D. Thom. quæst. 109. art. 2.

Videtvr hæc quæstio ex præcedenti soluta, quacum magnam habet connexionem, attamen quia hæc iacit pro nostra præcedenti solidum fundamentum, eam examinabo. Quæstio autem est de Homine peccatore.

Prima opinio est, non posse hominem, sine Dei auxilio per Christum, opus bonum morale facere. 173
Ità Alensis 3. *part. quæst.*69. *membr.*1. *art.*2. Albertus *in* 2. *dist.*28. *art.*1. *ad* 6. Altisiodor. *lib.*1. *sum. tract.*11. *cap.*1. *quæst.*4. Marsil. *in primo*, *quæst.*20. *art.*3. *prop.*4. & 5. & *in* 2. *quæst.* 17. Gerson *tract. de Vita spirituali*, *Alphabeto* 61. *litt. G.* Gregor. *in* 2. *dist.*28. *quæst.*1. *art.*1. Abulensis *in* 29. *Matth. quæst.*174. 175. 178. Alphons. à Castro contra hæreses, V. *Gratia, hæresi prima*, *concl.*3. Dionys. Cisterc. *in primo*, *dist.*17. *quæst.*1. *art.*1. Catherinus *in cap.*3. *Genes.* Clictouæus *in Damascenum*, *cap.* 30. *lib.* 2. *de fide*, Leonardus Aretin. *in Dialogo de moribus*, quem refert idem Clictouæus. Roffens. *art.* 36. *contra Lutherum*, §. *Neutrum sanè potest*, & §. *Quamquam ex disputationibus*, & §. *Verbosis vtitur.* Gaspar Cassatius *de iustitia tripartita*, *part. p. lib.*1. *cap.*35. Iacobellus *in lib. aduersus fidem Medensem*, *contra errorem* 17. Antonius Panthussa *lib. de* 174
Prædest. & gratia, *cap.*6. & *de lib. arb. cap.*6. qui asserit esse communem sententiam Thomistarum, è quibus Capreolus *in* 2. *dist.*29. *quæst.*1. *art.*1. *concl.*4. Deza Archiep. Hispalensis *in* 2. *dist.*28. *quæst.* 1. *art.*1. & 3. Franciscus Romæus, eiusdem Ordinis Generalis magister *lib. de libertate*, & *necessitate operum*, *verit.*14. & 15. & *verit.*22. censet esse doctrinam Patrum. Petrus à Soto *lib. de Inst. Sacerd. lect.*16. *de Pœnit.* quos recitat, & sequitur Vasquez *prima secunda*, *disp.*190. *cap.*2. Pasqualig. *sect.* 5. & 6. *in D. Thom. quæst.*24. *de ver. art.*4. & *in* 2. *dist.*28. *quæst.*1. *art.*1. Citatur etiam *hic*, *quæst.*109. per multos articulos.

Secvnda sententia opposita est, posse hominem in statu naturæ lapsæ in opus aliquod morale suis 175
viribus. Ità Magister *in* 2. *dist.*26. D.Bonauent. *loco cit.* & *opusc. de resurrect. à peccato*; indicat 4. *part. Breuil. cap.*2. Richardus *dist.* 28. *art.*1. *quæst.*1. Durandus *quæst.* 5. Gabr. *quæst.* 1. *art.* 2. Maior *quæst.*1. Aliacus *in primo*, *quæst.*9. Driedo *lib. de lib. arb. tract.*2. *cap.*2. *part.*2. & *cap.*4. *ad* 1. Almainus *tom.*1. *Moral. cap.* 16. Richardus *art.*7. Vega *opusc. de Iustitia*, *quæst.* 12. Sotus *lib.* 1. *de natura*, & *gratia*, *cap.*20. Caietanus, Conradus, Medina *hic*, *quæst.* 109. *art.*2. Bellarm. *lib.*1. *de gratia*, & *lib. arb. cap.*9. Valentia *disp.*8. *quæst.*1. *punct.*3. Suarez *opusc. de Aux. lib.*2. *cap.*7. *num.*23. Aluarez *disp.*50. *num.* 10. & Thomistæ Recentiores omnes, secuti D. Thom. *quæst.* 109. *art.* 2. quem Tannerus *disp.*6. *quæst.* 3. *num.*43. cum cæteris pro hac sententia adductis, sequitur, eamque communem Theologorum sententiam acclamat, quam habet etiam Faber *in primo*, *dist.*61. qui adducit Scotum, eumque sequitur Caspensis *tract. de gratia*, *disp.*1. *sect.*7. Morandus *tract.* 4. *quæst.* 3. Bellarmin. *lib.*5.

lib.5. de gratia, *& lib. arb.cap.9.* Auersa *sect.4.& 5.* Ouied *controu.3.part.1.* Mærac.*tract.de gratia*, *disp.1. sect.* 4. & alij, quos refert, & sequitur Arriaga *disp.* 38. *sect.* 1. Petrus à S. Ioseph Fuliensis *lib.* 4. *cap.2.*

176 Assero cum hac sententia, posse à peccatore fieri aliquod opus moraliter bonum sine gratia.

Probatur primò à D. Bonau. *in 2. dist.39. quæst.2.* ex illo Rom. 2. V. 14. *Cùm enim gentes, quæ Legem non habent, naturaliter ea, quæ Legis sunt, faciunt eiusmodi Legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis.* Vbi vocula *naturaliter*, significat, sensu germano, naturalem facultatem. Hoc testimonio nituntur Valentia, Bellarm. Suarez, Tannerus, Morandus, Arriaga, aliique.

Est autem locus iste hoc pacto expositus à Patribus Græcis, Chrysostomo, Theodoreto, Theophylacto, Origene in Glossa Interlin. atque Oecumenio *in Commentariis huius loci*, & authore Imperfecto *in Matth. homil.8.*

Referuntur ex Latinis Cyprianus *lib.3. ad Quirinum, c.99.* Hieronymus *epist. ad Algasiam, quæst.151.* Haymo ad hunc locum.

177 Addo, non improbari ab Augustino hanc expositionem, *lib. de spiritu, & litt. cap.28.* tametsi intelligat etiam de gentibus ad fidem conuersis, & ex gratia fidei Legem obseruantibus. Vtramque verò expositionem admittit S.August. *lib.4 cont. Iulianum, cap.23.* & *in Psalm.118. conc.25.* vtitur hac nostra expositione ad probandum, omnes peccatores esse Legis præuaricatores, quandoquidem etiam Ethnici Legem habeant in cordibus scriptam, & altiùs mentibus expressam.

Hæc est expositio D.Thomæ, & Caietani ad eum locum. Hoc autem erat institutum Pauli, vt cùm dixisset, sine Lege puniri, qui sine Lege peccauerunt, quod alicui poterat videri iniquum, subdit; non sine omni Lege peccasse, quia Legem naturalem habent gentes infideles; sic enim Gentium nomen significat, vt habetur *Matth.6. Luca* 18. Prima *Cor.15. & 10. & 12.* Quod si de Gentibus ad fidem conuersis loqueretur, vt aliqui exponunt, non potuit dicere Apostolus, eos non habere Legem scriptam.

178 Respondet Vasquez *n.144.* hanc responsionem nequidem vllum ex PP. habere authorem (excepto Cassiano, collat.13.) nec textui esse aptam.

Hæc tamen ficta sunt. Nam Chrysost. & cum eo omnes Græci, dicunt, Gentes seruare Legem ex parte, naturalibus cogitationibus, & naturalibus rationibus, vt fatetur etiam Vasquez *num.445.* Tunc sic arguo: Talis est operatio obseruatiua Legis, qualis est cogitatio prima, qua mediante operamur; ideò enim sanctam cogitationem vbique iniungit Vasquez, præcipuè *disput. 91. p. p. & prima secunda, disp.* 185. vt initium operis à Deo auspicetur. Ideò vbique vrget, Non esse nos sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis; At verò Patres Græci, per te, dicunt operari aliqua opera Legis, naturalibus cogitationibus: Ergo naturali vi, non auxilio gratiæ Diuinæ. Quid tum? Ipse *part. prima, disp.91. cap.11.* & hîc *num.163.* plurimos PP. Græcos ait nobiscum sentire; & eo ampliùs fatetur, nos habere Legem insitam in cordibus. Cyprianum verò non video id asserere, D. verò Hieronymus ex hoc loco arguit, omnes habere Legem insitam in cordibus. Cæteris potior est Haymo; qui hæc expressiùs tradidit.

179 Qvoad D.August. quem miratur *num.147.* Vasquez à nobis adduci. Referam eius verba *loco cit.* de spiritu, & litt. cap.27. *Si autem hi, qui naturaliter, quæ Legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum, quos Christi iustificat gratia; sed impiorum, nec Deum verum veraciter, iusteque colentium, quædam tamen facta, vel legimus, vel nouimus, quæ secundùm iustitiæ regulam non solùm vituperare non possumus, verum etiam meritò, recteque laudamus: quamquam si discutiatur, quo fine fiunt, vix inueniuntur, quæ iustitiæ debitam laudem, defensionemve mereantur.* Hic finit *cap.* 27. Nota particulam (*vix*) quæ supponit, aliqua bona moralia, licèt difficulter, inueniri. Reddit postea rationem, quare aliqua opera talia dentur. Quia imago Dei per peccatum non est omninò detrita. Hoc idem est, quod alij dicunt cum D.Bonau. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, quod rugatis naribus Vasquez reiicit.

Hinc habes malè Vasquez respondere, hos infideles hæc opera facere, postquam imago renouata est; nam D.August. clarè ait. *Vnde meritò dici possit, etiam in ipsa impietate vita sua facere aliqua Legis.* 180

Nec dicat Vasquez, D.Augustinum id non definire. Nam *cap.28.* idem restricat, & dicit, quòd in iudicio Dei minùs punientur, vt notat Faber *num.3.*

Referam quoque textum *in lib. cont. Iulianum,* vbi sic exponit, & concludit: *Gentes sine Lege, naturaliter, quæ Legis sunt, facere, si illud intelligatur sine fide ad hoc eos in die iudicij cogitationes suæ defendent, vt tolerabilius puniantur, quia naturaliter, quæ Legis sunt, vtcumque fecerunt*, particula (*vtcumque fecerunt*) significat eos aliqua fecisse, licèt imperfecta quò ad finem vitæ æternæ, vt suprà dixit.

Denique *Concione illa in Psalm.118.* id habet, quod dixi.

Respondet Gregorius, S.Augustinum fateri, ea opera esse bona ex obiecto, sed deficere è circumstantiis, puta ex fine non honesto, ait Vasquez. 181

Enim verò opera è circumstantiis mala, non sunt, secundùm iustitiæ Leges, laude digna, qualia asserit D. Augustin. esse ea opera infidelium; ait enim S.August. talia opera (*vix*) inueniri, id est, difficilè; non autem, quæ sint minora peccata (vt vult Vasquez:) Decipitur autem exponendo, eos minùs ob ea opera puniendos, quasi minùs illis peccauerint; sed vult dicere, eos per hæc bona opera minùs puniendos de peccatis; eò quòd operibus quoque bonis mixta fuere. De his *cap.28.* ait: *Ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur.* Eodem modò intelligendus est S. August. *lib. cont. Iulianum.*

Prætere a *lib.3. Hyppognost. cap.4.* habetur: *Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habentibus iudicium rationis, non quòd sit idoneum, quæ ad Deum pertinent, sine Deo inchoare, aut certè peragere: sed tantùm in operibus vitæ præsentis tam bonis, quàm etiam malis. Bonis dico, quæ de bono natura oriuntur, &c.* 182

Vasqvez *cap.17.* hoc testimonio spreto, tanquam non Augustini, insudat in eclypsi inducenda in verbis D.August. *de spiritu, &c.* ad obtenebrandam veritatem, vt particula (*si*) initio periodi aliquid sibi respondens postulet, vt sensus ille sub conditione compleatur. Idque *hyperbaton*, & repetitio eiusdem sensus initio *cap.28.* ostendit, quod est immediatè post sententiam, primò suprà allatam.

Sensvs tamen facilis est, nec eclypticis Vasquez lineis indigens. Duobus enim modis, vt dixi, S.August. exponebat illud *Rom. 2.* Primò de Gentibus conuersis, operantibus per fidem. Secundò de Gentibus ex meritis naturalibus. Iam verò particula, (*si*) ibi 183

ibi habet expositionem, Si illud *Rom.2.* intelligatur secundo modo, aliqua vix opera eorum bona reperiri. Incipit verò *cap.28.* his verbis: *Veruntamen quia non vsque adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, vnde meritò dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua Legis, vel sapere.*

184 Hæc est ratio præcedentium, quasi dicat: Expositio suprà allata vera est. Probatur ex imagine non detrita, quia enim remansit naturale lumen, & iudicatorium, atque libertas; cur aliquod bonum naturale arbitrio denegabitur? Itaque non est hucvsque sensus imperfectus, vt putat Vasquez.

Svbdit verò S. August. loco citato de spiritu, & litt. alia verba, in quibus Vasquez *hyperbaton*, quod est vitium orationis, piscatur. *Si hoc est, quod dictum est, quia Gentes, quæ Legem non habent, hoc est, Legem Dei, naturaliter, quæ Legis sunt, faciunt, & quia huiusmodi homines ipsi sibi sunt lex, & scriptum opus Legis habent in cordibus suis, id est, non omni modo deletum est, quod sibi per imaginem Dei, cùm crearentur, impressum est: etiam sic illa differentia non perturbabitur, quæ distat à Veteri Testamentum nouum; eò quòd per Nouum scribitur lex Dei in corde fidelium, quæ per vetus in tabulis scripta est: hoc enim illis scribitur per renouationem, quod non omni modo deletum est per vetustatem.* Vbi concludit Vasquez particulam (*si*) idem esse, ac dato, & non concesso.

185 Pace tamen Vasquez, nullum *hyperbaton* inuenio in D. August. nam, licèt hîc repetat eandem expositionem, non tamen idem omninò deducit, sed aliam subinde consequentiam; nempe data illa expositione, quam suprà veram esse dixit, & probauit, adhuc manere distinctionem inter Legem veterem, & nouam. Hic modus frequens est & necessarius, imò nimium apud Vasquez vsitatus, cum testimonia Patrum, & expositiones Conciliorum, ac Scripturarum affert, vt sæpiùs repetantur, vt inde nouas deducant consequentias. *Hyperbaton* autem est inutilis repetitio, & ideò vitiosa, Augustino Oratore eloquentissimo indigna.

186 Confirmatvr illa expositio *epist. ad Rom.* è Clemente Papa *lib. 7. Constitut. Apost. cap. 34.* vbi ait: *Abraham enim progenitorem nostrum, viam veritatis ex ipsa natura facultate capescentem, cùm ei appareres, tanquam Dux deduxisti, eumque quid tandem esset hoc sæculum docuisti; ac fidem eius antegressa est cognitio; cognitioni verò consequens fuit fides; fidem autem insecuta pactio.* Neque solam fidem, quam obtinuit peculiarem in mysteriis Generationis, præcessit cognitio, vt putat Vasquez, ita vt antè etiam operaretur per fidem; nam clarè dicit, eum ante fidem, quam meminit, facultate naturæ incepisse viam veritatis, vt benè aduertit Turrianus.

187 Probatvr secundò à D. Bonau. *in corpore*, authoritatibus Conciliorum, & sanctorum, qui cùm negant, posse homines viribus naturæ sine gratiæ auxilio bonum operari, addunt limitationem; *quod ad salutem pertineat.* Et hoc modo exponunt Scripturas. Sic habet Concilium Arausic. II. can.7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, aut eligere, siue salutari* (id est Euangelizanti) *prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Euangelio dicentis,* Ioan.15. *Sine me nihil potestis facere*, & illud Apostoli 2. Cor.3. *Numquid idonei sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis? Sed sufficientia nostra ex Deo est.* Idem vult *can.9.* quo male vtitur Vasquez. Similem *eodem can.7.* ponit limitationem operum, quæ egent Dei auxilio, & vocat opera *sicut oportet* facta: idem habet *can.27.*

Similiter Concilium Trident. *sess. 6. can.3.* definit. *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit.* 188

Illvd autem (*sicut oportet*) dicitur, vt ostendatur, hæc definiri à dono Dei, quatenus ordinantur ad vitam æternam, & sunt initia salutis, vt notat Vasquez ipse *disp.86. num.4.* Signum ergo est, dari aliqua bona opera è solis viribus naturæ. Licèt enim argumentum sit negatiuum, tamen valdè est contra Vasquez efficax, qui suam opinionem in Conciliis istis definitam gloriatur.

Confirmatvr *ex can.1. Concilij Trid.* ead. sess. *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ, vel per Legis doctrinam fiant, absque Diuina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo; anathema sit.* Vbi planè supponit posse, aliquos actus, naturæ viribus, fieri bonos. Hoc argumento vtitur Tannerus *num.60.*

Capite 11. eiusdem sess. aliud habetur argumentum, vbi ait: *Nam Deus impossibilia, non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere, quod non possis.* Vbi Concilium aliqua opera ponit, quæ nos possumus nostris viribus facere; alia verò, quibus auxilium Dei necessariò petendum. 189

Respondet Vasquez *num.161.* sensum esse: Deus monet facere quod possis, id est opus, quod præcipit, & petere auxilium gratiæ. Hic clamat, nos præstigiis verborum agitatos.

Vervm hæc verba non sunt nobis præstigiis apparentia. Sensus enim germanus est: Deus non præcipit impossibilia (& subdit verba his relatiua, de his, quæ præcipiuntur) vt moneat facere ea, quæ possis, & petere executionem eorum, quæ non possis. Nam si non de operibus, sed de auxilio id intelligeret, non diceret, *& petere, quæ non possis*, sed petere, quæ non habes, vel petere id, sine quo non potes. 190

Confirmatvr ex Bulla Pij V. edita anno 1567. & à Gregorio XIII. *anno* 1579. confirmata, qua nonnullæ propositiones Michaelis Baij Doctoris primarij Louaniensis condemnantur, quibus damnabat Pelagianismi dicentes, posse bonum morale viribus liberi arbitrij, absque gratia fieri, aut tentationem aliquam superari. Hæc continebantur *prop. 29. 30. 36. & 61.*

Respondet Vasquez, ibi damnari Michaelem Baium; eò quòd nostras sententias de facultate arbitrij ad vincendas tentationes, & opera moralia, grauiori censura Pelagianismi notaret; non autem quia eas sententias refutaret. 191

Vervm cùm nostri aduersarij vrgeant contra nos Concilia, & Patres, scribentes contra Pelagium, & asseclas, atque semipelagianos, aduersarios Diuinæ gratiæ, quos solos aiunt, Scripturas intellexisse in nostro sensu, præcipuè illam *Rom.2.* sequitur, nos ab his eiusdem notæ atro carbone notari, atque adeò illos cum Baio damnatos, qui perperam authoritatibus, & argumentis contra Pelagium eiaculatis, contra nos pugnant. Taceant igitur, & fasciculo inuoluant illas suas chartulas, quas satis superque eluimus *hac Bulla.*

Inter

192 INTER eas licet numerare vigesimam tertiam, quæ est talis: *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli*, Rom.2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, ea quæ Legis sunt, faciunt*, intelligunt de gentibus, fidei gratiam non habentibus. *Hæc est propositio damnata.*

VASQVEZ verò *cap.* 15. clamat, omnes Patres orthodoxos explicare de solis habentibus fidem; & solum Cassianum, quippè pugnacem gratiæ aduersarium, id exponere de infidelibus; conatur verò id dictum è D. Fulgentio *lib. de Incarn. & gratia, cap.* 25. eruere. Sed D. Fulgentius solùm redarguit deducentes ex hoc loco, totam Legem, & omnia opera bona absque Dei auxilio posse fieri.

193 Ex his igitur habemus, damnari Baium; eò quòd censurâ notaret nostram sententiam, eamque Catholicam à Pontifice astrui, ac definiri. Quiescat igitur Vasquez tot, aduersus nos, acies Pelagij expugnatrices instruere.

PROBATVR verò tertiò nostra sententia validis rationibus D. Bonau. *locis adductis.* Prima ratio sumitur ex facilitate, qua experimur multa bona opera moralia fieri, ex qua sequitur multò magis inesse facultatem ad talia opera, ad quæ alludit Christus, Matth. 5. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Videmus enim, aliqua nos habilitare, virtute, & affectu allectos, facilè in iis amandis, atque omni studio, atque officio prosequendis libentissimè versari. Quæ omnia nihil ad salutem consequendam faciunt, idque etiam à perditissimis fieri, luce clariùs experimur.

194 RESPONDET Vasquez, hæc opera esse conformia naturæ, tamen requiri gratiam præuenientem, vt cogitent de illo bono. Non enim potest naturaliter de eo cogitare.

VERVM hanc sanctam Vasquez cogitationem ad sola opera salutis esse necessariam, suprà vidimus ex Concilio Arausic. II. *can.* 7. & *superiori quæst.* ex PP.

Deinde non solùm necessaria esset sancta cogitatio, sed etiam gratia cooperans, quod Vasquez non admittit *num.* 172. Si enim necessarium est intellectui auxilium, vt cognoscat; erit necessarium etiam voluntati, vt operetur.

Addit autem Vasquez, cogitationem congruam solis prædestinatis esse præparatam, quod est chimæricum, vt dixi *quæst.* 4. *dub.* 2.

195 PRÆTEREA quàm sæpe occurrent mihi amici, vel consanguinei, ac illicò moueor ad eorum obsequium: si verò sint extranei, non ita; quod signum est affectus innati, è cognitione naturalis exilientis. Vide quoque Fauentinum à *num.* 12. confutantem.

SECVNDA ratio S. D. est, qua vtitur Faber. Si homo viribus arbitrij non esset aptus alicui bono proportionato morali, esset brutis infœlicior. Probatur. Nam brutum bruto obsequitur, auxiliatur, cooperatur, & ex naturali instinctu compatitur. Ergo & homo homini; vnde ei subuenit, dat eleemosynam, &c.

RESPONDET Vasquez adhuc vrgens, sed non solidè, hæc hominem non posse ob sui nobilitatem, quâ subditur Diuinæ prouidentiæ, per gratiam gubernanti.

196 CONTRA. Nam subiicitur etiam gubernationi vniuersali naturæ: Ergo per eam potest aliquid. Præclarum de hoc habemus argumentum è D. August. *lib. de perfectione iustitiæ, ad ratiocinationem* 17. vbi ait; velle nubere, quod Apostolus ait 1. Cor. 7. non esse peccatum; non esse tale opus, qualia sunt ea, quæ Diuinam misericordiam, & gratiam prærequirunt. Sic enim Cœlestio obiicienti eum locum contra necessitatem gratiæ, Respondet D. Augustinus *Videte obsecro, quale sit, ideò volenti, & currenti misericordiam Dei non esse necessariam, quæ illum etiam præuenit, vt curreret; quia de quodam ait Apostolus: Quod vult faciat, ibi, vt arbitror, vbi sequitur, & dicit: Non peccat, si nubat. Quasi pro magno habendum sit, velle nubere, vbi de adiutorio Diuinæ misericordiæ operosiùs disputatur.*

RESPONDET Vasquez *num.* 167. ibi D. Augustinum solùm inferre, esto concederem Pelagio, velle hominem, sine Dei auxilio per Christum, ducere vxorem; hoc tamen parum iuuaret Pelagium, & alios, qui contendunt probare, posse hominem totam Legem seruare, ob id tamen non asserere D. August. id fieri posse sine gratia. 197

ADDIT Vasquez, D. August. hac responsione non contentum, ne hoc admittere videretur opus sine gratia, subdidisse: *Aut verò ibi prodest aliquid velle, nisi Deus sua prouidentiâ, qua gubernat omnia, marem, fœminamque coniungat.*

AT quis non videt inane hoc responsum? Nam cùm suprà concessisset, nuptias naturali libertate fieri, nec Pelagio id denegasset; subdit, non aliud responsum, sed iterum in naturalem prouidentiam id reiiciendo, nec de his, se ait disputare cum Pelagio. Non autem vocasset eam prouidentiam, qua gubernat omnia, si ageret, vt ait Vasquez, de prouidentia Gratiæ; hanc enim semper cautus à dolis Pelagij S. August. *prouidentiam misericordiæ, reparationis, gratiæ, &c.* nominat, quia vniuersalem Pelagius tantùm admittebat.

COMMVNI igitur, ac vniuersali prouidentiæ Dei hæc auxilia ad talia opera adscribit D. Augustinus, vt opera naturæ humanæ, rationi obsequentis. 198

TERTIA ratio. Quod potest arbitrium magis infirmatum, potest etiam multò magis arbitrium minus infirmatum; sed potest aliquis vanè gloriosus prædicare Euangelium, vel aliud opus bonum facere: Ergo multò fortiùs id facere potest, qui vitio non est infirmatus in tali gradu.

QVARTA. Qui potest difficiliora, potest etiam faciliora: sed auarus potest dare absque gratia, quæ retinet, ea ex prodigalitate dissipando: Ergo aliquis potest itidem eadem vi dare aliquid in eleemosynam alicui indigenti consanguineo.

QVINTA ratio. Quia liberum arbitrium adhuc remanet, & est alicuius potentiæ, & habet naturale iudicatorium prosequendi bonum connaturale honestum proportionatum; non enim natura est corrupta, sed solùm infirmata: Sicut autem infirmus potest se ipso aliquem motum habere, licèt non perfectè motu hominis sani; ita etiam in casu nostro, vt ait etiam D. Thomas *hic.* Hac ratione vtitur quoque Tannerus, *num.* 78.

QVOD enim Vasquez dicit *num.* 172. bonum esse proportionatum, sed necessariam esse sanctam cogitationem præuiam; repulsum est suprà; nam sola opera supernaturalia requirunt auxilium supernaturale, vt proportionatum. 199

SEXTA ratio habetur, *opusc. de resurrectione à culpa*, & *in hac quæst. in corpore*, qua nititur etiam Tannerus *loco cit.* Quis enim ignorat, hominem in puris naturalibus nunc habere naturale lumen de parentibus honorandis; & cùm habeat organa exteriora, posse id exequi, prout dictat lumen rationis absque opere gratiæ superaddito? Et quidem aliqua bona opera faciliùs, quàm praua nos exequi, experimur; dulcius etiam, atque faciliùs est parentes colere, quàm mortem pro hæresis defensione oppetere, vel facultates in mare ob tempestatem proiicere.

PROBATVR quoque ad hominem contra Vasquez: Paulus *Rom.* 3. negat, iustificari hominem ex operi- 200

bus; sed non loquitur de operibus factis ex gratia; hæc enim disponunt ad iustificationem: Ergo de operibus factis, solis viribus naturæ: Ergo supponit aliqua opera à nostris viribus prodire; alioqui frustra excluderet illa, quæ tamen excludit, vt ipse Vasquez exponit *prima secunda*, *disp*.210. *num*.71.

Respondet Vasquez, *ibi* non ideò negare Apostolum, posse nos disponi ad iustificationem per opera nostrarum virium; eò quòd talia opera possibilia sint sine auxilio; sed quia sine tali auxilio nullus potest esse *factor Legis*, sed solùm *auditor*.

201 Contra tamen est efficacissima oppositio. Nam Apostolus Rom. 3. ait: *Exclusa est gloriatio tua. Per quam Legem? factorum? Non: sed per Legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus Legis.* Et cap.4. *Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Et ad Galat. 2. ait: *Non iustificatur homo ex operibus Legis.* Idem Philip. 5. Iam verò cùm S.Iacobus è contra dicat, nos ex operibus iustificari, vt dicam *disput*. 3. *quæst*. 11. Vasquez sic exponit, vt Apostolus Paulus excludat opera Legis: Esset autem impertinens, si talia non possent fieri, vt dicam, & ostendam etiam *disp*.3.*quæst*.11.

202 Confirmatur è D.August.qui per opera Legis, quæ excluduntur à iustificando, intelligit opera, quæ solis viribus nostris fiunt. Ità *lib.de gratia, & lib. arb. cap*.7.& *de Prædest. sanct. cap*.7. & *præfat. in Psal*. 31. & alibi, & D. Hieronymus *epist. ad Tesiphontem*, vt notat Bellarm. *lib*.1.*de Iustificatione,cap*.19.

Obiicies primò. *Ioan*.15. dicitur: *Sine me nihil potestis facere.* Et 1. Cor.4. *Quid habes,quod non accepisti?* Et infrà: *Non quòd simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis:sed sufficientia nostra ex Deo est.*

203 Respondit D. Bonauent. sensum esse, nihil nos posse eorum, quæ ordinantur ad vitam æternam, vt dixi cum Concilio Arausic.II.*can*.7. Subscribunt Valentia, Faber, Caspensis, & alij.

Respondet secundò, Nihil nos posse sine concursu Dei vniuersali.

Obiicies secundò Concilium Palæstinum, vbi Pelagio iniunctum est, vt fateretur necessitatem Diuini auxilij ad omnes actus, quam confessionem refert S.Aug.*epist*. 106. & 107. Itidem Concilium Arausic. *can*.9. definit, Quoties bona agimus, Deum in nobis, & nobiscum operari. Idem habet *can*. 20. vbi adducit illud Ioan. 15. *Sine me, &c.* Idem docet Cœlestinus Papa *ad Episcopos Galliæ*.

Respondet Seraphicus, Concilia loqui de actibus, quibus Pelagius negabat necessitatem gratiæ, id est,de conducentibus ad vitam æternam; pro hoc enim solo fine Christus mortuus est. Idem omninò vult D. August. qui eos solos actus virtutis vocat, qui sunt facti propter Deum, vt refert Faber *ad* 8. & refert S. Bonauent. *art*.2. *quæst*.3. Hoc enim erat intentum Conciliorum astruere contra Pelagium, gratiam esse necessariam ad opera salutis.

Obiicies tertiò. Sine auxilio gratiæ non possumus referre actum in Deum, quod est necessarium ad actum virtutis.

204 Respondetur ad actum virtutis satis esse, si fiat ob honestatem virtutis ex 2. *Eth. cap*. 4. & hoc vult S. August. cùm dicit, opera, quæ non ex charitate fiunt, non esse bona; intelligit autem, quæ non fiunt ex fine virtutis, vt patet *lib*.4.*contra Iulianum, cap*. 3. vbi amorem continentiæ vocat charitatem. Idem habet *lib. de gratia, & lib. arb. cap*. 18. vbi inquit; facere opus ex charitate, esse facere ex amore Legis. Et clariùs *lib. contra duas epistolas Pelagianorum, cap*.9. vbi dilectionem iustitiæ accipit pro charitate.

Nota verò locum insignem D. Aug. *lib*. 4. *contra Iulianum, cap*.3. vbi profitetur, se ea bona simpliciter appellare, quæ conducunt ad vitam æternam, esto alia sint moraliter bona. Itaque quando S. August.& alij PP.dicunt, non posse fieri bonum absque auxilio gratiæ, loquuntur de bono simpliciter, quod ad vitam æternam conducit. Hoc textu torquetur Vasquez.

QVÆSTIO XI.

An possit Homo amore amicitiæ diligere Deum super omnia, sine auxilio gratiæ.

D.Thom.quæst.119.art.9.

Qvæstio nostra agitatur in statu naturæ lapsæ; nam de statu naturæ integræ satis egi *prima primæ tract*.4.*disp*.3.*quæst*.7. vbi de Angelis actum. Idem verò dicendum & de Homine in statu integro, *ibidem* aduerti. Subscribunt Suarez *lib*. 1. *cap*. 25. Tannerus *hic, disp*.5. Arriaga *disp*. 41.*sect*. 1. Morandus *cap*. 6. allegans vtrumque Sanctum Doctorem. 205

Prima igitur opinio videtur Scoti *in* 2. *dist*. 28. *quæst*.1.§.*Ad quæstionem potest dici*; vbi docet præceptum illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, obseruari posse in statu naturæ lapsæ, ex viribus propriis, quamuis non sine gratia gratum faciente; non quia gratia gratum faciens, ex ratione principij roboret naturam ad illos actus; sed quia ex illis actibus, naturaliter elicitis, sequitur iustificatio de congruo. Idem habet *in primo, dist*.17.*quæst*. 2. §. *Ad solutionem huius quæstionis.*

Hunc modum dicendi sic excusat Vega *quæst*.10.*de Iustific*. Scotum non negare necessitatem auxilij gratiæ; sed gratiæ habitualis iustificantis, influentis ad actum dilectionis ex parte voluntatis, licèt ex parte intellectus concedat, non esse necessarium. At Vasquez *prima secunda,disp*.194.*cap*.1. hanc excusationem respuit, & meritò; Nam verba Scoti sunt de auxilio, vt notat Vasquez, & idem de intellectu, & voluntate asserit, vt notat Fauentinus *loco citando*. 206

Neque Scotus distinguit dilectiones in Deum, vt finem supernaturalem, & vt finem naturalem, vt quidam falsò referunt. Nam *in* 3.*dist*.27.*quæst*.1. §. *contra primam*, inanem existimat eam distinctionem.

Igitur Fauentinus *in* 4.*disp*.14. *cap*.2. latiùs enititur Scotum ab hac opinione vindicare, ostendendo, illum concedere auxilium generale esse necessarium ad hos actus dilectionis; auxilium autem generale vocat gratiam præuenientem. 207

Probat verò hoc ex multis Scoti locis, quæ parum admodum roboris obtinent.

Primus locus habetur *quæst*.21.*quodlib*. vbi Scotus ponit prouidentiam Dei specialem ad facienda nostra merita; concursum verò generalem; quo concurrit cum omnibus causis finendo, eas agere motus suos.

At concursus hic generalis concedebatur etiam à Pelagio, qui aiebat, auxilium vniuersale esse creationis continuatæ, vt confirmatur è D. Aug. *epistolis* 90. 95. 105. 106. & 107, & ex Concilio Mileuit. *can*. 4. & Africano, circa tempora Bonifacij *can*. 79. vt notat Soto *lib*. 1. *de natura, & gratia, cap*. 1. Vasquez *p. p. disp*. 99. *cap*. 4. *disp*.88.*cap*. 1. qui ideò Scotum proclamant fauentem Pelagianis.

Secundus locus est *in* 2. *d*.37. vbi ponit, voluntatem non esse totalē causam sui actus, sed egere concursu Dei; At persistit adhuc in concursu generali allato.

Tertius locus est *in* 3.*dist*. 29. *quæst. vnic. in corp. quæst*. 208

quæst. vbi docet, Christum meruisse omnibus, qui primam gratiam recipiunt, collationem eius. At non ob id euacuatur, quin dicatur homo de congruo absque auxilio gratiæ, se per dilectionem disponere.

QVARTVS locus est *in 4. d.14. quæst.2.* & *in primo d.17. loco cit.* vbi ait, quòd homo peccator cum communi influxu Dei potest considerare peccatum, vt offensiuum Dei, & atteri. Vbi non ait, id posse ex puris naturalibus; sed ex viribus naturalibus; non tamen vult ex illis solis. At hæc ludicra sunt. Quorsum enim id viribus naturæ concedit, nisi pro vt contraponitur viribus adiutis gratiâ Dei, quam iniungit necessariam ad actum charitatis perfectissimum? de quo agit *quodl.17. art.1.*

209 QVOD verò adiungit Scotus, requiri influentiam generalem, quam Faber *num.34.* vocat gratiam præuenientem, communem omnibus hominibus; non iuuat. Nam in idiomate SS. Patrum, & Conciliorum, influxus generalis, communis est omnibus creaturis; quem etiam Pelagius necessarium fatebatur.

VBI tamen Scot. *in primo, dist.46. ad 1.* ait, Deum velle salutem omnibus, quia vult sanè omnibus auxilia communia antecedentia ad salutem omnium: Videtur asserere gratiam præuenientem esse commune auxilium. Idem videtur *in 2. dist.37. quæst. vlt.* Attamen generalem influentiam, non communia adiutoria, hæc, alibi nominat; at *quodl.21.* omne adiutorium necessarium ad gratiam, vocat speciale, vt fatetur Faber *num.27.*

210 EGO sanè Scotum, virum eruditissimum, atque Catholicum, non possum cum Pelagio componere. Fateor tamen ipsum impropriè locutum, & *in hac quæst.* nimis laxè, nec satis video eum defendi, vt dicam *quæstione 14.*

HANC verò primam sententiam secuti videntur Caietanus *tom.1. opusc. tract 4 q.1.* licèt in hoc articulo oppositum astruat, Nominales, Gabr. *in 3. d.17. q.1. art.3. dub.2.* referens pro ea Aliacum, & Ocham. Consentiunt Almainus *tract.2. Moral. cap.9.* & *in 3. d.27. quæst.1.* & dicam *quæst.14.* Maior *in 2. d.1. quæst.5. dub.3.* Durandus *in primo dist.17. quæst.2. ad 1. & 2.*

211 SECVNDA sententia est, amorem erga Deum, vt finem naturalem esse viribus nostris consentaneum; non autem amorem erga Deum, vt finem supernaturalem: Ità ait Soto *lib.1. de natura, & gratia, cap.22.* & aliqui Recentiores Thomistæ *in hoc articulo.* Hanc verò distinctionem Dei, vt finis naturalis, & supernaturalis, admittunt etiam Altisiodor. *lib.2. Sum. tract.2. cap.4.* S. Thom. *hic,* & *p. p. quæst.60. art.5.* Alensis *2. part. quæst.91. in 2. ad 7.* & *quæst.31. in 3.* cum D.Bonau. *in 2. d.3. art.3. q.1. ad 3.* quos sequuntur Richard. Caiet. & Conradus infrà allegandi, Abulensis *in c.19. Matth. q.171.* & omnes alij, vt notat Suarez *de necessitate gratiæ, c.34.* excipe Vasquez *loco cit.* & Pasqualigum *disp.43. sect.8. num.43.*

212 DOCENT igitur Sotus, & alij Thomistæ, dilectionem Dei supernaturalem, sine auxilio Dei habere non posse, cùm sit meritoria vitæ æternæ, quæ ratio est D.Bonau. *in 2. d.3. part.2. art.3. quæst.2. fund.3.* & *d.5. art.3. q.1. arg.3. fundamentali;* at verò naturalem inefficacem posse haberi viribus naturæ, non autem efficacem, quæ habet sibi coniunctam Legis obseruantiam: Hanc tamen potuisse haberi in statu naturæ integræ, & ab Angelo similiter sine auxilio peculiari gratiæ. Hi secuti sunt D.Bonau. *loc. cit.* vbi de Angelo idem affirmat, quod de homine in integra natura. Eam secutus est etiam Richard. *in 2. d.28. art.1. quæst.1.* Caiet. & Conrad. *in hunc articulum,* qui tamen non distinguunt duplicem amorem efficacem, & inefficacem; tametsi distinguant duplicem amorem erga Deum; alterum vt finem naturalem; alterum vt supernaturalem. Idem quoad statum naturæ corruptæ docet Valentia *disp.8. quæst.1. p.4.* negans dilectionem Dei efficacem viribus naturæ. Id ferè Fuliens. *lib.4 cap.3.* admittens aliquam beneuolentiam in hoc statu.

MORANDVS *tract.4. quæst.4.* postquam negauit, posse amari Deum super omnia, non super omnia diuturnè cum D. Thom. discipulis, & Concilio Araus. *can.21.* asserit, eum posse diligi super omnia, absque gratia, aliquo momento. Allegat D. Thom. *quodl.1. art.8.* Medinam *hic, art.3.* Bannem *2.2. quæst.10. art.1. dub.2. ad 4.* Amicum *tom.3. disp.26. sect.6. num.262.* Molinam *in concord. quæst.14. art.13. disp.14.* Loream, & alios, quos sequitur Arriaga *disp.39. sect.3. & 5.* Suarez *3. part. tom.4. disp.3. sect.7. num.4.* & ait, esse contra D.Bonauent. *2. dist.3. art.1. quæst.3. ad 1.* contra D.Thom. *hic, art.3.* Bellarminum *lib.6. de Gratia, & lib. arb. cap.7.* Pasqualigum *loco cit.* Valentiam, Tannerum, Caspensem, Ouied. Auersam, aliosque. 213

SED D. Bonau. *dist.3. part.2. art.3. quæst.1. ad 1.* hoc non dicit; neque de momentaneo, vel diuturno amore loquitur; sed concedit, naturam diligere Deum super omnia, etiam dum sibi beatitudinem cupit.

TERTIA sententia est, non posse Deum diligi vllo modo absque auxilio gratiæ in quouis statu. Ita Vasquez *disp.194. cap.4.* & quotquot præcedenti quæst. allegati, idem de omni bono opere morali negant. Adde Viruesium *Philippica 5. in Lutherum,* Vegam *quæst.10. de Iustif.* Marsilium *2. q.18. art.2.* & *in primo q.20. art.3. post 5. concl.* & alios apud Tannerum *prima secundæ, tract. de Gratia, disp.4. dub.2.* vbi eam amplectitur sententiam cum Pasqualigo *disp.43. sect.8. n.83.* 214

NOTANDVM primò, dilectionem Dei super omnia esse comparatiuam, quam sanè comparationem varijs modis interpretantur Doctores.

ADRIANVS *in 4. quæst.2. de Sacram. pœnit. & quodl.5. art.3. principali, §. His præmissis,* vult, debere, esse intensissimum, quod probat ex Deuter.6. *Diliges Dominum ex toto corde, & ex tota anima tua, &c.* Hunc modum dicendi impugnat Vasquez *num.12.* aliique apud eum, è D.Bonau *loco citando,* & *in 3. dist.27. quæst. vlt.* Primò, quia perfectio charitatis summa, est propria status perfectissimi, qui est patriæ, vt latè probat ibi S. D. & nos ostendemus *2.2. tract. de Charitate;* Estque assertum D.August. D.Anselmi, &c. vt notat Fauent. *tom.1. disp.61. num.6.*

SECVNDO, quia à concupiscentia impediti, & carnis grauamine depressi, ferè nunquam operamur intensissimis actibus. 215

TERTIO, quia actus virtutum habent latitudinem, vt docet ibi Seraphicus *in 4. d.16. cit.* Petrus Soto *lib. de Instit. Sacerd. lect.4. & 5. de pœnit.* ait, debere esse intensiorem cæteris amoribus; ita vt intensiùs Deum diligamus, quam cætera; non quidem intensione sensibili, sed spirituali. Pro hac sententia Vasquez *n.13.* adducit quoque Seraphicum *in 4. d.16. art.2. q.1.* Alensem *4. part. q.17. memb.2. art.1. §.2. & 5.* Durandum *in 4. disp.17. quæst.4.* Tannerus *2.2. disp.2. quæst.3. dub.2.* adducit etiam Scotum *3. dist.27. quæst.1.*

COMMVNIS sententia est, amorem Dei, & dolorem de peccatis, debere esse maximum appretiatiuè; ità, vt pluris æstimet Deum, quàm cætera omnia. Ità Gabr. *in 3. d.27. q.1. art 2. concl.6. & 8.* Maior *in 4. d.24. q.2. §. Nunc deuenio.* Ioan. Medina *Cod. de pœnit. quæst.5.* Dominicus Soto *in 4. d.17. q.2. art 4.* Nauar. *in Sum. cap.1. n.26.* Syluest. *in Sum. V. contritio, q.1.* Vasquez *loco cit. cap.3.* Et hæc est sententia S.Bonau. *loco citato,* à Vasquez, vbi ait: Ad hoc, vt aliquis habeat Charitatem, necesse est, quòd Deum diligat super omnia. Hoc autem est diligere Deum super omnia, 216

nia, quod pro nullo damno, vel commodo velit offendere Deum. Idem sequitur de contritione.

217 VARIIS autem modis explicant Doctores hanc appretiationem. Aliqui dicunt, in hoc eam consistere, vt statuat sibi homo magis dilapidationem omnium bonorum, & irruptionem omnium malorum, quàm Deum offendere.

Hunc tamen modum confutat, Vasquez quia tale expressum propositum non requiritur ad dilectionem Dei: Sed petit principium, nullam reddens rationem; at verò Seraphicus *loco* ab eo *citato in corpore*, & *ad vlt.* probat. Quia illa prælectio omnis pœnæ, magis quàm culpæ, cùm non semper occurrat, sed rarò, tunc solùm obligat, quando ingruit alternatiua: Ergo non simpliciter; Quinimmò, cùm hoc sit infirmis arduum, dissuadet S.D. id proponere etiam pœnitentibus; quod si ipsi id protestentur, laudandus Deus.

218 DOMINICVS Soto, & alij moderni dicunt, hunc amorem non consistere in quadam maiori teneritudine, sed fortitudine. Sic enim & mulier teneriùs diliget catellum, quàm filium, tamen validior erit amor in filium, & ideò præliget saluare filium, non catellum à nece.

VASQVEZ *num.* 15. nescit hanc distinctionem videre in re. Vidit tamen eam Seraphicus *in* 3. *dist.* 28 *q.* 1. nam teneritudo hæc extenditur ad obiecta etiam amoris, qui non est charitas; vnde S.P.N. Franciscus mira teneritudine ferebatur in creaturas, etiam irrationales. Amor verò, qui dicitur fortis, fertur in obiectum solum charitatis; vnde ad mensuram obligationis ipsius charitatis debet intendi, & validari amor, qui est charitas, & quia Deus super omnia diligendus, ideò appretiatio in æstimatione consistit, vt implicitè Deus præ omnibus obiectis prævaleat in corde, & explicitè in ore & opere, datis occasionibus, vt notat S.D. *in* 4. *loco cit.* & latiùs *in* 3. *dist.* 29. *quæst. vlt.* vbi teneritudinem vocat muliebrem affectum. Sed de his 2.2.

219 ALII dicunt, amorem Dei super omnia esse, quia à nullo contrario amore vinci queat.

Verùm vt optimè notat Vasquez sub *num.* 17. è D.Bonau. *in* 3. *dist.* 27. *quæst. vlt.* amor Dei super omnia, sæpè à concupiscentia euincitur, & trahit ad mortem.

ALII dicerent, consistere in maiori vehementia, quæ alios superet amores.

Hunc modum impugnat Vasquez *num.* 18. Nam experimur nos intensiùs dolere, non modò sensu, sed etiam spiritu, de morte Patris, quàm de offensa Dei; eò quòd vehementiùs rationes amissionis parentis nos percellant, quæ sensibiliores sunt. Ideò & *Ioan.* 1. *cap.* 4. ait: *Qui non diligit fratrem suum, quem vidit, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Quæ ratio est D.Bonauent. *in* 3. *dist.* 27. *art.* 2. *quæst.* 5. *in argumento primo.*

220 VERA igitur ratio amoris Dei, & doloris de peccato appretiatiuè (vt aiunt) in eo solo posita est, vt Deus quocunque gradu intensionis ametur vero affectu amicitiæ, & eodem affectu amicitiæ erga Deum peccatum detestemur; hoc autem contingit quoties Deo voluntas bonum aliquod vult, vel de bono ipsius gaudemus, quia bonum illius est ex complacentia ipsius, & quoties peccatum detestamur hac sola ratione, quia offensa eius est, non ex complacentia nostri; sed ex complacentia ipsius Dei. Idem habet Seraphicus *in* 3. *dist.* 29. *quæst.* 2. *in corpore*, vbi hanc amoris appretiationem ait in eo positam esse, vt Deus ametur tanquam finis, quia summum bonum, quod laté prosequitur ibi, vnde Vasquez *num.* 19. hanc hausit doctrinam.

NOTA secundò è D.Bonauent. *in* 2. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 3. *quæst.* 1. *in corpore*, solidam esse diuisionem amoris erga Deum: vt alter sit naturalis; alter supernaturalis, quæ est etiam doctrina D.Thomæ hic *ad* 1. *&* 2.2. *quæst.* 26. *art.* 2. & *part. prima*, *quæst.* 62. *art.* 2. & aliis locis, quos sequuntur Thomistæ, allati pro secunda sententia, & alij quoque tertiæ sententiæ, vt Tannerus, & Valentia *locis adductis:* Ex tribus verò capitibus probat Seraphicus hanc diuisionem. Primò ex parte modi diligendi; nam sicut duplici amore nos Deus prosequitur; naturali videlicet, quo nos naturæ dotibus, atque bonis afficit; & supernaturali, quo in supernaturalem beatitudinem per gratiæ dona nos dirigit; ita duplicem à nobis exigit dilectionem, Vnam naturalem, qua in illum feramur, quatenus naturæ bonis nos dotauit, atque adeò, quoad illum, vt authorem naturæ, referimur. Alteram supernaturalem, qua in illum dirigimur, vt authorem donorum supernaturalium, seu quatenus nos per dona supernaturalia ordinat ad supernam beatitudinem; quo fit, vt prior dilectio feratur in Deum, sibi in naturalibus bonum, iuxta hæc quæ naturæ sunt consentanea: altera verò secuta fidem, in cuius obsequium captiuus intellectus mouet affectum, vt captiuetur ad opera, quæ supernaturaliter nouit, etiamsi appetitui repugnantia, vt contemnere opes, honores, &c. 221

HINC colligitur secunda diuersitas horum amorum; Naturalis enim è cognitione naturali; Supernaturalis verò è supernaturali per fidem ortum habet. Cognitione autem naturali nouit Deum, vt authorem naturæ: at supernaturali, vt authorem bonorum supernaturalium; imò in se bonum bonitate diffusa in tribus personis; & inde ad nos diriuante; vt latè edisseram 2.2. *tract.* 1. *disput.* 8. *quæst.* 9. 222

TERTIA diuersitas est ex motiuo. Naturalis enim fertur in Deum, vt bonum sibi entitatiuè, à quo habet omne bonum, quod naturâ nititur; at supernaturalis fertur in Deum ex motiuo supernaturali, quatenus est ad Deum, vt beatitudinis supernaturalis obiectum optimum super naturam: Qui modus ferè in primo concluditur.

ASSERO in statu naturæ lapsæ non posse diligi Deum super omnia perfecto amore naturali, absque gratia. 223

PROBATVR primò à Vasquez *cap.* 4. & Valentia *loco cit.* quia omnis charitas in Scriptura commendata, est donum Dei, Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Galat. 5. *Fructus Spiritûs Charitas.* Prima Ioan. 4. *Charitas ex Deo est.* Neque Scriptura distinguit dilectionem naturalem (ait Vasquez) à supernaturali.

HOC tamen argumentum est friuolum; quia, vt suprà notauit Valentia cum Seraphico, in Scriptura habetur distinctio horum amorum, vbicunque proponitur Deus, vt obiectum naturale, quatenus vnus Creator, Conseruator, Bonus naturæ, &c seorsim à Deo, vt est Trinus, Sanctificator, Redemptor, Glorificator, quod planè in Scriptura est peruulgatum. 224

PROBATVR secundò à Vasquez, & Valentia. Nam præceptum de diligendo Deo, quod habetur *Deuter.* 6. *Matth.* 22. *Rom.* 13. *Prima Cor.* 13. Est plenitudo Legis, vt contineat etiam Legem naturalem erga Deum, & proximum, sed obseruantia mandatorum Dei est à gratia: Ergo & dilectio naturalis. Confirmatur ex Ioan. 14. *Qui diligit me, sermonem meum seruabit*, id quod de præceptis etiam naturalibus intelligitur. Cùm igitur dilectio Dei faciat, vt obseruemus præcepta Dei; sequitur, eam non minùs esse donum Dei, quam ipsam obseruantiam Legis. Quòd verò obseruantia mandatorum Dei sit à gratia,

Probatur.

225 Probatur. Id, quod dat vitam æternam, est à gratia. Obseruantia mandatorum Dei dat vitam æternam: Ergo. Maior probatur, Rom.6. *Gratia Dei vita æterna.* Minor probatur, Matth.19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Hoc argumento S.Bonau. *in 2. d.28. quæst.3. in fundamentis, & corpore*, iam pressus Faber *disput.61. num.16.* cedit.

226 Probatvr tertiò à D. Thom. *hic*, ratione, quam Valentia optimam acclamat, estque D. Bonau. *in 3. dist.27. art.2. quæst.6. in primo, & secundo argumento.* Non potest aliquis simul, & semel moueri motibus oppositis; sed homo in statu naturæ lapsæ auertitur à Deo per concupiscentiam, & conuertitur immoderatè ad creaturas, & ad suam carnem. Ergo non potest simul viribus naturæ diligere Deum perfectè naturaliter. Confirmatur à S. Doct. ex illo Sap.9. *Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam.*

227 Probatvr quartò à D. Bonau. *in 16. Ioan.* ad ea verba: *Pater amat vos, quia vos me amastis*, ex D.August. *tract.102. in Ioan.* vbi ait: *Donum Dei est diligere Deum: quoniam ipse, vt diligeretur, dedit, qui, non dilectus, dilexit. Displicentes amati sumus, vt esset in nobis vnde placeremus.* Et adducit illud 1. Ioan.4. *Nos diligmus, quia ipse prior dilexit nos.* Loquitur autem de statu hoc lapso. Quæ est sententia etiam à Concilio Arausi. *can.25.* acceptata. Agit autem Concilium contra Semipelagianos, qui initium salutis è nostris naturalibus actibus amoris, vel doloris asserebant. Hunc locum adducit Vasquez *num.35.* aliaque subdit loca D. August. quibus astruit, dilectionem esse donum Dei. Addit verò, nusquam D. Augu-
228 stinum distinguere amorem naturalem à supernaturali; sed vbique de omni amore asseruisse, esse donum Dei. Loquitur tamen D. August. pro hoc statu, vbicunque asserit, esse donum Dei. Nam de statu innocentiæ, aut Angelorum, non erat quæstio cum Pelagianis, aut Semipelagianis: An naturaliter aliquem actum diuini amoris possent elicere. Ideo S.August. *epist. 107.* ante medium ait: *Quia & liberum arbitrium ad diligendum Deum, primi peccati granditate, perdidimus*: Ergo in statu naturæ integræ habebant liberum arbitrium naturaliter validum ad diligendum Deum amore naturali. Ecce etiam amorem naturalem ponit S.Augustinus.

Respondet Vasquez *num.36.* D. Augustini sensum esse, nos perdidisse auxilium sanctæ cogitationis, vt non possemus eam habere, nisi per Redemptoris merita nobis restitueretur; negari enim potuit.

229 At suppositâ nobis iniunctâ obligatione præceptorum, non potuit negari sancta cogitatio, maximè ad opera necessaria; alioqui Deus imperaret impossibilia, quod Anathemaris fulmine reiicitur à D.Hieronymo, D. Augustino & aliis, vt ritè arguit S.Bonau. *in 3.dist.27.quæst.vlt.* & *in 2.dist.28.dub.3.* ex iisdem Patribus Concilij Trident. *sess.14.* Id verò fatetur Vasquez *disp.189.& 190.*

Deinde, si attentè locus D.August. consideretur, nihil fauet Vasquezio, ait enim: *Non est igitur gratia Dei in natura liberi arbitrij, sicut Pelagiana peruersitas desipit, sed ad singulos actus datur eius voluntate, de quo scriptum est: Pluuiam voluntariam segregabis Deus hereditati tuæ; quia & liberum arbitrium ad diligendum Deum, primi peccati granditate perdidimus.*

230 Vt igitur vrgeat pro hoc statu necessitatem gratiæ, remouet eam à natura liberi arbitrij: deinde resumit, etiam liberum arbitrium, quoad naturam deprauatum; ita vt nequeat naturali amore perfecto Deum diligere, sed egere gratiâ Dei, quam tamen nulli negari iam antea dixit his verbis: *Ita fit, vt neque fideles fiant, nisi libero arbitrio; & tamen illius gratiâ fideles fiant, qui eorum à potestate tenebrarum liberauit arbitrium. Sic & Dei gratia non negatur.* Hîc, liberi arbitrij naturalem deprauationem sarciri, ait.

Alias rationes habet Vasquez, quæ eò tendunt, 231
vt inferant absurda: Fore vt naturalibus viribus se homo disponeret ad iustificationem. Nam actus amoris Dei, est actus nobilior actu timoris, quo disponimur. At si semel concederemus, illum posse naturalibus viribus in hoc statu elici, non tamen inferremus has consequentias. Nam, vt ritè arguit D. Bonau. *in 2. dist.28. art.2. quæst.1. arg. penultimo.* Dispositio proxima debet esse eiusdem rationis cum forma, ad quam disponit; at cùm forma sit gratia ordinis supernaturalis, debet etiam eiusdem ordinis esse dispositio. Debemus igitur persistere in primis fundamentis infirmitatis humanæ.

Hinc etiam ruit doctrina Vasquezij *num.32.* tur- 232
pitudinis peccati motiuum, quod est dispositio ad iustificationem ex Concilio Trid. esse naturale; quia dicit malitiam eius. Primò quidem astruitur à Concilio Trid. donum Spiritus sancti, non solùm cognitio Gehennæ, & deformitatis culpæ, sed etiam detestatio, quod Vasquez non aduertit; benè tamen id aduertit S. Bonau. *in 2. distinct.28. art.2. quæst.1. ad vltimum.*

Deinde deformitas culpæ est, quâ homo, ad imagi- 233
nem Dei factus, auertitur à Deo, & ab honestate quam præcepit, ad turpia quæ prohibuit. Neque dicat Vasquez, asseri gratis hanc auersionem, quippe nunquam à benè instructis nequidem cogitatam; nam transgressio præceptorum Dei est id, quod primò apprehenditur etiam à rudibus; est autem necessarium auxilium supernaturale dispositioni ad gratiam, etiam quia liberum arbitrium est inclinatum, & attenuatum per culpam Adæ, vt definit Concilium Arausicanum *can.25.*

Ex his habeo, etiam in statu naturæ integræ, actus 234
istos dilectionis naturalis, hominis, vel Angeli, erga Creatorem, non futuros fuisse dispositionem proportionatam ad gratiam; ita vt eis deberetur gratia sanctificans ex his actibus: Esto aliqua interuenisset congruitas remota.

Obicies primò. Dilectio creaturæ rationalis erga Deum adeò naturalis est, vt determinetur ad eam, quippè quæ totam suam à Deo agnoscit perfectionem, ab eoque tota dependet; & quidem multò magis, quàm pars aliqua à toto, quæ pro totius conseruatione se discrimini exponit, vt videmus in manu, quæ se obiicit ictui, ne caput feriatur.

Respondetvr ex D. Bonau. *in 2. dist.3. p.2.* 235
art.3. quæst.2. in corp. addita responsione ad 1. quem ferè sequitur Valentia; Creaturam rationalem, quoad specificationem determinari, vt amet Deum, vt Deus est Bonus, iustus, &c. attamen liberum arbitrium nunc deprauatum conuerti faciliùs ad sensibilia, & delectabilia; & ideò sine gratia Dei deflectere à rectitudine dilectionis, amando creaturam immoderatè, quam tamen non præfert Deo, vt Deus est Creator, &c. sed Deo, vt arduum illud, & sensibus repugnans præcipienti.

Obicies secundò. Videmus, solis naturæ viribus, diligi creaturam aliquam super omnia simpliciter: Ergo multò facilius est diligere Deum, ad quem maiorem habet inclinationem. Antecedens patet in iis, qui longo tempore seruiunt idolis, ac dæmoni, vel amore fœminæ depereunt, vel amore amici animam ponunt.

Respondet D.Bonau. *in 2. dist.28. quæst.2. ad 4.* 236
& quæst.3. ad 3. & sequentibus, non esse eandem rationem, nam amor creaturæ non adeò multa exigit,

sicut

ficut amor Dei; neque adeò inclinatur ſenſus, & arbitrium corruptum in Deum, ficut in ea, quæ ſenſibus ſunt delectabilia. Ita reſpondet etiam Valentia. Ideò Ioannes in ſua epiſtola, maius, & difficilius ait eſſe Deum amare, vtpotè remotum à ſenſibus.

Obicies tertiò. Poteſt homo naturaliter aliquod bonum morale: Ergo & diligere naturali amore Deum, ad quem habemus maximam inclinationem.

Respondet D. Bonau. *in 2. diſt.29. quæſt. vlt. in corp.* & *aliis locis* ſuprà *adductis*, & *diſt.28. dub.4. litt.* diſparem eſſe rationem. Nam actus dilectionis Deo naturalis, eſt perfectiſſimus, qui tendit in finem: at verò aliqua ſunt opera moralia imperfecta, quæ non ſunt adeò difficilia, & contraria ſenſibus, neque reddunt hominem aptum ad ſeruanda omnia præcepta naturalia, ſicut dilectio iſta. Ita reſpondet etiam Valentia.

237 At Vaſquez *cap.5.* inſtat dicens, maiorem difficultatem non ſufficere ad reddendam voluntatem inhabilem ad Dei amorem; nam vt dixit *diſp.189.cap.20.* Maior difficultas non facit rem impoſſibilem; ſed difficiliorem; atque adeò gratia neceſſaria erit non ſimpliciter, ſed vt actus faciliùs eliciatur, quod Pelagius concedet.

Respondetur tamen, perfectionem actus dilectionis naturalis difficultatem augere extra ſpeciem; nam dilectio illa efficax reddit promptum ad omnia ſeruanda mandata, quod eſt extra genus ſeruandi ali-
238 quod, operando aliquid boni moralis. Itaque ſicut extra ſpeciem vitandi aliquod veniale, eſt vitare ſimul omnia; ita extra ſpeciem operandi vnum bonum, aliqualiter morale bonum, eſt obſeruare omnia. Et hæc reſponſio elicitur è D.Bonau. *in 3. diſt.27. art.2. quæſt.6. arg. vltimo, primo loco.* Hanc verò impoſſibilitatem ex attenuatione arbitrij colligit Concilium Arauſ. *can.25.* vt notat etiam Caſpenſis *tract. de Gratia diſp.1.ſect.6.num.64.* ait enim: *Sic ſecundùm ſuprà ſcriptas Sanctarum Scripturarum ſententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc, Deo propitiante, prædicare debemus, & credere, quòd per peccatum primi hominis ità inclinatum, & attenuatum ſit liberum arbitrium, vt nullus poſſet diligere Deum, ſicut oportuit; aut credere in Deum; aut operari propter Deum, quod*
239 *bonum eſt, niſi gratia eum præuenerit.* Hunc locum refert Vaſquez, ſed non aduertit, ſe eo impugnari; quia Concilium ſupponit aliquem actum ſine gratia.

Porro diſtinctio illa amoris efficacis ab inefficaci, quam afferunt Thomiſtæ poſt D. Bonau. *art.2. diſt.28. dub.4. litt.* refellitur à Vaſquez *num.36.* Primò, quia nullus eſt actus inefficax explicitus, vt aiunt, per verbum *Vellem*; hoc enim non explicat voluntatem præſentem, ſed aliam, quam haberemus.

Enim verò, dari actum præſentem, etiam circa rem non efficaciter factibilem, patet exemplo eius, qui deteſtatur peccatum præteritum, quod non poteſt non fuiſſe; ſicut deteſtatur peccatum, quod non commiſit, ſed poteſt committere, vt arguit S.Bonau. *in 4. diſt.16. p.1. art.2. quæſt.1. in corp.* & inuitus fatetur Vaſquez *ſub num.37.*

240 Deinde hunc affectum ſi daremus, qui eſſet initium amoris perfecti efficacis, iam adhuc eſſet donum Dei, quod colligit è D. Auguſt. *lib.2. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap.9.* & *lib. de gratia, & lib. arb. cap.17.* at dari iſtos duos affectus complacentiæ, & electionis, quis non videt? & circa actum quidem complacentiæ minor difficultas eſt, quàm circa electionem; plurima enim nobis placent, etiam impoſſibilia, ad quæ tamen non eſt electio, vt dixi *tract. de Angelis, diſput.7. quæſt.3.*

Ex quo fit, vt ad hunc actum poſſit eſſe gratia neceſſaria, non ad alterum, vt ritè aduertit Seraphicus, Neque in oppoſitum eſt D. Auguſtinus; nam priori loco loquitur de initio volendi ſupernaturali, ordinato ad ſanctificationem: In poſteriori verò loco vult, 241
in Petro fuiſſe charitatem ſatis accenſam, vt ſe morti pro Magiſtro offerret: *Maiorem enim charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Hanc verò à Deo donatam concedo; tametſi præſumptio irrepſiſſet. Putabat enim (ait D. Auguſtinus,) ſe poſſe, quod ſe velle ſentiebat; ex quo habetur id, quod *loc. cit.* docet Seraphicus, multa eſſe volita, quæ exequi arduum eſt. Hinc colligo, non fuiſſe amorem concupiſcentiæ, vt fingit Vaſquez *num.35.* qui *diſp.95. cap.2.* in hoc ſolùm diſtinguit amorem naturalem à ſupernaturali, quod naturalis ſit concupiſcentiæ; ſupernaturalis verò amicitiæ; hoc enim falſum eſt; nam extat amor concupiſcentiæ, quo Deum deſideramus nobis beatificum ſupernaturaliter; de quo ait Apoſtolus: *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto*, qui amor ex fide ſupernaturalis eſt, vt patet, & arguit S.Bonau. *in 3. diſt.27. art.2. quæſt.2. in corpore*: Ergo membrum oppoſitum diuiſionis confunditur cum altero membro diuiſionis; & ſic inanis eſt diuiſio. Prætereà amores penes motiua diſtinguuntur. Sed de hoc iterum *diſp.2. quæſt.7.*

De his vide quoque Bellarminum *lib. de iuſt.* 242
cap.7. Victoriam *relect. de homic.* Nauar. *cap.11. Manual. num.7.* Molinam *in Concord. quæſt.14. art.13. diſp.14. ſect.3.* & *diſp.19. membr.6.* & alios Thomiſtas.

Obicies quartò. Ratio naturalis oſtendit naturæ intellectuali, eſſe aliquid ſummè diligendum, & illud eſſe ſummum Bonum: Ergo voluntas ex puris naturalibus poteſt illud diligere ſuper omnia. Antecedens quo ad priorem partem probatur. In omnibus actibus, & obiectis, eſſentialiter ordinatis, eſt aliquod ſupremum: Ergo & in actibus dilectionis.

Quoad alteram partem probatur. Quia ratio naturalis non oſtendit, aliquid aliud eſſe ſummè volendum, niſi Bonum infinitum. Probatur; Quia non poteſt ratio dictare contra dictamen charitatis; hæc verò dictat, Deum diligendum ſuper omnia.

Respondetur è D.Bonauent. *locis adductis*, ne- 243
gando Antecedens. Neque aliquis Philoſophorum gentilium id cognouit; ſed ex reuelatione habetur; neque intellectus naturaliter id proponit, cùm ſit obcæcatus, vt docent Concilia, Arauſicanum, & Tridentinum.

Obicies quintò. Si nullus poſſet naturaliter diligere Deum ſuper omnia; ſequeretur, vt qui ſe inueniret pronum ad talem affectum, noſſet, ſe eſſe in charitate. Probatur ſequela, quia ſine charitate non eſſet talis pronitas.

Respondetur, negando ſequelam, ſolùm enim deduceret, ſe habere motionem actualem Dei excitantem.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XII.

An Diuina Auxilia sint necessaria, & sufficientia ad omnia seruanda præcepta.

D. Bonau. in 2. dist. 18. art. 1. quæst. 3. & art. 2. quæst. 2.
D. Thom. quæst. 109. art. 4. & 8.

244 ERROR præcipuus Pelagij fuit negare necessitatem Diuinorum auxiliorum per Christum ad seruandam legem; & salutem consequendam. Ità refert D. August. *heresi* 88. Concilia, Mileuit. *can.* 5. Arausic. *can. vlt.* Innoc. I. *epist. ad Concil. Mileuit.* quæ est 93. *inter epistolas D. August. tom.* 2. vbi anathemate damnatur hic error; & latè eum confutat D. August. *lib. de Spiritu, & litt.* præsertim *cap.* 14. & 19. & *lib. de peccatorum merit. & remiss. cap.* 5.

NEQVE verò sola Dei auxilia per Christum actualia negauit Pelagius, necessaria esse ad perfectam obseruantiam mandatorum ad salutem, sed etiam Gratiam habitualem, vt refert S. Bonau. *loco priori cit. in corpore.* Probatur verò ex Concilio Mileuit. *can.* 5. vbi ità loquitur. *Item placuit, vt quicunque dixerit, ideò nobis gratiam iustificationis dari, vt, quod facere per liberum arbitrium iubemur, faciliùs implere possimus per gratiam, tanquam, etsi gratia non daretur, non quidem facilè; sed tamen possemus etiam sine illa im-*
245 *plere Diuina mandata; Anathema sit.* Quem canonem, vt regulam Catholicam, desumpsit Cælestinus *in epist. ad Episcopos Galliæ. cap.* 10. Idem canon habetur in Concilio Africano sub Bonifacio I. *can.* 78. Definitum est igitur contra Pelagium, gratiam iustificationis necessariam esse simpliciter ad perfectam mandatorum obseruantiam; gratia autem iustificationis est gratia habitualis, quæ dicitur remissionis peccatorum.

VASQVEZ *disp.* 196. *num.* 18. negat controuersiam Pelagio circa gratiam habitualem; & respondet, gratiam iustificationis, quæ à Concilio Mileuit. statuitur necessaria contra Pelagium, esse auxilium gratiæ, quo ad iustificationem peruenimus. Hoc nititur probare è D. August. *epist.* 105. vbi excludit à controuersia cum Pelagio, gratiam remissionis peccatorum.

246 Hoc tamen falsò dicitur, vt ostendam. Primò enim S. August. Sixto P. proponit amentiam Pelagianorum, qui negabant gratiam, eò quòd omnibus deberetur; nec acceptio personarum apud Deum inueniretur, quem errorem pluribus confutat ex Paulo *ad Rom.* Deinde notat, Pelagium in Concilio Palæstino abiurasse hunc errorem; Pelagianos verò adhuc obloqui eam gratiam, quam Pelagius sine præcedentibus meritis datam confessus est, esse humanam naturam. Subdit: *Abiiciatur à Christianorum cordibus ista fallacia: nam omnino non istam gratiam commendat Apostolus, qua creati sumus, vt homines essemus, sed qua iustificati sumus, vt homines iusti essemus. Ista est enim gratia per*
247 *Iesum Christum Dominum nostrum. Etenim Christus non pro nullis, vt homines conderentur, sed pro impiis mortuus est, vt iustificarentur: quippè homo erat, qui dicebat* Rom. 7. *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Possunt quidem dicere remissionem peccatorum esse gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis datur: *Quid enim habere boni meriti possunt peccatores? Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat.* Sequitur autem ad deducendam gratiam remissionis esse à fide, quæ non est è meritis, sed gratuitum donum Dei; ac proinde deducit, quòd cùm initium iustificationis sit ex gratia, non ex meritis, tota iustificatio erit gratia. Vnde concludit: *Charitas Dei, sine qua nemo benè viuit, diffunditur in cordibus nostris, non à nobis, sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis?* Rom. 5.

IGITVR S. August. more suo deducit id, quod principaliter intendebat, nempe remouere fallacias, & versutias Pelagianorum eludere, cùm sibi obiecisset, eos forsan confessuros, gratiam iustificationis, seu remissionis in peccatore, non esse ex meritis; deducit, multò magis primam gratiam fidei, & sanctæ cogitationis esse gratiam, cùm sit initium illius diffusionis, quæ per Spiritum sanctum datur; nempè gratiæ remissionis: & simul etiam gratiam remissionis, de qua erat quæstio, probat ex cap. 5. ad Rom. *Diffusam, &c.* esse gratis, non ex meritis nostris. De hac enim fuisse etiam quæstionem suprà ostendit, ex 3. Rom. *Iustificati gratis per gratiam ipsius. Iusti enim facti sunt, cùm iustificati sunt.* Et subdit: *Quid Pelagius de hoc anathematizarit in Concilio Palæstino.* 248

HIS similia habet *lib.* 1. *de Gratia Christi, contra Pelagium, & Celestium, cap.* 31. vbi ait: *Nempe manifestum est, eum dicere gratiam secundùm merita dari, quamlibet eam, vel qualemlibet significet, quam tamen apertè non exprimit. Nam cùm eos remunerandos dicit, qui benè vtuntur libero arbitrio, & ideo mereri Domini gratiam, debitum eis reddi fatetur. Vbi est ergo illud Apostoli* Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius? Vbi est & illud* Ephes. 2. *Gratia salui facti estis?* Vbi habes, de gratia vtraque fuisse disceptatum cum Pelagio, sicut etiam de fide, quæ est initium salutis, & de gratia habituali. Ideò concludit S. Augustinus: *Isti autem libero arbitrio sic applicant fidem, vt fidei videlicet reddi videatur non gratuita, sed debita gratia: ac per hoc iam nec gratia; quia nisi gratuita, non est gratia.* Ecce loquitur de gratia sanctificationis, quæ post auxilia datur. Arbitror, D. Augustinum per gratiam iustificationis tam Diuina auxilia, quàm Gratiam habitualem, concurrentes ad iustificationem, intelligere, vt sic Pelagium, vbicunque obscurè fuerit locutus, euincat; & ità reor locutum etiam Concilium Mileuit. Ità innuit Caspensis *disp.* 1. *sect.* 8. *num.* 96. 249 250

PRIMA igitur opinio Theologorum est, posse absque auxilio gratiæ seruari totam legem substantialiter, ità, vt vitentur omnia peccata mortalia; licèt non quoad modum ex charitate. Ita Scotus *in* 2. *dist.* 28. *quæst. vnica.* Durand. *ibidem.* Dicit tamen Scotus cum Henrico *quodl.* 5. *quæst.* 20. non posse longo tempore seruari totam legem à peccatore extra statum iustificationis, & gratiæ habitualis, quia si quis eam obseruet, spiritum pœnitentiæ à Deo obtinebit. Differunt tamen hi duo Theologi, quia Scotus putat, tandem fore, vt occurrat præceptum diligendi Deum super naturam, quod si homo non obseruet, peccabit mortaliter, si autem obseruet, vltimò disponetur, & iustificabitur; ac proinde gratiam habitualem consequetur. Henricus verò putat, per alia opera moralia hominem disponi, vt consequatur à Deo auxilium gratiæ ad alia opera maiora; & tandem iustificetur. Has verò dispositiones ad iustificationem videntur ambo ex propriis naturæ viribus asserere, quod est damnatum à Cælestino I. *in epist.* 1. & à Leone I. *in Concilio Mileuit.* & aliis. Possunt tamen ad meliorem frugem reduci, interpretando, per concursum generalem, quem putant necessarium, gratiam præue- 251 252

nientem,

nientem, vt dixi *quæst. præcedenti.* Breui aliquo tempore totam legem seruari posse concedit Morand. *quæst.* 6. at non rectè ait, id sequi ex definitis à nobis *quæst.* 9. & 10. vbi aliquos tantùm actus admisimus, non autem omnium virtutum, quæ sunt præceptæ.

Secvnda opinio est, non posse totam legem seruari, etiam quoad substantiam, solo auxilio actuali, sed necessarium esse, vt iustificetur, ne labatur iterum. Ita D. Thom. *hic, art.* 4. quem sequuntur Caietanus, & Conradus, & omnes ferè Thomistæ Recentiores *hic.* Richardus *in* 2. *dist.* 28. *art.* 2. *quæst.* 2. Tostatus *in cap.* 19. *Matth. quæst.* 178. & 279. ex quo colligit Vasquez *disp.* 189. *cap.* 1. non benè adduci Tostatum pro prima opinione à Valentia *tom.* 2. *disp.* 8.
253 *quæst.* 1. *p.* 5. §. 2. vbi hanc secundam amplectitur opinionem, quæ vult, posse cum Diuina gratia iustum euitare omnia peccata mortalia. Ex quo deducit errorem sectariorum latrantium, omnia opera iustorum esse naturâ suâ peccata mortalia, & damnatione digna; tametsi Diuina misericordia non sinat eos præcipites eam incurrere, sed reddat hæc venialia. Sic Lutherus *art.* 2. & 31. damnatis à Leone X. Caluinus *lib.* 2. *Inst. cap.* 7. Bucerus *lib. de Concord. controu. tit. de Iustificatione.* Melancthon *in loco communi, de impletione legis.* Kemnitius *in cap.* 11. *sess.* 6. *Concilij Trid.* & reliqui *in art.* 6. *Confess. Augustanæ.* Consequenter autem §. 4. confutat errorem Pelagianorum, qui secundùm legem ordinariam dicebant, nos libero arbitrio posse viuere, etiam absque venialibus, vt colligitur è D. Hieronymo *lib.* 2. *contra eos,* & D. August. *hæresi* 88. qui errores confutati sunt *tract.* 3. *disp.* 2. *quæst.* 1. Subscribit Fuliensis *lib.* 6. *cap.* 6.

254 Vasqvez *disp.* 196. *cap.* 3. subscribit huic secundæ opinioni; ita tamen, vt non requiratur gratia habitualis ex parte principij ad voluntatem roborandam, ne dilabatur, vt volunt, post D. Thom. Caietanus, Conrad. Abulens. *locis adductis,* Vega *quæst.* 13. *de Iustif. concl.* 6. Sotus *lib.* 1. *de natura, & gratia, cap.* 12. *concl.* 1. sed cum Henrico, & Scoto sentit, ideò non seruaturum longo tempore extra statum gratiæ, quia Deus dabit spiritum compunctionis, & iustificabit. Differt verò ab eis, quia nullam dispositionem propriis naturæ viribus concedit sine auxilio gratiæ, Neque admittit id, quod vult Scotus, occurri breui præceptum diligendi Deum, quo vltimò disponitur ad iustificationem; tum quia rarissi-
255 mè, & solùm in extrema necessitate occurrit; tum quia, si occurreret, necessarium foret auxilium gratiæ. Quocirca infert, contingere interdum, vt homo non paruo tempore præueniatur auxilio gratiæ mouentis, vt seruet singula mandata, & non peccet mortaliter (in quo cum tertia sententia, infrà afferendâ, consentit) & tandem vsus hoc auxilio, nec aliud addens peccatum, impetret à Deo maiora alia auxilia ad pœnitentiam, & iustificationem; & ita nunquam contingat seruari diù mandata moralia; quin statim homo sit in statu iustificationis. Probat verò, non requiri gratiam habitualem, vt principium, vt homo diù seruet præcepta, è D. August. *epist.* 105. *citata,* & euertere nititur testimonium Concilij Mileuit. de quo satis suprà.

256 Tertia igitur sententia est D. Bonau. *locis adductis,* in rigore sufficere auxilia actualia, assistentia in qualibet occasione ad seruandam legem totam, quoad substantiam legis; ità, vt non incurrantur noua mortalia, cùm hæc habeant, vel habere valeant totam actualitatem etiam gratiæ habitualis proportionatam necessitati; non sufficere tamen secundùm id, quod ordinariè accidit, quia cum solis ordinariis auxiliis peccator in alia labitur; & hoc voluere dicere authores secundæ sententiæ, vt notat Caspensis *tract. de Gratia, disp.* 1. *sect.* 6. Quoad meritum verò concedit, non seruari præcepta, nisi iustus sit; vt 1. Cor. 13. *Etsi tradidero, &c. Charitatem autem, &c.* Cum Seraphico, & Marsil. *in* 2. *quæst.* 18. *art.* 2. *conclus.* 5. Durand. *in* 2. *dist.* 28. *quæst.* 3. & 4. Gabriel *eadem dist. quæst.* 1. *art.* 2. *conclusione* 2.

Assero primò contra Pelagianos, non posse omnia præcepta solis naturæ viribus seruari. 257

Probatvr à D. Bonau. *dist.* 28. *quæst.* 3. Primò ex 10. Hierem. *Scio Domine, quia non est hominis via eius: neque viri est vt ambulet, & dirigat gressus suos. Corripe me Domine, veruntamen in iudicio; & non furore tuo.* Vbi D. August. *lib. de peccat. meritis contra Pelagianos, cap.* 17. obseruat necessitatem gratiæ ad implenda Diuina mandata.

Secvndo ex illo Actorum 15. *Hoc est iugum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus: Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari.* Hoc loco nititur quoque D. August. *lib.* 1. *contra duas epistolas Pelagij, cap.* 40. sed latiùs discutietur *disp.* 4. *quæst.* 3. Interim nihil hæretici Lutherani eliciunt de impossibilitate obseruationis legis, sed solùm, nudam legem absque gratia non esse obseruabilem.

Tertio. Obseruatio mandatorum Dei, facit Dei amicum. Vnde Ioan. 15. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Sed nullus potest fieri Dei amicus absque dono gratiæ: Ergo. 258

Qvarto. Id, quod facit dignum vitâ æternâ, est gratia, vt habetur Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Sed obseruantia mandatorum facit dignum vitâ æterna. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*: Ergo.

Qvinto. Sicut fundamentum legis veteris est timor sanctus; ita nouæ est amor sanctus: Sed hic est à Gratia: Ergo. 259

Sexto, *in corpore.* Ad mandata omnia seruanda necessaria est fides, & spes. Sed hæc sunt gratia Dei: Ergo. Maior probatur Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et de Spe, 1. Petri 2. *Regenerauit nos in spem viuam.* Hac ratione vtitur Valentia. Sed hoc etiam probabitur *disp.* 3. *de Iustific. à num.* 248.

Septimo ibidem probatur argumento validissimo. 260
Vnum ex præceptis Diuinis, necessariissimum ad obseruantiam legis, est dilectio Dei super omnia, Rom. 13. *Qui diligit proximum suum, legem impleuit. Plenitudo ergo legis est dilectio.* Prima Tim. 1. *Finis præcepti est charitas de corde puro.* Et Deuter. 6. *Diliges Dominum, &c. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum.* Sed hoc mandatum non potest absque Dei gratia impleri, vt vidimus *quæst. præced.* vbi ostendimus, nec naturali amore quidem posse diligi Deum, sine Dei auxilio per Christum. Quod 261
multò magis probatur de charitate supernaturali: *Quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum,* vt dixi suprà cum Apostolo, & D. Augustino. Confirmatur: nam charitas supernaturalis ad iustificationem proximè disponit; hæc verò gratiæ est, vt ait Apostolus suprà adductus: *Iustificati gratis, &c.*

Probatvr ergo ex dictis *quæst.* 9. vbi ostendimus ad vincendas omnes tentationes, necessariam esse gratiam.

Assero secundò. Ad obseruandam legem non modò quoad substantiam, sed etiam quoad modum, intentum à lege in ordine ad meritum, requiritur gratia sanctificans. Probatur è D. Bonau. *arg.* 4. suprà *adducto.*

Probatvr secundò *in corpore.* Obseruantia mandatorum Dei, quoad modum, est, vt voluntas nostra 262
sit

sit vnita Deo, vt vltimo fini, & ad eum, vt suum bonum beatificum, supernaturaliter tendat per charitatem; sed hæc non est sine gratia sanctificante: Ergo. Maior probatur 1. Tim. 1. *Finis præcepti est charitas de corde puro, &c.* Hoc argumento vtitur quoque D. Thom. *art.* 4 *&* 8. Valentia §. 2. quod nihil ampliùs probat Nam ad substantiam obseruantiæ actualis legis, non est necessaria conuersio habitualis, neque auersio habitualis impedit, quo minus adiuti auxilio actuali obseruemus legem etiam in eo, cuius transgressionis habitualiter sumus rei; alioqui reus fornicationis semper fornicaretur, quamuis data occasione, nec vnquam eam culpam euitare posset, etiam adiutus Dei gratiâ, & ità semper necessariò peccaret.

263 PROBATVR tertiò. Quia cùm Deus det auxilia in ordine ad iustificationem; qui reclamat, facit contra intentionem Dei, resistens Spiritui sancto, & sub hac ratione obseruans mandata Dei, deficit; non tamen peccat obseruando, vt malè inducit Scotus apud Fabrum *dist.* 61.

ASSERO tertiò. Ad obseruandam legem totam, quoad substantiam tantùm, non est necessaria gratia habitualis.

264 VASQVEZ dicit, hac vna ratione posse probari, quia Concilia solùm auxilia actualia ponunt necessaria, non autem habitualem gratiam; de qua non fuit cum Pelagio controuersia. Sed hoc suprà refutaui ex Concilio Mileuit. ex quo S. Bonau. docet, gratiam habitualem operari auxiliando, excitando, cooperando, vt docet etiam *in* 2. *dist.* 26. *quæst.* 5. *ad* 1. & *in* 3. *dist.* 20. *quæst.* 4. *arg. vlt. secundo loco, addito responso.*

265 PROBATVR ergo ratione alia Seraphici, quæ est penultima, quâ vtitur Caspensis *loc. cit. sect.* 6. *num.* 67. imò Concilium Trident. *sess.* 6. *can.* 3. quia alioqui omnia opera moralia bona peccatoris, essent peccata, etiam adiuta auxilio actuali Dei. Et sic Deus efficaciter cooperaretur ad culpam, quod est hæreticum, vt ostendi *p.* 1. *tract.* 1. *disp.* 16. *quæst.* 13.

266 PROBATVR secundò à D. Bonau. *in corpore*, Quia fidelis per Fidem opera proportionata operabitur, similiter & per spem, etiamsi ambæ sint informes, quæ tamen habent suam formam propriam, ac proinde & virtutem. Idem dicendum de pietate erga parentes, quæ à peccatoribus seruatur. Similiter de cæteris. Confirmatur. Nam si quæ est actiuitas in gratia habituali, potest quoque auxiliis efficacibus excitantibus, & adiuuantibus, à Deo tribui. Fateor tamen, etiam secundum cursum ordinatium, id non durare.

DICES. Quorsum igitur Concilium Mileuitanum ponit necessitatem gratiæ habitualis?

RESPONDETVR, poni ad opera bona facienda, quoad finem intentum à lege.

267 ASSERO quartò contra Sectarios totam Dei legem non esse impossibilem, supposito auxilio Dei, quod præsto est. Hoc probatum est *tract.* 10. *disp.* 9. *quæst.* 3. & *tract.* 1. *disp.* 13. *quæst.* 10. *p. p.* Ideò blasphemum est oppositum, vt ait D. August. *serm.* 191. *de Temp.*

PROBATVR *hîc*, à D. Bonau. primò ex illo *Deuter.* 30. vbi proposita tota lege, Moyses concludit Dei voce: *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te, nec procul positum, &c. Sed iuxta te est sermo valdè, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.* Hoc verò denotat legem Diuino auxilio obseruabilem, vt notat D. Bonau. *ad* 1. interpretans hunc locum.

SECVNDO probatur à D. Bonau. Matth. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Vide Seraphicum *ad* 2.

PROBATVR tertiò à D. Bonau. *arg.* 3. *in secundo loco*, quo nititur Bellarminus *loc. cit. cap.* 11. Ioan. 15. 268
Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. Rursus ait: *Iam non dicam vos seruos, sed amicos.* Ergo possunt Diuina præcepta impleri, & Lucæ 12. *Duo autem vobis amicis meis. Ipse enim Pater amat vos, quia me amastis*, vt notat S. Bonau. *ad hunc locum*, & *Ioan.* 16.

HINC eluditur effugium Caluini *in Antidoto, sess.* 6. *cap.* 11. nunquam seruari hoc præceptum. Contra enim est, quia multi sunt amici Christi: *Vos autem dixi amicos*, vt notat S. Bonau. *Ioan.* 15. & *in* 2. *loc. cit.* Confirmatur ex Deuter. 30. *Circumcidit Dominus* 269
cor tuum, & cor seminis tui: vt diligas Deum in toto corde tuo, & in tota anima tua. Genes. 6. *Noë vir iustus atque perfectus.* Matth. 5. *Estote perfecti.* Matth. 19. *Si vis perfectus esse.* Philip. 3. *Quicunque perfecti sumus. Prima* Ioan. 5. *Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas est.* Psal. 118. *In toto corde meo exquisiui te.* Idem habetur 3. *Reg.* 14. & *Act.* 13. de eodem Dauide *Et* 4. *Reg.* 23. de Iosia, & *Iosue* 11. de Iosue dicitur, quòd fuerit perfectus, & *Luca* 1. de parentibus Ioan. *Erant iusti ambo incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela*, vt notat D. Bonauent. ad eum locum Lucæ: vbi refert etiam de Ezechia 4. *Reg.* 20. & alia loca, & notat, dici in omnibus iustificationibus, quia ex 2. Iacobi. *Quicumque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.*

PROBATVR quartò à D. Bonauent. *ibi*, ex illo 270
Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Cùm ergo præcipiatur obseruantia mandatorum Dei ad vitam æternam necessaria, ad quam plurimi perueniunt, signum est, eam esse possibilem. Est ratio D. Clem. Alex. *lib.* 4. *Strom. cap.* 8. addens, hæc esse libera, quia his laudantur Sancti, & violatores vituperantur.

PROBATVR quintò in corpore. *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Rom. 13. Tunc sic arguit S. Bonau. arg. 5. *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ioan. 15. Sed multi vitam pro amicis, & proximis fundunt perfectè: ergo obseruant legem charitatis. Minor probatur in Apostolo Paulo, qui cupiebat esse anathema, & mori pro Iudæis hostibus; idem de cæteris sanctis dicendum.

PROBATVR sextò *dist.* 28. *art.* 2. *quæst.* 1. Zachariæ 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos:* 271
Ergo signum est, posse nos conuerti, & opera legis implere, Deo iuuante. Confirmatur à D. Bonau. *in* 3. *dist.* 27. *art.* 2. *quæst.* 6. ex Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et cap. 22. *Hoc est maximum, & primum mandatum. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Hæc vrget etiam Bouër. *Exam.* 2. *Dom.* 32.

DICERE autem, Deum præcipere impossibilia, anathematis damnatur à D. Hieronymo *de regulis fidei*, vt notat D. Bonau. *in* 3. *loc. cit. in corpore.* Hanc etiam propositionem Concilium Trid. *sess.* 11. ex consensu Sanctorum Patrum damnat. Sic D. Basilius, Orat. in illud. *Attende tibi*; impiam, eam vocat, S. Chrysost. *homil.* 16. *ad Hebr.* ait; hoc esse culpare Deum. Alios Patres vide in Valentia §. 3. Bel- 272
larmino *de Iustific. lib.* 4. *cap.* 12. Probatur etiam ex dictis *tract.* 3. *disp* 2. *quæst.* 7. quibus posse motus prauos frænari, & vinci demonstraui. Ex quibus eruitur ratio, qua vtitur etiam D. Thom. *quæst.* 109. *art.* 8. & quam Valentia *loc. cit.* optimam vocat. Gratia Diuina ita sanat mentem hominis, vt facultatem præbeat vitandi

vitandi omnia peccata, quæ committuntur cum defectu notabili rationis. Sed talia sunt omnia peccata mortalia: Ergo. Maior probatur ex illo Apostoli Rom 7. *Igitur ego ipse mente seruio legi Dei.* Minor patet, quia cum peccata mortalia sint libera, vt ostendi *p.1. tractatibus citatis*, non debet ratio superior exorbitare, vt assentiatur voluntas.

273 PROBATVR septimò argumento D.Bonau. penult. *in 2. sent. loc. cit.* quo vtitur Valentia. Exploratum est è sacris litteris, posse iustum facere, quæ requiruntur, vt ad beatitudinem perueniat, vt ostendi 1.2. *tract.3. disput.2. quæst.1.* sed non potest peruenire, nisi caueantur peccata mortalia, vt obseruetur lex Diuina, vt suprà ostendi cum D. Bonau. ergo obseruantia est possibilis; alioqui Deus imperaret iniquè, & puniret iniustè, vt ait D. Cyprian. *de Bapt. Christi.*

PROBATVR octauò alia ratione, ducta ex prima parte *locis adductis*, quâ nititur Valentia hîc. Blasphemum est asserere, Deo esse placita huiusmodi opera, quæ reuera peccata sunt, odio Dei, & damnatione digna: At ex Scriptura certissimum est, opera, quibus iusti adimplent Diuina mandata, esse Deo placita. Siquidem requirit illa, & remunerationem eis pollicetur. Igitur blasphemi sunt, qui talia opera proclamant mortalia, odio Dei, & damnatione digna.

DELIRANT verò hæretici, respondentes, placere, ea opera iustorum propter Christum, etiamsi praua sint. Quomodo enim Christus sic venisset soluere opera Diaboli, non autem fouere?

274 TANDEM concludunt Bellarminus, & Valentia; cùm Deus sub pœnæ æternæ comminatione præceperit, vt per obseruationem mandatorum conentur ad vitam æternam ingredi, fieri nequit, vt hoc illis sit impossibile, vt arguit etiam Bouërius *Examine 4. Lutheranorum, Dominica 32.* nisi velimus Deum, crudelissimum proclamare Tyrannum, qui impossibilia præcipiens, damnet in æternum, ob pigritiam, insontes, qui tamen non possunt ea exequi, vt notat D.Bonau. *in 3. loc. cit.* è D.August. qui sæpè idcò repetit, *lib. de natura & gratia, cap.43. & 69.* & *lib.2. de peccatorum meritis, & remiss. cap.3. & 6.* & *de gratia, & lib. arb. cap.16.* & *in Psal.56.* & *de spiritu, & littera, cap.10. & 20.* & arguit cum Cypr. *loc. cit.* apud Bouër. *demonst.2. art.5.*

STVLTVM autem est id, quod respondet Bucerus, & Kemnitius, Christum pro nobis mandata implere, cuius obedientia nobis ad salutem imputatur per fidem: Sunt enim præcepta imposita nobis, nobisque comminationes factæ, non Christo.

275 QVOAD peccata autem venialia, non posse ex ordinario auxilio omnia vitari, satis ostensum est *tract.3. disp.2. quæst.1. & 7.* & habetur in Conciliis Mileuit. *can.6.* & Trident. *sess.6. cap.11. can.23.* Iusti enim dicunt: *Dimitte nobis, &c.* De illis dicitur: Eccl.7. *Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Prou.24. *Septies enim cadit iustus.* Prima Ioan.1. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Iacob. 3. *In multis offendimus omnes.* Quæ loca cum aliis *ibi* discussimus cum D.Bonauentura.

RATIO est, qua nititur Valentia, & allata est *locis adductis* è D.Bonau. Quia gratia sanat hominem, vt aptus reddatur ad beatitudinem per obseruantiam legis, & remotionem eorum, quæ arcent à beatitudine; at venialia non afferunt huiusmodi impedimenta: Ergo.

ASSERO quartò, Ad vincendas omnes tentationes, & diù perseuerandum in gratia, requiruntur, etiam iusto, Dei auxilia actualia. Patet ex dictis *quæst.9.*

PROBATVR à D. Bonau. *in 2. dist.28.art.2.quæst.2. argumento secundo loco.* Primò, quia etiam iusti orant: 276
Ne nos inducas in tentationem, vt notat etiam Valentia *disp.8. quæst.1.p.6.* Deinde, quia homo etiam iustus remanet accensus concupiscentia, ignarus, claudus, in suis affectibus infirmus quoad carnem; Ergo eget aliis auxiliis actualibus opportunis. Hoc argumento vtitur etiam D.Thom. *quæst.cit. art.9.* & Valentia *loco citato.*

OBIICIVNT primò Pelagiani; frustrà nobis præcipiuntur ea, quæ non possumus nostris viribus exequi.

RESPONDET D.Bonau. *in 2. dist.28. dub.3.* è D. 277
August. *lib. de gratia & lib. arb. cap.16. 18. & 21.* quæ recitat & sequitur Valentia §.1. Deum iustè iubere ea, quæ naturaliter non possumus exequi, sed exigunt Diuinum auxilium; quia & hoc nobis semper præsto est, & orando possumus obtinere id, quod oportet. Sic peccata linguæ vitare conabatur Dauid, clamans Psal.140. *Pone Domine custodiam ori meo, &c.* Idem respondet S. Bonau. *ad 15. Ioan.* ad ea verba: *Sine me, nihil potestis facere.*

OBIICIVNT secundò Sectarij Act.15. *Quid tentatis imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos, neque Patres nostri portare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi*: Hæc verba dicuntur fidelibus, & de tota lege intelligitur, quæ intolerabilis dicitur.

RESPONDET Vasquez *disp.212. cap.2.* & Bellarm. 278
de Iustific. lib.4. cap.14 D. Petrum loqui de sola lege cæremoniali. Tunc enim agebatur: An necessaria esset circumcisio. Deinde id probat Bellarm. ex decreto Apostolorum: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, quam hæc necessaria: vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Si autem loquitur de omni lege; sequitur, hæc sola prohiberi, quæ dicuntur; non autem furta, homicidia, & similia: Hæc tamen illatio inanis est, nam particula (*vltrà*) supponit veteres alias obligationes intactas relinqui; nominat verò fornicationem, quia de ea orta fuit quæstio.

ADDVNT verò, dici iugum importabile, quia difficile potest portari. Quod verò dicitur, particulam (*sed per gratiam, &c.*) opponi toti legi: Respondent, opponi legi cæremoniali, quæ inutilis est ad iustificationem, vt habetur *Hebr.7.* & ideò factam esse abrogationem, & quia difficile poterat seruari, 279

MELIVS respondet D. Bonau. *in 2. dist.28.quæst.3. arg.2. secundo loco*, illa præcepta, cùm essent legis veteris, quæ solâ litterâ sonante non adiuuabat, & gratiam non habebant coniunctam, fuisse ex se intolerabilia; per gratiam verò IESV CHRISTI roboratam fuisse obseruantium virtutem. Opponit ergo legem nudam, legi adiutæ gratiâ Christi; sicuti sæpè etiam opponit Paulus ad Rom. & Galat.

Respondet etiam *in 3. quæst. vlt.* Legem veterem 280
fuisse onus arduum ob multitudinem præceptorum, ob timorem pœnarum, & paucitatem gratiæ; nunc autem ex paucitate præceptorum, ex amore, & abundantia gratiæ redditam facilem. Itaque dicitur onus intolerabile, idest arduum, vt opponitur Legi gratiæ.

RESPONDET tertiò S.Bonauent. *ad 11. Lucæ* ad ea verba: *Væ vobis, qui oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt*, loqui de cæremoniis superstitiosis & inutilibus, quæ additæ à Rabbinis, & Pharisæis reddebant legem intolerabilem, vt meritò dicatur: *Quid tentatis Deum, imponere iugum; &c.*

Vnde

Vnde Matth.23. *Alligant onera grauia, & importabilia*, ad quæ dicebant alios teneri, cùm non tenerentur. Vult igitur Petrus dicere: Quid tentatis imponere iugum intolerabile, apponendo, quasi necessaria, ea, quæ non sunt necessaria. Sic enim & Patres nostri ex additis inutilibus, & ex traditionibus superstitiosis iugum intolerabile portare non potuerant, quia lex non est portabilis, nisi iuuante gratia per Christum; at gratia non profunditur pro obseruanda lege mixtis superstitionibus; sed solùm his, quæ Deus imperauit.

181

182 Loquitur ergo de tota lege, vt habebat mixtam obseruantiam traditionum Pharisaicarum inutilium, quam ideò vocat iugum, intolerabile singulorum humeris, quod duorum humeris aptandum erat; nunc autem lex noua dicitur Iugum suaue, quia Christus supponit nobiscum humeros, dicens: *Venite ad me omnes, & ego reficiam vos. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Hæc mihi videtur optima responsio, qua omnes oppositiones corruunt.

183 Obiiciunt secundò *Galat.3.* ait: *Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt: scriptum est enim: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt.* Quæ ratio supponit inobseruabilem esse legem, & ideò maledictos omnes, qui lege tenentur.

Respondetur è D. Bonauent. *in 3. quæst. penult.* quem sequitur Vasquez *loc. cit. num. 12.* Spurium sensum adiici à Caluino: Nam lex etiam vetus ad iustificationem ducebat Rom.2. *Factores legis iustificabuntur.* Et Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Itaque falsum est, maledictum esse illum, qui per obseruantiam legis vult iustificari.

184 Respondent aliqui, ibi Apostolum agere de lege Cæremoniali, quæ multas continebat comminationes, & pœnas transgressoribus imponebat; & ità omnem populum Iudaicum sub maledicto fuisse, quia hi erant subiecti ob legis seueritatem. De his verò maledictionibus nos dicunt fuisse liberatos, quia Christus eas abrogauit.

Contra arguit Vasquez 1. 2. *disp.*189. *cap.*4. & *disput.*112. *cap.*2. intelligitur enim etiam de morali, quam sub iisdem comminationibus Christus nobis reliquit, sed maledictio, sub qua erant Iudæi, erat, si conarentur implere legem suis viribus sine gratia, sic enim eam non obseruabant, & maledictiones incurrebant: ex his verò maledictis redemit nos Christus, quia suis meritis obtinuit nobis gratiam, qua obseruantes legem euitaremus maledicta in ea intimata, quæ opus imponebat, sed gratiam non dabat, vt vidimus *etiam quæst.9.*

185 Respondet D.Bonauent. *in 3. quæst. penult.* vbi prælibat, obseruantiam legis etiam veteris iustificasse, vt suprà vidimus *ex Matth.19. Rom.2.* allatis à S. D. mox ostendit, in quo, starent mala mortis, maledictionis, &c. inducta per legem Moysis; & dicit, ea prouenisse primò, quia plurima erant, & ardua præcepta, pœnis grauissimis iniunctis imperata, & paucula eis gratia data erat; Christum verò suis meritis emisse nobis abundantem gratiam ad legis moralis obseruantiam, quæ remansit (abolitis cæremonialibus;) ac proinde nos abundanter gratiæ viribus affluere ad obseruantiam, sine quibus auxiliis tam noua lex, quàm vetus inobseruabilis est. Itaque maledictum legis veteris non inuoluit eos solos, qui absque gratia obseruare conantur legem ipsam. Sic enim & lex noua est inobseruabilis, & inuoluit Pelagianos iuxta quorum errorem ego nullum video in Lege Mosaïca dogmatizantem; & ideò non ritè asseritur differentia inter legem veterem, & nouam.

Deinde Apostolus ait: *Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt*, & rationem reddit: *Scriptum est enim: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius.* Et subdit: *Christus nos redemit de maledicto.* Quo fit, vt omnes, qui ex operibus legis essent obnoxij maledictionibus, quia tota lex moralis additâ cæremoniali, pluribusque aliis superfluis adiectis à Rabbinis, erat grauissima, pœnisque grauissimis obnoxia, & parum gratiæ ad vera præcepta, & nullam ad superstitiones, quas communiter omnes ex traditionibus tenebant, præbebat Christus; nunc immutato Iugo, & detractis traditionibus illis, cum cæremoniis; additis verò quibusdam maioris perfectionis, & pœnis etiam imminutis, & placidiorem in modum euulgato Euangelio amoris, affluentiâ gratiæ, reddita est facilis, vt nullo ferè negotio mandata seruare, & repromissiones obtinere valeamus. 186

Obiiciunt tertiò aliam sententiam, Rom.7. *Velle adiacet mihi: perficere autem bonum, non inuenio.*

Respondetur è D. Bonauent. adducto *tract.3. disp.2. quæst.1. & 7.* Apostolum loqui de motibus concupiscentiæ, qui contra nostram voluntatem insurgunt; attamen hos motus gratiâ Dei superari, subdit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei, &c.* Vide D. August. *tract.41. in Ioan. lib.6. in Iulianum, cap.11.* & *lib.1. ad Bonifacium, cap.10.* 187

Obiiciunt quartò. Nemo potest vitare omnia venialia. Iacobi 2. *In multis offendimus omnes.* Et 1. Ioan.1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Qui autem implet legem, in nullo debet illam violare. *Qui enim in vno offendit, factus est omnium reus*, vt habet D. Iacobus *loco citato.*

Respondet Vasquez *num.* 16. Veniale quidem esse contra legem; attamen posse nos singula vitare, licèt non omnia, non impossibilitate præcedente, sed consequente nostram libertatem. 188

Enim verò Bellarminus *cap.*14. meliùs respondet ex dictis *disp. 2. quæst. 2. citata* cum D. Bonauent. peccatum veniale non esse contra legem, & ideò seruari legem, etiamsi venialia committantur.

Opponunt etiam Aduersarij illud, lib. primo Retract. cap.19. *Omnia mandata, facta deputantur, quando, quicquid non fit, ignoscitur.*

Respondetur enim, D. Augustinum loqui de summa perfectione implendi præcepta. Deinde non ait D.August. legem non esse obseruabilem; sed solùm, aliquando non obseruari; & si pœnitentiam egerimus, ita nobis ignosci, ac si eam obseruassemus. Vide Bellarminum *loc. cit.* & Vasquez.

Obiiciunt quintò Matth.7. *Non potest mala arbor bonos fructus facere:* Sed iustus, quatenus ex radice Adæ, est mala arbor: Ergo.

Respondet Valentia *loc. cit.* è D. Bonauent. *in speculo animæ, initio*, malam arborem non esse naturam aliquam, sed malam voluntatem, seu intentionem, à qua implicat oriri bonos fructus. Hanc expositionem confirmat S. Bonauent. è Glossa Interlineari, & alia. Vide Seraphicum egregiè de hoc differentem. 189

Obiiciunt sextò illud Lucæ 17. *Cùm feceritis hæc omnia, dicite: serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.*

190 Respondet S. Bonau. primò *in Diæta salutis*, *tit.4. cap.2.* & *tit.10. cap.5.* è D. Ambrosio *lib. de Viduis*, quinimmo supponi adimpletam legem, sed accusari tamen nos seruos inutiles; eò quòd nihil ampliùs fecerimus, quàm quæ ex obedientiæ virtute tenemur facere; vnde humiliandi nos ansam habemus. Ità respondet etiam Valentia *loco. cit.* Addit verò S.Bonauent. *in Medit. vita Christi, cap.17.* rationem, ob quam obseruata integrè tota lege, adhuc inutiles simus; quippè, ait, serui sumus: hi autem ad ea omnia tenentur, nec aliquid sibi gloriationis valeant arrogare; cùm fecerint ea, quæ obligationis sunt. Idem ponderat *in 2. dist.27. art.2. quæst.3. arg.3. secundo loco*, adducens illud Lucæ 17. *Quis vestrum habet seruum, &c.* Vnde Saluator indúcit suam conclusionem. *Sic & vos, &c.*

Obiicivnt septimò illud Isa.64. *Facti sumus immundi omnes nos, & quasi pannus menstruata omnes iustitiæ nostræ.*

191 Respondet Valentia è D.Bonauent. *in Meditationibus vita Christi, cap.4.* ibi sermonem esse de hominibus peccatoribus, qui ideò egebant Saluatore, & ità omnes etiam iustitiæ, idest, opera bona moralia erant inquinata demeritis. Ideò subdit inuocando Saluatorem: *Vtinam disrumperes cælos, & descenderes.* Erat enim Deus indignatus ob peccatum primorum parentum transfusum in omnes, qui per se nihil ideò boni perfecti poterant operari. Confirmatur: Nam ibi dicitur. *Non est qui inuocet nomen meum*, quod de tempore gratiæ pro conditione status non est dicendum, vt notat S.Bonauent. *in Speculo B.Virginis, lect.7. post medium.* Addit S.Doct. *in 2. dist.29. art. 3. quæst.2.* dici sic insuper, quia ob pronitatem carnis, imperfectè operamur opera sancta ex parte nostr.

Obiicivnt octauò præceptum *Deuter.6.* & Matth.22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* quod in hac vita non valemus assequi.

192 Respondet Valentia *loc. cit.* è D. Bonauent. *in 3. dist.27. quæst. vlt.* ibi iuberi nos diligere Deum, tanquam finem vltimum, & ideò appretiatiuè præ cæteris rebus modo dicto *quæst.11.* quod Diuino auxilio facere possumus, tametsi non ea perfectione, qua beati, vt ostendam 22. *Tract. de Charitate disput.8. quæst.44.*

Plvrima alia congerunt facilis solutionis, quæ videre est in Valentia, Bellarmino, & aliis.

Obiicies etiam cum tenentibus, necessariam esse gratiam habitualem ad seruanda præcepta, quoad substantiam; quia vt seruentur ea præcepta, debemus esse Deo subiecti; sed non potest peccator ita esse: Ergo. Est argumentum D. Thomæ *artic.8.*

193 Respondetvr, sufficere si pro singulis vicibus, subiectetur homo in actibus occurrentibus, quod Diuino auxilio præstabit, etiamsi aliàs in peccato habituali sit, vt suprà vidimus; Fateor verò ex lege ordinaria non durare diù peccatorem in obseruantia. Et hoc videtur tenere etiam D.Bonau. *loc. cit.* ideò à Valentia §.2. adducitur cum tenentibus, necessariam esse gratiam habitualem ad substantialem obseruantiam mandatorum.

QVÆSTIO XIII.

An Iustus ad perseuerandum egeat actualibus auxiliis.

Perseverantiam sic definit S. Bonauent. *3.p. Centil. sect.43.* quasi sit pars Fortitudinis, ex Tullio lib.2. de Inuent. *Est ratione benè considerata stabilis, & firma permansio.* Magistraliter sic describitur à D. Bonauentura. *Perseuerantia est permanentia in bono, diuturna, siue finalis.* Notat verò Constantiam à Perseuerantia distingui: Constantia enim est permanentia in proposito. Perseuerantia est permanentia in bono, siue continuatio boni. Constantia cauet leuem transitum à proposito in propositum; Perseuerantia verò discontinuationem, vel imperfectionem respectu debiti finis. 194

In declaratione verò Terminorum Theologiæ ponitur à D.Bonauent. pars Fortitudinis, & definitur: *Finalis permanentia in bono.* Ideò *lib.5. Comp. Theologicæ veritatis, cap.36.* definitur à S. Doctore: *Est virtus in ratione benè considerata stabilis, & perpetua permansio*, quam definitionem ex Tullio esse deceptam, ait Seraphicus, *de Donis Spiritus Sancti. De Dono Fortitudinis, cap.3.* circa finem. 195

Ex his S.Doct. *in 3. dist.36. quæst.1. ad 3.* diuidit Perseuerantiam in tria membra. Alia est enim perseuerantia, quæ versatur circa difficultates superandas, quæ proueniunt ex tristitia, quam secum ferunt opera virtutum, & quæ oritur ex diuturnitate laboris, & hanc dicit esse peculiarem virtutem spectantem ad fortitudinem. Alia dicitur firmum propositum 196
permanendi in bono, & ita non esse peculiarem virtutem, sed modum, qui consequitur quamlibet virtutem. Nam Aristoteles 2. *Eth. cap.4.* assignat differentiam inter hæc duo, nempe *facere iustum*, & *facere iustè*; quòd facere iustum, sit operari opus tantùm materiale (vt aiunt) virtutis, sine virtutis modo; facere autem iustè, sit facere cum modo; nempè, cùm quis scienter eligens, & propter ipsum, firmo, ac stabili animo operatur opus virtutis. At si aliqua pro his virtus esset danda; esset Constantia pro operibus Fortitudinis, vt notat D. Bonauent. In genere verò non videtur quomodo assignari queat specialis virtus ad propositum firmum perseuerandi in opere bono (sicuti ponit D. Thom. *quæst.109. art. 10.*) nam circa bonum vniuersè consideratum non ponitur virtus peculiaris, neque habitus; quia in eo nulla est difficultas, sed tota est in natura hac, vel illa singulari, ad quam sufficiunt aliæ virtutes peculiares.

Addit Vasquez ad hunc articulum D. Thom. difficile esse sustinere etiam cum D. Bonau. dari peculiarem virtutem sub Fortitudine, ad superandas difficultates, & molestias, quæ sunt in quolibet opere virtutis, cùm virtus quælibet ad hoc constituatur, vt propter honestatem, quæ est in suo opere, superet difficultates, quæ sunt in eo. Enim verò D. Thom. *loc. cit.* & *in 2.2. quæst. 137. art.1.* Alexander *4.p. quæst.96. membr.3. art.5. §. Ad vltimum*, cum D. Bonauent. *locis adductis* persistunt in ea virtute assignanda sub fortitudine, quam ostendam 2.2. *tractat. de Virtutibus Cardinalibus.* Et quidem hanc virtutem infundi in iustificatione cum gratia, asserunt D. Bonauent. & D. Thom. Itaque obtinetur absque nouo Dei auxilio, & est etiam in præscitis. 197

Tertia

298 TERTIA perseuerantia, quæ dicit continuationem in bono vsque in finem, & quæ solis prædestinatis congruit, est ea, quam mox dicemus, exigere protectionem Diuinorum auxiliorum vsque in finem, vt notat S.Bonau. *locis adductis.*

QVONIAM verò duobus modis accidit, vt quis vsque in finem in accepta gratia perseueret. Prior est cum paulò ante mortem gratiam recuperat, iam amissam, vel prius non habitam obtinet, ac illam conseruat breui illo tempore, quod vitæ superest. Posterior est, quando post iustificationem longo tempore in gratia perseuerans, in ea vltimum diem claudit. Et sanè vtraque est donum Dei, vt docet Concilium Trident. *sess.6. cap.13.* cum asseruit. De perseuerantiæ munere scriptam esse sententiam Christi, Matth.10. & 24. *Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit*;
299 sicut autem vterque modus sufficit ad perseuerandum, vsque ad obtinendam coronam; ità vterque est donum Dei; parum enim interest alterutro modo gloriam consequamur; cum hoc tamen discrimine, quod Perseuerantia illa breuiuscula potest niti solâ gratiâ habituali, cum auxiliis, quibus fuit ea acquisita, & protectione quadam à malo, & prouidentia circa genus mortis sine periculo peccandi; quod gratiæ adscribitur in Ecclesiastico. *Raptus est, ne malitia, &c.* vt docet Vasquez *hic*, *num.7.* & *disp.189. cap.10.* ex D.August. Multò magis necessarium est Diuinum auxilium, vt aliquis perseueret vsque in finem, quod à Pelagio, & Cœlestio negabatur, vt referunt D. Hieron. *in Dial. contra Pelagianos*, & D. August. *heresi 88.* & *in lib. de perfectione Iustitiæ.*

300 ASSERO igitur primò, Perseuerantiam egere auxiliis actualibus Dei vsque in finem.

Probatur à D.Bonauent. primò *Opusc. de sex alis Seraphim*, *cap.8.* ex 2. Philip. *Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle, & perficere, pro bona voluntate.* Psal 26. *Dominus illuminatio mea, quem timebo?* Et Rom. 8. *Quis nos separabit à Charitate Christi?* Psal.126. *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat, qui custodit eam.* Matth.28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.*

PROBATVR secundò à D Bonauent. *Opusc. de perfectione vitæ ad Sorores*, *cap.8.* Lucæ 12. *Præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Et cap.22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater, vt edatis, & bibatis super mensam meam, &c.*

301 PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *Opusc. Itinerarij mentis in Deum*, ex Cant. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, inixa super dilectum suum?* quo loco vtitur etiam D.August. *lib. de gratia, & lib. arb. cap.6.* Vbi notat S. Doct. & illud Apoc. 21. *Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem descendentem de cælo.* Vnde colligit non ascendere Ecclesiam militantem ad triumphantem, nisi illa ad nos descendat auxiliis occurrendo, protectionibus muniendo, &c.

PROBATVR quartò à S. Doct. *in 2. distinct. 28. quæst.3. arg.1. secundo loco* ex Hieremi.10. *Scio Domine, quia non est hominis via eius: nec viri est vt ambulet, & dirigat gressus suos.*

302 Probatur quintò à Seraphico *ibi*, *arg.4.* Id, quod perducit efficaciter ad vitam æternam, est gratia Dei. Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Sed Perseuerantia est huiusmodi, Matth.19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et cap.10. ac 24. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Hoc argumentum ex professo vrget S. Bonauent. *Opusc. de septem donis, de Dono Fortitudinis, cap.3.* vbi ait è D.Bernardo epist.129. *Absque perseuerantia, nec qui pugnat, victoriam; nec palmam victor consequitur. Ipsa enim est nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, &c. Tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Sola est enim, cui æternitas redditur, vel potiùs, quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Hoc igitur est argumentum etiam D.Bernardi *loc. cit.* & *epist.32. & 109.* quod refricat Seraphicus *in Dieta, tit.8. cap.2.*

PROBATVR sextò à S. Doct. *in 2. dist.28. art.2.* 303
quæst.2. arg.1. secundo loco. Nullus postulat ab altero, quod à se ipso habet; ideò D. August. *lib. de natura, & gratia, cap.18.* ait: *Quid stultius, quàm orare vt facias, quod in potestate habeas?* Sed iustus orat, ne labatur, sed perseueret: Ergo. Minor probatur: *Matth.6.* Orat: *Dimitte nobis debita nostra. Et ne nos inducas in tentationem.* Quæ est oratio iustorum, vt dixi *tract.3. disp.2. quæst.1. & 7.*

DEINDE Christus *Lucæ 22.* ait Apostolis: *Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum, vt edatis, &c.* Vbi aduertit S.Bonauent. hîc, Apostolos supponi amicos; & de eis dici illud Apoc.3. *Qui vicerit, dabo ei sedere &c.* & tamen
subdit: *Ecce Sathanas expetiuit vos: Ego autem ro-* 304
gaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. Vbi apparet (ait S. Bonauent.) quòd Christus ipse orando confirmat principalia Ecclesiæ membra, propter quod dicitur, 1. Cor.15. *Deo autem gratias, qui dedit victoriam per Iesum.* Et 1. Petri vltimo. *Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.*

PRÆTEREA obseruat S. Bonau. *ad 17. Ioan.* Christi orationem. *Pater sancte serua eos.* Vbi petit à Patre Diuinæ custodiæ protectionem, sine qua non est possibile quemquam subsistere in iustitia. *Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat, qui custodit eam*, ait Propheta *Psal.126.* Item petit perseuerantiæ conseruationem ibi: *Vt sint vnum.* Et infrà: *Vt sint consummati in vnum.*

ET capite 22. Lucæ obseruat S.Bonau. Christum 305
euntem ad discipulos, & hortantem ad orationem, ne intrarent in tentationem, sed perseuerarent vsque ad obtinendam gloriam: *Surgite, orate, ne intretis in tentationem.* Quem locum vrgens D.Hieronymus lib.2. contra Pelagianos. *Debuit (inquit) iuxta vos dicere: non quidem surgite, & orate; sed surgite, & resistite absque nouo auxilio.* Hac ratione nituntur Vasquez *disput.197.* Valentia *disput.8. quæst.1. p.6.* qui suprà allatis etiam authoritatibus, & rationibus nititur.

RATIO autem huiusmodi necessitatis est humana infirmitas, inimicorum potentia, & astus, occasiones peccandi, repentinæ excitationes concupiscentiæ, insidiæ diaboli, & hominum malorum, quas latè prosequitur D.Bonau. *locis suprà cit. & quæst. præcedenti.*

HÆC veritas confirmata est ab Innocentio I. *in* 306
epist. ad Concilium Carthag. quæ est 91. *inter epistolas D. August.* A Cælestino I. *epist.1. ad Episcopos Galliæ, cap.6. & 9.* A Concilio Mileuit. *can.3. & 4.* Arausicano *can.10.*

PROBATVR quoque à D.Bonau. authoritatibus san- 307
ctorum *lib.2. Pharetræ, cap.34.* præcipuè D.August. *lib. de bono Perseuer. cap.1. & 13.* & *de corrept. & gratia, cap.6.7. & 22.* Et *lib. de prædest. Sanct. cap.14.* D. Gregorij 1. *Moral. cap.10.* & *lib.23. cap.28.* S. Bernardi *epistolis adductis*, & *serm.3. in Cant.*

Asserò secundò, in potestate hominis esse perseuerare Deo adiuuante, qui non deest. Ità definitum est in Concilio Trident. sess. 6. can. 22. *Si quis dixerit, iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei, in accepta iustitia perseuerare posse: vel cum eo non posse; anathema sit.* Idem habet Concilium Arausicanum, *can. 25.*

308 Probatur à D. Bonauent. primò. *Opusc. de perfectione ad Sorores, cap. 8.* ex illis Scripturis, quibus Deus exigit à nobis perseuerantiam, quod nullo modo faceret, si in nostra non esset potestate cum Dei auxilio parato perseuerare. Apoc. 3. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Cant. 4. *Veni de Libano sponsa mea, veni: coronaberis.* Hoc fundamento nititur Molina citandus.

Probatur secundò à S. Doct. ad 15. Ioan. ad illud: *Manete in me: & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Vbi refert etiam illud Oseæ 13. *Perditio tua ex te Israel: tantummodò in me auxilium tuum.* Ibi quoque affert D. Augustinum *tract.* 8. *in epist. Ioan.* post medium, Tom. 9. *Vicissim se habitant, qui continet, & qui continetur. Habitas in Deo: sed vt continearis: habitat in te Deus, sed vt contineat, ne cadas.*

309 Confirmatur à D. August. *lib. de corrept. & gratia, cap. 7.* relato à D. Bonau. *locis adductis*, & *lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 6.*

Probatur quoque tertiò ratione ducta è Seraphico ad locum citatum Ioannis. Sicuti Deus postulat à nobis vt conuertamur; ità postulat vt perseueremus; sed ex eo quod postulat vt conuertamur, deducitur rectè, conuersionem esse in nostra potestate. Ergo ex eò quòd postulat perseuerantiam, idem deducitur.

310 Probatur quartò à D. Bonau. *loc. cit. ad Ioan.* ex illis verbis: *Manete in me: & ego in vobis* (vicissim) ex hoc loco, & ex primo citato *ad Philip.* & ex Sanctis Patribus, August. Prosp. & Fulgentio, ducit Seraphicus rationem, qua nititur etiam Concilium Trident. *sess. 6. cap. 11. & 13.* In potestate iusti situm est, adiuuante Deo, vt Diuinæ gratiæ non desit, neque ipsius prius deserat Deum; sed nisi ipse gratiæ Diuinæ defuerit, nec Deum deseruerit, certissimè habebit auxilium necessarium ad perseuerandum. Ergo in potestate Iusti est, adiuuante Deo, consequi gratiæ auxilium, quod post iustitiam acceptam requiritur ad perseuerandum. Maior probatur. Nam si iustus Deum deserat, hoc illi culpæ imputatur: Ergo est in eius potestate non deesse, nec Deum deserere. Minor probatur ex illis verbis, 1. ad Philip. *Confidens hoc ipsum, quia, qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu.* Et ex verbis Patrum Concilij Trident. *sess. 6. cap. 13.* quibus sententiam Apostoli declarant. Postquam enim docuerunt, neminem posse certò scire quòd sit in gratia perseueraturus,

311 illicò ad consolationem iustorum subdunt: *Tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, atque reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum; ita perficiet, operans velle, & perficere, &c.* Et *cap. 11.* aiunt: *Semel suâ gratiâ iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Affert S. Bonauent. etiam illud Hebr. 12. *Ne quis desit gratiæ Dei.* D. August. lib. de bono Perseuer. cap. 8. *Voluntate sua quisque deserit Deum, vt meritò deseratur à Deo. Quis hoc negauerit?* & Tract. 2. in Ioan. *Opus est, vt tu non recedas ab eo, qui nunquam recedit; opus est vt non deseras, & non desereris.*

D. Prosper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 12. *Certissimè nouerimus, nullum fidelium à Deo non discedentem relinqui.* Idem habet *lib. ad Capitula Gallorum* circa *cap. 7.* Idem docet D. Fulgentius *lib. 1. ad Monimum* circa finem, idque confirmat testimonio D. August. *ex lib. 2. de peccatorum merit. cap. 17.* Hoc argumentum validissimum est, quo nititur etiam Valentia *loc. cit.* cum Molina *loco citando.*

Argumenta Pelagianorum iam soluta sunt quæstionibus præcedentibus. Ita verò, quæ probare nituntur, non esse in nostra potestate, quia hoc donum est petendum à Deo, nec omnibus conceditur, vt videtur dicere D. August. *lib. de bono Perseuer. cap. 6. & 7.* Respondetur, non ob id negandum esse in nostra potestate. Oratio enim, qua petimus ex Dei inspiratione, vt ait Concilium Arausic. *can. 3.* cùm sit bona, postulata obtinet; quod si non obtinet, causa est, quia malè petitur, vt habetur *Iacobi* 4. Ideò D. August. *serm. 29. de verbis Domini*, ait: *Dominus noster Iesus Christus inter nos petitor, cum Patre dator, non vtique nos tantùm hortaretur, vt peteremus, nisi dare vellet. Erubescat humana pigritia: plus vult ille dare, quam nos accipere.* Vide Valentiam *loc. cit.* Vegam *lib. 12. in Concil. Trid. cap. 23.* Bartholomæum Medinam 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 10. *ad* 3. Molinam *disp. 44. de Concord.* 312

Dixi verò cum Concilio Arausic. ad impetrandam oratione perseuerantiam, necessarium esse Dei auxilium; cum Valentia *loc. cit.* & Tannero *de Gratia disp. 4. num. 49. in Compend.* Nam vt ait Apostolus Rom. 8. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed Spiritus adiuuat infirmitatem nostram, postulans pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, vt etiam D. Bonau. *in 2. dist. 18. art. 2. quæst. 1. in corp.* Sic igitur nulli iusto deesse sufficiens auxilium ad perseuerandum, vt definitur in Concilio Arausic. *can. 25.* & Trident. *sess. 6. cap. 13.* & *can. 22.* Non ita tamen est in potestate iusti, vt ei aliquid boni semel facienti insit certitudo perseuerantiæ; sed quia opportuno quouis tempore potest habere auxilia necessaria ad perseuerandum, illisque vti; vt disserit S. August. *lib. 11. de ciu. Dei cap. 12.* vbi Sanctos de perseuerantiæ præmio certos, sed de perseuerantia esse incertos præcisa reuelatione, ait. 313

QVÆSTIO XIV.

An valeat Peccator absque Auxilio Dei per Christum *ad Gratiam Sanctificantem se præparare.*

D. Bonauent. in 2. dist. 28. art. 2. quæst. 2.

Pelagius cum asseclis dixerunt, actiones omnes, quæ ad iustificationem obtinendam valent posse à solo esse libero arbitrio. Ità refert S. August. *hæresi* 88. subdolè tamen in Concilio Palæstino hunc errorem Pelagius retractauit, vt ritè aduertit S. August. *lib. de gratia Christi, cap. 3. & cap. 7.* refert verba Pelagij, qui videtur confiteri adiutorium Dei; sed subdit modum hæreticum. Semper igitur Pelagius persistit negando gratiam per Christum, & solùm confitendo auxilium generale omnibus creaturis. Eius errores damnati sunt in Conciliis Mileuit. *can. 4.* Arausic. *can. 7. 23. & 25.* & Trident. *sess. 6. cap. 5.* 314

Enim verò etiam Theologi nonnulli dicere ausi sunt, posse hominem per actiones naturales se disponere sufficienter ad gratiam obtinendam. Hi tamen 315

tamen supernaturalem fidei assensum ad iustificationem esse necessarium fatentur, & per actiones illas naturales de congruo solùm disponi hominem ad iustificationem. Ita Durandus *in 2. dist.28. quæst.5.* Gabr. *quæst. vn. ad primum dubium.* Et attribuitur Scoto *in 2. dist.28. quæst. vn.* & *in 4. dist.14 quæst.2. art.2.* & quidem Pelagius volebat hoc meritum esse de condigno, vt innuit D. Bonau. *in 2. dist.28. p.2. quæst.1. ad vlt.* Semipelagiani solum meritum congrui opponere videntur, vt notat Fauent. *num.23.* Marginista quidem D. Bonau. *loc. cit.* in hoc eximit Scotum à Pelagianismo, quia fatetur necessarium supernaturalem fidei assensum, quem vult esse gratiam preuenientem.

316 FABER verò *in 4. dist. 14. cap.2.* saluare nititur Scotum, quia confitetur necessarium concursum Dei generalem, quem dicit Faber esse gratiam.

MIHI sanè negotium facessit. Primò quia Scotus dicit, hoc posse fieri puris naturalibus: at ea, quæ ex gratia etiam præueniente fiunt, vt ad iustificationem necessaria, non sunt pura naturalia, vt definiunt Concilia adducta. Igitur non benè Delphinus apud Fabrum *num.18.* excusat Scotum. Deinde quia Scotus *quodlibet 21.* ponit prouidentiam generalem, qua Deus res administrat omnes, secundum quod natæ sunt regi vt habet D. August.7. *de ciu. cap.30.* & *lib.5. cap.9. & 11.* At prouidentiam, qua prouidet auxilia præcedentia, & necessaria, esse particularem, non generalem, affirmat, vt tibi fatetur Faber *num.27.*

317 Quòd verò Deus etiam generali concursu influat cum libero arbitrio vt causa vniuersalis, nihil facit pro Scoto defendendo. Vnde vix appatet quomodo Scotum tuearis; licèt & *quæst.11.* ipsum aliquo modo excusarim. Itaque ansam præbuit Zelatoribus gratiæ Theologis conquerendi, vt videre est in Valentia *disp.8. quæst.5.p.4.* § Vasquez *p.1. disp 91.* & *1.2. disp.190.* Adde Scotum *in 3. dist.23.* putare, non esse necessariam fidem infusam, vt notat Marginista Seraphici *in 3.dist.23. art.2 quæst.2.* Attamen *quodl.14. art.1.* auxilium naturale extrinsecum ex gratia ait prouenire.

318 CATHOLICA sententia est, actus, qui ad gratiam sanctificantem necessarij sunt esse supernaturali è gratia. Doctores refert Tannerus *quæst.3.disp.8.* Aluarez *disp.53.* Morand. *tract.4. quæst.7.*

ASSERO cum hac sententia, quam reor esse etiam Scoti, cum Mastrio *4.disp.2.quæst.7.* & *disp.9.quæst.7.*

PROBATVR à D.Bonau. primò e Scripturis, quas hic supponit; refert autem passim alibi, & *dub.2. litt.* illud Rom.11. *Si gratia est ex meritis, iam gratia non est gratia.*

PRIMVS locus est Ioan.6. *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, quem refert *Opusc. de septem itineribus Æternitatis, Itinere 3. dist.5. in fine*, & *in Comment. illius loci*, vbi addit expositionem D.Chrysostomi *homil.45. in Ioan.* quæ ostendit, nos Diuino auxilio indigere, & expositionem D. August. *tract. 26. in Ioan.* ex qua inducit etiam illud Matth.16. *Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.* & illud Cant. *Trahe me post te.* Et illud Hierem.31. *Attraxi te miserans tui.* Et illud Matth.22. *Compelle intrare.* Et Psal.84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Et illud Matth.15. *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur.* Hierem. 30. *Insanabilis fractura tua.*

319 SECVNDO *in Opusc. de septem Itineribus, Itinere 5. dist.4.* rursus affert illud Matth.16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi; sed Pater meus, &c.* Et illud Psal.84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Et Psal.118. *Reuela oculos meos; & considerabo mirabilia de lege tua.* Matth.11. *Neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Et: *reuelasti ea paruulis.* Ioan. 14. *Cùm venerit Paraclitus, ille vos docebit omnia.* Et 1. Ioan.2. *Vnctio docebit vos.* Et 1. Cor.2. *Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum.*

TERTIO *Ioan.6.* affert illud. *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum.* Affert quoque expositionem D.August. *tract.25. in Ioannem.*

QVARTÒ *in 3. dist.23. art.2. quæst.2.* id probat de fide, quæ adeò etiam necessaria est, vt sine ea impossibile sit placere Deo ex 1. Cor.12. *Alij datur fides in eodem spiritu.* Rom.8. *Non accepistis spiritum seruitutis in timore, sed spiritum adoptionis, &c.* Id sentit etiam Scotus *quodl. cit.* vt obseruant discipuli. 320

QVINTO id ostendit de Spe *in 3. dist.26. art.2. quæst.1.* Illud enim, quod facit peruenire ad vitam æternam, est Donum Dei. *Gratia Dei, vita æterna.* Rom.6. Sed spes est huiusmodi Rom. 8. *Spe salui facti estis*: Ergo.

DE Charitate id probat *in 1. dist.14. dub.6. litt.* ex illo Rom.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, &c.* & in 3. *dist.27. quæstione 3.* De pœnitentia id probat in Diæta salutis, tit. 3. cap. 1. *Cor mundum crea in me Deus.* Psal.50.

IN Soliloquio *cap.2.* affert illud Cant.6. *Reuertere reuertere Sunamitis*, idest pauper, &c. & ad Psal. 78. *Ne memineris iniquitatum nostrarum: citò anticipent nos misericordiæ tuæ.* Hoc testimonio nititur Concilium Arausic.2. *can.14.* Addit S. Doct. id 1. Cor.15. *Non ego operor, sed gratia Dei mecum.* Et cap.3. *Coadiutores enim Dei sumus.* 321

PROBATVR à S.Doctore ex Patribus: D. August. de Eccl. dogm. cap.12. *Manet ad quærendum salutem liberum arbitrium; sed admonente priùs Deo, inuitante ad salutem, &c.* eadem habet *de prædest. Sanct. cap.20. In Enchir. cap.12. lib.4 contra Iulianum,cap.3.* & *lib. de gratia & lib. arb. cap.17.* vbi scripturas refert.

SECVNDO ex D. Bernardo de lib. arb. cap. 17. *Conatus liberi arbitrij cassi sunt, si à gratia non adiuuantur: & nulli, si non excitantur.* Et subdit: *Gratia excitat liberum arbitrium, dum seminat cogitatum.*

PROBATVR deinde à D. Bonau. rationibus. Prima est: Timor seruilis, nempè, quo peccator recedit à malo solâ consideratâ pœnâ, & de patratis ob eam dolet, est, quo mediante declinatur à peccatis, sed hic est à Deo: Ergo. Maior probatur à D.Bonau. Prou.16. vers.6. *In timore Domini declinatur à malo.* Et Eccl.1. *Timor Domini expellit peccatum*, nam qui sine timore est, non poterit iustificari. Alia loca è D. Bonauent. *in 3. dist.34. quæst. 1.* refert Bellarminus *de Pœnit. lib. 2. cap.17.* Isa. 26. *A timore tuo Domine concepimus*: Prouerb. 15. & 16. post D.Bonau. *ad 12. Luca* ideò obseruat, Scripturas sæpe incutere timorem, vt ad pœnitentiam reuocent, vnde probatur Minor *Deuter. 32. Psal.7. Isa.33. Ionæ 3. Matth.3. 5. 13. 24. & 25. Marci 9. Lucæ 12.* Vbi S. Doctor notat ea verba: *Ostendam vobis, quem timeatis*, vt homo scilicet timore malum declinet, secundum illud *Hierem.10.* Ideò subdit, illud Psal.32. *Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoueantur omnes, &c.* & quia iste timor maximè est necessarius, subdit: *Ideò dico vobis, hunc timete.* Vnde Isa.8. *Ipsum sanctificate: ipse pauor vester, & ipse terror vester.* Et Hierem.5. *Me ergo non timebis? ait Dominus.* Hæc S.Bonau. quem vide. 322

323 Probatvr à S. Doct. *lib. 5. Compend. Theol. cap.40.* è D. August. *in epist. Ioan.* vbi ait: *Stimulat timor, sed noli timere; intrat charitas, quæ sanat, quod vulnerat timor; timor Dei sic vulnerat, quomodo Medici ferramentum putredinem tollit; opus est ergo, vt iuuet timor primò, per quem veniat charitas.* Idem habent alij Patres apud D.Bonau. *de septem Donis. De Dono Timoris.*

324 Tandem declaratum est à S.Concilio Trid.*sess.*14. *cap.*4. vt notat Bellarminus.

Nota verò, Seraphicum *loc. cit. de Dono Timoris, cap.*1. negare, timorem seruilem esse donum Spiritus sancti; de quo ait locutum D. Augustinum *in Psal.*118. *enar.*25. *tom.*8. ad ea verba: *Confige timore timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui,* qui locus agit de hoc timore vt notat Bellarminus. Sed nota, Seraphicum negare solùm de illo timore, qui ità detinetur pœnâ; vt, si ea non ingrueret, peccatum committeretur, qui est timor ergastulus, de quo videtur loqui D. August. Igitur timorem seruilem à Deo esse, non negat; id enim suprà dixit, sed timorem seruilem excludentem Dei offensionem. Ita explicat seipsum S. Bonauent. *lib.5. Comp. Theol. cap.*40. Clariùs *in* 3. *dist.*34. *p.*2. *quæst.*1. & *quæst.*2. *ad.* 1. respondet, D. August. velle in timore seruili viuere voluntatem peccandi habitu, non actu. Vide ipsum.

325 Probatvr secundò à S.Doct. ratione, quam refricat etiam 4. *p. Breuil. cap.*3. quaque vtuntur Moderni. Dispositio debet esse proportionata, atque adeò eiusdem ordinis cum forma, ad quam disponit. Sed forma iustificationis est gratia ordinis supernaturalis: Ergo & dispositio. Eum verò locum D. August. explicat *in* 3. *dist.*34. *quæst.* 2. *ad* 1. D.Augustinum velle manere solum habitu nonnunquam adhuc displicentiam obseruantiæ legis.

Probatvr tertiò. Si liberum arbitrium præueniret gratiam, nulla daretur gratia præueniens; sed hoc dicere, est contra Concilia, suprà allegata: Ergo.

Hinc deducit Vasquez *disp.*199. malè aliquos è Theologis dixisse: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Hæc enim propositio intelligenda est cum auxilio gratiæ, vt docet D. Bonau. *in* 2. *dist.*28. *art.*2. *quæst.*1. *ad* 1. D.Thom. 1.2. *quæst.*109. *art.*6. *ad* 2. & *quæst.*112. *art.*2. *ad* 3. Alens. 3.*p. quæst.*69. *membr.*5. *ad* 3. *ad* 5. & 6. & alij apud Vasquez.

326 Probatvr etiam à D. Bonau. in declaratione terminorum Theologiæ; quia ad resurgendum à culpa mortali requiritur detestatio ex pœnitentia, sed hæc non potest esse absque auxilio gratiæ: Ergo. Maior probatur. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis.* Minor probatur, quia offensa Dei non potest odio haberi, nisi talis cognoscatur; sed non potest cognosci absque lumine superno: Ergo. Sic arguunt alij.

Obiicies primò. Si Deus nos præuenit, nulla est via orationibus ad petendum primum auxilium.

327 Respondetvr, talem orationem esse ex Dei Auxilio, & sic Deum mouêre ad petendam gratiam; ac proinde nullus orat ad petendam primam gratiam.

Obiicies secundò *Zach.*1. dicitur: *Conuertimini ad me; & ego conuertar ad vos.*

Respondet S. Doctor. Deum ideò inuitare, vt conuertamur ad eum, quia auxilio suo præsto est, cui vult, vt cooperemur.

Obiicies tertiò cum Scoto *in* 2. *dist.*28. *quæst.*1. Inserta est nobis veri boni cupiditas: Ergo naturaliter appetere illud valemus.

328 Respondet S.Doct. insertum esse in genere; at verò vt cognoscamus verum bonum, & amemus, necessariam esse gratiam Dei infundentis sanctam cogitationem, quia bonum supernaturale est. Ita respondet etiam Vasquez *disp.*194. *num.*47.

Obiicies quartò cum Scoto. Omnis potestas naturalis naturaliter appetit suam perfectionem, eo ipso, quòd illâ indiget, & ab ea nata est compleri; sed liberum arbitrium natum est compleri per gratiam; Ergo potest ad eam aspirare, & se disponere.

Respondet S. Bonau. verum esse de perfectione, quæ est intra terminos naturæ, non de ea, quæ supra naturam est; aut si de ea perfectione intelligatur, dico, eo modo appeti, quo cognoscitur; cognoscitur autem è Diuina motione. Ità quoque respondet Vasquez *disp.*194. *cap.*5. paucis mutatis.

Ex his deducit Vasquez malè Vegam respondere, 329 posse hominem iudicare Deum diligendum, sed non posse voluntatem eniti, quia facilius est intelligere, quàm velle. Contra enim est; Quia gratia præueniens, iuxta D.Augustinum, est in sancta cogitatione.

Obiicies quintò. Sufficienter se ad gratiam disponit, qui facit, quod in se est; facere autem, quod in se est, est facere id, quod est in sua potestate. Sed liberum arbitrium sine gratia potest facere, quod in se est: Ergo.

Respondet D.Bonau. liberum arbitrium faciendo, quod in se est, disponi ad gratiam, si fiat modo proportionato, & ordinato ad gratiam, qui dicitur modus positiuus, sed hîc includit gratiam præuenientem. Qui verò facit, quod in se est, quia facit, quod potest, licèt non ordinatum ad gratiam, facit quod in se est; sed non sequitur gratia, vt dixi suprà.

Obiicies sextò cum Pelagio. Liberum arbitrium 330 gratiâ destitutum, vel potest aliquid, vel nihil. Si nihil: ergo non est culpandum, si non se præparat ad gratiam. Si potest aliquid: supponatur hoc esse A. si faciendo A. facit totum suum posse, sufficienter se præparat ad gratiam. Ergo.

Respondet S.Bonau. posse aliquid; sed illud sine gratia nihil esset in ratione dispositionis ad gratiam, vt docet D. Bernardus suprà. Potest verò Diuino auxilio, quod semper præsto est; & est necessarium, vt dispositio fiat ad formam supernam apta.

Obiicies septimò. Natura refugit sibi nociua. Sed 331 peccatum est nociuum: Ergo voluntas naturaliter illud detestatur.

Respondet S.Bonau. naturam posse detestari culpam, vt nociuam naturæ, puta fornicationem, quia læsit sanitatem, non autem vt est offensa Dei, quod disponit ad gratiam. Et licèt aliquid etiam bonum morale operemur, vt Durand. vrget, attamen non est dispositio sufficiens ad gratiam, quæ est forma supernaturalis, vt dixit S. Bonauentura.

QVÆSTIO XV.

An iustus egeat specialibus auxiliis ad vitanda Venialia.

Assero primò, breui aliquo tempore posse omnia peccata venialia, ordinario Dei auxilio supernaturali vitari. 332

Probatvr primò è D.August. *lib. de natura, & gratia, cap.*12. vbi sic habet: *Gratia Domini miserantis remittantur, quæ malè fiunt, & eadem gratiâ iuuante non fiant.*

Probatvr secundò ratione; quia semel habitâ in Sacramento remissione omnium peccatorum, potest aliquamdiu aut tentationibus carere, aut illis virtute gratiæ Sacramentalis, quàm ob Sacramentum mox

mox susceptum, prestò habet, fortiter, & fideliter resistere: talis autem gratia est auxilium ordinarium supernaturale. In illa verò conflictatione, quâ tentationi fideliter resistitur, absit quod sit peccatum veniale, quinimo ingens meritum, & magnum gratiæ incrementum.

Obicies; hinc sequeretur, posse hominem se liberum ab omni peccato pro eo tempore proclamare: hoc autem scripturæ repugnat. Prouerb. 20. *Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Ergo ne quidem breui tempore à peccato potest quis vacare.

Respondetur neminem quidem posse se purum à peccato dicere; quia eo ipso, quod quis ita se innocentem pronunciat, ex præuia præsumptione id oritur; cùm nemo Conscius sit suæ iustitiæ, absque speciali reuelatione, dicente Iob. *Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.*

Assero secundò, necessarium esse auxilium Dei speciale ad vitandum omne veniale toto vitæ tempore.

Probatur primò; è Concilio Trident. *sess. 6. can. 25.* vbi Anathemate punitur, qui dixerit, iustum posse omnia peccata venialia vitare, nisi ex speciali priuilegio: sed nullus, etiam iustus, habet speciale illud priuilegium virtute gratiæ, aut Sacramentorum Ordinaria: Ergo.

Probatur secundò ibidem *can. 33.* vbi definitur hoc priuilegium fuisse concessum Intemeratæ virgini; ita vt omnem omninò culpam facilè, & feliciter vitauerit: sed quod specialiter Virgini concessum est, aliis ordinariè non elargitur: Hoc autem factum fuisse in B. Virgine singulari Dei assistentia, & ligatione appetitus sensitiui, ne inordinatè prorumperet in actum, probabile est.

Probatur tertiò ex illo Ioan. 1. allato in Concilio Mileuitano: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Probatur vltimò ratione D. Bonauent. *locis adductis, tract. 3. disp. 2. quæst. 7.* & D. Thomæ ibi: quia non obstante gratia habituali cum aliis gratiis appendicibus, manet in iusto rebellis in sensibile bonum procliuitas; ità vt quantumuis ratio ab vna parte vigilat, & gratia resistit; homo ab altera parte preuenitur, & ex accensa concupiscentia aliqualiter aberrat.

DISPUTATIO II.

De Gratia habituali.

Gratia habitualis, & gratum faciens, eadem à Thelogis asseritur.

QVÆSTIO I.

An detur Gratia *gratum faciens.*

D. Bonau. in 2. dist. 26. & 28.

1 Insaniunt hæretici dicentes, nullam omninò dari Gratiam habitualem, sed iustificationem fieri per solam extrinsecam Dei acceptationem. Eos refert Bellarminus *lib. 2. de Iustificatione, c. 1.* Bouerius *Exam. 2. art. 18. censura 14. errore 2.*

Dico autem, Gratiam gratum facientem, qua reddamur formaliter Deo grati, & accepti, atque amici. De qua D. Bonauent. *tom. 1. opusc. 4. part. Breuil. per multa cap. De septem Donis, cap. 3.* In *compend. Theol. ver. lib. 4.* & *in 2. sent. à dist. 26.* & *in 3. passim.*

Assero, dari aliquam gratiam creatam, hominem Deo gratum facientem. Est de fide statutum in Concilio Trident. *sess. 6. can. 11.* Vide Seraphicum *quæst. 1. & 2.*

Probatur à D. Bonauent. *lib. 4. Compend. Theol. ver. cap. 3.* ex illa 1. Cor. 15. *Gratia Dei sum id, quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit; sed semper in me manet.* Ergo datur gratia manens in homine.

Probatur tertiò à S. D. *dist. 26. quæst. 1.* Quod emundat aliquem, dignum reddens vitâ æternâ, & sanctum, est quid in eo manens. Gratia id præstat in nobis: ergo. Totum argumentum est Spiritus sancti, testantis, gratiam distinctam à Dei fauore, emundantem & abluentem, ac proinde esse aliquid creatum in anima *Psalm. 50.* Dauid deprecatur Dei misericordiam, vt deleatur iniquitas, mox *Laua me, lauabis me, &c.* adhuc mutationem signat intrinsecam. *Cor mundum crea, in me, & spiritum rectum innoua.* Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & emundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, &c. Et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri.* Prima Cor. 6. *Et hæc quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Rom. 3. *Iustificati gratis.* En fauor: *per gratiam ipsius*; En medium creatæ gratiæ, vt notat S. D. *dist. 28. quæst. 1.* Ioan. primo *De plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia*: En diuiditur inter nos plenitudo gratiæ, à Christo emerita, & facta. Hac plenos esse Sanctos, proporti ne admonet S. D. 3. *dist. 13. quæst. 3.* Sic B. V. dicitur plena gratia, *Lucæ 1.* & Stephanus *Act. 6.* Hinc prima Cor. 12. *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus, diuidens singulis, &c.* En gratia partita, Deo fauente indiuiso, vt ait S D. *dist. 26. quæst. 2.* Eph. 1. Propositum, & gratiam, in qua intimè iustificamur, distinguit *cap. 2.* beneuolentiam à gratia distinguens. *Propter nimiam charitate suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia estis saluati.* Hæc autem non est nuda imputatio gratiæ Christi; nam effectum habet formalem, viuificans, &c. Talis describitur *cap. 3.* ad Titum. *Cùm autem, &c.* vt dicam, vocans effusam in nos sic & D. Dionys. *de cel. Hier. cap. 1.* Cyrill. Alex. 6. *de Trin.* August. *in Psalm. 118. serm. 26.* & *lib. primo de pecc. merit. & remiss. cap. 10.*

Præclare verò iustitiam, non nudam imputationem, sed inhærentem, docent Scripturæ, quæ vitam nobis influi, sanctitatem, illuminationemque inde testantur *Isaiæ 1. & 58 Ezech. 18.* Hæc disseram *disp. 3.* quæ in Tertium mihi sint argumentum.

Probatur quartò à D. Bonauent. Id, quod aufert aliquam deformitatem, ponit aliquam formam; sed gratia aufert deformitatem culpæ: Ergo. Ma: probatur. Nam priuatio aufertur per formam. Probatur. Mi: 1. Cor. 6. *Et hæc quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, &c.* Ad Titum 3. *Eramus enim aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, seruientes desideriis, & voluptatibus variis in malitia, & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Cum autem benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem* 3

effudit in nos abundè: vt iustificati gratiâ ipsius, heredes simus, secundùm spem vitæ æternæ.

4 PROBATVR quintò à S.D. Quandocunque aliquis ex non dilecto fit dilectus, aliqua facienda est mutatio in alterutro. Sed peccator ex non dilecto, imò odio habito, fit Deo dilectus: Ergo facienda est mutatio vel in homine, vel in Deo: sed in Deo fieri non potest. *Iacobi, cap.*1. Ergo facienda est in homine per bonum aliquod ei de nouo adueniens, quod per peccatum deperditur, & per iustificationem aduenit. Hoc autem est gratia sanctificans, neque aliud potest adduci: Ergo. Hoc argumento nititur Valentia *disp.*8. *quæst.* 1. *puncto* 1. Vasquez *disp.*105. de quo *disp.*3. *quæst.*4. agam, & *quæst.*7.

PROBATVR sextò à D. Bonauent. *hîc* & *ad* 3. Deus amat, & acceptat nunc volendo bonum vni, non alteri. Ergo aliquid boni est in vno, quo redditur acceptus, quod non est in eo, qui non est amatus, hoc autem prouenit ab amore Dei, qui non amat distincta voluntate ab ea, quæ facit bonum, sicuti faciunt creaturæ rationales; sed voluntate vult bonum, & illud efficit; nam: *Omnia, quæcunque voluit, fecit.* Psalm. 113. Ergo dum acceptat, dat bonum, quo gratus reddatur, qui prius erat inuisus. Hoc autem bonum est Gratia: Ergo. Hoc argumento vtitur Valentia *loco citato.*

5 PROBATVR à Seraphico etiam *quæst.* 2. Ex eadem 1. Cor. 12. *Diuisiones gratiarum sunt, vnus autem Spiritus.* Ergo gratia diuiditur: Sed quod diuiditur, est quid creatum: Ergo. Confirmatur, quia ex D. August. ad Bonifacium, gratia augetur, & minuitur. Idem colligitur ex aliis locis D. August. allatis à Magistro *dist.*26.

PROBATVR secundò. Id quod informat, reformat, & viuificat formaliter, est forma creata. Talis est gratia: Ergo. Ma: probatur à D. Bonauent. Quia Deus non potest gerere vicem causæ, quæ intrinsecè dicit imperfectionem. Talis est forma: Ergo. Mi: probatur ex illis locis, suprà allegatis, quibus ostenditur, animam à gratia dealbari, mundari, regenerari, &c. Vnde etiam D. August. 15. *de Trin. cap.*8. ait: *Quæ natura, cùm à suo Conditore iustificatur à deformi forma, formosam transfertur in formam.*

6 PROBATVR tertiò. Aut gratia sanctificans est aliquid in glorificato, aut nihil. Si est aliquid; vel est aliquis habitus, vel aliquis vsus in actu. Si habitus, habeo intentum; si vsus: ergo nullus habet gratiam, nisi dum eâ actu vtitur: Ergo non erit gratia in paruulis baptizatis, & in iustis dormientibus, magis quàm in non baptizatis, & in peccatoribus; quod est alienum à fide, vt arguit etiam Bellarminus *lib.*2. *de Iustific. cap.*15. Si gratia nil ponit in gratificato: Ergo cum fit gratificatus, nullam mutationem subdit: Ergo mutatur gratificans Deus. Deinde non esset melior is, qui est gratus, quàm ille, qui non est gratus.

7 PROBATVR quartò è Scripturis. De fide constat, Gratiam esse principium meriti. Ita ad Titum *cap.*3. cùm tamen Baptismus omnibus præcipiatur ad hoc *Ioan.*3. *Ephes.*5. *Ad Titum* 3. Cùm igitur Baptismus conferat gratiam, tanquam illius instrumentum, non autem actu excitando fidem; sequitur, eam esse habitualem, non autem aliquid transiens. Hoc supposito: Vel gratia est aliquid, per quod liberum arbitrium formatum operatur: vel est Deus operans cum eo. Si primum, habeo intentum. Si secundum; tunc liberum arbitrium magis moueretur, quàm moueret. Ergo sicut lapis non laudatur ex eo, quòd moueatur sursum, nec ei adscribitur ille motus; ita nec liberum arbitrium, &c.

ASSERO secundò, gratiam esse accidens. Ità D. Bonauent. *quæstione* 3.

PROBATVR à D. Bonauent. primò. Id, quod aduenit substantiæ completæ, quod adest, & abest præter subiecti corruptionem, quodque intenditur, ac remittitur, est accidens. Talis est gratia: Ergo. Mi: probatur 2. Petri 1. *Gratia vobis adimpleatur*, & cap. 3. *Crescite in gratia.* Timoth. *Gratiam consecutus sum.* 8

PROBATVR secundò. Quia si est substantia, vel est materia, vel forma, vel compositum; vel est substantia corporalis, vel spiritualis. Non materia, vt patet; neque forma, quia faceret vnum per essentiam cum anima: neque compositum, quia non posset vniri animæ. Vnde non est substantia corporea. Si verò est substantia spiritualis: Vel est Deus, vel Angelus, vel anima: Nullum horum est: Ergo.

PROBATVR tertiò à S. Doctore. Nullus habitus est substantia. Gratia est habitus: Ergo. Maior patet. Minor probatur ex Glossa D. Augustini ad illud Psalm. 103. *Vt exhilaret faciem in oleo*, vbi ait: *Gratia est quidam nitor animæ, sanctum concilians amorem.* 9

PROBATVR quartò à D. Bonau. *hîc*, *quæst.*2. & 3. & 4. *part. Breuil. cap.* 1. Gratia comparatur aquæ descendenti de sede Dei, & Agni *Apoc.*21. Comparatur Lumini. Iacobi 1. *Descendens à Patre luminum.* Dicitur donum. Rom. 5. *Accipientes abundantiam gratiæ, & donationis.* Dicitur dari ad aliquam mensuram magis, vel minus. Ephes. 4. *Vnicuique data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.* Dicitur dare nouum esse, & facere nouam creaturam. *Ephes.* 2. *Galat.*5. Dicitur LVX 2. Cor. 6. *Ephes.*5. *Prima Ioan.*2. sed lux non facit lucidum, nisi per lumen aliquod inhærens. Dicitur facere Similem Deo, ac Filium, *Rom.* 8. *Philip.* 3. *Prima Cor.* 15. Dicitur vnire tanquam sponsam sponso. *Cant.*1. *& sequentibus*, & ideò venustare, decorare. Dicitur stabilire, Ad *Heb.*13. Reddere Deo acceptum *Ephes.*1. & 5. *Prima Thessal.*4. Dicitur eleuare nos: *Veni columba mea, immaculata mea.* Cant. 2. Quæ prosequitur D. Bonauent. & post eum Bellarm. *lib.*2. *de Iustific. cap.*3. & 7. *& sequentibus*, & Valentia *disp.*8. *quæst.*2. *puncto* 2. ac Bouer. *loco cit.* 10

PROBATVR tandem à D. Bonauent. *hîc*, *quæst.*3. & *part.*4. *Breuil. cap.*2. *& sequentibus*, ratione, qua vtitur etiam D. Thom. *art.* 2. & Valentia *loco cit.* ex Diuina prouidentia, quæ omnibus creaturis impertit instrumenta proportionata ad fines suos consequendos, eò quòd ex se nihil sint, & valeant. Creaturas autem non solùm mouet; sed etiam dat eis formas proportionatas ad fines consequendos. Sic Igni calorem, aquæ frigiditatem, &c. Cùm ergo minor non sit prouidentia circa fines supernaturales; fateri debemus, Deum non modò mouere rationales creaturas, sed eis dare etiam gratiam, tanquam necessariam formam ad beatitudinem consequendam. 11

Confirmatur à D. Bonauent. *loco cit. Breuil.* Deus condidit hominem ad imaginem, & similitudinem; sed imago Dei est in naturalibus, quæ verè sunt aliquid in anima. Ergo & similitudo erit per aliquid in anima, & cùm similitudo fit per gratiam, quæ potest perdi, vt notant Sancti Patres; sequitur, eam esse per aliquod accidens cohærens in anima ipsa. Sed hæc refricabuntur *disp.*3. *quæst.*1.

TANDEM sententia de Iustitia accidentali inhærente, quæ sit habitus, consona est Concilio Trident. *sess.*6. *cap.*7. quod probat, quia requirit in adultis dispositiones; infunditur, & permanenter inhæret. Idem habet in Catechismo *tract. de Baptismo*, vbi 12

vbi ait: *Est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœnâ anathematis propositâ decreuit, non solùm per quam peccatorum fit remissio; sed Diuina qualitas in anima inhærens, ac veluti splendor quidam, & lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores, & splendidiores reddit.* Et paulò post addit: *Per eam qualitatem ad omnia Christianæ pietatis officia nos habiles reddi; & ex eadem pias, honestasque actiones proficisci.* Quæ sunt rationes D.Bonauent. *locis adductis*, præcipuè *quæstione* 1.

Præterea idem habetur *cap. Maiores de Bap.* & ex Conciliis Later. & Viennensi, habetur *in Clem. de Sum. Trin.* vbi dicitur hæc sententia consona Sacris Scripturis, & esse omnium Theologorum illius ætatis. Quare id negare erroneum est, ne dum periculosum.

13 Assero tertiò, Gratiam esse accidens corruptibile. Ità S.Bonauent. *quæstione* 4.

Probatur. Tum quia est in subiecto variabili, secundùm quod variabile, id est in anima secundùm libertatem arbitrij. Tum quia habet oppositum potens esse in anima, id est, peccatum, quod moraliter malum non potest stare cum ea. Vide Seraphicum.

Obiicies primò contra primum assertum. Homines nullo habitu ineunt apud homines gratiam. Sic Dan.1. *Dedit Dominus gratiam Danieli in conspectu principis Eunuchorum:* Ergo & apud Deum.

14 Respondet D.Bonauent. *quæst.*1. *ad* 1. disparem esse rationem. Primò, quia homo in amando afficitur; & affectus, est imperfectè volens bonum; eò quòd exigatur etiam executio efficax boni voliti. At Deus, dum vult, bonum efficaciter dat præsenti; vel futuro prædestinat. Secundò. Quia Deus in acceptando non fallitur, neque enim acceptat, quem non videt bonum; nec videt bonum, nisi quem facit bonum; ideo acceptando communicat bonum. Tertiò, Quia dum de non acceptante fit acceptans, non mutatur; & ideò necesse est, acceptatum mutari.

15 Dices. *Deus dilexit nos ante mundi constitutionem.* Eph.1. *Dilexitque nos, cùm adhuc peccatores essemus.* Rom. 5. Ergo gratificatio Dei nil ponit in gratificato.

Respondet S. D. dilectionem æternam ponere aliquid pro futuro; at gratificationem ponere aliquid nunc. Et ideò ponit aliquid bonum circa gratificatum.

Obiicies secundò. Solis precibus aliquis ex inimico fit amicus: Ergo & Deus, qui est clementior.

16 Respondet S. Bonauent. *loco cit.* Argumentum valere, facta mutatione in eo, qui erat iratus, qui mutat affectionem; hoc autem circa Deum non valet, qui non mutatur; ideò nec irascitur, nec iram deponit; & vbi aliquid tale in Scriptura innuitur, est intelligendum per figuram *Anthropospathon.*

Obiicies tertiò è D. Damasceno *lib. de Spiritu Sancto.* Dicimus, substantiam donorum esse Spiritum sanctum.

Respondet D. Bonauent. *quæst.*2. intelligi causatiuè, non excludendo influxum doni creati. Dicitur ergo substantia donorum, fons, & origo; vel substantia, & fundamentum donorum, non autem formalitas.

17 Obiicies quartò. Gratiæ est creare, vnire, viuificare, &c. Sed Deus se solo creat, vnit, viuificat: Ergo.

Respondet S.Bonauent. *loco cit.* Deum recreantem supponere creaturam iam dispositam, quod non euenit in creatione. Similiter vnire, & viuificare efficienter se ipso, infundere tamen aliquid noui.

Obiicies primò contra secundum assertum. Nullum accidens est nobilius substantia; sed gratia est nobilior, quàm anima: Ergo.

Respondet D. Bonauent. non comparari substantiam, vt ens est, cum accidente; substantia quippè est ens bonum in se, tanquam bonitatis participatiuum; At accidens est bonum alteri; & ideò perficit subiectum, licet in se sit eo inferius in genere. Præterea gratia non est melior, quàm anima, vt accidens est, sed vt vnit summo Bono.

Obiicies secundò. Nullum accidens est substantiæ similius, quàm substantia: sed Gratia est Deo similior: Ergo est substantia. 18

Respondet D. Bonauent. non comparari animam cum gratia in ratione similitudinis, quia anima est similis; sed gratia est similitudo, vel donum assimilatiuum. Secundò, anima assimilatur per gratiam; vbi autem vnum propter aliud, ibi vnum tantùm; vnde non est maior assimilatio gratiæ, quàm animæ cum Deo. Tertiò: substantia assimilari potest magis in ratione entis; potest tamen aliud assimilari in ratione proprietatis. Sic sapiens magis Deo, in quantum est ens per se, assimilatur, quàm ipsa qualitas sapientiæ; attamen magis assimilatur anima illi, quatenus est sapiens, quàm in quantum est ens. Reliqua vide in Seraphico Doctore.

QVÆSTIO II.

Quid sit Gratia Habitualis *sanctificans.*

Multas definitiones Gratiæ sanctificantis affert S.Bonauent. *dist.*26. *dub.*2. 19

Prima definitio est gratiæ comparatæ ad suum principium: *Gratia est diuinæ misericordiæ donum, per quod bonæ voluntatis est exitus.* Hæc definitio est D.Isidori *lib. de Diffinitionib. defin.*27. eadem habet S.Bonauent. *dist.*27. *quæst.*2. *ad argumenta.*

Secunda est in ordine ad subiectum: *Gratia est quidam nitor animæ, ad conciliandum sanctum amorem.* Ità D.August. *in Psalm.*103. ad eum versum. *Vt exhilaret faciem in oleo.*

Tertia definitio sumitur per ordinem ad oppositum: *Gratia est iustificatio, & remissio peccatorum.* 20

Qvarta in ordine ad affectum. *Gratia est sanitas mentis, delectatio cordis. Vel adiutorium ad merendum,* vt ait S. Bonauent. *in declaratione terminorum Theologiæ.*

Qvinta in ordine ad præmium: *Gratia est similitudo gloriæ.* Vel *Gratia est habitus, ducens ad perfectum gloriæ.* Ità D. Bonauent. *in primo dist.*8. *art.*2. *quæst.*2. *ad argumenta.*

Sexta in his deducitur à D. Bonauent. *Gratia est forma à Deo gratis data, sine meritis, gratum faciens habentem, & bonum opus eius reddens.*

Has definitiones repetit S.Bonauent. 3. *part. Centil. sect.*35. easque assumunt communiter Theologi.

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

An GRATIA *differat à* CHARITATE.

D.Bonau. in 2. dist.27. quæst.2. & in 3. dist.27. quæst.3. & 4.
D.Thom. quæst.100. art.4.

21 PRIMA opinio est, Gratiam habitualem sanctificantem esse realiter idem cum Charitate Theologica. Ità Durandus *in* 2. *dist*.20. *quæst*.1. Alensis 3. *part*.*quæst*.69.*memb*.2. *art*.4. Albertus M. *in* 2. *dist*.26. *art*.3. Henricus *quodl*.4. *quæst*. 10. Scotus *in* 2. *dist*.27. & omnes discipuli, Mayro, Bassolis, & alij antiqui ibi, & moderni Scotistæ; Faber, Vulpes, Poncius, Hiqueus, Rada; Saxius apud Mastrium *tom*.2. *disp*.7. *quæst*.5. Bellarminus verò *lib*.1. *de gratia*, & *lib*. *arb*. *cap*.6. suspicatur pro hac sententia Seraphicum stare. Mærac. *disp*.2. *sect*.2. Estius *in* 2. *disp*.26. §.4. Pasqualigo *disp*.7. *sect*.4. Salmero, Lessius, Molina, Coninchius, aliique apud Mastrium.

Ex his aliqui dixêre, Gratiam à Charitate distingui sola ratione, quod videtur asserere Alensis *quæst*.12. *de Pænit*. *memb*. 3. Bellarminus Durandus, & alij. Plurimi verò volunt, distingui formaliter, vt Albertus, Alensis *locis primò adductis*. Scotus cum assec1is.

22 SECVNDA sententia est, distingui realiter. Ità S.Bonauent. *locu cit*. & aliis allegandis. Et sanè pro hac sententia germanè Seraphicum cæteri stantem agnoscunt, præcipuè Vasquez *disp*. 196. Eum imitatur D.Thom. *hic*, & 3. *cont*. *Gent*. *cap*.50. quos sequuntur *ibi* Caietanus, Medina, Serra, Zumellus, Hacquet. aliique recentes Thomistæ *ad eum articulum*. Ferrar. *loco cit*. *cont*. *Gent*. Capreol. 2. *dist*. 26. *quæst*. 1. *art*. 1. Sotus 2. *de natura*, & *gratia*, *cap*.17. Valentia *disp*.8.*quæst*.2.*puncto* 2.Caspens. *tract*.*de Gratia*, *disp*.2. *sect*.3. Suarez *tom*.3. *de gratia*, *cap*.12. D.Antonin.4. *part*. *tit*.9. *cap*.2. §. 3. & 4. Amicus *tract*. 3. *disp* 29. *sect*. 3. Ouiedo *tract*. 8. *contron*. 1. *part*. 6. Becanus, Granado, aliique apud Mastrium, Fuliensis, *lib*.4. *cap*.8.

Hanc Seraphici sententiam etiam probat in sua Theologia Catechistica, quæ nuper prodiit, Bedianus Morange, qui & parisini Doctoris, & socij sorbonici duplici stemmate eximiè præfulgens, in Ecclesia Lugdunensi, pro Reuerendissimo & Illustrissimo Domino, D.Camillo de Neuuille Archiepiscopo simul & Comite Lugd: Galliarum Primate, nec non Regiorum ordinum Commendatore, Vicarij Generalis munere egregiè perfungitur.

23 TERTIA sententia vtramque opinionem censet probabilem. Ità Vasquez *disput*. 198. *cap*. 3. Siluius *part*.2. *quæst*. 110. *art*. 3. Morandus *tract*.4. *quæst*.9. Inclinat S.Bonauent. vt notat Morandus.

ASSERO cum D. Bonauent. Gratiam realiter distingui à Charitate.

PROBATVR primò à D. Bonauent. *in* 2. *in fundamentis*; quia Gratia sanctificans ab Apostolo *Rom*.3. & 10. *Philip*.3. & aliis locis, sola recensetur; at Charitas cum virtutibus numeratur. Prima Cor. 13. *Manent Fides*, *Spes*, *Charitas*: *tria hæc*: Porrò charitas à gratia seorsim distinguitur 2. Cor.13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi*, & *Charitas Dei*. Quare virtutes Theologicæ in Fidem, Spem, & Charitatem diuisæ sunt à Gratia, quæ vna seorsim distincta nominatur.

24 RESPONDET. Mastrius *num*.173. per gratiam intelligi actualem, & per charitatem habitualem. Vel si de Gratia habituali loquitur: Hoc est, quia formaliter differunt, vel penes connotata.

CONTRA vrget S. D. Causa, & effectus differunt realiter; sed per Apostolum gratia est causa Charitatis: Ergo. Minor probatur Rom.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Et ad Galat.5. *Fructus autem Spiritus est Charitas*. Confirmatur à S. D. ex D. Anselmo *de Concord*. *prædest*. & *lib*. *arb*. vbi ait: *Rectitudinem voluntatis nemo habet, nisi Dei gratia præueniet*: & D.August. *lib*. *de Spiritu*, & *litt*. *cap*. 32. distinguit iustitiam, qua iusti efficimur, à Charitate. Ostendit igitur, dari priùs Spiritus sancti gratiam, per quam diffundatur charitas, vt notat Valentia cum D.Bonauent. *opusc*. *de septem donis*, *cap*.3. & quod maius est Concilium Trident. sic intelligit locum illum Rom.5. sess.6. can.11. *Si quis dixerit, hominem iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum fauorem Dei; anathema sit*.

Et Concilium Viennense, vt patet in Clementina vnic. *de summa Trin*. definit, infundi paruulis Informantem gratiam, & virtutes. 25

RESPONDET Vasquez ad Concilium Viennense, non explicari charitatem esse distinctam à gratia.

AT quis non videt, ibi gratiam solitariam, distinctam à virtutibus numerari? eam verò vnam; virtutes verò, inter quas est profectò Charitas, esse plures? Hinc vrget S. D. Id, quod est vnum distinguitur realiter ab his, quæ realiter multiplicantur; sed gratia est vna; virtutes verò multiplicantur, inter quas est Charitas: Ergo differunt realiter.

AD Concilium Trident. respondet ex Vega, non poni gratiam, & charitatem, vt distinctas; imò in singulari asseri (quæ diffunditur:) An verò distinguantur, relinquere Theologis disputandum.

IDEM ferè respondet Bellarminus *cap*.7. noluisse Concilia id definire; imò Patres in suam inclinare sententiam. Nam *cap*.7. ex quo hic canon exceptus est, ait: *Communicationem meritorum Christi in iustificatione impij fieri, dum eiusdem passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret*; vbi solius meminit charitatis. 26

CONTRA. Quia ibi quidem dicitur infundi charitas; Sed eam non esse iustificationem, asserit Concilium. Nam subdit: *Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem*. Antea verò iustificationem definierat, fieri per receptionem iustitiæ Dei, non qua ipse iustus est; sed qua nos iustos facit. Deinde subdit, infundi etiam Charitatem. Ita obseruat Valentia. 27

RESPONDET Mastrius, Spiritum sanctum, dari etiam per gratiam actualem iuxta phrasim Concilij Trident. *sess*.6. *can*.3. Et sic intelligi D.Augustinum. Ad Concilia ait, distingui charitatem, vt nobilissimam, vt sensus sit; infundi gratiam, & cæteras virtutes distinctas ab ea, de qua fit mentio præcisa, vtpote nobilissima, sicut dicitur: *Dicite Apostolis*, & *Petro*. Volens ostendere, Petrum non solùm Apostolum, sed caput collegij.

HÆC tamen friuola sunt. Nam Concilium, & Apostolus seorsim nominant virtutes, & inter eas enumerant Charitatem; at gratiam vnam semper statuunt. Ex his tuit etiam responsio eorum, è Galat. *Fructus autem Spiritus est Charitas*; vbi per Spiritum aiunt, 28

aiunt, non accipi gratiam. Nam etiam pax, & gaudium, dicuntur eius fructus. Quid tum? nonne omnes sunt effectus gratiæ?

29 PROBATVR secundò à D. Bonauent. Id, quod est alteri medium operandi, ab eo distinguitur, quia nihil creatum agit se ipso, sed gratia in opus bonum, & in actum determinatum mouet mediante virtute: Ergo gratia, & virtus gratuita differunt per essentiam. Mi: probatur. Nam gratia mouet ad actus fidei, & spei, aliquando verò ad actus charitatis. Quomodo igitur nunc magis mouet ad actum spei, vel fidei, quàm charitatis, si est ipsa Charitas?

RESPONDET Mastrius n.179. satis esse, vt forma agat per potentias formaliter distinctas. Sic enim etiam anima agit per potentias formaliter distinctas, vt docet etiam D. Bonauent. *in corpore*; vnde hæc responsio eruitur, quam S.Doctor non accipit.

IGITVR eam impugnat. Quando aliqua ità se habent, quod vnum dat agere perfectum, vt sine eo imperfectè, & toto genere diuerso agat ob alterius absentiam, illud realiter differt: Sed sic se habet gratia, & charitas: Ergo. Ma: probatur à D.Bonauent. exemplo coloris, & luminis, quod suâ præsentiâ dat colori mouere; & eo absente color non mouet; nisi imperfectè. Mi: probatur de fide, & spe informi euidenter. De Charitate probatur ab Ouiedo. Habitus charitatis ex se habet solùm facere hominem dilectorem Dei; sed hoc formaliter non est esse sanctum, quod est esse in statu digno amore Dei.

30 PROBATVR tertiò à S. D. Quæ ità se habent, vt vnum habeat actum continuum: alterum habet interpolatum, ea differunt realiter; sed gratia habet actum continuum, reddendo hominem dignum, charitas verò interpolatum diligendi: Ergo. Idem vrget *in 3. loco cit. fund.* 3.

RESPONDEBVNT, Charitatem esse continuam in reddendo habitualiter hominem sanctum; sed interpolatè agere; sicuti calor reddit habitu ignem calidum, sed non semper calefacit alia.

CONTRA. Nam gratia perficit alios etiam actus fidei, & spei, diuersos à charitate, vt arguit S.Bonau. *in 3. fund.* 2. Igitur non est charitas.

31 PROBATVR quartò. Ea, quæ secundùm diuersa genera diuiduntur, differunt realiter. Nam genera diuersa diuersis realibus prædicamentis collocantur: Sed gratia diuiditur in Præuenientem, Comitantem, & subsequentem: Itidem in Habitualem, & Actualem auxiliantem: at virtutes diuiduntur in virtutes Theologicas, & Cardinales. Rursus Theologicæ in Fidem, Spem, & Charitatem: Ergo.

PROBATVR quintò à S. D. *in 3. fund.* 4. Quando præter formam dantem esse necessarij, essent habitus dantes expeditè operari in potentiis; tunc illa forma non est ipse habitus; sed gratia est forma, quæ dat esse supernaturale; & tamen infunduntur etiam virtutes Theologicæ non modo ad facile, sed ad simpliciter eliciendos actus fidei, Spei, & consequenter etiam Charitatis. Ergo. Mi: probatur, quia cùm potentiæ sint infectæ, & ad rationalem medendam infundatur fides, non minus concupiscibilis vltra gratiam gratum facientem eget charitate.

32 PER hoc destruitur responsio Scotistarum, nempè Charitatem dare esse, & operari. Contra enim arguit S.Bonauent. Si daret esse, & operari, non essent necessarij alij habitus fidei, & spei.

PROBATVR sextò *in postremo fundamento*, *in* 3. Omnis habitus, qui per assuefactionem, & frequentiam reddit potentiam faciliorem ad actum sine augmento gratiæ gratum facientis, aliquid continet in se, præter gratiam gratum facientem: Sed huiusmodi est charitas, vt patet: Ergo charitas aliquid addit super gratiam. Eadem argumenta refricat *in corpore*.

PROBATVR septimò ratione D. Bonauent. quam prosequitur 4. *part. Breuil. cap.* 4. eaque est fundamentum D. Thom. quod solidius cunctis aduersariorum rationibus acclamant Valentia, & Lezana. Virtutes ex Aristotele 7. *Physic.* sunt quædam dispositiones perfectæ; hoc est, perficiunt aliquam naturam ad operationes conuenientes eidem naturæ, & proportionatas illi eliciendas; sed virtutes supernaturales, ex quibus est charitas perficiunt animam ad quasdam operationes excellentes, & supernaturales ipsius animæ ad finem supernaturalem: Ergo supponunt aliquam naturam similem in anima, in ordine ad quam perficiant illam, & cui sint operationes illæ supernaturales proportionatæ, sicut virtutes naturales acquisitæ disponunt perfectè in ordine ad naturam, qua homo est, & cui operationes virtutum illarum sunt proportionatæ. Ea autem supernaturalis natura est participatio quædam naturæ Diuinæ per supernaturalem qualitatem gratiæ, qua donamur esse quodam Diuino per particularem participationem, iuxta illud 2. Petri 1. *Vt per hæc efficiamini Diuinæ consortes naturæ.* Et secundùm hoc esse Diuinum regenerari dicimur in filios Dei. Hæc igitur qualitas est gratia gratum faciens. Hoc argumentum est D.Dionys. *lib.* 1. *de Eccl. Hier. part.* 1. *cap.* 2. vt referam *disp.* 3. *quæst.* 2. *in argumentis.* 33

CVR autem plures debeant esse virtutes, reddit rationem S. Bonauent. quia cùm variæ operationes sint necessariæ ad finem supernaturalem, varij quoque actus, & his correspondentes habitus requiruntur, sicut euenit etiam in potentiis naturalibus. 34

RESPONDET Bellarm. *loco cit.* Vasquez *num.* 19. Mastrius 114. formam accidentalem dare esse, & facultatem operandi. Itaque charitas potest dare esse gratum, & formosum, atque facultatem supernaturaliter operandi. Addit Mastrius, etiam formam substantialem dare simul *esse*, & *operari.*

CONTRA. Duo effectus separabiles sunt realiter distincti: Sed reddere gratum, & facere habilem ad operandum, sunt duo effectus separabiles, vt patet in infantibus, qui sunt grati, nec tamen operantur, vt notat D. Bonauent. *lib.* 4. *Compend. Theol. cap.* 4. Itaque requiritur aliqua forma distincta habilitans ad determinatas virtutes, & sicut ad Fidem, & Spem dantur habitus, distincti à gratia; ita & ad actus Charitatis, vt arguit Seraphicus *locis allegatis*, præcipuè etiam *in 3. loco cit. ad* 4. 35

RESPONDENT, charitatem reddere gratum, & habilem; & ita habere continuum actum formalem, nempe reddere formosum, sed non efficientem; sicuti albedo continuò informat murum, sed non semper disgregat visum, vt docet D. Bonauent. *in 2. dist.* 26. *quæst.* 5. *ad* 1.

AT sanè gratiæ effectus est reddere gratum: virtutis verò ordinare voluntatem ad actus.

PROBATVR octauò à S. D. *fund. penult.* & *in corpore*, quo nititur Caspensis. Quando sunt duo, quorum alterùm minùs altero repugnat in eodem subiecto, tunc ea differunt: Sed Charitas minùs repugnat peccatori, quàm gratia: Ergo. Mi: probatur. Habitus operatiuus non habet maiorem repugnantiam, quàm operatio eius ex Aristotele 9. *Met. text.* 19. Nam actus virtutis est potior ipso habitu in bonitate: sed potior actus charitatis non habet repugnantiam cum peccato habituali: Ergo. Mi: probatur è Concilio Trident. *sess.* 6. *cap.* 7. & *sess.* 14. *cap.* 4. vbi ait: *Dilectio Dei est in peccatore, quæ est dispositio proxima ad iustificationem.* Loquitur autem de dilectione perfectâ; 36

fectâ; nam dilectio concupiscentiæ non est vltima dispositio ad iustificationem, nec necessaria ex eodem Concilio. Eodem arguunt Auersa, & Ouiedo.

RESPONDET Mastrius *num.* 179. gratiam repugnare solùm moraliter ex Dei ordinatione peccato mortali habituali, non verò è sua natura.

37 CONTRA. Quia nos arguimus de facto, non de possibili, & ostendimus, charitatis actum esse cum peccato mortali; non verò gratiam.

TANDEM est sententia Sanctorum Patrum, & præter allegatos, referam alios è D. Bonau. *in his quæstionibus, & lib. 2. Pharetræ, cap. 16.*

Id sentit D. Gregorius lib. 22. Moral. cap. 14. *Quia præter occultam gratiam ad amorem Dei temperata desuper mensura proficimus; quantò in nobis quotidiè de Dei Spiritu virtus crescit; tantò noster spiritus deficit.*

IDEM D. August. *lib. de spiritu, & lit. cap.* 30. ait: *Per Legem, cognitio peccati; per fidem, impetratio gratiæ contra peccatum: per gratiam sanatio animæ, & abolitio peccati: per animæ sanitatem, libertas arbitrij: per liberum arbitrium, iustitiæ dilectio: per iustitiæ dilectionem, Legis operatio.* Et *cap.* 32. habet eam expositionem Rom. 5. vbi ait: *Charitas quippe Dei dicta est*
38 *diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut iustitia Dei, qua iusti eius munere efficimur.* Eadem habet *de gratia Christi, cap.* 30. vbi ait: *Per gratiam, qua iustificamur, diffundi charitatem in cordibus nostris.*

QVIBVS locis S. August. veram distinctionem gratiæ habitualis à Charitate asserit; ac proinde distinctionem astruit, non autem ineptam repetitionem, vt putat Mastrius. Neque de auxilio actuali loquitur, vt clamat Vasquez *num.* 20.

39 AFFERT S. Bonauent. *in* 3. *loco cit.* etiam D. Bernardum, *cap.* 11. *de amore Dei*, vbi ait: *Libera voluntas data est homini, quæ cùm adiuuanti concordat gratiæ, virtutis accipit profectum, & nomen, & amor efficitur.*

AFFERT D. etiam Augustinum *in Soliloquiis*, & *lib. de spiritu, & anima*, ex quibus omnibus habeo, non esse omnia nostra argumenta leuia, vt clamat Mastrius *num.* 171.

FATEOR cum D. Bonauent. 3. *dist.* 27. *quæst.* 3. rationes allatas posse solui; non enim euidenter probant distinctionem realem. Vide Morandum, & Vasquez soluentes.

OBIICIES primò cum Bellarmino Concilium Trident. *sess.* 6. *cap.* 7. vbi asserit vnam esse formalem causam iustificationis, eamque in fide, spe, & Charitate consistere. Itaque eam, quam priùs vocauit gratiam, posteà vocat charitatem.

40 RESPONDETVR ex dictis, eam constitui in iustitia inhærente, quæ dicitur Gratia, vt ipsum Concilium definit; addere verò, iustificationem fieri per diffusionem etiam charitatis, quod potiùs nobis fauet. Neque enim confundit vtramque, vt patet.

OBIICIES secundò ex Patribus, Iustitiam, qua iustificamur ponentibus in charitate. Sic D. August. *lib. de natura, & gratia, cap.* 42. & *in Psal.* 118. *conc.* 26. Alios refert *lib. de statu Innocentiæ, cap.* 2. Itaque Pererius *ad Rom.* 3. *d.* 2. ait, D. Augustinum nullam agnouisse iustitiam sanctificantem, præter Charitatem.

41 RESPONDET D. Bonauent. *in corp.* quem sequitur Valentia, Charitatem dici iustitiam efficienter; quia, nempe gratiâ innixa, reddit hominem promptum ad opera iustitiæ, seu sanctitatis excellentissimâ, quæ sunt diligere Deum super omnia. Sic enim ait D. August. *Iustitiæ nomine, hoc loco, non ipsa virtus, sed opus eius significatum est; quis enim fecit in homine iustitiam, nisi, qui iustificat impium? hoc est per gratiam ex impio facit iustum. Vnde ait Apostolus: Iustificati gratis per gratiam ipsius. Facit ergo iustitiam, id est opus iustitiæ, qui habet in se iustitiam, idest opus gratiæ.* Vbi non vult D. August. iustitiam, quæ est forma iustificationis, esse formaliter virtutem, sed efficienter; quia gratia est tanquam fons, qui virtutes veluti effundit, vt notat S. Bonau. 4. *part. Breuil. cap.* 1.

OBIICIES tertiò. E Scripturis habemus, ea omnia charitati adscribi, quæ vos adscribitis Gratiæ, etiam vt eam distinguitis à charitate, nempè dare vitam, facere Deo gratos, &c. *Prima Ioan.* 3. & 4. Eadem fidei viuæ per charitatem operanti attribuuntur. *Rom.* 1. *Galat.* 3.

PRIMO enim dicitis, Gratiam dare animæ quoddam esse supernaturale, ex quo dicatur homo filius 42
Dei, & Diuinæ consors naturæ. At id adscribitur Charitati, Prima Ioan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur, & simus.* Et cap. 4. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est*: Hæc etiam adscribuntur fidei viuæ, quæ per dilectionem operatur. Rom. 1. *Iustus ex fide viuit.* Galat. 3. *Estis filij Dei per fidem.*

RESPONDET D. Bonauent. *ad* 4. hæc adscribi gratiæ formaliter: Virtutibus verò consequenter, quia ab influentia gratiæ id accipiunt, vt sint statu perfecto operatiuo filiorum Dei, quibus est innatum diligere, credere, &c.

PER hoc respondet D. Bonauent. aliis Scripturis à 43
Bellarmino allatis, quæ charitati adscribunt primò, facere hominem dilectum. Prou. 8. *Ego diligentes me diligo.* Viuificare 1. Ion. 3. *Qui non diligit, manet in morte, Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam; quoniam diligimus, &c.* Secundò esse donum, quod facit nos templum Spiritus sancti, Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est, &c.* qui locus nostram confirmat responsionem, vt suprà ostendi.

AFFERT quoque locum illum, Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ergo charitas iustificat formaliter: Ergo est gratia.

QVEM locum ita soluit Vasquez *post numerum* 14. posse adscribi contritioni charitate formatæ reconciliationem cum Deo, ex Concilio Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. & videtur sensus Seraphici ad hunc locum *Lucæ.*

RESPONDET tamen, illum locum intelligi non de 44
dilectione, quæ præcedit, vel comitatur iustificationem, & inter dispositiones iustificationis nominatur: Sed de dilectione, quæ fit in gratiarum actionem propter remissa peccata. Id probat è D. August. *lib.* 50. *homiliarum, homil.* 23. Sed de hoc *disput.* 3. *quæst.* 2. & 3.

INTERIM quia asserit ante *numerum* 14. non esse incommodum ponere duas formas, quibus homo iustificetur apud Deum, nempe duos habitus; hoc nullo modo placet, si formaliter loquitur; quia Concilium Trident. vnicam formalem causam iustificationis admittit. Quod ostendit etiam D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 1. *part.* 1. *quæst. vlt.*

DICES D. Bonauent. *in primo, dist.* 17. *quæst.* 3. *in corpore* fatetur, charitatem dici non solùm, quia habet charum amatum, sed etiam quia facit Deo charum.

RESPONDETVR, eum loqui comitanter, quia charitas iuncta est gratiæ, vt ipse ibi declarat.

Opponit Bellarminus alia attributa gratiæ, quæ 45
adscribuntur charitati. Primò, est radix omnium virtutum, Rom. 13. *Plenitudo Legis est dilectio.* Est donum omnium maximum. Prima Cor. *Maior horum est charitas.* Coloss. 3. *Est vinculum perfectionis.* Coniungit

iungit Deo, Prima Ioannis 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Facit amicos Dei. *Ioan.* 15.

Respondetur è D. Bonauent. hæc omnia attribui charitati efficienter, non formaliter. Neque maxima dicitur charitas comparata etiam cum gratia, sed cum Fide, & Spe, vt patet. Ita respondet etiam Valentia.

46 RESPONDET secundò S. Bonau. *in* 3. *loco cit. ad* 2. Hæc dici ob charitatis concomitantiam cum gratia ad supernaturalia. Ità respondent etiam Serra, Caspensis, Auersa, Lezana, & alij. Sic enim etiam in naturalibus fit, vt dicatur calor exsiccare, quod frustrà negat Mastrius.

OBIICIES quartò cum Scoto, Bellarmino, & aliis. Sicut se habet esse naturæ ad potentias, & virtutes naturales per vos; ita etiam gratia ad Virtutes supernaturales. Sed esse naturæ ablato, tolluntur potentiæ, & virtutes. Ergo ablata gratia tolluntur omnes virtutes supernaturales: Ergo & fides.

47 RESPONDET Caietanus, ablatâ gratiâ tolli fidem, quo ad esse simpliciter, quia manet informis.

CONTRA. Nam adhuc est virtus supernaturalis, operaturque supernaturaliter.

RESPONDET ergo Valentia *loco cit.* & Vasquez *num.* 15. è D. Bonauent. *in corpore*, hîc *addita dist.* 26. *quæst.* 3. *in corp* Similitudinem non esse omninò adæquatam? Nam essentia cum potentiis naturalibus vnum per essentiam constituunt; at gratia cum virtutibus faciunt vnum per ordinem, quatenus gratia est fundamentum ad operationes supernaturales, maximè meriti; & ideò, dum infunditur gratia, infunduntur etiam fides, Spes, & Charitas; at verò, quia Diuina prouidentia vult, vt actiones aliquæ supernaturales remaneant, neque destruatur totum esse supernaturale, sed maneat semen, & principium iterum resurgendi ad esse filiorum Dei, ideò remanet fides, ablatâ gratiâ, neque verò hoc repugnat esse supernaturali, quod non est fundamentum, tanquam subiectum virtutum; sicuti esse substantiale naturæ est fundamentum subiectiuum potentiarum, & virtutum; sunt enim, tam gratia, quàm virtutes dependentes à superiori influxu supernaturali ad mutationem liberi arbitrij.

OBIICIES quintò cum Mastrio, & Durando. Si gratia, & charitas sunt distinctæ, possunt separari; & tunc ponatur aliquis habere gratiam, iste hæres est gloriæ: Ergo saluabitur sine charitate, quæ est vestis diuidens filios vitæ à filiis perditionis, vt ait D. Augustinus.

48 RESPONDET Valentia è D. Bonauent. *ad vlt.* de Lege ordinaria, non posse separari habitum gratiæ à charitate supernaturali; de Lege autem extraordinaria per Dei potentiam posset esse charitas naturalis absque gratia (quod fuisse in Angelo, & primo homine tenet S. Bonau.) Charitas verò supernaturalis posset stare sine gratia, vel hæc sine habitu charitatis, & tunc esset anima accepta ad gloriam, Lege extraordinaria; Nunc enim, quia charitas semper est cum gratia, deficiente charitate, perit homo, & ex filio Dei, fit filius gehennæ.

OBIICIES sextò. Magister definit Gratiam habitualem: *Est fides cum dilectione.* Et à D. Isidoro *Gratia est Diuina misericordia donum, per quod bona voluntatis est exitus*, sed hæc definitio conuenit etiam Virtuti gratuitæ: Ergo sunt idem.

49 RESPONDET Seraphicus, illam definitionem Magistri esse solùm per concomitantiam, & causalitatem efficientem: Illam verò D. Isidori non esse propriam: vel si propriam, diuerso modo conuenire Virtuti, & Gratiæ. Gratia enim est donum inter alia præclarissimum, quod totam bonitatem donantis complectitur; non sic virtus, quæ vnam tantùm speciem boni amplectitur, licèt inter virtutes sit præclarissimum donum, & hoc totum vult D. August. 15. *de Trin. cap.* 18. vbi ait: *Nullum est isto Dei dono excellentius. Dantur & alia per Spiritum sanctum munera, sed sine charitate nihil prosunt.* Idem habet *serm.* 10. *de verbis Domini*, quæ vrget Bellarminus.

RESPONDET D. Bonauent. Gratiam denominare virtutem per concomitantiam; sicut dicitur Iustitia prudens, & Voluntas deliberans; nam actus deliberationis non est voluntas, sed accidens eius, ab ea procedens.

QVÆSTIO IV.

In quo subiecto proximo sit GRATIA SANCTIFICANS.

D. Bonau. dist. 26. quæst. 5.
D. Thom. art. 4.

PRIMA opinio est, Gratiam esse in essentia animæ. Ita D. Thom. & communiter Thomistæ, Caspensis *disp.* 2 *sect.* 4. Valentia *disp.* 8. *quæst.* 2. *puncto* 3.

SECVNDA opinio est, esse in Voluntate. Id credunt omnes, qui in præcedenti quæstione docuere, 50
Gratiam esse idem cum Charitate: nam Charitas procul dubio est in Voluntate. Ideò Vasquez *disp.* 198. ait, asserentes gratiam & charitatem esse duos habitus, cogi asserere, eos esse in diuerso subiecto; & cum charitas sit in Voluntate, dicendum, Gratiam esse in essentia. Ideò subdit, se nescire, quo fundamento Bonauentura, qui asseruit, eas esse distinctas, posteà ambas ponat in Voluntate, cùm superfluæ sint duæ tales formæ. Eodem argumento etiam Valentia probat, gratiam esse in essentia, quia differt à charitate, quæ est in Voluntate. Cui negatur consequentia. Ostendit enim S. Doctor hîc, *& quæst. præcedenti*, non esse superfluas duas has formas ad diuersas perfectiones eidem subiecto tribuendas. Gratia enim ordinatur ad pellendum peccatum, quod est in voluntate, & eam formosam reddendam, quæ prius per culpam erat conspurcata: Charitas verò ad Deum amandum.

BELLARMINVS *lib.* 1. *de Gratia, & lib. arb. cap.* 6. in fine conatur probare, Gratiam esse in voluntate, non in essentia animæ, atque inde probatum relinqui arbitratur, esse eandem formam cum charitate. Sed fallitur: nam eam esse distinctam sustinemus, & in eodem subiecto. Morandus verò *quæst.* 9. problematicus est.

ASSERO, gratiam esse in Voluntate, tanquam in subiecto.

PROBATVR à D. Bonauent. primò è D. August. 51
serm. 12. *de verbis Apostoli*, vbi ait, Gratiam se habere, vt sessorem liberi arbitrij. Idem habet *de gratia, & libero arbitrio, cap.* 17.

SECVNDO. Magister *dist.* 26. adducit authoritatem D. August. in qua diuidit gratiam in præuenientem, & subsequentem, & vtramque istarum definit in ordine ad voluntatem: Ergo proprium subiectum Gratiæ est Voluntas.

TERTIO. Sicut inter potentiam, & actum mediat habitus, sic inter substantiam, & habitum mediat potentia. Sed gratia est in anima, vt habitus. Ergo inest ei mediante potentia.

QVARTO. Opposita nata sunt fieri circa idem: Sed 52
gratia, vt gratia, opponitur physicè culpæ, in quantum culpæ, secundùm Thomistas. Ergo est circa idem

idem subiectum, sed culpa est in voluntate: ergo & gratia. Hoc argumento vtitur etiam Bellarminus *loco cit.* cum Scoto *in 2. dist.26. quæst. vnica.*

Respondet Valentia *loco cit.* Maiorem esse veram de oppositis ex natura rei: sed gratia non opponitur ex natura rei iis peccatis, quæ sunt propriè in voluntate, sed solùm demeritoriè. Opponitur tamen gratia ex natura rei iis peccatis, quæ in modum habitus manent, transacto actu, scilicet peccato Originali, & peccatu personali habituali, id est maculæ, quæ est priuatio gratiæ propter actum malum; sed hæc peccata propriè sunt etiam in essentia animæ, sicut gratia, cuius sunt priuationes.

53 Caspensis *disp.3. sect.4.* respondet, tria esse in peccato. Primum est deordinatio actualis: Secundum deordinatio habitualis, quæ manet transacto actu: Tertium est priuatio gratiæ. Ait ergo, peccatum opponi gratiæ ratione huius tertij tantùm, quod etiam respondet Valentia, qui tamen vult, peccatum habituale esse maculam.

Contra. Quando aliqua duo opponuntur physicè, opponuntur ratione alicuius incompossibilis; vt ignis, & aqua, ratione frigoris, & caloris; sicut etiam forma, & priuatio: Peccatum verò, secundùm aduersarios, est auersio à Deo, propter actum malum, vt ait Valentia; quando autem vnum est propter aliud, ibi vnum tantùm. Si ergo peccatum gratiæ opponitur physicè, ratione maculæ habitualis: ergo etiam ratione actus. Confirmatur. Nam gratia pellitur per actum.

54 Tunc sic arguit S. Bonauent. quintò. Id, quod pellit primò contrarium, est id, quod opponitur; sed actus peccati pellit gratiam ratione auersionis actualis à Deo, quæ est in voluntate: Ergo secundum hanc opponitur. Ita arguit etiam *in corpore.*

Sexto. Gratia infunditur in animam à Deo in ordine ad meritum: Ergo vel est in Intellectu, vel in Voluntate. Voluntas autem est, quæ operatur meritorè: Ergo. Hoc argumentum complectur *in corpore.*

55 Septimo. Si gratia inesset animæ, secundum substantiam, quæ potest abstrahi à potentiis; iam poterit intelligi anima esse grata, potentiis abstractis. Tunc sic: Omnis anima grata est disposita ad gloriam, quæ ei respondet. Ergo potest intelligi anima gloriosa abstractis potentiis; sed potentiis abstractis anima nec videt, nec amat Deum, in quo stat beatitudo, non in essentia; vt communiter docent Thomistæ contra Henricum: Ergo his abstractis, non potest intelligi anima gloriosa: Ergo neque gratiosa. Hoc argumento vtitur etiam Scotus, & Bellarminus.

56 Respondet Valentia, Gratiam esse dispositionem ad gloriam, non tanquam habitum, per quem habitus gloriæ veluti forma recipiatur, & ideò non est necesse, vt sit in eadem potentia; disponit enim gratia ad gloriam solùm meritoriè, quatenus Deus vult, vt qui gloriam consecuturi sunt, habeant gratiam, & per eam ius ad gloriam.

Contra. Nam adhuc vrget argumentum S. Bonauent. Si enim gratia hoc tantum sensu morali præparat ad gloriam. Ergo abstractis potentiis adhuc anima erit disposita ad gloriam: & ita poterit esse beata absque intellectu, & voluntate, non videns, nec amans Deum.

Obiicies primò Nulla potentia est in actu continuo, sed gratia est semper in actu reddens hominem Deo gratum: Ergo non est in potentia animæ.

57 Respondet D. Bonauent. duplicem esse actum formæ. Prior est formalis, qui est ab ea, vt informante: posterior est effectiuus, qui est à forma vt efficiente, vt in albedine prior actus formalis eius est dealbare, posterior est disgregare visum. Forma igitur semper est in actu priori, licèt non semper in posteriori. Sic igitur gratia semper est in actu formali reddendi gratum; non in posteriori efficiendi, operandi, cooperandi, &c. Eodem modo se habet etiam potentia.

Obiicies secundò. Ità se habet gratia ad virtutes; sicuti vita animæ ad potentias, & operationes, ex dictis *quæst. præcedenti.* Sic enim homo gratus Deo dicitur noua creatura, *Galat.6.* eò quòd sit gratia renouatus; sed virtutes sunt in potentiis; Fides nempe in intellectu; Charitas in Voluntate, vt in Concupiscibili; sicut Spes in Irascibili: Ergo gratia est in essentia, veluti vita, quæ est fundamentum virtutum.

Respondet D. Bonauent. licèt *esse naturæ*, respiciat primò substantiam; tamen *esse supernaturale*, esse totum accidentale; & ita totum posse inesse potentiæ, & mediante hac, in essentia, sicut color est in corpore, mediante superficie. 58

Obiicies tertiò. Accidens nominatur per subiectum. Si igitur gratia est in potentiis, cùm potentiæ sint multæ, & omnes gratæ Deo, oportet plures esse gratias. Sed gratia est vna è Concilio Trident. Ergo.

Respondet S. Bonauent. veram esse Maiorem, quando ea, quæ subiiciuntur habent rationem subiecti, vt plura sunt; at quando subiiciuntur per modum vnius, falsa est Maior. Iam verò potentiæ sunt subiectum gratiæ, in quantum communicant in vna natura libera. Vnde, sicut est vna sanitas in omnibus membris hominis, quia est in illis secundum quod ad vnam originem reducuntur, & in vna complexione conueniunt, sic etiam gratia sanans, vnam in omnibus potentiis sanitatem causat, primò tamen in potentia libera, quæ peccato infirmatur. 59

Obiicies quartò. Imago reformationis respondet imagini creationis; sed imago creationis consistit in essentia, & potentiis: Ergo & imago reformationis: sed in hac potentiis respondent virtutes. Ergo datur habitus in essentia, quasi reformans, & constituens nouam creaturam.

Respondet S. D. *ad 4. ex dictis ad 2.* reformationem imaginis fieri auferendo deformitatem eius, quæ in potentiis reperiebatur, & ideò non est necesse assignare aliquam formam in essentia, & si assignatur, hoc fit per appropriationem. 60

Obiicies quintò. Sicut operatio exit à potentia; ità potentia ab essentia; sed Deus non acceptat operationem, nisi prius acceptetur potentia: Ergo nec potentiam, nisi sit grata essentia.

Respondet D. Bonauent. negando paritatem. Nam potentia potest esse sine actu, & gratia in potentia absque merito operis; non autem substantia sine potentia potest dona suscipere, quibus decoretur.

Obiicies sextò. Gratia in paruulis habet suum effectum, vt docet S. August. *ad Dardanum*, in ipsis autem nulla potentia est expedita. 61

Respondeo, potentias in paruulis fieri habiles ad operandum tempore opportuno, & statim in ipsa infusione fieri decoras.

QVÆSTIO

QVÆSTIO V.

An GRATIA *educatur à Deo è subiecto, vel creetur.*

D.Bonau. in primo.dist.14. art.2. quæst.2.
D.Thom. prima secundæ, quæst.112.art.1.

62 ASSERO primò, Gratiam à solo Deo produci. Ita definit Concilium Trident. *sess.6. cap.7.*

PROBATVR à D. Bonauent. *opusc. de resurrect. à peccato*, ex illis Scripturis, quæ Gratiam à solo Deo dari astruunt. Rom.8. *Quos prædestinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iustificauit.* Et cap.3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Ad Titum 3. *Secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis Spiritus sancti, quem effudit in nos.* Et 5. *parte Breuil. cap.* 1. obseruat. Fluuium aquæ viuæ, id est gratiæ procedere de sede Dei, & Agni *Apoc.* 21. & *in Dieta salutis, tit.* 3. *cap.* 9. id ipsum aduertit.

63 Hoc autem probat ex illo Psalm.83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*, & *dist.*19. *quæst.*1. *ad argumenta* & *in* 4. *dist.*17. *part.*1. *quæst.*1. *ad argumenta*, probat ex illo Isa 43. *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas.* Plura alia loca, passim *in* 2. *à dist.* 26. affert, quibus vtitur etiam Valentia *disp.*8.*quæst.*4.*puncto* 1.

PROBATVR secundò à S. D. *in Pharetra, lib.*2. *cap.*16. à pluribus Sanctis Patribus in multis eorum operibus è Gregorio, Augustino, Isidoro, Chrysost. Ambrosio, quos vide ibi.

PROBATVR tertiò hic rationibus, & authoritatibus, & quidem è D.August.*5.de Trin.* & *tract.*72. *in Ioannem.*

64 PRIMA verò ratio est, quia si creatura daret gratiam, quæ est donum Spiritus sancti, posset aliquid super Spiritum sanctum; sic enim eum mitteret saltem inuisibiliter, missio autem est tantùm personæ producentis.

SECVNDA est, quia Deus non immediatè vniretur animæ, sed inter ipsum, & animam media caderet creatura.

TERTIA est, quia sic creatura haberet posse super liberum arbitrium. Probatur sequela, quia posset dare, gratiam,quæ habet posse super liberum arbitrium.

QVARTA, quia inter opera Dei hoc maximum est; huius autem non est adscribenda gloria creaturæ.

65 QVINTA, quia si gratia daretur à creatura, teneremur sperare in eam.

SEXTA est, quia maius est de impio facere iustum, quàm creare cœlum, & terram, è D. August. *tract.*73. *in Ioan. post medium.* Sed posterius nequit facere creatura.

SEPTIMA, quia productio gratiæ est per illapsum in animam; sed solus Deus potest illabi in eam: Ergo.

OCTAVA est, Gratia est forma nobilissima deiformis, reddens animam Deo similem, eamque ei vniens, eleuans animam ad esse supernaturale excellentius quouis statu creaturæ. Iam verò nullus potest efficere, quod est se excellentius. Hac ratione vtitur etiam D.Thom *hic*, & Valentia *loco citato.*

66 OBIICIES Gratia est accidens, & ideò non est nobilior animâ, quæ est substantia.

RESPONDET Valentia *loco cit.* è D.Bonauent. *in* 2. *dist.*26. *quæst.*3 *ad* 1. Gratiam,etiamsi sit accidens, & secundùm esse genericum inferius animâ; attamen in ratione specifica vniendi Deo, & faciendi animam deiformem, esse superiorem. Eadem est doctrina D. Thom.2.2. *quæst.*23.*art.*3.*ad* 3. Potest enim forma aliqua, secundùm esse genericum, esse imperfecta; & perfici differentia specificâ. Sic autem est gratia.

DICES Gratia, etiam secundùm rationem specificam, est accidens.

RESPONDET Valentia è D. Bonauent. gratiam 67
etiam specificè esse accidens; attamen sumpta in ordine ad subiectum, cui præbet esse quoddam Diuinum, est perfectior, præbet autem hoc esse accidentaliter, cùm non possit substantialiter fieri Deus. Pretiosissimam autem gratiam acclamat D. Petrus, 2. cap. 1. *Maxima nobis, & pretiosa donauit, vt per hæc essi homini Diuinæ consortes naturæ.* Dixi, solum Deum esse causam principalem gratiæ physicam. Nam Sacramenta sunt causa Instrumentalis iustificationis, vt dicetur 3. *part. tract. de Sacram.* Et Christus est causa meritoria, vt dicetur 3. *part. de Saluatore.*

ASSERO secundò, Gratiam à Deo creari. Hoc probatum est latè *p. p. tract.*3. *disp.*1. *quæst.*8. Dicitur enim à Conciliis, Scripturis, & Patribus infundi.

Neque rectè Morandus *quæst.*10. responder, hos locutos non propriè, cum fidei sint magistri.

QVÆSTIO VI.

An omnes æqualem GRATIAM *habeant ex vi dispositionum.*

D Bonauent. in 4. dist 17. part.1. art.2 quæst 3.
D Thom art 4.

AD gratiam necessariam esse aliquam dispositionem per mentis conuersionem in Deum, docent communiter Theologi *in* 4 *dist.*16. *& sequentibus* & *in* 2 *dist.*28. cum D. Bonau. *art.*2. *quæst.*1. *ad* 1. affert illud Zachar.1. *Conuertimini ad me: & ego conuertar ad vos*, quem locum affert etiam *in* 4. *loco cit.* vbi refert etiam illud D. August de verbis Apostoli, serm.16. *Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te.* Loquor de adultis; nam paruulis non requiritur dispositio, vt aduertit D.August. *lib.*4 *cont. Donatistas, cap.*24. & Theologi cum Seraphico 4. *dist* 7. *part.*2. *art.*3. D.Thom. ibi *quæst.*1. Vide Suarez *lib.*8. *cap.*6. Tannerum *quæst.*4. *disp.*3. Morandus *quæst* 15. 68

PROBATVR *ibi* à D. Bonauent. ratione, quæ est etiam D. Thom. Nulla enim forma recipitur in subiecto, nisi sufficienter disposito secundùm propriam rationem subiecti. Sed talis est conuersio mentis in Deum, & in peccatore per pœnitentia: Ergo. Minor probatur. Nam debet conuerti prout auersus est, sed auersus est voluntate: Ergo illa debet conuerti. Itaque definitum est in Concilio Trid. *sess.*6.*c.*5. & *can* 9.

PROBATVR à S. D. *lib.*4. *Compend. Theol. cap.*1. à 69
contrario, quia gratia negatur ei, qui non se præparat, sed Dei gratiam recusat, qui dat omnibus affluenter. *Iacobi* 1. Negatur eis, qui oculos compresserunt, ne videant. *Act.* 28. cùm Deus faciat Solem oriri super bonos, & malos, *Matt.*5. Eis, qui dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, *Hierem* 2. Cùm à Deo vocentur. Isa 55. *Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, &c.* Qui claudunt ostium, *Cant.*5. Cùm Deus stet ad ostium, & pulset, *Apoc.* 3 Eis, qui negligunt extirpare Zizania, *Matth.*13. Eis, qui recusant conuiuium Domini *Lucæ* 14. cùm ad illud inuitentur. Vide Seraphicum *ibi.*

Maior disceptatio est. Num alij aliis maiorem gratiam obtineant ex vi causarum.

Iovinianvs omnes iustos dixit æquales in gratia, vt refert D. Hieronymus *lib.* 2. contra eum.

Sectarii, etiam nostri sæculi, qui volunt iustitiam nostram haberi sola imputatione iustitiæ Christi, consequenter dicunt, æqualem in omnibus esse. Eos refert Valentia *tom.* 2. *disp.* 8. *quæst.* 4. *punct.* 3.

70 Assero primò, Gratiam sanctificantem non esse in omnibus æqualem. Id constat ex dictis *tract.* 1. *p.p. disp.* 11. *quæst.* 16. vbi inæqualitatem gloriæ ostendimus, quæ respondet inæqualitati gratiæ.

Probatvr à D. Bonauent. primò *in* 3. *dist.* 13. *quæst.* 3. Ioan. 1. dicitur de Christo: *Plenum gratia, & veritatis.* De B. Virgine, Lucæ 1. *Aue gratia plena*: De Stephano Act. 6. *Stephanus plenus gratia.* Hoc verò non dicitur de aliis.

Probatvr secundò à S. D. ad 1. Lucæ, ex illo: *Benedicta tu inter mulieres*, vbi dicitur adeò plena gratiâ, vt inter mulieres) plenior extiterit, & ex illo Eccl. 24. *In me gratia omnis vitæ, & veritatis.* Hinc habes mentiri Lutherum *in sermone Natiu. B. Virginis*, dum latrat, nos æqualem cum B. Virgine Maria gratiam consecutos.

71 Id probat etiam ex illo Ioan. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Ex quo patet mentiri Kemnitium *in Exam. cap.* 7. *&* 10. *Concilij Trident.* dum vult, nos eadem Christi iustitiâ Sanctos esse. Ex quo apparet, in æquali cum Christo gratia nos constitui. Hoc refutatur amplius à S. Doctore ex illo Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre, plenum gratia.* Ex quo claret, eius gratiam fuisse præ cæteris excellentem, *quasi*, seu quippe Vnigeniti: *De plenitudine eius omnes accepimus*, iuxta expositiones D. Chrysostomi *homil.* 13. *in Ioan.* vbi ait: *Nos, tanquam riuulos, à fonte Christo gratiam accepisse.* Et D. August. 15. *de Trin. cap.* 19. exponentis id Psal. 67. *Accepisti dona in hominibus. Dedit hominibus, tanquam caput membris: accepit in hominibus id ipse, vtique in membris suis.*

72 Probatvr à D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 29. *art.* 3. *q.* 2. ex illo Matth. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo.*

Probatvr à D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 13. *dub.* 2. *litt.* ex illo Apostoli Rom. 12. *Vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei. Habentes autem donationem secundum gratiam, quæ data est nobis.* De Christo autem obseruat Ioan. 3. *Non ad mensuram dat Deus Spiritum Filio*, nempè respectu nostri, vt exponit S. Bonauent. *quæst.* 2. *ad* 1. Quod idem obseruat *Ioan.* 3. vbi notat ex 3. *cap. Rom.* & 1. *Cor.* 12. aliis dari ad mensuram donationis Christi, qui est Capvt, à quo gratiæ in

73 nos deriuantur. Quod latè prosequitur *in* 3. *dist.* 13. maximè *quæst. vlt.* vbi exhibet eam etiam rationem, quam affert D. Thom. *hîc.* Cùm enim Christus sit Caput Ecclesiæ diffundit gratiam, quæ est animæ vita, & influxus secundùm membrorum necessitatem, & operationes. Sicut igitur caput diffundit neruos, in quibus est motus inæqualiter ad membra, ita & Christus. Quam rationem attigit Apostolus *ad Ephes.* vbi, postquam Christum caput Ecclesiæ asseruit, infert, c. 4. *Vnicuique datam esse gratiam secundùm mensuram donationis Christi.* Eodem argumento vtitur Bellarminus infrà citandus.

74 Probatvr à Doctore Seraphico *loco cit. Compend. Theol.* argumento, quo nititur etiam D. Thom. & fundatur in Scripturis suprà allatis; nam Deus communicat gratiam suauiter secundùm modum naturæ humanæ, quæ quidem liberè operatur, & ad modum aliarum rerum accipit formas secundùm dispositionem. Sic enim vas accipit aquam è fonte secundùm suam capacitatem: sic aër lucem, &c. Ideò sicuti simpliciter conuersio in Deum valet ad gratiam obtinendam, ita maior conuersio ad maiorem gratiam iuuat; quia, sicut se habet simpliciter ad simpliciter; ita magis ad magis. Eadem ratione nititur Valentia *loco cit.* Hanc esse Legem Diuinam colligitur ex illis Scripturis, quibus habetur, Deum respicere, ad nostras dispositiones, & Lucæ 7. *Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*, vt 75
notat Valentia *loco cit.* & Bellarminus *lib.* 3. *de Iustificatione, cap.* 16. post D. Bonauent. ad eum locum, quod ampliùs confirmat Valentia ex illo Matth. 25. vbi dicitur, Dedisse talenta cuique secundùm propriam virtutem, idest dispositionem cum gratia, vt notat D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 9. *quæst.* 3. vbi hoc argumento vtitur. Hoc ampliùs confirmabitur *disp.* 4. *de merito, quæst.* 19.

Notat autem Valentia post D. Bonauent. *loco cit. in* 2. & D. Thom. *loco cit.* Sicut gratia Dei excitans, & adiuuans efficaciter est prima, & principalis causa nostræ dispositionis ad gratiam; ità gratiam ei præcipuè adscribendam.

Fvndamentvm Iouiniani futile est, confutatum à D. Hieronymo *loco citato.* Fundamentum Sectariorum conuelletur *disputatione sequenti*, Deo iuuante.

QVÆSTIO VII.

Num aliquis certò scire valeat se in gratia esse constitutum.

D. Bonau. in 1. dist. 17. quæst. 3 & in 2. dist. 38. dub. 1. litt.
D. Thom. quæst. 12. art. 5.

Atrox est nobis cum hæreticis horum temporum hac de re controuersia. 76

Est eorum error insignis, teneri omnes fideles credere de fide Catholica, non minus, quam articulos Symboli, se in gratia esse constitutos; atque addunt, hunc assensum ad iustificationem requiri, sine quo fides reliquorum articulorum sit diabolica, vt videre est *in confess. August. art.* 6. *&* 20. & apud Melancthon *in loco communi, de Iustific.* Caluinum *lib.* 3. *Instit. cap.* 2. §. 16. 17. *&* 18. Kemnitium *in Exam. Concilij Trident. cap.* 9. *sess. sexta*, Bucerum *lib. Concord. art. de Iustific.* post Lutherum *art.* 10. 11. *&* 12. Quod ab his asseri, non rectè negat Vasquez infrà citanda *disput. num* 41.

Ad hos videtur accedere author Enchiridij *tract. de Iustific.* dum ait, necessarium esse ad iustificationem, vt certò credat quisque sibi remissa peccata. 77

Catharinvs *opusc. de certitudine gratiæ, assert.* 6. posse omnes iustos certò (ait) sibi persuadere, se esse in gratia, duplici ex capite. Prius est reuelatio vniuersalis, qua constat, eos esse iustificatos, qui faciunt ea, quæ ad id requiruntur, & propter euidentiam, qua iusti possunt scire, se id fecisse. Alterum propter peculiarem reuelationem, quam de sua gratia vnusquisque iustus habet à Spiritu sancto. Rom. 8. *Ipse Spiritus reddit testimonium Spiritui nostro, quòd sumus Filij Dei.* Hanc tamen fidem, qua hæc creduntur, ait non esse fidem Catholicam, id est vniuersalem, quę ab omnibus credẽda sit; sed particularem, quæ sit tantum iustorum.

Sententia verò Catholica est, nullum posse absque peculiari reuelatione certò scire, se in Diuina gratia constitutum. Ità Alensis 3. *p. quæst.* 71. *memb.* 3. *art.* 1. 78

*art.*1. *&* 3. Albertus *primo, dist.* 17. *art.*5. Scotus *in primo. dist.*17. *quæst.*1. *& in* 3. *dist.* 23. *quæst. vnic.* & *in* 4. *dist.*5. *quæst.*1. & *dist.*9. *quæst. vnic.* licèt aliqui aliter Scotum interpretentur, aduersus quos defenditur à duobus Patribus eiusdem Ordinis Alphonso à Castro *in sum. de heresib. V. Gratia, heresi* 2. Et Andrea Vega *lib.* 9. *in Concilium Trident. cap.* 15. qui agunt contra errorem sectariorum.

79 IDEM sentit Richardus *in primo, dist.*17. *art.*1. *q.*5. Durandus *quæst.*4. Argent. *ead. dist. quæst.*1. *art.*2. Gabr. *in* 2. *dist.*27. *quæst. vnic. art.*3. *dub.*5. D.Thom.& D.Bonau. *hic*, & alij sententiarij *in primo, dist.*17. Roffens. *contra art.*11. *&* 12. *Lutheri*, Castro *lib.*7. aduersus hæreses V. *Gratia*, Dominicus Soto *lib.*3. *de natura, & gratia, cap.*10. Ruardus in exemplari *articuli* 9. *Louaniensium*, Ioannes à Louanio *lib. de fide speciali*. Vega *lib.*9. *in Concilium Trident.* Sander. & Staplet. *in libris de Iustific.* Bellarm. *lib.*3. *de Iustificatione*, Valentia *disp.*8. *quæst.*4. *punct.*4. Vasquez *prima secundæ, disp.*200. & cæteri omnes Thomistæ, Scotistæ, & Bonauenturistæ. Adde Auersam *quæst.*112. *sect.*7. Morandus *quæst.*18. Bouërium *exam. primo, Atheism.*21.

IOANNES Bacconus Carmelita dixit, id posse certò sciri cognitione consequente fidem, sed videtur loqui de cognitione non infallibili, sed moraliter certa, vt notat Vega *lib.*9. *super Concil. Trid. cap.*36.

80 ASSERO primo: Nemo potest per eam fidem infallibilem, quæ communibus reuelationibus in scriptura factis nitatur, certò scire, se esse in gratia. Est de fide. Probatur à D.Bonau. *hic* primò ex illo Eccl.9. *Sunt iusti, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, vtrùm odio, vel amore dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta; eò quòd omnia æquè eueniant iusto, & impio.*

CONQVERITVR Kemnitius hunc locum deprauatum; Nam Hebræus sic reddi debet: *Et amorem, & odium non sciens homo, omnia ante eos.* Ex fonte Pagninæ versionis sic habes.

אֲשֶׁר הַצַּדִּקִים וְהַחֲכָמִים .וַעֲבָדֵי הֶם בְּיַד
manu in eorum seruitia & sapientes & iusti Quia
הָאֱלֹהִים גַּם אַהֲבָה גַּם - שִׂנְאָה אֵין יוֹדֵעַ
sciens non: odium etiam amorem etiam: Dei
הָאָדָם הַכֹּל לִפְנֵיהֶם
eorum facies ad omnia, homo

81 SENSVS autem est omnino idem, vt exponit D. Hieron. hîc, vbi ait: *sensus est: Inueni iustorum quidem opera in manu Dei esse, & tamen vtrùm amentur à Deo, an non, nunc eos scire non posse, & ambiguos fluctuare; vtrùm ad probationem sustineant, quæ sustinent, an ad supplicium. In futuro igitur scient, & in vultu eorum sunt omnia, id est antecedet eos, cùm de hac vita discesserint, notitia istius rei. Quia tunc est iudicium; & nunc certamen. Et quicunque aduersa sustinent, Vtrùm per amorem Dei sustineant, vt Iob; An per odium, vt plurimi peccatores, nunc habetur incertum.* Igitur versio vulgata D. Hieronymi transtulit fideliter sensum, & ideò cùm sit antiquissima, & tantæ authoritatis, debet accipi, neque D.Hieronymum tanquam ignarum linguæ Hebraicæ, vel infidum interpretem reiicere audeant.

82 RESPONDET secundò, Salomonem solùm negare, omnes non posse ex euentibus rerum scire: An aliquis amore, vel odio dignus sit. Certum est enim aliquos scire, se in peccato esse, & dignos odio.

AT Salomon loquitur de iustis, vt clarè patet, ac sapientibus, qui id ignorant, non de malis; alioqui ipsi sibi repugnant: nam mali ex euentibus peccatorum sciunt, se dignos odio: Ergo non loquitur de notitia ex euentibus. Hinc ruit Catharini responsio ex Rabbino Salomone, textum loqui de homine carnali.

INSTAT Caluinus *lib.*3. *Instit. cap.*2. §.38. Salomonem subdere; *eò quod vniuersa æquè eueniant iusto, & impio.* Ex quo habetur, eum loqui de notitia, quæ habetur ex rerum euentibus.

AT Salomon sic arguit: Si homines iusti id scire possint, maximè ex euentibus; at hoc non colligitur, quia beneficia, & calamitates sunt communes bonis, & malis. Quòd verò non colligat incertitudinem e solis euentibus, aut non concedat, aliunde posse sciri, probatur. Nam addit: *sed omnia in futurum seruantur incerta.* 83

INSTAT Caluinus, simili modo locutum Salomonem *cap.*3. *Eccl.* vbi ait, Non posse sciri quid intersit inter animam hominis, & bouis, cum vterque intereat.

RESPONDET Bellarminus, Salomonem loqui ex persona insipientium, qui ex obitu boum, & iumentorum nesciunt discernere differentiam. Ipse enim Salomon id sciebat, vt patet *cap.*12. vbi ait, Spiritum hominis redire ad Deum, qui fecit illum. Vide Seraphicum ad hunc locum. 84

Respondet Catharinus, Salomonem loqui de cognitione, quam habet homo, vt homo, sed tamen posse id scire ex spiritu Dei, quem habemus in corde si sumus filij Dei.

CONTRA. Nam Salomon loquitur de incertitudine communi, dum ait: *sed omnia in futurum reseruantur incerta*: Ergo solam excipit reuelationem particularem, qualis facta est B.Virgini, Lucæ 1. *Dominus tecum.* Magdalenæ *Luca* 15. Paralytico *Matth.*9. Zachæo *Luca* 19 quæ rarò solet fieri. Deinde intendit Salomon ostendere, vnum è mysteriis huius vitæ esse, quòd iusti incerti sint de gratia.

RESPONDENT alij ex D.Bernardo *serm.*1. *Septuag.* & 2. *in octaua Paschæ*, loqui de incertitudine Prædestinationis. Enim verò alterum ex altero sequitur; & ideo de vtraque intelligi potest.

PROBATVR secundò à D. Bonauent. ex illo Apostoli 1. Cor. cap.4. *Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum.* Vbi vult Apostolus, iudicium nostræ conscientiæ Deo relinqui; Ideo ait: *Qui autem iudicat me, Dominus est.* Et subdit: *Nolite itaque ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus.* &c. 85

RESPONDENT Lutherus *in assert. art.*14. Caluinus *lib.*3. *Instit. cap.*17. §.14. Petrus Martyr *ad hunc locum*, Kemnitius *in exam. Concilij*, Apostolum ostendere contra maledicos innocentiam suam, tamen coram Deo se non esse iustum ex opere aliquo, sed è sola Dei misericordia.

CONTRA; nam dixit: *Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum*, vbi indicat, se, quantumuis sui conscium, non scire se iustificatum, & remittit se Dei iudicio: *Qui autem iudicat me, Dominus est.* 86

PRÆTEREA quod nos prætendimus ex hoc loco, id colligunt SS. Patres, Ambrosius, vel quicunque est author *Comment. ad hunc locum*, vbi ait: *Humiliat se, & loquitur, vt homo, qui possit peccatum incurrere nesciens.* Chrysostomus ad eundem locum dicit: *Non Corinthios tantùm, sed ipsum quoque hoc priuat iudicio, quod cognitione sua maius testatur.*

S.HIERONYMVS *lib.*2. aduersus Pelagianos: *Qui hoc dicebat, nullius vtique peccati sibi conscius erat; sed quia legerat*: Delicta quis intelligit? *idcirco temperabat sententiam, ne fortè per ignorantiam deliquisset.* 87

S.AVGVSTINVS *in Psal.*41. ad illud: *Abyssus abyssum inuocat.* Quanta (ait) abyssus sit, audite; tantam profunditatem credit in homine, quæ lateat ipsum hominem, in quo est; cùm enim dixisset, *Nihil mihi conscius sum*; *adiecit: sed non in hoc iustificatus sum.*

S. BERNARDVS, epist.42. *Cum diceret: Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, adiecit: sed neque me ipsum iudico. Quare? Non possum*, ait, *ratam de me proferre sententiam. Ego enim nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum.* Vide etiam Theophylactum, Theodoretum, SS. Anselmum, & Thomam ad hunc locum apud Bellarm. *cap.5. & 6.*

88 TANDEM Concilium Trident. sic exponit, sess.6. cap.16. *Vnusquisque sicut misericordiam, & benignitatem, ita & seueritatem, & iudicium ante oculos habere debet, neque seipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscius fuerit, iudicare; quoniam omnis hominum vita non humano iudicio examinanda, & iudicanda est, sed Dei; Qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Id obseruat etiam Valentia in Analysi fidei *lib 5. cap.2.*

89 EX QVO fuit responsio Catharini, qui sic exponit: *Nihil mihi conscius sum*, id est; scio, me iustum; sed non ideò iustificatus sum coram hominibus, qui iustitiam meam internam videre non possunt: *Qui autem iudicat me, Dominus est*, id est, Deus tandem in suo tribunali me iustum declarabit. Quorsum enim ait? *sed neque me ipsum iudico.*

VASQVEZ pruritum patiens infirmandi ea, quæ sibi non arrident, etiamsi Sanctorum Patrum testimoniis roborata, & ad sacra dogmata confirmanda prosint; Dicit, sub *num.31.* nihil ex hoc haberi pro nostra assertione: Nam ibi Apostolus solùm definit, se esse ministrum Christi fidelem, non ædificantem fœnum, stipulas, &c. sicuti quidam faciebant inutiliter, licèt non falsò. Et subdit, se in hoc in conscientia non errare, licèt posset in hoc leuiter errare, non tamen fidere, vel iudicio hominum. Hic igitur

90 loquitur de fideli administratione, quæ leuia excludit, à quibus non audet se eximere. Quòd verò Paulus non timeret de gratia, addit, eum certum fuisse. Nam *in posteriori ad Cor.* quæ scripta est post hanc vno anno, refert, se ante annos 14. accepisse responsum: *sufficit tibi Paule gratia mea.*

CONFIRMATVR. Concilium Trident. solùm loquitur de iustificatione à venialibus, & ideo rationem addit: *In multis offendimus omnes* Quare videtur confirmare potius allatam expositionem.

Quoad Patres verò allatos dicit, eos solùm negare certum iudicium ex conscientia, quod potest intelligi etiam quoad venialia, quæ ipsis etiam confirmatis in gratia occultissima sunt.

91 ENIM verò intentum Pauli est euidens, non venialia tantùm auferendi, sed Schismata, quæ erant inter Corinthios, è quibus alij fidem Pauli; alij Apollo; alij Cæphæ, non autem Christi, simpliciter profitebantur, vt patet in *toto cap.3.* Igitur iniungit, se, & alios esse ministros Christi, neque verò Apollinem aut Cæpham inania docentes asserit (absit) sed obiter dicit: *Videat vnusquisque, quid ædificet; an aurum, vel fœnum, &c.* vt fatetur Vasquez. Rursus ad rem ait: *Nescitis quia templum Dei estis. Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Itaque infert: *Nemo itaque glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cæphas: Vos autem Christi: Christus autem Dei.* Igitur concludit, euellendo grauissimum schisma, & inducendo Corinthios ad cognoscendum solum Christum Deum. Iam cap.4. *Sic nos existimet homo, vt*

92 *ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur*, id est vt sit verus Apostolus, non seducens, & sibi arrogans fidem, & subdit: *Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die: sed neque me ipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum: Qui autem iudicat me, Dominus est.* Et vrget, vt veros Apostolos agnoscant, non autem alter in alterum infletur, arrogans sibi Apostolatum, vel ea, quæ sunt Christi, contemnendo ministros aliquos veros Christi, quibus credere nolebant, & ideò grauiter delinquebant.

Igitur in hoc capite agit de veris Apostolis contemptis à Corinthiis, inter quos seipsum, & Apollinem ponit. Itaque se fidelem Christi ministrum dicit, licèt nesciat; An iustus, quia nescit iustus: An amore an odio dignus sit. Ita exponit Lyra, & aliæ Glossæ, quæ aduertunt, agi, qui sint pseudo-Apostoli, & qui legitimi Christi Apostoli, & ad hos recipiendos hortatur, atque à spernendis deterret. E quibus liquidò patet, Apostolum de rebus grauissimis, non de venialibus culpis agere. 93

QVOAD Concilium verò Trident. luce clarius constat in eo cap. agere de rectitudine gratiæ: Nam canones ex more subdens, iuxta doctrinam latam in capitibus, *can.13.* definit: *Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, vt credat certò, & absque vlla hæsitatione propriæ infirmitatis, & indispositionis, peccata sibi esse remissa; anathema sit.* Et can.14. *Si quis dixerit, hominem à peccatis absolui, ac iustificari ex eo, quod se absolui, ac iustificari certò credat; aut neminem verè esse iustificatum, nisi, qui credat se esse iustificatum, & hac sola fide absolutionem, & iustificationem perfici; anathema sit.* Hæc verò cap.9. & 16. docet. Nihil autem quoad hoc de venialibus statuit; parum enim refert, scire: an veniali aliquo reatu teneamur, si in gratia nos esse sciamus. 94

QVOAD Patres, certum est, Chrysostomum loqui de incertitudine gratiæ, vt patet legenti commentarium illius. 95

QVOAD D. Hieronymum, ipsum audiamus; Ait enim: *Qui hoc dicebat, nullius sibi peccati conscius erat, sed quia legerat. Delicta quis intelligit?* Psalm.18. *& sunt viæ, quæ videntur viro iustæ, nouissima autem eorum respiciunt in profundum inferni; idcirco temperabat sententiam, ne fortè per ignorantiam deliquisset; maximè cùm Scriptura testetur* Ecclesiast.7. *Est iustus, qui perit in iustitia sua.* Et alibi. *Iustè quod iustum est, sectaberis.* Deuter.16. *Recordamini Saulis* 1. Reg.15. *& Acham* Iosue 7. Quid clarius? Lege sequentia, & perspicuè omnia elucescent.

D. AVGVSTINVS loquitur pro nobis: Ibi enim subdit: *Quanta profunditas infirmitatis latebat in Petro, quando se moriturum pro Domino temerè promittebat? Quanta abyssus erat? Abyssus abyssum inuocat: Homo hominem lucratur.*

D. BERNARDVS sic infert: *Ex dicto contremisco totus, Domine Iesu; præsertim cùm recordor, in quantis ipsius contemptor extiterim.* Delicta quis intelligit? *Nam si possem dicere cum Paulo, quod longè est à me: Nihil mihi conscius sum; sed tamen in hoc non esse iustificatum, oporteret me gloriari.* Et latiùs prosequitur, incertitudinem suæ conscientiæ arguendo.

QVOD verò Apostolus iam fuisset conscius, se esse in gratia ante annos quatuordecim falsum est. Non enim tunc, sed post multitudinem, & magnitudinem reuelationum, post infirmitates perpessas, &c. hanc gratiam obtinuit, vt concedit D.Bonauent. *lib.5. Compend. Theol. cap.28.* hæc dixit. 96

DEINDE potest responderi, Apostolum non loqui ibi de gratia habituali, sed de auxilio ad eas infirmitates, & tentationes euincendas. Subdit enim: *Nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor*

bor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.

97 PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *in corp.* ex illo Ioan.2. *Ipse autem non se credebat eis, eò quòd ipse nosceret omnes: ipse enim sciebat quid esset in homine.* Vbi notat Glossa, adducta à D. Bonau. ad eum locum, eos ipsos ignorasse propriæ conscientiæ statum, quæ cognitio reseruatur Deo, *qui solus intuetur corda* 1. Reg.17. *Qui omnia videt.* Eccl.23. *Qui scrutatur corda.* Hierem.17. *Cui omnia nuda sunt* Hebr.4. Quem locum Hierem. ad id adhibet S. Bernardus *epist.*42.

PROBATVR quartò à D. Bonau. in Diæta *tit.*6. *cap.*1. ex illo Iob.9. *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, prauum me comprobabit. Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ. Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.* Vbi Hebræa habet: *Contremisco.* Hoc sane egregio loco eluditur effugium sectatiorum, qui ex euentibus tan-
98 tùm argui autumant. Hinc enim deducit S.Iob, nullam se de sua innocentia habere certitudinem, siue ex euentibus, siue ex interna, vel externa aliqua ratione. Hic sanè locus insignis est ad nostrum dogma comprobandum, vt notat eruditissimus Pineda ad hunc textum, & ante ipsum ita exponit D.Gregorius *lib.9. Moral. cap.19.*

RESPONDET Catharinus, Iob agnouisse suam sanctitatem, noluisse tamen iactare, vel sibi aliquid arrogare: sic, cap.13. *Si fuero iudicatus, scio quod iustus inueniar.* Et cap.27. *Iustificationem meam, quam tenere cœpi, non deseram.*

99 AT hoc, & similia loca indicant certitudinem moralem, quatenus eum conscientia non momordit; quod si id certò nouisset, magna sanè fictione hoc nunc assereret, & in hoc constanter subsistit aduersus amicos, qui eum conscientiæ vlceratæ, & ideò à Deo flagellatum proclamabant. Ita respondet S. Bonauent. *Opusc. de gradibus virtutum, cap.14.* Ideò subdit: *Neque enim reprehendit me cor meum.*

VASQVEZ hunc locum eneruare conatur, *cap.5.* Et primò dicit, ingentem fore temeritatem Iobi, si hæc verba dixisset, non sciens certò, se iustum. Verùm ex verbis eius habetur responsio. Id namque dicebat confisus sua conscientia, qua non pungebatur.

100 DEINDE ait Vasquez, Iob velle solùm demonstrare amicis repugnantibus, Deum sibi mala pœnarum inferre, non quidem ex peccatis, quorum non habebat conscientiam; iustè tamen; & ideò non posse contra Deum contendere, se iniustè flagellari. Quòd si niteretur ostendere, se iniustè à Deo concuti; vult ostendere se confundendum à Deo, qui eum improbum ostenderet, qualis apud amicos credebatur; & iniquum, licèt innocens; & simplex esset. Et hanc impossibilitatem quòd innocens sim, & improbus arguar, ego, inquit, ignorabo. Quòd verò addit: *Verebar opera mea*, solùm innuit, se semper recta cum metu operatum, iuxta illud Philip.2. *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini.*

101 HÆC tamen extorta esse, quis non videt? Qua enim ratione Deus falsi damnatur, vt Iob reum ostendat, & prædicet innocentem? Deinde defectum etiam Grammaticum in discursu eius fingit, vt ea verba, *hoc ipsum ignorabit anima mea*, referenda sint non ad continua, *Etiamsi simplex fuero*; sed ad alia: *Prauum me comprobabit*, idest hanc prauitatem, quam in me Deus ostendet, ignorabo? Est enim contra ea, quæ dicit: *Et verè scio quòd ita sit.* Confirmatur: Nam Innocentius III. hoc loco vtitur ad nostrum dogma probandum, *cap. vlt. de purgatione canonica*; neque solùm his vtitur per accomodationem, vt putat Vasquez; & ea verba interpretatur nobiscum.

PROBATVR quintò à D. Bonau. *serm.4. de decem* 102
præceptis ex illo Psal.18. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.* Sic exponitur à D. Hieronymo *lib.1. & 2.* aduersus Pelagianos, & à D. Bernardo *epist.42.* vt refert Bellarm. neminem esse iustorum, qui sciat, se carere peccatis: & quamuis apud nos posset aliquis effugere dicens, loqui etiam de venialibus; attamen Lutherani nihil inde habent, cùm omnia peccata censeant mortalia.

DEINDE de mortalibus cum etiam loqui, ait 103
D.August. in eundem Psal. enar.2. *Ista duo genera delictorum, propria scilicet, & aliena, etiam primitus in exordio claruerunt. Diabolus suo delicto cecidit; Adamum alieno deiecit.*

Idem notat Seraphicus *loc. cit.* & post eum Valentia.

RESPONDET Catharinus *ibi* è D. August. exponi peccatores, qui in tenebris non vident peccata sua.

CONTRA. Nam fatemur, peccatorem esse eum, qui occultis tenetur; Id tamen pro nostra obtinemus sententia, eos, qui iusti videntur sibi; posse esse reos coram Deo.

RESPONDET Vasquez *num.28.* & Vega *lib.9. cap.39.* Dauidem habuisse reuelationem certam de sua iustificatione.

AT neuter id ostendit. Quod enim semel audierit: 104
Dominus transtulit peccatum tuum; quid tamen indè? nonne posteà etiam deliquit numerando populum, &c. auferendo bona Miphibozet, &c.

CONCEDO, tunc reuelatum, vt ait ipse, Psal. 50. *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Sic exponit D.August. *ibi.* Remissio enim peccatorum incerta est, & occulta. Quare hinc nobis suppetit nouum de cæteris argumentum.

EST etiam locus Eccles.5. *De propitiato peccato*, siue ex Græco, *de propitiatione noli esse sine metu, neque adiicias peccatum super peccatum.* Neque vult dicere, timendum esse, ne remissum iam peccatum imputetur; *sine pœnitentia enim sunt dona Dei.* Rom.11. Neque Deus iudicat bis in idipsum, vt notat Valentia è D.Bonau. *in 4. dist.22. quæst.2.* sed vult, nobis timendum, ne peccatum, quod putamus remissum, remissum non sit.

Hunc textum ad id refert S. Bonau. cuius locum 105
me legisse memini, quem nunc ad mentem non habeo.

PROBATVR tandem ex illo *Lucæ* 18. Vbi Pharisæus, qui etsi dono Dei adscribens suam sanctitatem, tamen condemnatus abiit; è regione, publicanus se peccatorem agnoscens abiit iustificatus in domum suam, vt notat Seraphicus ad eum locum. Affert S. Bonau. hic, etiam illud Apoc.3. *Dicis quia diues sum, &c. & nescis, quia pauper es, & cæcus, &c.*

PROBATVR quoque è definitione Ecclesiæ sub Innocentio III. *in cap. Accepimus, extra de purgat. canon. per iuramentum*, vbi Archiepiscopus Bisuntinus volebat se purgare à quibusdam criminibus, dicens, se ab eis esse immunem; non autem, quòd ea non patrasset, vt habet consueta purgationis formula, vbi Papa, ait: *Præsumimus quòd volebat sub ea* 106
forma iurare, videlicet, quòd immunis erat ab illis criminibus; de quibus fuerat infamatus, tanquam dimissis per pœnitentiam, iam esset immunis ab illis; sed hoc iurare non paruæ temeritatis existeret, cum B.Iob. dicat. Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorat anima mea.

Ex quo loco elidit etiam interpretatio Vasquez ad hunc locum Iob, & responsio Catharini, reiectam

fuisse illam purgationem, quia non ob id in foro hominum erat purgatus, esto fuerit in foro Diuino; Nam ratio Papæ arguit temeritatem in sua iustitiæ assertione apud Deum.

107 PRÆCLARA extat declaratio etiam Concilij Tridentini, *sess.6. cap.9.* non posse nos certitudine fidei id scire; quo etiam Catharinus refellitur, qui non sanè fide Catholica; sed fide Diuina particulari, ait credendum. At Concilium definit, quemque de sua gratia formidare posse, cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam consecutum. Rectè verò obseruat Vega *lib.9. cap.8. in Concilium*, & Vasquez *num.39.* datâ operâ Concilium non dixisse, id nesciri fide Catholica, sed fide Diuina, vt non solùm certitudinem hæreticorum, sed etiam cæterorum eliderct. Et quamuis nullus Patrum Catharino acclamasset in Concilio, vt ipse clamat; tamen hæc verba, omnium suffragiis definita, eum expugnant.

108 RATIO verò præcipua D.Bonau. est, vt ipse docet *in corpore*, qua vtuntur omnes ferè Controuersistæ suprà allati, qui etiam testimoniis Scripturæ allatis è Seraphico nituntur. Est autem huiusmodi.

VT aliquis sciat, se in gratia constitutum, debet scire etiam certò, se aut legitimè fuisse conuersum in Deum, motibus pœnitentiæ, charitatis, &c. qui requiruntur ad iustificationem, aut legitimè accepisse Sacramenta; sed nullus est, qui absque reuelatione id certò sciat: Ergo. Maior probatur. Quia quando ex duobus, alterum ex altero pendet, non possumus alterum sine eo, à quo pendet, internoscere: Sed iustificatio pendet è supradictis: Ergo. Minor probatur. Quia neque experimento id nosse valemus, cùm illi actus sint supernaturales. Et ideò habeant causam nobis occultam. Neque ex fide, vel Scripturâ habemus, nos supernaturaliter motos in Deum. Similiter in vsu Sacramentorum ignoramus: An debita intentione sint nobis data, neque scimus: An supernaturales illos actus necessarios habuerimus.

109 ET sanè ad iustificationem requiri aliquid ex nobis, probatur Deuter. 4. *Inuenies eum: si tamen in toto corde quæsieris eum.* 2. Paral.6. *Si conuersi fuerint ad te in toto corde suo, & in tota anima sua; & tu exaudies eos de cælo.* Ità *Isa.*1. *Ezech.*18. *Ioan.*3. *Lucæ* 13. quæ latè prosequitur S.Bonauent. ad ea loca Euang. & *in* 4. vt dicam *tract. de Pœnit. & de Charitate.*

110 SECVNDVM argumentum indicatur à D.Bonauent. *in corp.* Quia dilectio gratuita, & non gratuita habent similitudinem, & sæpè videtur aliquis accensus in Deum, & tamen decipitur putans, se esse in gratia. Talis erat ille Episcopus, Apoc.3. *Quia dicis: Quod diues sum, & locupletatus: & nescis, quia pauper es.* Et probatur à S. Bonau. ex D. Bernardo *lib. de amore Dei*, vbi reprehendit superbientes de sua deuotione. Talis erat ille Pharisæus *Lucæ* 18. quem latè prosequitur S.Bonau. *ibi.*

111 TERTIVM argumentum sumitur ex infirmitate nostri intellectus, qui est sicut oculus noctuæ ad manifestissima naturæ, vt patet 9. *Metaph. cap.1.* multò magis ad supernaturalia. Vnde sicut oculus Lippus nescit distinguere inter lumen Solis, & lumen flammæ; ità oculus noster nescit distinguere inter lumen gratiæ *gratis datæ, & gratum facientis.*

112 QVARTVM argumentum sumitur è Diuinorum iudiciorum dispensatione: Deus enim claudit oculos iustis, ne aliquid boni in se videant, ne efferantur; ideò semper timent sibi, & meritò. Nam, vt S. August. ait *lib. de correp. & gratia*, capite 13. *In hoc loco tentationis tanta est infirmitas, vt superbiam possit generare securitas.* Et D.Gregor. lib.9. Moral. cap.17. *Si scimus, nos gratiam habere, superbimus, vt patet in illo Pharisæo* Lucæ 18. *Contra verò, ignoratio huius secreti humilitatem præstat.* Deus autem aliquando id reuelat sanctis, quos priùs solidauit suâ gratiâ, vt B.Francisco, de quo S. Bonau. *cap.3.* eius vitæ. Alij verò sanctissimi trepidantes videntur, vt de S. Hilarione refert D. Hieronymus, & habetur in Breuiario, in eius festo.

QVINTVM argumentum, contra modum dicendi hæreticorum, sumitur è D.Bonau. *in opusc. de resurrect. à peccato*, est autem huiusmodi. Ipsi volunt, necessariò credendum, nobis iam esse remissa peccata ex imputatione meritorum Christi, & hunc assensum esse medium vnicum ad Iustificationem. Tunc sic arguo: Vt aliquis sit iustificatus per vos, debet credere, se iam per imputationem meritorum Christi iustificatum; sed hoc non potest esse medium ad iustificationem: Ergo. Probatur Minor: Medium ad iustificationem per gratiam in fide Christi, est præcedentium peccatorum remissio ex Apostolo *Rom.3.* idest præcedentium actum illum fidei: Ergo non potest quis credere, iam se iustificatum; alioqui crederet falsum; vel si iam iustificatus est; non erit ille actus fidei medium ad iustificationem consequendam. Vnde sibi ipsis contradicunt. Hoc argumentum valdè vrget Valentia, & Bellarminus. 113

ASSERO ideò. Neque certitudine humana scire potest aliquis, se esse in gratia contra Sotum, Vegam, & Tapperum. 114

PROBATVR, quia si id sciret fide humanâ, posset iurare; sed hoc est temerarium, ex Innocentio III. allato: Ergo.

OBIICIVNT primò hæretici, nos non credere firmiter remissionem peccatorum, & Nouatianis in hoc adhærere.

RESPONDENT Valentia, Bellarminus, & alij ex D.Bonau. *in corpore*, nos credere articulum remissionis peccatorum, qui in genere astruit, remitti verè peccata facientibus, quod ipsis tanquam medium proponitur; quòd verò hic, vel ille ea fecerit, non habetur certum, vt suprà dixi. Sufficit autem credere, in Ecclesia Catholica vniuersali remitti peccata per Sacramenta, & actus nostros; & hoc tantùm in Symbolo prætenditur, vt habet D. Bonau. *3. p. Centil. sect.*28. & habetur in Concilio Tridentino *sess.6. cap.6. & 9.* Nouatiani verò non credebant hunc articulum ex parte Dei, vnde illos vrget S. Ambrosius *lib.1. de Pœnit. cap.2.* illo Ioan.20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et *lib.2. cap.5.* ait, Petrum respicientem solùm ad dubiam dispositionem Simonis dixisse: *Si fortè remittantur tibi.* Kemnitius falsò nobis imponit dubitationem de hoc articulo, vt notant Valentia, Bellarminus, & alij. 115

OBIICIVNT secundò exemplum Christi, qui eos, quibus peccata condonabat, credere iubebat sibi remissa peccata, vt Matth.9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata.*

RESPONDET Valentia, tunc Christum potuisse hoc dicere, qui erat certus de dispositione illius hominis; non sic esse in quocunque alio, qui corda non scrutatur. Addo ad suam Deitatem comprobandam id reuelabat. 116

MELIVS respondet D.Bonau. *ad* 5. *Lucæ* ad ea verba: *Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua* (idem enim erat paralyticus) Christum inuitasse hominem, qui Christum ignorabat ad fidem in eum, spemque necessariam Diuinæ gratiæ, vt disceret agnoscere, *quod Deus gratificauit nos in dilecto filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem*

guinem eius, remissionem peccatorum, Ephes.1. Hæc autem remissio, inchoata per fidem alienam, perficitur per fidem propriam. Vnde dicitur: *Confide, &c.* Hæc responsio à S.Concilio Trid. *sess.6. cap.6.* approbatur, dum ait, *homines disponi ad gratiam, dum excitati Diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu con-*
117 *cipientes, libere mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt: atque illud imprimis, a Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.* Ibi verò S.Doctor errorem Sectariorum prophetico stylô confundit. Ita & Bouët. *Exam.2. art.20. errore 2.*

Obiiciunt tertiò Rom.4. *Ideo ex fide* (scilicet iustificamur,) *vt secundum gratiam firma sit promissio.*

118 Respondetur breuiter è D. Bonau. *in corp.* ibi fieri generalem promissionem in fide Christi, omnibus veris filiis Abrahæ in spiritu, credentibus in Christum. Quòd verò hic, vel ille ex parte sua se disponat, ignoratur. Eodem modo respondetur illi Rom.5. *Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per gratiam istam, in qua stamus.* Per id respondetur etiam obiectioni ex 1. Cor.2. *Nos autem accepimus spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.*

Obiiciunt quartò. Rom.8. *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba* (Pater.) *Ipse enim testimonium reddit spiritui nostro; quod sumus filij Dei.*

119 Respondetur è D. Bonau. hîc, Spiritum Sanctum reddere vniuersaliter testimonium; nos, qui sumus Catholici (quales erant Romani, ad quos Apostolus scribebat) esse filios Dei adoptatos per gratiam suppositis mediis, quæ legitimè assumamus, Sacramentorum, & actuum nostrorum. Sic respondent etiam Moderni aliqui. De hoc loquitur Ioan.1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, vbi non ait, fieri eos filios, sed dedit potestatem, vt notat D. Bonau. ad eum locum Ioannis.

Respondetur secundò è D. Bonau. *De sex alis Seraph. cap.8.* ibi per Spiritum accipi spiritum gratiæ creatæ, mouentis nos; de hoc verò spiritu locutus fuerat antè, dicens: *Quicunque enim spiritu Dei aguntur,*
120 *tur, ij sunt filij Dei.* Vult igitur dicere: Ipse spiritus, quem accepistis, & per quem clamantes inuocatis Deum, tanquam Patrem, est ipsa gratia, per quam adoptati estis in filios Dei. Sic enim spem in fiduciam erigit ad Deum, quippe Patrem inuocatum, obtinendi omnia bona. Hæc responsio magis placet Vasquez *num.63.*

Obiiciunt quintò id Rom.8. *Quis nos separabit à charitate Christi? certus sum enim, quia neque mors neque vita, &c. poterit nos separare à Chritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

121 Respondet primò D. Bonau. *in Dieta salutis tit.5. cap.2.* Deum Patrem dedisse nobis filium ad redemptionem tanta sanguinis profusione, vt nequaquam sit negaturus nobis, seu Ecclesiæ, securam salutem; hanc verò requirere triplicem funiculum, vt sit indissolubilis, vt habetur 1. Tim.1. *Cor purum, Conscientia bona, & fides non ficta.* His suppositis nodum cum Christo indissolubilem asserit.

Respondet secundò D.Bonau. De sex alis Seraph. *cap.2.* ante medium, ibi Apostolum tanquam Prælatum, Zelo accensum, protestari se pro nulla difficultate velle recedere ab his, quibus tenetur, vt charitatem cum Christo conseruent, quolibet malo pœnæ imminente. Videtur autem concludere: Non debet quælibet tribulatio nos separare. Illud autem *certus sum* non denotat certitudinem omnimodam, sed ex parte sua voluntatem resolutam, Dei nixam auxilio, quæ dicitur *Confidentia*; nam verbum Græcum 122
est πέπεισμαι, quod vertitur *persuasus sum*, vel *confido*, *spero*. Sic commentantur SS. DD. Ambrosius *hic*, & Hieronymus *ad Algasiam.* Sic exponit idem Seraphicus *in 3. dist.26. art.2. quæst.5.* & *disp.34. p.2. art.2. quæst.2. in corpore.*

At Apostolus noluit certitudinem dare, quòd Romani omnes essent sancti, & sapientes? Denique Hebr.6. *Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora*; idem verbum substituit. Sic & Bouerius *Exam. 1. Atheismo 21.*

Respondet tertiò D Bonau. *de septem Itineribus* 123
Æternitatis, Itinere 6. dist.5. adducens D. Dionysium *de Diu.nom. cap.7.* pro explicatione loqui Apostolum de charitate, qua Deus in filio suo nos dilexit, & dona præstat. Arguit enim; *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum: Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* & ita consequenter: *Quis ergo nos separabit, &c. Certus sum, &c. a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.* Quasi dicat: *Quis iam ampliùs accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet?* Certitudinem ergo ex parte charitatis Dei seuerè acclamat. Hæc responsio magis placuit Vasquez *num.67.* De hoc iterum 2.2. *disp.8. quæst.15.*

Obiiciunt sextò Lucæ 17. *Cùm feceritis hæc omnia, dicite: serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Ergo supponit, nos posse scire adimpleta esse omnia præcepta, ac proinde esse in gratia.

Respondet S. Bonau. *ad eum locum*, sensum esse 124
ex Glossa, vt adimpletis omnibus præceptis, quantum conscientia nostra potest scire, adhuc expauescentes Diuinum iudicium, in quo non sumus certi omnia nos ritè adimplesse absque culpa, humiliemur cognoscentes, & confitentes nostram infirmitatem.

Obiiciunt septimò, ex 3. Ioan. *Qui facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* Ergo qui talis est, scit se operari in gratia.

Respondet D.Bonau. ad eum locum, ibi Chri- 125
stum ponere antithesim inter prauos Pharisæos, & discipulos, seu viros bonæ voluntatis; illis enim erat Lux inuisa: Vnde ait in præsenti: *Qui mala agit, odit lucem*, non autem, *qui mala egit*, fuere enim peccatores, qui ad lucem veniebant, vt eorum opera redarguerentur à Christo, vera luce; hi enim confitentes peccata sua veniebant ad lucem Christum, quo lucente culpas agnoscebant, vt eas plangerent, & beneficia Dei, vt pro eis redderent gratias, & in bonis operibus, quæ à Christo discebant, ambularent. Hæc expositio est D. August. *tract.12. in Ioannem.*

Obiiciunt octauò Ioan.14. *Vos autem cognoscetis eum; quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Et: *In illa die cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.*

Respondetur in priori loco, Christum inferre, 126
mundum non accipere Spiritum sanctum, quia neque credit in eum; discipulos autem cognoscere per fidem, quia in eum credebant; & ideò dispositos esse vt subsequentibus actibus recipiant dona, quæ promittit.

Ad alterum testimonium respondet S. Bonauent. è 127
D. August. *tract 75. in Ioan.* ibi Christum loqui de cognitione beata, quæ post hanc vitam erit, cum videbimus eum, sicuti est. Tunc enim cognoscent, filium esse in Patre, vt radium in sole. Ita exponit etiam D.Cyrillus ad hunc locum.

Obiiciunt nonò Ephes.3. *In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem eius.* Vbi notat

notat Caluinus in Græco esse παῤῥησίαν, idest *audaciam.*

128 RESPONDEO è D.Bonau. *in corp.* nomen hoc significare propriè transitum in medium Ecclesiæ ad concionem; hinc libertas dicendi, & audacia, vertitur ex Græcis *in Lexico.* En fiducia ex Dei verbo, & promissis Christi Ecclesiæ factis de veritate fidei, & promissionum securitate,vniuerso Christi gregi pollicita; vnde liberè, & securè loqui licet palam fidem nostram profitendo; in ea verò est etiam hoc dogma.

OBIICIVNT decimò. Prima Ioan.2. *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet.* Et cap.3. dicitur: *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam; quoniam diligimus fratres.* Et cap.4. *In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de spiritu suo dedit nobis.* Et cap.5. *Scimus, quoniam ex Deo sumus.* Et: *qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Et 1.Ioan.2. *Vos vnctionem habetis à Spiritu sancto, & nostis omnia.* Vnde Ioan.14. *Spiritus docebit vos omnia.*

129 RESPONDET D.Bonau. *hic ad 2. & 3.* & *de sex alis Seraph. cap.8.* & *in 1. dist.17. p.1. dub 3.* & *in Diaeta, tit.5. cap.2.* Apostolum hîc solùm in genere charitatis virtutem astruere, quæ in nobis diffunditur per Christum: An verò hic numero, vel ille sit in charitate, non habetur: Similiter, & vnctionem docere omnia necessaria ad salutem;non verò securitatem gratiæ,quæ potiùs ad superbiam eleuaret,vt suprà dixi cum D. August. Lumen verò supernaturale ab oculo Lippo non videtur.

OBIICIVNT vndecimò 2.Petri 1. *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.*

Hoc non obiicitur à Lutheranis, quia eorum errorem redarguit, qui suam certitudinem ante opera iactant. Neque id iuuat Catharinum. Nam certitudo ex operibus, licèt ex genere sit fidei, tamen in particulari non est talis è D.Bonau. *hic.*

130 MVLTOS quoque PP. nobis obiiciunt, qui, vt docet Seraphicus loquuntur, vel de vniuersalibus promissionibus, vel de certitudine morali, quæ testimonio conscientiæ aliquorum nititur.

ET quidem D.Dionys. *de Diu. nom. cap.7.* Nazianzenus *de plaga grandinis*, Chrysost. *homil.14. in epist. ad Rom.* Cyprian. *aduersus Demetrianum*, & *de mortalit.* Hilar. *in cap.5. Matth.* Ambrosius, D. August. *in Psal.88.* & *serm.28. de verbis Domini*, *tract.22. in*

131 *Ioan.* quem adducit S.Bonau. ad 5. Ioan. *Qui credit in iudicium, non venit*; hoc enim ex parte Diuinæ fidelitatis credendum autumat. Et *serm.6. de verbis Apostoli*, vbi ex Catholicæ fidei veritate, ait cognosci, nos Spiritum Dei habere. Et *tract.75. in Ioan.* vt notat D.Bonau. *ad 14. Ioan.* ad ea verba: *In illo die cognoscetis.* Et *in Psal.85.* Leo *serm.2. Pascha.* Gregorius *lib.1. Dial. cap.1.* Ansel. *ad cap.8. epist. ad Romanos.* At de coniecturali loquitur D. Basilius *in quæst. breuibus, quæst.12.* & 296. Cyprianus de Cœna Domini Hieronymus *in 6. Galat.* Inter hos ponunt aliqui, & D. Bernardum *serm.1. de Annunciatione*, quem omnes aduersarij pro se afferunt; sed hunc mox recitabo.

VNVM verò affert hîc Augustinum 8. *de Trin.cap.8.* vbi ait: *Qui diligit fratrem, magis nouit dilectionem, qua diligit, quàm fratrem, quem diligit.*

RESPONDET D.Bonau. nos cognoscere charitatem; sed: An sit supernaturalis, seu gratuita; id certò non sciri. Ità respondet etiam Bellarminus.

132 VASQVEZ *disput.201.num.11.* hanc respuit solutionem, quia si quando certò constiterit, nos habere dilectionem erga Deum, constabit etiam certò, nos esse in gratia; quia aut eo actu iustificamur, aut cum eo coniuncta est nostra iustificatio.

Respondet verò ipse, nos quidem certò cognoscere, & experiri in nobis affectum erga Deum, & proximum; An verò ille sit ex fine, & ratione, qua moueri debemus, incertum nobis esse, aut saltem notum non sine formidine; ex ratione verò mouente affectum, pendet nostra iustificatio.

EGO sanè non video, quomodo hæc illi responsio 133
probetur, si prior improbatur. Ratio enim supernaturalitatis est petenda ex fine supernaturali, & perfecto amore amicitiæ, qui Deum, vt finem supernaturalem, diligit propter se, potest autem in hoc esse deceptio, vt diximus suprà cum D.Bonau. in quatuor argumentis corporis quæstionis.

LIBET ponere hîc clarè D. Bernardi testimonia, quibus adeò nituntur hæreticorum phalanges *serm.1. de Annunc. Dominica*, ait: *Si credis, peccata tua non posse deleri nisi ab eo, cui soli peccasti, & in quem peccatum non cadit, benè facis. Sed adde adhuc, vt credas, quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet in corde nostro Spiritus Sanctus, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis iustificari hominem per fidem.*

OMISSIS prolixis Valentiæ, & Bellarmini respon- 134
sis, dico breuiter cum Seraphico in Pharetra *lib.2. cap.23.* D. Bernardum hanc fiduciam fundare testimonio bonæ conscientiæ, & testimonio promissionum generalium, quæ tres narrantur. Prima est, remissionem peccatorum non posse haberi absque gratia. Secunda, non posse sine eius dono operari. Tertia est, non posse nos mereri vitam æternam, nisi Deus gratiam det, qua mereamur, vt docet etiam D. August. *lib. de corrept. & gratia, cap.13.* Deinde nobis timendum suadet exemplo Dauidis Psal.142. *Non intres in iudicium cum seruo tuo, &c.* Tametsi ipse erat secundùm cor Dei. Hæc, ait, esse fundamenta fidei. Et subdit: *Ideoque si credis, &c.* Hæc verò dicit dictanda à Spiritu veritatis, qui quomodo loquatur, non sanè in particulari, sed in genere exponit. Remissionem peccatorum in passione Christi fundat.
Vox enim sanguinis Christi melius clamat, quàm 135
Abel, clamans in cordibus electorum remissionem peccatorum. De bonis operibus testimonium est Resurrectio; quia Christus resurrexit propter iustificationem nostram. Spes præmiorum ab eius Ascensione habetur, quia ascendit propter iustificationem nostram. Prosequitur verò media necessaria ad hæc; gratiam scil. præuenientem; & operantem.Et fallibilitatem ipse inducit exemplo Pharisæi, qui se iustum credebat, eratque nequam.

Ex quo apparet, ne verbum quidem D. Bernardi fauere aduersariis. Vide Bouër. *exam. 2. artic. 18. error. 3.*

SIMILIA habet *serm.3. de septem fragmentis.* Et *serm. 5. Dedic.* quos refert Valentia. Audiant isti D. Bernardum *serm.3.* de Annunciatione: *Scrutemur fratres vias nostras, periculaque vniuersa vigili intentione pensemus. Dicat quisque in pauore suo: Vadam ad portas inferi, vt iam non nisi in sola Dei misericordia respiremus.*

MVLTAS quoque congerunt rationes, quæ ferè ex 136
dictis solutæ iacent.

PRIMA sumitur ex diuinis promissionibus, quæ factæ sunt non modò in genere, sed in particulari, Lucæ 12. *Complacuit Patri in te.* Zach.9. *Ecce Rex tuus venit tibi.* Addit Caluinus *in Antidoto*, Concilium enim *sess.6. cap.9.* monet, vt nemo dubitet de efficacia Passionis Christi: At ille: Numquid in aëre locanda

locanda est tota ista efficacia? Si efficax fuit Christi passio, certè mihi, & tibi, non Ideæ Platonicæ.

137 Respondet D. Bonau. *ad 12 Lucæ*, fieri promissiones regni discipulis, & omnibus prædestinatis, quibus promissionibus inducitur ea spes, & securitas, quæ auferat pusillanimitatem in bono, & cupiditatem retrahat à malo. Hæc igitur promittit, si contempserint mundana; & cælestia ex corde amarint. Hæc tamen in particulari esse abscondita; vnde dicitur: *Misereor, cui miserebor*, nescimus enim, qui responsuri gratiæ, futuri sint Deo accepti. Neque hic sermo est singulis promittens; erat enim ibi Iudas. Isti igitur efficaciam passionis Christi experiuntur; de quibus Apostolus Philip. 3. *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum*, & hæc expectatio non est vana: *Expecta Dominum, viriliter age.* Ipse enim Christus stat ad ostium, & pulsat. Si quis audierit vocem eius, & aperuerit illi ianuam, intrabit, & cœnabit cum illo. Hæc S Bonauentura.

138 Secunda ratio sumitur à certitudine fidei, & spei; de quibus Hebræos instruebat Apostolus *cap.* 10. & 11.

Respondet S. Bonau. *in 3. dist.* 24. *quæst.* 2. *ad* 3. securitatem fidei esse infallibilem, quia absoluta est, & independens à nobis, V. g. Deum esse vnum. Quæ verò pendent à nobis certissima, posita conditione existunt. V. g. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Et hoc est obiectum spei certitudo gloriæ, si perseuerauimus. Itaque hæc securitas includit perseuerantiam, quam nemo sibi spondebit absolutè, sed respondendo gratiæ, obseruando mandata, &c. quæ incerta sunt.

139 Tertia ratio sumitur è certa efficacia Sacramentorum, quæ sunt signa certissima gratiæ inuisibilis. Igitur, qui dicit baptizatum, non esse certum de remissione peccatorum, iniuriam facit Baptismo, qui habet Diuinam promissionem. Similiter cum Minister dicit: *Absoluo te*, non mentitur.

Respondetur è D. Bonau. *hic*, & *quæst.* 4 non posse haberi certitudinem gratiæ, nisi cognitis conditionibus necessariis ad eam consequendam. In vsu autem Sacramentorum oportet scire, Sacramenta ritè esse adhibita. Itaque recipiens, cùm non sit certus de sua dispositione; & de intentione Ministri non potest securus esse de effectu. Similiter in alio non potest esse securus, nisi ex fundamento veritatis æternæ, quod sanè fundamentum pro adultis potest esse reuelatio; & pro paruulis euidentia in fide; eò quòd ego V. g. ritè Baptismum puero ministrarim, vt notat etiam Vasquez *num.* 59. At non erat cur ibi Glossam inferret in S. Bonauenturam, quasi non explicuerit satis, posse gratiam certò cognosci in puerulis baptizatis. Satis enim explicuit *quæst.* 4. *in corpore* dum ait, posse cognosci per impressionem aliquam summæ æternæ veritatis. Hæc enim sunt, quæ in ministerio Sacramentorum creduntur.

140 Quarta ratio sumitur è calumnia, hanc nos hausisse incertitudinem ex Pharisæorum errore, qui non dubitant de remissione peccatorum: sed murmurabant, quia Christus iubebat, homines confidere sibi in particulari, Remissa esse peccata singulis, & similia.

Respondetur ex D. Bonau. ad illud Lucæ 7. *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Pharisæos de hoc non murmurasse, sed potiùs quia remittens peccata, se Deum prædicaret. Dicebant enim: *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Quasi dicant, ait D. Bonau. Cùm sit paruus, & nullus, quomodo sibi attribuit, quod potest solus Deus, iuxta illud Isa. 43. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me.*

Qvinta ratio. Potest aliquis pro Christo mortem oppetere, hoc autem est maximæ charitatis. 141 Ioan. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hoc autem potest quilibet cognoscere: Ergo sciet, se in gratia.

Respondet Seraphicus hic *in corpore*, hunc posse falli, quippè qui feruore quodam impulsus, sed non gratia formato, mortem pro Christo subeat, & sic cum peccato mortali feruor coniunctus.

Ex dictis habes primò, eodem modo incertam esse nobis prædestinationem nostram singularem; de quo satis *p.* 1. *tract.* 1. *disp.* 21. *quæst.* 22.

Habes secundò, non benè ex nostra sententia Catharinum deducere, sugillari Diuinam prouidentiam, aut nos stupidos esse, dum ignoramus nostrum statum; neque ob id indignè vti Sacramentis. Non enim nostra est dubitatio, aut hæsitatio, vt perperam inducunt; sed moralis quædam certitudo, quæ satis est ad bonam fidem, & vtilis ad nostram humilitatem.

Habes tertiò, falsam esse etiam opinionem Soti, 142 & asseclarum, certam nobis esse nostram iustificationem, fide humana; sicuti certum est esse Romam, fuisse Troiam; licèt neutram viderimus; hoc inquam videtur mihi contra Scripturas allatas, rationesque, ac S. Concilium Trident. *sess.* 6. *cap. illo* 9. vbi docet, quemlibet iustum posse de sua iustificatione timere, & formidare. Hoc latius controuersistæ, & alij vrgent Theologi, argumentis, & responsis Seraphici vsi. In his verò, quæ declinant à S. Bonau. maxime in soluendis obiectis, infirmiores sunt.

Seraphicus *lib.* 5. *Compend. Theol. cap.* 28. ait: 143 Quidam sciunt, se non habere charitatem, vt qui sunt in actu peccandi, vel in proposito. Quidam dubitant, quia rationes habent pro vtraque parte. Quidam putant se habere, vt qui multa bona fecerunt, & diù abstinuerunt à peccato, adhuc tamen sustinent motus tentationum. Quidam experiuntur charitatem, vt qui semper ferè benè faciunt. Quidam certi sunt, vt quibus reuelauit, sicuti Paulo 1. Cor. 12. *Sufficit tibi gratia mea.*

QVÆSTIO VIII.

An possit quis certò scire se habere Fidem Catholicam.

D. Bonauent in 1. dist. 17. quæst. 1 ad vlt. & in 3. d. 23. dub 4. litt.
D. Thom. 1. 2. quæst. 112. art 5. ad 2.

Mvltæ de hac sententiæ referuntur à Vasquez *disput.* 201. Prima est. Quamuis nemo sine peculiari illustratione euidenter, aut certitudine, cui non possit subesse falsum, scire queat, se habere habitum fidei infusæ; tamen certitudine, & euidenter scire potest, se credere Diuina fide, hoc est assensu Diuinæ fidei, Mysteria Christianæ religionis, siue ille assensus eliciatur ab habitu, siue non. Quæ sententia est Vegæ *lib.* 9. *super Concilium, cap.* 37. & Recentiorum quorundam, & citatur etiam D. Bonau. *in 3. sent. loco adducto.*

Secvnda sententia est, posse vnumquemque fidelem certò credere, se habere actum fidei Diuinæ, ea 144 certitudine, cui non possit subesse falsum; non tamen euidenter. Et in hac dicit Vasquez conuenire ex parte Vegam cum D. Bonau. quatenus dicunt, posse

posse se cognoscere assensum fidei, cognitione certa. At malè; non enim ideò negat S. Doct. euidentiam aliquam imperfectam, cui videntur ex parte consentire Recentiores alij cum Soto *in Apologia contra Catharinum cap.5.* & *lib.3. de natura, & gratia, cap.10. ad* 8. Allegari potest etiam D. Thom. hîc, *& p.1. quæst.87. art.2. ad* 1. Et 2. *Corinth. vlt.* Caietanus hîc, Scotus *in 3.dist.23.quæst.1.§. Sed quid dicis.* Cum discipulis apud Mastrium, & Recentiores aliqui.

145 Tertia opinio est Richardi *in 3. dist.23. in expositione textus Durandi, in 1. dist.27.quæst.4.ad* 2. quamuis quisque experiatur in se actum credendi, quando credit; tamen nullum certò posse cognoscere: An actus ille credendi sit fidei infusæ, & Diuinæ.

Vasquez, pluribus dictis, suam promit sententiam: Primò dicit, non posse aliquem certò cognoscere, se habere habitum Fidei; sed tantùm probabilissimè. Ita & Tannerus hîc, *quæst.4. dub.5.* Morand. *quæst.18.* Valentia *disput.8. quæst.4.p.4.* Becan. *cap.11. quæst.5.* dicens, se id scire ratione Theologica.

Quoad actus fidei dicit primò, quemlibet fidelem debere credere, se habere fidem Catholicam necessariam.

Secundo, quemlibet certò, & euidenter cognoscere, se habere fidem illorum Mysteriorum eo modo, quo illi proposita sunt, vt credat, non posse aliter se habere, etiam à Deo reuelata.

146 Tertio, quemlibet fidelem agnoscere suam fidem inniti testimonio humano proponentis Diuina Mysteria, seu Concionantis, siue Ecclesiæ.

Quarto, quemlibet fidelem credere debere eam fidem, qua proposita esse Mysteria credit ex dono gratiæ Dei per Christum.

Quinto, quemlibet fidelem eadem firmitate credere debere, se habere fidem innixam authoritate docentis, & Dei.

Sententia Seraphici est, animam euidenter cognoscere actus fidei, & habilitatem ad eos; non autem quòd actus illi sint Deo accepti. Sic autem ait in 3. sent. cit. *Fides in quantum ad habitum substratum videtur ab anima; in quantum autem est formata, non cognoscitur nisi per coniecturam.*

147 Rationem reddit, quia ea, quæ sunt in anima cognoscuntur per experimentum, dum anima in tetersum ingrediens experitur: verum sit habilis, & prompta ad eos actus. Ex quo deducit, habere etiam talem habitum. Quoniam verò non potest habere experientiam, nisi de eo, quòd est in potestate sua; & ideò de eo, quod respicit actum animæ, & cùm experientia dicat vsum alicuius potentiæ; hinc est, quòd quando aliqua sunt in anima, ita vt reddant potentiam habilem ad aliquod opus, vel circumstant alicui operi interiori, talia possent certò cognosci ab ipsa anima. Vnde si quis est habilis ad aliquod opus, certissimè se nouit habere illum habitum, sicut fidelis habitum credendi, & amans habitum
148 amandi, & sic de cæteris. Quando verò aliqua sic sunt in anima, quòd ipsa principaliter non respiciunt vsum alicuius potentiæ, sicut character, vel sicut deformitas alicuius culpæ præteritæ, vel quæ sunt supra potestatem ipsius animæ, sicut gratia in quantum reddit acceptum Deo, & charitas: Similiter, quia à talibus non potest habere experientiam, nec potest habere certam notitiam; ideò cùm dicitur, quod illa, quæ sunt essentialiter in anima, certitudinaliter cognoscuntur, intelligitur de illis, de quibus anima potest sumere certum experimentum; de his autem, de quibus non potest sumere experimentum, nisi per coniecturam, non cognoscit, nisi coniecturando.

Idem habet in altero loco, vbi cùm sibi obiecisset: Habens fidem, est certus, se habere fidem: Ergo pari ratione habens charitatem scit, se habere charitatem.

149 Respondet, non esse simile, quia fides dicit habitum purum, non superaddendo acceptationem, sicut charitas.

Ex his habes malè Seraphicum citari à Vasquez. Nam S.Doct. asserit, cognosci etiam habitum informem Fidei. Idem omninò docet D. Thom. *locis cit.* vt concedit etiam Vasquez *num.3.* Sic & Bannes 2.2. *quæst.6. art.2. disput.2.* Lugo *disp.1. sect.9.* & vt reor Becanus.

150 Assero cum D.Bonau. posse nos certos esse Theologicè de nostra fide informi, nedum de actibus eius.

Probatur à S.D. vtrobique è D. August. *lib.13. de Trin. cap.1.* vbi ait: *Video me credere, si credo.* Et iterum. *Fidem porro ipsam, quam videt quisque in corde suo esse, si credit, vel non esse, si non credit, aliter nouimus: non sicut corpora, quæ videmus oculis corporeis, vt per ipsorum imagines, &c. nec sicut hominem viuum, sicut videndo didicimus, intuemur etiam cognoscendo. Non sic videtur fides in corde, in quo est ab eo, cuius est: sed eam tenet certissima scientia, clamatque conscientia. Cùm itaque propterea credere iubeamur, quia id, quod credere iubemur, videre non possumus, ipsam tamen fidem quando inest nobis, videmus in nobis.*

151 Loquebatur autem de fide Diuina Christianorum, vt patet, & concedit Vasq. *num.1.*

Respondet tamen, *num.10.* D.August. loqui de fide solùm, vt nititur authoritate, & testimonio Ecclesiæ, seu alicuius Concionatoris Ecclesiæ proponentis; non autem vt nititur Diuina veritate.

Contra, quia subdit D.August. *Et si ex fidelibus infideles fiunt, perit ab eis* (idest fides ista) Certum est autem, eam fidem perire, quæ nititur testimonio Dei, alioqui si soli Concionatori perderem credulitatem, possem adhuc credere illi Diuinæ reuelationi: Licèt enim ex priori credulitate, qua credimus Concionatori dicenti, illam esse fidei Diuinæ assertionem, sequatur secunda; non tamen, illâ ablatâ, tollitur secunda.

152 Probatur secundò à D.Bonau. Nihil magis nobis est notum, quàm actio nostri intellectus, & promptitudo ad illum actum: Sed assensus fidei est actus intellectus; & actus est ex habitu. Ergo. Confirmatur; alioqui posset dubitare: An sit Christianus. Opposita etiam responsa Mastrij soluam 2.2. *tract.1. disput.1. quæst.25.*

Obijcies cum Scoto. Non potest haberi euidentia actus fidei, nisi habeatur de obiecto, sed obiectum Fidei est obscurum: Ergo.

Respondet Vasquez, Nos non habere euidentiam veritatis, seu conformitatis intellectus ad obiectum; sic enim etiam obiectum deberet euidenter cognosci, sed solius actus, & assensus, quatenus est Fidei, vel credulitatis. Sumpta est responsio è D. Bonauentura.

153 Respondetur ergo è D. Bonau. *in 3. dist.23. quæst.4. ad* 1. vbi exponit etiam sensum verborum D. August. cuius testimonio nititur; certitudinem illam, quam quisque habet de sua fide non esse certitudinem per fidem, sed de fide, quam habet in mente; & illa est certitudo scientiæ. Scit enim homo fidelis, se habere actum illum credendi rebus Diuinis, & habilitatem ex habitu ad eas credendas. Quod verò illæ res, seu illa obiecta se ita habeant, hoc sola fide euenit, non autem ex scientia, quam habeo de actu, & habitu, qui in me sunt.

Obijcies

Obicies secundò cum aliis. Huiusmodi habitus sunt supernaturales: Ergo nequeunt medio naturali certò cognosci.

154 Respondeo, ex cognitione, quam habeo, supernâ, id me posse agnoscere, vt dixi cum D. Augustino.

DISPVTATIO III.

De Iustificatione.

Qvia præcipui effectus Gratiæ Habitualis multas habent quæstiones grauissimas, ideo de illis agendum per duas disputationes. Et prima erit de Iustificatione, quæ est effectus formalis Gratiæ. Secunda verò erit de Merito, quod est effectus efficacissimus ad præmium gloriæ assequendum.

QVÆSTIO I.

An Ivstificatio *nostra fiat in nobis Forma aliqua inhærente.*

{ D Bonau. in 2. tota dist.26.

Tametsi in probandâ Gratiæ sanctificantis existentiâ ostenderim, *disput*.2. *quæst*. 1. Iustificationis eam esse formam, attamen ad elidendos errores, qui hoc sæculo grassantur, præcipuam hic instituo quæstionem, quam etiam pertractant fusiùs hæresum expugnatores nostri, infrà allegandi, qui hanc quæstionem maximè necessariam acclamant.

1 Plvrimæ sunt de hac re hæreses, varijs dicendi modis intersectæ, adeò vt, teste Hosio, *tom.*1. *lib.*1. *de hæresibus nunc temporis*, Osiander hæreticus *in lib. contra Nicticoracem* quatuordecim Lutheranorum opiniones collegerit, & viginti Hæreses diuersas, in Apologia contra Melanchthonem, apud solos confessionistas inuenerit.

Lvthervs quidem, è cuius venenato fonte dimanantur mortifera ista errorum fluenta, qui ex Armenorum Abysso egurgitauit (de quibus Guido Carmelita *lib. de hæresibus*, *cap*.16.) negauit, iustificationem fieri per formam aliquam inhærentem, sed fluctuans, causam formalem, aliquando fidem, aliquando Christum fide apprehensum, asserit, vt videre est *in Commentario ad cap*.2. *ad Galat*. Ideò in

2 varias abiiere sententias asseclæ. Philippus Melanchthon *in Confess. August. art*.4 ait: *Fidem ipsam nobis pro iustitia imputari coram Deo*, sed *in art*.20. & *in Apologia Confessionis*, *art*.4.5.6. & 20. repetit, nos iustos reputari coram Deo, non propter fidem, sed propter Christi meritum: quando verò dicebant, fide nos iustificari, sic exponebant, nos iustos fieri apprehendendo misericordiam Dei.

Osiander ex Lutheri libris docuit, formalem causam iustificationis esse iustitiam, qua Deus essentialiter iustus est.

Illyricvs *centur*. 1. *lib*.2. *col*.238. dicit, eam iustificationem esse opus redemptionis Christi. Eodem ferè modò loquuntur in Colloquio Altemburgensi Lutherani rigidi, & molles.

Calvinvs negat cum Lutheranis omnem inhærentem iustitiam; & asserit, imputari iustitiam Christi, & propter eam condonari peccata; propriè tamen in ipsa peccatorum remissione iustificationem positam esse. Existimat enim, nomen Iustificationis esse forense; neque aliud esse iustificare, quàm iustum declarare. Ità loquitur *lib*.3. *Instit. cap*. 11. §.2. & §.3. & §. 21. & 22. & *in Antidoto Concilij ad sess*.6. 3

Martinvs Bucerus *in lib.Concord*. vt Catholicos seduceret, concessit in nobis aliquam iustitiam inhærentem, sed imperfectam, à qua formaliter iustificamur; perfectam verò, ait, esse iustitiam Christi, nobis imputatam. Hinc *in Libello* Imperatori Carolo V. Ratisbonæ exhibito à Lutheranis, quorum erat princeps Bucerus *art*.5. legitur: Etsi autem is, qui iustificatur, iustitiam accipit, & habet per Christum etiam inhærentem: tamen anima fidelis huic non innititur, sed soli iustitiæ Christi, nobis donatæ, sine qua nulla omnino est, nec esse potest iustitia. Eadem concedit Kemnitius, vt videre est apud Tiletanum *in Apologia pro Concilio Trident. cap. de Iustitia*, *qua iustificamur*.

Horvm autem duorum errorem notandum, aduertit Vasquez *disput*. 202. *num*.2. & *disp*. 204. vt illi carbone signentur atro, qui astruunt, ad gratiam requiri etiam Diuinam acceptationem. Vasquesio tamen ostendam, Doctores illos, inter quos est S. Bonauent. longius, quàm distet ipse, ab hæreticis abire. Potest quidem incautè consentientes apponere Colonienses Canonicos *in lib*. cui titulus est *Antididagma*, *tit. de Iustif. cap. Per quas causas iustificemur*, & Pighium *controu*. 2. Hi sanè iustitiam inhærentem imperfectam admisere; non tamen, quæ sit iniustitia, sicut hæretici; neque vnquam hi viri à Catholicæ Romanæ Ecclesiæ censura, se eximere voluerunt. 4

Sententia Catholica est, quam tradit Concilium Trident. *sess*. 6. *cap*. 7. his verbis. *Vnica formalis causa est iustitia Dei: non quâ ipse iustus est: sed qua nos iustos facit; qua videlicet ab eo donati, renouamur spiritu mentis nostræ; & non modò reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus*. Et paulò infrà: *Id in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret; Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, Spem, & Charitatem*. Hoc sancto decreto omnes suprà recitati errores eliduntur. 5

Assero ergo, formalem causam iustificationis esse iustitiam, nobis inhærentem. Hac vna assertione, vt notat Bellarminus *lib*.2. *de Iustif. cap*.2. omnes reprobantur errores. Optimè verò omnium D.Bonau. eos passim confutauit. 6

Probatvr primò à S. Bonauent. *loc. cit. quæst*.1. Id, quod in Scriptura dicitur donum, & gratia à nobis accepta de abundantia gratiæ, quæ per Christum facta est, verè est gratia nobis inhærens. Talis est gratia sanctificans: Ergo. Maior est certa: Nam beneuolentia Christi, vel iustitia non est reparatio gratiæ Christi factæ. Minor probatur à S. Doctor *ex*. 1. *Ioan*. vbi postquam dixit: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, &c. Addit: *Gratia*, & *veritas per Iesum Christum facta est. De plenitudine eius omnes accepimus*. Quod latiùs obseruat S. Doctor. ad hunc locum Ioannis, post vestigia Diui Augustini *tractatu* 3. *in Ioannem*, vbi hanc gratiæ diffusionem prosequitur, quam vocat sanantem. 7

ſanantem. Affert etiam *ibi* ad confirmationem teſtimonium S. Auguſt. 15. *de Trin. cap.* 19. vbi gratiæ diffuſionem explicat, per illud Ioan. 7. *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Et Ioan.4. *Forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam. Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Et illud Epheſ.4. *Vnicuique autem noſtrum datur gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti. Propter quod dicit: Aſcendens in altum, &c. dedit dona hominibus.* Dedit tanquam caput membris. Addit S.Bonauent. in 2. loc. cit. illud 1. Cor.12. *Diuiſiones verò gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Certum eſt autem Spiritum Sanctum non diuidi; nec iuſtitiam Dei, aut Chriſti diſtribui, vt aquam ad menſuram, ſicut etiam de gratia ait Apoſtolus Epheſ.4. *Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti.* Affert quoque ad cap.1. Ioan. illud Pſalm.83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* His autem locis oſtenditur, gratiam, qua iuſtificamur, eſſe deriuatam à iuſtitia Chriſti, & ideò ab ea diſtinctam, vt notat Valentia *diſput.*8. *quæſtione* 5. *p.* 3. & Bellarminus *lib.* 2. *de Iuſtificatione, cap.* 3.

8 PROBATVR ſecundò à D. Bonauent. *quæſt.* 2. illud donum, quod augetur, & minuitur in nobis, eſt aliquid creatum hærens. Talis eſt gratia ſanctificans. Ergo: Minor probatur 2.Cor.9. *Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* Iacobi 4. *Maiorem autem dat gratiam.* Et 2. Petri 3. *Creſcite in gratia.* Et Apoc.22. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & ſanctus ſanctificetur adhuc.*

PROBATVR tertiò à S. D. *quæſt.*2. nouem rationibus efficaciſſimis, ductis ex attributis gratiæ, è Scriptura, & Patribus, illatis.

9 PRIMVM attributum eſt recreare hominem, ſeu nouam facere creaturam 2. Cor. 5. *Si qua ergo in Chriſto noua creatura: vetera tranſierunt: Ecce facta ſunt omnia noua. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum.* Galat.5. *In Chriſto enim Ieſu, neque circumciſio aliquid valet, ſed noua creatura.* Iacobi 1. *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius.* Eadem vi probat è Scripturis, quibus regenerari dicitur per iuſtificationem. Prima Petri 1. *Regenerauit nos in ſpem viuam.* Titum 3. *Per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum: vt regenerati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ.*

10 SIMILITER probatur Scripturis, quibus dicimur renaſci. Ioan.3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto.* Vbi nos, nouum eſſe accipere aſſerit per verè nouam Gratiæ Diuinæ productionem, vt notat D. Bonauent. ad eum locum Ioannis: Et 1. Petri 1. *Renati non ex ſemine corruptibili.* Quis enim propriè aliquem nunc recreatum, regeneratum, renatum abſque nouo dono accepto dicat? Sicut enim non poteſt aliquis creari, gigni, naſci; abſque eo, quòd nouum eſſe reale, ſubſtantiale, naturale accipiat; ità nec renaſci, &c. abſque nouo ſpirituali.

11 SECVNDVM attributum gratiæ ſanctificantis eſt, animam informare. Galat. 4. *Donec formetur Chriſtus in nobis.* Huc ſpectant SS. Patres, qui exponunt illud Geneſ. *Ad imaginem, & ſimilitudinem,* vbi per ſimilitudinem intelligunt ratione gratiæ informantis, ſicut, & Imaginem ratione animæ; tametſi non ſimul ad imaginem, & ſimilitudinem condiderit. Hi relati ſunt *p.* 1. *tract.*11. *diſp.*1. *quæſt.*1. *& ſequentibus.* Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus veſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt vobis,* vt notat Seraphicus *de ſeptem Itineribus æternitatis, Itinere* 4. *diſt.*5.

TERTIVM attributum eſt, viuificare peccatorem mortuum. Rom. 5. *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum; multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtificationis accipientes in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum. Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi: ita per vnius obedientiam, iuſti conſtituentur multi.* 12

Ex hoc loco habeo, verè homines per gratiam iuſtificantem conſtitui iuſtos, non autem forenſi modo declarari iuſtos, Rom.4. *Ideò ex fide, vt ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei, qui ex lege eſt ſolùm, ſed ei, qui ex fide eſt Abrahæ, qui Pater eſt omnium noſtrum ante Deum, cui credidit, qui viuificat mortuos.* Et cap. 8. *Quod ſi ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis.* Prima Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ità in Chriſto omnes viuificabuntur.* Et infrà: *Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem.* Galat. 3. *Si enim data eſt lex, quæ poſſet viuificare, verè ex lege eſſet iuſtitia. Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.* At quis non videt in reſurrectione animam addi: Ergo & in reſurrectione ſpirituali, gratia viuificans ſecunda. 13 14

QVARTVM attributum gratiæ eſt illuminare 1. Cor. 6. *Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Quæ ſocietas luci ad tenebras?* Epheſ. 5. *Eratis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino.* Prima Ioan. 2. *Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt.* Ioan. 1. *Illuminat omnem hominem, &c. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, &c.* 15

AT certè lumen non facit corpus lucidum, niſi inhæreat, neque compatitur tenebras: Quomodo igitur poteſt homo iuſtificatus non tantùm lucidus dici, ſed etiam lux in Domino, cùm antea eſſet tenebroſus, ſi adhuc tenebræ peccatorum in ipſo hærent; & gratiæ lux extrinſecus manens.

QVINTVM attributum eſt aſſimilare. Sic enim dicitur: *Creati in Chriſto Ieſu*: Epheſ.2. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui.* Rom.8. *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus, & imaginem cæleſtis.* Prima Cor. 15. Adde: *Faciamus ad ſimilitudinem*, Geneſ.1. *Non confunditur vocare fratres, &c.* Hebr.2. Qua verò ratione ſimiles fieremus Chriſto, qui verè in ſe per propriam iuſtitiam (vt homo eſt) inhærentem eſt iuſtus, niſi iuſtitia nobis inhæreret? 16

SEXTVM attributum gratiæ eſt vnire: *Vt ſint vnum, ſicut nos vnum ſumus.* Ioan. 17. vt notat D. Bonauent. *in* 1. *diſt.* 17. *quæſtione* 1. *in corpore.* Ioan. 5. *Manete in me, & ego in vobis.* Et cap.4. *Qui manet in me, & ego in eo. Manete in dilectione mea.* Hic enim eſt ſermo de Gratia, vt notat S.Doct. ad hæc loca Ioannis toto ſerm. cœnæ. *Dilectus meus mihi, & ego illi,* Cant.2. *Charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Coloſſ. 3. Ergo requiritur aliquod colligamentum, quo fideles inter ſe ligentur. 17

SEPTIMVM

18 Septimvm attributum est, stabilire : *Optimum est enim gratiâ stabilire cor.* Hebr.13. *Stabiles estote.* 1. Cor.15. *In salutem stabilem.* 2. Cor.7. *In fide fundati, & stabiles.* Coloss.1. Id verò, quod stabilem reddit animam debet esse aliquid in nobis, qui infirmi sumus. Vnde Psal.40. *Sana animam meam, quia peccaui tibi.* Et Hierem. *Sana me Domine, & sanabor.* Et Ioan.7. *Totum hominem sanum feci in Sabbato*, vt prosequitur S.Bonau. ibi. Et Rom.7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum.* Vide Seraphicum *Opusc. de resurrect. à peccato.*

19 Octavvm attributum est, reddere Deo gratum, & acceptabilem, qui est effectus formalis gratiæ, vt sæpe refricat S.D. suprà allatus *disp.præced.* Titum 2. *Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem. Placita erat Deo anima illius.* Sap.4. *Parcis autem omnibus: quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.* Sap.11. De quibus vide ibi Seraphicum 2.Reg.2. *Vocauit nomen eius Amabilis Domino, eò quòd diligeret eum Dominus.* Ioan.14. *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, &c. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, &c.* Vnde colligunt multi Patres apud Valentiam *disp.8. quæst.5. p.2.* aliquid esse, vnde incipiat anima esse amabilis.

20 Nonvm attributum est, affectum sursum ducere, & eleuare. Ad Titum 3. *Vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ.* Rom.8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum; in quo clamamus: Abba (Pater.) Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Si autem filij & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Vide totum caput. Alias Scripturas è D. Bonau. retuli *disput.2. quæst.1.*

21 Inter Patres verò refert S.D. sæpe D.Augustinum, qui est Gratiæ propugnator. Id verò planè astruit, *tom.1. lib.12. Confess. cap.15.* Tom.2. *epist.85. ad Consentium.* Tom.3. *lib.15. de Trin. cap.8.* Tom.4. *lib.1. ad Simpl. quæst.2.* Tom.5. 19. *de ciu. cap.27.* Tom.6. *lib. de hæresibus cap.88.* Tom.7. *lib.1. de peccatorum meritis, & remiss. cap.10.* Tom.8. *in Psal.118. conc.26.* Tom.9. *tract.26. in Ioan.* Tom.10. *serm.15. de verbis Apostoli.* Hunc Augustinum, quem optimum, & fidelem antiquitatis testem acclamat Caluinus *lib.3. Instit. cap.3. §.10.* & *lib.4. cap.14. § 26.* hunc inquam *lib.3. cap.11. §.15.* fatetur esse nobiscum. Kemnitius verò, etiam alios Patres nobis concedit atridere *in p.1. Exam. Concilij Trid.* Eos vide in Bellarmino, *cap.8.* Valentia *disp.8. quæst.5. p.3.* Bouerio *Exam.2. art.18. errore 2.*

Plvrimas solidissimas rationes S.Bonau. Vide *in disp.2. quæst.1.*

22 Obiiciunt primò. Nomen iustificationis, linguæ Hebraïcæ significatione, non aliud sonare, quàm declarationem iustitiæ, quæ fieri solet in foro. Sic *Rom.5. & 8.*

Respondeo è D.Bonau.3. *disp.19. quæst.1.* Scripturam accipere id propriè pro iustitiæ productione, vt ait S.D. *4.p. Breuil. cap.3. & lib.6. Compend. Theol. cap.32.* Ideò iustificatum, factum Dei filium, nouam creaturam dici. Id è Caluino deduco, qui fatetur, Paulum *Rom.3.* de hac loqui: *Si ex operibus iustificatus est Abraham.* Et ibi Græcus habet ἐδικαιώθη: *iustificatus est.* Sicuti ait Iacobus *cap.2.* quem dicit hæreticus, solam asserere iustitiæ declarationem; neque Paralogismum rectè intrudit, vt latè ostendit Bouërius, *Demonstrat.2. asser.4.* Idem verbum inuenio *Rom.5. & 8.* Quæ verò inter Iacobum & Paulum serit Zizania, ea succidam, & euellam *quæst.11.*

Obiiciunt secundò *cap.4. Rom.* dicitur: *Fides reputata est Abrahæ ad iustitiam.* 23

Respondetvr illam esse imputationem fundatam veritate iustitiæ. Itaque subdit: *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Id notat etiam D.Bonau. *in 2. dist.4. q.vlt. ad 1.*

Obiiciunt tertiò eodem *cap.4. Rom.* dicitur, ex Psal.31. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* Quærit hic Caluinus. Vel hæc est integra definitio iustificationis, vel non. Si primum: Ergo fit per solam imputationem. Si non; quomodo acclamatur beatus, qui sic imperfectè iustificatur?

Vrget Kemnitius, tegere peccata, non esse ea delere, sed abscondere. 24

Respondet D.Bonau. *Collat.59. in cap.13. Ioan.* peccata verè ablui, & deleri, dum operiuntur, vt ait D. August. contra Cresconium Grammat. *lib.2. cap.12. Tom.7.* Mundantur enim charitate operiente multitudinem peccatorum; Vel auferendo, & sic mundando. Quando ergo Dominus dat gratiam, lauat. Sic *Eph.5.* dicitur: *Mundans eam lauacro aquæ in Verbo vitæ.* Ezech.16. *Laui te aquâ. Vnxi te oleo.* Ezech.36. *Effundam super vos aquam mundam.* Act.1. *Baptizabimini Spiritu sancto.* Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata.* Vide Seraphicum etiam *in Opusc. de resurrectione à peccato.*

Affert illud 3. ad Titum. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis Spiritus Sancti* (idest per gratiam.) Et 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* In Lucam verò *cap.5.* ad ea verba: *Homo remittuntur tibi peccata tua,*
arguit latè infusionem Diuinæ gratiæ. Ephes.1. *Grati-* 25
ficauit nos in dilecto filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, vnde dicitur 2. Ioan.2. *Remittuntur vobis peccata propter nomen eius*; non quia ipsa Christi iustitia sit nostra iustitia formaliter, vt malè deducunt ex illo 1. Cor.1: *Factus nobis iustitia, sapientia, &c.* sed efficienter. Eodem verò modo fit in nobis sapientia, quo & iustitia. Fit autem sapientia, non quia simus sapientes sapientiâ formaliter Christi, sed quia efficienter doceamur, & recipiamus formam aliquam: Igitur peccata verè remittuntur, lauantur, Psal.50. *Ampliùs laua me ab iniquitate mea.* Auferuntur. Isa.6. *Auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Dicuntur sanari, Psal.40. *Sana animam meam, quia peccaui tibi.* Dicuntur verò tegi propter vestimentum gratuitum, Psal.31.
Beati quorum remissæ sunt iniquitates; & quorum tecta 26
sunt peccata; quod fit per Charitatem 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Ideò tandem non imputantur.

Itaqve *in 4. dist.22. art.2. quæst.1. ad 1.* explicat quomodo operiantur peccata charitate. Quod enim operitur, in conspectu hominum potest remanere, licet occultum, sicut pictura operitur panno. In conspectu verò Dei operire, est facere, quod non sit, & hoc pacto charitas operit peccata delendo. Hæc est responsio D.August. *concione 2. in hunc Psal.* vbi ait: *Non sic intelligatis, quod dixit; peccata cooperta sunt, quasi ibi sint; & viuant.* Et infrà: *Medicus tegat, vt curet, emplastro enim tegit. Sub tegmine medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus. Cui celas? Qui nouit omnia. Tecta peccata quare dixit: Vt non viderentur. Quid enim erat Dei videre peccata, quam punire peccata? Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Idem sentiunt S.Gregorius M. *in Psal.2. pænit.* & Nazianzenus *in Sanctum lauacrum.* Iustinus *Dial. cum Tryph.* Orig. *lib.4. epist. Rom.*

Obiiciunt quartò *Rom.5.* dicitur: *Per obedientiam Christi multos constitui iustos.* Et *cap.10.* reprehen-

duntur Iudæi ignorantes iustitiam Dei, quæ est in nobis.

27 RESPONDETVR primò è D. Bonau. *in 3. dist. vlt. quæst.2. in corpore*, quoad iustitiam Dei, eam iustificare efficienter; quoad Christum verò respondet *in 3. dist.18. in dubiis litt.* & *in quæstionibus*, nos iustificari efficienter physicè, & moraliter meritoriè. Et per hoc patet ad 1. Cor.1. *Factus est nobis iustitia.* Respondet enim D.Bonau. *in 1. dist.17. dub.5. litt.* Deum dici iustitiam, & sapientiam nostram eodem modo, non formaliter; alioqui Christus esset nudum accidens, nobis inhærens, sed causaliter. Sic enim etiam dicitur: *Tu es patientia mea.* Quis autem dicat Deum esse patientiam nostram formaliter? Nam pati à Deo alienum est. Addit verò *in Compend. Theol. lib.1. cap.33.* vocari etiam iustitiam Dei iustificationem peccatoris, quia suppositis promissis, facienti, quod in se est, Diuino assistente auxilio, datur peccatori gratia sanctificans, hæc tamen magis dicitur: *Veritas promissorum.*

28 RESPONDETVR secundò è D.Bonau. *in 2. dist.28. quæst.1.* Opponi à Paulo iustitiam nostram, quæ dicitur ex operibus nostris, seu ex propriis viribus, iustitiæ Dei, quæ dicitur gratia, seu iustitia ex dono Dei. Ita Rom.3. *Iustificati gratia ipsius.* Et paulò antè: *Ex operibus legis non iustificatur omnis homo.* Et expresiùs ad Titum 3. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos.* Et Galat.2. *Non abiicio gratiam Dei; si enim per legem iustitia: Ergo Christus gratis mortuus est.* Et hic est sensus D. August. *lib. de gratia, & lib. arb. cap.11.* & *aliis locis.* Itaque reprehenduntur Iudæi, qui lege Dei se saluari absque auxilio gratiæ credebant, eamque adimpleri suis viribus; vt notat D. August. *serm.13. de verbis Apostoli.*

OBIICIVNT quintò 2. Cor.5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.* Ergo per non reputationem delentur culpæ.

29 RESPONDETVR è D.Bonau. *in 3. dist.19 quæst.2.* & *quæst. vlt.* & *locis* suprà *adductis in Lucam, & Ioannem,* Christum verè deleuisse nostra delicta, reconciliasse Patri, & aboleuisse chirographum decreti, condonando delicta, vt habetur *Coloss.2.* non per simplicem non imputationem: vnde illis delicta non imputat, à quibus verè ea tollit; quòd si ea non deleret, proculdubio imputaret; cum iudicium eius sit secundum veritatem.

Obiiciunt sextò *eodem cap. epist.2.* dicitur *Deus Christum peccatum fecisse pro nobis*, id est reputatum peccatorem, *vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso*, id est vt nos eius iustitiâ iusti essemus.

30 RESPONDETVR è D. Bonau. *Collat.43. in cap.8. Ioan.* Christum dici peccatum factum, quia peccata nostra ipse portauit, quoad satisfaciendi debitum, & luit, meruitque gratiam, qua sanctificaremur; nam *de plenitudine eius omnes accepimus.* Ioan.1. Sensus igitur est, Deum, tanquam debitorem, soluisse nostra peccata, vt fieremus iusti, iustitiâ nobis emptâ diuinitus. Vnde iustificati solemus vocari *iustitia*, sicuti etiam vocamur *Lux in Domino*, Ephes.2.

OBIICIVNT septimò Act.13. *Per hunc annunciatur vobis remissio peccatorum: & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysis iustificari. In hoc omnis, qui credit, iustificatur:* Ergo iustificamur per Christum, non per nostras virtutes, sed per annunciationem iustitiæ Christi, nos esse iustos comperimus.

31 RESPONDETVR, nos iustificari per Christum, tanquam causam efficientem, physicam, & meritoriam, vt habet S. Bonau. *in 3. dist.19. quæst.1.* non verò, vt causam Formalem.

Ex præcedenti textu colligit etiam Caluinus, sola remissione peccatorum fieri iustificationem. Quod confirmat in facto Publicani *Lucæ 18.* Nam Publicanus dicitur iustificatus, cùm solam remissionem peteret peccatorum, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori.*

RESPONDETVR è D. Bonau. ad eum locum Lucæ, 32
Publicanum humiliter postulasse veniam peccatorum, quæ tamen fit gratia inhærente. Vnde dicitur: *Descendit iustificatus, &c.* Et ideò exaltatus in gloria per dignitatem filij Dei. Cætera loca ex dictis soluta iacent.

OBIICIVNT octauò ex *Isa.64. & Iob.9.* & *Psal.141.* Omnes nostræ iustitiæ sunt imperfectæ: Ergo non iustificamur iustitiâ inhærente.

RESPONDETVR ex dictis *disp.2. quæst.7.* Iobum, & Isaiam loqui de iustitia operum ante iustificationem, quæ vim iustificandi non habent, etsi disponant, vt ait Concil. Trid. *sess.6. cap.6.* Vel de operibus sine Dei auxilio, quæ neque disponunt, cum sint ordinis infimi, vt declarant Concilia Arausic. *can.7. & 22.* Milenit. *Can.4.* & docent August. *lib.1. ad Bonif. cap.19.* & *de præd. SS.* Hier. *lib.1. in Pelag.* aliique.

QVÆSTIO II.

An Iustitia inhærens nobis, qua iustificamur sit Habitus.

D Bonauent. in 1. dist 17. & in 2. dist. 26. & in 4. d. 17. p. 1.

TAMETSI ex *disp.2. quæst.1.* & *è quæst. præced.* habeatur, Iustitiam, qua sanctificamur formaliter, esse habitum, attamen quia in hoc est inter Catholicos controuersia; reor, discutiendum, qua veritate id certum sit.

FVERE, qui Magistro eam opponerent sententiam 33
1. dist.17. nos Deo gratos esse iustitia increatâ ipsius Dei, quæ est opinio etiam Osiandri hæretici in confutatione Melancthonis, qui iustitiam eam vocat *inhabitantem*; non verò *inhærentem* cum Catholicis; vel cum hæreticis *imputatam.*

ENIM verò non fuit tam crassæ mineruæ Magister, vt hæc diceret. Fuit ergo sensus Magistri, vt notat D.Bonau. *in 1. dist.17. quæst.1.* quem sequuntur Vasq. *disp.203. cap.1.* Bellarm. *lib.1. de Gratia*, & *lib. arb. cap.8.* & cæteri proceriores Theologi omnes. Ad cæteras virtutes necessarium nobis esse habitum; at verò ad actus charitatis sufficere præsentiam Spiritus sancti, qui nos moueat ad actus charitatis. Itaque confitetur in nobis inhærentem charitatem; negat verò, solum habitum, & in hoc deceptus est. Imò *in 2. dist.27.* docet, Gratiam esse virtutem nobis à Deo infusam; virtutem, autem esse bonam animi qualitatem. Quare 34
Scotus *in 1. dist.17. quæst.1.* ait; posse sustineri sententiam Magistri. Sed iam ab omnibus refellitur, vt notat Bellarminus *loc. cit. cap.3.* admittitur enim habitus inhærens, quem perperam negauit Caluinus *in Antidoto, sess.6. cap.7.* & alij relati à Bellarm. *loc. cit.* inter quos etiam fuit deceptus vir Catholicus Albertus Pighius *lib.5. de lib. arb.* Non est enim Magister cum hæreticis; tum quia Gratiam fatetur virtutem esse, & habitum; tum quia *in 4. dist.17. cap.2.* concedit, fieri iustificationem, vel confessionis Sacramento, vel contritione, qua delentur peccata, neque negat omnem qualitatem inhærentem, vt notat Vega *lib.7. super Concilium, cap.24.*

COMMVNIS igitur, & vera sententia Theologorum est, eam iustitiam inhærentem, qua *superiori* 35
quæst.

quæst. ostendimus, iustificari homines, esse habitum. Fuit enim vt probabilior declarata ab Innocentio III. *in cap. Maiores de Baptismo, & eius effectu*, & in Concilio Viennen. vt refertur *in Clem. Vnica de summa Trin. & fide Catholica*, opinio Scholasticorum, qui affirmant, fidem, Spem, & Charitatem, quæ iustificatis infunduntur, siue adultis, siue paruulis, esse qualitates, & habitus, quam sententiam omnium Scholasticorum calculis *in* 1. *dist.* 17. firmatam habemus. Et *in* 2. *dist.* 26. vbi D.Bonauent. per multas quæstiones relatas *disp.* 2. *quæst.* 1. His adde D. Thomam *p.* 2. *quæst.* 13. 22. *&* 23. *art.* 2. Sotum *lib.* 2. *de natura, & gratia, cap.* 17. 18. *&* 19. Vegam *lib.* 1. *super Concilium, cap.* 24. Bellarminum *lib.* 2. *de Iustif. cap.* 15.

36 Adhvc autem est quæstio: An hæc veritas sit statuta; an verò ad delendum peccatum sufficiat pro habitu aliquis actus contritionis, vel charitatis.

Et quidem multorum sententia est, non esse ex fide id certum, sed posse per actus nostros iustificari formaliter adultos. Ità Vasquez *disp. cit. cap.* 3. vbi pro hac sententia refert primò illos, qui tenent, iustitiam nobis inhærentem, qua iustificamur, non adhuc esse definitam habitum. Ita Dominicus Sotus *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 3. *art.* 1. & 2. & *lib. de natura, & gratia, cap.* 17. *& sequentibus.* Canus *relect. de Sacram.* 4. *p. post* 5. *concl. &* 7. Lib. *de locis, cap.* 2. & ideò dicunt, Concilium Trid. consultò *sess.* 6. *cap.* 7. dum definit, inesse iustificatis formalem iustitiam ipsis intrinsecam, abstinuisse à nomine *Habitus*, ne de habitu aliquid definiret. Consentiunt etiam multi Recentiores, & Stapletonius *lib.* 5. *de Iustif. cap.* 8. §. *Non multum.*

37 Deinde eos annumerat, qui docent, formam iustificantem, qua expellitur peccatum, esse dilectionem charitatis, aut ipsam dilectionem esse veram iustitiam Christianam. In his refertur Iansenius *cap.* 46. *Concord. Euang.* ad illud Lucæ 7. *Ideò dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ruard. Taper. *art.* 2. Hosius *in Confess. Cathol. cap.* 57. *&* 71. Gaspar Cassalius *lib. de quadripartita iustitia p.* 1. *cap.* 16.

Tertio recenset eos, qui asserunt, contritione condignè satisfieri pro culpa mortali. Ita Caiet. 3. *p. quæst.* 1. *art.* 2. Bartholomæus Medina *ibidem.* Paludanus *in* 3. *disp.* 20. *quæst.* 2. *art.* 2. Ruardus Taper. *art.* 6. *&* 8. Richardus *in* 4. *dist.* 17. *art.* 1. *quæst.* 7. Abulensis *in cap.* 17. *Genes.* in illud, *Circumcidemur, &c.* His videtur fauere Scotus *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 6. Gabr. *ibi quæst.* 2. *art.* 3. *disp.* 6. & *in* 2. *dist.* 7. *quæst.* 1. *art.* 1. *concl.* 2. Gregor. *in* 2. *dist.* 7. *quæst.* 2. *art.* 2. Ocham *in* 2. *quæst.* 19.

38 Refert postmodum alios huius ætatis, qui hoc negant definitum: Ioannem Vicentium *lib. de gratia Christi, quæst.* 1. Ludouicum Montesinum, Franciscum Espinosam, Franciscum Mattinez, Fratrem Hieronymum de Almonacir, Ludouicum Tena Doctorem Palacios, & alios Doctores Complutensis Academiæ. His apponit è Dominicanis Thomam de Gusman, Martinum Gutierrez, Didacum Granero, Michaëlem de Benatides. Et è Societate Alphonsum Dezam. His aciem instruit, quippe quæstio hæc sit recentior, ab antiquis non satis discussa; à Recentioribus autem maxima sollicitudine, & subtilitate ad trutinam reuocata.

39 Opposita verò sententia est grauiorum Scholasticorum, iustitiam, qua formaliter nos sanctificamur, non posse esse actum; sed esse habitum. Ita omnes Sententiarij *in* 1. *d.* 17. & *in* 2. *dist.* 26. *&* 27. D.Th. 1.2. *quæst.* 112. *art.* 2. & 2.2. *quæst.* 23. post Sanctos PP. quos referunt Bellarm. *lib.* 1. *de gratia, & lib. arb. cap.* 3. *&* 4. & *lib.* 2. *de Iustific. cap.* 15. Valentia *disp.* 8. *quæst.* 2. *p.* 1. & *disp.* 4. *quæst.* 3. *p.* 4. vbi adducit Gabrielem *in* 3. *dist.* 23. *quæst.* 2. *art.* 2. *concl.* 3. Vegam *lib.* 7. *in Concil. Trid. cap.* 24. Ità Suarez, Montesin. Lorca, Granado Ioan. à S.Thoma, Hacquetus, Lezana, Auersa, Amicus, Ouiedo, Card. de Lugo, & alij apud Mastrium *disp.* 7. *quæst.* 8. post Almaynum *in Moral. tract.* 3. *cap.* 1. *prop.* 3. Scotum *in* 3. *dist.* 23. *quæst. vn.* §. *Ad quæstionem*, Caspensem *disp.* 5. *sect.* 3. Hanc verò fuisse quoque sen- 40
tentiam S.Bonau. expressè ostendam in probationibus. Morandus *tract.* 4. *quæst.* 24. concedit, Vasquium locutum solùm de possibili; at Suar. *lib.* 7. *cap.* 13. Tannerus *quæst.* 5. *disp.* 2. aiunt, eum loqui de facto. Hoc sensu sequuntur Mæratius de Gratia *disp.* 12. Gaspar. Hurtad. *tract. de pœnit. disp.* 2. *diff.* 7. Turrian. *opusc.* 6. *disp* 4. De possibili verò sequuntur Morand. *loc. cit.* Serra *p.* 2. *quæst.* 113. *art.* 2. *disp.* 2. Videtur & Fulliensis *lib.* 4. *cap.* 10. ac Bouëtius *exam.* 2. *art.* 18. *err.* 2.

Assero ex fide haberi, infundi habitus, & per hos 41
fieri iustificationem.

Probatvr primò à D.Bonau. *in* 2. *dist.* 26. *quæst.* 2. *in corpore* argumento, quo vtitur Bellarminus, *locis cit.* sumpto è Scripturis, quæ docent, nos per Sacramenta iustificari. Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intreire in regnum Dei.* Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in Verbo vitæ.* Ad Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè.* At certè Sacramenta non iustificant, nisi per modum instrumenti ad infusionem iustitiæ habitualis. Nam si iustificare deberent, excitando actualem fidem, & dilectionem, frustrà adhiberetur Baptismus infantibus, & frustrà baptizarentur, & reconciliarentur hi, qui, vi morbi alicuius, vsum rationis, & sensum amisissent. Quos tamen rectè baptizari, vel reconciliari docet S.August. *lib.* 1. *de adulterinis coniugiis, cap. vltimo.*

Dicit Vasquez *cap.* 6. hoc de infantibus verum 42
esse, qui non habent proprios actus.

Contra arguo euidenter cum D. Bonau. Sacramenta habent suam operationem ex institutione Christi vniformem, neque aliud exigitur differentiæ, quam vt adulti propriis actibus se disponant; At dispositio essentialiter à forma differt, ad quam disponit. Probatur verò ita esse: Nam Scripturæ vniuersaliter adscribunt iustificationem Sacramentis, tanquam instrumentis gratiæ. Et cùm pro paruulis, & iis, qui Sacramentis sola attritione iustificantur, hæc gratia habitualis astruatur forma iustificans, non est cur in aliis negetur, vt infert Vasquez *cap.* 6. in fine.

Respondet tamen ipse, solùm definitum esse ab 43
Ecclesia fieri iustificationem per gratiam inhærentem; eam verò, quæ de gratia inhærente dicuntur, de ipso affectu contritionis intelligi posse.

Contra. Nam Scripturæ allatæ, quæ tradunt regenerationem per Baptismum, &c. ostendunt, illam non fieri per actus, sed per aliquid infusum habituale. Nam regenerari non est aliquid agere, sed nouam naturam supernaturalem accipere, vnde filij Dei nominemur, & simus. Dicitur verò Ioan. 3. *Nisi quis renatus, &c.* Et ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.*

De eadem verò aqua loquitur Christus Nicodemo 44
Ioan. 3. Et Samaritanæ *Ioan.* 4. vbi ait: *Qui biberit de aqua hac, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et Ioan 6. *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*, vt notat D. Bonau. *ad* 4. *Ioan.* Hunc verò fontem esse gratiam, exponit cum Sanctis, Cyrillo *lib.* 2. *in Ioan. cap.* 82. August. *in cap.* 4. *Ioan.* Hieronymo *in* 55. *Isa.* Basilio *in Psal.* 45. Ambrosio *lib.* 1. *de Spiritu Sancto*, cap.19.

*cap.*19. Chrysostomo *homil.*35. *in Ioan.* Adde Theophylact. *ad ea loca Ioan.* & alios. Fons autem est aliquid permanens per modum habitus, vnde saliant riui bonorum operum, qui saliant in vitam æternam, vt notat Bellarm. *loc. cit. de gratia, & lib. arb.* post D.Bonau. *ad* 4. *Ioannis.*

45 Præterea id patet ex nouem attributis gratiæ, suprà allatis *quæst.*1. quæ sanè habitum significant, vt notat Valentia *loc.cit.* post D.Bonau. *in hac q.*2. *disp.*26.

Adde cum Seraphico *disp. cit. quæst.*3. *fund. vlt.* Scripturas alias, quæ aliquid permanens, extrà aduemiens, in iustificatione significant. Psal.103. *Vt exhilarent faciem in oleo*, Additâ Glossâ.

Deinde contra effugium Vasquez oppono Scripturas, quæ contritioni, & dilectioni actuali solam adscribunt dispositionem ad iustificationem: Gratiæ verò formaliter dant viuificare, quod deduco è Seraphico *in* 4. *dist.*17. *p.*1. *dub.*4. *litt.* Et quis ignorat, dispositionem à forma distingui? *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*, quem locum ad id ponderat S. Bonau. *in* 4. *dist.*17. *p.*1. *quæst.*3. contritio enim dicitur præparatio, vt à Deo iustificemur; & ibidem ad id adducit *in corpore* illud Psal.59. *Commouisti terram, & conturbasti eam: sana contritiones eius, quia commota est.*

46 Sap.11. *Misereris omnium Domine, & dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam*, quem locum sic exponit S.Bonau. in Commentario. Et Prou.28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Et Isa.43. *Narra, si quid habes, vt iustificeris.* Quæ loca ponderat S. D. *in* 4. *loc. cit. quæst.*4. *in argumentis.* Ioelis 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, &c.* Quem locum agit Seraphicus *in* 4. *dist.* 15. Clarè *Ezech.*18. *&* 33. asseritur.

47 Respondet Vasquez *numer.* 60. loca *Psal.* 50. *Ezech.*18. non indicare iustificationem esse nouam gratiam distinctam à contritione, sed solum effectum contritionis.

In aliis verò locis fatetur *num.*61. insinuari aliam distinctam gratiam suprà pœnitentiam; at nomine pœnitentiæ in illis locis intelligi contritionem charitate perfectam, nullo nos ait, testimonio probare posse.

Sane non video, qua ratione id neget Vasquez. Et primò illud Prou.28. ibi enim dicitur: *Qui reliquerit scelera, misericordiam consequetur.* Cui adde illud Ecclesiast.17. *Quàm magna misericordia, & propitiatio illius conuertentibus ad se.*

48 Illvd autem Ioelis, clarum est: Ait enim: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in Ieiunio.* Vbi Hebræus habet. *Et in ieiunio*, vt ostendat, supponi perfectam contritionem. Et subdit: *Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra; & Conuertimini ad Dominum Deum vestrum.* Obsecro, videant modò aduersarij, quæ maior possit esse conuersio? Totum illud capitulum perlegant, & videbunt.

Qvod verò *in Psal.*50. *& aliis* innuatur distincta gratia, probo: *ibi* enim dicitur in Hebræo: *Sacrificia Dei spiritus contritus, cor contritum, & confractum Deus non despicies. Tunc acceptabis sacrificium*; vbi non despicere idem est, quod acceptare; acceptatur verò, cùm ad misericordiam admittitur, quam initio postulabat clamans: *Miserere mei, &c.*

49 Illvd Ezech.18. nonne clarum est? ibi enim promittitur iustificatio pœnitenti ex corde: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est; vitâ viuet, & non morietur.* Ità nobiscum sentit Suarez 3.*p. tom.*1. *disput.*4. *sect.*8. vbi multas ex his Scripturas affert.

Probatvr tertiò à S.D. *in* 4. *dist.*17. *p.*1. *quæst.*1. *fund.*1. *ex* 3. ad Rom. *Iustificati per gratiam*, vbi Apostolus ostendit, per quæ opera disponamur ad iustificationem, nempè per opera è Diuino auxilio, puta fidem; ideò dicit: *Iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi*; quibus verbis ostendit, fidem esse dispositionem, vt iustificemur. Gratiam verò esse formam quâ iustificamur. Quare nos non afferimus hunc locum, & alia huic similia eo modo, quo Vasquez nobis imponit; quasi iustificatos esse formaliter nos neget Apostolus ex illis operibus, etiam è Diuina gratia prouenientibus, prout opponuntur gratiæ habituali, ac proinde excludit contritionem; sed dicit iustificatos causatiuè ex fide; & formaliter à Gratia, vt loquitur D. Bonau. *dist.*17. *quæst.*2. *in corpore*, & *in opusc. de resurrect. à peccato ante medium*; vbi sic loquitur.

Primo igitur dicendum est, quòd homo absque Diuino Dei adiutorio, seu gratia, non potest resurgere à peccato, & hoc, capiendo gratiam pro habitu ipsius animæ, scilicet, vt est quædam qualitas spiritualis in anima existens. Nam nec gratia illa, quæ dicitur gratuita Dei voluntas, qua nobis Deus condonat offensam, sufficit; nec gratia illa, quæ dicitur liberalis passio Christi, qua mediante fit morbi curatio, & imaginis reformatio, seu requiritur gratia gratum faciens; & hoc patet per illud Apostoli. Rom.3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Et ante: *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.* Et ad Titum 3. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis Spiritus Sancti*, idest per gratiam. Sensus igitur Apostoli est; opera virium nostrarum non iustificare efficaciter, sed solum ex gratia; vt fidem, contritionem; &c. gratiam verò habitualem esse formam. 50

Respondet verò Vasquez, nullum Patrum exponere hunc locum de gratia Habituali. 51

At ità exponitur à S.Bonau. *loc. cit.* & D.Thom. 1. 2. *quæst.*113. *art.*2. qui sunt Ecclesiæ Doctores, Sanctique Canonizati. Et quidem eos inter Patres nominari à procerioribus Scholasticis, patet è Suarez, Bellarmino, & Valentia passim. Prætereà D.Augustinus *lib. de Spiritu, & litt. cap.*9. sic exponit: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, non quod sine voluntate nostra fiat, sed voluntas nostra ostenditur infirma per legem, non constituta sub lege, nec indigens lege.* Iam verò loquitur de gratia ità sanante voluntatem, vt totam seruet legem; Et subdit: *Iusto enim lex non est posita, quæ tamen bona est, si quis ea legitimè vtatur. Hæc duo Apostolus, velut inter se contraria connectens, monet, monetque lectorem ad perscrutandam quæstionem, atque soluendam: Quomodo enim bona est lex, si quis eâ legitimè vtatur, si etiam quod sequitur verum est, sciens hoc, quia iusto lex non est posita? Nam quis legitimè vtitur lege, nisi iustus? at ei non est posita, sed iniusto. An & in iustus vt iustificetur, idest, vt iustus fiat, legitimè lege vti debet, quæ, tanquam pædagogo, perducatur ad gratiam, per quam solam, quod lex iubet, possit implere? Per ipsam quippè iustificatur gratis, idest, nullis suorum operum præcedentibus meritis, alioquin gratia iam non est gratia, quandoquidem ideo datur, non quia bona opera fecimus, sed vt ea facere valeamus, idest, non quia legem impleuimus, sed vt legem implere possimus:* Ille enim dixit: *Non veni soluere legem, sed implere*, de quo dictum est: *Vidimus gloriam eius, gloriam tanquam Vnigeniti à Patre, plenum gratia, & veritate.* Hæc est gloria, de qua dictum est: *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.* Et hæc est gratia, de qua continuò dicit: *Iustificati gratis per gratiam* 52 53

gratiam ipsius. Iniustus ergo legitimè vtitur Lege, vt iustus fiat, quod cum factus fuerit, ea iam non vtatur, tanquam vehiculo, cùm peruenerit. Hîc iustificatum vocat habentem gratiam sanctificantem, & redditum iustum ad seruandam totam Legem perfectissimè ad gratiam, & gloriam Dei, vt Christi, participandam; de qua loquitur Apostolus hîc. Itaque talem vocat sanatum per gratiam, & ex egritudine mortali integratum. Ex quo patet, gratiam sanantem à D. August. vocari Habitualem, quod immeritò negat Vasquez *prima secunde, disp.196. cap.4.num.21.* Non enim benè viuunt homines, nisi priùs sint filij Dei, vt docet D. August. *lib.1. contra duas epistolas Pelagianorum, cap.2.* & in Psalm. 100. ait: *Iustitiam homo non operatur, nisi iustificatus*, & *lib. de spiritu, & litt. adducto, cap.26.* ait: *Sic intelligendum est, factores Legis, nisi iustificentur: vt non iustificatio factoribus accedat, sed vt factores Legis iustificatio præcedat.* Si autem iustificatio fieret per actus charitatis, non esset verum, bona opera esse effectus prædestinationis. Et cap. 30. ait: *Per Legem cognitio peccati; per fidem impetratio gratiæ contra peccatum; per gratiam sanatio animæ abolitione peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrij per liberum arbitrium iustitiæ dilectio, per iustitiæ dilectionem Legis operatio.* Vbi effectum sanitatis animæ, quæ fit per gratiam, qua sanamur à peccato, dicit esse dilectionem iustitiæ; si autem dilectione, & contritione iustificamur, ipsa dilectio non est sanitatis effectus, sed potiùs causa formalis. Quibus magis confirmatur expositio loci Apostoli *eodem libro.*

54

Hæc loca extorquet longiùs Vasquez; sed frustrà, vt patet legenti.

55 Ad primum respondet, non intelligi ibi filios Dei iustificatos; alioqui ante iustificationem nullum esset opus bonum, vel si de operibus ad meritum loquitur, quæ solis iustis competunt, posset dici, eos viuere benè ipsâ contritione; Nil enim curat; An priùs naturâ aliquis debeat fieri filius Dei per habitum; deinde meritoriè viuere.

At quis non videt, nullum esse Dei filium ante iustificationem? Quo ad secundum verò responsum, multò magis est à S. August. alienum; eius enim intentum est, ponere fundamentum operis meritorij, quod est gratia adoptionis filiorum.

56 Ad illud, *cap.26. de Spiritu, & litt.* quo maximè nitimur, respondet, factorem totius Legis sequi iustificationem, vel si de aliquo præcepto implendo loqueretur, intelligeret de impletione præcepti meritoria; non quia prius naturâ deberet homo iustificari, quàm mereri, sed quia operibus meritoriis non esset posteà adiungenda iustificatio.

Hæ tamen responsiones inanes sunt. Prior quidem, quia si actus contritionis, & charitatis super omnia perfectissimus esset forma iustificationis, iam tota lex impleretur; nam plenitudo Legis est dilectio. Similiter redimeretur illud, quod solùm restat, nempè peccatum iam commissum, quod impedire ait Vasquez, ne tota lex dicatur impleta. Itaque ante iustificationem esset lex impleta perfectissimè.

57 Altera verò responsio, quæ ei non placet, etiam mihi futilis est. Si enim de opere meritorio loquitur, iam meriti fundamentum est gratia iustificans, quæ constituit filios; & ideò supponitur merito tanquam causa, non autem quia non esset operibus meritoriis adiungenda postea iustificatio, vt dicit Vasquez. Quæ enim doctrina hæc esset D. August. Iustificationem non accedere factoribus Legis, sed præcedere; Quia iusti iustificandi non sunt?

58 Ad alterum locum eiusdem libri, quo roboratu textus Apostoli, Vasquez respondet *num.7.* per sanationem animæ non intelligi iustificationem animæ; sed robur per auxilia; vel si per sanitatem intelligit iustificationem, hanc assignari, vt aliquid prius, non dilectione charitatis erga Deum, sed dilectione iustitiæ, idest Legis, per quam obseruetur ipsa lex, quia tota lex non obseruatur, nisi à iustificatis; hæc autem doctrina locum haberet, etiamsi per contritionem, vel dilectionem iustificetur. Nam post illam sequitur dilectio, & obseruatio totius Legis. Contra tamen primum responsum sunt verba præclara D. August. consultò, vt reor, à Vasquez omissa. Nam S. August. ait: *Per gratiam sanatio animæ abolitione peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrij, &c.* Loquitur ergo hîc de gratia iustificante. Ex quo habes etiam, gratiam sanantem apud D. August. esse illam, qua remittuntur, seu abolentur peccata. Hunc locum nobiscum exponit Bellarminus *lib. 1. de Iustificatione, cap.13.*

Vrgeo. Nam, vt fatetur Vasquez *disput. 189. num.137. & 138.* & *disp.190. num.132.* per fidem intelliguntur è D. August. & Concilio Trident. auxilia gratiæ, quæ semper interueniunt ad iustificationem; esto aliqua præcedere possint. Igitur dum ait, *per Fidem gratia*; exponi debet gratia sanctificans formaliter; alioqui talis esset ordo; *per Fidem auxilia.* Vbi autem quæso esset iustificatio, ad quam sequitur libera operatio meritoria? 59

Altera verò responsio suprà recitata est; Nam actus perfectissimæ charitatis, & contritionis est totius Legis impletio; alioqui neque posset esse forma iustificationis, non abolendo maculam, quæ restat, inobseruantiæ, neque etiam efficienter id posset, quod secundum est falsum. 60

Alii quoque Patres afferuntur, qui dispositionem contritioni assignant; iustificationem autem esse nouam gratiam aiunt, quibus vno verbo respondet, *num.71.* Eos Patres loqui de pœnitentia imperfecta; sed malè respondet, vt patet eos legenti. D. Chrysost. *homil. 52. in Matth. epist. 5. ad Theodorum lapsum: homil. 2. in 2. ad Cor. homil. 7. in Genes. homil. 80. ad populum Antioch.* S. Fulgentius *epist.7. cap.7.* id dicit clarè, vt refert Suarez *loco cit.* D. Ambrosius *lib. 1. de pœnit.cap.4.* Hieron. *epist.46.* & *ad 6. Michæa*, quem dicit Vasquez, non satis declarasse, iustificationem esse nouam gratiam; Quòd verò obuiet misericordia, & iustitia; infert, redemptionem, in qua misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, esse complendam. 61

Contra enim: Nam subdit exemplum pœnitentiæ Dauidis, qui misericordiam post fletus est consecutus, & ad id explicat parabolam Prodigi, qui post pœnitentiam accepit osculum, id est reconciliationem, vt notat Suarez in illud Michææ 6. *Quid dignum offeram Domino?* vbi neque contritionem dignam, vt ante iustificationem offeratur, astruit S. Hieronymus, quam sententiam laudat Concilium Francoford. *in epistola ad Episcopos Hispaniæ.* 62

Respondet Vasquez difficilius id esse; tamen respondet, nil esse dignum satisfactione, quia satisfactio supponit gratiam, nobis indignis collatam; non quia hâc concessâ, non habeat contritio vim delendi peccatum. Contra enim. Nam subdit exemplum Dauidis, qui dicebat post contritionem. *Amplius* (multum) *laua me ab iniquitate mea.* 63

Cæterum definitio S. Concilij Trident. *sess. 6. cap.7.* in qua asseritur, in iustificatione hominis infundi diuinitus Iustitiam, Charitatem, Fidem, & Spem, saltem implicitè determinat fieri iustificationem per infusionem habitus. Et *can.11.* vbi definitur

charitatem Dei infundi in cordibus renatorum per Spiritum sanctum, iuxta illud Apostoli Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*; non satis potest explicari de actibus, vt notat Valentia *disp.4. quaest.3. punct.4.* Vega *loco cit.* Bellarm. *capite 3.*

64 Respondet Vasquez *num.115.* actus etiam infundi, quod probat primò; Quia Concilium Trident. *sess.6. cap.6.* habet, Christum in iustificatos virtutem influere; at influere est idem, ac infundere.

At hoc falsum omnino est. Influere enim est agere virtute suâ; sicut dicitur de cælis, & astris communiter à Philosophis, quæ vnam cum aliis agunt concausis.

Probat secundò è Concilio Arausl.II. *can.4.* vbi dicitur, per infusionem Spiritus sancti fieri in nobis, vt velimus sanari, quod sanè per infusionem alicuius auxilij actualis fit.

65 Respondetur, deprauari à Vasquez locum illum. Sic enim canon loquitur: *Si quis, vt à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus per Sancti Spiritus infusionem, & operationem in nos fieri confitetur, resistit Spiritui Sancto, per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino; & Apostolo salubriter prædicanti: Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.*

Ex quo Canone vrgens contra Vasquez habeo argumentum. Nam ibi *canone cit.* definit distinctim infusionem Spiritus sancti ab operatione auxilij, id est ea, qua velimus; & infusionem, qua perficiamur. Non ergo actus infunduntur, sed potiùs ab infusione distinguuntur.

66 Addit S.Fulgentium *lib. de Incarnatione, cap.22.* vbi ait: *Fidem ipsam nobis infundi*, Loquitur autem de actu fidei.

At S.Fulgentius dicit, ipsam fidem, id est habitum, quo nos præparemus, contra Semipelagianos, qui admittebant habitum fidei post nostram præparationem.

Obiicit tertiò Orationem *Dom.5. post Pent.* qua dicitur: *Infunde cordibus nostris tui amoris affectum.*

Respondetur, postulari infusionem habitus charitatis, & idcò subditur. *Vt te in omnibus, & super omnia diligentes, &c.*

67 Obiicit quartò. Ecclesia in Hymno Pent. canit.
Infunde amorem cordibus.

Respondetur, postulari habitum charitatis; & subdit, petens auxilia actualia.
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Obiicit quintò Ambrosium *in 2. Lucæ*, vbi tum solùm dicit infusam à Sancto spiritu notitiam, quæ fuerat Zachariæ pronunciata; nempe nomen Ioannis, & rationes, quibus tale nomen è cælo ei debebatur, & totam seriem vitæ filij, quod sanè actum, non aliquid habituale dicit.

Tandem obiicit orationem *Dom. 6.* post Pent. *Insere pectoribus nostris amorem tui nominis.*

Respondetur, inserere, esse infundere habitum. Sic loquitur Ecclesia etiam in Hymno Quadragesimæ. His adde, actus nunquam dici diffusos, sicuti de gratia, & habitibus cæteris, ait Concilium ex Apostolo.

68 Præterea Concilium Tridentinum sæpè astruit contritionem, & actum dilectionis, esse dispositiones ad iustificationem subsequentem: Ergo non possunt esse forma illius. Primò quidem *sess.6. cap.6.* & 7. id asserit: Deinde *can.3.* definit: *Si quis dixerit, sine præuenientis Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit.* Vbi definit, iustificationem sequentem ad actus contritionis, & dilectionis perfectissimos, esse nouam gratiam, vt notat Suarez 3. *part. tom.1. disp.4. sect.8.* vbi ait: *Id adeò certum, vt sine temeritate negari non possit.*

Præterea *sess.14. cap.4.* ait; contritionem fuisse quouis tempore necessariam ad impetrandam veniam peccatorum. 69

Respondet Vasquez *num.89.* nullibi Concilium assignare contritionem perfectam, tanquam dispositionem ad iustificationem; imò verò ipsi contritioni attribui iustificationem.

Contra primò. Nam Concilium ait, *cap.7.* contritionem, (quæ sanè perfecta est) descriptam præcedentibus capitibus, semper fuisse necessariam, ad impetrandam veniam peccatorum; non enim imperfecta antiquitus ante Legem gratiæ impetrabat veniam, vt notat Fauentinus *in 4. dist.14. d.17. num.14.* Suarez *loco nuper adducto.* Ergo loquitur de illa, quæ est proxima dispositio, atque contritio perfecta, quæ ante Sacramentum erat necessaria.

Hanc dispositionem, seu præparationem iustificatio ipsa consequitur: at iustificatio non consequitur attritionem; sed contritionem, vt notat Fauentinus *loco cit.* Præterea Concilium dicit, contritionem, de qua loquitur, inter actus pœnitentis primum locum obtinere: Ergo de perfecta loquitur, vt obseruat Mastrius *num. 223.* & 224. qui obseruat, Concilium *sess.14.* vbi fatetur Vasquez de vera contritione agi, rursus asserere, eam esse præparationem. 70

Deinde testimonia Scripturæ, adducta à Concilio Trident. statis clarè loquuntur de perfecta contritione.

Præterea vrgeo ipsis verbis Concilij, quibus contra nos vtitur Vasquez *num. 105.* *Docet præterea (S.Synodus) etsi contritionem hanc charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Neque verò hic incipit agere de perfecta contritione; sed potiùs de ea, quæ tamen contingenter potest esse talis. 71

Secundo, eo modo adscribendam docet contritioni Iustificationem, quo suprà locutum fuerat (non enim nouum modum explicat, neque negligit necessaria) sed supra, ei, tanquam dispositioni, adscribit iustificationem: Ergo & hîc.

Porro contritionem esse meram dispositionem sentiunt D.Thom. *prima secundæ, quæst.113. art.8.* & alij cum D.Bonauent. *in 4. dist.17. p. p. art.2. quæst.2. in corpore, & ad 1.* Alensis 4. *quæst.73. memb.3.* Durandus *in 4. dist.17. quæst.1. num.8.* & communis sententia TT. quidquid renitatur Vasquez *num.111.* 72

Præterea Concilium Trident. *sess.6. cap.7.* definit, vnicam esse causam formalem iustificationis. Tunc sic arguo: Vnica est causa formalis iustificationis in vniuersum ex Concilio Trident. sed causa formalis in infantibus, & in adultis, est gratia habitualis, vt ipse Vasquez fatetur *cap.6.* Ergo vbique eadem est semper.

Respondet Vasquez *num. 112.* esse vnam tantùm, id est, non esse iustitiam imperfectam, & imputationem, vt dicebant hæretici. Contra primò, quia hanc iustitiam subdit esse infusam, & diffusam; quod de actibus non potest dici, vt suprà ostendi. Contra secundò ex Bellarmino: Nam Concilium negat, nos per actualem iustitiam formaliter iustificari, dum habitualem ponit. Adde Cathechismum Romanum 73

num de Baptismo, vbi ait: *Est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus pœnâ anathematis credendum decreuit, Diuina qualitas in anima inhærens, ac veluti splendor quedam & lux, &c.*

Multas quoque rationes colligo è S. Bonauentura pro hac assertione.

PRIMA ratio est *in 2. dist. 26. quæst.2. fund.3.* Si gratia iustificans est actus: Ergo nihil ponit ampliùs in gratificato, quàm in non gratificato ex parte Dei, nisi quando, & prout operatur: Ergo non erit gratia in paruulis, & dormientibus, magis quàm in peccatoribus. Sed hoc est alienum à fide: Ergo.

74 RESPONDET Vasquez *num.*120. concedendo in paruulis, & in adultis ex vi Sacramenti gratiam poni per habitum infusum.

At ostendam, vim argumenti non retundi. Primò, quia ex Concilio Trident. vna est forma iustificationis, quæ est habitus, vt suprà: Vnde si in paruulis, & in recipientibus Sacramentum aliquod, est habitus, idem erit in omnibus. Deinde si contritio, vel dilectio in cæteris est forma, iam oportebit dicere, gratiam hanc, se tenere etiam ex parte nostra, cum tamen vbique clamet Scriptura, nos ex infusione Spiritus sancti iustificari, quod è Concilio Arausi. suprà adducto, non stat in actibus, vt notat Bellarm. *loco cit. cap.*15. in fine.

QVARE oportet dare aliquid, quo iustus sit, non solùm cum operatur, sed etiam cum cessat ab opere; ita, vt semper sit habitaculum Spiritus sancti, vt docet Concilium Trident. ex 5. *ad Rom.* sicuti semper est peccator, etiam transacto actu peccati, vt notat etiam Bellarm. *loco cit.* post Seraphicum *in primo dist.*17. *p.p. quæst.*1. *fund.*5.

75 PRÆTEREA tota iustificationis intensio adscribenda esset nobis, quia non est intensior actus, quam à nobis producatur, neque actus præcedit, sed comitatur. Si quid etiam maioris est in eo dispositionis, à se habet, cum auxilio sanè Diuino. At Concilium Trident. *sess.*6. *cap.*7. ait, vnicam esse causam formalem iustificationis, diffusam per Spiritum sanctum in nobis. Et: *Iustitiam in nobis recipientes vnusquisque secundùm suam mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.* Vbi duo habes. Alterum est, actus nostros esse ante iustificationem: alterum, eam dari etiam ex Diuina gratificatione, & voluntate.

76 CONFIRMATVR à D.Bonauent. *in corpore.* Primò, quia datur gratia à Deo post actus nostros, ita vt gratia à Deo data, postea augeatur. Quænam autem augmentatio erit, si in actibus stat? Idem argumentum habet Seraphicus *loc.cit. quæst.*3. *fundamento* 3.

DEINDE, quia iustificatio in gratia per modum habitus exprimitur, vt patet è nouem attributis allatis *quæstione* 1.

77 PROBATVR etiam à S. D. 4. *part. Breuil. cap.*4. ratione relata *disp.*2. *quæst.*3. Omnis operatio supponit statum naturæ permanentem, perfectum; sed prima operatio, ad Diuina merenda, est charitas: Ergo supponit statum gratiæ habitualis. Totum argumentum est D.Dionysij Areopagitæ *cap.*2. *p.p. de Eccl. Hier.* vbi ait: *Primus ad Diuina motus, Dei dilectio est. Porro sacra dilectionis ad Diuina mandata faciendaprincipalis omnino progressus, est secretissima illa, & ineffabilis operatio, quæ Diuinus in nobis status efficitur.*

SANE per aliquem actum non satis ostenditur genitus hic status.

78 Confirmatur à simili: Sicut enim ad operationem in naturalibus requiritur natura permanens, v. g. in igne ad calefaciendum, substantia firma ignis, &c. Ità & in supernaturalibus. Hoc argumentum Scoto adscribit Mastrius, *num.*215. & est à priori, vt notat Card. de Lugo.

NEQVE hinc sequitur, non posse esse actum dilectionis præcedentem, ac disponentem ad gratiam. Nam S.Dionysius loquitur de eo, quo tota lex perfectè vsque ad finem seruatur.

PROBATVR adhuc à D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 17. 79
*quæst.*1. *fund.*1. Id, quo tollitur habitualis priuatio, debet esse forma habitualis; sed gratia tollitur maculâ habitualis culpæ: Ergo est habitus. Quòd verò principium gratiæ, relatum ad præcedentem voluntatem peccatoris, sit habitualis, probatur à Suarez 3. *part. tom.*4. *disp.*9. *sect.*3. *num.*13. à simili: Nam carentia iustitiæ Originalis, quæ erat habitus, est peccatum originis, quatenus est voluntaria in Adam.

PROBATVR secundò *in corpore.* Id, quo anima redditur habilis ad bonum, est habitus: Sed gratiâ redditur habilis ad bonum: Ergo. Maior patet. Minor probatur: Per eam enim redditur habilis ad meritum; imò ad multa opera bona secundùm substantiam, vt habet Concilium Mileuit. relatum *disputatione* 2.

PROBATVR secundò à D.Bonau. *quæst.*3. *fund.*2.
Id, quod est via ad aliud, non est forma illius: sed 80
perfecta contritio est via ad iustificationem: Ergo. Ma: est euidens, & concessa à Vasquez. Mi: probatur à D. Bonauentura è D. Augustin. ad illud Psalm.84. *Iustitia ante eum ambulabit*, vbi ait: *Iustitia illa est, quæ est in confessione peccatorum. Veritas enim ipsa est, Iustus enim debes esse in te, vt punias te: ipsa prima est hominis iustitia, ipsa fit via Deo, vt veniat ad te Deus.* Et ne Vasquez dicat *hic* sermonem esse de sola attritione, quæ est pars Sacramenti Pœnitentiæ, subdit D. August. *Ideò & Ioannes cùm baptizaret, & vellet ad se venire pænitentes, dicebat hoc: Parate viam Domino.* Tunc autem Ioannes non ad attritionem cum confessione, non adhuc instituta, eos edocebat, sed ad perfectam pœnitentiam contritionis.

PROBATVR quoque à D.Bonau. *in primo, dist.*17. 81
*p. p. quæst.*1. *fund.*6. Id, quod est ratio, constituens in actû primò ad operationem, est primum operatione: Sed habitus charitatis constituit hominem in actu primo ad opera sancta amoris: Ergo. Ma: patet. Mi: probatur; alioqui nos ideò essemus boni, quia bona facimus, quod est contra dogma D. August. *Nam, imò bona facimus, quia iusti, & boni sumus.* Cùm autem aliquis ex bonis actibus aptus fit ad benè operandum, acquirit habitum, nec actus sufficit: Ergo.

PLVRIMA congerit Vasquez, vt suæ opinioni fundamenta struat.

PRIMO refert Scripturas, quæ dilectioni attribu- 82
unt animæ sanctitatem, communicationem cum Deo, & purgationem à peccatis. Ioan.14. *Si quis diligit me, mandata mea seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Coloss. 1. Charitas dicitur *vinculum perfectionis.* Prima Tim. dicitur: *Finis præcepti.* Rom. 13. dicitur, *Plenitudo Legis.* His locis dilectio dicitur: *Iustitia nostra.* Præterea eidem adscribitur remissio peccatorum. Prou. 10. *Vniuersa delicta operit charitas.* Prima Petri 4. *Operit multitudinem peccatorum.* Itaque actus dilectionis potest relinquere aliquem in statu habituali sanctitatis; sicuti actus peccati cum ponit in habituali statu perditionis.

RESPONDETVR è Seraphico locis adductis, cha- 83
ritatem esse causam dispositiuam nostræ iustificationis, vt dixi *disp.*2. *quæst.*3. Ad singula verò exactiùs dico.

AD primum respondet S.Bonauent. ad eum locum, non

non loqui Ioannem de aduentu per gratiam; nam supponit huic aduentui obseruantiam perfectam mandatorum, sed loquitur de aduentu per vberiorem gratiam ad permanendum. Agit autem hic de manifestatione dilectionis per exhibitionem operum à viris vtique iustis. Adducit D.Aug. *serm.76.in Ioan.* Vel si de aduentu in prima gratia intelligitur, debet charitati efficienter, tanquam noua gratia, adscribi iustificatio. Sic enim sonant verba: *Si quis diligit me, mandata mea seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, &c.* Sic exponitur à Seraphico, *in Compend. Theol. lib.5. cap.25.* vbi plura Scripturæ loca habet, præcipuè id Lucæ 7. *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

84 Addo hos effectus etiam aliis virtutibus adscribi, vt eleemosynæ. Quare hic locus est pro nostra sententia.

Ad secundum respondetur, esse vinculum perfectionis formale, quatenus forma perfectionis est charitatis perfectio.

85 Ad tertium respondetur ex D.Bonauent. *in Dieta, tit.3. cap.1.* charitatem esse finem Legis, quia tota series præceptorum ad perfectionem charitatis ordinatur; sed quid tum? similiter *in opusc. de resurrectione à peccato, in calce*, respondet finem Legis charitatem, quia charitas, coniuncta gratiæ, efficit obseruantiam perfectam. Et ad id exponit etiam locum allatum *Rom.12.* quæ de habitu intelliguntur, & *lib.2. Pharetra, cap.35.* exponit è D.August. *tract. de laude charitatis*, illum sapientem, & obseruatorem Legis, qui habet charitatem.

Ad illud D.Petri respondet S. Bonauent. *de septem Itineribus Æter. itinere 4. dist.4. art.3.* & *in Medit. vita Christi, cap.38.* ad illud Lucæ 7. *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; charitatem efficienter animam ad actus contrarios peccatoris aptare, & informare omnes virtutes, vt habitus est; ita vt homo coram Deo virtutibus omnibus ornatus sit; & ideò peccata omnia euanescent, nec amplius appareant. Ibi vide multas de charitate Scripturas, vt scias, charitate iustificari efficienter, vt habetur *Iacobi 2.* & Concilij Trident. *sess.6. cap.10.* Neque est simile de statu peccati. Nam in eo manet solùm moraliter; at in statu gratiæ physicè, & moraliter.

86 Obiicit deinde PP. è quibus primum D.August. *lib. de natura, & gratia, cap.42.* & cap.vlt. quibus respondi *disp.2. quæst.3.* charitatem esse iustitiam concomitanter ratione gratiæ.

Affert deinde locum *lib.3. de Doctrina Christ. cap.10.* vbi charitatem vocat motum animi ad fruendum Deo propter ipsum perfectè, & proximo propter Deum.

87 Respondet D.Bonauent. 3. *part. Centil. sect.40.* loqui de charitate ratione actus, attamen coniungere efficienter, sicut quoad habitum dicitur. 1. Tim. *loco cit. Charitas est finis præcepti de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Ità D. Bonauent. & post eum in his responsionibus Caspensis, *disput.5. sect.3.*

Obiicit etiam eos Patres, qui purgationem, & remissionem peccatorum adscribunt charitati. Chrysostomus *homil.7. in 2. ad Tim.* comparat eam igni purganti, De quo D. Bonauent. *in Dieta salut. tit.5. cap.2.* Hieronymus *epist.27.* Idem docet Gregor. *homil.33.* dicens, rubiginem peccati auferri igne charitatis. D.Bernardus *serm.83. in Cant.* vbi dilectionem comparat vnioni maritali, & complexui.

88 Respondetur è Seraphico *lib.2. Pharetra, c.25.* esse complexum, & vnionem efficienter; non formaliter.

Locus verò D. Bernardi, quo maximè nititur Vasquez, quasi fundamento inconcusso, tractatur à D. Bonauent. *collat.11. in caput 2. Ioannis.* Respondet ergo, Vnionem esse indiuisam in habitu gratiæ formaliter; efficienter verò, etiam in actibus dilectionis.

Adducit etiam S.Bernardum, *serm.3. de Timore Dei, in lib. de modo benè viuendi*, vbi ait: *Timor sanctus, quia inducit charitatem perfectam; perfecta enim charitas, est perfecta sanctitas.*

Respondetur è D. Bonauent. *lib. 4. Pharetra, cap.45. §.de Timore, & amore*, sensum esse ex eodem D. Bernardo, *lib.5. de consider.* sanctam affectionem facere sanctum; & timorem, atque amorem veluti duo brachia complecti Dominum. 89

Adducit etiam D. August. *tract.9. in epist. Ioan.* vbi charitas dicitur *sanitas animæ*: Ergo est formaliter iustificans.

Mirum est, Vasquez, qui, vt vidimus in nostris argumentis, clamat apud D. August. sanantem gratiam, non esse gratiam iustificantem, sed auxilia actualia roborantia liberum arbitrium; mox, sui immemorem, velle, esse gratiam iustificantem in D. Augustini idiomate.

Respondetur verò à D. Bonauent. *lib.2. Pharetra, cap.25.* Charitatem esse sanitatem animæ efficienter, vt patet ex multis locis D. August. ibi allatis, præsertim super eandem epistolam Ioan. & *epist.167.* Quòd verò D. Augustinus *eodem tract.* ait; Charitatem esse animæ pulchritudinem. 90

Respondet D.Bonauent. *loco cit. Pharetra*, Charitatem esse animæ pulchritudinem, quia in Deum transire facit efficienter; Vnde ait ibi D.August. *Talis est quisque, qualis eius dilectio est. Terram diligis? terra es. Deum diligis: quid dicam? Deus es. Ego inquit, dixi: Dij estis? hoc enim in amore est proprium, vt amantem ad amatum trahat, & in eius voluntatem vertat, & ei vniat. Hinc amor pulchri est pulchritudo quadam, non autem quòd sit formalis ratio iustificans.*

Quare frustra Vasquez clamat. Quisquis huic sententiæ repugnat, aperto marte, Augustino aduersari. 91

Affert etiam D. Gregorium *homil.33. in Euang.* vbi ait: *Quid esse dilectionem credimus nisi ignem; & quid culpam nisi rubiginem?* & *homil.38.* ait, Charitatem esse vestem nuptialem: Operit enim multitudinem peccatorum, vt dicitur 1. Petri. D.Chrysostomum *homil.7. in 2. ad Tim.* vbi docet, Charitatem esse ignem, qui comburit syluam peccatorum.

Respondet D. Bonauent. *in Dieta tit.5. cap.2.* Idem de habitu verum esse, qui excludit peccatum, tollit rubiginem prauorum habituum, recta operando; & ità excludere actus peccati. 92

Multas quoque congerunt rationes, quas non impigrè soluam.

Prima ratio est. Si aliquis peccator assumeretur ad videndum, & amandum Deum, iste absque vllo habitu gratiæ, Charitatis, vel luminis, esset iustus; non enim stat beatitudo cum peccato; illa autem delectio maculæ dilectioni actuali esset adscribenda.

Respondetur primò è S. Bonauent. 4. *dist. 17. quæst.1. in corpore*, nos secundùm Legem Dei ordinariam habere dogmata fidei, maximè de iustificatione; potuisset enim Deus etiam absque Baptismo iustificare ab Originali, & tamen de fide necessarius est Baptismus. Quoad videntem Deum, dico primò cum Suarez, *lib.7. de gratia, cap.13.* beatam visionem non esse formam sanctificantem. At esto de dilectione patriæ, quæ est perfectissima amicitia cum Deo, negandum de dilectione viæ, vt notant Amicus, & Mastrius. 93

Secvnda

94 Secunda ratio est. Qui diligeret Deum absque habitu, diceretur vnus spiritus cum eo, quia esset vnus cum eo affectu, & voluntate: Ergo esset iustus. Probatur consequentia, quia esset primæ regulæ conformis. Sic & maneret in Deo, & Deus in illo.

Respondetur cum D.Bonau. adducto *q.1.dist.2.* Tunc non futuros Deo amicos absque mutatione, correspondente priuationi, quæ est habitualis. Neque esset amicitia, etiamsi peccator actu Deum diligeret, quia hæc dilectio non infert mutuam Dei erga nos amicitiam, quæ requiritur ad faciendum vnum spiritum.

Vrget adhuc. Qui iustificatur actu contritionis, vel charitatis, aliter iustificatur, quàm infans, qui solo habitu iustificatur. Igitur ille adhuc ablato habitu esset iustus.

95 Respondetur, cum, sublatò habitu, non futurum sanctum; gratia etenim est forma sanctitatis.

Dices. Per contritionem aufertur totum id, quod relinquitur ex peccato.

Respondetur, tolli id, quod est voluntarium auersionis, non autem quatenus ex parte Dei est rationabile odium in peccatorem, quod non tolletur satis per retractationem, præcisâ Diuina condescentione. Ita Mastrius, & ferè Ouiedus. Vel dic cum Hiribarne *disp.14. sect.4.* tolli peccatum, quatenus est priuatio conformitatis ad virtutem, quæ est ratio peccati philosophicè; non autem, vt est subtractio honoris Dei, & consideratur Theologicè.

96 Tandem hanc rationem adiungit, cui maximè fidit: Dilectio Dei potentior est, vt conuertat animam ad Deum finem vltimum, quam voluntas primi parentis ad auertendum posteros à Deo. Poterit ergo quis existens in originali per solam dilectionem sine habitu emundari ab Originali. Tolli autem maculam patet, quia peccatum est auersio à Deo. Ergo per conuersionem tollitur. Probatur Anteced. quia filij Adæ auersi sunt alienâ voluntate: Ergo propriâ possunt conuerti. Hos autem actus sufficere ad delendam maculam, quæ remanet post peccatum, Probatur. Nam illa macula, vel est priuatio nitoris animæ, & hæc tolli potest per quamlibet sanctitatem; vel est relatio auersionis à Deo; & hæc tollitur per conuersionem.

Hac ratione ait Vasquez opprimi multos Recentiores.

97 Respondetur tamen facilè è D.Bonauent. *in 2. dist.32. quæst.2. ad 2.* non esse hunc modum rectum in his materiis argumentandi: nam hæc pendent ex Dei institutione. Sicut igitur non valet. Potentior est Passio Christi, quàm peccatum Adæ: Ergo per passionem Christi absque alio medio delentur omnia peccata. Vel: Ergo passione Christi, & Baptismo deletur originale cum fomite: Ita igitur & hîc, non est potentior ad hoc contritio, cùm à Deo non sit ad hoc tali pacto ordinata; sed per infusionem habitus.

98 Bene potest argui. Potentior est vis regeneratiua Baptismi, quàm sit ipsa vis propagatiua generationis corrupta, sed quia generatiua vis in voluntatem alienam diffundit peccatum sine delectatione; sequitur & regeneratiuam, sine dolore opposito in voluntate propria, delere originale. Sic autem arguitur, supposito fundamento institutionis mediorum salutis, a qua pendent eorum effectus. Quod verò subdit; respondetur, peccati maculam esse auersionem habitualem à Deo, & carentiam rectitudinis debitæ ipsi actui præterito cum priuatione habitualis gratiæ, à quo est nitor animæ. Priuatio autem habitualis non tollitur, nisi per habitum, vt ritè arguit Seraphicus, adductus *disp.2. quæst.1.* & post eum Bellarminus *lib.2. de Iustific. cap.16.* Hæc autem conformitas fit per habitum gratiæ, & charitatis, & aliarum virtutum, quæ infunduntur.

Tandem arguit. Si contritio non haberet vim iustificandi formaliter, sequeretur, contritionem non requiri è iure Diuino naturali; sed solo Diuino positiuo ad iustificationem, quæ fit actu proprio extra Sacramentum. 99

Respondetur, negando sequelam. Cùm enim sit necessaria dispositio ex natura rei, non potest à forma separari; nam inter accidentia disponentia, & formam est naturalis connexio.

Ideo Caspensis *disp.5. sect.3.* addit, neque per Dei potentiam, posse contritionem esse formam iustificationis; ratio est, quia dispositio non potest esse ipsa forma, sed contritio est dispositio ad formam iustificationis: Ergo. Ma: probatur: Quia enim calor est dispositio ad formam ignis, non potest esse ipsa forma ignis. 100

Addo, probabile esse, posse per Dei potentiam, hominem per actus iustificari. Probatur: Quia nulla extat implicantia. Et rationes in oppositum, solùm de facto cogunt. Vide Mastrium à *num.228.*

QVÆSTIO III.

An Ivstificatio *fiat per solam præcisam formam* Gratiæ *physicam: An requiratur etiam Diuina acceptatio.*

Prima opinio est, Gratiam habitualem esse formam adeò perfectam ad animam sanctificandam, Deoque acceptam reddendam, vt nullo penitus fauore, nullaque egeat acceptatione. Ità Aureolus *in primo dist.17. quæst.1. art.2.* Capreolus *quæst.1.* Ruardus *art.8.* Sotus de naturâ, & gratiâ *cap.18.* & *in 4. dist.15. quæst.1. art.2.*

Hanc sententiam amplecti tenentur quotquot asserunt, gratiam peccato opponi suapte natura physicè; Hinc enim sequitur, gratiam suapte virtute esse peccati expulsiuam. Hi sunt D.Th.1.2. *q.24.art.10.* Caiet. ibidem, Sotus *loc.cit.* Vasquez *prima secunda, disp.204.* qui etiam, atque etiam demiratur, antiquos Theologos, quos referam pro secunda sententia, tam abiectè de gratia sensisse. Modernos verò ausos, post præclaram Concilij Trident' definitionem adhuc gratiæ virtuti detrahere; omnesque cum hæreticis infarcit.

Eandem sententiam sustinent Medina *quæst.119. art.4.* Bellarm. *lib.2. de Iustific. cap.16.* Valentia *disp.8. quæst.2. punct.3.* Caspensis *disp.5. sect.3.* Turrianus, Ouied. Mærac. Pasqualigo, Hacquet. Suarez, Curiel, Lorca, Motesinus, Becanus, Serra, & alij Recentiores apud Morandum *tract.4. quæst.10.* Mastrium *tom.2. disp.7. quæst.1.* Arriagam *disp.14. sect.1.* dicentem, esse ferè communem. 101

Enim verò proceriores Theologi antiqui, Catholicis nixi fundamentis, asserunt, gratiam suâ virtute physica non sufficere ad hominem Deo acceptum reddendum; sed requiri etiam Diuinam acceptationem, & fauorem; non quidem nouum singulis vicibus, vt nobis inurit Vasquez, sed primum antecedentem, quo statuit, vt quicunque eum habitum induerit, sit sibi acceptus, & gratus. Ità tenent omnes, qui asserunt, gratiam, & peccatum non esse contraria physicè, sed solùm moraliter. Ità Richardus *in 3. dist.31. quæst.1.* Scotus *in 4. dist.16. quæst.2. §. Respondeo*, & *in primo, dist.17. quæst.2. §. De secundo*, & *in 2. dist.27.* ibi Hacquet. & Arretin. Hiribarnes *disp.14. sect.3.* Poncius *disput.34. quæst.3.* Faber 3. *disp.42.*

disp. 42. & *disp.* 1. *de Pœnit. cap.* 9. Vulpes *tom.* 1. *part.* 3. *disp.* 14. *art.* 3. Coninch. *disp.* 21. *de habitu charitatis*, *dub.* 8. Morandus *loco cit.* Lessius 14. *de Diuina perfectione*, *cap.* 2. qui alios adducunt. Est etiam Nominalium apud Suarez *lib.* 7. *cap.* 1. Gabrielis 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. *art.* 2. Ochami 4. *quæst.* 3. *litt. E.* & Ioan. Medinæ *Cod. de pœnit. quæst.* 12. §. *Corolariè sequitur.*

102 Eam porrò sententiam sequuntur quotquot censent, gratiam à peccato non physicè tolli, sed demeritoriè. Ità D. Bonauent. *in primo*, *dist.* 17. *part.* 1. *quæst.* 3. *ad argumenta*, & *in* 3. *dist.* 31. *quæst.* 1. *ad* 2. Nec inferas, eum tenere acceptationem notiam, dum ait *disp.* 17. videntem gratiam physicè, non illicò videre esse gratuitum; loquitur enim de abstrahente. Idem sentiunt Scotus *loco cit. & in* 2. *dist.* 37. *quæst.* 1. §. *Ad solutionem*, Durandus *primo*, *dist.* 17. *quæst.* 10. *& in* 3. *dist.* 31. *quæst.* 1. Palud. 3. *dist.* 28. *quæst* 3. *art.* 3. Conrad. 2. 2. *quæst.* 71. *art.* 4. qui duo afferunt in hanc sententiam etiam D. Thomam. Gabr. *in primo*, *dist.* 17. *quæst* 4. *art.* 3. *dist.* 3. & *in* 3. *dist.* 23. *quæst.* 2. *art.* 3. His adde eos, qui gratiam monetæ comparant, quæ pretium accipit ex arbitrio Regis. Ità Nominales, Ocham *primo*, *dist.* 17. *quæst.* 1. Gregor. *ibi*, *art.* 2. Gabr. *quæst.* 1. *art.* 1. & *art.* 3. *dist.* 4. Aliac. 1. *quæst.* 9. *art.* 2. è Thomistis Victoria, & Cano, & passim Recentiores, Fuliensis *lib.* 4. *cap.* 10.

103 Asserro cum hac sententia, vltrà gratiam habitualem requiri etiam Dei fauorem, & ordinationem ad Iustificationem, modò suprà explicito.

Probatvr primò ex dictis *tract.* 5. *quæst.* 6. vbi latè ostendi, gratiam non opponi physicè peccato. Ex quo sequitur, gratiam è sua physica entitate non expellere peccatum.

Confirmatvr. Nam si physicè pellerent se, iam peccatum annihilaret gratiam: sed hoc est absonum: Ergo. Probatur sequela. Id quod creatur à Deo non destruitur, nisi per annihilationem; sed gratia creatur ex dictis *p. p. tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 8. & habet D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 42. *art.* 2. *quæst.* 2. Ergo. Maior probatur. Nam annihilatio est agentis, operantis absque subiecto, sicut & creatio.

104 Caietanvs, & Medina *loco cit.* respondent, gratiam solùm dispositiuè à peccato destrui. Iam igitur concedunt, illam formaliter à solo Deo annihilari. Infero. Ergo non opponuntur formaliter gratia, & peccatum, sed solùm in dispositionibus.

Respondet Vasquez *disp.* 91. *cap.* 3. nihil referre, etsi à Deo solo creetur, nam sufficit, habere contrarium, sicut accidentia Sacramentalia conseruantur à solo Deo; & tamen ab agente creato possunt corrumpi.

Contra primò. Quia Sacramentalia accidentia non annihilantur, vt patet. Deinde peccatum, quod est tale solùm, quia vetitum, vt esus carnium Sabbatho, per Vasquez, est mera relatio rationis disconuenientiæ, nec habet quid physicum oppositum gratiæ.

Videtvr, posse probari secundò è D. Bonauent. *in primo*, *dist.* 17. *part.* 1. *quæst.* 3. *ad* 1. de charitate. Si charitas absque acceptatione faceret sanctum, posset aliquis in via certò scire, se esse gratum Deo, cognoscens in se habitum charitatis, seu habitudinem ad actus.

105 Respondetvr, concedendo sequelam. Nam cùm gratia habeat ex primo decreto adiunctam acceptationem, non egeat noua, vt nos fatemur, ne cum hæreticis in hoc conueniamus; non est dubium, quin videns in se gratiam, videret etiam acceptationem, quia ex fide id nouimus consequi.

Contra. Dices, in charitatis actibus acceptatio est quid in acceptante liberum semper; vnde, quia habet adiunctam etiam charitatem, quæ eget acceptatione actuum, à quibus pendet & gratia, non potest id sciri certò. Hæc tamen ratio neque de charitate concludit; nec apud Seraphicum est valida; nec apud alios, quia posito habitu, habes, hominem iam apud Deum esse acceptum.

Probatvr tertiò. Deus Potest hominem peccatorem beatificare, & in eo conseruare gratiam habitualem. Ergo non opponuntur formaliter. Probatur conseq. Nam effectum formalem nequit Deus separare. Anteced. conceditur à Medina, & aliis. Si ergo non habent oppositionem formalem: Ergo gratia è sua virtute non expellit formaliter peccatum. 106

Probatvr quartò, ratione indicata à S. D. *in* 4. *dist.* 17. *part.* 1. *quæst.* 1. argumento, quo vtuntur Scotistæ. Potest Deus absque contradictione hominem peccatorem iustificare, & culpam delere mortalem, eumque reddere acceptum: Ergo ratio formalis acceptationis non est ipsi gratiæ habituali essentialis; alioqui non posset à Deo suppleri. Ratio verò antecedentis, quia ratio offensæ est quid morale; & ideò tolli debet etiam per aliquid morale contrarium; hoc autem est condonatio. 107

Vrgeo. Nam, cum ratio peccati sit offensa infinita, ratione offensi Infiniti, non potest à gratia creata adæquari. Sed de hoc *quæst.* 7.

Probatvr quintò *loco cit. arg.* 4. Si gratia, solâ suâ virtute physica pellit peccatum, non addita Diuina acceptatione; vel delet, quando est iam creata (aut educta de potentia obedientiali, vt aduersarij dicunt) vel quando non est. Hoc secundum est falsissimum, quia operari sequitur ad esse. Si primum; Contra: effectus formalis gratiæ est reddere Deo gratum: Ergo primum operari est reddere Deo gratum subiectum, in quo creatur, vel producitur; sed non potest esse gratus, nisi prius sit expulsum peccatum: Ergo ante primum effectum formalem gratiæ adhuc non est expulsum peccatum: Ergo non repugnat formaliter physicæ entitati gratiæ. 108

Respondebvnt, gratiam in sui primo esse expellere culpam; & ita primum esse gratiæ, esse primum non esse peccati, sicuti in aliis formis contrariis physicis; nam calor expellit hoc pacto frigus, &c.

Tvnc sic: Gratia in primo signo sui esse, pellit peccatum; sicut forma pellit priuationem, vel vt forma formam, in sententia eorum, qui ponunt, peccatum esse positiuum; & sanctum reddit. Hi autem sunt duo motus, alter altero prior; & quidem prior est expulsio peccati; & sanè tunc est gratia: Ergo datur aliquod instans, in quo non adhuc reddit sanctum, etiamsi habeat effectum formalem; esse autem duas mutationes, ostendam in responsione ad argumentum secundum, & *quæst.* 13. 109

Probatvr sextò è D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 2. argumento sumpto è quibusdam officiis gratiæ, quibus sola entitas physica gratiæ non potest supplere; sicuti nec solus fauor externus. Gratia enim reddit eum, qui prius erat inimicus, iniustus, & reus læsæ Maiestatis, amicum, acceptabilem, vnitum, charum Deo; sed hoc non potest facere simplex entitas accidentis, seclusa Diuina ordinatione acceptandi: Ergo. Ma: patet è Scripturis allatis *disp.* 2. *quæst.* 1. & *disp. hac*, *quæst.* 1. & 2. Mi: probatur. Nam Rex offensus, etiamsi ab offensore veniam postulante satisfactionem hanc acceperit, adhuc tamen non tenetur parcere, etiamsi lædens exhibeat etiam munera pretiosissima, Regi gratissima, donec Rex admittat eum ad sui amicitiam; ita & Deus, quamuis contritum videat,

videat, & habitum illum gratiæ, reddentem animam speciosam, infudisset, qua obsecro ratione accidens quodvis redderet Deum amicum ex inimico, suâ merâ physicâ entitate? Comparatio sanè est adæquata (excepto quòd Rex, admittens ad sui gratiam perduellem, mutatur) Deus autem nequaquam. Hac ratione vtuntur Poncius, Mastrius, aliique.

110 Vasquez *num.*80. latè respondet, hanc rationem esse potius plausibilem, quàm firmam; quia Deus pro sua bonitate non potest non acceptare eum, qui adæquatè satisfecit. Supponit autem id, quod nos reprobauimus, & ipse tenebatur probare, contritionem, & gratiam absque Dei acceptatione, esse adæquatam satisfactionem Deo exhibitam.

Confirmatur: Nam efficacior, & maior est satisfactio Christi efficaciter applicata nobis, quàm nostra ipsa satisfactio etiam ex gratia; sed potuit Pater nolle hanc satisfactionem, per Vasquez *n.*82. Ergo.

111 Respondet Vasquez satisfactionem Christi inesse nobis per modum meriti, non per modum formæ, sicut inest gratia, & ideo delet omnem maculam.

Contra tamen. Si ratio formæ est, quæ tollit maculam. Ergo attritio, quia est in anima vt forma, etiamsi in ratione meriti sit imperfecta, tamen erit adæquata satisfactio. Dicere verò, non esse perfectam formam adæquatam offensæ, sicut est contritio, & gratia, est petere principium: tenetur enim probare, etiam has esse adæquatas offensæ Deo illatæ.

112 Præterea potior est virtus in causa, quàm in effectu: Sed satisfactionis virtus inest gratiæ à passione Christi: ergo potior est in ea, quàm in gratia. Mi probatur 1. Ioan. 1. *Sanguis Iesu Christi emundat vos ab omni peccato.* Act.22. *Ablue peccata tua, inuocato nomine ipsius.* Heb.1. *Purgationem peccatorum faciens.* Heb.9. *Christus semel oblatus est ad exhaurienda multorum peccata.* Vrgeo: Sumatur Habitus gratiæ absque merito inserto Christi; numquid adhuc reddet gratum? Absit. Sed, per te, fundamentum huius acceptationis, est acceptatio voluntaria meritorum Christi: Ergo & acceptatio Gratiæ est talis.

113 Confirmatur: Nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Sed gratia ob merita Christi habet virtutem sanctificandi: Ergo. Mi: patet. Vrgeo. Nam entitas physica gratiæ est merum accidens ornans physicè animam; at non est eiusdem ordinis cum offensa, quæ est moralis iniuria Dei infiniti. Qua ergo ratione sua physica entitate finita remitter, iustificabit? Profectò non intelligitur, qua ratione suapte natura constituat peccatorem filium Dei, hæredem gloriæ.

Videtur potiùs hoc de charitate dici potuisse, qua peccator ad Deum formaliter actu conuertitur.

114 Respondet Auersa, disparem esse rationem inter actum dilectionis, & habitum gratiæ, quia gratia habitualis, licèt finita entitatiuè; moraliter tamen habet dignitatem quandam infinitam, ratione cuius opponitur infinitati culpæ, vt reconciliet Deo; quod de actu dilectionis non est verum; cùm enim valor satisfactionis crescere debeat ex dignitate personæ diligentis, erga personam dilectam; & actus dilectionis hic attendatur penes hominem, semper remanet inequalis ad satisfaciendum. Sic ad argumentum respondent alij cum Suarez, illos effectus *Filij Dei, gratia Deo, &c.* esse connaturales entitati physicæ gratiæ, quæ est participatio Diuinæ naturæ. Sed hæc gratis dicuntur petendo principium, & illa metaphorica participatio nil iuuat. Quod enim per gratiam acquirat anima promptitudinem ad bonum, & repugnantiam ad culpam, quæ duo sunt Dei naturalissima, vt ait Ouiedo *tract.*8.*contron.*1.*part.*3. gratis affertur ad intentum sine Dei acceptatione, vt notant Arriaga, & Mastrius.

Obiicit pimò Vasquez *num.*12. Si gratia absque fauore non constituit nos iustos; sequitur nostram iustitiam esse imperfectam, quod est dogma hæreticorum, Buceri, Kemnitij, Osiandri, & aliorum.

Respondetur, longiùs diuersos esse nostros 115 Theologos à modo dicendi hæreticorum, vt ipse agnouit Vasquez *n.*16. Nam inchoatam illi iustitiam vocant Fidem, Spem, & Charitatem; quia per eas quippè peccetur: At nos dicimus, eam esse imperfectam, quoad esse physicum merum, addito verò pacto antiquo diuinæ acceptationis, esse penitus perfectam; neque duas iustitias contra Concilium Trid. vt nobis inuit Vasquez, admittimus; sed vnicam penitus ex esse illo physico, & morali constitutam; sicuti autem aqua Baptismi, addito pacto Dei, non facit duo Baptismata; quia est vnum ens Sacramenti, vnica materia, & verba, quæ ex sono illo, & pacto Dei faciunt vnam formam, non duas; ita etiam hîc, paucis, sed extra nostrum propositum, mutatis. Neque verò acceptatio 116 illa est ordinatio nostri ad gloriam, neque amor, quo Deus nos diligit, vt Vasquez *num.*19. nobis imputauit, quasi sit aliquid distinctum, nullam habens cum habitu inhærente connexionem, sed est ordinatio illius habitus physici adornantis animam ex natura sua, vt quisquis illum habuerit, sit in integrum restitutus, ex inimico, factus sit amicus, & ex inuiso, Deo charus. Errat quidem toto cœlo Vasquez, chimæricas nobis apponens acceptationes, vt ad hæreticorum sensus, inuitos tot Heroas pertrahat, quod à viro Catholico alienum esse deberet, vt potiùs consentientes in rebus fidei ostenderet, ne ansam Caluinistis exhibeat clamandi, etiam nos plures sectas, fidesque plurimas sequi. Imò ipse, ore rotundo, plures iustitias admittens, tenebatur sibi cauere; Nos enim vnicam iustitiam admittimus cum Concilio Trident. *sess.*6.*cap.*7. Hanc verò nobiscum admittit Concilium 117 non solùm fauore, sed etiam ipsâ gratiâ constantem habituali. Nam *sess.*6.*can.*11. definit: *Si quis dixerit, homines iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusâ gratiâ, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantùm fauorem Dei; anathema sit.* Vbi S. Concilium particulis (solùm) (tantùm) indicat, gratiam simul cum fauore, seu acceptatione Diuina coniunctam, vnam perfectam constituere iustitiam.

Hæc dixi, vt Vasquezio sciscitanti *num.* 69. vt 118 dicamus, quo minimo verbulo Concilium leuiter insinuarit hanc remissionem peccatorum fieri etiam condonatione Dei, responderem: Neque sequitur id, quod Vasquez *num.*26. infert, applicationem meritorum Christi, & fauorem dari post ipsam infusionem donorum; nam, vt dixi, ex Dei ordinatione institutum est, vt gratia, quæ simul habet diuinam acceptationem, reddat hominem Deo offenso reconciliatum, & charum.

Instat verò acriùs secundò Vasquez, sequi ex no- 119 stra sententia, in iustificatione hominis, esse duas mutationes se inuicem solùm comitantes: Alteram, remissionem peccatorum; alteram, sanctificationem; & has non esse connexas, sicuti sunt generatio vnius, & corruptio alterius. Sed hoc est absonum contra Concilium Trident. Probatur sequela. Nam, cùm peccatum, & gratia non sint contraria physicè, sequitur, ea non formaliter sese pellere, sicuti frigus pellitur à calore; sed sicuti per calorem in ceram inductum, liquatio sequitur; in qua mutatione non dicitur ex frigido fieri liquidum, sed calidum. Probatur Mi: Nam è scriptura, iustificatio impij, est translatio de statu peccati ad statum gratiæ. *Coloss.*1. *Prima Petri* 3:

120 & Concilium Trident. cùm adduxisset *sess.6.* in fine *cap.3.* ea verba, Coloss.1. *Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, & eripuit de potestate tenebrarum, transtulitque in Regnum filij dilectionis suæ;* incipit statim, cap.4. *Quibus verbis iustificationis impij descriptio insinuatur, vt sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei.* Et cap.7. dicit. *Quæ* (scilicet iustificatio) *non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum. Vnde homo ex iniusto fit iustus; & ex inimico amicus.*

Neque Concilium loquitur de gratia, vt habet adiunctam acceptationem Dei: nam Concilium ibi loquitur de homine, qui per iustitiam inhærentem constituitur iustus.

121 En error Vasquez, qui putat, vel fingit adhuc, nos separare acceptationem à gratia inhærente, vel eam acceptationem nouam apponere, eamque imperfectam; cùm eam antiquam in prima Dei constitutione, vnamque moralem causam nostræ satisfactionis constituamus, neque aut scriptura, aut Concilium Trident. contra nos verbulum habent; sed Concilium agit contra Caluinum, qui solam remissionem ait, esse iustificationem, vt notat Bellarm. *lib.2. de Iustificatione, cap.3. & 6.* Igitur adæquatam descriptionem ait sumi ex illis verbis Apostoli. Consultò autem eam vocat descriptionem, quia non vnam tantùm simplicem rationem ponit formalem Physicam, sed accep-
122 tatione morali perfectam, & completam. Consultò, etiam Apostolus duas mutationes innuit dicens. *Eripuit de potestate tenebrarum, transtulitque in regnum filij dilectionis*, si enim esset vna mutatio, diceret potiùs: *Transferens in regnum.* Quare potiùs sumi contra Vasquez. Idem indicatur 1. Cor.6. *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis,* quasi iustificatio ex ablutione à peccato, & sanctificatione constituatur: Ad hoc alludit D. August. Apostolum imitatus, vt notat Bellarminus *cap.6.* Is igitur *in Enchir. cap. 52.* ait: *Quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis remissio peccatorum, & quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera*
123 *iustificatio.* Alludit autem ad illud Rom.4. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Obseruat autem S. Bonauent. *in 3. dist.19. quæst. 1.* duobus distinctis, distinctos effectus adscribi: Primum morti Christi, nempè mori peccato: Secundum resurrectioni, idest sanctificationem. Quod, qua ratione fiat, dicam *3. part. tract. de Incar. disp.11. quæst.9.* Ideò *in corporis* initio, D.Bonau. duos motus facit, remissionem peccatorum, & sanctificationem.

124 D.Gregorivs Nazianzenus *in oratione* aduersus eos, qui differunt Baptismum, ait: *Venite benedicti Patris mei, &c. Quamobrem, non quoniam induti estis veste incorruptionis, neque quoniam peccata vestra abluistis; sed quoniam in charitate vos rectè gessistis.*

S.Cyprianvs lib.2. epist.2. *Postquam Vndæ genitalis auxilio, superioris æui labe detersa, in expiatum pectus, ac purum desuper se lumen infundit: postquam cælitus spiritu hausto in nouum me hominem natiuitas secunda reparauit.*

D.Ambrosivs, lib. de his, qui Mysteriis initiantur, cap.7. *Accepisti post hæc vestimenta candida, vt esset indicium, quod exueris peccatorum, indueris innocentiæ casta velamina; de quibus dixit Propheta: Asperges me hysopo, & mundabor; lauabis me, & super niuem dealbabor.* Hi PP. diuersos motus in iustificatione supponunt, quos ostendit S. D. *in 4. dist. 17. part.1. quæst.3. in corpore.*

Obiicies tertiò cum Arriaga. Si gratia non haberet istos effectus physicè, sed ex ordinatione Diuina, eos communicaret non formaliter, sed vt est signum; & ideò per meram imputationem. 125

Respondet Mastrius, negando sequelam: Nam gratia, prout subst at Diuinæ ordinationi, informat animam physicè, & moraliter, & reddit amicam gratamque Deo, ac Principem cœli, sicuti Rex physicè quidem est Rex, sed mediante moralitate electionis.

Obiicies quartò cum Amico, & Lezana. Vel fauorem Diuinum ponitis totam causam gratificationis, & hoc est hæreticum: Vel condonationem tantùm; & hoc repugnat naturæ formarum, quæ absque moralitate informant: Vel tandem ponitis esse concausam cum gratia, & tunc erunt duæ causæ formales iustificationis, non vna tantùm, vt Concilium definit. 126

Respondetvr, hoc tertio modo, etiam esse duas concausas constitutiuas vnius iustificationis.

Instant Suarez, & Lezana. Si opus est acceptatione, potuit non minus adhibere aliam formam, puta habitum alium, quàm gratiam.

Respondetvr, negando sequelam: Hic enim habitus ex se habet pulchritudinem maiorem ad animam formosam reddendam, ac proinde rectè à Deo assumitur. 127

Dices: Ergo gratia non est perfecta iustitia, vt dicebant Canonici Colonienses.

Respondetvr, negando sequelam: Est enim perfecta ex ordinatione Diuina, quam gratia includit in ratione gratiæ; esto non in ratione qualitatis. Doctrina autem nostra non conuenit cum Coloniensibus, vt ostendunt Morandus, & Coninchius.

Obiicies cum Auersa. Per gratiam tollitur, quidquid ponit peccatum.

Respondetvr, gratiam tollere peccatum non formaliter præcisè physicè, sed moraliter, addita Diuina ordinatione, qua statuit, ornatum tali habitu, esse Deo charum. 128

Obiicies vltimò. Non implicat, dari qualitatem physicè continentem omnes eos effectus.

Respondetvr primò, secundùm aliquos implicare. Deinde dico, de facto, eos effectus non esse tali habitui concessos; ostendi autem suprà, quomodo id fiat.

QVÆSTIO IV.

An priùs nobis infundatur Gratia, *quàm Deo grati simus.*

Prima opinio est, nos priùs ordine rationis, & causalitatis esse gratos, quàm accipiamus gratiam sanctificantem. Ità Durandus *in primo, dist.17. quæst.1.* & Ocham *ibidem.*

Vera tamen sententia est opposita, priùs nos gratiam recipere. Hanc sententiam tanquam Theologorum sui temporis refert Ocham; ait tamen Vasquez, se neminem legisse, qui eam tradat. Eam verò à D.Bonau. passim traditam, & validissimè probatam, patet.

Assero cum hac sententia, adeò certa, vt opposita hæreticis faueat, vt ait Vasquez *disp.205.*

Probatvr à D. Bonau. *in primo, dist.17. part.1. quæst.1. fund.5.* Quandocunque duo sunt similia in macula, & incipiunt esse dissimilia, oportet ponere in alterutro aliquid, quod sit principium dissimilitudinis, & ea sit consequenter prius; sed duo peccatores, v. g. sunt similes, & incipiunt esse dissimiles, quando alter iustificatur, & redditur Deo charus: Ergo oportet dare in eo aliquam causam huius dissimilitudinis. Omnis autem causa est prior suo effectu. 129

Probatvr

130 PROBATVR secundò à S. D. *in 2. dist.26. quæst.1. fund.6.* Quandocunque aliquis ex non grato fit gratus Deo, oportet fieri aliquam mutationem in aliquo, quod constitutiuum sit, & prius ipso statu in quo est post mutationem: Sed peccator ex non grato fit gratus Deo, & non per mutationem Dei: Nam Deus amat per suam essentiam immutabilem. Ergo oportet dari in homine aliquid, quod sit constitutiuum istius noui status; sed non potest hic esse actus, vt ostendit S.D. *in primo, sent.* mox *adducta quæst.* quia est gratus etiam dormiens. Ergo est habitus gratiæ: Ergo gratia est prior, tanquam causa, suo effectu.

131 PROBATVR tertiò à D.Bonauent. *in 4. dist.17. p.p. quæst. 1. fund.1.* ex Rom.4. *Iustificati gratis per gratiam.* Iam verò si priùs homo esset gratus, quàm haberet gratiam, iam non constitueretur per gratiam gratus, & iustificatus: Ergo superflua est iustitia inhærens. Ità arguit etiam Vasquez *num.3.* post Seraphicum.

PROBATVR quartò *fund.2.* Id, quod tollit priuationem habitualem, est habitus, inducens formam oppositam: sed habitus gratiæ tollit priuationem amicitiæ Dei, qua homo displicet Deo: Ergo gratia ponit amicitiam Dei, & reddit hominem Deo placentem.

OBIICIES cum Durando. Quia omnis effectus est posterior suâ causâ; Sed gratia inhærens est effectus dilectionis Dei: Ergo.

132 RESPONDET Vasquez *num.6.* Donum gratiæ oriri ex amore Dei, quo diligit hominem, vt creaturam; etiam eos, quos elegit; vt ait *numero 5.*

MELIVS respondet Seraphicus *in 2. dist.26. quæst.1. ad 2.* diligere quidem Deum dilectione essentiæ ab æterno, vt habetur Eph. 1. *Dilexit nos ante mundi constitutionem.* Et Rom.5. *Dilexit nos, cùm adhuc peccatores essemus*, dilexit autem præparans nobis dona suo tempore, & ideò præparat gratiam; nam *quos prædestinauit, hos & vocauit, &c.* Igitur vocatio efficax, & iustificatio sunt effectus Diuini amoris. Similiter & decreuit à prædestinato peccante auferre gratiam; & ei pœnitenti illam reddere; vnde ex amico fieret hic, & nunc non amicus, & è contra. Hæc verò mutatio non est in Deo, sed in homine, qui incipit esse; ex ingrato gratus Deo per habitum inhærentem; licèt enim simpliciter Deus dilexerit eum ad gloriam in fine; tamen hic, & nunc est inuisus, & per gratiam sanctificantem fit amicus.

QVÆSTIO V.

An possit Deus absolutâ potentiâ iustificare peccatorem non infundendo GRATIAM HABITVALEM.

133 SVPPONO ex dictis, Lege ordinaria non fieri iustificationem, absque habitu gratiæ.

PRIMA verò sententia est; de potentia Dei absoluta non posse hominem iustificari sine habitu gratiæ. Ità D.Thom. *primâ 2. quæst.113. art.2.* & ibi Caietan. Conrad. Medina, Ioan. de S. Thom. Serra, & alij Thomistæ. Caspensis *disp.5. sect.5. de Gratia*, Valentia *disp.8. quæst.5. punct.5.*

SECVNDA sententia est, posse Deum suâ potentiâ sanctificare peccatorem, absque gratia habituali. Ità D.Bonau. *in 4. dist.17. part.1. quæst.1.* quem sequuntur Scotus 4. *dist.19. quæst.6.* cum omnibus Scotistis apud Mastrium *disp.7. quæst.3.* qui adducit etiam Nominales, Suarez *tom.4. in 3. part. disp.9. sect.3.* qui adducit Conradum *hoc art. D. Thom.* Sotum *lib.2. de natura, & gratia, cap.17.* & *in 4 dist.15. quæst.1. art.2. dub.vlt.* Ledesmam *4. p. p. quæst.27. art.2.* Medinam *à p.2. quæst. 113. disp.2.* iunctis his, quæ docet *q.110. art.4.* Zumel. *quæst.113. part.2. disp.2.* D. Thom. 4. *dist.17. quæst.1. art.3. quæst.1.* vbi ait, ità requiri gratiam ad remissionem peccati, sicut ad meritum; at sanè ad meritum de potentia absoluta non est necessaria. Eodem modo ait *quæst.28. de verit. art.2.* Capreol. *in 4. dist.1. quæst.2. art.3.* & Recentiores plurimi apud Mastrium. Ità Suarez.

BELLARMINVS verò *lib.2. de Iustific. cap.16.* dicit, 134
auersionem, & maculam non posse auferri sine infusione habitus; posse tamen auferri rationem offensionis, & inimicitiæ. Idem tenent authores citandi *q.8.* qui aiunt, posse fieri iustificationem, absque infusione habitus, & absque aliquo actu.

Distinguunt autem in Iustificatione duplicem mutationem. Alteram priuatiuam, qua, ex inimico fit non inimicus: altera, qua fit etiam amicus, & gratus, vt anteà. Et priorem quidem, quam imperfectam fatentur, asserunt fieri posse absque habitu, sola mutatione actuali peccatoris ex aliquo dono actuali, &c. posteriorem autem nequaquam; cùm enim exciderit à iustitia formaliter habitualiter, non potest absque ea in pristinum restitui.

TERTIA sententia est, in pura natura peccatum 135
potuisse deleri absque forma sanctificante: in natura autem eleuata ad finem supernaturalem, peccatum non posse remitti absque forma sanctificante. Ità Bellarm. Zumellus Martinez, & probabile censent Vasquez, Turrianus, aliique.

ASSERO primò, posse à Deo auferri culpam, absque habitu.

PROBATVR primò ratione ductâ è D. Bonauent. 136
in 2. dist. 35. quæst. 1. supposito, quod probaui *tract.3. disp.1. quæst.6.* Peccatum esse formaliter priuationem rectitudinis debitæ. Quandocunque alicui vni duo sunt contraria, potest illud alterutro tolli; Sed peccato opponuntur & gratia habitualis per vos, & rectitudo iustitiæ, vt ostendi *loco adducto*: Ergo potest tolli à iustitiæ rectitudine naturali absque gratia habituali. Ma: probatur: Nam quia colori albo opponitur, & viridis, & niger, potest per alterutrum tolli. Posse verò stare solam rectitudinem naturalem absque habitu gratiæ, Probatur primò. Quia 137
Angelus fuit creatus in sola rectitudine naturali, vt ostendi *p.p. tract.4. disp.5. quæst.1.* Similiter & Adam, vt ostendi *p.p. tract. 11. disp.1. quæst. 17.* Probatur secundò. Si rectitudo naturalis non repugnaret peccato; sequeretur, non posse à Deo produci creaturam, quæ esset recta rectitudine naturali, sine gratia: Vnde sequeretur, gratiam non esse donum supernaturale, sed naturæ debitam.

RESPONDET D.Thom. rectitudinem naturalem sine peccato esse posse ante peccatum; non verò post.

CONTRA primò. Forma habens esse eiusdem ratio- 138
nis ante, & post separationem, non est separabilis, vel inseparabilis à subiecto per hoc, quòd eius contrarium præcesserit, v.g. frigus in aquam ità restituitur postquam inductus fuerat calor, sicuti antequam induceretur. Ergo, cùm rectitudo naturalis sit forma eiusdem rationis, & absoluta; si non repugnabat ante peccatum, neque posteà repugnabit, vt sit absque peccato, & absque gratia habituali.

CONTRA secundò, Quod Deus potuit semel creare, potest eodem modo ad eundem statum reficere secundum potentiam absolutam. Sed potuit Deus creare hominem absque peccato in puris naturalibus: Ergo potest etiam nunc restituere rectitudinem naturalem, absque infusione gratiæ.

139 Respondet, falsam esse maiorem: Nam potuit Deus creare Virginem; & tamen non potest facere vt semel Corrupta, denuò virginis integritatem nanciscatur.

At video impar exemplum, quia virginitas dicit corporis integritatem, & decorem simul animæ è relatiuo non lapsu, nempe quia carnis spurcitiâ non est maculata: At rectitudo naturalis est forma absoluta, curuitatem tollens quidem à naturæ Principio, quæ obuenit ex auersione ab eo & deflexione ad creaturam, actu, vel habitu, hîc, & nunc. Hanc autem cur non possit Deus restituere?

Respondet Caietanus, quòd Deus dans rectitudinem naturalem, non tolleret omnem auersionem, quæ est à fine supernaturali, & ita infert Medina, debere infundi rectitudinem supernaturalem.

140 Contra arguitur è D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 26. *quæst.* 1. adhuc supernaturalem auersionem posse tolli sine gratia habituali, si Deus daret donum; id est auxilium supernaturale contritionis, quo supernaturaliter conuerteretur in Deum; & tunc posset Deus restituere illum ad naturalem integritatem, pellendo peccatum.

Deinde ex fundamentis nostris etiam rectitudo naturalis opponitur peccato, vt ostensum est *loco cit. tract. de peccatis*. Itaque rectificatus naturâ, non ampliùs manet auersus à Deo suo; alioqui natura esset praua.

Probatvr secundò ab omnibus ferè nostris, vt refert Suarez, quia peccatum per actum solum introductum est absque generatione alicuius habitus physici. Ergo per actum contrarium potest per Dei potentiam destrui. Est argumentum S. Bonauent. *in* 4. *dist.* 17. *part.* 3. *fund.* 4. *addita resolutione.*

141 Probatvr tertiò. Ablatâ auersione voluntatis, eâque conuersâ in Deum, ablatâ etiam ratione odij Dei in peccatorem, tollitur peccatum; sed per actum contritionis tollitur prior auersio, & per condonationem posset Deus remittere omnem reatum, iuxta id Psalm. 50. *Cor contritum Deus non despicies*: Ergo.

Probatvr quartò. Si necessaria esset per Dei potentiam semper gratia ad iustificationem, cogeretur Deus, se subiicere illi habitui physico; hoc autem est falsum, vt vidimus; quia ille habitus non esset forma perfecta iustificationis, nisi addita ordinatione Diuina secundùm Legem ordinariam; ac proinde per absolutam potentiam potuit non dari talis ordinatio illi habitui.

142 Argvmenta aduersariorum supponunt, peccatum pro formali dicere carentiam gratiæ habitualis physicæ, quod est falsum, ex dictis *loco citato.*

Obiicit Vasquez. Manet in homine vera macula peccati physica ex natura peccati, non ex Dei determinatione: Quomodo ergo tollitur vel remittendo pœnam, vel sua condonatione?

Respondetvr, tolli restituendo rectitudinem naturalem, & etiam supernaturalem ex dispositione actus contritionis, & condonando iniuriam.

Obiicies secundò ex Concilio Trident. *sess.* 6, *cap* 4. iustificatio definitur: *Translatio è statu peccati ad statum gratiæ.* Ergo expulsio peccati haberi non potest sine infusione gratiæ.

143 Respondetvr, Concilium loqui de facto contra hæreticos; neque enim erat ad rem definiri, quid de potentia Dei absoluta fieri poterat. Itaque de facto verum est, semper cum peccatorum remissione infundi iustitiam, vt docet Concilium, cap. 7. attamen supponit, esse duas res distinctas; ideò ait: Iustificatio non est sola peccatorum remissio, sed renouatio.

Dices: Si remissio non est idem ac gratiæ infusio. Ergo non est effectus formalis gratiæ.

Respondetvr, non esse formalem effectum merè physicum, sed addita æterna ordinatione. 144

Obiicies tertiò. Peccatum mortale essentialiter excludit gratiam, sicut tenebræ lucem: Ergo sicuti nequeunt tenebræ auferri sine luce; ità nec peccatum sine gratia.

Respondetvr, negando paritatem: Nam peccatum est priuatio gratiæ, non vt hæc est qualitas physica, sed vt habet coniunctam Diuinam acceptationem; ideò culpa non excludit gratiam, sicut tenebra qualitatem Lucis, quæ est Lumen, vt notat Mastrius *num.* 86. cum Lezana.

QVÆSTIO VI.

An sola infusione Gratiæ, *absque vllo adulti peccatoris actu, possit ei peccatum remitti.*

Prima opinio est negatiua. Videtur Scoti *in* 4. *dist.* 15 *quæst.* 1. *art.* 2. & D. Thomæ 3. *part. quæst.* 86. *art.* 2. attamen Ledesma *in* 4. *p. p. quæst.* 27. *art.* 2. *concl.* 4. & Caietan. *ad eum articulum* exponunt D. Thomam de potentia ordinaria. Videtur tamen D. Thom. *prima secunda*, *quæst.* 113. *art.* 2. vbi Caiet. Conradus *q.* 112. *ad* 1. & alij Thomistæ; & nuperrimè contra tortentem Recentiorum defendunt, Morandus *tract.* 4. *quæst.* 26. Amicus *disp.* 32. *sect.* 2. Petrus Soto *lect.* 4. *de Pænit.* & alij ex Thomistis, apud Medinam *quæst.* 113. *art.* 3. quorum sententiam existimat probabilem. Alios quoque allegant, suppresso nomine, Auersa *quæst.* 13. *sect.* 4. Pasqualigo *disp.* 3. *sect.* 11.

Affirmativam tamen sustinent Suarez *lib.* 7. *cap.* 21. Vasquez *disput.* 207. Pasqualigo, & Auersa citati. Tannerus, Becanus, Turrianus, De Lugo, & alij, quos recenset, sequiturque Ouiedo *tract.* 8. *controu.* 2. *part.* 9. Estque communis in Schola Scotistarum, & Nominalium, vt videre est apud Fabrum *disp.* 11. *de Pænit.* *cap.* 3. & Mastrium *disp.* 7. *quæst.* 4. Addunt Atriagam, Coninchium, Hacquet. Serram, Lezanam, Turrianum, Loream, Caspensem, atque alios. 145

Videtvr D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 26. *quæst.* 1. vbi, per infusionem doni satis fieri mutationem in peccatore, ait: Et *in* 4. *dist.* 17. *p. p. quæst.* 1. sequitur eius discipulus Richardus 4. *dist.* 15. *art.* 1. *quæst.* 7. & Vega *lib.* 6. *in Trident. cap.* 5. post medium, Caietanus *prima secunda*, *quæst.* 112. *art.* 2.

Assero, hanc sententiam probabilem esse.

Vasquez *num.* 16. affert duas rationes, suo iudicio efficacissimas, quæ mihi infirmantur. Prima est: In Sacramento Pœnitentiæ remittitur peccatum mortale, solâ infusione gratiæ habitualis, quando præcessit sola attritio, quæ non sufficit ad reconciliandum cum Deo. Ergo & extra Sacramentum sufficeret, si Deus vellet eam infundere. 146

Respondetvr tamen, attritionem esse supernaturalem peccatoris mutationem, esto requiratur etiam Diuina acceptatio, ad contritionem quoque requisita: Nam vtraque est mera dispositio, & eodem modo de vtraque loquitur Concilium Trident. vt notat Suarez 3. *part. tom.* 1. *disp.* 4 *sect.* 8.

Secvnda ratio est. Quia, si gratia sola non pelleret peccatum, non esset perfecta iustitia. 147

Respondetvr ex dictis *quæst.* 3. Gratiam habitualem è sola sua physica entitate non esse perfectam, sed cum acceptatione, neque pugnare formaliter cum culpa

culpa, posset enim Deus in peccatore conseruare entitatem physicam gratiæ, vt notat Suarez 3. *part. tom.4. disp.9. sect.4.num.*8. Acceptatio autem est peccatoris, vt auertitur à peccato, & conuertitur ad se liberè, sicut liberè auersus est; neque satis hac ratione constat: An sine hac libera conuersione possit remitti in Dei amicitiam, vt arguit Soto.

148 PROBATVR ergo ratione D.Bonau. *loco cit.ad argumenta.* Quidquid requirit solam efficientiam causæ secundæ, potest à Deo suppleri: Sed reconciliari per actum pœnitentis requirit efficientiam, non causam formalem intrinsecè: Ergo potest suppleri à Deo. Maior est clara; quia causa prima includit efficientiam omnium causarum secundarum. Mi: probatur; quia conuerti ad Deum requirit efficientiam voluntatis. Cur ergo non potest Deus absque actu peccatoris voluntarem reconciliare sibi, eam reddendo per habitum sanctum amicam? Nam tametsi exigat Deus è Lege ordinaria dispositiones in homine peccatore, potest tamen eas non exigere, vt notat Suarez *lib.7. cap.*21. dummodò ille à peccato cessauerit.

149 CÆTERVM remissio peccati est proprium opus Dei; Quicquid dicat Amicus, & Morandus. Nam licèt de facto sit opus materialiter, seu dispositiuè etiam voluntatis; tamen potest Deus absolutâ potentiâ sine dispositione iustificare. Manet enim peccatum in voluntate quidem habitualiter voluntarium, sed non actualiter, nisi peccet. Reatus autem voluntarius manens habitu probabiliter auferri potest à Deo per infusionem habitualis sanctitatis, vt discurrunt Suarez *loco cit.* Ouiedo *num.*147. & Mastrius *num.* 106. Esto non tollatur sine habituali debitoris mutatione, vt differit Amicus; & nos *quæst.*7. dicemus.

150 ET sanè id, quod exigitur ex parte pœnitentis esse meras dispositiones, constat è Concilio Trident. *sess. 6. can.* 4. & *sess.* 14. vbi actus etiam ipsius contritionis, meræ dispositiones sunt, vt ostendi *quæst.* 2. At formam vnicam iustificationis esse gratiam definitur *ibidem.* Iam verò nulla est forma exigens dispositiones, quæ non valeat sine dispositionibus à Deo induci, vt notant Ouiedo, Auersa, Suarez, Mastrius, & alij.

RESPONDET Morandus, negando posse sine dispositione voluntatis tolli à Deo id, quod remanet voluntarium.

AT sanè tollitur sine sufficienti dispositione per attritionem cum Sacramento supplente (ait Vasquez) attritionis imperfectionem.

151 INSTAT Amicus, requiri dispositionem voluntariam intrinsecè, vt tollatur auersio, qua ratione permanentia moralis tollitur etiam per actionem, ait Morandus.

AT falsum est, tolli auersionem sufficienter per attritionem. Quod si per dispositionem insufficientem tollitur peccatum; Cur non poterit tolli sine vlla? Ita discurrit Vasquez & Faber. Addo ego, ex nostris fundamentis negari assumptum.

PROBATVR tertiò à multis, quia remittitur peccatum originale infantibus, absque vllo eorum actu. Sed neganda est paritas cum D.Bonauent. *in* 4 *dist.*16. *part.*2. *quæst.*1. quem sequuntur Amicus, Morandus & alij: Non enim suo actu peccatum originale infans contraxit.

OBIICIVNT præcipuè, primò cum D.Thom. Peccatum habituale includit liberam auersionem à Deo, & conuersionem ad creaturam: Ergo tolli non potest sine voluntaria auersione à creatura, & conuersione ad Deum· Sic enim Concilium Trident. *sess.6. cap.* 7. vocat Iustificationem, voluntariam susceptionem gratiæ.

RESPONDETVR, auersionem liberam tolli, non modò per conuersionem, sed etiam per formam eminenter continentem conuersionem, qualis est gratia acceptata; & sicut auersio à sole tollitur in me non solùm per voluntariam conuersionem ad ipsum, sed etiam, me manente auerso, per conuersionem Solis ad me; ità etiam in præsenti casu, vt discurrit Lezana. 152

OBIICIVNT secundò. Peccatum *in fieri* à solo peccatore pendet: Ergo & *in conseruari.* Ergo requiritur actus hominis. Ità arguit Morandus ex Becano *tract.*4. *cap.*3 *quæst.*5. Confirmatur: Peccatum habituale dicit moralem permanentiam eiusdem peccati. Ergo.

RESPONDETVR, peccatum *in fieri*, esse à solo peccante; at *in conseruari*, esse indirectè à non remittente; directè verò à manente in eadem voluntate auerso, quæ auersio tollitur eminenti modo per gratiam. 153

CONTRA arguunt; quia peccatum manet in ratione voluntarij, vt non retractatum intrinsecè: Ergo retractatio est essentialis. Nam post retractationem non est ampliùs voluntarium.

RESPONDET Card. de Lugo *d.*7. *sect.*8. *num.*115. & Mastrius *n.*125. Voluntariam permanentiam esse in ordine ad odium Dei ratione apprehensum.

AT contra. Quia rationabile odium Dei supponit in peccatore causam voluntariam, id est culpam; alioqui non esset rationabilis: Ergo hæc non tollitur, nisi voluntate peccatoris.

PROPTER hæc argumenta existimo, etiam opinionem primam esse probabilem.

QVÆSTIO VII.

An absque infusione habitus, & absque mutatione peccatoris, valeat peccatum remitti.

PRIMA opinio est affirmatiua. Ità Scotus *in* 4. *dist.*1. *quæst.*6. §. *Contra istam conclusionem*, & §. *Ad argumenta*, loquens de peccato Originis, & *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. §. *De secundo articulo*, & *quæst.*2. loquens de peccato actus. Eum sequuntur Scotistæ omnes, adducti *quæst.*5. Ocham *in* 4. *quæst.* 9. *ad* 2. *dub. litt. M.* & *quæst.*3. *litt. E.* Gabr. *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. *not.* 2. & 4. & *art.* 2. *post* 5. *concl.* Aliac. *in primo*, *quæst.*9. *litt. M.* Gregor. *in primo*, *dist.*17. *quæst.*4. *art.* 2. Ioan. Medina *Cod. de Pœnit. tract.* 1. *quæst.*7. & *quæst.* 22. quibus videtur fauere Alensis *in* 4. *quæst.*17. *memb.*4. *art.*6. §.1. Gerson 3. *part. Alphab.*61. *litt.D. corol.*9. *lect.*1. de vita spirituali. Henricus *lib.*4. *sum. cap.*30. Zumel. *disp.*113. *art.*2. *dub.*2. Suarez 3. *part. tom.*4. *disp.*9. *sect.*4. *num.*5. qui citat cum aliis etiam Bellarminum *lib.* 2. *de Iustificatione*, *cap.*16. & D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 17. *part.*1. *art.*1. *quæst.*1. *in corp.* & *ad vlt.* sed malè: Nam agens: An necessaria sit gratia habitualis ad iustificationem, concludit *in corpore*, quòd quamuis Deus delere posset sine medio culpam; decreuit tamen eam delere per gratiam, quæ non tantùm faceret innocentem; sed etiam naturam debilitatam habilitaret ad bonum. Vnde concedendæ sunt rationes ad hoc. Rationes verò eius sicuti etiam resolutio, *in corpore*, de solo habitu loquuntur. *Ad vltimum*, verò nil pro hac sententia dicit. Cùm enim obiecisset sibi: Iustificatio est gratia quædam: Ergo si à gratia, similiter erit & alia ab alia, & sic in infinitum. 154

RESPONDET, quòd gratia aliquando dicitur habitus, aliquando actus, aliquando sistitur in habitu gratiæ: Iustificatio autem magis dicitur actus gratiæ, 155

gratiæ, vel status, quàm dicatur ipse habitus. Non vult inferre, sine vtroque medio, nempe gratia habituali, & actuali, posse Deum iustificare, vt malè deducit Suarez; sed ostendit, non dari progressum in infinitum in iustificatione, ratione gratiarum; quia iustificatio non est ipse habitus gratiæ, sed actus ex gratia, quo infunditur habitus; actus autem non requirit aliam dispositionem. Sufficit verò habitui, vt per actum à gratia infundatur. Itaque malè citatur pro hac prima sententia etiam à Tannero *in prima secunda*, *disp.5. num.66. in Compend.* vbi hanc sequitur, & à Mastrio *disp.7. quæst.3.*

156 EANDEM sententiam secuti sunt alij relati *p.p. Tract.1. disp.16. quæstione 3.*

OPPOSITA sententia est D. Bonauent. expressa *in 2. dist.26. quæst.1. in fundamentis, & corpore*, & *in 4. dist. 17. part. 2. quæst. 2.* quem sequuntur D. Thom. *prima secunda, quæst.113. art.2.* quem adducit pro hac sententia Vasquez *disp.206. cap. 2.* vbi omnes Thomistæ, Caietanus, Conradus, & cæteri, adducti *quæst. 6.* Richardus *4. dist. 1. art. 6. quæst.1.* Dominicus Soto *dist. 15. quæst. 1. art.2.* Petrus Soto *de Inst. Sacerd. lect. 4. de Pœnit.* Durandus *primo, dist. 17. quæst.1. ad 1.* & cæteri, adducti *quæst.6.* pro prima sententia, quibus adde Turrianum, Lorcam, Montesinum, Serram, Valentiam, Amicum, Caspensem, Hacquetum, & alios.

Vide, quæ dixi *p.p. tract.1. disp.16. quæst.3. ad 3.* vbi alios quoque Doctores recensui.

157 ASSERO, non posse deleri maculam peccati per solam extrinsecam Dei acceptationem.

PROBATVR à Durando, Richardo, & Vasquez *locis adductis*, ratione D. Bonauent. *citatis locis.* Homo, qui peccauit, ità manet in statu peccati, ratione actionis præteritæ, vt sit Deo offensus, iniustusque, idest obiectum dignum odio, quo Deus ipsum prosequitur. Vt ergo fiat obiectum Diuini amoris, & ità extrinsecè acceptus Deo, & eius fauore iustificatus apud ipsum à peccato purgetur, debet fieri aliqua mutatio. Atque mutatio fieri non potest in Deo: Ergo necesse est, vt fiat mutatio in peccatore; vt qui ante erat obiectum dignum odio, fiat dignum amore. Mutationem verò non posse fieri in Deo probatur à D.Bonaut.quia Diuina voluntas non dicitur velle aliquo affectu, vel actu elicito, & ità non potest incipere in tempore aliquid velle, quod ante non volebat,re ipsâ inuariata, vt ostensum est *p.p. tract. 1. disp.16. quæst.3.* alioqui Deus haberet aliquid, quod non habebat ab æterno. Dicitur verò incipere odio, vel amore prosequi, ex facta mutatione obiecti. Neque verò Diuinus intellectus mutatur, vt priùs apprehendat dignum odio; & posteà nouo actu concipiat esse, eodem modo manentem, dignum amore; sic enim intellectus Diuinus esset mutabilis; imò & falsus.

158 FATENTVR aduersarij hîc, necessariam aliquam mutationem, sed ne argumento cedant, hoc subterfugio vtuntur.

RESPONDENT Nominales, Gerson, Ioan. Medina *locis citatis*, & Suarez *num. 6.* posse Deum hanc moralem mutationem facere in homine, licèt non faciat physicam, eamque sufficere; vt homo, qui erat in peccato, nunc non sit. Sicut enim homo remittendo alteri offensam, vel debitum, facit, vt ille, qui anteà illi erat offensor, vel debitor, iam non sit, sine mutatione physica eius, cui fit remissio; ita videtur, posse Deum facere: Hâc tamen differentiâ, quòd homo, vt remittat alteri, habet nouum actum voluntatis, quo mutatur. Deus autem, absque sui mutatione, potest pro tali tempore decreuisse permittere offensam, & pro sequenti remittere; hæc enim macula moralis est: Ergo sola mutatione morali deletur. Sicut Ergo potest Deus remittere obligationem pœnæ voti, & sicut Similiter potest tollere peccatum per solum actum attritionis sine alio habitu infuso: Ergo si potest id facere in instanti, quo habet attritionem, poterit id facere & in alio tempore; vt quando dormit, seu amens est. Sicut Baptismus confert gratiam homini attrito, non solùm si recipiatur durante actu attritionis; sed etiam si post talem actum detur dormienti. 159

160 HI tamen non eneruant argumentum; nec vim eius intelligunt. Nam aliquem esse obiectum Diuini amoris, aut odij, non pendet ex libera voluntate Dei imputantis; sed reuera intellectus Diuinus videt aliquid in homine, quod verè est macula, vt definit Pius V. contra propositionem 53. Michaelis Baij; & ideò nil refert mutatio temporis ex Dei voluntate, sed ex obiecto, quod verè ex malo suo inhærente est tale. Vnde intellectus Diuinus, qui non fallitur, videt semper eum auersum à se, & peccatorem maculatum, quamdiù non tollitur macula illa; similiter voluntas Diuina non detestatur illud obiectum ex mera sua libertate, sed ex demerito obiecti illius maculati; vt arguit Seraphicus *loco cit.* & post eum Vasquez à *num.12.* Ideò sola temporis mutatio nil conducit, vt ille, qui propter suam culpam ex se absque vlla constitutione, & Lege Dei, erat obiectum dignum odio Diuino; deinde fiat obiectum amoris Dei. Confirmatur: Nam mutatio temporis penitùs extrinseca est à reddendo malum bonum intrinsecè. Similiter etiam voluntas Dei non est talis, vt ad libitum faciat eum prauum, aut bonum, cùm ex natura sua talis peccator sit. Ratio autem voti non est ad rem; nam pendet ex voluntate Dei, sicuti etiam valor monetæ ex voluntate Regis. Fateor, comparationem Voti stare cum destinatione ad pœnam, quæ à Deo decernitur, quam potest ipse remittere; non autem cum maculâ inhærente, aut cum dignitate ipsa, qua meretur pœnam æternam; hæc enim pendent ex natura peccati; alioqui non daretur peccatum mortale ex natura sua distinctum à veniali, sed solùm ex Dei imputatione, quod est hæreticorum dogma; vt notat Vasquez hîc *num. 12.* & *disp. 142. cap.1.* Neque verò macula in sola reitate pœnæ consistit, sed potiùs est causa illius. Vnde, etiamsi concederem, dignitatem pœnæ tolli arbitrio Dei; non tamen id de macula sequeretur. 161

QVOD verò addit Suarez de attritione, mirum est, cum ipse, loco asserendo *quæst. seq.* asserat, per attritionem fieri sufficientem mutationem, addita Diuina acceptatione; sicuti & in contritione, quæ, licèt perfectior, eget & ipsa nouâ gratiâ ad iustificationem. Is verò, qui attritus dormit, iam per mutationem dispositus est, vt accedente fauore Dei, iustificetur. 162

MASTRIVS *disp.7. quæst.3. num.92.* respondet ex dictis *disp. 2. quæst. 4. num. 186.* in præfatis casibus, in quibus Deus votum relaxaret, vel peccata dimitteret sine gratia, nullum propriè interuenire contradictorium transitum. Nam potuisset Deus ab æterno velle, vt qui hodie peccat, maneat ad pœnam ordinatus toto præsenti anno, non sit autem obligatus, hoc anno elapso; & in hoc nulla est contradictio; quia esse obligatum reum, & non esse talem, non sunt secundùm idem tempus. Sic respondent etiam Suarez *de Pœnit. disp.9. sect.4.* Ouiedo, Morandus, aliique Recentes.

CONTRA tamen arguo, ex dictis *tract.cit.* Quia is, qui hodie ex decreto Dei est reus, sanè est reus, ob aliquid in se existens; mox verò, illo remoto, non est 163

est reus: Igitur, etiamsi concedam libenter, ità statutum ab æterno; non facit vt Mastrius effugiat; nam adhuc præuisa est mutatio, in tempore solùm facienda.

VRGEO cum Caspensi. Potuit Deus per vos decernere pro tali tempore remissionem peccati, & hæc fieri sola condonatione, absque rei mutatione. Ponamus decernere remittere peccatum in instanti, quo ponatur; iam tunc erit ille reus, & non reus: peccator, & non peccator.

164 CARDINALIS de Lugo *de Pœnit. disp.7. sect.9. num.* 126. respondet, futurum illum reum peccati, non tamen odio habitum à Deo; quia cessit iuri suo.

SED Suarez *lib. 7. de Gratia, cap.*12. Coninchez *disp.2. de Pœnit. dub.*10. aiunt, implicare, peccatum remitti dum patratur, vel reum non odisse.

AT si ex voluntate Diuina oritur remissio; cur nequit liberè nolle reum eo instanti absoluere?

PROBATVR secundò. Si peccatum remitteretur eo pacto; sequeretur, remitti per solam non imputationem Dei, quæ idem est cum ipsa condonatione, sed hoc est falsum: Ergo. Mi: probatur. Nam si mera non imputatio esset sufficiens, vt quid etiam nunc infunditur gratia? Itaque renouatio interior per gratiam est solùm per accidens.

SVAREZ *num.*21. respondet, illam non esse futuram illam imputationem falsam, modo hæreticorum confictam; sed veram peccati abolitionem.

165 PROBATVR tertiò à S. Doctore *in 4. quæst. 1. fund.*3. & *quæst.*2. *in corpore.* Auersio tolli non potest, nisi per conuersionem; conuersio autem intelligi non potest absque mutatione actuali, vel habituali.

RESPONDET Suarez *num.*11. hoc argumento solùm conuinci perfectam peccati remissionem, quo ad omnia damna, quæ infert, non posse fieri sine physica immutatione peccatoris, quod verissimum est. Talis enim homo se priuauit supernaturali conuersione in Deum; vnde, donec illam obtineat, non liberatur omninò à damno, per peccatum illato. Non tamen videtur probare de remissione imperfecta; nam ad hanc non requiritur, vt qui erat auersus, fiat conuersus; sed solùm, vt fiat non auersus; potest autem fieri non auersus, etiamsi non sit conuersus; sicut potest fieri non inimicus, etiamsi non fiat amicus.

166 CONTRA. Quia, vt arguit S. Bonauent. *in 4. loco cit. fund.* 2. Priuatio sanè tollitur non per priuationem, sed per aliquid positiuum.

RESPONDET Suarez, hac ratione conuictus, *n.*12. auersionem intelligi per modum non meræ priuationis, sed formæ contrariæ, quæ tolli potest absque inductione formæ contrariæ.

CONTRA. Nam id tolli debet quod est essentiale peccati, sed hoc est mera priuatio, ex Suarez, & nos ostendimus *Tract.3. disp.1. quæstione* 2.

ADDIT Suarez, posse tolli talem auersionem absque positiua conuersione, reducendo animam ad statum purorum naturalium; vel relinquendo illam carentiam conuersionis per modum priuationis physicæ; & non in ratione moralis auersionis. Hæc enim includit rationem iniuriæ.

167 CONTRA priorem est, quia reductio ad statum purorum naturalium, est mutatio physica, & ablatio auersionis omnimoda; licèt enim auertatur à fine supernaturali, tamen illa auersio est naturæ arbitrij, & ideò redintegratâ naturâ tollitur per realem mutationem.

CONTRA alterum modum est; quia non potest capi, auersionem realem (esto moralem) tolli absque vllo motu; quomodo eim anima auersa ab altero termino, nisi ad eum moueatur, potest tolli? sicuti, quomodo corpus remotum, vel auersum ab alio, potest tolli, nisi ad illud conuertatur? Profectò non inueniunt obiectum talis condonationis, cùm secundùm eos nil tolletetur è peccatore.

VRGEO adhuc, quia auersio est reale obiectum, reddens dignum odio Dei: Ergo oportet, stante Deo immutato, fieri mutationem realem in obiecto; alioqui, vel Deus affectibus variaretur, vel deciperetur intellectu, apprehendens dignum pro indigno, vel è contra; vel confundens, vt arguit Seraphicus *loco cit. in* 4. 168

RESPONDET Suarez, sufficere, Deum diligere voluntate auferendi malum; & hoc facere auferendo peccatum.

AT, pace tanti viri, redimus ad principium. Cùm enim peccatum sit aliquid reale maculosum, oportet, ipsum auferri, tollendo realem maculam (esto moralem) per realem conuersionem. Nam peccator, post actum, manet realiter peccator, non mera denominatione, quod peccarit (hac enim etiam iustificatus dicitur peccasse;) sed quia verè maculâ affectus est per modum habitus, & auersionis. 169

RESPONDET Suarez, fundamentum huius denominationis non esse peccatum non retractatum; sed peccatum non remissum; vt ait D. August. *lib. 1. de Nec pbit. cap.*26. 170

CONTRA. Quia peccatum ex Suarez *num.* 13. *sect. 3. tom.* 4. est priuatio gratiæ, vt voluntaria, ex præcedenti actu; & hæc est culpa per modum habitus: Ergo peccatum est tale per relationem ad actum peccati.

QVOAD D.August. loquitur de peccato Originis, quod non est voluntarium nobis; vnde nec retractandum propriæ voluntatis actu.

MASTRIVS *num.*94. censet cum Ouiedo *num.*112. Obiectum huius remissionis esse reitatem ad pœnam, in qua consistit ratio formalis peccati habitualis.

ENIM verò *disput. 6. quæst. 8. art.6.* asseruit cum Scoto, hanc maculam non consistere in destinatione ad pœnam à Diuina voluntate, sed esse dignitatem, seu reitatem, vt est à peccatore voluntaria; alioqui in errorem Michaelis Baij, damnatum à Gregorio XIII. & Pio V. laberetur Scotus, vt ipse Mastrius confitetur. Iam verò, vt deleatur condignitas voluntaria ex parte peccatoris, oportet, vt fiat aliqua mutatio in eo; eò quòd destinatio, vel non destinatio à Diuina voluntate fit in ordine ad tale obiectum, intrinsecè tale: Ergo si hoc pacto fieret condonatio, vt vult Mastrius; iam nullum obiectum inuenitur, in quod Diuina feratur voluntas; & sic remissio fieret per meram non imputationem, nullo inuento obiecto; & ità, nulla facta mutatione in peccatore, neque in creatura, modò erit homo reus, modò non, quod est absonum. 171

OBIICIES primò cum Scoto. Iniuria inter nos condonatur solâ voluntate remittentis. Ergo idem potest fieri à Deo. Probatur Conseq. Quia quidquid potest facere creatura, totum id potest facere Deus, nisi dicat imperfectionem. 172

RESPONDET Amicus *disp.33. num.*23. cum Vasquez *disp.*106. *cap.*3. negando paritatem; nam voluntas creata potest aliter se habere, ac mutari physicè in ordine ad obiectum, & ità nunc remittere, quod ante non remittebat; at Deus non potest sic mutari: Ideò oportet, vt mutetur creatura, eò magis, quòd Deus remittit non solùm reatum ad pœnam, sed etiam intrinsecam culpam, quam non

remittit Rex terrenus; nam adhuc potest in conscientia manere reus, etiamsi Rex offensam remiserit.

Instat Mastrius, posse Deum remittere sine sui mutatione, sola condonatione decreta pro tali tempore; & pro tali alio tempore negata. Hac doctrina nituntur etiam Ouiedus, & Morandus cum Scoto 4. *dist.* 16. *quæst.* 2. *litteris I.K.*

Enim verò ex dictis *quæst.* 7. iam patet infirmitas huius effugij.

173 Obiicies secundo ex Scoto 4. *dist.* 1. *quæst.* 6. tolli potest omne id, quod includit culpa, absque mutatione peccatoris. Primò tolli potest ratio iniuriæ, condonatæ à Deo: Deinde ratio inimicitiæ, Deo reconciliato. Prætereà potest tolli etiam auersio à Deo: Nam in actu Diuinæ dilectionis continetur eminenter totum id, quod clauditur in gratia, quæ est effectus illius. Hoc argumentum vrgent Mastrius *num.* 73. Hibarnes *disp.* 14. *sect.* 2.

174 Potest autem (aiunt) Deus auferre priuationem etiam gratiæ, quæ est carentia in subiecto apto debita, faciendo, vt non ampliùs sit debita, sed sit mera negatio, ità, vt non exigat gratiam ampliùs, quia non ordinetur ad finem supernaturalem; vel faciendo, vt priuatio moralis fiat solùm physica, auferendo monstrositatem moralem, & faciendo, vt priuatus gratiâ, sit quasi, si sola physica perfectione careret; veluti esset iustus, si ei gratia auferretur. Arrident Lezana, Ouiedo, & Tannerus.

175 Respondetur cum Serra, negando assumptum; nam, vt peccator, ex non ordinato ad beatitudinem, & monstrosè carente gratia, fiat ordinatus, eique carentia illa sit mera negatio; sicuti lapidi non videre, exigit mutationem à statu in statum. Illa enim ordinatio ad beatitudinem aderat in actu peccati, & remanet habitualiter. Hoc ampliùs explicat Amicus *disp.* 33. *sect.* 1. *num.* 35. Nam macula adhuc manet, quæ non stat solùm in debito recuperandi eam ad finem supernaturalem; alioqui damnati non haberent hanc maculam, neque amentes, &c. Sed in carentia illius gratiæ, caussata ab actu præterito. Quare vt habeant rationem peccati, satis est, vt quando contracta est, fuerit in subiecto, habente debitum gratiam conseruandi.

176 Mastrius tandem concedit cum Auersa, Lezana, & Suarez, talem remissionem, & iustificationem fore imperfectam; & idem admittit Rada *p.* 2. *controu.* 19. Coninchius *disp.* 2. *de Pœnit. dub.* 10. *num.* 98.

Arguit Suar. in impio manet tantùm quid morale: Ergo sine physica mutatione tolli potest.

Respondetur, illud morale non esse absque reali mutatione voluntatis physica, dum eligit obiectum prauum. Addit, posse Deum infundere gratiam dormienti, & pellere peccatum, & rursum tollere gratiam; & tunc maneret absque peccato, absque gratia, & sine aliquo actu retractatiuo.

177 Respondetur primò ex dictis *quæst.* 1. probabilius esse, solum habitum non tollere peccatum: At si auferatur, rursum ablatâ gratiâ ex hypothesi, reuersuram illam maculam, nisi interueniat retractatio. Chimærica autem est huiusmodi series, vt patet: si enim sola præsentia gratiæ tollit peccatum: Ergo absentia illud relinquet; Quod enim est causa alicuius per sui præsentiam; iam idem destruit per suam absentiam. Cætera iam collisa iacent.

QUÆSTIO VIII.

Quæ mutatio esset necessaria in eo, qui absque Habitu *esset iustificandus.*

Prima opinio est, esse necessarium actum perfectissimum contritionis, vel charitatis; quo (inquiunt) formaliter pellitur peccatum. Hoc sentit Vasquez *disp.* 207. *cap.* 1. Medina 1. 2. *quæst.* 113. *dub.* 2. adducens Caietanum. Fundamenta sunt duo. Alterum est, Deum non posse pellere peccatum, absque forma incompatibili cum peccato. Alterum est, solos actus prædictos repugnare è diametro ipsi culpæ, & formaliter pellere illam, non verò attritionem, & similes actus imperfectos.

E regione, authores, qui præcedenti quæst. pro prima sententia stant, negantes, illum actum necessarium, multò magis admittent fieri per actus imperfectos. 178

Recentiores Thomistæ referunt Victoriam in ea esse sententia; vt si homo non esset relatus ad gloriam, & gratiam, sed in puris naturalibus peccaret, posset sola restitutione rectitudinis naturæ iustificari. Eum sequitur Zumellus *quæst.* 113. *art.* 2. *d.* 2.

Assero primò, non esse necessarium actum contritionis, vel dilectionis perfectæ.

Probatur primò à Suar. *tom.* 4. 3. *p. disp.* 9. *sect.* 3. *num.* 6. Si necessarij sunt tales actus contritionis & dilectionis, maximè quia repugnant formaliter per se ipsi peccato; sed hoc est falsum: Ergo. Maior est aduersariorum. Minor probatur. Id, quod exigit nouam gratiam, vt peccatum deleatur, non repugnat formaliter peccato. Talis est contritio: Ergo. Maior est clara. Nam quod è sua formalitate pellit peccatum, nullo alio eget. Minor probatur ex dictis *quæst.* 2. 179

Ex quo etiam apparet, Deum non requirere formam ex se incompatibilem peccato, sed addere fauorem, dum iustificat. Quare si actus contritionis non est talis ex natura sua mera physica; sicuti hunc fauorem Deus dare potest contritioni; ità potest etiam attritioni.

Probatur secundò à Suarez *tom.* 1. 3. *p. disp.* 4. *sect.* 8. Adæquata offensæ Diuinæ satisfactio debet esse infinita, vt ostendi *Tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 4. Sed contritio est actus finitus; imò cùm sit actus hominis peccatoris, est ex se vilis: Ergo. Hoc argumentum sumptum est è D. Bonau. *in* 3. *dist.* 20. *quæst.* 3. *fund.* 2. Ideò Concilium Trident. *sess.* 6. *cap.* 7. *&* 9. declarat, non remitti peccata, nisi gratis Diuinâ misericordiâ propter Christum. Ideò *Rom.* 3. dicitur: *Iustificati gratis per fidem.* Sed de hoc iterum 3. *p. tract. de Incarn. disput.* 2. 180

Probatur tertiò à Suarez è D. Bonau. *in* 4. *dist.* 17. *p.* 1. *quæst.* 1. ex illo Rom. 6. *Iustificati gratis per gratiam*; Cùm enim gratia habitualis sit fundamentum omnis meriti, non potest per contritionem ante gratiam habitualem merito acquiri condigno. Vide Suarez §. *Tertiò alia via ostendo.* 181

Argumenta Vasquez, diruto iam fundamento, corruunt.

Ex quibus etiam habetur, veram esse Victoriæ sententiam: Nam per restitutionem integritatis naturæ curuatæ, satisfit priuationi naturalis rectitudinis, neque vlla auersio relinquitur. Natura enim non est praua, nec curua; est enim à Deo; licèt autem iam esset à fine supernaturali negatiuè auersa; tamen hæc est naturalis in subiecto.

Quæstio

QVÆSTIO IX.

An ad IVSTIFICATIONEM, *secundùm Legem ordinariam, necessarij sint actus supernaturales.*

D. Bonau. in 4. dist.17. p.1. quæst 2.

SATIS videor *disp.1.quæst.14.* hac de re egisse; Attamen cum D.Bonauent. hîc disputante, aliquid struam fundamenti, sequentibus quæstionibus. Est autem quæstio de adultis, qui proprios actus habere possunt, vt notat S. D. hîc, & post eum Valentia *disp.8. quæst.5.puncto 4.*

182 POTEST autem iustificatio fieri vel per Sacramenta. Sed hoc 3. *p.* tractabitur; vel extra Sacramentorum vsum, per legitimam conuersionem in Deum, & votum Sacramenti, & ad hanc,conueniunt omnes, requiri conuersionem mentis in Deum; licèt de modo, quo fiat, sit controuersia.

83 ASSERO primò. Ad iustificationem adulti requiritur conuersio in Deum.

PROBATVR primò à D.Bonau. *in 2. dist.28. art.2. quæst.1.* ex illo Zach.1. *Conuertimini ad me: & ego conuertar ad vos.*

PROBATVR secundò à D. Bonau. *in 3. dist. 31. quæst. 3.* ex 18. Ezech. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Et illud Baruch.4. *Sicut enim fuit sensus vester, vt erraretis à Domino: decies tantùm, iterùm conuertentes requiretis eum.* Et Isa.31. *Conuertimi sicut in profundum recesseratis filij Israël.* Plurima loca passim Scripturæ refert D.Bonau. quæ recenset Valentia *disp.8. quæstione 4. puncto 2.*

184 PROBATVR etiam à D. Bonau. hîc ex illo D.August. *serm.15.* de verbis Apostoli: *Esse potest iustitia Dei sine voluntate tua; sed in te esse non potest, nisi per voluntatem tuam.* Et infrà: *Si hominem te fecit Deus; & iustum tu te facis, melius aliquid facis, quàm fecit Deus; non enim adhibuisti aliquem consensum, vt te faceret Deus. Quomodo consentiebas, qui non eras? Qui ergo fecit te sine te, non iustificabit te sine te. Ergo fecit nescientem, iustificabit volentem.*

AFFERT quoque D. Bernardum *lib. de libero arb.* vbi ait: *Opus salutis duo requirit, idest, Deum dantem, & liberum arbitrium recipiens, & consentiens.* Idem habet D.Cyprianus *lib.2. epistolarum, epist.2.* D. Cyrillus Hierosol. *Catech.1.*

185 PROBATVR tertiò à D.Bonauent. Deus paratus est semper iustificare, neque tamen semper iustificat: Ergo quod nunc iustificet, non antè, non venit ex parte Dei, sed à parte hominis est conuersio liberi arbitrij, vt definit etiam Concilium Trid. *sess.6. cap.5. & 6.* Probatur prior consequentia à D. Bonau. *ad 1.* quia forma quælibet exigit dispositionem, vt ritè forma accipiatur. Hac ratione vtitur D.Thom. *quæst.112. art.2.* & Valentia *loco citato.*

186 ASSERO secundò, hos actus debere esse supernaturales, idest ex auxilio per Christum. Patet ex dictis *disp.1. quæst.14.*

PROBATVR à D.Bonau. hîc. *argumentis secundo loco, additis responsis.* Primum est dogma fidei,Deum esse primum in iustificatione præueniendo, ita tamen, vt nostram etiam exigat dispositionem. Ità definiunt PP. Concilij Trident. *loc. cit.* vbi sic loquitur, cap.6. *Declarat præterea ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Iesum Christum praeueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur: vt, qui per peccata Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur: ità vt, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse 187 nihil omninò agat, inspirationem illam recipiens: quippe qui illam & abiicere potest, neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo liberâ suâ voluntate possit. Vnde in sacris litteris, cùm dicitur: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis nostre admonemur,* Zach.1. *Cùm respondemus: Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur:* Hierem. in fine orationis: *Dei nos gratia preueniri confitemur.* Hæc loca sic exponit etiam D. Bonau. loco supra adducto *in 2. dist.28. art.2. quæst.1.*

PROBATVR secundò à D. Bonau. hîc, ex illo 188 Ioan.6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Similia loca sunt, 1. Cor.15. *Gratia Dei sum id, quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit.* Et 2. Cor.3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quæ S. Bonau. *in Diæta salutis* ad id refert, *tit.7. cap.23.* & 24. & *tit.5. cap.1.* & refert etiam in Apendice *Diæta in Dom.11. & 12. post Pent.* Similiter illud Ioan.15. *Sine me nihil potestis facere.* Quod S.Bonau. vrget ad eum locum Ioan. & *in 2.dist.28.art.2.quæst.3. in corp.* & illud Philip.2. *Ipse operatur in nobis velle, & perficere,* vt habet S.D. *ead. dist. quæst.1. ad argumenta.*

PROBATVR tertiò *in opusc. de septem Itineribus,* 189 *Itinere 5. dist.4.* quia, vt ostendam *quæst.10.* ad iustificationem necessaria est intellectualis fidei directio, vt voluntas operetur, hæc autem est à Deo, Matth.16. *Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus.* Et Psal.84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Et Psal.118. *Reuela oculos meos; & considerabo mirabilia de lege tua.* Vnde 2. Cor.3. *Vsque in hodiernum diem velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatum (quoniam in Christo euacuatur.) Nos autem reuelata facie gloriam Dei speculantes.* Et Matthæi 11. *Neque Patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Christum autem reuelat Spiritus Sanctus, seu clarificat. Ioan.16. *Cùm venerit Paraclitus &c. Ille me clarificabit.* Et 1. Cor. 2. *Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum.* Et 1. Ioan.2. *Vnctio docebit vos omnia,* idest Spiritus Sanctus. Alia etiam habet, *Opusc. de sex alis Seraphim,* cap.8. Ioan.14. *Ille vos docebit omnia.* Philip.2. *Deus operatur in nobis & velle, & perficere.* Affert etiam hîc *in corpore* illud Act.15. *Fide purificans corda.*

PROBATVR quartò hîc *argumento primo, secundo* 190 *loco.* Iustificatio fit per virtutem; sed hæc est qualitas bona mentis, quam Deus operatur in nobis sine nobis efficientibus, licèt dispositis. Ergo.

QVOD verò virtutes præparantes ad iustificationem sint dona Dei, Probatur à D. Bonau. in *Diæta salut.tit.5.* Et primò quidem,capite primo ostendit de Gratia id Ephes.4. *Nolite contristare,Spiritum Sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis.* Et Eph.1. *Signati estis spiritu promissionis Sancto.* Et 1. Ioan.2. *Vnctionem habetis à Spiritu Sancto.* Psal.83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.*

DE Charitate agit, *cap.2.* & ostendit esse à Deo, 191 Ezech.11. *Auferam cor lapideum, & dabo eis cor carneum.* Cant.8. *Dabo tibi poculum ex vino condito.* Ioan.4. *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet.* Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram.*

ALIA

Alia de hoc habet, Opusc. de sex alis Seraphim, cap.8.1.Ioan.2. *Vos vnctionem habetis à Spiritu Sancto.* Rom.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, &c.*

De Fide id probat, *loc. cit. in Dieta salut. cap.3.* Oseæ 2. *Sponsabo te mihi in fide.*

De Spe *cap.4.* ex Hebr.6. *Non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, Baptismatum doctrinæ; confugimus ad tenendam propositam spem: quam sicut ancheram habemus animæ tutam, ac firmam; & incedentem vsque ad interiora velaminis.*

192 De Pœnitentia, Hier.31. *Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam.* Act.11. *Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.*

Probatvr etiam ratione, allata e D. Bonauent. *disp.1. quæst.14.* Dispositio debet proportionari formæ; sed forma est supernaturalis; est enim gratia: Ergo & dispositio. Sed hæc est actus, vt dixi *loc. cit.* & hic: Ergo.

Contra arguit Durandus *in 2. dist.28. quæst.5.* Homo inducit vltimam dispositionem in animam rationalem, etiamsi eam non producat. Ergo potest homo inducere propriis viribus vltimam dispositionem, etiamsi gratia supernaturalis sit, & ab eo non possit produci.

193 Respondetvr, negando Consequentiam. Nam productio vltimæ dispositionis animæ est virtute animæ, quæ est eiusdem ordinis; non sic dispositio, inducta viribus naturæ, se habet ad gratiam.

Probatvr secundò alia ratione S. Doctoris *in eadem quæstione primi articuli dist. 28. in 2. in corpore*, quæ est etiam D.Thom. *quæst.109. art.6.* Nulla res potest agere, aut se mouere ad finem supernaturalem, nisi virtute agentis superioris: sed per conuersionem hanc, mens nostra mouetur ad finem, sibi supernaturalem: Ergo.

Obiiciunt Pelagiani. Si ad præparandum nos ad iustificationem necessaria est gratia: Ergo non sunt in nobis illi actus liberi.

Respondet D.Bonauent. *distinct. 28. in 2. art.2. quæst.1. ad 5.* & *in 4. dist.17. p.1. quæst.2. ad 2.* illos actus esse nobis liberos, quia ad eos adiuuamur suauiter à Deo, nec Dei auxilium deest. Reliqua soluta sunt *disput.1. quæst.14.*

QVÆSTIO X.

An ad Iustificationem necessaria sit Fides, *& qua.*

Omnes quidem Sectarij huius ætatis fidem astruunt ad iustificationem necessariam, eam tamen adulterant. Triplicem fidem ponunt, vt patet è Caluino *lib.3. Inst. cap.2. §.9.* Kemnitio *p.1. exam.*

194 *Concilij Trident.* Primam vocant *Historicam*, qua credimus, quæ narrantur in Scriptura; V.g. qua credimus, aptata esse sæcula, *Hebr.11.* Secundam *miraculorum*, de qua 1. Cor.13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam.* Tertiam vocant, *Fidem promissionum*, quam diuidunt in *Generalem*, qua credimus implendas promissiones, factas omnibus in vniuersum, qualis est: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Marci vlt. Et in *Particularem*, qua quisque credit, sibi peccata remissa, quam dicunt necessariam esse ad iustificationem.

195 Hanc verò aliqui vocant *Fiduciam*, & ad voluntatem pertinere docent Lutherus *serm. Dom.2. Quadrag.* & *art.1. & 15. in Assertionibus.* Centuriatores *centur.1. lib.1. cap 4.* Melanchthon *in locis communibus, titulo de vocabulo fidei*, & Theologi Electorales *in Collegio Altemburgensi, folio tertio.*

Calvinvs verò *lib.3. Instit. cap.2. §.7.* ait, hanc fidem ad iustificationem necessariam, esse firmam, certamque cogitationem Diuinæ beneuolentiæ erga nos, gratuitæ in Christo promissionis veritate fundatam. Itaque videtur asserere eam ad Intellectum pertinere; sed §.8. dicit, esse magis affectus.

Pro veritate Catholica notandum primò è D. Bonau. *in 3. dist.23. dub.2.* & *3. p. Centil. sect.37.* & *in Compend. Theol. ver. cap.19.* Fidem multipliciter accipi. Primo, pro sponsione, 1. Tim.5. *Primam fidem irritam fecerunt.* Adducitur etiam à Vasquez illud Rom.3. *Numquid incredulitas illorum fidem* (seu promissiones) *Dei euacuabit?* Secundò sumitur pro Fidelitate; Hierem.7. *Periit fides, &c.* Quo sensu, apud Bellarminum citandum sumitur locus citatus ad Romanos Tertiò sumitur pro Conscientia *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.* Rom.14. Quartò, pro Sacramento fidei; Vnde D.August. *epist. 23. ad Bonifacium* propè finem tom.2. *Paruulos habere fidem* (ait) *non est aliud, quàm fidei habere Sacramenta.* Quintò pro Acceptione conclusionis per rationem probatæ, & sic dicit Boëtius: *Argumentum est ratio rei dubiæ, faciens fidem.* Sextò, pro Comprehensionis cognitione, Rom.1. *Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem.* Glossa, *in fidem speciei*, quæ fides dicitur, quia fidentissima, & certissima est. Septimò, pro habitu fidei informis. Iacobi 2. *Fides sine operibus mortua est.* Octauò, pro habitu fidei formatæ: *Iustus autem ex fide viuit.* Rom.1. Nonò pro actu fidei, Vnde S.August. *tract.4. in Ioan. tom.9.* & de verbis Apostoli tomo 10. *Fides est credere, quod non vides.* Decimò accipitur pro obiecto fidei; vnde dicitur in Symbolo Athanasij: *Hæc est fides Catholica.* Et ad Ephes.4. *Vna fides, vnum Baptisma.* Ità etiam Vasquez *disp.109. cap.1.* Bellarm. *lib.1. de Iustif. capite 4.*

Concedimvs etiam nos fidem, quam hæretici vocant historicam; nos verò Dogmaticam Catholicam vocamus, seu vniuersalem, qua omnes historias, dicta omnia, promissionesque Scripturæ credimus. Similiter fidem miraculorum, & fidem per reuelationem peculiarem habitam de alicuius iustificatione; de qua satis egi *disp.2. quæst.7.* vbi inanem illam hæreticorum fiduciam confutaui; quam dicunt consistere in credendo firmiter, se esse iustificatos.

Svpponitvr igitur potiùs fides ad iustificationem. Ita omnes.

Probatvr à D Bonau. *in 4. dist.17. p.1. in corpore*, ex 3. Rom. *Iustificati per fidem.* Et Act.10. *Fide purificans corda.* Ratio est, quia non potest coli Deus in materia non creditâ, *Rom.10.*

Assero primò, fidem ad iustificationem disponentem, non esse fiduciam Lutheranorum, quæ cum Spe confunditur.

Probatvr primò à D.Bonau. *in 3. dist.23. quæst.5.* Illa fides est fundamentum iustificationis, quæ definitur ab Apostolo, *Hebr.11.* Sed illa non est volita fiducia de Diuina misericordia, sed assensus intellectus: Ergo. Maior probatur primò. Cùm enim in fine capitis præcedentis dixisset: *Iustus ex fide viuit, &c.* subdit, cap.11. *Est autem fides, &c.* Deinde hic repetit: *Sine fide autem impossibile est placere Deo*; & per quam sancti Deo placuerunt, vt notat Seraphicus *in Dieta salutis, tit.8. cap.5.* & *in 3. dist. 23. quæst.1. in fundamentis, & corpore.* Similiter de ea dicitur, Act.15. *Fide purificans corda eorum*, vt notat D.Bonau. & dicit: *Credimus per eam saluari.* Minor probatur.

probatur. Fides ibi definitur: *Substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.*

200 DICITVR *Substantia.* Græcè *ὑπόστασις hypostasis*, vt explicat peritissimus Græcorum S. Damascenus, relatus à D. Bonau. quod translatum est, & significat basim, seu fundamentum, vt notat S. Doctor. *loc. cit.* & D. Thom. & Glossa ordinaria, & Magister *in 3. dist.23.* & Scholastici: Richard. *art.4. quæst.1.* Palud. *quæst.4. art.1.* Gabriel *quæst.2. art.1.* Maior *quæst.8.* Albertus *art.18.* Alensis *3.p.quæst.68. memb.5. art.2.* vt habet Concilium Trid. *sess.6. cap.8.*

VASQVEZ *disp.209. num.9.* explicat hoc modo: *Dicitur substantia rerum sperandarum, quia res, dum sperantur, non habent aliam substantiam, quam fide apprehensam*, & affert Patres Græcos; & ex Latinis DD. Hieronymum, & Bernardum *serm.10. in Psal. Qui habitat*, & est expositio Seraphici *in compend. Theol. ver. lib.5. cap.19.* & *Græc. Scholiorum.*

201 IAM verò dicitur *argumentum non apparentium*: Græcè ἔλεγχος, quod significat probationem, seu conuictionem; quia conuincens authoritate, facit sibi assentiri; sicuti, si aliquo genere argumentorum, puta Syllogismo, Inductione, Enthymemate, vel exemplo conuinceremur, vt notat D. Bonau. *ad 2.* cum D. August. & PP. Græcis, quos sequitur Bouer. *loc. cit.* Vasquez *num.10.* & Bellarminus *cap. 5.* Itaque duas præcellentias fidei hîc tradit Apostolus. Altera est, vt sit fundamentum, quo nitimur voluntate ad sperandum promissa. Altera est, vt conuincat, & persuadeat intellectum. Hinc Seraphicus, eatenus etiam voluntatem ad fidem spectare dicit, quatenus voluntas non modò imperat assensum ad fidem, vnde fit meritorius, sed etiam, quia est basis, quâ voluntas speret; & ideò prior est spe, non idem cum ea.

202 NOTAT etiam S. Doctor. *in Dieta, loc. cit.* Fidem esse argumentum non Dialecticum ex probabilibus, sed Apodicticum, idest faciens scire; non enim aliquis vnquam ita certò naturali ratione demonstrauit, sicuti fidelis, Diuina nixus authoritate; neque vllus Græcorum sapientum eò euolauit, quò rudis idiota Piscator ascendit Matth.16. *Tu es Christus filius Dei viui.* Vbi Sanctissimæ Trinitatis Mysterium fide percepit. Vide Seraphicum ibi; vbi deducit etiam, sicuti quoque *in 3. loc. cit.* fidem non esse notitiam euidentem, vt volebat Caluinus, sed assensum rerum incognitarum; seu non apparentium. Hinc D. August. *Enchir. cap.8.* legit: *Fides est conuictio rerum, &c.* Sic D. Thom. *ibi.*

PROBATVR secundò à S. Doctore, Fidem, quæ est basis vitæ spiritualis, non esse fiduciam Lutheranam *in 3. loc. cit. in corpore*, è 2. Cor.10. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*, nempè, quia credit, quod non percipit, innixus primæ veritati. Sanè fiducia non est assensus intellectus, sed appetitus.

203 PROBATVR tertiò ibi. Actus fidei est credere, Rom.4. *Credidit Abraham Deo: & reputatum est illi ad iustitiam.* Probatur verò, eam non esse fiduciam ex verbis Apostoli, quæ referam *in resp. ad 2.* vbi dicit: *Non considerauit corpus suum emortuum, &c. Plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere.* Quæ omnia actum intellectus indicant. Quid verò significet, *non hæsitauit diffidentia*, dicam *in responsione ad secundum.*

Neque dicant, verbum *credere* sumi etiam pro *fidere*; sic enim ineptissimè explicabuntur loca plurima Scripturæ, Ioan.14. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite.* Actorum 8. *Credo, Filium Dei esse Iesum Christum.* Rom.10. *Corde enim creditur ad iustitiam.* Et infrà: *Si in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.* Hæc sanè ineptè explicarentur pro fiducia. Plurima loca ad hoc affert Bouërius infrà citandus.

QVAMVIS autem hîc in actibus fidei interueniat voluntas modo dicto; non tamen interuenit fiducia, quæ est spes roborata. Vnde Iob 8. dicitur: *Spes hypocritæ peribit: & sicut tela aranearum fiducia eius.* Fiducia sanè ex fide oritur; differt tamen ab illa: Vnde Ephes.3. dicitur: *In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentiam per fidem eius.* Si ergo fides est medium ad fiduciam; sequitur, non esse ipsam fiduciam: Fides enim dicit certitudinem in intellectu; Spes verò certitudinem in affectu, vt notat D. Bonau. *in 2. dist.45. dub.3. litt.* & *in 3. dist.36. quæst.5.* vbi ostendit, fidem à Spe differre, maximè ex 1. Cor.13. *Nunc autem manet, Fides, Spes, Charitas, tria hæc: maior autem horum est Charitas.* Hæc habent etiam Vasquez; & Bellarminus adducti. Ex quo ruit effugium Kemnitij *in exam. Concily Trid.* dum ait, ad fidem pertinere tum notitiam, tum assensum intellectus; tum etiam fiduciam. 204

PROBATVR quartò. Fides ad iustificationem, & salutem necessaria, ea est, cui signa & miracula promittuntur. Marci vltimo. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, &c.* At signa fiebant ad fidem dogmaticam comprobandam: Ergo. Minor probatur è toto nouo testamento, vbi signa ad veritatem diuinitatis Christi exhibita sunt Porro fides ab Apostolis prædicata Symbolo Apostolorum continetur. Quæ in Ecclesia Catholica, seu vniuersali disseminatur & amplexatur, vt necessaria ad salutem; & in Symbolis, Niceno, Constantinopolitano, & Athanasij comprehenditur, vbi iste: *Quicunque vult saluus esse, ante omnia opus est vt teneat Catholicam fidem.* At, quæ proponuntur? Sanè dogmata Diuinitatis, Trinitatis, Incarnationis, & similia Ipse Dominus, ait Ioan.17. *Hæc est autem vita æterna: Vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Et Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Sic Ioan.20. *Hæc autem Scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est filius Dei: & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius.* Sic Rom.10. 1. Corinth.1. & aliis epistolis. 205

Fatetur Caluin. *lib.2. cap.16. §.18.* in Symbolis Summam fidei esse, ac cedit campum, ne toti antiquæ Ecclesiæ exsibilatus reclamet. Id fatentur Caluinistæ *in Fidei compendio.*

Hoc argumentum est D. Bonau. *in 3. dist.25. quæst.1.* & aliis locis afferendis 2. 2. *Tract.1. disp. 1. à quæst.7. ad quæst.14.* Latiùs hæc differit P. Zacharias Bouerius noster, *Demonstr.1. Symb.*

PROBATVR quintò à D. Bonau. 3. *à dist.25.* è PP, Clemente Rom. *epist.1.* Tertull. *de veland. Virginibus, cap 1.* Chrysost. *hom.1. in Symb.* Hier. *epist.61. cap.9.* Ambr. *serm.38.* August. *de fide, & Symb. cap.1.* & *serm.119.* & *de prædest. SS. cap.2.* Loquebatur autem de fide, quæ est initium nostræ iustificationis, contra Semipelagianos. Eam verò definit: *Est cogitatio cum assensu.* Sic cogitatio est quasi genus; assensus quasi differentia. Nam, vt ibidem S. August docet: *Multi cogitant, qui non credunt; imò aliquando cogitant, vt non credant; sed nullus credit, qui non cogitet*, vt notat etiam Bellarminus *cap.6.* Bouërius *demonst.2. Symb. art.7.*

PRÆTEREA id probat è D. Gregorio in Glossa ad illud Rom.10. *Fides ex auditu*, vbi ait; *idest, dat intellectum,* 206

intellectum, dum de auditis mentem illustrat. Si ergo fides ex auditu, & mentem illustrat: Ergo ad intellectum pertinet.

PROBATVR deinde rationibus à D.Bonau. *loc. cit.* Prima est: Id, quo reformatur imago Dei, quæ est secundum tres potentias, debet eas amplecti. Sed virtutes Theologicæ reformant mentem, & quidem voluntatem reformat Charitas: Ergo datur aliqua reformans intellectum. Nulla autem est, nisi fides: Ergo.

207 SECVNDA ratio est efficacissima. Patriæ perfectiones succedunt perfectionibus Viæ. Sic visio clara succedit visioni ænigmaticæ per fidem. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem* 1. Cor.13. sed visio est in intellectu: Ergo & fides. Confirmatur; nam hæc opponitur infidelitati, & hac ablata fit hæreticus.

TERTIA ratio validissima. In illa potentia est virtus, tanquam in subiecto, circa cuius actum explicat difficultatem; Habitus enim in ea potentia collocatur, ad cuius opus habilitat: sed per fidem captiuatur intellectus in obsequium Christi, ex Apostolo 2.*Cor.*10. Ergo fides expedit actum potentiæ intellectiuæ: Ergo est in illa, tanquam in subiecto.

208 ADDIT verò S. Bonau. Fidem, vt est virtus, & meriti principium, esse à voluntate, tametsi actus eius, & habitus sint in intellectu.

NEQVE nobis obest obiectio Bellarmini, *cap.*6. post medium. Non potest vna virtus esse in duabus potentiis, genere distinctis.

NAM S.Bonau. ait, non repugnare, vnum habitum esse in vna potentia, & regi ab alia. Sic fides est in intellectu; sed, vt virtus, regitur à voluntate. Neque nos cum Kemnitio ponimus, fidem simul esse assensum, & spem, ab illo dictam fiduciam, quæ sunt duæ virtutes.

209 OBIICIT verò Kemnitius. Scriptura tribuit cordi, quæ ad intellectum, & Voluntatem pertinent, cùm dicat: *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris.* Matth.9. Et: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Matth 22. Cur igitur non poterunt etiam fidei tribui, quæ ad intellectum, & voluntatem pertinent. Addit etiam testimonium D. Bonau. qui dicit. Spem, quoad certitudinem, ad intellectum pertinere; quoad expectationem verò, ad voluntatem.

RESPONDET Bellarminus, cor sumi pro toto interiori homine; nam ideò carni, & corpori opponitur. Psal.23. *Innocens manibus, & mundo corde.* Quare non est mirum, si cordi tribuantur actus tàm intellectus, quàm voluntatis. Vel dic cum Vasquez *num.*17. Adscribi hæc cordi; quia ex malitia voluntatis loquebantur.

210 QVOAD D. Bonau. respondet, eum *in* 3. *dist.*26. *quæst.*5. oppositum docere, scilicet certitudinem fidei ad intellectum; & certitudinem spei ad voluntatem pertinere.

ADDO S.Doctorem habere hæc verba: Certitudo fidei repugnat errori, & dubitationi: certitudo autem spei repugnat diffidentiæ, & hæsitationi: Fides firmat intellectum, ne discedat: Spes autem firmat affectum, ne diffidat. Ecce quomodo fiduciam adimit fidei, & Spei attribuit. Idem sibi constans ait *ad* 8. *Lucæ*, vt dicam *num.*338.

SIMILITER *in* 2. *dist.*43. *dub.*3. *litt.* dicit: Differt fides à Spe, quòd fides scilicet dicit certitudinem in intellectu: Spes verò dicit certitudinem in affectu. Et *lib.*5. *Compend. Theol. cap.*18. idem astruit.

211 QVÆRAT igitur Kemnitius, vbi nam S. Bonau. hæc dixerit; alia enim loca scrutatus, vbi de his loquitur, nullum de hoc verbulum inueni.

Confiteatur se potiùs callidè adduxisse authoritatem tanti Patris, vt fidem mendacio astrueret.

AIT sanè Seraphicus *in Diæta, tit.*5. *cap.*3. Fides debet habere deuotionem magnificam: primò, vt in solo Deo confidat, etiamsi ratio contradicat. Talem fidem habuit Abraham *Genes.*15. qui vetulus de vetula, & sterili, credidit Deo promittenti, quòd haberet semen, in quo benedicerentur omnes gentes. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Sed luce clariùs fidem in intellectu ponit; confidentiam verò addit ratione Spei, & deuotionis. Imò hoc loco, Bellarm. *cap.*6. Vasquez *num.*13. vtuntur ad nostrum dogma confirmandum.

ASSERO secundò contra Caluinum, Fidem ad iustificationem necessariam, non esse notitiam explicitam, & claram. 212

PROBATVR primò à D. Bonau. *de septem Itineribus æternitatis, dist.*1. ex illo Isaiæ 7. *Nisi credideritis, non intelligetis.* Quem locum ità exponit S. Proper loc. cit. de vita contemplatiua, cap.19. *Datur intelligi, quod non fides ex intellectu; sed ex fide intellectus existat, nec qui intelligit credat; sed qui credit, intelligat.* Aduertit autem S.Bonau. *in* 3.*dist.*24.*dub.*3. *litt.* adducens eum locum *Isa.*7. triplici modo aliqua credita, dici intelligi, vel non; vt dicam soluendo secundum argumentum, pro Caluino adductum.

PROBATVR secundò à D. Bonau. *ad* 6. *Ioan.* vbi Christus repetit, discipulorum aliquos non intelligere Mysterium Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ. Postquam iniunxerat: *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille*; Quia verò credebant eum filium Ioseph, ideò non intelligebant; non ex defectu Christi: nam ait: *Est scriptum in Prophetis. Et erunt omnes docibiles Dei.* Isa.54. sed ex ipsorum incredulitate propria: ait enim: *Sunt ex vobis quidam, qui non credunt.* Hoc notat S. Bonau. & ad hoc confirmandum affert illud Isa.7. *Nisi credideritis non intelligetis*; & confirmat testimonio D. August. *tract.*27. *in Ioan.* circa medium, vbi ait: *Per fidem enim cognitio; per intellectum iustificatio.* Vnde etiam ait S.August. Intelligentiam Mysteriorum esse præmium fidei. 213

PROBATVR tertiò à D.Bonauent. *ad* 8. *Ioan.* vbi Christus asserit, se plura habere de sua deitate, quæ à Iudæis non percipiebantur. Et subdit: *Cùm exaltaueritis filium hominis*, idest in Cruce: *tunc cognoscetis*, idest credendo, nempe quia credituri erant, *percutientes pectora, & confitentes: Verè filius Dei erat iste.* Et affert testimonium expositorium D. Chrysostomi, *homil.*52. *in Ioan.* ante medium, *tom.*3. & D. August. *tract.*40. *in Ioan.* vbi ait: *Aliqui compuncti, qui sanguinem sæuiendo fuderunt, credendo biberunt. Non quia cognouerunt, crediderunt, sed vt cognoscerent, crediderunt.* 214

PROBATVR quartò à D.Bonau. *in* 3. *dist.*30. *quæst.*5. *ad argumenta*, & *dist.*35. *quæst.*5. *in resol.* ex 1. Cor.12. *Alij datur per Spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ in eodem spiritu, alij fides in eodem Spiritu*, vbi fidem à sapientia, & scientia distingui colligit. 215

PROBATVR quoque ex loco allato D. August. *cap.*2. *de Prædest. Sanct.* vbi ait: *Credere nihil aliud est, quam cum assensione cogitare.* Itaque fides non est simplex cogitatio, sed cum assensu. Assensus verò non est notitia; potest enim aliquis assentiri, & credere ex authoritate, absque clara intelligentia; quòd si hæc necessaria esset, væ simplicibus, vt arguit S. August. *epist.*102. & *contra epistolam fundamenti, cap.* 4. relatus à Bellarmino *cap.*7. Ideò D. August. *lib. de vtilitate credendi, cap.* 11. *Quod intelligimus aliquid,* 216

aliquid rationi debemus, quod autem credimus, authoritati.

Obiicit primò Caluinus 2. *Tim.* 3. vbi damnat semper discentes, & nunquam ad veritatem pertinentes.

217 Respondetvr, non esse ad rem, vt notat Vasquez, *num.*22. & Bellarm. *cap.*7. *in fine.*

Obiicit secundò, D.August.*in Psal.*128.*serm.*18. & super *Psal.*118.*serm.*19. ad ea verba: *Cognoui Domine, quia, &c.* ex credibilibus, quædam sunt, quæ creduntur, sed priùs intelliguntur, vt Axiomata: *Quod non vis tibi fieri, ne alteri feceris.* Quædam quæ intelliguntur, & sunt obscurissima, v. g. Trinitatis Mysterium: Quædam sunt, quæ creduntur, & nunquam intelliguntur. Præthereà, si credere, est cogitare cum assensione; & cogitare est intelligere; videtur, quòd omne credere, præcedit intelligere.

218 Respondet D. Bonau. in 3. dist. 24. dub.3. litt. *Intelligere*, idest cognoscere largè, quod dicitur per nomen *semper*, esse ante *credere*, & ita etiam fides ex auditu prouenit. Alio modo dicitur *intelligere* ratione præuia, iuxta quod ait D. August. *Quod intelligimus, debemus rationi; quod credimus, auctoritati.* Et de isto ait Idem August. nos priùs credere, & posteà intelligere; sic sunt articuli, qui sunt supra rationem. Quæ verò prius intelliguntur, sunt dictamina naturæ. Quæ verò creduntur, & nunquam intelliguntur, sunt, quæ non possunt ratione probari; vt historia humana, V.g. Isaac genitum fuisse ab Abraham, quod sola auctoritate creditur. Itaque *credere* absolutè, non est post notitiam claram, vt dicebat Caluinus.

219 Assero tertiò, obiectum fidei iustificantis non esse specialem misericordiam, quo firmiter credantur peccata remissa. Est definitum in Concilio Trident. *sess.*6. *can.*12. sub anathemate contra Sectarios, vbi damnatur, qui dixerit, fidem iustificantem nihil aliud esse, quam fiduciam Diuinæ misericordiæ.

220 Probatvr primò à D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 24. *quæst.*3. *arg. vlt. addito responso.* Illa fides est iustificans, sine qua impossibile est placere Deo ex Apostolo, *Hebr.*11. Sed hæc non est fiducia misericordiæ mera, (ne dum certitudo;) sed assensus ad articulos fidei de Diuinitate, & Incarnatione, & similibus generibus. Minor probatur ex Apostolo, qui latè ibi prosequitur, tali fide homines Deo placuisse; vt dixi pro prima assertione. Minor probatur secundò: Nam, qui baptizabantur, ad hæc inducebantur credenda, non ad credendum sibi remissa peccata. Id

221 ostendit S.Bonau. de Centurione Cornelio, *Act.* 10. qui, licèt aliquam fidem implicitam de Incarnatione haberet, tamen Ecclesiæ Princeps sic eum affatus est: *Verbum misit Deus filiis Israël, annuncians pacem per Iesum Christum (hic est omnium Dominus.) Vos scitis, quod factum est verbum per vniuersam Iudæam: incipiens enim à Galilæa, &c.* Et recenset vitam, miracula, mortem, resurrectionem Christi, &c. & iussit posteà baptizari. Similes sunt conciones catechisticæ ad iustificationem Act.2.4.8.13.17.vbi nihil de illa fiducia dicitur; vt notat etiam Bellarminus *capite* 8.

222 Probatvr secundò à S. D. *ad cap.*3. *Ioan.* vbi Christus instruit Nicodemum ad regenerationem, qui erat figura omnium Catechizandorum, vt ibi notat è D. August. *Tract.*11. *in Ioan.* vbi Diuinitatem suam prædicat, Sacramentum Baptismi, Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, Passionis, &c. & ait: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum Vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* quod sanè præceptum adhuc non cogebat; sed quando Christus misit discipulos, dicens: *Euntes baptizate*; postquam sufficienter promulgatum est Baptisma. Vbi etiam aduertit S. Bonau. contra Lutherum, quòd Christus manuducebat per fidem Nicodemum ad intelligentiam Mysteriorum.

Probatvr tertiò à D. Bonau. *ad cap.*1. *Ioan.* vbi Ioannes excitabat Iudæos ad sanctificationem per Christum, edocens eos Incarnationem, Deitatem filij Dei, nimirum Verbi, cuius ipse se vocem fatebatur. Ideò excitat gentes ad eum adeundum dicens: *Ecce Agnus Dei, Ecce, qui tollit peccata mundi.* Et testimonio Spiritus Sancti, in specie Columbæ elapsi, attestatur Christi Diuinitatem, & plures etiam è discipulis suis ad Christum misit, Andræam, qui Philippum duxit, & iste Nathanaelem, qui postquam confessus est: *Tu es filius Dei, &c.* Subdit: *Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis: maius his videbis.* Ex quo deducit S. Bonauent. contra Caluinum, quod fides meretur intelligentiam Mysteriorum, & adducit illud Isa. 7. *Si non credideritis, non permanebitis.* 223

Probatvr quartò à D. Bonauent. *ad cap.*5. *Ioan.* vbi sanato paralytico instruit Iudæos ad iustificationem; & docet eos suam Deitatem, suam emanationem à Patre, suamque potestatem iudiciariam. Et subdit: *Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit; habet vitam æternam; & transit de morte in vitam.* Vbi obseruat S. Bonauent. Christum non eximere à morte corporis; sed agere de resurrectione à morte culpæ ad vitam iustitiæ. Ideò subdit, ad hoc necessarium, primò *audire*, secundo *credere*, tertiò *operari.* Sequitur autem (ait S.Doct.) modum, quo iustificentur per fidem, vbi prosequitur agere de sua Deitate, de emanatione à Patre, de iudiciaria potestate, qui sunt articuli Symboli; neque de fiducia illa Lutherana verbum dicit; Sed iniungit: *Scrutamini Scripturas. Vos misistis ad Ioannem, &c. & testimonium perhibuit de me. Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me: De me enim scripsit Moyses.* 224

Probatvr quintò à D.Bonauent. ad illud 6. *Ioan.* vbi discipulorum aliqui abierunt ob ignoratum Mysterium Eucharistiæ sanctissimæ; Christus autem dixit: *Numquid & vos vultis abire?* Et Petrus respondit: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei.* Vbi notat primò Seraphicus contra Caluinum, ex fide oriri notitiam *credidimus & cognouimus*, ait: Deinde notat, hanc fidem, Christum requisiuisse ad salutem, & hanc laudasse in Petro dicente: *Tu es Christus, filius Dei viui.* 225

Probatvr sextò à S.D. è *cap.*9. *Ioan.* vbi instruit Celidonium, olim cæcum, ad se orandum: *& qui loquitur tecum, ipse est.* Et ait: *Credo Domine; Et procidens adorauit, eum.* Et Christus hanc fidem ad salutem docet necessariam: Ideò vertitur ad Iudæos in hoc incredulos: *In iudicium ego in hunc mundum veni: vt qui vident, cæci fiant.* Vnde dicitur Rom.11. *Cæcitas in parte intrauit in Israël.* Et cap.9. *Quod Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam.* Ideò subdit: *Et audierunt quidam ex Pharisæis, & dixerunt ei: Numquid & nos cæci sumus? Respondit eis Iesus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum, nunc verò dicitis: Quia videmus. Peccatum ergo vestrum manet*; idest condemnatis cæcum, confitentem me, existimantes vosmetipsos & iustos videntes: *Ego autem non veni vocare iustos, sed peccatores.* Matth.9. Hæc Seraphicus Doctor. 226

227 PROBATVR septimò à S.D. ad illud 11. Ioan. Vbi Christus dixit Marthæ: *Omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi: Vtique Domine ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.* Promittit igitur vitam, vtique animæ perpetuam, non corporis, confitentibus se; quia vt notat D. Bonau. *Iustus ex fide viuit*; & affert testimonium D. August. *tract.*49. *in Ioan.* vbi ait ad ea verba: *Qui credit in me, non morietur in æternum. Vnde est mors in anima? quia non est ibi fides. Vnde mors in corpore? quia non est ibi anima: Ergo animæ tuæ fides est anima, vel vita.* Quærit verò S. Bonau. cur non laudauit eam, sicuti Petrum, cùm ait: *Tu es Christus filius Dei.* Respondet, quia probabiliter non intelligebat mulier perfectè filiationem per naturam. Ergo Petrum laudauit, quia perfectam fidem consecutus est, & etiam intelligentiam Diuinitatis perfectè in Sanctissima Trinitate.

228 PROBATVR octauò à D. Bonau. *ad* 20. *Ioan.* Ibi Christus inducit Thomam ad suam Deitatem credendam: *Dominus meus, & Deus meus.* Ipse verò subdit: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Beatum ergo, idest destinatum ad beatitudinem ex fide in Christum asserit: Et subdit: *Multa alia signa fecit Iesus, &c. Hæc autem scripta sunt, vt credatis &c. & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius.* Vnde infert S.Bonau. Christum agere de fide viuifica, & adducit illud Ioan. 11. *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet*, Vnde deducit S. Doct. fidem viuificare spiritualiter, & corporaliter in resurrectione. Et patet hîc finis saluificus sacræ doctrinæ Euangelicæ, quæ est assecutio vitæ æternæ. Quamuis enim iste sit finis totius Scripturæ. *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Rom. 15. tamen doctrina Euangelica, quasi immediatiùs, ducit ad vitam æternam. Ergo fides iustificans habet pro obiecto aliquid, præter misericordiam Dei. Plurima alia
229 habes exempla in Scriptura, apud D. Bonauenturam quem vide *in Commentario.*

PROBATVR nonò à S. Doct. *in* 3. *dist.*24. *quæst.*2. *arg. penult.* Illa fides est necessaria ad iustificationem, qua deficiente excluditur homo à gremio Ecclesiæ; sed negans aliquam veritatem Scripturæ, damnatur tanquam hæreticus: Ergo.

PROBATVR decimò à S. Doctore *loc. cit. quæst.*3. E confessione Sanctorum Patrum. Sicuti necessarium fuit Patribus antiquis credere, Incarnationem futuram, saltem implicitè, ita nunc esse præteritam: Sed hæc non est fiducia: Nihil enim facit ad fiduciam, quod fuerit, vel futura sit: Ergo.

230 PROBATVR vndecimò à D. Bonauentura *in* 3. *dist.*25. *quæst.*1. Ecclesia proponit Symbolum, tanquam Summam fidei. Dicitur enim Symbolum, quasi collectio eorum, quæ sunt necessariò credenda, vt docet Cassianus ad Leonem I. *lib.*6. Ambrosius *epist.*81. *ad Siricium.* Hieronymus *epist. ad Pammachium*, Augustinus *serm.* 115. 119. & 181. *de tempore.* Leo *epist.*13. *ad Pulcheriam*, & *serm.* 11. *de Pass. Domini.* Maximus *serm. de Symbolo*, & alij.

Hoc Symbolum habemus latiùs extensum in Conciliis, Niceno, & Constantinopolitano; & rursus in illo D. Athanasij, quod incipit: *Quicumque vult:* &c. In Symbolo autem ponunt multa credenda; nempe, Deum esse vnum, Creatorem cæli, & terræ, visibilium, & inuisibilium: Christum esse filium Dei Vnigenitum, consubstantialem, per quem omnia facta sunt: Eum propter nostram salutem Incarnatum, passum, mortuum, atque sepultum, &c. Spiritum Sanctum esse Deum.

231 Additiones verò factæ Symbolo Apostolorum, factæ sunt ad varias hæreses obortas elidendas. Dicitur autem Symbolum à *Syn*, idest simul, & *bolo*, idest sententia. Vnde Symbolum dicitur plurium sententia constituta. In his autem omnia ponuntur, præter Lutheranam illam misericordiam.

RESPONDET Lutherus *in cap.*3. *ad Galat.* hanc poni: dum dicitur: *Credo sanctam Ecclesiam*; idest, Credo, nullum esse ampliùs peccatum, nullam mortem in Ecclesia.

RESPONDET Philippus, eam poni, cùm dicitur: *Credo remissionem peccatorum.*

Contra, primò, quia plura alia nobis credenda 232
necessaria fateri coguntur, dum Symbolum necessarium tenent cr...endum: Ergo non in sola fiducia misericordiæ po...tur.

DEINDE, eam non esse fiduciam de misericordiâ certâ, peculiariter promissâ, ostendi *disput.*2. *quæstione* 7.

PROBATVR duodecimò *dist. cit. quæstione* 2. Ad 233
Hebr. 11. loquens Apostolus de ea fide, quæ iustificat, sine qua impossibile est placere Deo, vt ipse Apostolus testatur, ait: *Accedentem ad Deum oportet credere; quia est, & quia remunerator est*, quæ tanquam præcipua proponuntur; At existentia, & essentia Dei non facit ad illam fiduciam formaliter. Confirmatur à D.Bonauent. *lib.*5. *Compend. Theol. cap.*20. Illa fides iustificat, quæ beatum facit; sed hæc est historica, Ioan. 20. *Beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Vbi proposita fuit resurrectio Christi credenda. Sicut & *Matth.*16. Christi Diuinitas.

VNDE ruit effugium Kemnitij volentis, tametsi 234
multa sint obiecta fidei; tamen obiectum fidei iustificantis esse fiduciam in misericordia Dei. Ea verò, quæ à Paulo *ad Hebr.* dicuntur, esse varia officia fidei, quæ iam iustificatis conueniunt.

AMPLIVS certè ait: *Oportet accedentem ad Deum*, nempè per conuersionem *credere, quia est.* Hæc sanè præclusio D. Bonauenturæ, Kemnitio est insolubilis, magis, quàm illæ, quas affert Vasquezius *numero* 31.

PROBATVR tertiodecimò *loco cit.* Nullus potest 235
saluari, aut potuit absque fide, saltem implicita, Mediatoris; sicuti nullus potuit saluari, nisi per Mediatorem: & dicitur Ioan.1. *Gratia, & veritas per Iesum facta est, & ideò oportuit credere Incarnationem, passionem, mortem, &c. Ergo non solam misericordiam.* Tandem, fidem dogmaticam esse iustificantem, asserunt SS. Patres apud Bellarminum *cap.*9. Vasq. *num.*33. & D. Bonau. *in* 3. *dist.*3. cum Magistro, & *lib.*2. *Pharetræ*, *cap.*23.

PROBATVR etiam ratione: Fides iustificans, debet esse prior iustificatione, sicut causa præcedens 236
effectum; ideò dicitur: *Iustificati ex fide.* Rom.3. Sed hæc fiducia est post iustificationem: Ergo supponens iam iustificationem. Hoc argumento vsus sum *disp.*2. *quæstione* 7.

OBIICIVNT primò aduersarij illud Hebr.11. *Fides est sperandarum substantia rerum, &c.* Nam in Græco, pro substantia est ὑπόστασις fiduciam sonans.

RESPONDETVR è D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 33. 237
*quæst.*5. dici substantiam transumptiuè, quia est fundamentum fabricæ spiritualis, sicuti materia est fundamentum formarum; & sicut compositum substantiale est basis accidentium, & ideò D.Damascenus, peritissimus Græcorum, legit *hypostasis.* Sic exponunt etiam cæteri Patres Græci, quibus magis credendum, quàm Græcè linguæ sciolis, Kemnitio, & Melanchthoni, vt ait Bellarm. *cap.*11. Quare verò eo nomine vsus sit Apostolus, quod significat etiam expectationem: Respondetur ex D.Bonau. quia cùm fides stabiliat

causatiuè

causatiuè affectum circa spem rerum futurarum, seu sperandarum; videretur aliquo modo expectationem indicare. Neque tamen ex hoc aliquid deducere valent aduersarij; nam expectatio rerum futurarum non est fides iustificans, quam hæretici dicunt in eo positam, vt confidamus, nos esse iustificatos.

238 Obiiciunt 2. *Rom.*4. Abraham iustus dicitur factus, quia: *non hæsitauit diffidentia.* Vocat fidem eius fiduciam.

Respondet S.D. *in Diat. tit.*5. *cap* 3. *& ad Lucæ* 8. Exigi fidem in intellectu ad miracula obtinenda. Hinc Iacobi 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Sic Abraham credidit se decrepitum è sterili geniturum; ideò notat ea verba: *Plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere.* En fides, qua confortatus, non hæsitauit diffidentia, Græcè *ἀπιστίᾳ incredulitate*, quæ spem etiam recipiendi temerat, sed credidit, sciens Dei omnipotentiam; & adeò firmè vt hæc pepererit spem tutam obtinendæ prolis. Ità ea verba, *non hæsitauit diffidentia*, non sonant aliud, quàm fidem adeò firmam, vt non admiserit secum incredulitatem, & defectum spei germanæ, sed firmè assensus veritati Diuinæ promissionis, & Dei omnipotentiæ, ac fidelitati confidit, sperauit virtute germana prolem. Hinc ait S. Doct. intelliges id Lucæ 8. *Crede tantùm, & salua erit*, nempè filia ægra, Crede firmè, adeò vt fides ad confidentiam transeat gignendam, & per confidentiam cum fide merearis filiæ sanitatem. Hæc si candidè legisset Kemnitius, non desiperet ad sensum Doctoris sancti corrumpendum; de quo dixi, *num.*209.

239 Volebat enim Christus suam credi omnipotentiam *Matth.*9. petebat: *Creditis, quia hoc possum facere vobis?* vt notat D.Bonauent. *loc. cit.* Et *Lucæ* 1. Angelus puniuit Zachariam, quia promittenti filium, obiecit senectutem suam, & coniugis sterilitatem. Et Mariæ ait: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Simili ergo modo etiam Abraham propriâ fide credidit omnipotentiam Dei. Ideò ait Apostolus: *Plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere.* Audiamus Seraphicum ad eum textum Lucæ 1. *Ego enim sum senex, &c.* ideò dubitabat, & hæsitabat. At non sic Abraham, de quo

240 Rom.4. *Et non infirmatus est in fide, nec considerauit corpus suum emortuum, cùm ferè centum annorum esset, & emortuam vuluam Saræ. In promissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit, potens est facere. Vnde Abraham credidit, quia considerauit Diuinam potentiam; sed Zacharias hæsitauit, quia considerauit solum humanam potentiam.* Hæc S. Bonauentura. Sic & 2. *Paral.* 20. dicitur: *Credite in Domino Deo vestro, & securi eritis.* Hæcne audis Kemniti, ex inferno?

Ex illo loco D. Bonauent. *ad* 1. *Lucæ* habes, cur etiam reprehendantur aliqui modicæ fidei; quæ ideò non erat magnifica, vt ait ipse S. Doct. *in Diæta loc. cit.* & ideò non gignebat fiduciam, sed timorem sinebat irrepere. Vbique verò Græcè est *πιστις pistis* 1. *Cor.*13. *Ephes.*2. *Coloss.*1. *Philip.*1. vbi de vera fide: At fiducia dicitur *πεποιθησις* vt notat Bouërius *Dem.*2. *Symb.*2. *art.*2.

241 Id notat D. Bonauent. ad illud Lucæ 8. *Vbi est fides vestra?* Et adducit etiam illud *Matth.*14. de Petro: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* nempe de omnipotentia. Nam & filij Israël, *Hebr.*11. Transierunt mare rubrum, tanquam per aridam terram. Vnde S. Bonauent. *ibi.* Quare frustra pro se hæretici adducunt hæc loca ad ostendendum, fidem esse fiduciam; & carentiam fidei esse carentiam fiduciæ.

Obiiciunt tertiò, Rom.4. *Ideò ex fide, vt secundùm gratiam firma sit promissio.* Videtur autem fides hîc dicere fiduciam.

Respondetur è D. Bonauent. *locis adductis*, ibi 242
esse promissionem factam Abrahæ, quòd fieret Pater multarum gentium. Quòd verò per fidem non sumatur fiducia, patet è verbis sequentibus, suprà allatis à S. Doct. *Sed confortatus est fide.* Græcè *πιστις pistis.*

Obiiciunt quartò. Fides non iustificat, vt respicit in Verbo Dei rerum gestarum historias, aut comminationem pœnarum, aut præcepta, & leges; sed solum vt respicit promissiones salutis; & hanc non in genere; sed in specie. Rectè igitur definitur fides iustificans, fiducia Diuinæ misericordiæ.

Respondetur, negando Antecedens, vt suprà ostensum est. Confitemur quidem, debere nos etiam sperare in Diuinis promissionibus, sed legitimè, vt supra ostendi *disp.*2. *quæst.*7. Cæterum fides in hebræo אמונה *Emunah* dicitur à verbo האמין *Heemin.* credere *Isa.*11. *Osea* 2. *Habac.*2. & vbique; at fiducia dicitur מבטח *Mibtach* seu בטחון *Bittachum* à בטח *Battach* fiduciam habere 2. *Reg.*18. *Iob.*11. & vbique vt monet Bouër. *Dem.*2. *secundi Symb.art.*2.

QVÆSTIO XI.

An sola Fides *iustificet.*

Vetustissima hæresis fuit in Ecclesia, solam fidem ad iustificationem sufficere. Sic à sæculo 243
Apostolorum inuecta est, vt ait D. August. *lib. de fide, & operibus, cap.*14. ex quibusdam Apostoli Pauli sententiis prauè intellectis. Ideò Apostoli, Petrus, Ioannes, Iacobus, & Iudas suis litteris insudarunt ad eam conuellendam, vt ibi testatur D.Augustinus. In eadem hæresi fuere Valentinus, Eunomius, Aërius, vt referunt Irenæus *lib.*1. *aduersus hæreses*, *cap.*1. Epiphanius *lib.*1. *cap.*32. & *lib.*1. *Compend. cap. de Valentino*, August. *de hæres.cap.*59. Hoc sæculo Sectarij, vt monstra omnia excitarent, solam fidem ad iustificationem sufficere dixerunt. In hoc verò ab antiquis hæreticis dissentiunt. Illi enim fidem historicam, siue dogmaticam: hi autem fiduciam in Diuina misericordia astruunt.

Qvare hi Neoterici adhuc inter se dissident: Nam Lutherus *in cap.*2. *ad Galat.* ait, Fidem esse formalem causam iustificationis. Eum secuti sunt Vuitembergenses: alij verò dicunt, formalem causam esse iustitiam Dei, aut Christi, nobis imputatam; fidem autem esse veluti manum ad apprehendendam hanc iustitiam. Ità Kemnitius *in Exam. Concil. Trident. sess.*6. Caluinus *in pestifero Antidoto, ad can.*11.*sess.*6. & alij etiam Lutherani. In quo decepti sunt etiam Canonici Colonienses.

Adhvc verò inter se contendunt hæretici nostræ 244
ætatis: Aliqui enim solam quidem fidem iustificare dicunt; requiri tamen actus aliarum virtutum solum vt signa veræ fidei. Ita Vuitembergenses, Molliores Lutherani *in Colloquio Altemburgensi*, Melanchon *in locis communibus*, Caluinus *in illo Antidoto, ad can.*11. *sess.* 6. Kemnitius, Bucerus, & alij adducti *quæst.*1. At rigidi Lutherani, idest Saxonij, alias virtutes penitus excludunt. Hi omnes in Sancto Concilio Trident. *sess.*6. *cap.*8. & 9. *canonibus* 9. 12. & 14. damnantur.

R 2 Assero

Assero, nullam fidem ad iustificationem peccatoris sufficere.

245 Probatvr à D.Bonau. primò ad ea verba Ioan.1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Vbi notat non dixisse: fecit eos filios, qui credunt; sed: *dedit potestatem*, idest disposuit. Quia fides est prima sanè radix salutis, non tamen sola, vt notat etiam Bellarminus *lib. 1. de Iustificatione, cap.13.* & ad hoc adducit testimonium D. August. *lib.83. qq. quæst.64.* Vnde & *ad 5. Lucæ,* affert Seraphicus illud Prouerb.16. *Per misericordiam, & fidem purgant peccata.*

Probatur secundò à S.D. *in 4. dist.17. p.1. quæst.2. in resol.* ex 15. Actorum: *Fide purificans corda.* Syriaca habet *purgauit*, quæ est mera dispositio remota.

246 Probatvr tertiò à D. Bonauent. *in 3. dist. 25. quæst.2.* & *dist.26. quæst.3.* vbi eam fidem, sine qua impossibile est placere Deo, non solam iustificasse antiquos Sanctos, quos enumerat, late ostendit; sed additis Spe, charitate, & operibus virtutum, quibus, Deo mouente, dispositi, iusti facti sunt. Aspiciantur Sanctorum Amphitheatra, & recte comperietur, Apostolum id ostendere, quod Sacrum Concilium Trid. *sess.6.* declarat; etiam Spem, Timorem, Pœnitentiam, Fortitudinem per Martyria ad Iustificationem contulisse; Id verò egregi statuit cum D Iacobo dicente *cap.2. Fides sine operibus mortua est.* Neque inuenient aduersi in Scriptura, quæ sola est apud eos consulenda, fidem solam sat esse. Inuenient, vere, credentes non iustificatos. *Ioan.12.* vt monet D.August. *tr.54.* Alios *Matth.7.& 25.* in parabola Virginum, vt ait D Greg. *homil.2.* Isaias Abb. *orat.25.* Orig. *tract.32.* maximè Pharisæum *Lucæ 18.* vt ait D.August. *serm.36. & epist.86.* Tandem Scriptura altè clamat, nos sola fide non iustificari, *Psal.61. Matth.16.25. Ioan.5.* Rom.2. *Reddit vnicuique iuxta opera sua.* Et similia, vt monet hîc Orig. August. de vera Innoc. *cap.292.* & refertur in Concil. Arauf. *can.18.* è Chrysost. Theophylact. *in loc. cit. Rom.2.* qui præclarus est. *Non enim auditores legis (ait,) sed factores iustificabuntur*, quo premitur Caluin. *lib.3. Instit. cap.17. §.13.* quasi anguis tortuosè se totum contorquens, desperatè negans vnum adduci posse, qui legem impleuerit: At innumeros Scriptura profert: *Eccles. lib. Regum*, & aliis Scripturis, vt ostendam *disp.4. a n.3.*

247 Porro aliis etiam virtutibus Iustificationem adscribit Scriptura.

De Spe id ostendit S D. *3. dist.26. quæst.1.* è Rom.8. *Spe salui facti sumus.* Psal.32. *Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. Vt eruat à morte Animas eorum.* Heb.6. *Confugimus ad propositam nobis spem.*

Id melius Scripturæ testimoniis roborat S. D. in Commentario ad illud Lucæ 5. *Remittuntur tibi peccata tua.* Vbi aduertit S.D. in hoc modum illum præparationis ad gratiam, quam postea S. Concilium Trid. definit, sess.6. cap.6. Sic: *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati Diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere mouentur in Deum, credentes, vera esse, quæ Diuinitùs reuelata, & promissa sunt: atque illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu*: vt habetur Ephes. 2. *Gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum.* Vnde dicitur 1. Ioan.1. *Remittuntur vobis peccata propter nomen eius.* Posteà considerat, dici ei (*homo*) vt suam miseriam considerans conteratur. Deinde: *Remittuntur*

248 *tibi peccata.* Inuitat ad spem Diuinæ gratiæ. Vnde Matth. 9. dicitur: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua; & ideò per spem disposuit ad remissionem peccatorum.* Hæc S. Concilium Tridentinum ex doctrina, ferè ad verbum, Seraphici Doctoris *loc. cit.* vbi sanè præscius errorum nostri sæculi ostendit, peccata, cùm teguntur, remitti, ablui, lauari. Ad id affert illud Psalm.50. *Laua me ab iniquitate mea.* Et Isa.6. *Auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Ideò obseruat, dici: *Sanus factus es; iam noli peccare.* Et apponit illud Psalm. 40. *Sana animam meam, quia peccaui tibi.* Et addit *ex Psal.31.* tegi peccata per verum indumentum charitatis, quo tolluntur coram Deo; nam tegitur Deo id, quod tollitur; alioqui omnia nuda, & aperta sunt oculis eius, 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Vide Seraphicum Doctorem.

Affert etiam in Diæta *tit.5. cap.4.* illud Psal.55. 249
Ab altitudine diei timebo; ego vero in te Sperabo; Vbi cum adhuc timeat a die iudicij, non dicent hæretici, iam illum iustificatum. *In Compendio quoque Theologiæ* refert illud Psalm.31. *In te Domine speraui, non confundar in æternum. Sperantes autem in Domino, misericordia circumdabit.* Prouerb.28. *Qui sperat in Deo, saluabitur.* Et alia loca, quæ in eo videri possunt.

Probatvr secundò à D Bonauent. *lib. 2. Pharetræ, cap. 24.* e D. August. *lib.10. Confess. cap.43.* 250
tom.1. *Merito mihi spes valida in illo est, quod sanabis omnes languores meos, per eum, qui sedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis: alioquin desperarem.* Et lib.9. cap. 13. *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam: quia vero non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus aliquem apud te locum inuenire indulgentiæ.* Et *de gratia noui testamenti, cap. 4. epist.120.* ad Honoratum: *Non iam desperandum est, participatione Verbi, fieri posse homines filios Dei, quando filius hominis participatione carnis, factus est filius hominis.*

Alios Patres refert *lib.4. Pharetræ, cap.44.* præcipue D Bernardum, *sermone 1.* in Psalm. Qui habitat: *Quoniam in me sperauit, liberabo eum.* Vbi ait: *Sunt qui sperant in Domino, sed frustrà: quia sic de misericordia eius sibi ipsis blandiuntur, vt à peccatis suis non emendentur. Vana est omnino spes ista, & hæc confunditur; eo quod charitas desit.* Similia habet *serm.3. in Annunciat.*

Timor etiam est dispositio ad iustificationem, de quo *disp.1 quæst.14.*

Probatvr primò à D. Bonauent. *in 3. dist.34.* 251
p. 2. quæst. 1. & *Opusc. de septem Donis. De Dono Timoris, cap.4.* Et *in Diæta salut. tit.6.* ex illo Ecclesiastici 1. *Initium Sapientiæ timor Domini.* Per sapientiam autem intelligi, iustificationem, qua homo disponitur abstractus a peccato, Probatur à S. Doctore *Opusc. de septem Donis, loc. cit.* è Diuo Bernardo *sermone 23. in Cant.* vbi ait: *Timor Domini bene dicitur initium sapientiæ, quia tunc primum Deus animæ sapit, cum eam ad timendum, nedum ad sciendum instruit, &c. Tunc enim mente Diuina beneficia sapimus, quia iam amaritudo peccati ab ore mentis per timorem expulsa est. Igitur Timor, initium sapientiæ, totum regnum animæ iustificat.* Idem habet D. August. *lib. 1. de serm. Domini in monte*
cap. 4. Per timorem autem istum, qui est initium 252
sapientiæ, intelligant timorem seruilem omnes ferè Patres, vt notat D. Bonauent. *in 3. loc. cit. quæst.1.* Ita Sancti, Basilius *Orat. in initium Prouerb.* August. *loc. cit. & tract.9. in epist. Ioan.* Gregor. *homil.19. in Ezech.* Beda *ad cap.1. Prouerb.* Bernard. *loc. cit.* Confirmatur à Seraphico ex illo Prouerb. 15. *Timor*

mor Domini, disciplina sapientiæ: & gloriam præcedit humilitas.

PROBATVR secundò à S. D. *loco allegato, quæst.*1. ex Prou.16. *In timore Domini declinatur à malo.*

253 PROBATVR tertiò à S. Doctore *loc. cit.* ex 26. Isa. *A timore tuo concepimus, & peperimus spiritum salutis,* iuxtà LXX. Sic enim & fides dicitur iustificare, quia per eam formatur, & concipitur Christus in nobis, vt dicitur Galat.4.

Confirmatur à D. Bonau. *in corpore*, primò à contrario: Nam dicitur Isa.63. *Quare errare nos fecisti de viis tuis, indurasti cor nostrum, ne timeremus te?*

SECVNDO ex illo Psalm.118. *Confige timore tuo carnes meas; à mandatis enim tuis timui.*

254 PROBATVR tertiò à S.D. *Opusc. de septem Donis. De dono Timoris, cap.*4. ex illo Eccl.1. *Qui sine timore est, non poterit iustificari.* Hinc deducit S.Bonau. ex Timore procedere iustitiam nostram. Sic enim de fide *Hebr.*11. dicitur: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Vrget S.Doctor ex illo 5. *Eth. cap.*1. vbi Iustitia dicitur continere omnem virtutem.

CONFIRMAT quoque ex illo Ecclesiast.1. *Corona Sapientiæ, Timor Domini.* Sapientia autem iustificationem dicit: & id: *Initium sapientiæ Timor Domini.* Sap. 1. Refert & illud loc. cit. *Timor Domini delectabit cor, & Timenti Deum benè erit in extremis.* Et Psalm.127. *Ecce sic benedicetur, qui timet Dominum.* Confirmat expositionem ex Cassiano *de Instit. Monach. lib.*4. *cap.*43. vbi ait: *Principium nostræ salutis, nostræque sapientiæ secundum Scripturas est Timor Domini. De timore enim Domini nascitur compunctio salutaris; de compunctione cordis procedit abrenunciatio, idest contemptus omnium facultatum; de abrenunciatione humilitas procreatur; de humilitate mortificatio voluptatum generatur: de voluptatum mortificatione extirpantur, atque marcescunt vniuersa vitia: de vitiorum expulsione virtutes fructificant, atque*
255 *succrescunt: de virtutum suppullulatione puritas cordis acquiritur; per cordis puritatem Apostolicæ charitatis perfectio possidetur. Hæc fuit sententia B. Antony.* Hæc ille.

PROBATVR quartò à D.Bonauent. *in Dieta, loc. cit.* primò ex illo Matth. 10. *Timete eum, qui potest corpus, & animam perdere in Gehennam.* Et Psalm. 118. *Confige timore tuo carnes meas, &c.* Et Prouerb. 18. *Beatus homo, qui semper est pauidus.* Vnde è contra, 1. *Thessal.* 5. dicitur de carentibus timore Domini: *Cùm enim dixerint, Pax, & securitas, tunc repentinus èis superueniet interitus.* Vnde
256 Ecclesiast.7. *Qui timet Deum, nihil negligit.* Et Iob 9. *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.* Et illud Ecclesiast. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Et Ecclesiastici 27. *Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua.* Vbi è Scripturis prosequitur bona, quæ Timor producit in peccatore. Vide etiam *in* 4. *dist.* 17. *p.* 1. *quæst.*3. & *ad cap.*4. *Lucæ* ad ea verba: *Et tentabatur à Diabolo.*

Ex quo temeritas Lutheri *in cap.2.ad Galat.* apparet, qui audet dicere, Impossibile esse, vt qui audit ex lege iudicium Dei, non fiat impatiens, non murmuret, & non oderit Deum. O Stulte! En Deus in Exodo ait: *Ego sum Deus fortis Zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios, &c.* Sicque ad obseruantiam mandatorum deducebat eos, vt notat S. Bonau. *serm.*2. *de decem præceptis.*

HABEMVS quoque exempla è Scripturis, eorum, qui ex Timore conuersi sunt, vt latè refert S. Bonau. *in suo aureo opere*, cui Titulus *Biblia Pauperum, cap.* 38. præcipuè illud Exod. 20. *Vt enim probaret vos, venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis.* Quem locum affert etiam *in Dieta loc. cit.* affertque illud *Ioan.*5. vbi Christus minatur: *Noli ampliùs peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

PROBATVR quintò à S.Doctore *in Dieta loc. cit.* ex illo Ecclesiastici 2. *Qui timent Dominum, præparabit corda sua.* Et illud Ecclesiastici 1. *Timor Domini expellit peccatum*, nempè, quia producit attritionem, quod sanè posteà docuit Concilium Trident. *sess.*6. *cap.*6. vbi est Titulus: *Modus præparationis*, nempè ad iustificationem.

Disponuntur autem ad iustitiam, dum peccatores se esse intelligentes, à Diuinæ iustitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, &c. Et adducit hunc locum Ecclesiast. Vide S. Concilium *loc. cit.* vbi adamussim doctrinam Seraphici tradit. Confirmatur: Nam etiam Fides dicitur sic iustificare, quia purgat peccata. *Actorum* 13. *Rom.*3. *Galat.*3. vt dixi cum S.Bonau. suprà

PROBATVR sextò à S. Doctore ibi ex illo Eccle- 258
siastici 33. *Timenti Dominum, non occurrent mala,* & ibi repetit id: *Initium Sapientiæ, &c.* & illud Psalm. 18. *Timor sanctus permanens in sæculum sæculi.*

PROBATVR ab eodem S.D. etiam ex Patribus, & quidem *lib.*4. *Pharetræ* refert *cap* 41. D. Isidorum *de summo bono, lib.*2. *cap.*7. initio: *Timor expellit peccatum; Timor reprimit vitium; Timor cautum facit hominem, atque sollicitum. Vbi timor non est, ibi dissolutio vitæ est: Vbi timor non est, ibi desperatio est.* Alios ibi etiam affert. Et *cap.*45. refert D.Gregorium, *lib.*33. *Moral.* cap 11. *In peccatoris pectore, incessanter debet spes, & formido coniungi, quia incassum misericordiam sperat, si non etiam iustitiam timeat.*

D. ISIDORVM in Synonim. cap.6. *Nulla te securitas deceptum blandiatur: Nulla te securitas à pœnitentiæ intentione suspendat, incessanter in corde tuo, Spes, & formido persistat, inuoca importunè, quem superbè prouocasti.*

D.AVGVSTINVM in Meditationibus: *Respira pec-* 259
cator, respira ne desperes: Spera in eo, quem times: Affuge ad eum, à quo aufugisti.

Et infrà refert D.Gregorium *lib.*9. *Moral. cap.*35. & *lib.*22. *cap.*14. & D August. *serm.*18. *de verbis Apostoli* post medium: *Non intrat Charitas incomitata, habet secum socium suum timorem.* Et *tract. in epist. Ioan.* vbi idem asserit. Et D.Bernard. *lib.*5. *de Consider.* & D. Fulgentium *lib. de fide ad Petrum, cap.*3. vbi ait: *Diligentes Dei misericordiam, metuentesque iustitiam, nec de remissione peccatorum desperemus, nec remaneamus in peccatis.*

Alia loca D.Augustini recitat *in* 3.*dist.*34. cum Magistro. Et *de septem Donis, cap.*3. affert illud: *Initium Sapientiæ, timor.* Vbi expositionem Hugonis de S. V. *lib.*2. *de Arca morali* refert, & Richardum de S. V. Sic iustificatum fuisse publicanum *Lucæ* 18. non ausum oculos leuare, ait D.Augustinus.

Charitas est dispositio ad remissionem peccatorum, vt habet Concilium Trid. relatum *quæst.*2. & 3.

PROBATVR primò à D. Bonau. *de septem Donis,* 260
*cap.*3. & *de septem Itineribus Æetern. Itinere* 4. *dist.*2. ex illo *Eccl.*2. vbi à timore dilectionem ad iustitiam ascendi asserit dicens: *Qui timetis Deum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra: vbi ostendit, per timorem Domini inchoari diem animæ; per charitatem crescere, vt nox peccatorum aufugiat, nulla tenebra remaneant, sed operemur opera lucis, & in die honestè ambulemus.*

261 PROBATVR secundò à D. Bonau. *ad 7. Lucæ in 4. dist.17. p.1.quæst.3. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Vbi obseruat, propter dilectionem purgari eam mulierem à peccatis. Vnde non esse à Pharisæo damnandam, sed beatificandam; quia *Psal.31.* dicitur: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* Et ad Rom.4. *Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundùm propositum gratiæ Dei: Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus.* Vnde in ista impletum est illud: *Dixi: Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei*, Psal.31. Hæc D. Bonauent.

Hinc deducit S. D. eos odio habere animam propriam.

262 PROBATVR quartò à D.Bonauent. *De profectu relig. lib.2. cap.18.* & *in Diata, tit.10. cap.5.* quia in iudicio aliqui ad dexteram vocabuntur, non ob fidem, sed opera misericordiæ: alij verò à sinistris, ob defectum operum.

TANDEM id definit Concilium Arausicanum, *can. vltimo.*

Pœnitentia quoque est via ad Iustificationem.

PROBATVR à D. Bonau. primò *in 4. dist.17. p.1. quæst.3.* ex Psal.50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.*

263 PROBATVR secundò à S. Doctore *ad 13. Lucæ* ex illo: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Et addit illud Eccli.2. *Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, & pœnitentiam habebunt vsque ad inspectionem illius dicentes: Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini.* Et Psal.7. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit, &c.* Et Ecclesiaste 5. *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Et 2. Petri 3. *Non tardat Dominus promissionem: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire; sed omnes ad pœnitentiam reuerti.*

264 PROBATVR tertiò à D. Bonau. *ad 15. Lucæ* ad ea verba: *Gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente.* Vbi D. Bonau. Gaudent Angeli de pœnitentia peccatoris, quia destruitur culpa, restituitur iustitia. *Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* Act.3. *Erat Ioannes prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Marci 1. *Memor esto itaque vnde excideris: & pœnitentiam age.* Apoc.2. *Pœnitentibus autem dedit viam iustitiæ*, Ecclesiast.17. *Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam.* Hierem.31. *Ego, quos amo, arguo, & castigo. Æmulare ergo, & pœnitentiam age. Ecce sto ad ostium, & pulso.* Apoc.3. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, &c. vita viuet, & non morietur.* Ezech.18. *Altissimus odio habet peccatores, & misertus est pœnitentibus.* Eccli.12. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo: agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei.* Hierem.18. *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum.* Matth.4. *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam* 2. Cor.7. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Hæc S. Bonauent. quibus quid clarius?

265 PROBATVR quartò à S. Doctor *in Diata, tit.2. cap.1.* ex *Luca 3.* & *Matth. 24.* vbi obseruat, primum præceptum, primamque doctrinam à Christo traditam ad salutem, fuisse: *Pœnitentiam agite.* Et cap.2. affert illud Ioël.2. *Scindite corda vestra, &c. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, &c.* & alia huiusmodi. Et cap.3. Psalm.31. *Dixi: Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* Et Lucæ 18. Publicanus confessione, & actibus pœnitentiæ descendit iustificatus. Rom.10. *Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* Isa.43. *Narra, si quid habes, vt iustificeris.* Psal.99. *Introite portas eius in confessione.* Et postea cap.4. affert actus alios; proposita, v. g. non peccandi. Ioan.8. *Vade, & iam ampliùs noli peccare.* Iob.42. *Ago pœnitentiam in fauilla, & cinere.* Ioël.2. *Conuertimini ad me, &c. in fletu. Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus?*

PROBATVR quintò à D. Bonauent. *in Compend. Theol. lib.6. cap.20. & sequentibus.* Hier.6. *Planctum fac tibi.* Ecclesiast.5. *Ne tardes conuerti ad Dominum, Securis ad radicem arboris posita est.* Matth.3. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Ezech.18. & 33. *Qua hora ingemuerit peccator, &c.* Lucæ 15. *Gaudium est in cælo, &c.* Vide Seraphicum, vbi etiam Patres recenset. 266

PROBATVR sextò à S.D. *in Bibliis pauperum, cap.6.* exemplis peccatorum, qui per pœnitentiam saluati sunt. Et *lib.2. Pharetræ à cap.17.* vbi plurimos Patres hæc confirmantes refert. Et de sex alis Seraphim, vbi Scripturis Patres adiungit.

QVARE etsi Lutherus *in assert. articulorum* contritionis necessitatem negarit ad remissionem, solâ contentus fide; & idem asserat Caluinus *lib.3. Instit. cap.3. §.1.* attamen multi ex eorum discipulis contritionis necessitatem concedunt. Ita Kemnitius *in 2.p. exam. pag.901. 956.957.* Philippus *in locis* vltimò editis, *tit. de contritione*, & omnes è Lutheranis, qui priorem partem pœnitentiæ contritionem, posteriorum fidem esse volunt. Estque contritionis necessitas solidissimis fundamentis definita à S.Concilio Trid. *sess.6. cap.14.* & *sess.14. cap.4.* Vide plura etiam in Seraphico, ad ea verba Ioan.20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* & latiùs D. Augustinum *de fide, & operibus.* 267

PRO quo S. Bonau. *dist.23. tertij sent. dub.2. litt.* & *art.2. quæst.1. ad 1.* & alibi, adducit illud Iacobi 2. *Fides sine operibus mortua est.*

PROBATVR septimò à D. Bonau. *Opusc. de 10. præceptis.* Certum est, præter fidem, plura præcipi necessaria ad salutem, Deuter.10. *Et nunc Israël quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum, & diligas eum, & ambules in viis eius.* Et Rom.2. *Non auditores legis tantùm, fallentes vos metipsos.* Et Iacobi 1. *Estote autem factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vos metipsos.* Et Prouerb.7. *Serua mandata mea, & viues.* Baruch.1. *Non audiuimus vocem Domini, vt ambularemus in mandatis eius: & abiuimus vnusquisque in sensum cordis nostri maligni.* Et Psalm.80. *Populus meus non audiuit vocem meam: & dimisi eos secundùm desideria cordis eorum.* Et Psalm.118. *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis.* Quod autem etiam in lege noua id perseueret, probatur à D.Bonauent. ex illo Matth.25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.* Et 1. Ioan.5. *Hæc est enim charitas Dei, vt mandata eius custodiamus: & mandata eius grauia non sunt.* Vnde Ecclesiast.23. *Nihil melius est, quàm timor Dei: & nihil dulcius, quàm respicere in mandatis Domini.* Et Rom.7. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum.* Et 1. Tim.6. *Præcipio tibi coram Deo, qui viuificat omnia: vt sine macula serues mandatum irreprehen-* 268 269

irreprehensibile. Et Matth. 22. *Quod est mandatum magnum in Lege? Ait Iesus: Diliges Dominum Deum tuum &c. Secundum simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & prophetæ.*

270 PRÆTEREA D. Paulus *Galat.* 5. Multa peccata recenset excludentia à regno cœlorum: *Manifesta sunt autem opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicuti prædixi, quoniam, qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* Cùm igitur non sufficiat fides, quæ in pluribus ex his potest esse, & hi excludantur à gloria; signum est, solam fidem ad iustificationem non sufficere, vt notat D. Bonau. *in speculo animæ, cap.* 1. *&* 3.

IDEO hæretici nostri temporis dicunt, peccata omnia non remitti, sed tantùm tegi, vt dixi *quæst.* 1. Verùm, ne cogerentur concedere homicidas, fornicarios, aliosque relatos, regnum Dei adituros, dixêre, nullum esse peccatum mortale imputandum, excepto peccato infidelitatis, oppositæ illi fiduciæ, qua credere tenentur, se iustificatos. Hoc igitur solum imputari aiunt, licèt & cætera peccata sint.

ENIM verò mirum est, Apostolum hæc sola peccata ad Galatas recensere, sicuti etiam Corinth. 1. *cap.* 6. & omittere id vnum, quod nocet inter peccata.

271 DEINDE, si peccata solùm teguntur: Ergo adhuc fornicarij sunt, homicidæ sunt, & obtinebunt regnum cælorum, contra D. Pauli assertum.

PRÆTEREA, si illâ fiduciâ creditur remissa esse peccata; Ergo ipsa non est causa vt remittantur, cùm iam remissa supponantur; vt argumentatus sum *quæstione prima.*

OBSERVANDVM est autem primò, fidem iustificantem à quibusdam asseri, esse non modò dogmaticam, sed etiam promissionum, etiamsi priuata promissio, ac peculiaris; quod probant *Heb.* 11. vbi assignans obiecta fidei iustificantis, ait, Per eam nos credere aptata sæcula, sanctos fecisse miracula, adeptos promissiones. Hoc autem Vasquez *cap.* 4. confutat, quia ad fidem non spectat credere, quòd Deus mihi velit concedere gratiam miraculi. Enim verò non percipit sensum illorum Theologorum. Volunt enim dicere tantùm, fidem dogmaticam, & promissionum etiam specialium, quæ factæ sunt in Scriptura, de quibus iam definitum est, ad fidem pertinere; & ideò, qui eas negaret, iam hæreticus esset; vt benè arguit ipse *num.* 26. post D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 24. *quæst.* 2. *ad penult.* Ratio eius est; quia directè repugnaret principio credendi, nempe testimonio Spiritus sancti, primæque veritatis.

272 FIDES igitur iustificans est non modò dogmatica, sed etiam promissionum. Specialis autem reuelatio, qualis facta est aliquibus sanctis, eatenus potest esse initium iustificationis, quatenus incitat ad bona opera; attamen fides sine spe, & charitate non vnit perfectè cum Christo; vt docet Concilium Trident. *sess.* 6. *cap.* 7. Eatenus autem fides iustificat, quatenus est initium, radix, & fundamentum vitæ spiritualis ex Concilio Tridentino, *cap.* 8. Hæc autem sine operibus mortua est; intellige sine operibus præceptis, quando scilicet non mouet ad secundum præceptum eo tempore, quo seruare tenemur. Sic enim dicitur
273 mortua, quia non fert fructum in tempore: Similiter in peccatore quando non adhuc excitat affectum pœnitentiæ, vt ille iustificetur à peccato. At verò ad iustificandum iustificatione secundâ, ipsa sufficit, quando non instat præceptum; vt notat S. D. *in* 2. *dist.* 40. *quæst. vlt. ad* 1. & post eum Vasquez *capite quinto.*

FIDES autem viua dicitur, quæ est formata charitate, quatenus scilicet ratione charitatis ordinem habet ad vltimum finem, vt summum bonum dilectum, vt docet Alensis 3. *part. quæst.* 64. *in primo, &* 4. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 4. *art.* 3. vbi Thomistæ: Richardus *in* 3. *dist.* 23. *art.* 5. *quæst.* 1. Gabr. *quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 5. Quod clariùs declarat Seraphicus *in* 3. *dist.* 23. *art.* 2. *quæst.* 5. Albertus, *art.* 11. Palud. *quæst.* 4. *art.* 3. Durandus *quæst.* 8. Fidem esse viuam per charitatem, quatenus per eam habet, vt sit necessaria vitæ æternæ. At per hoc solùm non declaratur à D. Bonauent. vita peculiaris fidei, vt putat Vasquez *num.* 36. Nam etiam habitus aliarum virtutum sunt viui, quatenus cum charitate sunt, & operantur ad vitam æternam merendo, vt aduertit Seraphicus *loco cit. arg.* 4. sed 274
vita fidei consistit, vt sit modo proprio radix arboris, quam non habent hæretici; qui ideò à Beato Iuda dicuntur: *arbores eradicatæ*; peccatores verò fideles dicuntur: *arbores autumnales*, carentes fructu, licèt radice polleant. Hoc verò hîc supponit S. Bonau. at id declarat 13. *Lucæ*, ad ea verba: *Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio.* Vbi affert locum S. Iudæ. Clariùs *ad* 3. *Lucæ* ad ea verba: *Ne cæperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Iam enim Securis ad radicem arboris, &c.* vbi reperit dictum Beati Iudæi, & Christi *Matth.* 21. vbi ficum aresecit. Has enim arbores autumnales vo- 275
cat, quæ habent fidem, sed non fructificant. Idem habet *ad* 6. *Lucæ* ad ea verba: *Non est enim arbor bona, &c.* vbi iterum repetit ad hoc, effatum Apostoli Iudæ. Idem habet *ad* 21. *Lucæ* in ea verba: *Videte ficulneam, & omnes arbores.*

FIDES igitur est radix charitatis, & bonæ operationis, atque iustificationis nostræ, vt ait Concilium Trident. *sess.* 6. *cap.* 8. quia per eam excitamur ad diligendum Deum, & benè operandum. Et D. August. *epist.* 105. Vnde D. Iacobus, *cap.* 2. ait: *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides saluare illum? &c.*

DICITVR autem à Concilio Trident. *loco cit.* Fi- 276
des, initium, fundamentum, & radix humanæ salutis, non ea solùm ratione, vt metaphora valeat in hoc tantùm, vt fides sit prima in ordine; sicuti radix in arbore, & fundamentum in ædificio, vt aliqui malè interpretantur, timentes nimium fidei tribuere cum Luthero, & Caluino; sed etiam, quia fide sustentatur fabrica tota, & non pars; vt malè ait Vasquez *num.* 47. Obsecro enim, quæ pars fabricæ non sustentatur à fundamento? num ea, quæ in aëre erigeretur? nam & Spes, & Charitas, fide nituntur: Nemo enim sperat, aut diligit, quem non credit, esse talem, vt in eum sperare possit, aut diligi mereatur. Sic D. Bonauent *in Dieta, salut. tit.* 5. *cap.* 3. & *tit.* 9. *cap.* 5. vbi 277
id eleganter edisserit; & quia fundamentum est quædam metaphora rei non operantis modo vitali; fides autem operatur, excitando ad fabricam altiùs erigendam; ideò etiam radici arboris comparatur à Concilio Tridentr. *loco cit.* & Vasquez *num.* 50. post Seraphicum *loco mox allato*, vbi etiam affert dictum Christi ad Petrum: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; nempè quia Petrus erat fundamentum, mediante sua fide, sine qua impossibile est placere Deo; vt ait Apostolus *Heb.* 11. Similia habet S. Bonauent. *lib.* 5. *Compend. Theol. cap.* 19. Ideò *ad Heb.* dicitur: *substantia, seu hypostasis, rerum sperandarum*, vt dixi, *quæst.* 10. *l. c. in medit. Vitæ Christi, cap.* 40. Petrum fundamentum Ecclesiæ asserit ex illo *Matth.* 16. Et summum in Ecclesia Principem, habentem claues etiam

pro successoribus, vt ostendat, non fidei abstractæ nomen fundamenti datum, sed fidei in Petro viuæ. Sed de his prolixiùs 2.2. agemus, *disput.*1.

Obiiciunt primò hæretici loca Scripturarum, in quibus dicitur homo iustificari fide sine operibus. Rom. 3. *Exclusa est gloriatio tua? Per quam Legem? Factorum? Non: sed per Legem fidei.* Et infrà: *Arbitramur enim iustificari hominem per fidem, sine operibus Legis.*
278 Rom. 4. *Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Quod infert tanquam absonum. Et infrà: *Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.* Et iterum: *Sicut & Dauid dicit, beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus:* ad Galatas. *Scientes, quòd non iustificatur homo ex operibus Legis:* Eph. 2. *Gratia enim estis saluati per fidem; non ex operibus.* Tit. 3. *Apparuit benignitas Saluatoris nostri; non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos.* Philip. 3. *Vt inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quæ ex Lege est; sed illam quæ ex fide:* Rom. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia, iam non est gratia.*

279 Qvamvis autem non desint responsiones ex aliis, attamen eas ego afferam, quæ sunt D.Bonauent. tum ad illud Lucæ 7. *Remittuntur tibi peccata tua*; & in *Dieta salutis, tit.*5. *cap.*3. Et *lib.*5. *Compend. Theol. cap.*19. & 20. etiam *ad* 3. Lucæ ad ea verba: *Ne cœ-*
132 *peritis dicere: Patrem habemus Abraham*; vbi fidem Abrahæ opponit illis, de quibus S. Iudas: *Arbores autumnales, &c.* Latiùs verò *ad cap.*8. *Ioan.* vbi Christus Iudæos reprobat; eò quòd filios se Abrahæ iactarent, & tamen opera Abrahæ non facerent; sed potiùs peccata multa patrarent; vt ait D. Chrysost. *homil.*53. *in Ioan.* vbi ait: *Opera Abrahæ fuerunt mansuetudo, humilitas, obedientia: Vos, è contrario, immisericordes, crudeles, mendaces, &c.* Vbi non solam fidem exigit, vt notat ibi D.Bonauent. Idem colligitur è Seraphico *in* 2. *dist.* 28. *quæst.*1. & *in* 4. *dist.*17. *part.*1. *quæstione* 2.

280 Igitvr ex Euangelio, cui addit S.D. *in* 3.*dist.*23. passim è D.Iacobo, *capite* 2. non sola fides Abrahamum iustificauit, seclusis omnibus prorsus operibus. *Fides enim sine operibus mortua est*, vt ait D.Iacobus, qui exponens illud idem dictum Pauli *Rom.*4. & *Genes.*15. sic loquitur, cap.2. *Abraham Pater noster, nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super Altare? Vides quoniam fides cooperabatur bonis operibus illius: & ex operibus fides consummata est? Et suppleta est Scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum? Similiter, & Rahab meretrix, nonne ex operibus iustificata est, suscipiens nuntios, &*
281 *alia via eiiciens?* Hic igitur D. Iacobus interpretatur mentem Apostoli, & locum Genesis: vbi fidei adscribitur iustificatio Abrahæ, quod etiam Christus *Ioan.*8. declarauit, dum opera Abrahæ necessaria Iudæis filiis astruit, vt verè filij Patriarchæ, & Dei essent, sicuti se gloriabantur. Ob eam causam D.Iacobus dixit: *Et suppleta est Scriptura:* Genes. 15. nempe, quia tunc sanè Scriptura iustificationem Abrahæ adscribit soli fidei, non operibus; quòd tunc non ingrueret præceptum operandi. Cùm verò adfuit præceptum, sanè opera fuere necessaria: & sic Scriptura suppletur attestando, necessaria etiam opera, cum adest præceptum. Et hoc videtur indicare D.Paulus, dum ait: *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, fides reputatur ad iustitiam*; vt notat

D.Bonauent. *in* 2. *dist.*40. *quæst. vlt. ad* 1. Ex Glossa, 282
quam recitat etiam D.Thom. ad ea verba, quæ aliud etiam consignificant. Quoniam enim Apostolus ibi loquitur de iustificatione secunda Abrahæ, quæ in augmento iustitiæ posita est, ac constituta (iam enim Abraham erat in Dei gratia positus; ob id antea *Genes.*12. multa ei, tanquam amico, Deus repromisit) Quod sanè etiam D.Iacobus intellexit, qui etiam ipse hic de secunda iustificatione locutus est, vt declarat S.Concilium Trident. *sess.*6. *cap.* 10. Ideò loquitur etiam de operibus in gratia factis, quæ in radice sint à gratia; tamen ex Diuino pacto ad mercedem reputantur legitimè. At verò si de operibus, præcedentibus primam iustificationem, sit sermo, id tantùm Apostolus prætendit, ne operibus, factis è solis nostris viribus, adscribamus iustificationem (aliqua enim moralia posse à nobis prodire absque auxilio per Christum, ostendi *disp.*1. *quæst.*10.) Nam iustificatio requirit dispositiones supernaturales; vt ostendi *disp.cit q.*14 ità tamen, vt non operanti, quando non tenetur, fides reputetur ad iustitiam; id est augmentum gratiæ, & præmium, nisi instet præceptum operandi: Ei autem, qui non operatur; nempè, quia non vrget tempus operandi per aliquod præceptum, vel quia statim accepto Baptismo moritur, iam fides
reputatur ad iustitiam, vt gloriam inde consequatur. 283
Sic de secunda iustificatione intelligitur à D. Bonauent. & aliis apud D.Thomam, & sanè ad rem: nam hic de secunda iustificatione loquebatur Paulus, sicuti etiam eius interpres D. Iacobus, vt notat S. August. *lib.*83. *qq. quæst.*76. Quoniam verò vterque loquebatur etiam de prima iustificatione: & quidem de B.Iacobo patet, nam adducit iustificationem meretricis Rahab ex operibus: & D. Paulus, dum ait: *credenti in eum, qui iustificat impium*, sic exponendi sunt, vt Paulus excludat opera facta ex sola Legis notitia
sine spiritu gratiæ mouentis; non autem, quæ facta 284
sunt ex Spiritu gratiæ mouentis; nam hæc ad nostram iustificationem exigit, vt patet *cap.* 2. vbi ait: *Factores Legis iustificabuntur.* Sic Apostolum exponit D. August. *lib. de gratia, & lib. arb. cap.*7. Et D. Iacobus ea opera admittat, quæ sunt ex gratia, & fide mouente, vt notat D. August. *lib.*83. *qq. quæst.*76. & *in Psalm.*31. Ante fidem enim non haberi opera ex sancta alia cogitatione, docuit D.Augustinus.

Hinc D.Iacobus adducens illud *Genes.*22. quo dicitur Abraham iustificatus, secunda iustificatione, per opera sancta obedientiæ, religionis, &c. ait: *Et suppleta est Scriptura:* Genes. 15. *Credidit Abraham, &c.* Ex his habes validissimum argumentum contra Vasquez, ad probandum, aliqua opera moralia bona fieri absque auxilio Dei per Christum, vt ostendi *disp.*1. *quæst.* 10. Nam Apostolus nititur ostendere,
opera bona, quæ fiunt solis viribus naturæ, non iu- 285
stificare; eaque opponit operibus factis ex gratia. Ergo supponit, aliqua opera fieri viribus naturæ. Anteced. est ipsius Vasquez *cap.*8. Consequentia probatur: Nam alioqui impertinens esset tali modo discurrere; sed potius debuisset dicere, opera ex mera Legis notitia peracta, & viribus solius arbitrij, nulla esse; & ideò non esse de his quæstionem practicam.

Obiiciunt secundò eas Scripturas, quibus dicitur Iustificatio fieri gratis. Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam, &c.*

Respondet D.Bonauent. *in* 2. *dist.*28. *quæst.*1. & *in opusc. resurrect. à peccato*, gratis nos iustificari, idest absque intuitu aliorum operum, ex solo libero arbitrio. Ita respondet etiam Vasquez *num.*83. Ex quo rursus ipse conuincitur, dari aliqua opera moralia ex nudo libero arbitrio.

Obiiciunt

286 Obiiciunt tertiò eas Scripturas, quæ fidei adscribunt Iustificationem. Rom.5. *Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum.* Matt.9. Lucæ 7 & 8. *Fides tua te saluum fecit.* Marci 9. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Lucæ 8. *Crede tantùm, & salua erit.* Ioan.1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt, &c.* Ioan.3. *Vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, &c.* Act.10. *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere omnes, qui credunt.* Act.13. *In hoc omnis, qui credit, iustificatur.* Rom.1. *Virtus enim Dei est in salutem omni credenti.* Rom.10. *Omnis, qui credit in illum, non confundetur.* Prima Ioan.5. *Omnis, qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est.* Omitto alia loca, quibus dicitur, Verbum Dei sanare omnes credentes.

287 Respondetvr è Concilio Trident. *sess.6. cap.10.* secuto doctrinam D. Bonauent. vt suprà retuli, nostram iustificationem attribui fidei, tanquam initio, radici, & fundamento. Sic Matth 9. & Lucæ 8. *Fides tua te saluam fecit.* Quæ, dicta mulieri fluenti sanguine, de salute spirituali, & corporali intelliguntur, vt notat D. Bonauent. ad eum locum Lucæ. Similiter & id Lucæ 8. *Crede tantum, &c.* vt notat idem S. D. ibi. Quod verò *Marci* 9. dicitur, de sola salute pueri energumeni corporali intelligitur, ideò solùm fidei adscribitur, vt notat Seraphicus ad *locum cit. Lucæ* 8. vbi sic exponit S. D. etiam illud. *Crede tantum.*

288 Qvod verò alibi dicitur: *Fides tua te saluum, vel saluam, fecit*: intelligitur, fidei adscribi principium iustificationis, vt obseruat Seraphicus *in 3. dist.23. quæst.1.* vbi habet & illud Act.15. *Fide purificans corda eorum*: Sic præcipue intelligitur *Lucæ* 7. dictum Magdalenæ, vt notat D. Bonauent. ad eum locum. Illud verò *Ioan.* 1. exponitur à Seraphico, ad eum locum, & *ad* 7. *Lucæ*, vt fides sit solum initium, vnde non dicitur: fecit eos filios, qui credunt, sed *dedit eis potestatem filios Dei fieri*; vt dixi assertione prima. Idem sonat id *Rom.*5. vt docet D. Bonauent. *in 3. dist.23. quæst.1.* & ad ea verba Lucæ 7. *Fides tua te saluam fecit*: *Vade in pace.* Simile dic de reliquis.

Obiiciunt etiam illud *Habacuc.* 2. Et Rom.1. *Iustus ex fide viuit.*

289 Respondet D. Bonauent. *in 3. dist.23. dub.2.* loqui de fide viua, quæ secundùm Iacobum est in operibus. Ità etiam Bellarm. *capite* 20.

Obiicit verò Kemnitius, præcipuè id Rom.1. *Iustitia Dei reuelatur de fide in fidem*, quod sic vrget: Non modo initium fidei adscribit, dicens. *Reuelatur de fide*, sed etiam complementum, dum ait: *In fidem*; alioqui dixisset, *de fide in opera.* Idem obiicit Caluinus *in Antidoto*, qui puerilem vocat responsionem, dicentium, fidem esse initium iustificationis.

290 Respondet D.Bonau. *in 3. dist.23. dub.2. litt.* & cum eo Bellarminus *cap.*29. Fidem esse eam, ex qua principium sumit nostra salus; eam verò ad fidem maiorem promouere, & ad spem, & actus charitatis, & opera bona, quæ omnia è radice fidei habent originem, & promotionem. Est autem sententia D. Augusti. quòd fides est principium iustitiæ *lib. de Prædest. Sanct. cap.7. epist.* 105. & *de Bono Perseuer. cap.* 2. & *in Psalm.* 31. & *serm.* 16. *de verbis Apostoli*, & *serm.*22.

Obiiciunt etiam aliqua dicta Patrum, qui fidei iustificationem adscribunt, & aliqui addunt soli fidei attribuendam.

291 Respondetvr, nullum Patrum loqui de fide illa Lutherana; sed de dogmatica: hanc verò dicunt esse principium iustificationis, modo dicto. Qui verò dicunt *solam*, non excludunt aliarum etiam virtutum actus, sed vel opera Legis, vt Origenes *in cap.3. ad Rom.* Nam *ad cap.4.* asserit, necessariam spem, & charitatem. Similiter Basilius *Homil. de humilitate*, & Chrysostomus *homil. 4. ad Titum.* Vel cæremonialia Mosayca; vt Hilarius, *can. 8. in Matth.* Vel excludunt solùm cætera ad fidei initium; vt Ambrosius, *serm.45. & in 3 ad Rom.* (Si tamen est Ambrosij) Vel excludit opera; eò quòd non adsit tempus operandi postea, vt in Latrone, qui in conuersione mortuus est. Idem sensit Chrysostomus *homil. de fide, & Lege natura.* Porrò D.Chrysost. necessaria ea astruit *homil.62. in Ioannem*, vbi ait: *Magnum bonum fides est, quando à calida fit mente, ab amore multo, & feruente anima. Et sufficit fides in regnum inducere, sed hæc maximè condemnare habet eos, qui vitam malam demonstrant.* En opera astruit exigi. Vnde & subdit: *Qui enim sciuit voluntatem Domini sui, & non fecit, plagis verberabitur*, vt refert Seraphicus *lib.2. Pharetræ, cap.23. & 25.*

Similiter quoque D. Aug. *lib.83. qq.q.76.* loquitur, quando statim quis post iustificationem decedit, 292
& non habet tempus operandi, vt dixi *ad cap.4. epist. ad Rom.* ait enim: *Si quis cum crediderit, mox è vita decesserit, iustificatio fidei manet cum illo, nec præcedentibus bonis operibus, quia non merito ad illa, sed gratia, peruenit: nec consequentibus, quia in hoc vita esse non sinitur.* Quare non rectè Vasquez *num.* 79. respondet, D. Augustinum excludere solùm opera ex propriis viribus.

Alivs locus quidem D.August. *lib.1. contra duas epistolas Pelagianorum, cap.11.* de operibus Legis, loquitur. Et sanè D. August. vbique opera requirit: De 293
hoc enim habet Librum de fide, & operibus, & de verbis Domini, serm.61. *Ille credit in Christum, qui & sperat in Christum, & diligit Christum*, vt refert D. Bonau. in vno *loco citato*. Alia loca D.August. refert, *cap.* ... *eiusdem libri*, & ad *cap.13.14. & 15. Ioannis.* Vnde epist. 52. tom. 1. ait: *Non faciunt bonos, vel malos mores, nisi boni, vel mali amores.* Et Tract. de laude Charitatis, tom. 9. *Diuinarum Scripturarum multiplicem abundantiam, latissimam doctrinam, sine vllo errore comprehendit; & sine vllo labore custodit, cuius cor plenum est charitate, dicente Apostolo: Plenitudo Legis est charitas.* Alia præclara ex eodem D.August. ibi recitat D.Bonau. *loco citato.*

Theophylactvs verò *in cap.3. ad Galat.* excludit solùm Legem oppositam, litteraliter merè sonantem. D. Bernardus *serm.22. in Cant.* solam fidem docet esse fundamentum iustificationis, & *epist.* 77. dicit, solam fidem aliquando sufficere ad iustificationem, id est, posse sine Baptismo fluminis, habita fide cùm Baptismo flaminis, seu desiderio percipiendi Sacramentum, aliquem iustificari, vt notat Vasquez in fine. Nam sanè D.Bernardus necessaria opera bona docet: *De natura, & dignitate Diuini amoris, cap.1.* & aliis locis allatis à D.Bonau. *loco citato.* 294

Obiiciunt adhuc, salutem promitti omnibus, qui habent fidem, Ioan.3. *Vt omnis, qui credit in illum non pereat*, & alia loca suprà allata.

Respondet D.Bonauent. ad eum locum Ioannis, omnem, qui credit per fidem viuam operantem, ita vt fides exerceat suos effectus, saluandum. Ità respondet etiam Bellarminus, *cap.22.* qui simul cum Vasquez, & aliis modernis integras has quæstiones è D.Bonauentura decerpserunt. 295

QVÆSTIO

QVÆSTIO XII.

Vtrum Contritio, vel alius similis motus liberi arbitrij sit prior infusione GRATIÆ HABITVALIS.

D. Bonauent. in 4. dist 17. p. p. art. 2. quæst. 1.
D. Thom. quæst. 113. art. 8.

EX dictis *disp. 2. quæst. 2.* soluta ferè est hæc quæstio. Ibi enim ostendimus, hos motus esse dispositiones præcedentes ipsam gratiæ infusionem: attamen, quia specialis est de hoc controuersia; de ea hîc latius disserendum.

NOTANDVM verò è D. Bonauent. *lib. 6. Compend. Theol. cap. 32.* In iustificatione, contritionem, infusionem gratiæ, & remissionem culpæ, esse simul tempore, non naturâ; de hac verò prioritate nostra est quæstio: Prioritas autem naturæ reducitur aliquo modo ad genus causæ, & causati.

296 PRIMA igitur opinio est D. Thomæ hîc, & discipulorum, infusionem gratiæ esse ante contritionem. Ità etiam Caietanus *prima secundæ, quæst. 113. art. 7.* Ferrar. 4. *cont. Gent. cap. 153.* Soto *in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 6.* Cano *Relect. de pœnit. part. 1.* Vasquez *prima secundæ, disp. 211.* Valentia *disp. 6. quæst. 5. puncto 6.*

SECVNDA opposita, est D. Bonauent. *locis citatis*, cum Alensi 3. *part. quæst. 78. memb. 3.* Neque oppositum docet *memb. 1. art. 2.* Eos sequuntur Scotus *in 4. dist. 14. quæst. 2.* vbi Faber *dist. 17.* Gabr. *quæst. 1. & in 3. dist. 27. quæst. vnic. art. 3.* Stappletonius *lib. 5. de Iustific. prolog. 1.* Pighius *controu. 2. & 9.* Scotus *in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 6.* & *dist. 16. quæst. 2. art. 1.* Vega *lib. 6. in Concil. Trident. cap. 28. 29. & 30.* Corduba *lib. 3. quæst. 2.* E Thomistis etiam Capreol. *in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 3. ad 1.* Henricus, Caiet. 3. *part. quæst. 89. art. 1.* & videtur id innuere etiam ad *hunc articulum D. Thom.* Fuliensis *lib. 4. cap. 9.* Alios pro hac sententia referam 3. *part. Tract. de Pœnitent. disput. 1. quæst. 13.*

ASSERO cum hac sententia, motum contritionis, & alios similes præcedere gratiæ habitualis infusionem.

297 PROBATVR primò à D. Bonauent. *in corpore*, & *in Compend. loco cit.* Dispositio, & præparatio ad formam, est prior ipsa forma, ad quam præparat: sed contritio est dispositio, & præparatio ad gratiam sanctificantem: Ergo. Maior ex Philosophia est euidens; alioqui dispositio, & præparatio essent frustrà, si iam forma esset inducta. Mi: probatur ex Concilio Trident. *sess. 6. & 14.* passim, vbi contritionem vocat dispositionem, & præparationem ad gratiam, & fuisse omni tempore necessariam ad impetrandam veniam peccatorum. Quod latè probaui *disp. 2. quæst. 2.* Hoc argumentum assumitur à Scoto, & aliis, & valdè torquet aduersarios. Confirmatur à D. Bonauent. ex Zach. 1. *Conuertimini ad me: & ego conuertar ad vos*, Vnde patet conuersionem per liberum arbitrium, esse dispositionem præcedentem iustificationem, quod sanè satis probatum est ex aliis Scripturis *disp. 2. quæstione 2.*

298 RESPONDET D. Thomas, Quod etsi dispositio subiecti præcedat formam, ordine naturæ; tamen sequitur actionem agentis, per quam actionem idem subiectum disponitur; ideò non esse absonum, quòd contritio præcedat, ordine naturæ, gratiæ susceptionem; & tamen eodem ordine sequatur iustificationem gratiæ. Hanc responsionem sequuntur, & dilatant, licèt subobscurè, Caietanus, & Vasquez.

CONTRA. Id, quod pendet ex infusione agentis ab alio, est prius illo ex parte agentis: sed gratia ex infusionis vi pendet à contritione: Ergo. Maior patet. Minor probatur è Concilio Trident. *sess. 14. cap. 4.* vbi ait, Contritionem esse motum, qui semper fuit necessarius ad impetrandam veniam peccatorum; at impetrare veniam peccatorum, est esse dispositionem ad inductionem, & productionem gratiæ. Idem habet Concilium Trident. *cap. 7.*

RESPONDET Vasquez, Concilium ibi loqui de contritione imperfecta. 299

CONTRA instat Fauentinus *num. 14.* nam postquam Concilium *cap. 6.* descripsit modum præparationis ad iustificationem, statim *initio cap. 7. sess. 6.* ait: *Hanc dispositionem, seu præparationem iustificatio consequitur.* Tunc sic arguo: At iustificatio non consequitur attritionem: Ergo per illam præparationem, & dispositionem, intelligit contritionem, *sess. 14. cap. 4.* habentur hæc verba: *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Notare autem debuit Vasquez ea verba: *ad impetrandam veniam peccatorum*, & tunc non dixisset, Concilium nullibi dixisse, contritionem perfectam nobis impetrare veniam. Hic certè de perfecta loquitur contritione.

RESPONDET Vasquez, quod Iustificatio etiam con- 300
sequitur attritionem.

CONTRA, quia Concilium loqui debet de eo, quod est vniuersaliter, ac semper verum; at non semper attritionem consequitur iustificatio.

RESPONDET Vasquez in Sacramento semper consequi; extra Sacramentum verò, ordine sic se habere, vt consequatur.

Hoc verò inane est, vt Concilium sic loqueretur: Quis enim hæc ignotat?

ARGVO igitur melius *ex sess. 14. cap. 4.* vbi sic incipit: *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentiæ actus habet.* Alludit autem ad dicta eadem *sess. 14. cap. 4.* vbi veros actus pœnitentiæ, ex diuersis motiuis proposuit, ex metu gehennæ, ex deformitate peccati, & ex motiuo diligendi Deum, tanquam omnis iustitiæ fontem. Iam verò inter actus pœnitentiæ ait, primum locum, id est præcipuum, obtinere contritionem: Ergo loquitur de contritione perfecta, vt fiat bona comparatio; alioqui, si adhuc genericè loqueretur, vt præsumit Vasquez *disp. 103. num. 103.* non aptè eam cæteris eiusdem generis præferret actibus. Deinde, eam dicit fuisse omni tempore necessariam. Certum est autem in tempore Legis veteris fuisse necessariam contritionem perfectam, attritionem verò non fuisse sufficientem, nec necessariam. Si enim non habuisset attritionem; sed solùm actum contritionis, numquid dicemus, non fuisse iustificatum? Et subdit, etiam post baptismum iustificare, cum voto præstandi reliqua. At attritio non disponit, nec sufficienter præparat, etiam cum voto Sacramenti. Quod si loqueretur de attritione cum Sacramento, id est facto; vt vult Vasquez, ad quid votum Sacramenti nominat?

PRÆTEREA Concilium affert exempla è Scriptura 301
perfectæ contritionis. *Ezech. 18. Psalm. 6. & 50.* quæ loca non solum dolorem in genere, vt prætendit Vasquez, quatenus est detestatio vtcumque peccati, prætendunt, sed perfectum.

INSTAT Vasquez *num. 105.* Concilium eo vsque de

de perfecta contritione non esse locutum, nam paulò ante ait: *Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam Sacramentum suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Igitur prius in genere de contritione loquitur, non de perfecta, cùm dicat, hanc aliquando contingenter reconciliare. Quasi dicat, aliquam ex his contritionibus, non omnes reconciliare.

302 HÆC tamen est extorsio sensus. Nam fateor, pronomen *hanc* significare contritionem proximè dictam, quæ procul dubio perfecta esse ostenditur. Nam Concilium ponit antithesim cum Attritione, subdens: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, declarat, non facere hominem hypocritam, sed esse donum Dei, &c.*

SENSUS igitur priorum verborum est, ne membra diuisionis confundantur; Hanc, id est perfectam, licèt contingat, seu fiat aliquando, iustificare per se extra Sacramentum (iustificat enim multò magis cum Sacramento) tamen non esse illi iustificationem, absque voto Sacramenti, adscribendam. Itaque contingentia non refertur ad id, quòd sit charitas perfecta formata præcisè per actum charitatis; sed quod charitate formetur per infusionem habitus extra Sacramentum, & faciat Deo amicum ex gratia; alioqui si hic adhuc loquitur de contritione in genere; ex qua aliqua solùm est perfecta, aliqua imperfecta; mox extra chorum saltat, apponendo huic, quæ etiam imperfectam claudit, eam, quæ est imperfecta, dicens: *Illam verò, &c.*

303 ADDVCIT deinde Vasquez *num.* 30. responsionem communem Thomistarum, quod etsi contritio sit dispositio ad gratiam; est tamen dispositio receptionis eius in anima; non autem respectu effectionis, & infusionis illius.

FATEOR, me hanc distinctionem non percipere, nec qua ratione faciat ad rem. Nam cùm contritio, ex dictis, sit causa gratiæ habitualis, quæ sanè datur nobis, quia contriti sumus, vt ait Concilium Trident. & ideò recipitur in subiecto, quia datur; non autem datur, quia in subiecto recipitur. Cùm ergo contritio sit ante gratiam, vt in subiecto; eò quòd contritio est causa eius aliquo modo: Ergo etiam vt ab efficiente Deo. Gratia enim à Deo producitur in subiecto, nec producitur, nisi vt in subiecto contrito; debet autem fieri comparatio inter infundere gratiam, & eam recipere, quia hic est ordo actionis, & passionis. Hunc tamen ordinem vitare conatur Vasquez *num.* 5. nè detegat suum errorem.

304 HINC ruit aliorum responsio, gratiam prius intelligi creatam, non tamen in anima. Contra enim est; quia gratia est accidens, quod creatur, & inhæret: neque potest operari, antequam habeat esse, quod est inhærere in subiecto. Itaque etiam Vasquez *num.* 39. hanc responsionem eludit; & laudat impugnationem, quæ est D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 17. *part.* 1. *quæst.* 1. *arg. penultimo.*

PROBATVR secundò à D. Bonauent. quo vtitur etiam Faber. Aliqua sunt dona, quæ nobis impertitur Deus, quia operamur: aliqua verò, vt operemur: non possunt autem dona, quæ nobis dantur, quia tales sumus, dari, vt tales simus, ex sententia Sanctorum Patrum, & Conciliorum, præsertim Arausicani secundi, &c. Quos adducit, & sequitur Vasquez *p.p. disp.* 91. *cap.* 6. & *hic, cap.* 4. Sed gratia habitualis est donum, quod datur contritis: Ergo non est effectus gratiæ habitualis. Mi: probatur ex Con-
305 cilio Trident. *sess.* 6. *cap.* 7. vbi ait, Deum partiri vnicuique iustitiam inhærentem, pro vt vult, & secundùm cuiusque dispositionem. Contritio autem est dispositio, vt ostensum est *disp.* 2. *quæst.* 2. & hîc suprà. Id quoque probatur à S. Bonauent. ex illo D. August. *serm.* 16. *de verbis Apostoli*, tom. 10. *Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te*; nam ad iustificationem Deus expectat nostrum actum contritionis, vt habetur Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam à viis suis pessimis, &c. amplius eius iniquitatum non recordabor.* Et Act. 3. *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* Idem asserunt Sacræ Scripturæ, adductæ *loco cit. disp.* 2. quæ ponunt, iustificationem esse donum distinctum à contritione, eam subsequens. Hoc adeò certum est, vt Bellarminus ibi *allegato loco*, temeritatem negantibus inurat.

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. Si contritio in iustificatione esset effectus gratiæ habitualis; sequeretur, gratiam ordinari ad introducendam contritionem; non autem contritionem ordinari ad introducendam gratiam; imò contritionem ad iuuandam solummodò gratiam introductam, quod est contra modum dicendi Scripturæ, Patrum, & Conciliorum, vt notat etiam Fauentinus, *num.* 17. quod Vasquez malè concedit. 306

PROBATVR quartò à S. Doctore sequeretur, gratiam habitualem infundi nobis contra consensum nostrum, nec vllo modo intuitu illius; siquidem non præcedit motus liberi arbitrij in peccatum, hoc verò est falsum; quia iustificatio requirit præparationem nostrorum actuum, quibus in aliquo tempore, præcedente instans iustificationis, disponatur arbitrium.

RESPONDET Vasquez, iustificationem, & infusionem gratiæ fieri intuitu dispositionum, quæ tempore præcesserunt, & intuitu dispositionis, quæ simul tempore est, non quidem, quia futura, sed vt futura sit.

HÆC tamen mera sunt effugia, ad declinandum argumentum frustrà excogitata. Et quidem non dari iustificationem, & infusionem gratiæ ratione dispositionum præcedentium tempore, probatur. Id, quod causat iustificationem, debet semper causare illam, non solùm contingenter aliquando: Sed dispositiones, tempore præcedentes, non semper causant iustificationem, sed solùm in Sacramento: Ergo. Quoad dispositiones verò, quæ simul sunt tempore, inuersus est omninò sermo dicere: Aliquam dispositionem à sua forma recipit, vt sit ipsa dispositio; sicuti in Philosophia est clarum. 307

PROBATVR quintò à S. D. *ad* 7. *Lucæ* ex illis verbis Domini. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* 308

RESPONDET Vasquez, sensum esse; iure quidem Magdalenam gratam exhibuisse signa plurima amoris, quia existimabat, plura sibi remissa peccata, sic enim etiam applicatur parabolæ. *Quis ergo eum plus diligit? æstimo quia is, cui plus donauit.*

Quod autem subditur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; ait, non esse assignare, tanquam pro ratione remissionis peccatorum, ipsam dilectionem. Non enim ibi assignatur causa *rei*, sed *dicti*, & propterea non dixit: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit, &c.* Sed: *propterea dico tibi*; quibus verbis denotauit, causam dicendi, non ipsam rem.

HÆC tamen mera verbula sunt. Primò quidem arguit S. Bonauent. *loco cit.* ibi, rationem reddi *facti*, non *dicti*, ex Glossa D. Gregorij *homil.* 33. *in Euang.* vbi ait: *Sed iam Redemptor noster enumerata bona concludit, cum per sententiam subdit: Propter quod dico tibi: Remittuntur ei, &c. Ac si apertè dicat. Et si durum est valde, quod coquitur; abundat tamen amoris ignis,* 309

ignis, quo & dura consummantur. Ardor charitatis in ea rubiginem peccatorum consumpsit. Idem habent Beda, Eusebius Emiss. & Theophylactus *in Bibliot. Homil. tom.4. in festo B. Magdalenæ.* Confirmatur in versione Syriaca: *Propterea dico tibi, remissa esse ei scelera eius multa; propter quod multum dilexerit.* Hunc sensum probabilem asserunt Maldonatus, Lyranus, & alij ad hunc locum, adducti à Beaux-amis.

310 Qvod autem parabola posuerit debitorem, diligentem ex gratitudine maioris debiti remissi; & ideò hinc etiam inferat, Mariam diligere multum ex gratitudine, quia remissa sunt ei multa peccata, vt infert Vasquez, non est solidum. Tunc enim dixisset: Propter quod dico tibi, dilexit multum; propterea quod dimissa sunt ei peccata multa, vt notant suprà allegati; At, contrarium dixit. Reddit autem rationem Lyra, quod, Christus in parabola loquebatur de eo, quod inter homines assuetum est, vbi amor ex dono causatur; sed in applicatione parabolæ conuertit se ad loquendum de amore Dei erga nos; qui non procedit ex bonis meritis nostris, sed magis causat bonum in nobis; & ideò concludit dicto modo.

311 At Beaux-amis, cum aliis apud eum, & Burgensis apud Lyram, dicunt, modo humano vtrunque conuerti; vt amor causet donum, & donum reddat gratum, & amantem. Mihi sanè præclaro Christus videtur Mysterio laudasse Magdalenam ex parabola sic: Affert parabolam ad hoc directam, vt superbia Pharisæi retunderetur, qui se modicè peccatorem credebat, & ideò Christum contemnebat; eò quòd sineret, se à publica peccatrice Maria tangi, vngi, &c. Instruit autem eum iure, ac merito Christus, Magdalenam diligere ipsum, quia non obstantibus tot culpis eam ad se traxit, quod est principium remissionis. Nam *quos vocauit, hos & iustificauit*: &
312 est signum prædestinationis, vt habet idem Apostolus *Rom.*8. & ideò inchoata erat iustificatio Magdalenæ, quæ officiis pietatis optimè respondebat illi dono vocandi eam ad se, adiens eum tanquam virum sanctum, & doctorem, à quo dirigeretur (non enim adhuc ipsum Deum credebat) & hîc exagerat Christus hanc grati animi ostensionem: *Intraui in domum tuam, &c. Hæc autem, &c.* quasi dicat: Hæc plus me dilexit, vt ex signis patet; nam agnouit, se ad me tractam fuisse, vt plurima ei peccata remitterem. Tu autem tanquam te æstimans minoris mulctæ debitorem, ideò minus gratus es; nec video te respondere tot officiis
313 pietatis. Licèt autem illa adhuc sit peccatrix, tamen mea gratia ad iustificationem concitato cursu per actus amoris, & dolorosæ contritionis progreditur. Vnde, quia iam me etiam Deum agnouit, iam & ideò adorat, vngit, &c. quem tu non agnoscis. *Propterea dico tibi, &c.* Quasi dicat: Amplius tibi protestor, me illi vocatæ peccata multa remittere, quia actibus vehementibus amoris, & contritionis, se meâ gratiâ mouente disposuit. Itaque & Parabolæ respondet, & Epiphonemate claudit apto, gradationem intermiscendo. Et sic variæ sanctorum, & aliorum expositiones conciliantur. Et videtur colligi è D. August. *lib.*50. *homil. serm.*23.

314 Nota verò è D. Bonauent. *fund. vlt.* quem sequitur Scotus *loco cit.* & Fauent. *num.*25. actum contritionis, ratione suæ formalitatis, non præcedere tempore iustificationem, sed solùm ordine naturæ; in eodem enim instanti elicitur detestatio peccati, & infunditur gratia; sed quia actus contritionis præcequirit præparationem considerationis; ideò dixit S. Bonauentura, motiuum contritionis præcedere tempore infusionem gratiæ; & in vltimo instanti, in quo elicitur formaliter actus, infundi gratiam. In hoc autem vltimo instanti temporis sunt tria instantia naturæ. In primo est actus contritionis, perfectus substantialiter in genere moris, qui est contritio informis. In secundo infunditur gratia habitualis; in quo gratia concomitatur contritionem ipsam in genere moris, & ipsam format, & peccatum expellit. In tertio signo naturæ, ipsa contritio est formata, & sequitur expulsio peccati. Idem sensit Alensis 4. *part. quæst.*73. *memb.*3. *corpore*, & *ad* 1. Neque satis 315 confutata manet à Vasquez *cap.*2. vbi ordinem realem actionis producendi gratiam cum passione recipiendi declinare conatur, vt suprà dixi. Formari verò actum contritionis, est aliquid reale morale extrinsecum, additum à gratia, non autem solus respectus rationis. Per eam enim formationem melioratur moraliter actus ipse, etiam secundùm subiectum. Quod verò addit Vasquez *num.*29. non satis percipi per gratiam infusam, prius formari actum contritionis, vt per ipsam contritionem formatam expellatur peccatum. Primò, quia gratia habitualis ex se satis est ad 316 pellendum peccatum; ac proinde non eget contritione formata, vt peccatum expellat. Tum etiam, quia si contritio secundùm suam substantiam non potest expellere peccatum; neque formata id valebit: Nam illam esse formatam, nil est aliud, quàm esse in subiecto, habente gratiam.

Respondetvr, gratiam non expellere peccatum sua virtute physica, vt ostendi *quæst.*3. sed cum ordinatione Dei, quæ est, vt infundatur gratia è dispositione contritionis, quæ à gratia formetur; vnde ipsa culpa expellatur: & ideò quamuis contritio ipsa informis, vtpotè mera dispositio, non pellat peccatum; tamen illud pellet adueniente gratia, quod valdè notandum est.

Mvlta congerunt argumenta aduersarij, quæ si 317 penitiùs perpendantur, solum probant, gratiam, prout dicit auxilium actuale, præcedere ipsam contritionem, quæ sanè ab auxilio supernaturali procedere debet. Et hoc sensu videtur locutus D. Thom. vt credit Medina *prima secunda, quæst.*113. *art.*8. & ita nobiscum incedit.

Obiicivnt primò cum D. Thom. Causa est prior suo effectu: sed infusio gratiæ est causa motus liberi arbitrij: Ergo.

Respondet D. Bonauent. infusionem gratiæ habitualis non esse causam motus contritionis, sed eum causari ab influxu auxilij.

Obiicivnt secundò cum Vasquez *cap.*3. Omnis 318 causa efficiens inducit prius formam in passum, vt ea priùs agat, quàm ipsum passum operetur. Sed forma, per quam liberum arbitrium mouetur ad contritionem, est gratia habitualis: Ergo. Minor probatur; quia motus liberi arbitrij per contritionem est supernaturalis.

Respondetvr negando minorem. Nam forma, qua mouetur liberum arbitrium, est auxilium Dei actuale.

Obiicivnt tertiò. Nullum agens per se primò de- 319 struit formam, quam corrumpit, sed secundariò; quia primò intendit generationem formæ propriæ, cui præcedens forma est incompossibilis; sed forma, quæ destruitur per motum liberi arbitrij, est peccatum. Ergo Deus prius infundit gratiam, per quam liberum formetur arbitrium ad expellendum peccatum, quam ipsum liberum arbitrium detestetur peccatum, & hoc pellatur.

Respondetvr primò, ordine quidem intentionis esse prius inductionem propriæ formæ; at ordine executionis, qui est contrarius ordini intentionis, (quod enim est primum in intentione, est vltimum

mum in executione;) priùs esse destructionem formæ contrariæ.

320 Respondetvr secundò. Si aliquid concluderet, inferret solùm, posteriorem esse expulsionem peccati, quàm inductionem formæ; sed non concludit, quòd prior sit infusio gratiæ habitualis, quàm motus liberi arbitrij in Deum, qui fit per auxilium Dei actuale.

Obiicivnt quartò. Omnis forma priùs est ab agente, quàm operetur in passo; sed gratia est forma, qua Deus producit contritionem in anima: Ergo priùs est, quàm operetur contritionem.

Respondetvr, minorem veram esse de gratia actualis auxilij, non de habituali. Idem vult Concilium Arausic.2. *can.*18.

321 Obiicivnt quintò contra hoc: Nam Concilium Arauſ. *can.* 25. ait: *Donum Dei esse diligere Deum, quia ipse dedit nobis, vt eum diligeremus, qui charitatem diffundit in cordibus*; At gratia, quæ diffunditur, est habitus, ex dictis *disp.*2. *quæst.*2. Ergo.

Respondetvr, Concilium loqui, tum de dilectione, quæ est dispositio ad gratiam sanctificantem, quæ sanè dilectio est ab auxilio gratiæ; tum de dilectione, quæ est à gratia habituali ad meritum. Vtraque enim definitur esse ab adiutorio Dei contra Pelagium. De hac secunda, similia verba habet D. August. *in manuali*, *cap.*20. dicens: *Cùm amat Deus, nil aliud vult quàm amari; sciens amore esse beatos, qui se amauerint.*

Obiicivnt vltimò cum Soto *in* 4. *dist.*15. *quæst.*1. *art.*6. Si contritio esset causa gratiæ habitualis, esset causa meritoria; sed hoc falsum est: Ergo.

322 Respondetvr, contritionem disponere de congruo ad iustificationem. Dari verò meritum de congruo, ostendam *disp.*4. *quæstione* 9.

Dices: Gratia creatur: Ergo non eget dispositione, cùm non ex subiecto fiat.

Respondetvr facilè, gratiam egere dispositione morali, non physica. Hæc enim non conuenit creationi.

Adverte autem, non rectè aliquos Recentiores adscribere Vegæ, contritionem non modò esse priorem infusione gratiæ, sed etiam esse causam efficientem illius. Vega enim *lib.* 6. *super Concilium, cap.*5. oppositum habet; Neque verum diceret, maximè si gratia creatur, vt probaui *p.p. tract.*1. *disp.*1. *quæst.*8. Est enim mera dispositio moralis. Ita docet D.Bonauent. *in primo*, *dist.*17. *p.p. quæst.*1. Richard, *in* 4. *dist.*17. *art.*1. *quæst.*4. & 7. Palud. *quæst.*1. *num.*8. Alensis 4. *parte.*

Probatvr à S. Bonauent. ibi, argumento validissimo. Quod creatur, est à solo Deo, vt efficiente. Gratia creatur: Ergo. Argumentum patet ex dictis *loco citato.* Vide Seraphicum *arg.* 7. *addito responso*, & *disp.*4. *part.*2. *quæst.* 2. *in corpore*, quoad augmentum; eadem enim est causa productionis, & augmenti.

QVÆSTIO XIII.

An infusio Gratiæ, *& expulsio* Cvlpæ *sint duæ mutationes.*

Vt satis superque fiat difficultatibus omnibus, & argumento cuidam Vasquez, allato *quæst.* 3. quo nobis asserentibus, necessariam esse gratiæ etiam acceptationem, inferebat, sequi ibi esse duas mutationes solùm concomitantes; Hæc quæstio est elucidanda.

Primo igitur Caietanus *prima secunda*, *quæst.*113. *art.*6. tenet, esse vnam mutationem; duas verò, solâ ratione distinctas.

Secvndo: Scotus *in* 4. *dist.*16. *quæst.*2. censet, infusionem gratiæ esse mutationem realem: pulsionem verò culpæ esse mutationem rationis. Ita etiam Faber *in* 4. *disp.*14. *quæst.*2. *dub.* 17. *cap.*2. Eas tamen credit solùm concomitantes, ita vt vna sine altera possit esse, & per accidens sequatur altera ex altera.

Tertia opinio est Vasquez *disp.*204. *cap.*5. esse duas mutationes reales, vt sunt generatio, & corruptio, inuicem necessariò connexas.

D. Bonavent. *in* 3. *dist.*19. *quæst.* 1. *in corpore*, videtur duas constituere mutationes. Idem habet clariùs *in* 4. *dist.* 17. *part.* 1. *art.*2. *quæst.*1. præcipuè *ad vltimum*, & *lib.*6. *Compend. Theologicæ ver. cap.*32. Hos autem esse tantùm concomitantes patet ex dictis *quæst.*3. vbi ex natura rei posuimus, posse esse infusionem gratiæ absque remissione peccati, & *quæst.*5. vbi ostendimus, posse Deum remittere culpas, non infundendo gratiam. Idem habet S. D. *loco cit. in* 4. *sentent.* 323

Assero primò contra Caietanum, Infusionem gratiæ & expulsionem culpæ non esse vnam mutationem.

Probatvr primò ex dictis *quæst.*3. vbi è Scripturis, & Patribus id ostendi cum D. Bonauentura.

Probatvr secundò à Scoto apud Fabrum *numero* 38. fundamento Seraphici primo, *in* 4. *loco cit.* Quandocunque aliqua duo possunt separari ab inuicem, non sunt omnino vnum; Sed remissio culpæ, & infusio gratiæ sunt huiusmodi: Ergo. Maior patet. Nam quòd idem, vt est idem, simul sit, & non sit, includit contradictionem. Mi: probatur, quòd infusio gratiæ possit esse sine remissione culpæ: Nam in statu innocentiæ fuit, & esse potuit infusio gratiæ; & tunc non fuisset remissio culpæ. Idem de Angelis dicendum; quibus in statu naturæ integræ infudit Deus gratiam, vt ostendimus *p.p.* Quòd verò remissio culpæ possit esse sine infusione gratiæ, patet ex dictis *quæstione* 5. 324

Respondet Caietanus, tam ea, quæ sunt idem conuertibiliter, ita vt nec hoc sine illo, nec illud sine hoc esse possit, non esse distincta, quam ea, quæ non sunt vnum conuertibiliter, ita vt, licèt vnum possit esse sine altero; tamen alterum non potest esse sine altero, non esse etiam distincta; vt homo, & animal: Nam homo non potest esse sine animali; at animal potest esse sine homine; & ideò cum illo idem est. Sic igitur infusio gratiæ potest esse sine remissione culpæ; at remissio culpæ, non potest esse sine infusione gratiæ; quia exire à culpa, est exire à priuatione gratiæ. 325

Enim verò hoc confutatum est *Tract.*3. *disp.*1.*q.*6. vbi ostendimus, peccatum non esse formaliter priuationem gratiæ. Idem *disp. hac*, *quæst.*5. probaui. 326

Qvod verò ait Caietanus de his, quæ conuertibiliter vnum sunt, inane est, vt notat Fauentinus: Nam quòd vnum possit ab alio separari, & vnum sint, est oppositum primo principio, quia esset vnum, & non vnum realiter. Sic igitur homo, & animal, si sunt idem, sunt etiam vnum. Neque potest esse animal sine homine, vt est quid hominis, esto abstractè possit esse sine homine, vel alia natura animalis indiuidua, quod non est ad rem. Neque est ad rem exemplum aliud Caietani, quòd potest illuminatio esse sine eiectione tenebrarum, at exitus à tenebris absque illuminatione esse non potest. Hic enim est motus physicus, in quo tenebra luci opponitur priuatiuè physicè, non sic gratia, & peccatum.

327 PROBATVR secundò è D. Bonauent. *fund.*2. Mutatio simpliciter vna est inter terminos formaliter oppositos. Sed gratia, & culpa non sunt formaliter oppositæ: Ergo. Ma: patet *ex 5. Physic. à textu* 30. Ideò enim motus ab albedine ad ægritudinem non est vnus motus, sicuti ab albedine in nigredinem. Hoc argumento nititur Faber *num.* 45. Minor patet *ex quæst.*3.

ASSERO secundò contra Scotum, esse duas mutationes reales.

328 PROBATVR argumento deducto è D. Bonauent. *loco cit. Compendij.* Illæ sunt mutationes reales, quæ sunt inter terminos reales. Infusio gratiæ, & pulsio culpæ, tales sunt: Ergo. Maior patet: nam motus, & mutationes vel specificantur, vel dignoscuntur à terminis. Minor probatur: Nam infusio gratiæ est à priuatione reali gratiæ ad habitum eius; Similiter & remissio culpæ, à macula reali ad ablutionem eius.

RESPONDET Scotus apud Fabrum *num.*69. in remissione culpæ terminum *à Quo*, & terminum *ad Quem*, non esse reales, sed rationis. Nam terminus *à Quo* est destinatio ad pœnam: terminus *ad Quem* est non destinatio ad eandem pœnam.

HÆC responsio nititur illo fundamento falsissimo, confutato *tract.*3. *disp.*5. *quæst.*1. vbi ostendi, peccatum, iam commissum, relinquere maculam realem. Qua doctrina ruunt etiam Scoti argumenta.

329 OBIICIVNT cum Caietano. Expulsio culpæ non est propriè corruptio; quia corruptio est ab esse ad non esse; siue à forma positiua ad non esse formæ, vt patet in corruptione naturali substantiæ; ideò, licèt in naturalibus, generatio vnius subiecti, & corruptio opposita, sint duæ mutationes, quia ibi sunt quatuor termini; tamen infusio gratiæ, & expulsio culpæ non habent pro termino *à quo* aliquid positiuum, sed priuationem gratiæ. Confirmatur ex Aristotele 5. *Phys. text.*20. vbi asserit, motum esse vnum substantiâ; duo autem ratione, sicut via Thebis Athenas, & Athenis Thebas.

330 RESPONDET S. Bonauent. *dist.*18. *part.*2. *quæst.*1. *ad vlt.* terminos reales, non omnes positiuos esse, sed aliquos esse priuationes. Priuatio enim est ens reale, & vnum ex principiis Physicis. Sic igitur duæ sunt reales mutationes, nec est similis generatio cum motu locali. Vide etiam quæstionem sequentem ad vltimum.

ARGVMENTA autem Vasquez allisa sunt *quæstionibus* 3. & 5.

QVÆSTIO XIV.

An infusio GRATIÆ *sit prior expulsione* CVLPÆ.

D. Bonauent. in 4. dist. 17. p.p. art. 1. quæst. 1.

EMERGVNT aliquando aliquæ quæstiones modicæ vtilitatis; in quibus enodandis fatigantur, insudant, altercantúrque DD. & eò se magis implicant, quò magis se explicare conantur. Huiusceemodi est ista; in qua tot distinctionibus tenebras veritati offundunt.

331 THOMISTÆ cum suo Angelico Doctore *prima secunda, quæst.*113. *art.*6. & 8. tres motus in iustificatione recensent. Primo loco ponunt infusionem gratiæ. Secundo motum liberi arbitrij. Tertio remissionem culpæ. Addunt verò, infusionem gratiæ præcedere in genere causæ efficientis, seu ex parte agentis; at in genere causæ materialis, seu ex parte subiecti expulsionem culpæ esse priorem. Sic Medina *disp.*17. *cap.*3. *num.* 82. Vasquez *disp.* 11. *cap.*3. & 4. Valentia *disp.*8 *quæst.*5. *punct.*6. Caietanus verò *q.*113. *art.*6. tenet, prius recipi in passo infusionem gratiæ, quàm expulsionem culpæ; cum D.Thom. & alij dicant, ex parte passi priùs esse expulsionem culpæ. Medina verò ibidem, & alij volunt, in omni mutatione physica, priùs esse expulsionem primæ formæ; deinde inductionem nouæ. Addit verò, ex parte agentis, priùs esse inductionem formæ; deinde expulsionem peccati, ob aliam rationem; quia sicut in mutationibus naturalibus agens primò intendit inductionem formæ; deinde corruptionem oppositæ, & ordini executionis contrarius est ordo intentionis; hinc priùs intenditur inductio gratiæ, quàm expulsio peccati.

SCOTVS *in* 4. *dist.*16. *quæst.*2. *ad* 2. apud Fauentinum *num.*77. dicit, ordine generationis priùs pelli culpam: ordine verò perfectionis, priùs induci gratiam: Nam, quæ sunt priora generatione, sunt posteriora perfectione ex Aristotele 5. *Met. cap. de priori,* & 9. *Met. cap.*7. At prioritate secundùm consequentiam, esse priorem expulsionem culpæ: Nam illud est prius consequentia, quod est imperfectius; nam à subsistentia imperfectioris, non infertur subsistentia perfectioris. Sed è contra: v. g. est animal; non infertur: Ergo est homo; at è contra valet: Est homo: Ergo est animal. 332

LOQVENDO verò de prioritate causalitatis, nec infusio gratiæ est causa expulsionis culpæ, nec expulsio culpæ est causa infusionis gratiæ: ordine verò altiori, quatenus sunt obiecta Diuinæ voluntatis, ait, primò intendi infusionem gratiæ, quia est vicinior fini: ordine verò executionis priùs esse expulsionem culpæ. Hanc sequuntur communiter Scotistæ Arretinus *ibi*, *art.*4. Hiribarnes *disp.* 14. *sess.* 6. Faber *de Pœnit. disp.* 17. *cap.*3. Vulpes *disp.*14. *art.*10. aliique antiquiores, & Author controuersiarum inter Scotistas *p.p. controu.*17. *de Pœnit. disp.*7. *quæst.*5. & *disp.*5. *de Gener. quæst.*4. *num.*107. 333

Quoad Seraphicum, per assertiones mentem eius aperiam.

ASSERO primò, Deum priùs infundere gratiam, quàm culpam delere simpliciter. 334

PROBATVR à D.Bonau. primò, *in corpore*. Causa expulsionis culpæ est prior ipsa expulsione. Gratia est causa expellens culpam, & purificans corda: Ergo. Ma: est euidens ex dictis *quæst.*1. & 2. Mi: probatur ab eo ex 15. *Act. Fide purificans corda*, nempè simul cum gratia infusa, & aliis habitibus, vt habetur *Rom.*5.

PROBATVR secundò è Concilio Trident. *sess.* 6. *cap.*7. vbi definit, Gratiam esse adæquatam formam iustificationis. *Formalis* (ait) *causa est iustitia Dei: non qua ipse iustus est: sed qua nos iustos facit.*

NEQVE dicant aduersarij, expulsionem peccati esse dispositionem ad gratiam ex Concilio, quia Concilium dicit, esse effectum gratiæ formalem. 335

CONFIRMATVR: Nam forma adueniens, habet pro effectu secundario pellere contrariam formam.

RESPONDENT Thomistæ, expulsionem culpæ esse profectò priorem in genere causæ materialis; at infusionem gratiæ esse priorem in genere formalis.

CONTRA adhuc; quia implicat, expulsionem culpæ esse dispositionem ad formam, à qua est pulsio. 336

CONFIRMATVR *secundo fundamento*, ex D.Ambrosio dicente: *Perfecta virtus tollit iniquitatem.* Tunc sic: Operari sequitur ad esse: sed gratia, & charitas tollunt peccata: Ergo sunt priùs, tanquam causæ.

PROBATVR

Probatvr tertiò à S. Doctore. Gratiam infundi, est creari: Sed creatio gratiæ præcedit expulsionem culpæ, veluti causa suum effectum. Ergo. Ma: patet ex dictis *p.p. tract.3. disp.1. quæst.8.* Mi: probatur ex dictis hîc *disp.2. quæst.1. & 2.*

337 Probatvr quartò *fund.3.* Si prius naturaliter expellitur culpa, quàm infunditur gratia, cum culpa non possit expelli, nisi per inhabitationem Dei in anima, vt sæpe repetit Apostolus; tunc prius inhabitaret Deus in anima, quàm infunderet ei gratiam, quod est impossibile.

Confirmatvr *fund.4.* Cùm ignis expellit frigiditatem, prius naturaliter immittit in materiam virtutem, quàm frigiditatem expellat. Si ergo Deus pellit culpam immittendo gratiam: Ergo prior est gratiæ immissio, quàm culpæ exclusio.

338 Notat autem S. D. *in corpore*, qualitatem, quæ agit in aliud, ad tria comparari, nempe ad principium à quo producitur; ad oppositum, quod expellit; & ad subiectum, quod informat. Et quidem subiectum informatum aliqua qualitate, vel deformatum vitio, non potest intelligi, informari aliqua bona qualitate, vel perfectione; nisi prius intelligatur expulsio contrarij. Non potest autem aliquid intelligi expulsum ab alio, quin prius illud aliud intelligatur egredi à suo principio. Quoniam igitur gratiæ infusio non dicit primò perfectionem subiecti, sed egressum eius ab agente, & non, vt sonat, infundere; consequenter verò ad subiectum perficiendum ordinationem; ideò prior est productio gratiæ: Secundò expulsio culpæ: Tertiò perfectio subiecti per informationem. Licet enim infundatur, & in subiecto creetur simul tempore; tamen ordo naturæ est suprà relatus.

339 Qvoniam verò hic ordo, & modus sonare videtur oppositionem physicam gratiæ cum culpa; vnde fit ita expulsio, vt notat Fauentinus *loco cit.* quod est contra dicta *tract.3. disp.1. quæst.6.* oportet diligenter aduertere, nostrum Seraphicum solam oppositionem moralem etiam hîc admittere; ita, vt ea proportione, qua in naturalibus prius immittitur forma; deinde priuatio recedit per formam; ita in hac morali operatione priùs immittitur gratia, ob cuius præsentiam tollitur deformitas priuationis, quæ est formale peccati.

Obiicies primò. Prius est pelli terminum *à Quo*, & posteà induci terminum *ad Quem*. Sed terminus *à Quo*, est expulsio culpæ; & terminus *ad Quem* infusio gratiæ: Ergo.

340 Respondet D. Bonau. terminum *ad quem* iustificationis non esse gratiæ infusionem, sed magis subiectum esse gratum, & mundatum, & gratia informatum. Vnde priùs gratia habet rationem agentis, quàm informantis. Gratia igitur, vt est principium agens, est initium iustificationis; vt autem habet rationem informantis, & reddentis subiectum iustum, sic est terminus.

Obiicies secundò cum Scoto. Id prius est, à quo non conuertitur subsistendi consequentia necessariò: Sed necessariò ad esse gratum sequitur esse mundum, non è contra, vt patet in primo homine, & angelo; in quibus priùs fuit status innocentiæ, quàm Gratiæ: Ergo naturaliter prius est, esse mundum, quàm gratum. Sed esse mundum, est per culpæ expulsionem; esse verò gratum, est per infusionem gratiæ: Ergo expulsio culpæ est prior.

341 Respondet D. Bonauent. à quo Scotus sumpsit argumentum; licèt prior sit mundatio, quàm gratificatio, non tamen esse priorem, quàm ipsa gratia mundans. Vnde ratio illa esset bona, Si mundatio non esset à gratia, tanquam à principio immediato, & creato: Nunc autem ratio illa tantùm valet, quod prius per naturam competit expellere culpam, quàm subiectum informare; & hoc verum est: Forma enim, quæ inducitur in materiam aliquam, prius est ibi vt potentia, siue agens, quàm sit vt perficiens, siue actus; siue igitur expulsio culpæ sit idem, quòd mundificatio, siue non; sequitur infusionem gratiæ; gratia enim mundificat, & hoc priùs natura facit, quàm subiectum perficiat sanctificando.

Obiicies tertiò. Medium naturaliter sequitur ad prius extremum, & præcedit secundum. Sed innocentia est naturâ suâ, media inter culpam, quæ est prius extremum; & gratiam, quæ est alterum extremum. Ergo est prior innocentia: sed hæc est per expulsionem culpæ: Ergo expulsio culpæ est prior infusione gratiæ.

Respondet S. Doctor innocentiam, seu mundificationem esse ante actuationem subiecti; mundificatio autem est à gratia in ipsa infusione, quæ est creatio, & postea naturam informat. Non enim potest informare, nisi pulso contrario. Sic igitur Deus in creatione gratiæ, atque infusione, tollit eam maculam ad præsentiam gratiæ; deinde ipsa gratia subiectum possidet. Primò igitur gratia creatur, & expellit culpam; deinde informat subiectum. Et licèt in primo instanti, quo gratia creatur, intelligatur in subiecto, tamen hoc est concomitanter. 342

Obiicies quartò: Vel culpa pellitur, quando est, vel quando non est; Si quando non est: Ergo semper expellitur. Si quando est Tunc sic: Per re pellitur à gratia: Ergo gratia est simul cum culpa. Forma enim non potest operari, nisi sit in subiecto: Ergo gratia non potest pellere peccatum.

Respondet S. Bonau. quem sequuntur Mastrius *num.145.* & alij, peccatum expelli mutatione subita, quæ dicit expelli, & expulsum esse. Vnde pellitur quando primò non est, & ita pellitur eo instanti, quo primò esse desinit. Sic igitur desinit in termino extrinseco: & gratia in instanti intrinsecè incipit, & ita primum esse gratiæ, est primum non esse culpæ. Neque enim forma expellit priuationem per actionem, vel contactum: sicut clauus clauum trudit, sed informando subiectum, iam desinere facit primò priuationem: ita, vt priuatio desinat per aduentum formæ. 343

Obiicies quintò. Si Deus successiuè operaretur, prius tempore, tolleret culpam; deinde impenderet gratiam; sed subita ordinatio, etsi tollat ordinem temporis, non tamen tollet ordinem naturæ, Ergo.

Respondet S. Bonauent. Si Deus operaretur successiuè, tunc mundaturum animam per aliquid aliud, nunc autem cùm illam mundet gratiâ, debet ipsa præcedere naturâ expulsionem culpæ. Hoc autem modo agendi per gratiam posito, nequit fieri successiuè, quia simul essent gratia, & culpa, quod repugnat. 344

Obiicies sextò. Idem est tollere priuationem, & infundere habitum, sed priuatio est culpa, habitus est gratia: Ergo idem est, & consequenter non datur ordo, cùm sint vnum.

Respondet S. Doctor id verum de habitibus, qui merè physicè tollunt priuationem; at gratia non sic tollit peccatum, vt ostendi *quæst.3.* Deinde, verum est de habitibus, auferentibus priuationem tantùm; at gratia non solùm aufert priuationem innocentiæ, sed insuper addit supernum decorem, & deiformitatem, ac Diuinæ participationem naturæ, vt cum D. Petro loquar. Ideò negatur vtraque præmissa. 345

QVÆSTIO XV.

An IVSTIFICATIO *fiat in instanti.*

EX dictis *quæst.*13. *&* 14. liquet, asserendum. Id ostendit S.D. *loco cit. Compend.Theol.* cum Alensi 4.*part. quæst.*17. *memb.*1.*art.*1. D.Thom. *quæst.c.art.*7. vbi Thomistæ, Soto *in* 4. *dist.*14. *quæst.*2. *art.*2. vbi Faber *dist.*17.*cap.*4. & omnes alij contra Gregorium *in* 2.*dist.*4.*&* 5.*quæst.*1.*ad* 4. & *in primo*, *dist.*38.*art.*3.

346 PROBATVR à D.Bonau. *loco cit.Compend.* ratione à priori. Quòd aliqua actio egeat successione, è duplici oritur causa. Vel quia subiectum est continuum, vel quia forma est continua, ex Aristotele 6. *Phys.* Et probatur: quia motus omnis includit motum localem *ex* 8.*Phys.text.*53.motus autem localis est successiuus, ratione subiecti super quod fit; vel ratione formæ, quæ diuisibilis inducitur per partes in subiectum; si verò indiuisibilis, inducitur prius in vnam partem subiecti; deinde in sequentem. At forma iustificationis est indiuisibilis. Similiter subiectum, nempe anima. Ergo potest induci in instanti. Actus etiam voluntatis in instanti fieri possunt. Concedo tamen, præparationes fieri in tempore, vt monent Valentia *quæst.* suprà, Faber *num.*91. cum Seraphico; debent enim multæ considerationes præcedere, & ex eis actus detestationis, quocum simul tempore infunditur gratia, etsi naturâ, post; vt dixi *quæst.*14.

347

Addit S. Doctor virtutem Agentis infinitam validam producere omnia, non implicantia in instanti. Confirmatur, eo Ezech.18. & 33. *In quacunque hora ingemuerit peccator*; vbi indicat, in quouis momento posse quemque conuerti: Alioqui, si aliqua fixa temporis mora potius quàm alia exigatur, dabitur in via tempus, in quo sit omnino salus desperanda.

348 OBIICIES primò. Actus peccati non potest durare tantùm per instans; sed necessariò durat per tempus: Ergo non potest expelli in instanti. Anteced. probatur: quia in eo instanti, quo peccatum fit, non potest pelli, nec in instanti aliquo proximè immediato; quia non dantur instantia duo immediata, *ex* 5. *&* 6. *Physic.* Ergo durabit per tempus medium inter illa instantia. Conseq. probatur; quia peccatum non potest expelli in eo tempore, quo debet durare: Ergo in eo tempore non potest homo iustificari; sed erit expectandum quòd finiatur: Ergo non pro quolibet instanti temporis iustificatio fieri posset. Tunc sic: Cuius generatio est continua successiua, eius corruptio est quoque successiua, quia nihil potest esse generum oppositorum, puta diuisibile, & indiuisibile. Sed peccatum fit in tempore; ergo & destructio eius.

349 RESPONDETVR è D.Bonau. *quæst. cit. quæst. præcedenti ad* 4. & *dist.*11. *p. p. quæst.*5. peccatum productum in instanti expelli, quando primò non est, id est post instans saltem suæ productionis in alio instanti, quod sanè non est continuatum præcedenti; nam diuersa est mensura, qua mensuratur productio peccati à voluntate, & qua expellitur à Deo. Quamuis autem idem sit subiectum, non est tamen eadem numero duratio; quia vnaquæque actio habet propriam periodum, vt docet Aristoteles 3. *de Gener. text.*57. & ideò occinit Pœta.

Stat sua cuique dies.

Esto sit in duratione primi mobilis vna tantùm duratio, & vnum tempus secundùm essentiam; attamen secundùm esse, sunt plura, quia quælibet mutatio habet suam propriam durationem. Quare sicuti sub duratione primi mobilis eadem, fieri contingit vnam iustificationem Romæ secundùm durationem propriam, & immediatè consequenter fieri aliam Brixiæ, aut saltem vnam patrari culpam Neapoli, & immediatè post aliam Romæ; ita potest esse, vt culpa hæc in sua periodo patretur à Petro, & secundùm aliam mensuram operationis Dei, statim postea iustificetur, licèt sit eadem culpa; non enim ad vnicum motum sufficit vnitas subiecti.

Præterea cum suprà dixerim ad detestandam culpam præreaquiri aliquam præparationem considerationis, quæ aliquam morulam exigit temporis, non videtur absonum, voluntatem in vno instanti peccantem, statim absque morula pellere eandem culpam, ideò sæpe multi in eo instanti, quo peccant moriuntur, vnde non habent commoditatem pœnitentiæ. Quælibet autem morula sat est ad salutem, Deo mouente. Ideò non est desperandum in aliquo tempore. 350

OBIICIES secundò. Si gratia infunditur in instanti, & culpa in instanti tollitur; vel hoc fit eodem instanti, & tunc anima esset simul cum culpa, & sub gratia, neque possunt esse duo instantia immediata *ex* 5. *&* 6. *Phys.*

RESPONDETVR ex dictis, expulsionem culpæ cedere in instanti extrinsecè, & intrinsecè in eo instanti induci formam.

Quæres: An iustificatio sit maximum opus Dei, atque miraculum.

RESPONDET D.Bonau. *loco cit. Compend. Theol.* è D.August. *tract.*72. *in Ioan.* maius esse iustificare impium, quàm mundum creare, quò ad terminum; quia melius est cùm producitur Ens ordinis superioris, nempe gratia, & fit homo sanctus, quàm cùm producitur ens ordinis naturalis, & fit homo simpliciter. Enim verò quò ad modum, maius est creare; nam in creatione nihil Deo cooperatur. Idem habet D. Thom. *quæst.*113. *art.*9. 351

ADDIT verò D.Bonau. *ad cap.*14.*Ioan.* in ea verba. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet*, iustificationem impij miraculis omnibus præcellere, vt ait D. August. *tract.*72. *in Ioan.* & D Chrysostomus *ad eum locum.* 352

MIRIS autem modis S. Gaudentius Episc. Brixiæ *homil. de Paralytico*, hunc locum cum eo componit: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor, dicens, labores Dei perpetuò insumi in peccatoribus inueteratis reducendis, & hoc esse opus, de quo* Genes. 2. dicitur: *Requieuit ab omni opere suo, quod creauit Deus vt faceret*; neque dicit quid; exponitque, vt iustificaret impium, quo in opere omnia creata insumit, atque consumit: accipit autem versionem LXX. *Quæ inchoauerat Deus facere*; quasi omnia, tametsi valdè bona, essent tamen rudis quædam massa, comparata, & ordinata ad iustificationem.

OBSERVAT autem S.Bonau.3.*part. Centil.sect.*37. & *in Compend. Theol. cap.*28. miraculum è D.August. *lib.*27.*cont. Faustum, cap.*3. & *lib.de vtilit.cred.cap.*16. esse quidquid arduum, aut insolitum supra spem, & facultatem mirantis apparet. Ità ad miraculum tria requiruntur. Primum, vt à solo Deo fieri queat. Secundum, vt sit supra naturalem potentiam subiecti. Tertium, vt sit insolitum. Iustificatio habet primam conditionem, non tamen secundam, quia, vt ait D.Aug. *lib. de prædest. Sanctorum, cap.*5. naturæ hominum est posse habere fidem, & charitatem, quia est Dei imago. Tertia autem conditio euenit solum in quibusdam insignibus iustificationibus; vt Pauli, &c. Vide D.Th. *quæst.*113.*art.*10. & Valentiam *disp.*8.*quæst.*5.*puncto* 8. 353

QVÆSTIO

QVÆSTIO XVI.

An peccata mortalia, semel remissa, per sequens peccatum redire queant.

D. Bonau. in 4. dist. 22. quæst. 1. & 2.
D. Thom. 3. part. quæst. 88. art. 1.

TAMETSI D. Thomas 3. *part.* de hoc disputet, quia tamen magnam habet cum præcedentibus connexionem; maximè ad elidendos Hæreticos, qui peccata non tolli, sed tantùm tegi, clamant; ideò hic quæstionem ago.

NON quero autem: Vtrum actio eadem peccati præterita redire queat; hæc enim etiam per Dei potentiam non potest redire, vt docet D.Thom. *loco cit.* Richardus *in* 4. *dist.* 22. *art.* 1. *quæst.* 1. Palud. *quæst.* 1. Gabr. *quæst.* 3. *art.* 1. Multò minus, quia debet redire per voluntatem creatam, cùm Deus ad culpam non operetur; At voluntas creata nequit reuocare præterita.

DVAS autem quæstiones habet D.Bonauent. In altera quærit: An redeat macula; in altera: An redeat reatus pœnæ.

354 FRVSTRA verò D. Bonauent. duas quæstiones distinguere ait Vasquez *disp.* 208. *cap.* 4. quia redeunte pœna, debet redire & macula; & è contra. Enim verò non posse redire pœnam, non redeunte macula, etiam D.Bonauent. arguit *fund.* 2. quia tamen aliqui dicebant, ratione ingratitudinis accepti beneficij redire reatum ad pœnam, potest quæstio esse distincta de reditu reatus: & tunc non rediret macula; sed tamen reatus ad pœnam ratione sequentis maculæ turpioris ex ingrati animi nota. Deinde si disputandum est cum Scoto, debet distingui quæstio, vt dicam, & sic quæstionem distinguit etiam Suarez, infrà citandus.

355 SCOTVS *in* 4. *dist.* 22. *quæst. vnic.* in tres articulos diuidit hanc controuersiam. In primo disputat de potentia Dei absoluta, & sistens suis fundamentis, quibus supponit nil peccati remanere præter reatum ad pœnam, asserit, per Dei potentiam, illam posse redire Quoad maculam, quam alij relictam post actum peccati asserunt, dicit, dubium esse fundamentum, quo illi nituntur ad probandum: quòd si remaneret macula, non posset redire, sicuti neque ipsa actio reuocari potest. Sequitur schola apud Mastr. 4. *disp.* 5. *quæst.* 10. addentem Suarium *in* 3. *Tom* 4. *disp.* 13. Valentiam *quæst.* 5. *punct.* 1. Amicum, & Coninchez cum aliis modernis.

In secundo disputat Scot. de potentia Dei ordinaria, & negat, culpam, quæ est reatus, posse reuocari.

IN tertio articulo disputat de facto: An redeat; & respondet, non redire per se, quoad culpam, neque quoad pœnam; tamen redire aliquo modo, scilicet virtualiter quò ad aliquem effectum, siue circumstantiam quandam, aggrauantem nouum hominis peccatum ratione ingrati animi notæ. Eum omnino sequitur Fauentinus *loco cit. disp.* 41.

ADDIT Suarez, & Vasquez, Scotum §. *De secundo*, &c. dicere, remitti posse à Deo peccata, ea conditione, vt redeant, si recidat, cui consentit Ioan. Medina *Cod. de confess. tract.* 1. *quæst.* 9. citatur etiam Gabriel *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 3. *art.* 3. *dub.* 2. Attamen Fauentinus *num.* 16. ait, Scotum non sic loqui, sed, Deum posse remittere abstrahendo, ac si iterum cadat, relinquendo sibi libertatem iterum puniendi prima peccata.

PLVRES è Recentioribus, licèt cum Theologis nunc allegatis conueniant in altero fundamento, culpam non tolli physicè à gratia tantùm; sed addita Diuina acceptatione, vt dixi *quæst.* 3. Ex quo sequi videtur, posse Deum ea conditione acceptare, vt redeunti ad vomitum imputetur; non audent tamen asserere, posse Deum ita ea conditione absoluere; non enim admittunt culpam, ex peccato relictam, esse merum reatum ad pœnam, sed veram maculam, qua remanet conspurcata anima peccatoris. Horum verò rationes infrà perpendam.

ALIORVM opinio fuit, omnia peccata dimissa relabenti imputari. Ita sensere Hugo de S.V. *tom.* 3. *lib.* 2. *de Sacram. part.* 14. *cap.* 9. Gratianus *de pœnit. dist.* 4. initio, per multa capita, & in fine, præsertim *cap. vlt.* Vuillelmus Paris. *tract. de Sacram. Pœnit. fol.* 54. *col.* 3. cuius sententiam in hunc sensum intellexit Dionys. Carthus. *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 1. 357

ALII dixerunt, non cuilibet recidenti de nouo, præcedentia peccata imputari, sed solis labentibus in odium contra fratrem, in Apostasiam, contemptum confessionis, & nolenti habuisse dolorem suorum peccatorum. Hæc verò peccata hoc distieho explicantur.

Fratres odit. Apostata fit. Spernitque fateri.
Pœnituisse piget; pristina culpa redit.

HVIVS sententiæ sectatorem fuisse Præpositiuum refert S.Bonauent. *quæst.* 1. & quidem de peccato odij consensit Titelmanus *in cap.* 18. *Matth.* De odio, & Apostasia idem videtur sentire D.August. *serm.* 15. *de verbis Domini*, & *lib.* 1. *de Baptismo contra Donatistas*, *cap.* 12. & *lib.* 3. *cap.* 13. si Vasquez credam; hoc tamen infrà discutiam. 358

VERA tamen sententia ea est, peccata semel dimissa, per nullum relapsum imputari, neque redire, & imputari posse, etiam per Dei potentiam absolutam. Ita D. Bonau. *his quæstionibus*, vbi de macula, & de reatu id asserit. Idem asserit aliis locis. D.Thom. *loco cit.* Altisiodor. *lib.* 4. *sum. tract.* 6. *cap.* 6. *quæst.* 1. Albertus *in* 4. *dist.* 22. *art.* 1. Richardus *art.* 1. *quæst.* 2. & 3. Durandus *quæst.* 1. Palud. *quæst.* 1. Gabr. *quæst.* 1. Carthus. *quæst.* 1. Argent. *art.* 2. Petrus Soto *lib. de Inst. Sacerdot. lect.* 7. *de Pœnit.* Dominicus Soto *in* 4. *disp.* 16. *quæst.* 1. *art.* 1. Suarez *in* 3. *part. tom.* 4. *disp.* 13. vbi clarè 359
num. 6. ait, peccatum remissum absolutè, vt nunc fit, redire non posse, quia deberet reproduci à Deo, qui solus præterita reuocare valet: At implicat culpa à Deo. Sequitur Tanner. 4. *part. disp.* 5. *de Pœnit. in comp. n.* 71. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 32. *num.* 4. Sic & Valentia *loc. cit.* ait, supposita remissione absoluta independenter à futuro, non posse à Deo reuocari, ne mutetur Deus; posse verò, si hac conditione remitteret, vt iterum peccans remacularentur, vt priùs. Quare non sunt cum Scoto, qui de culpa remissa, vt nunc fit, loquitur. Sic Vasquez *disp.* 1. & alij. Veglensis verò 4. *disp.* 22. est anceps.

ASSERO primò, peccata remissa non redire quò ad maculam.

EST assertum Gelasij Papæ *in epist. Decretali*, quæ refertur *de Pœnit. dist.* 4. vbi ait: *Diuina clementia, peccata semel remissa, in vltionem iterum redire non patitur.*

PROBATVR primò à D.Bonau. *quæst.* 2. *fund. vltimo*, 360
ex 11. ad Rom. *Sine pœnitentia sunt dona Dei*, vbi Græcum sonat *impœnitibilia.* Hoc textu vtitur vterque Sotus, & Suarez *num.* 6. cum D.Thom. & omnes Scholastici, & censetur efficax; supposito hoc verissimo fundamento, peccatorum remissionem, esse talem effectum, vt iam non pendeat ex humana voluntate, sed ex solo Dei decreto, quod mutari non potest, nam hoc sensu dicuntur dona Dei esse sine pœnitentia: Quin potius non solum

solum ratione immutabilitatis, sed etiam ratione talis materiæ, vel effectus repugnat, in hoc mutari Diuinum decretum. Vt inter homines, si creditor remisit absolutè debitum alteri, licèt postea remissionis factæ possit pœnitere, & velit remissionem retractare, non poterit id efficaciter consequi, vel alium iterum debitorem constituere; quia non est talis ille effectus, vt sola eius voluntate fieri possit. Sic ergo præter immutabilitatem Dei, licèt per impossibile, in aliis rebus posset Deus mutare suum decretum absolutum; in hoc non posset; quia talis est ille effectus, id est destructio peccati, vt oppositum eius, scilicet esse in peccato, non possit fieri per solam Dei voluntatem.

361 Vasquez *num.*26. dicit, hunc textum parùm ad hoc habere momenti. Non enim dicuntur dona Dei sine pœnitentia, quia nulla eorum reuocentur. Videmus namque, gratiam habitualem amitti per quodlibet peccatum mortale.

Enim verò non est par ratio. Nam gratia habitualis dependet ex nostra voluntate: Datur enim quamdiù non peccamus; & non potest cum peccato mortali subsistere; At remissio facta ex dispositionibus nostris, iam à solo Dei decreto pendet, quod est absolutum; & hæc dona, quæ à solo Deo pendent, dicuntur ea esse, de quibus hic loquitur Apostolus, vt ait D. August. *lib.*1. *de praedest. sanctorum, cap.*19. vt fatetur Vasquez *loco citato*.

362 Qvod verò remissio peccatorum sit absoluta, probatur; quia effectus priuatiui, seu destructiui non pendent post suam destructionem ex continuata voluntate, sicut effectus positiui permanentes; puta gratia. Licèt autem destruatur gratia postea per peccatum, tamen remissio peccati refertur ad gratiam; sicuti ad primò introducentem suum effectum, & expellentem, non sicuti ad conseruantem. Si enim gladius infligit plagam, non ob id destructo cultello, destruitur plaga: sic igitur gratia in suo primo aduentu destruit culpam; vnde, etiamsi postea recedat, non redit culpa, vt notat D. Bonauent. *quaest.*5. *ad* 4. & post eum Suarez *ad articulum primum D. Thomæ.*

363 Probatvr ab aliis ex illo Ezech.18. *Si autem impius egerit pœnitentiam, &c. Omnium iniquitatum eius non recordabor.* Verum non videtur efficax, vt respondet Hugo, & obseruat D. Bonauent. *quaest.*1. *in corpore*, & post eum Suarez *num.*4. & Vasquez *num* 21. idem dixisse Ezechielem de bonis operibus: *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, &c. Omnes iustitiæ, quas fecerat, non recordabuntur*; & tamen merita posteriora, impedita per peccatum, post iustificationem redeunt. Subdit Hugo: *Deus tibi de suo respondet: Nam de suo, meritum tuum tibi indicat; consilium suum non reuelat.* Quasi dicat: Licèt tua demerita exigant, vt Deus tuorum meritorum obliuiscatur; tamen ex Diuina pietate reuocantur ad præmium. Et sanè pro subiecta materia, vt notat Suarez, supposita Diuina clementia, vt ait etiam Fauentinus, videtur remissio hîc absolutè facta: intimatio verò amissionis meritorum cadenti, nisi resurgat.

Probatvr ergo à D.Bonauent. *quaest.*1. *in fundamentis*, pluribus rationibus.

364 Prima est, qua nititur Scotus apud Fauentinum *num.*23. Deus disposuit, peccata pœnitentis post pœnitentiam, & sumptionem Sacramentorum, esse omnino extincta, & deleta: Ergo non possunt secundùm hanc Legem redire, quia sibi Deus contradiceret. Consequentia est euidens è D. August. ad ea verba Psalm.31. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates*, vbi exponit, Idem esse, tecta peccata, & deleta; & ideò tecta Deo, qui quidquid existit, omnino videt, vt etiam vidimus *quaest.*1. *disp. secunda*, & *q.*1 *huius disputationis.*

Secvnda ratio S.Bonau. quæ plura complectitur fundamenta, est efficacissima, qua vtuntur Suarez 365 *n.*51. Richardus, & ferè omnes. Quidquid reproducitur, ab alio reproducitur: Sed macula peccati à nullo potest reproduci: Ergo. Ma: est euidens. Quod enim non est, non potest producere, maximè verò seipsum. Minor probatur. Vel reproducitur à peccato recidentis, vel ab ipso recidente, vel à Deo. Nullum dici potest: Ergo. Non à peccato relapsus, quia nil producit aliud, quod non continetur in sua virtute, vel potentia: sed peccatum relapsus continet solam suam propriam maculam, non autem omnia genera peccatorum, quæ possunt iam esse remissa: Ergo.

Confirmatvr à D. Bonauent. Contrarium non 366 reducit ad esse suum contrarium: Sed potest peccatum relapsus esse, contrarium peccatis remissis, puta si ea sint auaritiæ; & relapsus prodigalitatis: Ergo. Secundò, Quia à priuatione ad habitum eiusdem numero formæ non datur viribus naturæ regressus.

Neqve possunt reproduci ab homine relapso. Primò; nam quando homo peccat, non committit ea peccata numero, sed aliud distinctum: Ergo priora non redeunt per relapsum. Secundò, quia non potest naturæ viribus idem numero reproduci, ob rationem suprà allatam.

Seqvitur ergo, reproducenda omnia peccata à 367 solo Deo; sed hoc est absurdum; nam vt ait D.August. *lib.*83. *qq. quaest.*2. Deo authore, nemo fit deterior. Ideò *sine ipso factum est nihil*, id est peccatum, vt notat D.Bonauent. *ad* 1. *Ioan.* è D.Augustino *ibi.*

Si dicas, ea peccata priora resultare è relapsu; sicut ex vnione animæ ad corpus filiorum Adæ resultat macula Originaria, inane est; quia non possunt sic resultare, nisi vel illud sequens contineat in se peccata præterita, vel virtute præteritorum peccatorum resultent: Primum est falsum; quia peccata noua sunt omnino diuersa à remissis. Neque secundum potest dici, nam præcedentia fuere omninò illi deleta, & extincta secundùm fidem catholicam, vt ostendi *quaest.*1. Neque est simile de peccato Originali: Nam hoc resultat ex pacto iam durante in voluntate Adæ, quatenus est Parens totius generis.

Respondet Scotus, dubium esse: An hæc ratio 368 concludat; id verò non probat.

Faber verò à *num.*7. conatur, eam eneruare, dicens, certum esse, posse hominem, Deo adiuuante, habere rursus eandem numero actionem, v. g. occidendi, adulterandi, quod diffusè nititur probare; ex ea verò numero actione, sequitur eadem numero malitia. Posset igitur per Dei potentiam idem peccatum remissum reuocari ad esse.

Fallitvr tamen toto cœlo Fauentinus; esto 369 enim reproduceretur à Deo, coagente homine, eadem actio, quæ est mortale peccatum; attamen debet dari aliquid in operationibus. quod sit ratio formalis peccati, quod intrinsecè non oriatur ex actione illa, pro vt est à Deo: Et ideò debet illa, quæ est formalitas malitiæ esse à solo homine; alioqui Deus esset culpæ reus. Hoc autem formale est à solo consensu morali liberi arbitrij, quod quidem non adiuuatur à Deo, sed tantùm permittitur. Ex quo fit, vt cùm solus relinquatur homo, non possit eandem numero moralitatem reproducere, quæ est carentia rectitudinis debitæ, negata ipsi destructo actui. Falsò igitur Fauentinus, è reproductione eiusdem numero actionis, quæ est materiale peccati, deducit reproduci eandem numero formalitatem malitiæ.

Vasqvez *num.* 4. nostram rationem contemnit; 370 nam

nam qui sustineret, eadem redire numero peccata per Dei potentiam, nec deberet asserere, ea redite actione pœnitentis, eadem iterum committentis, neque actione Dei immittentis maculam; sed actionibus peccatoris, quibus primum commisisset peccata illa, tanquam primaria causa; Et deinde nouo peccato, tanquam conditione, qua posita, vellet Deus, vt dimissa redirent; hoc est, non essent absolutè dimissa, sed sub illa conditione, nisi nouum peccatum committeret; Hoc autem rectè sequeretur, si Deus non vi iustitiæ inhærentis, sed acceptationis additæ, fieret remissio. Hæc tamen friuola sunt. Nam peccata remissa nullum habent esse, quo reuiuiscere queant: ex parte verò Dei esto posset reuiuiscere damnatio ad pœnam; attamen macula illa non potest à Deo solo procedere, neque ad id inseruit nouum peccatum,
371 quod propriam solam secum fert maculam, & sæpe oppositam præcedentibus, vt arguit D.Bonau. Deinde non video, qua ratione, dato, quod iustificatio fiat à sola gratia physicè pellente peccatum, reddatur ob hanc solam rationem impossibilis reuocatio maculæ: Tum quia, hoc est tantùm impossibile secundum legem ordinariam, & aliter posset fieri remissio, & consequenter reuocatio non impediretur secundùm Vasquez. Tum quia iustificatio, quæ fit per gratiam, non est maior, quàm in genere naturæ informatio animæ in corpus; & tamen, remota anima, potest iterum eadem numero priuatio tolli, & reproduci cum discrimine, quod macula non rediret per actionem, sed per resultantiam, in via aduersariorum, si ea conditione peccata essent remissa, vt amissâ gratiâ iterum idem numero næuus resultaret; sicut resultat in anima Originalis labes.

Assero secundò, non redire peccata priora quoad reatum, aut pœnam actualem.

372 Probatvr à D.Bonau. *quæst.*2. primò ex illo Nahum 1. *Non consurget duplex tribulatio*; aut secundùm LXX. *Non puniet Deus bis in idipsum.* Ita legit S.Bonau. & *in* 2. *dist.*26. *quæst.*1. *ad penult.* Vbi Pagninus: *Non consurget bis angustia.* Hoc testimonio vtuntur Scotus, Gabriel, vterque Sotus, Suarez, Faber, aliique. Quem sensum amplectitur D. Hieronymus, respiciens potius medullam, quàm corticem litteræ. Et D. Cyprianus *serm. de Pass. Domini* ait: *Eos, qui vita sua quocunque articulo temporis veri sunt indices, non iterum iudicari: quia, cùm iudicis, & tortoris vices non parcens peccator assumit, semetipsum persequens, dum confessionem confusione honorat.* Et subdit: *Neque enim bis in idipsum iudicat Deus; sed impœnitentes ipse iudicat, & damnat; pœnitentes verò, quia à seipsis suscipit iudicatos, absoluit: neque iudicio, quod pœnitentia humana seueritas protulit, aliquid*
373 *iustitia cælestis apponit*, putat dicere: Non iudicabit; ac non vindicabit, quia sermo est de iudicio vindicatiuæ iustitiæ. Deinde pro eodem reputat, vindicare Deum, & acceptare vindictam, vel satisfactionem à peccatore assumptam, & oblatam, & propter illam remittere culpam, & pœnam æternam, commutando illam in temporalem, vel hanc etiam remittendo, si peccator pro illa satisfaciat.

Postquam ergo Deus hanc vindictam qualemcumque sumpsit, & illa contentus fuit remittendo, & quasi diffinitiuam sententiam in illa causa proferendo, non iterum iudicat in idipsum, vt puniat hominem propter eadem peccata, quæ semel remisit.

Svarez *sect.*2. *num.*3. hunc locum infirmat dicens, Versionem LXX. non habere, vt Sholastici referunt: *Non iudicabit Deus bis in idipsum.* Sed: *Non vindicabit.* Et sic nullam vim habere videtur, quia Deus non vindicabit peccata, quæ remisit; & ideò, licèt postea ea puniat, non bis ea vindicabit. Sic & Becan. *cap.*32. *quæst.*1.

Respondetvr, Seraphicum non sumere lectionem illam ex LXX. sed ex antiquissima versione, quam secuti sunt Sancti Patres, vt habetur ex D.Cypriano. 374

At esto; si duplex est vindicta, duplex etiam debet esse iudicium: Nam iudicio decernitur vindictâ. Sic verò intelligitur communiter, ideò hic textus premit, vt ait Aners. *quæst.*5. *sect.*2.

Instat Suarez, versionem vulgatam non facere: *Non consurget duplex tribulatio*, quia loquitur de captiuitate Tribuum, spondens, se non daturum Assyriis duas Tribus, sicut alias decem relegarat. Vrget Vasquez *num.*17. cum Atriamontano, sensum litteræ verum esse, Deum ita exterminaturum Niniuitas, vt secundo supplicio non esset locus; & ideò hanc authoritatem nobis non suffragari.

Respondetvr, sensum verum esse: *Onus Niniue*; 375 scilicet Niniuitas puniendos. Deinde alloquitur Hebræos captiuos Niniuitatum. *Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis*, & addit: *Commutationem ipse faciet*, idest finem tribulationi imponet; neque enim vult adhuc punire Israëlitas, non quidem etiam alios, Iuda, & Beniamin; alioqui non esset secunda tribulatio, quia erant regna diuisa; sed eosdem decem Tribuum secunda tribulatione puniret, permittendo eos aliis tribulationibus cruciari. Quod verò subdit, se consumpturum, sicut stipulam aridam, &c. est modus Dei loquendi, quando è tribulatione captiuitatum volebat Hebræos eruere; dicere, se extincturum ignem: Nam super metaphora ignis explicare solebat captiuitates, vt patet *Exod.*3. & alibi. Quare expositio Vasquez est manca. Ea autem verba: 376 *Non iudicabit bis*; est ratio, ob quam non sit additurus nouum flagellum; quia non iudicabit bis. Assertiuè verò despondet infrà, dicens: *Afflixi te, & non affligam te vltra.* Verba autem sequentia: *Quia sicut spinæ se inuicem complectuntur, &c.* non reddunt rationem, sed assignant modum consummationis, quam suprà minatur; sicut, si diceret: consummabo; hoc autem per ignem exequar.

Probatvr secundò à D.Bonau. Quando sunt duo à se inuicem independentia, & relatiua, altero deficiente, deficit etiam alterum, secundum esse relatiuum. Sed reatus ad pœnam ante Tribunal Dei dependet à culpa. Ergo non redeunte culpâ, non redibit reatus. Maior patet: Nam relatiua sunt simul omnino. Minor probatur ex Diuina iustitia, quæ non statuit reos, nisi verè reos culpæ.

Probatvr tertiò. Si reatus culparum redirent, 377 iam non esset aliqua maior vtilitas ei, qui pœnitentiam sæpè egit, & tandem vno crimine lapsus est, quàm ei, qui in omnibus iniquitatibus perdurauit vsque ad finem.

Pobatvr quartò ratione, qua vtuntur asseclæ. Quia Deus cùm absolutè remittat culpas, non potest retractare suam voluntatem, atque remissionem debiti delecti: Esto enim possit Deus inferre illud supplicium; non tamen potest sub ratione reatus, nisi ex culpa.

Ex his deducitur falsa prima opinio, relata à D.Bonau. *in corpore*, nempè redire pœnarum reatus; eò quòd in remissione tot vincula contraxerit obligationum ad detestanda omnia peccata, quot ipsa sunt peccata remissa; & ideò in relapsu omnia illa vincula violari, & reddere reum omnium præcedentium.

Contra enim arguit S. Bonau. quia peccato se- 378 quenti vna tantùm labes contrahitur, & peccata

remissa vnico actu detestati sumus. Et ideò vnicum vinculum contraximus.

Falsa quoque est ratio Scoti *in* 4. *dist.*22. *quæst. vn. art.*2. quem sequuntur Gabr. *art.*2. aggrauare subsequens peccatum propter violatam promissionem, in iustificatione factam. Nam si loquamur de promissione propriè, falsum est; alioqui omne peccatum, post iustificationem patratum, esset contra votum, vt notat Medina *C. de Pœnit. quæst.*9. Soto *in* 4. *dist.*16. Suarez *loc. cit. sect.*3. *num.*2. Si verò loquamur largo modo de promissione, prout dicit propositum; sic illud non auget malitiam, nisi quatenus est contra gratitudinem.

Enim verò, quoad hoc fuere, qui dicerent, ex hoc capite aggrauari peccatum nouum, æquiualenter cæteris præcedentibus, ob ingratitudinem remissioni peccatorum exhibitam.

379 Assero tertiò, non redire æquiualenter ex hoc capite peccata remissa.

Probatvr primò à D.Bonau. *quæst.*2. *in corpore*, primò, quia maius beneficium est conseruare innocentiam, quàm peccata commissa per pœnitentiam delere. Ergo ex capite ingratitudinis magis peccat primò; quàm post lapsus remissos. Probatur Conseq. quia ingratitudo augetur ex maiori beneficio contempto: Anteced est D. Cypriani *epist.*3. dicentis: *Primum fœlicitatis genus est, non delinquere. Secundum verò, delicta cognoscere, & retractare.* Et Hugonius de S.V. *lib.*2. *de Sacram.* disp.44. cap.4. *Si magnum est aliquando surgere; maius certè est, nunquam cecidisse. Si bonum est, sanatum esse; melius est, nunquam fuisse corruptum.*

380 Probatvr à D.Bonau. hîc. Quia innocentia continet excellentiori modo, quidquid habet remissio peccatorum; nempè dicit liberationem per præseruationem à lapsu, ob quam, cæteris paribus, non minus debet Deo, quàm ob liberationem per iustificationem, vt docet D. August. *lib.*12. *Confess. cap.*11. & *lib.*50. *homil. Homil.*23. Imò magis debet ob excellentiorem liberationis rationem. Confirmatur: Sic enim B. Virgo asseritur nobiliori modo redempta à Christo, eam præseruante à labe Originali; & alij insontes præseruati à culpis actualibus, magis æstimantur dilecti à Deo. Idem sentiunt cum D. Bonau, Scotus *in* 4. *dist.*22. *art.*3. Gabr. *art.*3. *dub.*1. Mastr. *num* 289. Dionys. Cisterc. *disp.*23. *quæst. vlt.* Fauentinus *hic, cap.*3. Vasquez *hic, num* 4. respondet, Innocentiam esse maius donum, quatenus est bonum accipientis, tamen si consideretur titulus gratiæ, maius esse pœnitentiæ donum; quia hoc datur indigno.

381 Alii verò sic distinguunt, Innocentiam esse maius donum, sed non maius beneficium: maius enim in pretio est donum innocentiæ: at pœnitentia est maius beneficium homini, cui confertur, vtpotè indigno. Ita cum D.Thom. 3. *p. quæst.*88. *art.*2. *ad* 3. Gregorius de Valentia *p.*2. Vasq. *disp. cit.* & Caiet. 2.2. *quæst.*106. *art.*2.

Vervm hæc distinctio est inanis: Supponit enim, Innocentiam non esse etiam beneficium, quod est falsum; Innocens enim non est indignus quidem; sed hoc prouenit è Diuina præseruatione. Optimè ad hoc D. August. ad eum locum Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa; quoniam dilexit multum: Donantur commissa, & non commissa; quia nullus est, qui aliqua committat, quin alius posset eadem committere, nisi præseruaretur.* Vide Fabrum *loc. cit. à num.*48. optimè soluentem opposita.

382 Dvo mihi hîc negotium facescunt. Alterum est illud Christi effatum *Luca* 7. in parabola illa: *Cui minus dimittitur, minus diligit*, vbi D.Bonau. dicit, ob id Petrum requiri à Christo *Ioan.*20. ad plus diligendum, postquam ei remissum est peccatum. Vnde quæritur. *Simon Ioannis, diligis me plus his?* Neque verò obliuiscamur, ibi fuisse Ioannem innocentem.

Respondetvr è D. Bonau. ibi comparationem esse inter duos, ambos debitores, lapsos; non inter innocentem, & lapsum. Licèt enim minùs reus, & abusiuè magis innocens sit, qui minùs lapsus est; attamen etiam ille caret ea innocentia integra; de qua fit comparatio hîc. Ad locum Ioannis respondetur ex D.Bonau. *in* 3. *dist.*32. *quæst. vlt.* ibi Petrum interrogari de dilectione maiori in ordine ad proximum regendum, in quo excedebat Ioannem, à quo vincebatur in amore Diuino, vt sic. Sed quia non adhuc soluta est ratio: Dico, Ioannem, non fuisse simpliciter innocentem, sed solùm in Virginitate prælatum; & ideo etiam ipse inter debitores computabatur: Et ita benè Seraphicus Doctor ad eum locum Lucæ, vbi comparantur duo debitores, affert Ioannem, & etiam Petrum; non autem B. Virginem. Ideò dixit: *Diligis me plus his?* non autem plus omnibus?

Altervm, quod mihi difficultatem parit, est, 383 quia *in disp. prima, quæst.*4. *dubit.*2. diximus, ex duobus vocatis æquali beneficio gratiæ, alterum stare in innocentia; alterum cadere; & hoc tenet etiam Scotus, & Faber *ibi*. Vnde non videntur hîc benè asserere, maius esse beneficium innocentis, quia persistit Dei dono maiori perseuerationis.

Respondetvr tamen, nos loqui de innocentia simpliciter perfectissima, idest perseuerante vsque in finem, quæ dubio procul est donum singulare; non de innocentia impropriè, prout dicit, non cecidisse semel, aut iterum.

Confiteor autem, posse hominem resurgere maiori virtute, & altiorem apicem attingere, quàm innocentem V. g. Petrus in fine habuit maiorem gloriam (vt reor) quàm B. Aloysius Gonzaga, qui vigintitres annos Dei dono perstitit innocens; & cùm sit donum Dei, etiam virtus illa resurgendi, & perseuerandi; reor, magis debere Deo Apostolum Petrum, quàm B. Aloysium, quem tamen inter præclaros existimo, vt fuit D. Magdalenæ de Pazzis reuelatum. Quæstio ergo est, cæteris paribus, vt notant Suarez, Faber, & alij.

Probatvr secundò nostra tertia tertio à D. Bonau. quia minus ex natura rei auget peccatum simplex circumstantia vniuersalis, maximè quæ in omni peccato est, quàm peccatum, maximè grauissimum. Sed ingratitudo relapsi est circumstantia generalis in omnibus sita peccatis; at peccata præterita possunt esse grauissima: Ergo per ingratitudinem recidendi in mortali, non redit arithmetica æqualitas macularum, ac reitatis pœnarum. Hoc argumento nititur Suar. *sect.*.3. qui sequitur Seraphicum *loc. cit. & dub.*3. *litt.* cum D.Thom. 2.2. *quæst.*107. *art.*2. Altisiodor. *lib.*4. *Sum. tract.*6. *quæst.*2. Durando, & Scoto *in* 4. *dist.*22. *art.*1. *quæst.*4. *ad* 1. Aretino *ibi, quæst. vn. art.*3. 384

Advertit autem S. Bonau. *loc. cit. ad litteram Magistri*, ingratitudinem specialem eam esse, quæ 385 tunc omittit, seu contemnit reddere par gratiis, cum est locus, & tempus: Generalem verò, quæ non reddit simpliciter bonum, sed malum pro bono, & hanc esse simplicem circumstantiam, non dicendam in Confessione. Id enim de omnibus circumstantiis aggrauantibus docet S.Bonau. *in* 4. *dist.*17. *quæst.* omnino *vltima*; multò minus hæc generalis, quæ neque est specialiter intenta; & ideò specialem non habet malitiam; & eam confiteri coactum cogeret iterum repetere, saltem in generali, remissa peccata, quod est

est nimis onerosum, & à suauitate Euangelicæ legis alienum, vt notat Suarez *loc. cit.* contra Abulensem *Matth.* 18. *quæst.* 141. & 142. & Medinam *loco citato.*

386 Assero quartò, ex relapsu augeri aliquo modo peccatum ob ingrati animi notam. Ita omnes.

Probatur à D.Bonau. *locis citatis.* Contemptus, & abusus Diuinæ misericordiæ auget peccatum: Sed relapsus dicit abusum, & aliquem contemptum Diuinæ remissionis, & gratiæ acceptæ: Ergo. Hac ratione nititur Suarez *sect.* 3. cum reliquis.

Obiiciunt primò contra primum assertum. Peccata tecta, remoto impedimento, ad lucem redeunt. Sed charitas, quæ diffusa est in cordibus, per quam fit remissio, cum gratiâ operit multitudinem peccatorum è D. Petro: Ergo remota charitate per relapsum, deteguntur peccata.

Hæc est ineptia hæreticorum, quam satis superque elusimus *quæst.* 1. & 2. cum D. Bonauent. *hic ad primum.*

Obiiciunt secundò. Sicut se habet gratia ad viuificandum; sic & culpa ad occidendum; sed gratia excitat mortificata merita: Ergo & culpa reuocat demerita.

387 Respondet D. Bonau. primò, negando paritatem; tum ex parte gratiæ, quæ potentior est ad bonum, quàm culpa ad malum: Tum ex parte bonorum, quia connexio est in bonis per communicationem, & manet in vnitate corporis mystici; non sic peccata. Tum ex parte Diuinæ misericordiæ, quæ promptior est ad subleuandum, quàm sit ad condemnandum.

388 Respondet secundò, negando paritatem; quia bona opera non tolluntur, sed tantùm mortificantur, ne interim remuneratione æterna reputentur digna ob indignitatem subiecti peccantis: At peccata verè deleta, & extincta sunt. Vnde sicut charitas, & gratia, quæ est habitus sanctificans nunquam eodem numero redit, quia deleta est, ita & culpa; & in hoc est similitudo. Eodem modo respondet Suarez *sect.* 1. *num.* 11. Scotus apud Fabrum *num.* 29. qui addit aliam disparitatem, sumptam è iustitia Dei. Remisso enim peccato absolutè nullum Deo ius remanet ad iterum iudicandum de eodem, si peccatum iam quoad pœnam remanentem solutum est; at meritum vitæ æternæ, cùm non sit solutum, nec in bona temporalia commutari queat, relinquitur in suo iure ad vitam æternam, si iterum subiectum reddatur gratum, quæ est ratio S.D. *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 3. vt referam *disp.* 4. *quæst.* 18. & 19.

389 Obiiciunt tertiò. Remota causa immediata, remouentur effectus; sed causa proxima, remouens maculas peccatorum, est gratia: Ergo amissa gratia per nouam culpam redeunt omnes maculæ. Si dicas, gratiam omnino abolere peccata. Contra. Nam datur gratia, eaque delet peccata, vt maneat ea conditione, nisi iterum labatur: Ergo & remissio peccatorum eadem conditione conceditur.

Respondet D. Bonau. effectum dupliciter ad aliquam causam comparari, aut sicut ad introducentem, & conseruantem, vt lumen ad Solem, & sic vera est propositio maior; aut sicut ad introducentem solùm, & sic non habet locum. Si enim gladius infligit plagam, non oportet, vt destructo gladio remoueatur plaga. Hoc autem modo gratia in suo primo aduentu destruit culpam; ita vt hæc à causa, vt introductâ, pendeat; itaque destructâ gratiâ, non redit culpa, vt dixi argumento primo, pro prima Assertione. Ita respondet etiam Vasquez *num.* 40.

Obiiciunt quartò. Redeunte constitutiuo, redit & constitutum; sed potest redire macula deformans imaginem, & pronitas ad malum, quæ sunt constitutiua culpæ: Ergo & culpa.

Respondet D.Bonau. negando, redire eandem numero; & quamuis de pronitate id esset verum; attamen non redit eadem culpa: nam pronitas concupiscentiæ non est aliquid formale culpæ, vt satis ostendi *Tract.* 3. *de Peccato, disput.* 2. *quæst.* 7. 390

Alia quoque alij adducunt, quæ breuiter soluam.

Obiiciunt quintò Scripturas, quæ indicant, Deum recordari peccatorum remissorum. Psal. 18. *Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.* Psal. 108. *In memoriam redeat iniquitas Patrum eius.* Et 3. Reg. 17. *Ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ.* Oseæ 7. *Væ eis, quoniam recesserunt à me. Vastabuntur, quia præuaricati sunt in me: Et ego redemi eos: & ipsi locuti sunt contra me mendacia.* Et Dauid Psal. 50. adhuc conqueritur de peccato Originali iam remisso. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.*

Respondet Vasquez *num.* 35. è D.Bonau. *hic*, & *serm.* 2. *in Decal.* Deum punire peccata Patrum in filios temporaliter, si hi parentes imitentur. Itaque non punit peccata remissa; sed obligata adhuc pœnis. Illud autem *Psal.* 50. non est ad rem. Ibi enim plorat suam culpam, & repræsentat suam Deo fragilitatem è concupiscentia relicta ex originaria labe, vt Deum ad misericordiam moueat. Vide Seraphicum ad *eum Psalmum.* 391

Obiiciunt secundò aliquos Patres D. August. *in Psal.* 108. ad ea verba: *In memoriam redeat iniquitas patrum eius*, & D. Prosperum *ibi*, & habetur Can. *Si Iudas, de Pœnit. dist.* 4.

Vasquez *num.* 38. hoc testimonium formidat, cùm tamen ex verbis S. August. habeatur responsio, quæ est etiam D.Bonau. *loc. cit.* Id enim explicat de Iuda, vbi multæ ei sunt illatæ imprecationes, nempe: *Fiant nati eius in interitum, &c. Non sit, qui misereatur pupillis eius. Scrutetur fænerator omnem substantiam eius*; quæ sunt pœnæ temporales. Et subdit: *In memoriam redeat iniquitas patrum eius*, vbi exponit: *An intelligendum est, vt reddantur ei peccata etiam parentum suorum? Ei quippe non redduntur, qui fuerit mutatus in Christo, & cœperit esse, non filius iniquorum, non imitatus mores illorum; quia & illud verissimè scriptum est*, Exod. 20. *Reddam peccata patrum in filios* & Ezech. 18. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur. Hoc quippè dictum est de his, qui conuertuntur ad Deum, & non imitantur mala parentum suorum.* Et pergit id latè probare. 392

Infert verò: *Si ergo Iudas teneret id, ad quod vocatus est, nullo modo ad eum, vel sua præterita, vel parentum iniquitas pertineret; sed quia non tenuit adoptionem in familia Dei, sed iniquitatem vetusti generis potius elegit, rediit iniquitas patrum eius in conspectu Domini, vt in eo etiam ipse puniretur, & peccatum Matris eius non deleretur.* Vbi obserua, D.Augustinum euidenter loqui de rememoratione peccatorum, non remissorum, Patrum; & hoc non pœna æterna, sed temporali; neque dicit, redire peccata Iudæ remissa; de quibus proximè locutus fuerat, sed sola repetit peccata parentum. Sic ergo infert: Quòd sicut peccata Iudæ propria absolutè reuocanda non erant ad aliquam pœnam vllo modo; sic nec fuissent reuocata peccata parentum, nisi Iudas defecisset; quia verò defecit, non quidem rediere peccata ei dimissa ad pœnam æternam, sed peccata parentum ad temporalem. Vnde testimonium S.August. est pro nobis. Idem omninò dicit eius discipulus S.Prosper. 393 394

Obiiciunt

Obiiciunt quoque ex Beda ad ea verba Lucæ 11. *Reuertar in domum meam*, & refertur à Gratiano *in can. Reuertar, dist.4.* vbi ait Beda: *Timendus est iste versiculus, non exponendus, ne culpa, quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat.*

395 Respondet D.Bonauent. ad eum locum Lucæ, sensum Bedæ esse, timendum, ne ob negligentiam, post dimissa peccata per pœnitentiam, Dæmon reuertatur in domum, quam adhuc suam vocat; quia nondum ab ea plenè erat expulsus, inueniensque animam vacantem à virtutibus,& otiosam,in alia peiora, & plura inducat crimina, nouis relapsibus distinctis, qui ideò ab aliis spiritibus nouis peioribus inducuntur. Hoc autem de populo Iudæo, & Gentili allegoricè postea exponit Beda. Sed hæc nihil contra nos.

Obiiciunt primò contra secundum Assertum illam Parabolam *Matth.* 18. quam authores aduersarij, etiam contra primam assertionem afferunt, quia verè in iustissimo iudicio Dei nullus iudicatur reus,
396 nisi talis sit ex culpa. Ea autem parabola refert seruum,cui decem millia talenta fuerant condonata,& ob crudelitatem in conseruum,reuocatus est ad iudicium, ac traditus tortoribus, quo ad vsque redderet vniuersum debitum. Et concludit: *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis fratribus vestris.*

Hæc parabola est latiùs discutienda, & expositiones referendæ, vt nostra cæteris præualere noscatur.

Respondet D.Bonau. *quæst.2. ad 1. supposita resolutione*, ex illa parabola haberi, seruum illum per immisericordiam obligari pœnâ æternâ, ad quam tenebatur ante debiti remissionem. Redit ergo pœna eadem, non numero, sed alia noua aggrauata per ingratitudinem; & ita redeunt antiqua peccata, non eadem numero, neque ad æquiualentiam arithmeticam, sed ad æqualitatem quandam Geometricam, proportione quadam. Neque enim in parabolæ applicatione indicatur, reuocatum omne antiquum debitum arithmeticè; quamuis Princeps in parabola videatur totum antiquum debitum exegisse, dum ait: *Iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum*, quod non de nouo tantùm debito intelligendum est, vt putat Suarez *sect.1. num.8.* obiecit enim: *Omne debitum illud dimisi tibi* vt in textu Græco, &c. & *tradidit donec vniuersum, &c.* In applicatione enim solùm infertur. *Sic & Pater vester cælestis faciet vobis, si non remiseritis, &c.* Neque enim omnia parabolæ minuscula applicanda sunt in rigore, sed per quandam propor-
397 tionem: vt notat D. Chrysost. *homil.48. & 65. in Matth.* & D.Bonau. *Lucæ 16.* vbi dicitur: *Laudauit Dominus villicum iniquitatis*, non enim laudauit fraudem eius, sed solertiam; nec eam imitandam omninò in eadem re proponit; sed modo altiori iusto, vt notat etiam Suarez *num.7.* Hæc expositio placet D. Thom. *3.p. quæst.88. art.3. ad 3.* & *ad cap.18. Matth.* Argentinæ *in 4. dist.22. art.2.* Soto *disp.16. quæst.1. art.3. ad 3.* & *art.1. ad 1.* Petro Soto *lect.7. de Pænit.* Ioan. Medinæ *lib. de Pænit. tract.1. quæst.9.* Richardo *in 4.dist.23. art.1. quæst.1.* Suarez *lect.1. num.7.* Scoto apud Fabrum *num.67.*

Vasquez *num. 50.* hanc carpit expositionem, quia est communis etiam aliis peccatis, quæ ingrati animi notam pro præteritis remissionibus includunt; & parabola adducitur peculiariter contra eos, qui fratribus crudeles sunt, & ideò seruus nequam repetitur in iudicium; non quia ingratus fuisset beneficio accepto, sed quia crudelis in conseruum; & ita applicans Christus parabolam dixit: *Sic & Pater meus faciet vobis, si non remiseritis, &c.*

Enim verò hæc omninò friuola sunt,& quidem argui ingratitudinem, notant D. Chrysost. *homil.62. in Matth.* dicens: *Nam, quoniam fieri beneficiis melior non potuisti, reliquum est, vt pœnâ torquearis.* Euthymius *ad eundem locum*, vbi ait: *Cùm ergo Deo tanta debeamus, nisi erga nostros debitores misericordia vsi fuerimus, subuertemus ea, quæ iam nobis supplicibus remiserat.* D.August. *serm.15. cap.6.* de verbis Domini: *Si ego prior dimisi, dimitte vel postea. Nam si non remiseris, reuocabo te.* D. Hieronymus, vt in *homil. Dom.21. post Pent. in Breuiario*; vbi grauiter obseruat, eatenus crudelitatem puniri, & debita reuocari, quatenus ingratitudinem remissis debitis continet. 398
Quid plura? Textus ipse luce clarior est meridiana; 399
Non enim ibi arguitur seruus, quia crudelis simpliciter; sed quia ingratus remissioni, & ingratitudinem crudelitate ostenderit: *Serue nequam,omne debitum dimisi tibi: nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?* Quamuis autem ingratitudo sit circumstantia generalis in omnibus peccatis, sicut & inobedire Diuinis mandatis; attamen magis comparet in crudelitate, & immisericordia contra nostros offensores, vt patet ex toto parabolæ contextu. Et ideò sic redarguitur, & punitur, quippe è diametro pugnet cum gratitudine, quam misericordiæ Diuinæ debemus; non enim ita apparet in aliis v. g. violando ieiunio, in fornicando, &c.

Aliam expositionem probabilem indicat S. D. te- 400
dire antiqua debita pœnarum, quia damnantur eadem gehenna,esto remissiori,vel intensiori, pro grauitate noui criminis,& eadem omnino pœna damni,quę dicit omnimodam priuationem Diuinæ visionis, & fruitionis; quia, qui deliquit in vno, factus est omnium reus. Hæc expositio placet D. Thomæ *3. p. quæst.88. art.1. ad 1.* Soto *in 4. dist.16. quæst.1. art.1. concl.2.* Abulensi *ad 18. Matth.* qui aliam reddit rationem reditus antiquæ culpæ; quia redit eadem macula, & priuatio gratiæ. Hoc tamen non placet. Esto enim sit eadem specie priuatio gratiæ; quid tamen inde? numquid ideò redit antiqua pœna?

Hoc eodem medio Ioan. Medina *loc. cit.* & Vas- 401
quez *num.48.* impugnant hanc expositionem, quia eneruatur vis parabolæ. Non enim ob id redit antiquus reatus, etiamsi pœna damni sit eadem specie, neque aliquid peculiare est in hac culpa crudelitatis, sicuti parabola prætendit. Hæc enim priuatio omnibus mortalibus redit eadem specie, & tota; si verum est, eam non suscipere magis, & minus, vt dixi *p.1. Tract. de Angelis, disp.8. quæst.9.*

Enim verò S. Bonau. aliam appendit peculiarem 402
rationem; nam de peccatis præteritis remanent ordinariè aliquæ pœnæ exsoluendæ; & quia crudelitas in conseruos Deo maximè displicet; ideò iratus negat facultatem satisfaciendi sic debitis, quæ in remissione culpæ erant virtute remissa, ob datam etiam facultatem leuibus satisfactionibus eluendi pœnam (quæ est aliqua remissio) ideò dicuntur redire pœnæ antiquæ, auctæ ingratitudine, in vltimo peccato immisericordiæ contenta.

Videamus igitur, quàm præclarius Vasq. *à n.51.* hæc explicet, cæteris, vt assolet, confutatis. Duas autem affert expositiones.

Altera est, parabolam eò spectare, vt ostenda- 403
tur, quàm graui, ac peculiari pœna puniatur odium, & crudelitas in proximos: Et quidem non esse parabolam in omnibus applicandam; præcipuè in his, quæ iniustitiam deferunt. Itaque si Princeps ille parabolæ reuocauit debita, remissa seruo crudeli, iniustè id egit, neque Deo applicandum omninò, sed solum ad quandam æqualitatem; nempè, sic & crudelem exactorem

exactorem permitti à Deo labi in tam miserum statum, quo redeant debita antiquis æqualia. Hoc autem non est intelligendum semper euenire, sed esse comminationem in crudelem contra proximos. Hæc
404 tamen expositio violenta est. Et primo quidem, iniustitiam esse remissionis retractationem malè in Rege illo astruit; potest enim supponi facta sub ea conditione, vt gratus esset seruus Domino suo. Deinde gratis ad fugam excogitatur æquiualentia mali in permissione similium malorum; cùm imò potius de præteritis debitis loquatur, & statim: *Ligatus manibus, &c. mittatur in tenebras exteriores*, quod significat pœnam meram in termino. Nollem autem aliquis inde cogitaret, eum, vel inuitum absque libero arbitrio ligatum cadere in tot culpas. Est igitur sermo de pœnis carceris in inferno; & licèt non sint omnia applicanda, ea tamen, quæ à Christo applicantur, sic debent exponi; maximè, quæ habentur in conclusione parabolæ. Ita autem Christus infert: *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non, &c.* Præterea absolutè decernitur, non autem comminatoriè; & tamen videmus plurimis non euenire id, quod dicit Vasquez; potiùs verò detruncati viam istis, atque vel occidi, vel malè emori comperimus.

405 Secunda expositio Vasquez, sumpta ex Maldonato, est, parabolam eò spectare, vt iniurias dimittamus, si volumus nostrorum delictorum remissionem, iuxta illud Lucæ 6. *Dimittite, & dimittemini.* Eum verò seruum adduci, vt ostendatur negatam ei fuisse misericordiam, quia nec ipse fecit misericordiam; cæterùm reuocatum debitum, hoc solùm prætendere, vt demonstret, more vulgi, ritè ei negatam misericordiam; quia & ipse eam alteri denegauit. Hæc expositio sumpta est è D. Bonau. *ad 6. Lucæ.* Id verò, quod Vasquez ex Salmerone *tom.7. tract.13.* dicit, quòd debitum illud non erat ante dimissum, sed dilatum; & negatam dilationem, quia & ipse eam negauit conseruo imploranti: *Patientiam habe in me, &c.* est contra verba Euangelij, vbi dicitur: *Omne debitum dimisi tibi: nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?* Ideò exprobrat ei, obligato ad remittendum debitum ex gratitudine, & reuerentia Regis; ampliùs, nec voluisse pati inducias.

Patres verò, qui hanc parabolam explicantes, videntur cum aduersariis consentire, ex dictis explicantur. Sic D.Ambrosius *in cap.4. ad Ephesios* solùm dicit, reuocari sententiam misericordiæ, auferendo gratiam remissionis. Idem dicit S.Chrysost. Theophylactus verò, & Euthymius solùm volunt, redire similem pœnam.

406 Libet sistere in authoritate D. August. quem Vasquez dubitat nobis aduersarium. Is *serm.15. de verbis Domini* sic ait: *Si non dimiseris, reuocabo te. Et quidquid tibi dimiseram replicabo.* Et *lib.1. de Baptismo paruulorum, cap.12. & 13.* colligit hinc, remissa peccata aliquando redire. *Et lib.3.de Baptismo, cap.3.* idem habet.

407 Respondetur tamen cum Suarez *num.9.* D. Augustinum euidenter locutum de reditu peccatorum, quo ad carentiam gratiæ, & reatum æternæ damnationis. Vnde ait, redire interdum dissimilia peccata, videlicet hæresim, Schisma, &c. Interdum similia, Deo permittente; quia hoc peccatum, præ cæteris, meretur negationem Diuinæ misericordiæ; ideò sæpe ob hanc causam hominem à Deo derelinqui; & hoc quidem vult D. Hilarius *can.18.* dicens, per hoc vitium munificentiam Domini amitti. Et D. Chrysostomus *loc. cit.* Quare id tantùm dicunt, quod Vasquez dixit in expositione parabolæ, quam sibi adscribit, quamque ex Suarez decerpsit, & è D.Augustino, qui tamen non exponit eam ibi ex professo.

Obiiciunt secundò. Quot peccata remittuntur, tot contractæ sunt obligationes pro his rependendi gratias. Ergo dum recidit, iterum reuocat omnia illa debita. Hoc ferè est Scoti argumentum.

Respondet D. Bonauentura ex dictis, negando Antecedens. Est enim vna obligatio generalis gratitudinis, quæ violata inducit circumstantiam generalem, non explicandam in Confessione. 408

Obiiciunt tertiò. Ex nulla reuelatione habetur, remissionem non esse factam hoc pacto remittendi, nisi iterum recidat: Ergo hoc priuilegium non est astruendum; imò potius Diuinæ iustitiæ videtur magis consentaneum oppositum.

Respondetur, è Scripturis, Pontifice Gelasio, & Patribus haberi, remissionem fieri absolutè, vt dixi.

Quæres, qualis pœna materialis redeat.

Respondet D. Bonau. *quæst.2. in corpore*, redire 409
aliquando similem; aliquando dissimilem, pro varietate peccati noui. Itaque redit damnatio ad gehennam, & ad ea supplicia etiam, quæ illi crimini sunt peculiaria.

Eandem verò ait sæpe redire pœnam damni, & quidem semper æqualem, quia cum sit totalis priuatio Diuinæ visionis, non suscipit magis, vel minus; nam totum esse priuationis est excludere formam oppositam: Ergo si totam excludit, est maxima priuatio, nec augetur.

Dices. Oppositorum eadem est ratio, sed visio suscipit magis, & minus; aliqui enim aliis clariùs vident Deum: Ergo & priuatio opposita suscipit, &c. Confirmatur. Nam sicuti visio est essentialis Beatitudo, iuncta amori; ita & priuatio est præcipua pœna, quæ debet augeri ad demeritorum proportionem.

Ita tenent Abulensis *Matth.25. quæst.639.640. & sequentibus.* Supplementum Gabrielis *in 4. dist. 44. quæst.3. art.1. & disp.51. quæst. 2.* Maior ibi *quæst.2.* Scotus post quæstionem sextam §. *Ad primam quæstionem*, Almainus *in Moral. tract.1. cap.29.* Soto *in 4. dist.16. quæst.1. art.1.* Ledesma *quæst.29. art.1.* Viguerius *in summa, cap.6. §.4. vers.35.* Vide Suarez *sect.2. assertione secunda.*

Respondetur, inæqualitatem in formali priuatione non posse inueniri, sed solùm in tristitia resultante, quæ ex vehementi apprehensione ipsius damnati oritur, qui, quò plura deliquit, eò etiam magis cruciatur propter tantum bonum, tot à se modis contemptum. Hoc tamen non repugnat primæ sententiæ Seraphici Doctoris *in 4. dist.22.* aut Durando, Paludano, aut Capreolo ibi; nec Medinæ *tract.de Pœnit.q.8.* vt notat Suarez *num.24. loco cit.* qui alio modo incerto, & dubio explicat eam inæqualitatem, vt ipse fatetur *num.28.* 410

DISPVTA

DISPVTATIO IV.

De Merito.

IAM verò de effectu secundo Gratiæ Habitualis, qui est Meritum, oportet latiùs disputare.

QVÆSTIO I.

An iustificatus possit aliqua operari, quæ iusta sint, non peccata.

1 SECTARII huius sæculi petulanter abnegantes opera bona; imò omnia iustorum opera peccata asserentes, nos hic impellunt, vt de meritis acturi, eorum errores conuellamus; quos optimè expugnat Bouërius *exam.2. censura* 18. *errore* 10.

IAM Hæresiarcha Lutherus *lib. de libert. Christiana*, & in assertione contra Bullam Leonis X. *art.*2. 31. 32. *&* 36. Caluinus *lib.*2. *Instit.cap.*7. §.5. *& cap.*14. §.9. & *in Antidoto Concil. Trid. sess.*6. *cap.*15. Melanchon *in locis, Tit. de peccato.* Protestantes *in Confess. August. art.*6. Kemnitius *in Exam. concil. Trid. sess.*6.*cap.*11. hos errores disseminarunt, Legem scilicet Dei esse impossibilem, & omnia opera iustorum esse peccata.

2 CATHOLICI verò vnanimi consensu contrà disputant, è quibus Tiletanus *in Apol. Concil. Trid. p.*1. *Tit. de bonis operibus.* Vega *lib.*11. *super Concil. Trid. à cap.*9. Bellarm. *lib.*4. *de Iustificatione, à cap.*10. Vasquez 1.2. *disp.*212. Gregor. de Valentia *tom. de fidei rebus, aduersus Herebrandum, lib.* 2. *de Missa cap.*4.

DE libertate arbitrij ad seruandam legem, actum est *p.*1. *Tract.*9. *disp.*9. *quæst.*3. De legis obseruabilitate aliquid hîc diximus *Tract.*3.*disp.*2.*quæst.*7.vbi vidimus, hominem non impediri à concupiscentia, ne cum auxilio Dei præcepta obseruare valeat.

ASSERO primò, Legem Dei esse à nobis obseruabilem.

3 PROBATVR à D. Bonau. *in opusc. de Decem præceptis, serm.*1. ex multis capitibus Scripturarum.

PRIMVM caput est earum, in quibus Deus præcipit obseruantiam Diuinæ legis; non enim præcipit ea, quæ non possunt fieri. Matth.19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Deuter.11. *Oculi vestri viderunt omnia opera Dei magna, quæ fecit, vt custodiatis vniuersa mandata illius.* Isa.48. *Ego Dominus docens te vtilia, gubernans te in via, qua ambulas. Vtinam attendisses mandata mea.* Deuter.10. *Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & diligas eum, & ambules in viis eius, vt custodias mandata eius?* ad hæc S. Bonau. *Dominus, qui te creauit: Deus, qui te gubernat: Tuus, qui te saluat.* Vbi etiam fundamentum istius obseruabilitatis assignatur, nempè, omnipotentia mandantis, & auxilium præstò præsens.

4 SECVNDVM caput est testimoniorum, quibus legem Domini seruatam nouimus. Sic Dauid Psal.118. *Seruaui mandata tua, & testimonia tua; quia omnes viæ meæ in conspectu tuo: In toto corde meo exquisiui te:* Vnde dicitur de eo 3.Reg.14. *Non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo.* Et Act.13. *Inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Et 3. Reg. cap.15. *Eò quòd fecisset Dauid rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ.* Idem asseritur de Iosia, 4. *Reg.*22. De Asa, 2. *Paral. cap.*15. De Iosue *cap.*11. Idem procul dubio potest dici de Abraham, Moyse, Samuele, Elia, Elisæo, Isaia, Hieremia, & aliis plurimis.

CONFIRMATVR à D.Bonau. *ad* 1. *Lucæ* ex illis verbis: *Erant autem ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela.* Vbi de Zacharia, & Elizabeth loquitur. Et ex illis, Genes.6. *Noë vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit.* Et 4. Reg.20. *Memento Domine, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & corde perfecto.* Vbi aduertit S.Bonau ad elidendum responsum Sectariorum, hos viros seruasse totam legem, nullo excepto mandato; alioqui non dicerentur iusti, quod probat ex 2. Iacobi. *Quicunque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus;* & ideò dicebat Propheta: *Ad omnia mandata tua dirigebar.* Psal.118. *Dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.* 5

TERTIVM caput Scripturarum, in quibus, obseruantibus Diuinam legem aliqua promittuntur à Deo, & dicuntur data. Ioan.14. *Si diligitis me, mandata mea seruate. Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Psal.118. *Super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui.* Rom.2. *Non auditores legis tantùm, sed factores iustificabuntur.* Iacobi 1. *Estote factores verbi; & non auditores tantùm, fallentes vos metipsos.* Rom.7. *Serua mandata mea, & viues.* Qua enim ratione dantur tot bona obseruantibus legem, si ea est inobseruabilis? 6

QVARTVM caput Scripturarum, in quibus mala decernuntur violantibus legem Dei. Leuit.26. *Si non audieritis vocem meam, & non feceritis omnia mandata mea, visitabo vos in egestate, & calore, qui conficiet oculos vestros, & consumet animas vestras.* Vnde Psal.37. Dauid fatetur post peccatum: *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Baruch 1. *Non audiuimus vocem Domini, vt ambularemus in mandatis eius: & abiuimus vnusquisque in sensum cordis nostri maligni.* Et Psal.80. *Populus meus non audiuit vocem meam: & Israël non intendit mihi, & dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* Danielis 3. *Peccauimus, iniquè gessimus, & præuaricati sumus: Et traditi sumus in manus inimicorum nostrorum iniquorum.* Psal.118. *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis.* Deuter.11. *En propono tibi benedictionem, & maledictionem: benedictionem, si mandata mea feceris: maledictionem, si non feceris.* Et *Matth.*25. refertur Christus positurus ad dexteram benedictos, qui legem obseruarunt, & ad sinistram maledictionis transgressores. Et *Psal.*118. dicitur de Iuda: *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Quæ autem esset Dei iustitia, si puniret non obseruantes legem inobseruabilem? 7

QVINTVM caput Scripturarum, quæ ipsam obseruabilem legem acclamant: Prima Ioan.5. *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt.* Deuter.30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non est super te, nec procul positum, nec in cælo situm, nec trans mare positum; Sed iuxta te est sermo valdè, in ore tuo, vt facias illum.* Ecclesiastici 23. *Nihil melius est, quàm timor Dei, &* 8

nihil

nihil dulcius, quam respicere in mandatis Domini. Psal. 118. *Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum, & dulciora super mel, & fauum.* Rom. 7. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & bonum.* Et 1. Tim. 6. *Præcipio tibi in Deo, qui viuificat omnia, vt sine macula serues mandatum irreprehensibile.*

9 MANDATVM *autem magnum est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Ex his duobus vniuersa Lex pendet, & prophetæ.* Matthæi 22.

CONFIRMATVR à D. Bonauent. *in 2. distinct.* 28. *quæst.* 3. ex Matth. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* His argumentis vtitur & Concilium Trident. *sess.* 6. *cap.* 11.

RESPONDET Caluinus *in Antidoto*, & Kemnitius *in Exam.* Legem Dei vocari suauem, & leuem, quia renatis non imputatur præuaricatio. *Christus enim nos redemit de maledicto legis*, vt dicitur Galat. 3. Et: *Nihil damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu*, vt dicitur *Rom.* 8.

10 HÆC tamen inania sunt: Nam si illa non imputatio tollit, obligationem. Ergo iam non est lex, neque iugum; non enim est lex sine obligatione. Si verò non tollit obligationem, sed solùm debet reatum; iam non est iugum suaue, sed durum, sicuti Boum, qui sæpè sub iugo caderent, etiamsi subleuarentur. At testimonia Scripturarum asserunt, legem facilè obseruari posse, Psal. 118. *Viam mandatorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Ezech. 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & mandata mea custodiatis.*

Hoc probatur ex locis adductis à Caluino: Nam Christus nos liberauit de maledicto legis, quia fecit, vt mandata facilè obseruemus. Et nihil damnationis est renatis; quia per gratiam Dei fit, vt iustificatio legis impleatur in ipsis, vt ibidem subdit Apostolus. Fateor sanè cum D. Bonauent. *in 3. quæst. vlt. ad* 1. aliqua præcepta, considerata in natura rebelli infirma, esse difficilia; sed gratia Dei, & amore reddi facilia; vt notat *in corpore*.

11 SEXTVM caput est Scripturarum asserentium, mandata seruari ab his, qui diligunt. Quo argumento vtitur Concilium Tridentinum *loc. cit.* & D. Bonauent. *ad* 14. *Ioan. Qui diligit me, sermonem meum, seruabit. Si diligitis me, mandata mea seruate. Et Pater meus diliget eum, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* De hoc ait S. Doctor, locutum Apostolum Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum Sanctum, qui datus est vobis.* Et *Ioan.* 13. obseruat ea verba: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Mandatum nouum do vobis: vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Vbi perfectissimum amorem postulat. Viget etiam illud Ioan. 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Ideò Ioannes, ipsa prima epistola, cap. 3. *Non diligamus verbo, neque*

12 *lingua; sed opere, & veritate.* Vide Seraphicum ad capita 13. 14. & 15. *Ioannis* plurimas afferentem Scripturas, hoc probantes. Sunt enim ea capita pro hoc argumento fœcundissima. In 3. *etiam quæst. vlt.* refert id Rom. 3. *Qui diligit proximum, legem impleuit*; sed hoc est facile: Ergo.

MELANCTHON *in Apolog. tit. de impletione legis* concedit, posse diligi proximum, sed negat per hanc dilectionem legem impleri.

VERVM hoc est contra Scripturam, quæ idem habet Galat. 5. *Omnis lex in vno sermone impletur: Diligis proximum tuum, &c.*

FATEOR sanè cum D. Bonauent. ibi, legem arctari ad præcepta secundæ tabulæ. Hoc tamen retundit Hæreticos, latrantes, nullum præceptum seruari; sed omnia opera esse peccata.

IDEM argumentum habet D. Bonau. *in 3. dist. 27. quæst. vlt.* vbi perfecta dilectio præcipitur, & anathema fulminat D. Hieronymus, contra dicentes, Deum præcepisse impossibilia, vt dixi etiam *tract.* 5. *loc. cit.* Quod definitur in Concilio Trid. *sess.* 6. 13

RESPONDENT supradicti hæretici, eum, qui diligit, legem implere; sed neminem sic perfectè diligere, vt legem impleat in hac vita.

HÆC tamen inania sunt; licèt enim non sit charitas viæ perfectissima, est tamen adeò perfecta, vt amici Christi esse possimus; sicut ipse promittit, & notat D. Bonauent. *locis adductis.* Confirmatur à S. D. *ad cap. 16. & 17. Ioan.* vbi Christus promittit Spiritum Sanctum, quo Ecclesiæ filij roborati operentur opera perfectissima, & Patrem interpellat, vt summam charitatis perfectionem, quæ in hac vita potest esse, concedat eis, sicut promiserat Deuter. 30. *Circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui: vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua.* Et sanè fuisse homines perfectos in hac vita, habetur Genes. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus*; quod est dictum Abrahæ. De Moyse, Deuter. 33. *Perfectio tua, & doctrina tua à viro sancto*, vt notat D. Bonauent. *p. 1. de Ecclesi. Hier. cap.* 2. vbi etiam aduertit, promissionem illam factam 6. *Isa.* iam purgato: *Et longè faciet Dominus homines, & multiplicabitur, quæ derelicta fuerat in medio terræ, & adhuc in ea decimatio, & conuertetur; semen sanctum erit id, quod steterit in ea.* Et in Apol. pauperum *resp. prima, cap.* 3. obseruat, possibilem esse perfectionem Euangelicam, ideò dicit Christus Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, &c.* Idem habet *cap. 3. responsionis secunda*, vbi latè id edisserit. Et 4. *p. Breuil. cap.* 6. idem habet argumentum. 14

PROBATVR à D. Bonauent. etiam ex Patribus, præcipuè è D. Augustino. Primò igitur *loc. cit. de Decem præceptis* refert S. Augustinum *de verbis Apostoli, serm. 14. tom.* 10. vbi ait: *Habenti enim charitatem, mandata sunt facilia.* Et dat exemplum Auis habentis plumas, cui facile est volare; non habenti, difficile, & in *Psal. 73. tom.* 8. & *lib. 1. confess. cap. 9. tom.* 1. idem fatetur. Plura alia loca D. Augustini affert *ad capita 13. 14. & 15. Ioannis.* Et *in 3. dist.* 27. præcipuè *quæst. vlt.* vbi refert, esse propositionem à Patribus, præcipuè à D. Hieronymo anathemate damnatam, Deum præcipere impossibilia. Hoc idem repetit S. Concilium Tridentinum *sess. 6. cap.* 11. vbi ait: *Nemo temeraria, & illa à PP. sub anathemate prohibita, voce vti debet, Dei præcepta iustificato homini ad obseruandum esse impossibilia; nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere, quod non possis; & adiuuat, vt possis.* Quæ est propositio D. August. *lib. de natura, & gratia, cap.* 43. 15

ALIOS etiam Patres, præcipuè Chrysostomum, Gregorium, & Bernardum affert D. Bonau. ad ea loca D. Ioannis.

RESPONDET Kemnitius, D. Augustinum id concessisse, ne malè haberetur apud Pelagianos; attamen de perfectione iustitiæ *responsione* 16. tenet, non posse in hac vita omnia vitari peccata. 16

Attamen longè alia est quæstio ibi: An scilicet omnia venialia simul vitari queant; posse enim gratiâ Dei præcepta seruari, ac tentationes vinci probat

DISPVTATIO IV.

De Merito.

IAM verò de effectu secundo Gratiæ Habitualis, qui est Meritum, oportet latiùs disputare.

QVÆSTIO I.

An iustificatus possit aliqua operari, quæ iusta sint, non peccata.

1 SECTARII huius sæculi petulanter abnegantes opera bona; imò omnia iustorum opera peccata asserentes, nos hic impellunt, vt de meritis acturi, eorum errores conuellamus; quos optimè expugnat Bouërius *exam.2. censura 18. errore 10.*

IAM Hæresiarcha Lutherus *lib. de libert. Christiana*, & in assertione contra Bullam Leonis X. *art.2. 31. 32. & 36.* Caluinus *lib.2. Instit.cap.7. §.5. & cap.14. §.9.* & *in Antidoto Concil. Trid. sess.6. cap.15.* Melanchthon *in locis, Tit. de peccato.* Protestantes *in Confess. August. art.6.* Kemnitius *in Exam. concil. Trid, sess.6.cap.11.* hos errores disseminarunt, Legem scilicet Dei esse impossibilem, & omnia opera iustorum esse peccata.

2 CATHOLICI verò vnanimi consensu contrà disputant, è quibus Tiletanus *in Apol. Concil. Trid. p.1. Tit. de bonis operibus.* Vega *lib.11. super Concil. Trid. à cap.9.* Bellarm. *lib.4. de Iustificatione, à cap.10.* Vasquez *1.2. disp.212.* Gregor. de Valentia *tom. de fidei rebus, aduersus Herebrandum, lib. 2. de Missa cap.4.*

DE libertate arbitrij ad seruandam legem, actum est *p.1. Tract.9. disp.9. quæst.3.* De legis obseruabilitate aliquid hîc diximus *Tract.3.disp.2.quæst.7.* vbi vidimus, hominem non impediri à concupiscentia, ne cum auxilio Dei præcepta obseruare valeat.

ASSERO primò, Legem Dei esse à nobis obseruabilem.

3 PROBATVR à D. Bonau. *in opusc. de Decem præceptis, serm.1.* ex multis capitibus Scripturarum.

PRIMVM caput est earum, in quibus Deus præcipit obseruantiam Diuinæ legis; non enim præcipit ea, quæ non possunt fieri. Matth.19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Deuter.11. *Oculi vestri viderunt omnia opera Dei magna, quæ fecit, vt custodiatis vniuersa mandata illius.* Isa.48. *Ego Dominus docens te vtilia, gubernans te in via, qua ambulas. Vtinam attendisses mandata mea.* Deuter.10. *Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & diligas eum, & ambules in viis eius, vt custodias mandata eius?* ad hæc S. Bonau. *Dominus, qui te creauit: Deus, qui te gubernat: Tuus, qui te saluat.* Vbi etiam fundamentum istius obseruabilitatis assignatur, nempè, omnipotentia mandantis, & auxilium præstò præsens.

4 SECVNDVM caput est testimoniorum, quibus legem Domini seruatam nouimus. Sic Dauid Psal.118. *Seruaui mandata tua, & testimonia tua; quia omnes viæ meæ in conspectu tuo: In toto corde meo exquisiui te:* Vnde dicitur de eo 3. Reg.14. *Non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo.* Et Act.13. *Inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Et 3. Reg. cap.15. *Eò quòd fecisset Dauid rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ.* Idem asseritur de Iosia, 4. *Reg.22.* De Asa, 2. *Paral.cap.15.* De Iosue *cap.11.* Idem procul dubio potest dici de Abraham, Moyse, Samuele, Elia, Elisæo, Isaia, Hieremia, & aliis plurimis.

CONFIRMATVR à D.Bonau. *ad* 1. *Lucæ* ex illis verbis: *Erant autem ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela.* Vbi de Zacharia, & Elizabeth loquitur. Et ex illis, Genes.6. *Noë vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit.* Et 4. Reg.20. *Memento Domine, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & corde perfecto.* Vbi aduertit S.Bonau. ad elidendum responsum Sectariorum, hos viros seruasse totam legem, nullo excepto mandato; alioqui non dicerentur iusti, quod probat ex 2. Iacobi. *Quicunque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus;* & ideò dicebat Propheta: *Ad omnia mandata tua dirigebar.* Psal.118. *Dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.* 5

TERTIVM caput Scripturarum, in quibus, obseruantibus Diuinam legem aliqua promittuntur à Deo, & dicuntur data. Ioan.14. *Si diligitis me, mandata mea seruate. Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Psal.118. *Super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui.* Rom.2. *Non auditores legis tantùm, sed factores iustificabuntur.* Iacobi 1. *Estote factores verbi; & non auditores tantùm, fallentes vos metipsos.* Rom.7. *Serua mandata mea, & viues.* Qua enim ratione dantur tot bona obseruantibus legem, si ea est inobseruabilis? 6

QVARTVM caput Scripturarum, in quibus mala decernuntur violantibus legem Dei. Leuit.26. *Si non audieritis vocem meam, & non feceritis omnia mandata mea, visitabo vos in egestate, & calore, qui conficiet oculos vestros, & consumet animas vestras.* Vnde Psal.37. Dauid fatetur post peccatum: *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Baruch 1. *Non audiuimus vocem Domini, vt ambularemus in mandatis eius: & abiuimus vnusquisque in sensum cordis nostri maligni.* Et Psal.80. *Populus meus non audiuit vocem meam: & Israël non intendit mihi, & dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* Danielis 3. *Peccauimus, iniquè gessimus, & præuaricati sumus: Et traditi sumus in manus inimicorum nostrorum iniquorum.* Psal.118. *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis.* Deuter.11. *En propono tibi benedictionem, & maledictionem: benedictionem, si mandata mea feceris: maledictionem, si non feceris.* Et *Matth.25.* refertur Christus positurus ad dexteram benedictos, qui legem obseruarunt, & ad sinistram maledictionis transgressores. Et *Psal.118.* dicitur de Iuda: *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Quæ autem esset Dei iustitia, si puniret non obseruantes legem inobseruabilem? 7

QVINTVM caput Scripturarum, quæ ipsam obseruabilem legem acclamant: Prima Ioan.5. *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt.* Deuter.30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non est super te, nec procul positum, nec in cælo situm, nec trans mare positum; Sed iuxta te est sermo valdè, in ore tuo, vt facias illum.* Ecclesiastici 23. *Nihil melius est, quàm timor Dei, &* 8

nihil,

nihil dulcius, quam respicere in mandatis Domini. Psal. 118. *Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum, & dulciora super mel, & fauum.* Rom. 7. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & bonum.* Et 1. Tim. 6. *Præcipio tibi in Deo, qui viuificat omnia, vt sine macula serues mandatum irreprehensibile.*

9 Mandatvm *autem magnum est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Ex his duobus vniuersa Lex pendet, & prophetæ.* Matthæi 22.

Confirmatvr à D. Bonauent. *in 2. distinct.* 28. *quæst.* 3. ex Matth. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* His argumentis vtitur & Concilium Trident. *sess.* 6. *cap.* 11.

Respondet Caluinus *in Antidoto*; & Kemnitius *in Exam.* Legem Dei vocari suauem, & leuem, quia renatis non imputatur præuaricatio. *Christus enim nos redemit de maledicto legis*, vt dicitur Galat. 3. Et: *Nihil damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu*, vt dicitur *Rom.* 8.

10 Hæc tamen inania sunt: Nam si illa non imputatio tollit, obligationem. Ergo iam non est lex, neque iugum; non enim est lex sine obligatione. Si verò non tollit obligationem, sed solùm debet reatum; iam non est iugum suaue, sed durum, sicuti Boum, qui sæpè sub iugo caderent, etiamsi subleuarentur. At testimonia Scripturarum asserunt, legem facilè obseruari posse, Psal. 118. *Viam mandatorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Ezech. 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & mandata mea custodiatis.*

Hoc probatur ex locis adductis à Caluino: Nam Christus nos liberauit de maledicto legis, quia fecit, vt mandata facilè obseruemus. Et nihil damnationis est renatis; quia per gratiam Dei fit, vt iustificatio legis impleatur in ipsis; vt ibidem subdit Apostolus. Fateor sanè cum D. Bonauent. *in 3. quæst. vlt. ad* 1. aliqua præcepta, considerata in natura rebelli infirma, esse difficilia; sed gratia Dei, & amore reddi facilia; vt notat *in corpore.*

11 Sextvm caput est Scripturarum asserentium, mandata seruari ab his, qui diligunt. Quo argumento vtitur Concilium Tridentinum *loc. cit.* & D. Bonauent. *ad* 14. *Ioan. Qui diligit me, sermonem meum, seruabit. Si diligitis me, mandata mea seruate. Et Pater meus diliget eum, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* De hoc ait S. Doctor, locutum Apostolum Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum Sanctum, qui datus est vobis.* Et *Ioan.* 13. obseruat ea verba: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Mandatum nouum do vobis: vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Vbi perfectissimum amorem postulat. Vrget etiam illud Ioan. 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Ideò Ioannes, ipsa prima epistola, cap. 3. *Non diligamus verbo, neque*
12 *lingua; sed opere, & veritate.* Vide Seraphicum ad capita 13. 14. & 15. *Ioannis* plurimas afferentem Scripturas, hoc probantes. Sunt enim ea capita pro hoc argumento fœcundissima. In 3. *etiam quæst. vlt.* refert id Rom. 3. *Qui diligit proximum, legem impleuit*; sed hoc est facile: Ergo.

Melancthon *in Apolog. tit. de impletione legis* concedit, posse diligi proximum, sed negat per hanc dilectionem legem impleri.

Verùm hoc est contra Scripturam, quæ idem habet Galat. 5. *Omnis lex in vno sermone impletur: Diligis proximum tuum, &c.*

Fateor sanè cum D. Bonauent. ibi, legem arctari ad præcepta secundæ tabulæ. Hoc tamen retundit Hæreticos, latrantes, nullum præceptum seruari; sed omnia opera esse peccata.

Idem argumentum habet D. Bonau. *in 3. dist.* 27. *quæst. vlt.* vbi perfecta dilectio præcipitur, & anathema fulminat D. Hieronymus, contra dicentes, Deum præcepisse impossibilia, vt dixi etiam *tract.* 5. *loc. cit.* Quod definitur in Concilio Trid. *sess.* 6. 13

Respondent supradicti hæretici, eum, qui diligit, legem implere; sed neminem sic perfectè diligere, vt legem impleat in hac vita.

Hæc tamen inania sunt; licèt enim non sit charitas viæ perfectissima, est tamen adeò perfecta, vt amici Christi esse possimus; sicut ipse promittit, & notat D. Bonauent. *locis adductis.* Confirmatur à S. D. *ad cap.* 16. *&* 17. *Ioan.* vbi Christus promittit Spiritum Sanctum, quo Ecclesiæ filij roborati operentur opera perfectissima, & Patrem interpellat, vt, summam charitatis perfectionem, quæ in hac vita potest esse, concedat eis, sicut promiserat Deuter. 30. *Circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui: vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua.* Et sanè fuisse homines perfectos in hac vita, habetur Genes. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus*; quod est dictum Abrahæ. De Moyse, Deuter. 33. *Perfectio tua, & doctrina tua à viro sancto*, vt notat D. Bonauent. *p. 1. de Eccles. Hier. cap.* 2. vbi etiam aduertit, promissionem illam factam 6. *Isa.* iam purgato: *Et longè faciet Dominus homines, & multiplicabitur, quæ derelicta fuerat in medio terræ, & adhuc in ea decimatio, & conuertetur; semen sanctum erit id, quod steterit in ea.* Et in Apol. pauperum *resp. prima, cap.* 3. obseruat, possibilem esse perfectionem Euangelicam, ideò dicit Christus Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, &c.* Idem habet *cap. 3. responsionis secundæ*, vbi latè id edisserit. Et 4. *p. Breuil. cap.* 6. idem habet argumentum. 14

Probatvr à D. Bonauent. etiam ex Patribus, præcipuè è D. Augustino. Primò igitur *loc. cit. de Decem præceptis* refert S. Augustinum *de verbis Apostoli, serm.* 24. *tom.* 10. vbi ait: *Habenti enim charitatem, mandata sunt facilia.* Et dat exemplum Auis habentis plumas, cui facile est volare; non habenti, difficile, & in *Psal.* 72. *tom.* 8. & *lib.* 1. *confess. cap.* 9. *tom.* 1. idem fatetur. Plura alia loca D. Augustini affert *ad capita* 13. 14. *&* 15. *Ioannis.* Et *in 3. dist.* 27. præcipuè *quæst. vlt.* vbi refert, esse propositionem à Patribus, præcipuè à D. Hieronymo anathemate damnatam, Deum præcipere impossibilia. Hoc idem repetit S. Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 11. vbi ait: *Nemo temeraria, & illa à PP. sub anathemate prohibita, voce vti debet, Dei præcepta iustificato homini ad obseruandum esse impossibilia; nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere, quod non possis; & adiuuat, vt possis.* Quæ est propositio D. August. *lib. de natura, & gratia, cap.* 43. 15

Alios etiam Patres, præcipuè Chrysostomum, Gregorium, & Bernardum affert D. Bonau. ad ea loca D. Ioannis.

Respondet Kemnitius, D. Augustinum id concessisse, ne malè haberetur apud Pelagianos; attamen de perfectione iustitiæ *responsione* 16. tenet, non posse in hac vita omnia vitari peccata. 16

Attamen longè alia est quæstio ibi: An scilicet omnia venialia simul vitari queant; posse enim gratiâ Dei præcepta seruari, ac tentationes vinci probat

probat S. Bonau. *Ex eodem lib. de Perfectia iustitia*, & *lib. de natura, & gratia, & cap.69. lib. de vera religione* idem probat D.Augustinus.

17 Probatvr rationibus, quas retuli etiam quæstionibus, initio adductis.

Prima ratio sumitur ex primo capite Scripturarum. Si Lex Dei esset impossibilis, neminem obligaret, & non esset lex præcipiens; nemò enim peccare potest in eo, quod non potest vitare. Quorsum enim Deus diceret: Hoc est maximum præceptum: *Diliges, &c.* Si non esset obseruabile? vt arguit S.Bonau. *& in 3. dist.27. quæst.vlt. fund. vltimo.* Porrò obseruabile esse ostendam 2.2. *De Char. disp.*8.

Qvod si Deus impossibilia præciperet, esset crudelior tyrannis, quippe qui ab amicis impossibilia exigeret.

Respondet Philippus Melancthon, & Kemnitius, non esse audiendam politicam iustitiam, quæ docet, nihil præcipi posse, quod seruari non possit.

18 Enim verò, cùm hæc Politica cum Diuina iustitia, & suaui Dei prouidentia conueniat, atque Scripturis Diuinis sit omnino consentanea; non video cur sit respuenda.

Secvnda ratio sumitur è 2. *cap.* Scripturarum. Si enim tot Sancti legem obseruarunt, vt vidimus; Ergo procul dubio est obseruabilis.

Tertia ratio sumitur è tertio capite. Si enim bona plurima obseruantibus legem conferuntur à Deo; signum est, eam posse obseruari.

Qvarta ratio è quarto capite. Si lex esset impossibilis, iam Deus iniquissimè ageret, puniens transgressores, qui obseruatores legis esse non poterant.

19 Qvinta ratio è quinto capite oritur. Si enim lex esset impossibilis, iam mendax esset Spiritus Sanctus, ac Christus, asserentes, posse eam obseruari.

Sexta ratio è sexto capite. Si lex esset inobseruabilis, cùm necessaria ad amicitiam, & fœdus cum Deo ineundum asseratur; iam nullus esset Dei amicus, cùm tamen amicos vocet Apostolos, dicens: *Vos autem dixi amicos, &c.*

Septima ratio sumitur è sanctitate legis, Rom.7. *Lex quidem sancta*, & *Psal.*18. *cit.* Ergo non est iniqua; esset autem iniqua, si præciperet id, quod non potest obseruari.

20 Octava ratio sumitur è D. Bonau. *in Apolog. Pauperum, locis adductis.* Potest enim homo facere plusquam Lex præcipit. Sic testatur *Matth.*19. vbi Christus ait: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata:* & homo illi responderat: *Hæc omnia custodiui à iuuentute mea.* Rursus eidem ait: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Et hoc religiosi exequuntur. Insuper & ad præceptum: *Non concupisces*, obseruant castitatem, quæ est consilium. Vide Seraphicum *ibi* egregiè redarguentem. Hinc D. August. *serm.* 18. *cap.*11. de verbis Apostoli: *Non enim grande onus impositum est Virginibus, maior amor imposuit maius onus Virginibus. Tanquam dicerent, Quid iubes? Ne adulteræ simus: hoc præcipis? Amando te, plus facimus, quam præcipis.* Et D.Chrysostomus *homil.* 8. *de Pænit.* ait: *Multi & ipsa superant Mandata.*

21 Confirmatvr à D.Bonau. *loc. cit. cap.* 1. *primæ responsionis* ex illo *Matth.*5. vbi Christus vocat Beatos, pauperes spiritu, & eos, qui lugent, &c. & qui persecutiones patiuntur, atque Martyrium subeunt. Signum ergo est hæc esse factibilia.

Plurima Scripturæ, & Patrum testimonia, egregiè apposita, videte in D.Bonau. *loc. cit.*

Assero secundò. Opera sancta iustorum non sunt peccata, sed iustitiæ. Ambas assertiones has definit Concilium Trid. *sess.6.cap.*10. *&* 11. & *can.*32.

Probatvr primò è secundo capite allato Scripturarum, 22 quo vidimus opera aliquorum celebrari sancta, maximè autem Dauidis, de quo plura testimonia habemus in Psalmis 6.7.17.25. præcipuè 118. quæ obseruat S. Bonau. ad psalterium. Et *serm.*2. *de Decem præceptis* obseruat id: *Viam mandatorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Dilatatum autem charitate cor, exponunt Patres. Vide eos sermones, vbi plura inuenies. Similiter ad id 7. Lucæ. *Cum feceritis hæc omnia, dicite: Serui inutiles sumus*, notat S.Bonauent. plures seruasse præcepta omnia; præcipuè Dauidem; vnde *Psal.* 118. ait: *Ad omnia mandata tua dirigebar*; attamen à Deo humiliatos, confiteri se inutiles, quia omnia Deo debemus: *Empti enim sumus pretio magno* 1. Petri 1. Ex quibus ruunt oppositiones hæreticorum, qui adducunt confessiones Sanctorum, humiliantium se ad eos redarguendos in omnibus.

Nec satis respondent Caluinus, & Philippus Me- 23 lancton, Dauidem non absolutè, sed comparatè cum aduersariis, se iustum prædicare. Nam absolutè loquitur, præcipuè dicens: *Quia custodiui vias Domini, nec impiè gessi a Deo meo. Ab omni via mala prohibui pedes meos. Feci iudicium, & iustitiam. Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.*

Probatvr secundò à D. Bonau. *ad* 11. *Lucæ* ex illis verbis: *Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Hîc describitur opus perfectè bonum, quod sit tale ex genere suo, & intentione, aliisque circumstantiis. Nam oculus simplex, est intentio recta; corpus lucidum, est opus bonum; de quo Matth.5. *Sic luceat Lux vestra, vt videant opera vestra bona.* Tale autem opus 24 acclamatur à Christo totum lucidum: De quo etiam cap.12. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Ex hac simplicitate cordis, dicitur Iob, Sanctus, rectus, vir iustus, simplex, & timens Deum. Talis à Deo canonizatur in intimis conscientiæ penetralibus. *Numquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex, & rectus, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam?* De his Canticorum 1. *Recti diligunt te.* Tales nos cupit Apostolus Ephes.5. *Vt filij lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate.* Et de hoc Matth.7. *Non potest arbor bona malos fructus facere.* Et iterum Apostolus loc. cit. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate.* Et Philip.2. *Vt sitis sine reprehensione in medio nationis prauæ, & peruersæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo.* Hæc S.Bonauent. qui similia habet *De septem Itineribus æternitatis, Itinere primo, dist.*6. & *ad* 12. *Lucæ* vbi addit id Lucæ 6. *Bonus homo de bono thesauro suo profert bona*, & ad id Matth.19. *Si vis perfectus esse, vade, &c.* Ideò sunt aliqua opera perfecta absque næuo.

Probatvr tertiò à D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 21. 25 *in dubiis litt.* ex 1. Cor. cap.3. *Si quis superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam; vniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit.* Hîc ostendit, dari aliqua opera perfecta absque vitio.

Probatvr quartò à D. Bonau. *De septem Itine-* 26 *ribus, Itinere* 7. *dist.*4. ex Matth. 5. *Estote perfecti, sicut & Pater vester perfectus est.* Ergo dantur aliqua opera sancta, similia operationibus intemeratis Dei,

Dei, per quæ fiamus Deiformes. Et ideò ibi hortatur, vt veluti boni filij in operibus imitemur Deum, & Abraham, &c. eius enim filij sumus, cuius opera imitamur.

27 PROBATVR quintò à S. D. *in Bibliis pauperum, cap.115.* è pluribus Scripturæ exemplis, quibus bona opera narrantur, præcipuè 2. *Paral.*31. vbi dicitur: *Fecitque Ezechias vniuersa, quæ diximus in omni Iuda, operatusque est bonum, & rectum, & verum coram Domino Deo suo in vniuersa cultura ministerij domus Domini iuxta legem, & cæremonias, volens requirere Deum suum in toto corde suo, fecitque, & prosperatus est.* Quid clarius? Ionæ 3. *Vidit Deus opera eorum* (idest Niniuitarum,) *quia conuersi sunt de via sua mala.* Matth.20. Operatij laudantur, & ad mercedem vocantur. *Matth.*25. Seruus, qui quinque talenta acceperat, & lucratus est alia quinque, lauda-
28 tur à Domino, & ei dicitur: *Serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, &c.* Marci 14. Laudatur, & prædicandum asseritur à Christo opus bonum Magdalenæ. *Ioan.* 8. hortatur Christus Iudæos: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite* 2. Cor.9 *Qui parcè seminat, parcè & metet.* Act.9. de Tabitha dicitur: *Hæc erat plena operibus bonis.* Ideo Petrus eam suscitauit. Et cap.10. ait Petrus: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.*

29 CONFIRMATVR à S.Doctore *ad* 9. *Sap.* ad ea verba: *Sapientia custodiet me in potentia sua: Et accepta erunt opera mea.* Vide Seraphicum.

PROBATVR etiam à S.D. *locis adductis* ex Patribus. Plurimos refert *in Pharetra, lib.1. cap.9. & 20. 27. 31.33. & sequentibus.* Et *lib.2. à cap.17.* & cæteris.

PROBATVR adhuc à S. D. *in* 1. *dist.*46. *quæst.*2. & *ad* 5. *Ioan.* Si omnia opera iustorum sunt peccata, cùm Deus sit, qui operatur in nobis *velle, & perficere*, vt habetur *Philip.*1. sequitur, Deum peccare, quod est horrendum; vel peccata mortalia esse bona, quod implicat.

RESPONDET Lutherus *in assert.art. 6.* omnia opera nostra esse peccata, vt sunt à nobis; At bona, vt sunt à Deo.

30 Contra: Nam Deus per nos operatur bona opera. Ergo peccata forent, etiam, vt à Deo fiunt.

OBIICIES primò contra primum assertum cum Caluino, & Kemnitio, ex Act. 15. *Quid tentatis imponere iugum super ceruices discipulorum; quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari.*

RESPONDETVR è S.Doctore *in* 2. *dist.*28. *quæst.*3. *fund.*2.explicito *in corpore*, Petrum ibi definire, non ampliùs nos obligari cæremonialibus Mosaycis, præcipuè Circumcisioni, quæ erat totius legis Mosaycæ veluti sigillum; hanc verò vocat iugum intolerabile sine gratia Christi. Et quia posset idem dici & de lege noua, eam non esse absque gratia obseruabilem; scire oportet, *hic* Apostolum Zelo sancto inuehi in Rabbinos, & Pharisæos peritos legis, qui legem difficillimam, sexcentis præceptis, ac cæremoniis onustam, ipsi reddebant tot superstitiosis cæremoniis intolerabilem; ad has autem superstitiones non adiuuabat gratia Dei. Hoc verò Petrus ab ipso etiam Christo,
31 primò audierat conquerente, Lucæ 11. *Et vobis Legis peritis væ: Quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt*, idest, præceptis superstitiosis, & inutilibus, vt meritò dicatur illud Actorum 15. *Quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus?* Et quod caput est, ipsi nec digito sarcinas tangere volebant. Tales erant isti Zelotes, & ideo in eos inuehitur Petrus, & dicit, saluos nos fieri potiùs per gratiam Christi, qui iugum alleuiauit, & auxilia præstat ad obseruandum quæcunque præcepit; quæ sola obseruanda sunt.

ALIAM responsionem afferunt Controuersistæ è 32
Theophylacto, Legem dici importabile iugum, quia difficile obseruabatur. Sic *ad* 23. *Matth.* & 11. *Luca* exponit. Idem habent D. Thom. *in* 2. *dist.*28. *quæst. vnica, art.*4. *ad* 3. Lyranus in hunc locum Actorum, post D.Bonau. *in* 3. *quæst. vltima.*

OBIICIVNT secundò Galat.3. *Qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt: Scriptum est enim: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in Libro legis huius.* Vbi Apostolus arguit, omnes obseruatores legis esse sub maledicto, quia non obseruant legem, nempe quia inobseruabilis est.

RESPONDETVR ex D.Bonau. *in* 3. *quæst. penult. & vlt.* legem occasionaliter secum ferre maledictiones mortis, iniunctas transgressoribus, qui solo verborum sono legem Mosaycam adhuc obseruare præsumunt, 33
solo ducti timore ergastulo, excludente amorem, & solo litteræ sonantis nisu. Hoc responsum arbitror indicari etiam à Vasquez *num.*13. si rectè sentit: Nam, si ad litteram accipiatur eius responsum, eos operari ex operibus legis, qui operantur solà notitià Legis, non adiuti Diuina gratia; non benè dicitur: Nulli enim gratia denegatur ad legis obseruantiam. Bellarminus *cap.*14. sic exponit, eos operari ex operibus legis, qui sine gratia præsumunt eam obseruare.

CONTRA tamen arguit Vasq. *loc. cit.* quia tales sunt maledicti, sanè vt hæretici, non vt trangressores ipsius legis. Hoc tamen parum obest; nam ad legem pertinet etiam Diuinæ gratiæ necessitatem credere.

OBIICIVNT tertiò id Rom.7. *Velle adiacet mihi: perficere autem non inuenio.*

RESPONDETVR ex D.Bonau. *in* 2. *dist.*28. *artic.*2. *quæst.*2. *fund.*3. ex Glossa, fateri se concupiscentià premi, sed tamen interius inuenire vim perficiendi auxilio gratiæ; Vnde ait: *Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et respondet: *Gratia Dei per Iesum Christum.* 34

OBIICIVNT quartò. Non possunt vitari omnia venialia, vt dicitur Iacobi 2. *In multis offendimus omnes.* Et Ioan. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus; ipsi nos seducimus*: Ergo Lex est impossibilis; *qui enim in vno peccat, factus est omnium reus.* Ita Iacobus Apostolus.

RESPONDETVR ex dictis *tract.*3.*disp.*2.*quæst.*2. peccatum veniale non esse contra legem. Reliqua soluta 35
sunt *disp. cit. quæst.*1. & 7. Vbi vidimus, non omnes actus, etiam peccaminosos, esse mortales; neque motus concupiscentiæ esse malos, vt supponunt Caluinus, & alij.

Has authoritates, rationes, & responsiones è Seraphico Doctore sumpsere Vasquez, Bellarminus, & alij suprà allati.

OBIICIT primò Caluinus contra secundum assertum, Psal.31. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Vbi Dauid ad totam vitam iustorum respiciens asserit, eos egere iustificatione, non alia sanè de causa, nisi quia omnibus operibus peccatur.

RESPONDET D.Bonau. *ad* 7. *Luca*, Dauidem loqui 36
de prima iustificatione impij, quà remittuntur peccata mortalia, & infunditur charitas: Ipse enim Dauid *Psalm.* 1. dicit: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, &c. Sed in lege Domini voluntas eius.* Et Psalm. 100. *Psallam, & intelligam in via immaculata,*

culata. *Perambulabam in innocentia cordis mei.* Et alia dicit, quæ declarant, non semper peccari, vt ostensum est etiam suprà.

Obiiciunt secundò hæretici, Psal.142. *Non intres in iudicium cum seruo tuo; quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*

37 Respondetur primò è D. August. ad hunc locum, hominem non iustificari coram Deo, quia iustitiam non habet à se. Vide Seraphicum *lib.2. de Profectu relig. cap.67.*

Respondetur secundò ex D. August. *lib. de Perfectione iustitiæ*, Hieronymo ad Clesiphontem, & Gregorio ad hunc Psalmum, referri ad peccata venialia, sine quibus in hac vita esse non possumus.

Respondetur tertiò ex D. Hilario, Hieronymo, Ambrosio, & Euthymio, aliisque ad hunc Psalmum. Et D. Bernardo *serm.5. de verbis Isaiæ*, non posse hominem iustificari *coram*, idest, comparatum cum Deo. Vide S.Bonau. ad hunc Psalmum.

Obiiciunt tertiò id Isaiæ 64. *Facti sumus, vt immundus, omnes nos, & quasi pannus menstruatæ, omnes iustitiæ nostræ.* Hoc effato triumphum canunt aduersarij.

38 Respondet D.Bonau. *in 2. dist.27. art.2. quæst.3. ad argumenta, §. Rationes verò ad opp.* loqui Isaiam de operibus, prout comparantur ad nostram Voluntatem nudam.

Extra rem tamen clamant; nam in hoc loco apertè loquitur Isaias de statu misero filiorum hominum, ante Incarnationem, & extra Christi merita vt exponit D. Bonau. *in Medit. vitæ Christi, cap.4.* & *in Speculo B.Virginis, lect.7.* post medium. Incipit enim sic: *Vtinam disrumperes cælos, & descenderes.* Ideò subdit: *Non est qui inuocet nomen tuum? qui consurgat, & teneat te.* Hæc est D. Hieronymi, & multorum expositio.

Obiiciunt quartò. Nos petimus, quod non habemus: Sed petimus, Matth.5. *Fiat voluntas tua.* Ergo semper peccamus.

Respondetur, imò retorqueri. Petimus enim, quod possumus obtinere: Ergo non semper peccamus.

Deinde respondetur è D. Bonau. *lib.2. Pharetræ, cap.1.* ex D. Bernardo *serm.6. in Quadr.* peti, vt fiat perfecta vnione in terris, sicut & in cælis.

Multos Sanctos Patres obiiciunt, qui, solam imperfectionem nostrorum operum, seclusâ concedunt Diuinâ gratiâ, & misericordia. Eos vide in Bellarm. *lib.4. de Iustificatione, cap.21.*

QVÆSTIO II.

An ex operibus iustiores fieri valeamus.

D.Bonau.in 2.dist.27.art 2. quæst.2.

39 Assero primò, opera bona adeò esse iusta, vt iustificent; non quidem prima iustificatione, sed secunda, faciendo ex iustis iustiores. Hanc assertionem definit Concilium Trid. *sess.6. cap.10. & 31.* contra hæreticos: An de congruo iustificent primò; dicam *quæstione 9.*

Probatur à D.Bonau. *ad cap.8. Ioan.* argumento Christi, quod postea sumpsit D. Iacobus, *cap.2.* Vbi Iudæi, generis Abrahamitici splendore hallucinati, in tanti Patris fide iustitiam perfectam vsque ad hæreditatem prætendebant: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Verè quidem Abrahæ dictæ sunt repromissiones, & semini eius, vt habetur *Galat.3.* non autem dixit *& seminibus*; sed Christo, & filiis, imitatoribus eius, qui fidem cum operibus coniungerent. *Sic enim & Abraham nonne iustificatus est ex operibus* 40
(ait D. Iacobus) *offerens filium suum super altare? Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum.* Et concludit: *Sicut enim corpus sine anima mortuum est, sic & fides sine operibus mortua est.*

Respondet Caluinus *lib.3. Inst. cap.17. §.11. & 12.* Scopum Iacobi fuisse, ostendere, quæ esset vera fides. Per fidem igitur sine operibus non velle assignare veram fidem, sed vmbram eius. Addit, per Iustificationem non intelligi propriam iustificationem, sed declarationem iustitiæ; & ita Abraham iustum declaratum, eò quòd veram fidem haberet.

Contra. Nam scopus eius habetur ex verbis il- 41
lis: *Estote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos.* Et: *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dixerit habere; opera autem non habeat? Numquid poterit fides saluare illum?* En scopus eius est, probare contra nouam exortam hæresim, fidem non posse saluare sine operibus, vt notat D. August. *lib. de fide, & operibus, cap* & post eum D.Bonau. *serm.1. de Decem præceptis.* ue de vera fide loquitur. Affert in exemplum fidem Abrahæ, quæ cooperabatur operibus.

Obiicit Caluinus. Fides sine operibus comparatur fidei dæmonum, quæ non est vera fides.

Respondet D.Bonau. *in 3. dist.23. art. 2. quæst.3.* Fidem dæmonum in obiecto conuenire cum fide hominum improborum, ex D.August. *lib. de vnico Baptismo, cap.10.* differunt tamen, quia fides istorum est libera; dæmonum verò cum murmure, & coacta, & extorta ex ipsarum rerum euidentia. Ità respondet etiam Bellarminus *lib. 1. de Iustificatione, capite 15.*

Instat Caluinus fidem informem dici mortuam: Ergo non est verè fides.

Respondet D.Bonauent. *loc. cit. quæst. cit. prima* 42
ad 1. ritè D. Iacobum comparare fidem informem, non cum homine, sed cum corpore mortuo, quod est verum corpus, sed sine vita naturali; sic enim etiam fides illa est vera fides; sed sine vita gratiæ. Vita enim non est de essentia corporis; tametsi sit de essentia hominis.

Quod verò de iustificatione, & non de mera declaratione eius loquatur, patet ex toto contextu, vbi ait; fidem cooperatam operibus Abrahæ ad eum iustificandum, & operibus consummatam, & Rahab exemplo, quæ non erat iusta, sed meretrix. Vnde effugium Caluini & Kemnitij præcluditur.

Probatur secundò à D.Bonau. ad illud Ioan.14. 43
Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Vbi notat, non posse id intelligi de primo venire per iustificationem primam; nam illud est ante nostram dilectionem, & principium eius: Loquitur ergo de aduentu per ampliorem gratiam in iustum ex operibus dilectionis; de quibus D. Gregor. ideo dicit homil. 10. *Probatio dilectionis exhibitio est operis.* Id exprimit è mente D.August. *tract.26. in Ioannem.*

Probatur tertiò à S.D. *ad cap.13. D. Ioan.* ad ea 44
verba: *Si manseritis in me, &c.* ex illo Apoc.vlt. *Qui iustus est, iustificetur adhuc: & Sanctus, sanctificetur adhuc.* Quo vtitur etiam Concilium Trident. *sess.6.*

*sess.6. cap.*10. ad hoc probandum. Addit S. Doctor etiam ea verba: *Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*, idest, multiplicat fructus; sicut arbor, &c.

PROBATVR quartò à S. Doct. *in 2. dist.24. p.1. dub.3. litt.* vbi affert id 2. Cor. 4. *Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem.* Eodem testimonio vtitur ad id S. Bonauent. *Opusc. de profectu Relig. capite* 4.

45 PROBATVR quintò à D. Bonau. *in opusc. aureo de Profectu* aliis multis authoritatibus. Ad *cap.6. Lucæ* in ea verba: *Ecce merces vestra*, affert illud Eccl.18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari: quoniam merces Dei manet in æternum.*

RESPONDET Caluinus in Antidoto, ex Græco haberi: *Ne cesses.*

RESPONDETVR, sic legi à D.August. in speculo: *Ne verearis*, & ad 18. Lucæ ad ea verba: *Recipiet vitam æternam. Ne veteris*, & suspicor, id ita legi etiam in primo loco, qui est à typis corruptus: *Ne vereris.* Et ratio sequens, qua promittitur merces, id probat; nam est magnum motiuum progrediendi in sanctitate, vt notat etiam Bellarminus *cap.*19. post D. Bonauent. *loc. cit.* 19. *Lucæ* ad ea verba, initio: *Oportet semper orare.* Sic hoc testimonio vtitur quoque Concilium Trident. *sess.6. cap.*10. legens: *Ne verearis.*

46 QVIBVS authoritatibus vtitur etiam Vasq. *disp.*220. *cap.*1. *Lib.*2. *de Profectu relig. cap.*1. affert S. D. id 1. Cor.10. *Fidelis Deus, qui non patietur, vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum.* Vide ipsum.

PLVRIMOS quoque Patres, hoc demonstrantes, refert *Opusc. adducto*, & sequentibus. Et *lib.*1. *Pharetræ, cap.*34. & sequentibus.

47 PROBATVR etiam ab ipso S.D. *in 2. quæst. cit.* primò è D. August. *epist.*106. *ad Bonifacium*; ex quo testimonio elicit *in corpore* argumentum, quo vtitur Bellarminus *cap.*19. in fine. Est autem ad hominem. Qui legem impleret, augeret iustitiam suam, vt fatetur Melancthon *in Apolog. Confess. tit. De impletione legis.* Sed homo, Diuina gratia adiutus, potest legem implere, & opera bona facere perfecta, vt habet D. August. ad Bonifacium, dicens: *Per opera bona gratia meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici.* Idem habet *de verbis Apostoli, serm.*15. & *de Prædest. Sanctorum, cap.*14. vt refert S.Bonau. *loc. cit. Pharetra*: Ergo.

48 ASSERO secundò, hunc profectum iustitiæ fieri per augmentum gratiæ, quod meremur. Ita definit Concilium Trident. *sess.6. can.*32.

PROBATVR à S.D. *loc.cit. in 2.* Primò è D.August. *loc. cit.* vbi eodem modo asserit, augmentum gratiæ cadere sub merito, quo negat gratiam primam cadere sub merito, idest de condigno, vt notat etiam Valentia *disp.8. quæst.6. p.*4. §. 5.

ADDIT tamen D. Bonau. aliquanto deficere à condignitate, quia gratia, qua meremur, est maior augmento eius; & hoc saltem probat meritum augmenti gratiæ requirere magis Diuinam promissionem, quam requiratur ad meritum vitæ æternæ, vbi est capitale ad æqualitatem. Vnde non benè carpitur S.Bonau. à Valentia *loc.cit.*

SECVNDO, quia operans in gratia, operatur fundamento sufficienti ad proficiendum in merito, sed iste profectus fit, dum homo fit gratior Deo: Ergo.

49 TERTIO. Si peccatum vnum meretur lapsum in alia: Ergo bonus vsus gratiæ meretur nouam gratiam.

QVARTO. Qui enim operatur æquale cum minori adiutorio, meretur ampliùs: Sed hoc potest esse, vt cum minori gratia aliquis operetur perfectiùs: Ergo acquiret nouam gratiam.

QVINTO. Qui petit piè, & perseueranter, meretur exaudiri: Sed potest aliquis sic petere augmentum gratiæ: Ergo. Præclariùs hoc agitabitur *quæst.*12. vbi ostendam, quomodo fiat hoc augmentum.

OBIICIVNT primò. Gratia est simplex: Ergo non potest augeri:

RESPONDET Seraphicus, dari in ea gradum intensiorem. 50

OBIICIVNT secundò. Gratia est eiusdem rationis: At verò prima gratia est donum: Ergo augmentum non potest esse meritum.

RESPONDET S.Bonau. Gratiam esse eiusdem rationis, vt Habitus est; attamen primam gratis dari; quia est radix meriti.

QVÆSTIO III.

An opera iustorum sint condignè meritoria vitæ æternæ.

D.Bonau. in 2. dist.27. art.2. quæst.3.
D.Thom. q.114 art 3.

HÆRETICI nostrorum temporum acriter inuecti in opera bona, ea conclamant peccata, & magni demeriti; paulatim verò cedentes authoritatibus Scripturarum, & totius antiquitatis, aliquid, nescio quid, meriti mussitarunt in illis reperiri. Ita Hæretici *Confess. August. in Apolog. art.*20. Brentius *in Confess. Vuitemberg. cap. de bonis operibus.* Kemnitius *in exam. Concil. Trid. sub fine sess.*6. Melancthon, teste Lindano, *lib.*3. *Panopl. cap.*20. quos oppugnat cum aliis Bouër. *exam.2. cens.*18. *errore* 10. 51

ADDVNT tamen, ea opera esse meritoria solùm præmij temporalis, vel spiritualis in hac vita, aut in alia; non tamen vitæ æternæ, eaque meritoria esse è sola misericordia Dei, & promissione. Mirum autem est, istos aliquid meriti adscribere operibus, vti credunt, maculatis, cùm bonum ex integra causa constet, vt docet D.Dionys. *cap.*2. *de Diu.nom.* & malum ex quocunque defectu.

IVXTA sua principia consequenter Lutherus, & Oecolampadius, omne meritum ab operibus iustorum excludunt: Eos refert Vega *quæst.*4. *de Iustificatione.*

CALVINVS verò *lib.*3. *Inst. cap.*15. §.2. concedit quidem aliquam à Deo operibus compensationem, sed liberalem, retribui; nomen tamen meriti execratur, & in Patres exclamat, qui hoc nomine sunt vsi: Hunc sequuntur, tanquam gregarium Ducem, cætera huius furfuris armenta, quæ sequitur Faius, Genæuæ Idolum *in Enchir.* 52

BVCERVS autem *in actis colloquij Ratisponæ*, negat, Scripturam, & Patres, nomine meriti vsos; aliquos verò Catachresi, seu nominis abusu locutos. In his est præcipuè videre istorum temeritatem.

CATHOLICI omnes è regione concedunt meritum ad vitam æternam. Ita definit Concilium Trident. *sess.6. can.*32. Varij tamen sunt in hoc merito elucidando. 53

DVRANDVS *in 2. dist.*27. *q.*2. vult opera bona iustorum non esse condigna vitæ æternæ mercede; quia non habent æqualitatem iustitiæ ad præmium; ea verò tamen ratione dici merita, quia Deus lege sua

sua postulat nostra opera, vt ipsam gloriam tribuat, & ideò esse merita solùm congrua; at infra *num.* 16. dicit, esse merita media inter congruum, & condignum. Idem sentit Burgensis *additione ad Psal.*35.

54 D. THOM. *quæst.*114. *art.*1. docet, nostri ad Deum non esse meritum simpliciter, quia non interuenit ibi iustitiæ æqualitas. Rationem verò meriti exigere æqualitatem iustitiæ docet idem S.Thom. *p.*1. *quæst.*21. *art.*3. & 4. attamen *art.*4. concedit meritum nostri apud Deum, quatenus ad eum pertinet retribuere. Hic verò admittit meritum condigni.

ALII verò absque additamento absolutè rationem meriti concedunt in operibus bonis iustorum. Ita Altisiodor. *lib.*1. *summa*, *tract.* 16. *cap.* 1. *quæst.* 2. & Vualdens. *tom.*3. *de Sacramentalibus*, *cap.*7. vbi renuit vti vocibus *congrui*, vel *condigni*. Citatur à Vasquez *disp.*113. *cap.*4. etiam D.Bonau. *loc. cit.* Enim verò ibi pluries D. Bonau. repetit, esse meritum condigni cum D. Thom. considerato opere, prout venit à libero arbitrio, operante gratiâ: Additque S. Doctor, ad meritum condigni non requiri æqualitatem, seu debitum iustitiæ. Idem sentit Marsilius *in* 2. *quæst.*118. *art.* 4. *conclus.* 2. & Bunderus *tit.*6. *art.*7. *concertationis.*

55 ALII autem concedunt meritum condigni in operibus iustorum ex æquitate iustitiæ, quam Vasquez videtur asserere commutatiuam. Citatur Scotus *in* 1. *dist.* 17. *quæst.*2. §. *Hic potest.* Gabr. *in* 2. *dist.*27. *quæst.*1. *art.*2. Franciscus Romæus *lib. de Libertate*, quibuscum ex parte sunt etiam Caietanus *ad quæst.*114. *art.*1. Bartholomæus Medina *art.*3. qui ponunt iustitiam hanc, secundùm æqualitatem rei cum re, quæ est iustitia Commutatiua; non tamen eam propriè admittunt, sed communi quadam ratione, & in hoc diuerso modo incedunt, vt refert Vasquez.

56 ALII verò rationem Meriti concedunt operibus iustorum, secundum propriam rationem iustitiæ distributiuæ. Ita Sotus *lib.*3. *de natura*, & *gratia*, *cap.*7. Hosius *in Confess. Catholica*, *cap.*73. Durand. *art.*11. §. *Tertia difficultas*, Richardus *in* 7. *dist.*27. *art.*2. *quæst.*3. addita doctrina eius *in* 4. *dist.*46. *art.*1. *quæst.*1. vbi propriam in Deo iustitiam distributiuam ponit. Bellarm. *lib.*5. *capitibus* 16. 17. & 18. ponit meritum condignum ex natura operis, & pacto; & eam dicit ex esse iustitia; non tamen propriâ, quia supponit gratiam. Et *cap.*14. dicit, substantiam iudicij Diuini in remuneratione fore secundùm iustitiam Distributiuam: modum autem secundùm Commutatiuam. Valentia *disp.* 8. *quæstione* 6. *art.*4. dicit, opus bonum sumi absolutè, & per se, secundùm bonitatem, quam habet ex obiecto, ex circumstantiis, & ex gratia, &

57 sic compensandum secundùm rationem Distributiuæ iustitiæ, vt quantò aliquis plus meretur, tantò plus accipiat, quia non est æqualitas hoc modo inter opus bonum iusti, & vitam æternam. At verò si sumatur opus iustificati, vt habet respectum etiam ad promissionem Diuinam; sic æqualitatem habere compensandam iustitiâ Distributiuâ; & hoc sensu componit illas duas sententias. Suarez *disp.*3. *sect.*1. *tom.*4. 3. *p.* propriam iustitiæ rationem videtur admittere. Quamquam §.4. *sect.*6. concedat, meritum fundatum in gratia, data ad hunc finem merendi, adimere rationem perfectæ iustitiæ; quia gratia iustitiæ repugnat.

VASQVEZ *cap.*5. ponit meritum condigni extra quamcunque rationem iustitiæ, & fidelitatis.

58 PRO nostra sententia oportet supponere *ex p.*1. *tract.*1. *disp.*19. *quæst.*1. & 2. nullam nostri ad Deum iustitiam propriè inueniri.

NOTA ergo ex D. Bonau. *ad argumenta*, rationem meriti propriè esse affectionem quandam, & proprietatem operationis humanæ. Nam quamuis in rebus, quæ non sunt operationes, sit valor, vt in equo, vino, oleo, & pecunia; tamen in eis nulla est ratio meriti. Ratio enim meriti, quæ videtur dignitas laudis, ac præmij, consequitur bonitatem actionis humanæ; sicuti & ratio demeriti prauitatem operationis humanæ. Itaque ad rationem meriti non requiritur meritum iustitiæ, contra Suarez, & Valentiam, quos in fine referam, & *quæst. seq.* sed sufficit ordinatio operantis bonum in obsequium alicuius. Requiritur verò huius promissio acceptandi illam operationem, sine qua non esset perfectum meritum, vt latius ostendam *quæst. sequenti* contra Vasquez, acriter oppositum sustinentem.

Itaque opus est meritorium ratione suæ entitatis, 59
quatenus est ex radice gratiæ, quæ cùm sit donum, non permittit esse ex propria iustitia. Sic igitur explicatur à Seraphico, quem sequitur Vasquez, sed carpit, quasi non explicet. Neque magis laudo id, quod ipse Vasquez, *hîc num.* 25. docet, non solùm non requiri ad rationem meriti simpliciter debitum iustitiæ; sed imò potius, quando occasione aliqua acquiritur ius iustitiæ ad compensationem, ei actioni non inesse veram rationem meriti, nisi latissimo modo meritum pro valore vsurpetur, veluti cum dicimus: Labor huius equi meretur tantum. Hac improprietate sermonis dicimus, hominem pro labore in vinea tantum mereri: Minùs tamen impropriè, ait Vasquez, in operationibus humanis, ad quas meritum spectat, vsurpari nomen meriti; attamen verè meritum harum actionum, si propriè loquamur, dici debet valor.

Hæc sanè nullius momenti sunt, & multa sup- 60
ponunt falsa. Primò quidem ea, quæ ad mercedem spectant, impropriè dici præmia, data meritis, quod est contra D.August. *lib. de perfectione iustitiæ, resp.*17. vbi ait: *Post hanc vitam merces perficiens redditur; sed eis tantum, à quibus in hac vita eiusdem mercedis meritum comparatur*; & quod caput est, Patres Concilij Trident. *sess.*6. *cap.*16. sic definiunt: *Benè operantibus vsque in finem, proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filij Dei, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda.* Forsan verò impropriè loquuntur?

PRÆTEREA supponit, meritum solùm laudem, 61
& honorem respicere, cùm operatio humana, cuius proprium est meritum, non ad honorem tantùm, sed etiam ad mercedes ordinetur; & patet in foro Dei, vbi Sanctorum meritis datur Beatitudo, quæ non est sola laus, vel honor.

PRÆTEREA supponit, operationis humanæ bonitatem non esse ad æqualitatem æstimabilem, maximè in foro Dei; cùm enim sit finitæ bonitatis, habet etiam æstimabilitatem.

ADDE, in distributionibus honorum in Republica; in quibus seruatur sanè æqualitas primò Geometrica, & consequenter etiam Arithmetica, optimè remunerari merita secundùm propriam iustitiam.

SCIENDVM secundò ex D. Bonau. *lib.*5. *Compend.* 62
*cap.*11. & *in* 1. *dist.*41. *quæst.*1. *in corp.* & *in* 3. *dist.*4. *art.* 1. *quæst.* 2. *in resol.* triplex esse meritum. Primum *Congrui*, quo quis operans secundùm quandam conuenientiam acquirit, & meretur; veluti cùm peccator faciens ex Diuino auxilio quod in se est, se disponit ad iustificationem. Secundum dicitur *Digni*, in quo aliqua ex parte est dignitas,

&

& ex alia defectus dignitatis; veluti cùm iustus orat pro peccatore: Dignus est enim iustus exaudiri; sed indignitas est in peccatore, pro quo exaudiatur. Tertium dicitur *Condigni*, in quo est plena condignitas operis ad præmium. Et quidem merita *Congrui, & Condigni*, omnes sapientes concedunt. Aliqui verò irrident hoc tertium membrum meriti de Digno, vt Bellarminus *lib.5. de Iustificatione cap.16. litt.D.* Vasquez, *hic disp.220. num.10.*

Et quidem meritum *Digni* habemus, dum aliquis sanctorum meretur alteri iustificationem, quam de Condigno non potest mereri, vt ostendam *quæst.16.* Posse verò aliquo modo, probatur ex illo Matth.9. *Videns Iesus fidem illorum, ait Paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Quod si saltem de congruo, tantùm hi merebantur, vt vult Gregorius de Valentia *disp.8. quæst.6. puncto vlt.* Quid ni? si oraslet B. Virgo, sicuti fecit in Cana Galileæ, dignè exaudiendam dicamus? Idem ostendam *quæst.15.*

63 Fateor sæpè, nomen *Digni* condignitatem exprimere, & eandem vocem Græcam modo vno, modo altero modo traduci, vt ait Bellarm. *loco cit.* attamen sæpe vocem *digni* cum D.Bonauent. explicandam, nemo negare potest.

Et quod ait Vasquez, bona opera, quæ procedunt à gratia, asseri à Concilio Trident. eodem modo meritoria incrementi gratiæ, quo asseruntur meritoria gloriæ, & ideò malè D.Bonauenturam asserere mereri tantùm de Digno; hoc inquam friuolum est. Nam Concilium asserit sanè, opera sancta mereri incrementum gratiæ. Et hoc idem docet D.Bonauent. *ibi*; attamen addit, ex eo capite tantùm digna, quatenus capitale gratiæ, quo operatur, est minus, quàm gratia, quæ augetur; neque hoc meritum merè congruum astruit S.Bonauent. sed cum dignitate; deficere autem à condignitate, quia non est commensuratio arithmetica præmij cum merito; sed de hoc infrà latiùs, vbi etiam conditiones meriti discutiemus.

Assero primò contra Sectarios, opera iustorum mereri vitam æternam.

64 Probatvr primò à D.Bonauent. *in corpore*, quia in Scriptura est meriti entitas, seu substantia respectu operum. Sed quia nolo, cum Caluino pugnans, aërem verberare in incertum.

Fateor in fonte Hebræo, vel Græco, vbicunque de merito, seu merendo agitur, hoc nomen me non inuenire, quod ex Hebræo fonte traducitur pluries *Genes.4. Deuter.7. Iosue 11. Iudicum 20. 2. Paral.19. Esther 16. Iob.6. & 11.* Ex Græco autem *Eccli: 10. 16. & 38.* & *Heb.10. & 13.* præcipuè *Eccli: 16.* vbi dicitur: *Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum*, & Heb. 13. *Beneficientiæ, & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus*, quod in Græco *euarestici*, idest *placatur Deus*; in Græco tamen pro; *secundum merita*, inuenio *secundùm dignitatem*; *secundùm opera.* Similia in Hebraico fonte habentur, quæ sonant merita. Quare ad rem ipsam respiciens S.Hieronymus, vtriusque linguæ peritissimus, traducit, *secundum merita*, seu *secundum opera.* Ideò Seraphicus grauiter protestatur *in corpore*, se nolle cogi ad reperiendum vocabulum *meriti*, in Græco, vel Hebræo fonte, quia parùm refert, dummodo rem ipsam meriti inueniamus. Neque necesse est ad dogmata roboranda vocabuli sonum inuenire, vt sæpius videre est. Non ergo furiat Fains.

65 Rem igitur reperiri ostendit S. Bonauent. primò ex illis Scripturis, in quibus dicitur, dari hominibus vitam æternam, iuxta opera eorum. Psalm.65. *Reddes vnicuique iuxta opera sua*: Matth. 16. *Filius hominis venturus est, &c. Et tunc reddet vnicuique secundùm opera sua.* Idem dicitur: *Rom.2. Prima. Corint.3. Apoc. vlt.* Hanc autem fore retributionem vitæ æternæ ostendit Apostolus. Rom.2. *His, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Ex quo ruit effugium Hæreticorum; reddi præmia operibus, sed non vitam æternam. Similiter labitur responsio Caluini dicentis, reddendam vitam æternam fidei, cuius signa sunt opera: Nam clarè dicitur, reddi operibus. Confirmatur: Nam eodem modo, quoad hoc asseritur, reddi vitam æternam bonis operibus; & damnationem malis operibus. Ideò Apostolus subdit: *Iis autem, qui sunt ex contentione, &c. ira, &c.* vt notat D.Bonau. *ad 18. Luca*, ad ea verba: *Audite, quid Iudex, &c.*

Vrget Caluinus, à D. Petro *cap.1. epist. prima*, dicitur, præmium vitæ æternæ esse fidem. 66

Respondetvr, ibi dici finem fidei esse salutem animarum, quia ad hoc fides operatur, vt vitam æternam consequamur. Præterea, si rectè ille locus perpendatur, loquitur de fide filiorum Dei regeneratorum, qua credimus, & exultamus operantes.

Confirmatvr ex aliis locis Scripturæ, in quibus assignantur bona opera, vt causæ retributionis æternæ, Matth.25. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c. Esuriui enim, &c.* vt notat D. Bonauent. infrà, *citando loco.*

Confirmatvr primò à D. Bonauent. ex illo *Matth.20.* vbi operario illi dicitur: *Tolle quod tuum est, & vade.* Vbi denarius in præmium dicitur esse illius operarij. Explicant verò id de præmio gloriæ communiter Patres. 67

Confirmatvr secundò à D. Bonauent. ex prima Tim: vbi gloria dicitur corona iustitiæ: *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus, &c.* vbi S.Bonauent. quem sequitur Vasquez, contentus est nomine Coronæ, quæ datur in præmium merito: Nam iustitiam propriam non admittunt, vt notauit suprà. Sufficit autem, vt dicatur *corona iustitiæ*, æqualitas præmij cum merito.

Confirmatvr etiam illo Zach. 4. *Adæquabit gratiam gratia.* Quod sancti exponunt: *Adæquabit gratiam patriæ, gratia viæ.*

Alia Scripturæ loca ad id confirmandum refert D. Bonauent. *ad 6. Luca.* Primò illud, eo capite. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælo.* Notat S. D. dici esse *in cælo.* Illud Sap.5. *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum.* Vide Seraphicum ad eum locum Sap. Apoc.22. *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua.* Et hæc merces dicitur ibi esse beatitudinis. *Et videbunt faciem eius, &c. Beati, qui lauant stolas suas in sanguine Agni: vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & intrent per portas in Ciuitatem.* Matth. 5. *Ecce enim merces vestra copiosa est in cælo.* Ecch.18. *Non verearis vsque ad mortem iustificari: quoniam merces Dei manet in æternum.* Sap. 10. *Reddet Deus iustis mercedem laborum suorum.* Multas alias affert Bonetius *loco citato.* 68

Respondet Melancthon *in Apolog. confess. August.* vitam æternam vocari præmium debitum, non operibus, sed promissioni Diuinæ. 69

At insipienter loquitur, sola enim promissio non facit mercedem, sed donum; eam autem dari operibus, & laboribus Scriptura testatur: *Voca operarios, & redde illis mercedem*, vt notat Seraphicus *locis citatis.*

Respondet Caluinus, mercedem accipi figuratè. Est enim vita æterna hæreditas, vt Scriptura loquitur.

At cùm etiam mercedem vocet eam Scriptura, sicuti hæreditatem, cur *ibi*, impropriè, *hic* propriè dicitur? Sanè, quia paruuli non valent eam adipisci, datur eis titulo hæreditatis; at verò adulti tenentur propterea operari.

70 Probatvr secundò è Scripturis, quæ præmio digna testantur opera vitæ æternæ. Affert verò D. Bonauent. *Luca* 11. illud dictum Christi: *Dignus est enim operarius mercede sua.* Vbi notat, id asseri vniuersaliter; ita vt etiam operarius bonorum operum mereatur vitam gloriæ.

Ad 3. verò *Sap.* id probat ex eo. *Deus tentauit eos, & inuenit dignos se.* Lucæ 20. id probat ex illo Christi effato: *Illi verò, qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, &c.* vbi notat D. Bonauent. vocari iustos dignos illa vita, qua æquales Angelis sint, & filij Dei, vti habetur Apoc. 21. *Mensura hominis, quæ est Angeli*, & 1. Ioan. 3. *Scimus, Quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus: quia videbimus eum sicuti est.*

71 Nomen autem *Meritum* in Græco dignitatem habet, vt suprà notaui cum D. Bonauent. hîc, & Bellarmino *cap.* 2. Neque aliud vocabulum habent Græci ad meritum explicandum, vti necesse est explicari, quàm ἀξίαν.

Assero secundò, opera nostra meritoria esse vitæ æternæ de condigno.

Probatvr à D. Bonauent. è Scripturis allatis, quibus iusti dicuntur digni vitâ æternâ; & ipsa vocatur Merces, Corona, eaque propria iustorum. Quibus sanè testimoniis notatur æqualis gloria cum meritis: Merces enim à *mereri*, & æs oritur, vt ait Varro *lib.* 4. *de Latina lingua*. Æs autem emeritum sonat æqualitatem cum labore. Confirmatur hîc à D. Bonauent. ex illo Matth. 7. *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*; & *in corpore*, ex illo Genes. *Ego ero merces tua magna nimis.*

72 Affertur à D. Bonauent. argumentum. Sicut se habet in condignitate opus malum, & culpa ad pœnam, sic se habent gratia, & opera facta in ea, ad gloriam; sed opera mala merentur pœnam æternam è Condigno, ergo & opera bona vitam æternam.

Advertit tamen D. Bonauent. hanc rationem non in omnibus conuincere, seclusa promissione Dei; quia gloria multò plus excellit in ratione boni, quàm pœna in ratione mali; quia facilius est descendere per demeritum, quàm ascendere ad meritum; ad hoc enim requiritur capitale Diuinæ gratiæ, & opus perfectum. Enim verò hoc argumentum conuincit, si promissionibus Dei innixum afferatur. Ma: enim probatur è multis Scripturis. *Matth.* 25.

73 Operantibus bonum, dicitur: *Venite benedicti, percipite regnum, &c.* Malis autem: *Discedite maledicti in ignem æternum.* Rom. 2. Cùm dixisset, Deum redditurum omnibus secundùm opera sua, subdit: *His, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem, qui sunt ex contentione; ira, & indignatio.* Galat. 6. cùm dixisset: *Quæ seminauit homo, hæc & metet*; addit: *Qui enim seminat de spiritu, de spiritu metet vitam æternam.*

74 Hoc indicat D. Bonauent. *in Dieta*, *tit.* 10. *cap.* 5. & præcipuè 6. & post eum Bellarminus *cap.* 3. Minor probatur ex illo Apoc. 18. *Quantum glorificauit se, & in delitiis fuit; tantum date ei tormentum, & luctum*: vt notat S. D. *in* 4. *dist.* 46. *quæst.* 2.

Probatvr tertiò. Qui Deo seruit, aliquid meretur; alioqui frustra operaretur. Tunc sic: Præmium non debet esse minoris valoris, quam meritum, imò potius maioris; sed meritum operum est à gratia, qua nihil est maius gloria: Ergo, qui operatur ex gratia, meretur gloriam.

Porrò authoritas Scripturarum asserentium, gloriam esse mercedem. *Genes.* 15. *Sap.* 5. & 10. *Eccl.* 18. 75 *Isa* 40. *Matth.* 5. & 20. *Luca* 6. *Rom.* 4. *prima*, *Corint.* 3. 2. *Ioan. Apoc.* 11. & 22. Similiter, quæ asserunt gloriam esse coronam victoriæ. *Isaia* 28. *prima*, *Cor.* 9. *prima*, *Timot.* 4. *Iacobi* 1. *prima Petri*, 6. *Apoc.* 2. & 3. Quæ pariter nostra opera à Deo censent digna præmio gloriæ. *Sap.* 3. *Luca* 20. 2. *Thessal.* 1. *Apoc.* 3. Quæ etiam asserunt opera nostra gratiosa thesaurum esse, quo emitur cœlum, *Matth.* 6. *Luca* 12. Quæ tandem asserunt nostra opera sata, producere 76 messem Gloriæ 2. *Cor.* 9. *Galat.* 6. hæ inquam inane Caluini præfocant responsum, hæc operibus adscribi è sola Dei promissione. Sanè hæc astruunt Scripturæ ex pretiositate gratiæ, à qua prodeunt, vt notat S. D. & cum eo Bouerius *locis adductis*, merces profectò est laboris partus, corona, & præmium militiæ, certaminis, & victoriæ; & sic edissere de cæteris.

Probatvr à D. Bonauent. etiam ex Patribus, qui meritum astruunt: D. Dionys. Areop. *de Eccl. Hier. part.* 3. *cap.* 7. Clem. Alex. *lib.* 4. *Strom*, & *lib.* 6. Basil. *de Ascesi.* Nyss. *de pauper. orat.* 1. Iustin. *Apol.* 3. Orig. *in cap.* 2. *Rom.* Chrysost. *hom.* 4. *de Lazar.* & 42. *in Gen.* Nazian. *orat.* 40. & alij Græci.

E Latinis Tertull. *de Resurrect. cap.* 48. *lib.* 2. *in Marcion. cap.* 6. & in Scorpiaco *cap.* 6. Cyprian. *de vnit. Ecclesiæ*, Lactant. *diu. Inst. cap.* 12. Hilarius *in Matth. can.* 6.

S. Ambrosius *lib.* 1. *de offic. cap.* 15. vbi euidens esse ait. Et *lib.* 10. *epist.* 82. ait: *Qui sunt ergo hi preceptores noui, qui meritum excludunt ieiunij? Nonne gentilium vox ista est?* & *lib.* 4. *in Luc.* 14. *lib.* 5. *cap.* 6. D. Augustin. *epist.* 105. ad Sixtum, vt habet S. D. *in litt.* & *epist.* 33. & *de moribus eccl. cap.* 25.

Cœlestinus Papa *epist. ad Gallos*, *cap.* 12. D. Greg. *lib.* 4. *moral. cap.* 42. & *lib.* 3. *Dialog. cap.* 9. D. Hier. *epist.* 22. & *lib.* 2. *cont. Ionin.* D. Isid. *de sum. bono*, *lib.* 2. *cap.* 39. *sent.* 25. Beda *in cap.* 6. *Luca.*

Hos aliosque refert sparsim D. Bonauent. *hic* & *ad* 77 *euang.* & *in Dieta* & *in Pharetra*, & *alibi.*

Adde Concilia: Arausic *can.* 18. Later. *cap.* 1. vt habetur *cap. firmiter.* Florent. *decreto de Purg.* Trident. *sess.* 6. *cap.* 16. & *can.* 32. vbi sub anathemate id declarat.

Tanta nubes testium, tonitrua resonans, & fulmina iaciens, in auia hæreticos pellit. Ea verò merita condigna astruit S. D. maximè *ad arg.* Ideò fallitur Vasquez *num.* 19. dicens eum non se explicitum ibi exhibuisse.

Probatvr etiam hic à D. Bonauent. è sanctis Expositoribus locorum, quæ allata sunt ab eo, præcipuè super parabolam *Matth.* 21. de operariis. Lege Bibliothecam Homil. Dom. Septuag. & Dom. 5. 7. 8. & sequentibus post Pentecost. Et de communi vnius Martyris, vbi plura habet.

Obiicivnt primò hæretici Rom. 8. *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam.*

Respondet D. Bonauent. *hic ad* 1. Apostolum 78 loqui de substantia nuda ipsorum operum; attamen est proportio ratione charitatis, à qua eorum sufficientia promatur. Cùm Apostolus dixisset suprà: *Si filij, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur:* statim subdit: *Existimo enim, &c.* Ex quo ostendit, has passiones, vt mereantur gloriam, debere à spiritu filiorum per gratiam, & charitatem patrari. Hic sanè sensus, præ aliis, placet & Vasquez *disput.* 214. *num.* 83. At contra Vasquez addam *quæst. sequenti*, requisitam promissionem.

Aliam

79 Aliam quoque responsionem indicat S.Bonauent. maximè in fine, quæ placet Bellarmino *lib.5. cap.6.* Becano, Louaniensi, Ruardo, *art. 11.* Adamo *in eum locum*, Francisco Romæo *Libello de Libertate, & necessitate operum*; *verit.* 22. & eruitur è D. Fulgentio *lib.1. ad Monim. cap.10.* vt fatetur Vasquez *num.49.* Eatenus non esse condignas passiones huius temporis, quia breues sunt, & tenues; at gloria infinita; & hac ratione dixisse Paulum 2. Cor.4. *Momentaneum hoc, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur*; ob id tamen non negasse Apostolum condignitatem meriti. Quo circa opera iustorum, & passiones comparantur semini, quod parum mole, continet virtute arborem, & fructus eius. Ita comparat S.Bonau. hic, post D. August. *in præf. Psalm.* 120. & in ea verba Psalm.125. *Qui seminat in lacrymis.*

80 Hoc tamen non placet Durando *in 2. dist.* 27. *quæst.* 2. *num.* 10. eò quòd metaphoricè tantùm dicuntur semina vitæ æternæ; & ideò metaphoricè sint dicenda æqualia, non alia ratione; nisi quia Deus iussit, vt retribuat vitam æternam.

Addit Vasquez *disp.* 214. *num.7.* Durandum laudans, eos, qui ita respondent, petere principium. Hæc verò friuola sunt; & quidem patet, etiam rationem mercedis, coronæ, & brauij esse metaphoricam, & tamen ab aduersarijs adhibitam ad meritum condignum probandum, vt notat etiam Bellarminus *lib.5. cap.17.* de Iustificatione. Quòd verò non petatur principium, probatur; nam hæc nituntur authoritate Scripturæ, & Patrum, quæ indicant æqualitatem bonorum operum, tanquam seminis cum fructu gloriæ. Ex quo arguitur: Ergo sunt meritoria condignè.

81 Obiiciunt secundò Rom. 6. *Stipendia enim peccati mors. Gratia Dei, vita æterna*; vbi non dixit, stipendium bonorum operum esse vitam æternam, sed *gratiam*, vt ritè aduertit Glossa, vt intelligeremus inde, Deum ad vitam æternam pro sua misericordia nos perducere.

Respondet D. Bonauent. *ad* 2. ex D. August. *epist.* 105. *in Enchir. cap.* 107. & præcipuè *in lib. de Gratia, & lib. arb. cap.*8. & 9. potuisse quidem Apostolum, dicere: *stipendium iustitiæ, vita æterna*; sicut dixit: *Stipendium peccati mors:* id tamen non dixisse, ne quis crederet, ita nos ex nobis habere iustitiam, sicut ex nobis habemus peccata. Itaque gratia dicitur *vita æterna*, non quia non sit merces meriti; sed quia ipsa merita habemus ex gratia, tanquam ex radice, sine qua, nostra opera non sunt valida. Ideò

82 notat S.Bonauent. *ad* 1. *Ioan.* è D. August. *tract.*3. *in Ioan.* dixisse Euangelistam: *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*; cùm tamen Apostolus 1. Tim. 4. dicat: *Reposita est mihi corona iustitiæ*, quod si corona iustitiæ est, non est gratia. Hoc autem dixisse, quia gratiam indigni accepimus, qua mereremur: Et ideò ipse D.Augustinus *epist.*105. ait: *Cùm coronat Deus merita nostra, nihil aliud coronat quàm munera sua.* Et *lib. de Gratia, & lib. arb. cap.*5. & 6. & *de corrept. & gratia, cap.*13. & sparsim *Tom.*7. eandem doctrinam habet: Consideratâ verò gratiâ cum nostra operatione, mercedem habent.

83 Hoc responsum accepit Vasquez *num.*49. vbi plures alios textus soluit, nobis oppositos ab aduersariis, in quibus gloria dicitur misericordia, Psalm. 102. *Qui coronat te in misericordia, &c.*

Obiiciunt tertiò illud Lucæ 17. *Cùm feceritis hæc omnia, dicite: serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Qui autem facit tantùm, quod debet, non habet meritum: Ergo.

Respondet D.Bonauent. *ad* 3. primò è D. Ambrosio *lib.*8. *in Lucam.* Agnoscendam nobis donari gratiam, ità, vt non ignoremus naturam. Itaque ex nobis seruos inutiles esse ineptos prorsus ad ea implenda, quæ Dominus præcipit; tamen per eius gratiam vtiles effici, iuxta id 2. Tim.2. *Qui emundauerit se ab his, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Idem habet *in Meditationibus vitæ Christi, capite* 2.

Respondet secundò, seruos inutiles dici nos posse, quia nihil facimus vltra id, quod debemus, & nihil inde iustæ mercedis petere possemus, nisi Deus liberali pacto nobiscum conuenire dignatus esset. Meritum enim condigni non ponit necessariò obligationem, ex natura rei operatæ, in retribuente; sed sufficit ordinatio operis in obsequium eius, qui paciscitur, ac spondet præmium. Citatur à Bellarmino D. Augustinus *serm.*3. *de Verbis Domini*, sed ibi non inuenitur. 84

Respondet tertiò S. Bonauent. ad eum locum Lucæ ex Beda, seruos nos esse inutiles, non quia opera nostra bona non habeant pro mercede vitam æternam, vel pro fructu; sed quia solùm vtilia sunt nobis, & nihil ex hoc Diuinæ bonitati conferimus. Sic *Psalm.* 75. dicitur: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*; & nihil facimus in comparatione eius, quod recipimus, cùm essemus indigni. Has responsiones laudat Bellarminus *cap.*5. 85

Respondet quartò ex Glossa, his admoneri nos esse debitores Deo, qui venit olim nobis ministrare, ne operibus nostris confidamus, sed examen eius expauescentes, omnibus, quæ præcepta sunt, impletis, nos imperfectos agnoscamus. Vnde Propheta clamat Psalm.115. *Quid retribuam Domino? &c.* 86

Respondet quintò è D.Chrysostomo in illud: *Elatum est cor Oziæ*, verè nihil esse quoad entitatem, & durationem id, quod operamur, comparatum cum præmio, vt dicitur Rom. 8. *Non sunt condigna passiones, &c.* Hinc ergo nos doceri humilitatem, vt ad perfectam gloriam disponamur. Vnde hæc humilitas perfecta, quæ totum Deo adscribit, erit in Patria. Propter quod Apoc. 4. *Procidebant viginti quatuor seniores.* Et in statu Viæ, Dan. 9. *Nobis confusio faciei, principibus, & patribus nostris, qui peccauerunt. Tibi autem Domino Deo nostro misericordia, & propitiatio.* Eodem modo respondet S.Bonauent. etiam in Diæta salutis *tit.*10.*cap.*5. in fine, & *tit.*3.*cap.*2.

Vasquez à *num.*53. has responsiones carpit; & primò quidem omnes simul, quia si ex allatis motiuis tantùm dicere debemus: *Serui inutiles sumus; quod debuimus facere fecimus*; non solùm dè operibus præcepti, sed etiam consilij, id deberet dici; nam etiam hæc sunt à gratia, & serui inutiles dici possumus; nisi enim Deus addidisset sponsionem, non possemus iure præmium exigere; eaque opera sunt vtilia nobis, non Deo; & iudicium in his etiam debemus expauescere Domini, & humiliari. 87

Expositionem verò secundam negat esse D.Augustini: Nam explicat ibi, non illud *Lucæ* 17. citatum: sed id Ioan. 15. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Et inquit: *O magna bonitas Dei, cui pro conditione reddere debeamus obsequia, vtpotè serui Domino, &c. amicitiarum nobis præmia repromittit, vt à nobis obsequia debita seruitutis extorqueat.* Ego autem ibi nil inueni, *Tomo* 10. 88

Quod verò opponit Vasquez omnibus allatis expositionibus, nullius est momenti.

Nam vt obseruat S. Bonauent. *ad eum locum* ibi comparat seruum hominis, qui facit ea, quæ debet, 89

cum

cum seruo Dei, qui omnia, quæ facit, debet Deo; & arguit à minori ex Glossa: Si homo ab alio homine seruo multiplex ministerium exigit, nec gratias habet; quantò magis, nec vos, qui sine me nihil potestis, non vnius vsum operis exercere debetis, sed semper nouis studiis augere priora? Si enim verum est, in homine, qui sit seruus alterius hominis, seruitia eius magis esse debita, quàm grata; hoc multò verius est in homine Dei seruo: Eo quòd omnia sunt ab ipso. *Omnia opera nostra operatus es Domine*: Isa 26. *Tua sunt omnia* 1. Paral. 29. Et: *Ipse est, qui operatur in nobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.* Philip. 2. Itaque includuntur implicitè etiam opera sancta consilij, quæ in nobis Deus operatur nobiscum.

Nominant verò ea opera, quæ præcepta sunt, quia in eis obligatio est euidentior.

90 Alia multa obiiciunt Scripturæ loca, quæ vel loquuntur de gratia, quæ sine merito datur; vt illud Isa. 55. *Venite, emite absque vlla commutatione vinum, & lac.* Vel sola opera nostra ex suis nudis viribus facta contemnunt, vt Philip. 3. *Quæ mihi fuerunt lucra, arbitror vt stercora.* Vrget Kemnitius verbum *arbitror*, quasi opera, quæ Apostolus faciebat, essent stercora.

Ad illud Apostoli respondetur è D. Bonauent. in Diæta *tit. 5. cap. 5.* Apostolum ibi velle tantùm, se post suam conuersionem ea pro Christo spernere, quæ sibi ante fuere lucra, vt honores, & alia bona mundi; vt gratiam Dei, & Christum custodiat. Addit verò: *Vt inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quæ ex Lege est, sed illam, quæ ex fide, &c.* Quod explicat nostrum responsum.

91 Obiiciunt etiam, iniuriam inferri Christi meritis, dum nostris meritis gloria adscribitur.

Respondetur è S. Doctore *ad 15. Ioan.* Imò glorificari Patrem, & Christum filium eius in nostrorum operum meritis, quod deducit ex illis verbis. *Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis.* Id notat etiam Bellarminus *cap. 5.* in fine.

Obiiciunt quoque aliqua loca Patrum, quæ solùm notant, merita nostra esse dona Dei, quatenus Diuinâ gratiâ innituntur, vt suprà notaui cum D. Bonauent. Vide Bellarminum *capite* 6.

92 Ex his habes primò, ex meritis nostris posse in sanctis oriri spem vitæ æternæ, contra Caluinum *lib. 3. Inst. cap. 2. §. vlt.* vbi vituperat Magistrum; quòd dixerit, spem in Dei gratia, & meritis ponendam.

Probatur verò euidenter à Vasquez *num. 43.* & Bellarmino *cap. 7.* ex illo Rom. 5. *Tribulatio patientiam operatur: patientia autem spem.* Vbi Apostolus ponit spem ortam è patientia; & hic locus est euidens, vt notat Vasquez. Hac authoritate nititur D. Bonauent. *in 3. dist. 26. art. 3. quæst. 2.* vbi ex professo id tractat.

93 Probatur secundò à D. Bonauent. argumento efficacissimo: Nulla est vera spes, nisi sequatur dictamen fidei: Sed fides è Scriptura dictat, operandum esse, atque merendum, vt vitam æternam sperare possimus: Ergo. Maior est euidens, Tob. 4. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam*: Iob. 11. *Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris à te, & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia: tunc leuare poteris faciem tuam: Et habebis fiduciam, proposita tibi spe.* Prima Tim. 3. *Qui enim benè ministrauerit, gradum bonum sibi acquiret, & multam fiduciam*:
94 Heb. 10. *Vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. Nolite itaque amittere confidentiam vestram.* 1. Ioan. 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Confirmatur ex aliis locis suprà allatis, vbi vita æterna promittitur bonis operibus. Ex quibus sequitur, nos nostra spe non posse sperare vitam æternam sine operibus; alioqui Verbum Dei deficeret.

Dices ex D. August. *tract. 83. in Ioan.* & Magistro *in 3. dist. 26.* Spes prior est charitate, & sine ea potest consistere; At non sic charitas sine spe: Ergo spes non oritur ex charitate, & bonis operibus.

Respondet D. Bonau. *in 3. dist. 26. art. 3. quæst. 3.* 95
Spem naturâ suâ esse priorem, quia amatur id, de quo bonum speratur; attamen post amorem oritur fiducia, & spes roboratur, vt dixit *quæstione 2.*

Admonent tamen Sancti Patres, cauendam superbiam, qua adempta ritè orabant Sancti, 2. *Esdræ cap. 5.* Nehemias: *Memento mei Domine in bonum, secundùm omnia, quæ feci populo huic.* Dauid Psal. 17. *Et retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam meam, quia custodiui vias Domini.* Ezechias, Isa. 38. *Obsecro* 96
Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & corde perfecto; & quod bonum est in oculis tuis fecerim. Esther *cap. 14.* idem habet. Sic etiam D. Hieronymus refert, S. Paulum, primum Heremitam, morti vicinum orasse: *Peracto cursu superest mihi corona iustitiæ.* Et Hilarionem: *Egredere anima mea, quid times? Septuaginta prope annis seruisti Christo, & mortem times?* S. Bonauentura narrat in vita S. P. Francisci, eum sic morientem affatum: *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo. Me expectant iusti, donec retribuas mihi.* Lege S. Concilium Trident. *sess. 6. cap. 16.* vbi modus istius Spei habendæ cum timore, &c. laudatur.

Colligitur secundò, licitum esse bona opera 97
facere intuitu mercedis æternæ. Ità Concilium Trident. *sess. 6. cap. 11.* & *can. 31.* Neque verò ex solo mercedis intuitu vult Concilium, nos operari.

Probatur verò contra Caluinum, *lib. 3. Inst. cap. 16. §. 3.* & *cap. 18. §. 2.* & *in Antidoto ad Canonem citandum.* Matth. 4. Christus prædicationem suam sic exorsus est: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum*: quod & præstitit *cap. 3.* eius Præcursor. Et *cap. 10.* Christus præcepit Apostolis, vt ab hoc exordio initium sumerent prædicationis.

Probatur primò à D. Bonauent. ex professo *in 3. dist. 27. art. 2. quæst. 2.* & Psal. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem*: & *Heb. 11.* laudatur Moyses, quia negauerat, se filium filiæ Pharaonis; aspiciebat enim in remunerationem. *Philip. 1.* Apostolus cupiebat dissolui, vt Christo frueretur. Ideò *cap. 3.* dicebat: *Ad destinatum prosequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.*

Probatur secundò ab eodem S. Doctore *in corpore.* ex *Genes. 15.* vbi Deus hortatur Abraham ad fidem, & opera sancta, & reddit rationem: *Merces tua magna nimis.* 98

Probatur tertiò à S. D. *ad 16. Lucæ* ex illo: *Facite vobis amicos de mammona: vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Illos autem, qui recipiunt, esse ob bona opera possessores regni æterni, Probat ex illo Matth. 5. *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum*: & illud Matt. 19. ad Petrum petentem: *Vos, qui reliquistis omnia, sedebitis, &c.* Et Iacobi cap. 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo heredes regni?* Et pro Iudicio, *Matth. 25.* dicitur: *Venite benedicti, &c. quamdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis*: & Matth. 10. *Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.*

Et

99 Et ad 6. Lucæ probat ex illo: *Cùm exprobrauerint vos, & eiecerint nomen vestrum, tanquam malum propter filium hominis; Gaudete, & exultate: quoniam merces vestra multa est in cælo*, nempe ob retributionem, vt notat S. Bonauent. afferens id Rom. 12. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes*. Vrget etiam & Illud Hierem. 31. *Quiescat vox tua à ploratu: quia est merces operi tuo*. Ecclesiastici 36. *Da mercedem sustinentibus te, vt prophetæ tui fideles inueniantur*. Genes. 15. *Ego ero merces tua, &c.* Prou. 11. *Seminanti iustitiam merces fidelis*. Matth. 5. *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, &c. Gaudete, & exultate; Ecce enim merces vestra copiosa est in cælis*. Ecclesiastici 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari: quoniam merces Dei manet in æternum*. Sap. 10. *Reddidit Deus mercedem laborum sanctorum suorum, & deduxit illos in via mirabili, &c.*

100 His adde PP. è quibus S.D. hîc in 3. refert D. Ambrosium *in cap. 15. Lucæ* vbi ad ea verba: *Quanti mercenarij*; ait: *Boni sunt mercenarij, qui spe æternorum Deo seruiunt*. D. Augustinum in Psalm. 7. *Finis curæ, & cogitationis est delectatio*. Ad cap. 6. *Lucæ* refert Bedam *lib. 2. in cap. 6. Lucæ*. Et *ad 16. Lucæ* affert Glossam.

Obiiciunt primò *Ioan*. 10. Reprehenduntur mercenarij.

Respondet D. Bonauent. *in corpore*, & post eum Bellarminus *cap. 9.* dari bonum, & malum mercenarium; & malum esse, qui ex sola mercede seruiens temporali, ob solam mercedem, excluso Deo, relinquit Oues Lupo, & fugit; At bonus mercenarius est, qui respicit ad mercedem quidem æternam, sed etiam ad Dei seruitium. Idem habet S. Doctor *in primo, dist. 1. quæst. 3. ad 1.*

101 Obiiciunt secundò D. Bernardum, de diligendo Deo, vbi ait: *Non sine præmio diligitis. Deus esse absque præmij intuitu diligendus sit: Vacua namque vera charitas esse non potest; nec tamen mercenaria est.*

Respondet S. Doctor, Deo quidem amore amicitiæ principaliter seruiendum, qui est sine intuitu mercedis; at non vetatur, quin & ad mercedem respicias. Ità etiam Bellarminus *loco citato*.

Obiiciunt tertiò, sordidum esse seruire Deo ob mercedem. Deus enim amore amicitiæ est diligendus.

102 Respondet Seraphicus, sordidum esse ex mercede temporali; at seruimus, vt consequamur Deum, qui ob id etiam amore amicitiæ diligi potest.

Hinc aduertit Bellarminus, *cap. 9.* Sanctos detestari eum amorem mercenarium solum, qui exhibet obsequia ob commoda temporalia, vt notat D. Bonauent. hîc è D. Ambrosio *loco citato*. Hieronymo *in 6. Isa*: Augustino *tract. 46. in Ioannem*, Gregorio *homil. 14.* in Euangelia, Bernardo *loco cit.* Idem egregiè sectatur S. Bonauent. *ad 10. Ioan.* ad ea verba: *Mercenarius autem, &c.* præcipuè è D. Augustino *loco citato*.

QVÆSTIO IV.

An ad condignitatem Meritorvm *requiratur Diuina promissio.*

D Bonau. in 2. dist. 27. art 2. quæst 3.
D. Thom quæst. 114. art. 3.

103 Proponenda est iam radix condignitatis meritorum, vt veritas eius elucescat.

Prima opinio est; opera iustorum ex gratia non habere condignitatem cum præmio, sed totam condignitatem, rationemque meriti habere ex pacto, & promissione Dei. Ità Scotus *in primo, dist. 17. quæst. 2. §. Hic potest dici*. Gregor. *quæst. 1. art. 2.* Gabr. *quæst. 3. art. 3. dub. 2. & in 2. dist. 27. quæst. 3. art. 3. dub. 2.* & supplementum eius *in 4. dist. 49. quæst. 4. art. 2. concl. 3.* Ocham *in primo, dist. 17. quæst. 2. §. Ideo dico aliter*. Alphonsus de Castro *lib. 10. de hæresibus; V. meritum*. Vega *opusc. de Iustificatione quæst. 5. ad 1. & 3.* Consentiunt Canonici Colonienses *opusc.* cui Titulus est *Antididagma, cap. de præmio bonorum operum*, quod est 12. & *in Enchiridio*, quod addidere Concilio Coloniensi *Tit. de Iustificatione, §. Et vt semel*. Ioan. Bunderus *in Compend. concert. tit. 6. art. 5.* Vvillielmus Parisiensis *tract. de meritis, cap. vnico*.

Secvnda opinio est, opera iustorum ex gratia, absque vlla promissione, vel acceptatione, condigna esse vitâ æternâ: at verò multò maiorem dignitatem è meritis Christi sortiri. Ità Alphonsus Viruesius Episc. Canariensis *Philippica 4. contra dogmata Lutheri*. Tapper. *art. 11. §. In particula secunda*. Lindanus *lib. 3. Panopliæ Euangelicæ, cap. 20. §. Cæterum*. Hosius *in Confess. Catholica, cap. 73.* Iacobus Paiua *lib. 6. orthodoxarum explicationum, §. Non solum autem*. Franciscus Horantius *lib. 1. de locis Catholicis, cap. 67.* sub fine, & *cap. 69.* circa medium. Caietanus *Tom. 3. opusc. tract. 10. cap. 9.* 104

Tertia opinio ait primò, valorem meritorum absque vllo pacto meritis iustorum adscribendum hoc ipso, quòd ex gratia fiunt. Secundo, nullam accessionem dignitatis addi ex persona, vel meritis Christi. Tertiò, pactum similiter, & promissionem, quam concedunt interuenire, nullum meritis pretium addere.

Et quidem quoad primam partem, præter Doctores adductos pro secunda sententia, citatur D. Thomas *quæst. 114. art. 3.* Richardus *in 2. dist. 27. art. 2. quæst. 3* Franciscus Romæus *lib. de Libertate, & necessitate operum, verit. 22.* Caietanus, & Contadus *ad art. cit. D. Thom.* Capreolus *in 2. dist. 27. q. 1. art. 3. ad 3. 4. 5. & 9.* Driedo *de capt. & redempt. Generis humani, tract. 2. cap. 2. part. 3. art. 3. prop. 6.* Clichthouæus *in Libello*, cui Titulus: *Improbatio quorundam articulorum Lutheri*. Iodocus Tiletanus *Apolog. decretorum Concilij Trident. tit. de bonis operibus, super cap. 11. sess. 6. quæst. 4.* Vincentius *lib. de Gratia Christi, quæst. 6. punct. 766.* Vasquez *disp. 214. cap. 4.* qui duas etiam alias partes tertiæ sententiæ sustinet; Secundam quidem cum Vega *lib. 15. super Concilium, cap. 15.* Tertiam verò cum authoribus secundæ sententiæ. 105

Qvarta sententia est D. Bonauent. *in 2. dist. 27. art. 2. quæst. 3.* ad meritorum condignitatem duo requiri, dignitatem operum ex Gratia; & pactum, seu promissionem Dei liberam. Illum secuti sunt Martinus Pictor *in Libello*, cui titulus: *Symmachia aduersus epitheses hostium fidei, fol. 39.* Hosius, *loco citato*. Concilia, Moguntinum sub Archiepiscopo Sebastiano, *anno* 1549. Senonense *cap. 16.* Tridentinum *sess. 6. cap. 16.* vt infrà referam. Gregorius Valentia *disp. 8. quæst. 6. punct. 4. §. 1.* Bouctius *exam. 2. errore 10.* Bellarm. *lib. 5. de Iustific. cap. 14.* Suarez *tom. 4. 3. part. disp. 37. sect. 8.* Fulliensis *lib. 4. cap. 11.* & in scholis, eam hac ætate, à Theologis plausu exceptam fatetur Vasquez *cap. 3. & 8.* & ideò ad eam euertendam, se pluribus, præter morem, pugnaturum minatur. Pro fundamento vide Seraphicum *5. part. Breuil. cap. 2.* quod verè est aureum. 106

Assero primò, merita nostra, ex gratia procedentia, habere condignitatem cum præmio. Antequam 107

quam verò illud probem; Noto, aliquos etiam hæreticos concedere merita nostrorum operum, sed è sola Dei benignitate, & promissione. Ita Vuitembergenses *in sua confessione*, nomine Ducis oblata in Concilio Trident. vt refert Petrus Soto, *lib.* cui titulus. *Assertio Catholica*, *tit.*8. Confessionistæ Augustani, Caluinus, relatus ab Horantio, *lib.*1. *de Locis, cap.*66. Kemnitius relatus à Tiletano *loco citato*. Attamen dissentiunt à Theologis, quia tenent, ideò opera nostra non esse alicuius meriti, quia peccata; vt notat Vasquez *num.*13. At verò Catholici non modò tenent, opera illa ex gratia, esse absque peccato; sed etiam, quia credunt, esse alicuius meriti, quippè ex radice gratiæ; quamuis non habeant proportionem aliquam cum præmio vitæ æternæ; in quo deceptus est Vasquez, putans, in priori tantùm diefferre à Sectariis, cùm longius distent. Ab authoribus verò quartæ

108 sententiæ discrepant, quia illi cum Seraphico tenent, proportionem meritorum ex gratia cum præmio æternæ vitæ, sed ad perfectionem eorum; vt, nempe Deus, aliquo titulo, non quidem iustitiæ propriæ, teneatur ea merita acceptare, requiri Diuinam promissionem. Dant exemplum: Si enim aliquis tota die operaretur in vinea alicuius, eo nesciente, & mereretur siclum; posset Dominus vineæ dicere: Quis te vocauit? & nolle soluere, etiamsi opus illud mereretur siclum; interueniente verò pacto, iam meritum est perfectum.

109 PROBATVR à Vasquez diffusè argumento, quod substantialiter est D. Bonauent. innititur autem Scripturis suprà allatis, in quibus exprimitur commensuratio operum, tanquam meriti, laboris, operis, & belli, cum mercede, corona, & brauio. Sic in conuentione ex denario, ait Paterfamilias: *Ite in veniam meam, & quod iustum fuerit dabo vobis. Tolle, quod tuum est, &c.* Si autem tota illa retributio inniteretur promissis, aut saltem in aliqua solùm parte, vt vult Scotus *loco citato*, §. *Hic potest dici*, & alij, nunquam ad rationem iustæ mercedis, aut coronæ perueniret. Requiritur ergo æqualitas, non quidem mathematica rei cum re, sed proportio, & æqualitas dignitatis, & proportionis. Non enim iustitia propriè est nostri ad Deum, vt ostendi *p.p. disput.* 19. *quæst.*1. & 2. vt notat Vasquez *num.*29. post D. Bonauent. hîc.

110 PROBATVR secundò à S. Doctore *loco cit.* quia gratia est quædam participatio Diuinæ naturæ, vt ait D. Petrus *epist.* 1. & reddit hominem Deo acceptum, & ad hoc ordinata est, vt ad Deum conducat; habet in suis operationibus commensurationem cùm gloria, cui comparatur, & ad quam ordinatur, cùm sit veluti semen gloriæ, vt innuit Apostolus.

CONFIRMATVR ex arduitate operis, & nobilitate, qua supra vires eleuatur operans ex gratia.

ASSERO secundò, condignitatem in ratione meriti, cui debeatur præmium, requirere etiam Diuinam promissionem. Sicut autem Vasquez plures Arietes mouet ad eam assertionem euertendam; ita nos firmissima apponemus propugnacula, & vndequaque longe, lateque muniemus, vt inconcussa permaneat.

111 PROBATVR ergo primò à Suarez, Bellarmino, & aliis, ex illis Scripturis, quæ condignitatem è Diuina promissione auspicantur. Afferunt verò id *Rom.* 8. ait vbi: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro; quòd sumus filij Dei. Si autem filij & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Existimo enim, quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Vbi grauiter notandum, ad opera nostra, naturâ suâ non condigna, reddenda tamen condigna, requiri gratiam adoptionis, & promissionem Spiritus sancti, qui testatur nos filios, & hæredes, si tamen compatimur. Hoc habet Græca traductio, vbi loco verborum: *Ipse spiritus reddit testimonium, quòd sumus filij Dei*, habet: *Contestatur*, id est simul per ea, quæ sequuntur, protestatur; quod simus filij Dei, si per gratiam simus renati; quod si filij, & hæredes; hoc consequemur, si opera fecerimus ex gratia. Ratio verò, cur tot requisita sint, est, quia non sunt condignæ, id est adeò dignæ, vt mereantur exigere à Deo gloriam illam. Id confirmant PP. Concilij Senonensis, infrà referendi.

QVÆ cùm ita sint, non solam adoptionem per gratiam requirit ad opera, quæ non sunt condigna, reddenda condigna; sed etiam protestationem Spiritus sancti, quod Vasquez *num.* 83. obseruare noluit, vel non forsan valuit. 112

PROBATVR secundò à D. Bonauent. Bellarmino, & aliis, è conditione hominum, qui cùm serui sint, quique omnia à Deo accipiant, nequeunt obligare Deum ad ea operà acceptanda ad præmium æternum. Id Dominus *Luca* 17. asserit, in similitudine illa serui, *quæst. præcedenti*, allata, vbi Christus graui Epiphonemate claudit. *Sic & vos, cùm feceritis hæc omnia, dicite: serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Oportet autem cùm D. Bonauent. perpendere, nos omnia Deo debere, vt nihil nostrum sit; vnde nil nostri Deo damus. Ideò Iob 35. *si iustè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Et Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Nam ex ipso, & per ipsum sunt omnia.* Vnde D. August. *serm.*16. *de verbis Apostoli*, ait: *Debitor nobis factus est Deus, non aliquid accipiendo; sed quod ei placuit promittendo.* Et D. Fulgentius *in Prologo librorum*, ad Monimum. *Nam & seipsum sua largitate dignatus est facere debitorem.* Et D. Bernardus, lib. de gratia, & lib. arb. *Promissum quidem ex misericordia, sed tamen ex iustitia persoluendum.* 113

EADEM ferè verba cum illis Sanctis, habet Seraphicus hîc, (intelligo iustitiam latè.) Deus igitur cùm sit supremus omnium Dominus, ex quo omnia, non potest obligari, nisi spondeat liberaliter, vt notat Suarez *loco citato*, cum D. Bonauent. Id verò confirmant hoc sensu Theologi *in Comitiis Augustanis*, infrà afferendis. 114

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. argumento, quo nituntur cæteri. Ex ratione mercedis, quæ fertur in parabola Matth. adducta, vbi necessaria ponitur conuentio: *Conuentione autem facta ex denario diurno, misit eos in vineam.* Si enim aliquis in agro alieno laboret sponte absque pacto, non tenebitur Dominus soluere titulo mercedis. Dicet enim: *Quis te conduxit?*

RESPONDET Vasquez *num.* 91. ità inter homines esse; sed laborem istum non habere rationem meriti, sed potius valoris pretio æstimabilis: At meritum non secundum valorem, & pretium computatur, sed quatenus est passio actionis studiosæ.

SED hæc reiecta sunt, quæstione præcedenti, in Notandis pro nostra sententia. Addit Vasquez, exemplum allatum potiùs probare, opera nostra esse condignè meritoria absque pacto, & constituere Deum debitorem ex iustitia dati.

Perinde enim se habet homo obseruando Legem, sicuti, qui colit agrum Domini iubentis, etiamsi non conueniat de mercede. Hic enim debitor constituetur, & cogetur à iudice ad soluendum; quia iussio, & consensus habent vim pacti ad inducendam obligationem iustitiæ, si aliàs est materia idonea *dati*, & *accepti*. 115

accepti. Ergo similiter, qui Legem Dei iubentis obseruat, absque alio pacto constituit sibi Deum debitorem.

116 Respondetur facilè è D. Bonauent. *locis adductis, quæst. præced. ad 17. Lucæ*, & hîc, paritatem longiùs distare, quàm cœlum à terra. Homo enim cùm sit Deo in omnibus seruus, ac omnia à Deo accipiat, eique omnia debeat, non potest inducere obligationem in Deum, sicuti potest homo, qui non omnia debet Domino, nec habet ab illo; & ideò, si iubeat, intelligitur eum conducere æquitatis pretio.

Præterea, si stemus in comparatione mathematicè (quod in parabolis non esse faciendum, admonet ipse Vasquez) Deus præcipit paciscendo: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, ideò implicita in omnibus præceptis est promissio; sicuti etiam in Domino vineæ, dum vocat alium ad culturam suæ vineæ; cum hoc discrimine, quòd merces hominis æstimabitur à Domino vineæ, qui si deficiat, vt verè potest deficere, cogendus erit à Iudice; hæc verò in Deo cadere nequeunt.

117 Probatur deinde authoritate CC. Primò quidem Concilium Moguntinum suprà recitatum *in Methodo de doctrina Christiana, cap.8.* sic habet: *Ea verò, quæ iustificati iam membra sua exhibentes arma iustitiæ in sanctificationem, fide per dilectionem operante, fecerint opera; tum quia benè operantibus, & in ipso sperantibus mercedem misericorditer promisit; tum etiam, quia huiusmodi iustificatorum opera, quæ Dei effectus sunt, & mouente, & adiuuante Spiritu sancto fiunt, verè bona, & Deo grata, ac remuneratione vitæ æternæ digna esse.* Idem habetur *in Libello*, edito in Comitiis Augustæ, anno 1548.

118 Respondet Vasquez *num.* 12. Concilium potiùs fauere opinioni Scoti.

Contra primò, quia Concilium asserit, opera esse digna remuneratione ex gratia; esse autem dignum, est esse meritorium, apud Sacras litteras ex Vasquez *disput.* 213. *cap.* 6. ex quo supposito concedit Vasquez hîc *num. citato*, fauere nostræ sententiæ.

Respondet secundò, Concilium forsan loqui de futura remuneratione, quæ ex vtroque capite oritur; non de natura meriti.

At verò clarè asserit dignitatem ipsam meriti, etiam in promissione.

Quoad Libellum verò allegatum, verba sunt recitanda, quibus Theologi illi Patres nostram sententiam astruunt: *Et quamquam opera hæc* (nempe iustorum) *talia, vt Deus iure quodam suo ea à nobis exigere possit, & sancti etiam omnia, quæ eis præcepta sunt, fecerint, & agnoscere, & dicere debeant se seruos inutiles, tamen cum ex charitate profluant, & gratiæ Dei effectus sint, ac quia Deus secundum suam voluntatem operantibus mercedem liberalissimè promisit, eadem & temporalium bonorum, & æternæ vitæ remuneratione dignatur.*

119 Respondet Vasquez *num.*14. eos Theologos non dicere, opera nostra esse meritoria ex duplici illo capite, nempe & quia à charitate profluunt, & quia Deus promisit: sed ex his duabus causis Deum dignari hæc opera remuneratione æterna, quod idem est, ac dignè ea remunerare.

At quidem excruciot animi, hunc authorem sæpius constructiones extorquere Grammaticas. Reddunt igitur hi Theologi rationem, ob quam opera ex natura sua non sint meritoria vitæ æternæ, vt eam exigere mereantur à Deo: nempè, quia serui sumus supremi Domini: Attamen quia ex charitate profluunt, & Deus addidit promissionem liberaliter acceptando ea ad mercedem, fiunt digna, seu condigna: quod apud Vasquez *disp.*210. *num.*10. est idem.

Concilium quoque Senonense nobis fauet *c.*16. 120
vbi de meritis ita loquitur. *Facietque tandem misericordia locum vnicuique iuxta meritum operum suorum, non absoluta condignitate quidem; neque enim condignæ sunt passiones huius sæculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, sed gratuita magis, & liberali promissione.*

Respondet Vasquez *num.*13. Concilium loqui de futura remuneratione, non de eo, quod constituit meritum; neque enim negat dignitatem absolutam operum, quia existimet, dignitatem illius prouenire ex promissione, & pacto Dei, sed quia non erant satis ad constituendum Deum debitorem tantæ mercedis, nisi ipse liberè promisisset, cùm liberè etiam sine iniuria posset negare.

Iam quis non videt, Vasquez in sua expositione 121
deficere? Ratio enim mercedis humanæ ex pacto fit talis completè, vt suprà vidimus: At Patres negant absolutam operum condignitatem, relatiuam tamen addendam dicunt ex promissione, qua fiunt condigna.

Præclarum verò est testimonium Concilij Trident. *sess.*6. *cap. vlt.* vt ritè obseruant Bellarminus, Valentia, & alij, vbi sic eloquitur: *Atque ideò benè operantibus, vsque in finem, & in Deo sperantibus* (En grauissimam sententiam) *proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissa; & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda.*

Vbi Patres dicunt, vitam æternam esse mercedem 122
ex Dei promissione; Si autem opera iustorum ante promissionem habent rationem meriti; eodem modo & vita æterna ante promissionem haberet rationem mercedis: Ratio enim mercedis ex promissione non penderet, si ratio meriti in operibus iustorum ex promissione etiam non oriretur. Cùm igitur mercedis ratio ex promissione emergat; sequitur, etiam opera iustorum, quantumuis ex se digna sint, non habere rationem meriti sine promissione.

Respondet Vasquez *num.*88. Illud *ex promissione* non debere coniungi cum mercede, quasi sensus sit, vitam æternam habere rationem mercedis ex promissione, sed coniungi cum illo: *Bonis eorum operibus, & meritis fideliter reddenda*: hoc est, habet ex promissione, vt fideliter reddatur.

At verò quot (Bone Deus,) excogitat in Sa- 123
cris litteris Catechreses, Metalepses, aliosque orationis næuos: Nonne rectè Concilium id nouisset exprimere?

Præterea cùm dicat: *& tanquam merces ex promissione*, est sanè causalis: Vocula enim (*ex*) reddit rationem proximè dicti. Confirmatur; nam duo capita ponit, ex quibus datur gloria, *& vt gratia misericorditer promissa*, vbi fidelitas assignatur, *& tanquam merces ex promissione bonis operibus reddenda.* Quod verò non coniungatur cum illis verbis: *Fideliter, &c.* vt putat Vasquez, patet, nam statim Concilium reddit rationem sui dicti: *Hæc est enim illa corona iustitiæ, quam post suum certamen, & cursum, repositam sibi esse aiebat Apostolus, à iusto iudice sibi reddendam: non solum autem sibi, sed & omnibus, qui diligunt aduentum eius.* Assignat autem rationem supradictorum, non quidem fidelitatis: sed mercedis, & coronæ, quæ obligationem inducunt, consimilem iustitiæ communiter dictæ, vt fatetur Vasquez *disp. præcedenti.*

124 Vrgeo alia verba S. Concilij sequentia, quibus magis nostrum dictum roboratur. *Cùm enim* (subdit) *ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat; quæ virtus, bona eorum opera antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent: nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quo minus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, Diuinæ Legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur: Cum Christus Saluator noster dicat*: Ioan. 4. *Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* En quomodo hac promissione fundat, illum promeruisse vitam æternam. Hæc sanè verba omnino refellunt Vasquium. Nam verba hæc sequentia sunt rationes antecedentium, vt patet, dum inquit: *Cùm enim.*

125 Probatvr etiam è propositionis secundæ Michaelis Baij damnatione, facta à Pio V. Hæc est autem propositio:

Sicut opus malum ex sua natura est mortis æternæ meritorium; sic opus bonum ex sua natura est vitæ æternæ meritorium.

Negabat igitur Baius, ad meritum requiri promissionem; sicuti ad demeritum etiam non exigitur.

Respondet Vasquez *cap.* 13. Baium voluisse, opus bonum sine gratia esse meritorium ex natura sua; sicut opus malum est demeritorium ex se.

126 Sane si crediderim eruditissimo Bellarmino, quem ipse Vasquez *disp.*190. *num.*174. allegat Bullæ interpretem, quippe qui fuerit Louanij, quo tempore exortæ sunt contentiones; & Romæ, cùm prædicta Bulla fuerit edita, & confirmata; cogor reuincere ipsum Vasquez: Nam Bellarminus *lib.*5. *de Iustificatione*, *cap.*14. ait, damnatam esse hanc propositionem, quia negabat, pactum ad meritum interuenire; & ideò subdit, ad opinionem oppositam, quæ est Vasquez, refellendam, satis abundè sufficere Pontificis maximi authoritatem; Attamen addit etiam testimonium Concilij Trident. eo modo, quo nos illud interpretamur. Quo fit, vt cùm solis Cardinalibus, Sacri Concilij Interpretibus, concessum sit explicare mentem Sacri Concilij; cæteris verò potestas adempta; non rectè Vasquez ad suum sensum verba Concilij detorserit.

Probatvr deinde rationibus D.Bonauent. Prima est *arg.*3. *secundo loco.* Ad meritum requiritur non modò condignitas operis; sed etiam, vt opus habeat vim obligandi ad mercedem dandam; At verò nullum opus habet talem vim, quippe suum valorem à gratia habet, quæ gratis donatur à Deo, quem nemo potest obligare, rependendo id, quod ab ipso liberaliter acceperit.

127 Secvnda ratio est. Vbi est meritum naturâ suâ, condignum, ibi est ratio *dati*, & *accepti*. Sed Deus nil potest à nobis primò accipere, vt habetur Psalm. *Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non indiges*: & aliis locis suprà adductis: Ergo non possumus præmium vitæ æternæ ex gratia absque Diuina promissione mereri. Confirmatur à Valentia ex illo Iacobi 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Responsa Vasquez suprà collisa sunt.

Confirmatvr etiam ex D. August. epist.105. 128
Cùm Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quàm munera sua. Et Lib. *de Ecclesiasticis dogmatibus*, *cap.*32. & in Concilio Trident. *sess.* 6. *cap.* 16. vbi dicitur: *Tanta est erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his, quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus*; vt retuli *quæst. præcedenti.* Idem D. August. in Psal.83. *Debitorem Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo; non ei dicitur: Redde quod accepisti; sed: redde, quod promisisti.*

Probatvr etiam argumento D. Bonauent. *in corpore, & ad argumenta*, quo nititur Valentia. 126
Opera bona iustorum non sunt meritoria ex condigno vitæ æternæ, nisi posita obligatione ex parte Dei æternam vitam dandi. Sed hæc requirit promissionem ex Scripturis, & Conciliis allatis: Et probatur à Caspensi *disp.*6. *sect.*4. & Lorca *disp.*43. quia meritum est ius aliquod ad retributionem, quod inducit quandam obligationem: Sed homo non potest habere hoc ius erga Deum, nisi ipse se obliget. Confirmatur à Suarez, & aliis. Quia etiam merita Christi præcessit hoc pactum. Isa: 53. *Si posuerit animam suam, videbit semen longæuum*: Ergo. At non eo ipso, quòd Deus dat gratiam, intelligitur promittere illi vitam æternam, vt sic: Igitur non hoc ipso, quod opus aliquod bonum est hominis in gratia constituti, intelligitur meritorium vitæ æternæ. Confirmatur: Nam hoc ipso quòd opus ex gra- 130
tia proficiscitur, seclusa promissione, suppetit aliquis sufficiens titulus, propter quem Deus debeat compensare tale opus vitâ æternâ. Ergo non eo ipso præcisè intelligitur illud opus esse meritorium vitâ æternâ. Antecedens probatur, quia non debet Deus compensare illud opus ob solam præstantiam, quam habet opus ex gratia; nam longè superat eam præstantiam vita æterna, vt docet D. Bonauent. hîc, & D.Thom. *quæst.*113. *art.*3. *ad* 3. Et confirmat D. Fulgentius *lib.*1. *ad Monimum*, ante medium: Ergo. At esto, opus, vt procedit ex gratia, æqualis esset dignitatis vitæ æternæ; tamen cùm ipsa etiam sit donum Dei, non propter illam solam debet Deus aliquid homini tribuere; sed potius homo debet Deo. Adde in ea claudi pactum, vt ostendi *disp.*3. *quæst.*3.

Respondet Vasquez, eam obligationem esse tantùm veritatis. Cæterùm opera ex gratia habere totam condignitatem, rationemque meriti, atque mercedis.

At in hoc deceptus est, vt suprà ostendi: Nam si 131
tota ratio meriti est à gratia, cur Scripturæ, & Concilia promissioni Diuinæ eam adscribunt?

Deinde ratio veritatis esset superflua; frustra enim Deus promissum adiungeret, si opera ex natura sua haberent totam condignitatem ad gloriam. Quod enim addatur, vt obliget se ad illam mercedem, est per modum contractus, qui etiam apud nos meritum facit in exactione debita; nam absque promissione posset Deus non acceptare ea opera, vt fatetur Vasquez hîc. Ex quo sequitur euidenter, non habere rationem iustæ mercedis, vt suprà satis, superque probatum reliqui. Igitur merita condigna sunt ratione operis, & ratione pacti simul, & hanc sententiam, ait Bellarminus *lib.*5. *cap.*17. esse conformem Concilio Trident.& Theologiæ Principibus, D.Thomæ, & D. Bonauenturæ *locis citatis.* Primum probat ex illo *Ioan: primo*, quo nititur D.Bonauent. *Gratiam pro gratia*: gratia scilicet mercedis, pro gratia meritorum.

Remanet aliquid dicendum quoad id secundæ 132
opinionis; fieri ex meritis Christi aliquod augmentum nostris meritis, quod Vasquez *cap.* 7. pluribus insectatur:

insectatur: Nam sumendo eo modo, quo sumitur à Caietano, Holio, & aliis; eatenus hoc verum est, quatenus Christus est Caput nostrum, à quo totum corpus dignitatem habet secundùm *esse*, & consequenter secundùm *operari*. Hoc Vasquez refellit, quia merita habent dignitatem à persona immediatè operante; non autem à persona, quæ communicat gratiam, eamque meretur operanti; alioqui si ex eo capite nostra merita augerentur, iam crescerent in infinitum, sicut merita Christi, & mererentur de condigno aliis gratiam; sicuti etiam Christus; similiter & gratia, ex qua operamur, esset ità gratuita, & nobilis, ac si à Deo daretur absque meritis Christi.

133 Ego quidem arbitror, hæc non omnino consona esse Concilio Trident. *sess. 6. cap. 16.* vbi, adducto Apostolo, Hebr. 10. *Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem; Et, benè operantibus proponendam vitam æternam; & tanquam gratiam filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissam, & tanquam mercedem, &c.* Subdit: *Cùm enim ille ipse Christus Iesus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent; nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quo minus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, Diuinæ Legis pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam consequendam. Cùm Christus Saluator noster dicat: Ioan.4 Si quis biberit ex aqua hac, non sitiet in æternum: sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Vbi videtur, aliquam dignitatem Christi meritis adscribere, in nostra merita augenda profluentem.

134 Quamuis enim meritum ex operante immediato sit, tamen ex morali vnione cum Christo, quis audeat negare, aliquam nobis dignitatem in operibus prouenire? sicuti nullus negabit, prouenire ex ipso, quòd simus membra ipsius. Operari enim sequitur ad esse.

Ponderat id D.Bonauent. ad illud Ioan.15. *Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Vbi nostram dignitatem, è filiatione Christi, cui nos iungimur, prouenientem prosequitur.

Et ad *cap.4. Ioan.* ad ea verba adducta à Concilio Trident. *Fiet in eo fons aquæ salientis*, id est, *eleuantis*, ait S.Bonauentura.

135 Confirmatur à Caspensi *disp.6. sect.9.* Quia per hanc gratiam efficimur fratres Christi. Confirmatur à Granado hìc *disp.2. sect.4.* Nam Ecclesia in singulis orationibus postulat, merita sua vniri cum meritis Christi.

Ad Vasquez respondet, licèt gratia per Christum non sit alteriùs entitatis physicæ, sortitam tamen esse entitatem nobiliorem moralem, ob coniunctionem cum meritis infinitis nobilissimi Capitis; Ex quo tamen non sequitur, obtinere totam eorum dignitatem, vt infert, absque fundamento, Vasquez, & ostendam 3. *part. tract.1. disp.3. quæstione 6.*

Obicies primò cum prima sententia, Concilium Senonense allegatum, Concilium Trident. *loco cit.* & Rom.8. *Non sunt condigna, &c.*

136 Respondetur ex dictis, ea adscribere misericordiæ Dei voluntariam promissionem, nedum radicem meriti, quæ est gratia; posita verò operatione cum gratia, ex promissione iam condigna sunt; qua doctrina etiam ratio aduersariorum ruit. Nunc cum proxa Vasquez rationum acie pugnandum.

Obicitur primò cum Vasquez, & aliis Theologis tertiæ sententiæ. Si ad rationem meriti requiritur promissio; sequitur multos iustos per bona opera non meruisse vitam æternam. Probatur sequela, quia vt promissio constituat Deum nobis debitorem; requiritur, vt sit nobis nota, & acceptata, vt patet ex materia contractuum; At multi ignorarunt promissiones Dei: Ergo.

Miror Vasquez dissimulare id, quod sæpe docuit, pactum hoc non esse mutuum, sed solum decretum; non enim promissio interuenit ad inducendam obligationem propriæ iustitiæ: Nam condignitas meriti solum dicit sufficientem ordinationem ad tale præmium, vt notat D. Bonauentura *ad 3.* Iam enim diximus, promissionem solùm id facere, vt id, quod æquale est præmio, efficiat, vt à Deo acceptetur, & habeat rationem meriti, formaliter completi, atque mercedis; cùm alioqui eam rationem completam non haberent. 137

Præterea dico, hoc pactum, seu potiùs hanc propositionem notificari omnibus credentibus, & ab eis acceptari, vt habetur Heb.11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia remunerator est.*

Quod verò ait Vasquez, debere esse cognitionem explicitam beatitudinis æternæ, vt vera iustitia interueniat, nobis non officit, qui non admittimus, intercedere iustitiam propriè; neque hoc est necessarium, vt notat S.Bonauent. hìc. 138

Obicit secundò. Sequeretur, hominem non mereri incrementum gratiæ per opera remissiora. Probatur seq. quia adhuc ex fide non habemus promissionem; neque de fide adhuc statutum est, omnem iustificationem fieri per infusionem habitus gratiæ.

Respondetur, ex Theologia nos habere per infusionem habitus fieri iustificationem; & ideo ea certitudine, qua scimus hoc, scimus etiam alterum. Male autem infert Vasquez ex eo, quod non est definitum de fide, iustificationem fieri per infusionem habitus, non augeri gratiam: Debuit enim inferri eodem modo, non esse definitum, fieri tale incrementum. Præterea ad hoc, vt fiat tale augmentum, sufficit extare Diuinam promissionem, etiam nobis ignotam, quippe quæ non ordinatur ad contractum mutuum ex iustitia, sed ad hoc solùm, vt Deus acceptet in meritum vitæ æternæ, eamque debeat, vt mercedem. Idem dic de augmento gratiæ per actus remissiores. Concedo enim non fieri tale augmentum, vt ostendam *quæst.12.* neque tale non fieri, est absurdum, quippè nec vlla extat de hoc promissio; imò plurimi Theologi cum D.Bonauent. stant, negantes tale augmentum. 139

Obicit tertiò. Si ad rationem meriti requiritur promissio Dei; sequitur merita mortificata non reuiuiscere integrè; imò nulla ratione viuificari, saltem in his, qui putant, ea non viuificari. Idem dicitur de his, qui talem reuiuiscentiam nunquam audierunt. Eadem ratione sequitur, neminem iustum mereri per opera non imperata à charitate, etiam moraliter bona, si putet, Deum promisisse mercedem solis imperatis à charitate. 140

Respondetur ex dictis, negando sequelam; sequitur enim tantùm ea certitudine verum esse vnum, quâ verum est etiam promissio, quam nullo pacto necesse est esse cognitam merenti, vt dixi. Itaque si Deus aliter decreuisset, aliter etiam fieret, quàm nunc. 141

Obicit quartò. Sequeretur, meritum Christi esse finitum. Probatur sequela: Ratio meriti per vos requirit promissionem; Sed promissio facta Christo fuit finita, vt dixi *ex 50. Isaiæ.* Ergo.

Respondet ipse Vasquez, hoc argumentum esse infirmum; quia licèt merita Christi sint infinitæ

 dignitatis,

dignitatis, tamen non fuerunt oblata pro infinitis, sicuti necesse erat ad hoc, vt executio remunerationis esset infinita; & ideo finita hoc sensu conceduntur.

142 Obiicit adhuc ipse quintò; Sequeretur, satisfactiones Christi ad Deum ineptè dici de rigore iustitiæ. Nam penderent ex voluntario, ac libero pacto Dei creditoris, & acceptatione eius; at verò licèt merita Christi non fuerint de rigore iustitiæ propriè; quia iustitia propriè non est in Deo ad retribuendum, tamen fuerunt de rigore secundùm æqualitatem condignitatis.

Deinde sequeretur, validius fuisse peccatum ad inferendam nobis mortem æternam, quàm meritum Christi ad restituendam nobis gratiam. Siquidem peccata nostra suapte natura, absque vlla comminatione, merentur æternam pœnam; At merita Christi non potuerunt mereri absque promissione; hoc autem absurdum est; nam plures Pontifices Maximi, nempe Caius I. *in epist.* quæ habetur *Tom. primo, Conciliorum*, Leo I. *serm.*22. *de passione*, & *epist.*95. *aliàs* 97. *cap.*92. & *epist.*91. *aliàs* 83. Agapitus *epist.*1. dicunt, validius fuisse donum libertatis, quàm debitum seruitutis; quod hoc sensu intelligendum est, peccata minus efficacia fuisse ad damnationem, quàm Christi opera ad redemptionem nostram; eò quòd merita Christi fuere abundantiora, & magis condigna.

143 Tertiò sequeretur, Christum non meruisse condignè Patribus gratiam, cum tunc nullum pactum extaret inter Deum, & Christum.

Respondet D.Bonauent. *in* 3. *dist.*20.*quæst.*5. pactum inter Patrem, & Christum fuisse initum de redimendo genere humano, quo supposito, tenebatur Pater acceptare satisfactionem Christi, & ita de rigore fuit ei satisfactum, non quidem legibus iustitiæ propriæ, vt ostendam 3. *part. Tract. de Saluatore disp.*3. *quæst.*7. sed ita, vt condignitas æqualitatis esset in Christi meritis, supposito pacto cum Patre.

144 Ad secundum absurdum respondeo ex D. Bonau. *ad argumenta*, nil absurdi esse, peccatum absque comminatione inferre pœnam; merita verò exigere promissionem: Nam plura ad bonum constituendum requiruntur, cum debeat esse ex integra causa; quàm ad malum, quod fit ex quouis defectu: Neque verò in germano sensu intento à Pontificibus, sequitur, validius fuisse peccatum ad mortem, quàm meritum Christi ad vitam; nam adhuc merita Christi dextruxerunt peccatum, induxerunt bonum infinitum, extensibile ad infinitos homines, si darentur; plurima quoque bona è malo eruit.

145 Ad vltimum absurdum respondetur ex D. Bonau. *loco cit.* & *dist.*18. *quæst. vlt.* & alibi passim *dist.*10. Patrem promisisse remissionem, eamque exhibuisse in meritis Christi, certò futuris, ac prædestinatis; atque ideò non eo modo, quo aliquis homo dat alteri equum sola spe solutionis humana, vt putat Vasquez *num.*67. hoc enim non exprimit certitudinem prædestinationis meritorum Christi, qua posita cum Diuina acceptatione, prædestinari poterunt sanctorum merita, his innixa.

Obiicit sextò. Ideò exigitur à vobis pactum, seu promissio, vt interueniat obligatio ex iustitia; sed hæc staret sine pacto, vel promissione, si Dominus vineæ iuberet aliquem in sua vinea laborare, vel videns operantem, in eo sibi complaceret: Cùm ergo iusti, vel ex Dei præcepto, vel beneplacito consilij operentur; sequitur, pactum non fore necessarium.

146 Respondetur primò ex dictis, iussionem, & approbationem æquiualere pacto in materia iustitiæ quidem humanæ, vt fatetur Vasquez *num.*69. Et ideò teneri Dominum vineæ iudicio iudicis soluere adæquatam mercedem; at verò Dominum Deum non statim, ac præcipit aliquid, supponendum velle dare tale præmium vitæ æternæ, eo minus, quo ipse dat gratiam, & virtutem, qua operemur meritoriè, quam Dominus vineæ non dat agricolæ: Et cùm possit præcipere, vt nos, & nostra impendamus in laboribus, quippe quæ sunt ipsius; nil mirum, si ad meritum constituendum, ac mercedem efformandam requiritur eius placita promissio, supplens id, quod deest, ratione dati nobis ad merendum.

Obiicit septimò. Peccatum absque vllo pacto meretur pœnam sibi æqualem: Ergo & opera iustorum merentur gloriam absque pacto. 147

Respondet S. Bonauent. *ad* 3. negando penitus simile. Plus enim in ratione boni excellit gratia, quàm peccatum in ratione mali. Secundo, quia facilius est descendere, quàm ascendere, vt dudum cecinit Poeta.

—— facilis descensus Auerni;
Sed reuocare gradum, ——
Hic labor, hoc opus est. ——

Vult igitur dicere, opus meritorium requirere plura ad sui constitutionem, quippe Bonum fit ex integra causa, & magnum bonum in ordine gratiæ, fit ex magnis causis; Acquirit autem, præter opus iusti, radicem gratiæ, & vt operans sic exigat à Deo maximam remunerationem vitæ æternæ in Diuinæ bonitatis fruitione; At malum solùm exigit defectum liberi arbitrij, declinantis à regula Diuina, auertentis se à Deo, & ideò ratione offensæ meretur à Deo iustissimo pœnam æternam.

Obiicit vltimò. Mereri est bono opere aliquid impetrare. Ergo condignè mereri, erit condignè impetrare. Opera autem iustorum condigna sunt vitâ æternâ, & condignè ea impetrant: Ergo condignè eam merentur. Adde, apud Latinos idem esse *mereri*, & esse *dignum*. 148

Respondetur pro coronide, argumentum ad idem, sæpius repetitum, recurrere. Falsa quoque est definitio meriti, quòd sit impetratio; hoc enim dicitur de merito congruo tantùm, quod imperfectè est meritum, vt ipse Vasquez fatetur *disp.*218. initio, & subinde passim.

Ex his habes primò, Deum suâ promissione se constituere debitorem, non modo sibi, vt concedit S.Thom. *quæst.*114.*art.*3.*ad* 3. sed etiam nobis, quod aliqui Thomistæ negant. Ità concedit D. Bonauent. hîc *ad* 2. quem sequuntur Richardus *eadem dist.*27. *art.*2. *quæst.*3. *ad* 3. Ruardus *art.*15. §. *Vltima difficultas*, Vega *quæst.*15. *de iustificatione*, Natalis Beda *in Annot. contra Iacobum Fabrum*, Vasquez *disp.*215. *capite tertio.* 149

Probatur è D. Augustino *tract.*3. *in Ioan.* in illud: *De plenitudine eius accepimus:* vbi D. Bonauent. ad hoc adducit testimonium D.Augustini, quo nititur Vasquez, num.13. *Audi Paulum flagitantem debitum, qui primo indebitam susceperat gratiam.* Idem habet *serm.*151. *de tempore*, & *in Psalm.*100. & *serm.*10. *de verbis Apostoli.*

Confirmatur ex Concilio Arausicano 2. *can.* 18. vbi dicitur: *debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit, vt fiant.* Idem habent multi Sancti Patres apud Bellarminum *lib.*5. *cap.*16. 150

Neque verò ad rationem debitoris hoc pacto ex benigna promissione requiritur, vt sit inferior; vt deducitur ibi è Seraphico. Si verò aliqui Patres negant, Deum debitorem, loquuntur secluso pacto.

Collige

151 Colliges secundò, posse dici gloriam æternam venialem, seu nobis venditam.

Probatur à D.Bonauent. *in Diata salutis, tit.10. cap.2.* ex illo Matth. 13. *Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas: Inuenta autem vna pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.* Illa enim margarita est, qua texitur corona, Psalm. 20. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso:* eum verò locum Matthæi sic exponunt D. Petrus Chrysologus, *serm.* 47. Haymo Episcopus Halbertatensis, Euseb. Emissenus *in hoc Euangelio*, Euthym. aliique. Idem astruunt plurimi Patres, relati à Vasquez *disp.* 215. *cap.* 2. Quare immeritò Kemnitius hanc propositionem vituperat, quam PP. Iesuitæ communiter docent.

QVÆSTIO V.

An Deus remuneret MERITA *iustorum supra condignum.*

D Bonauent. in 4. dist.46. art.2 quæst.2.

Aliqvid de hoc innui, *p.p. tract.1. disput.* 19. *quæstione* 7.

152 Primo quidem Michael Baius *propositione* 15. ex damnatis à Pio V. & Gregorio XIII. dixit.

Opera bona iustorum non accipient in die iudicij extremi ampliorem mercedem, quàm iusto Dei iudicio mereantur accipere.

Huius sententiæ videtur Andreas Vega *quæst. 5. de Iustificatione*, vt refert Bellarminus *lib.5. de Iustific. cap.*19.

At Vasquez *disput.* 215. *cap.* 4. refert, apud se extare Bullam manu scriptam, quæ dicit: *mererentur*; non *merentur*: & sensum Baij hunc esse. Opera iustorum non accipient in die iudicij ampliorem mercedem, ex eo, quòd sunt opera filiorum Dei, & iustorum, quam ipsa aliàs mererentur accipere, si fierent ab homine, nondum adoptato in filium Dei. Ille enim Doctor Louaniensis docebat, opera iustorum non habere rationem meriti condigni ex spiritu adoptionis filiorum Dei, sed suapte natura, quatenus sunt obedientia Legis naturalis. Hinc eximit Vegam à sententia damnata, quod piè arbitror de Catholico illo viro.

Theologorvm sententia omnium ferè calculis firmata est, Deum suprà condignum reddere præmia beatis. Ita D.Bonauent. *loco cit.* Richardus *in 4. dist.46. art.2. quæst.3.* Scotus *in primo, dist.17.quæst.2. §.Hic potest dici*, D.Thomas, Bellarminus, & Vasquez, suprà adducti.

Assero igitur cum hac sententia, Deum suprà condignum remunerari iustos.

153 Probatur à Bellarmino primò ex illo Matth.5. *Merces vestra copiosa est in cœlis.*

At verò, vt notat Vasquez *num.*24. id solùm significat magnitudinem præmij, & excellentiam, vt colligitur ex D.Bonauent. *ad 6. Lucæ*, vbi hæc verba refert, conferens cum aliis similibus D. Lucæ. Sic & Eccli: 11. *Inuenies retributionem magnam.* Et Psalm.30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, &c.* & *Isa*: 64. & 1. Cor.12. *Oculus non vidit, quæ præparauit Deus, &c.*

Probatur secundò à S. Bonauent. ad 18. Lucæ ad ea verba: *In sæculo futuro accipiet vitam æternam.* Ex illo Lucæ 6. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinus vestros.* Satis autem primis verbis explicatur magnitudinem gloriæ: addit tamen *supereffluentem*, vt ostendat, in præmio essentiali visionis Dei, supereffluentiam, vt dicitur Iob 22. *Tunc super omnipotentem deliciis afflues*, vt innuit idem Seraphicus *ad eum locum Lucæ.* 154

Vasqvez ait, posse hunc locum ità intelligi; attamen non cogi nos ad hunc sensum, quia possemus explicare de abundantia remunerationis excedente id, quod formaliter est in medulla operis nostri, sicuti multi explicant id Rom.8. *Non sunt condignæ passiones, &c.*

At verò sensus germanus hîc noster est: Non enim dicitur mensura præmij, cum opere collata, futura supereffluens; sed in se præmium fore, vt excedat mensuram ipsam, sicuti, si dicerem cadus oleo supereffluit. Igitur mensura est condignitas, seu æqualitas præmij: ea verò supereffluens excedit condignitatem illam, quæ sanè vincit præcisum operum, & passionum nostrarum meritum. 155

Probatur tertiò à D.Bonauenr. *Lucæ* 19. ex illo, qui negotiatus est, & accepit decem ciuitates; postea verò accepit insuper Mnam otiosi, & concludit: *Omni habenti dabitur, & abundabit.* Respondet verò his verbis illi, qui dixerat: *Domine habet decem Mnas.* Et ad hoc adducit D.Bonauent. illud idem cap.6. *Mensuram bonam, &c.*

Respondet Vasquez, neminem eo modo interpretari locum illum, vt loquatur de concessione præmij vltra condignitatem, sed de maioribus gratiis concessis seruo fideli, ab omnibus intelligi; sic (ait) explicat eum locum etiam S.Bonauentura. 156

Verum Doctor Seraphicus id explicat etiam his verbis ad rem nostram de præmio: *Auferte ab illo Mnam, & date ei, qui decem mnas habet.* Astantes vocat eos, qui assistunt ei iudicio, siue Angelos, siue sanctos alios, quorum iudicio, & approbatione præmium correspondens dono inutiliter habito, aufertur, & dabitur gloria, & gaudium dispensatori fideli secundùm illud: *Tene, quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*: Apoc. 3. Habenti cumulum meritorum, dabitur cumulus præmiorum. Mensuram, &c. vt suprà. Eum sequitur Didacus stella nostri ordinis.

Fateor ingenuè, de donis gratiæ hunc locum explicari à Patribus; At debuit Vasquez obseruare, hanc dationem talenti fieri in iudicio ad coronam, non ad vsum, vt grauiter notauit stella *ad hunc locum.* Ideò *Matth.* 25. vbi hæc parabola refertur, dicitur: *Euge serue bone, intra in gaudium Domini tui; quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* Seruus autem piger eiicitur in tenebras exteriores inferni. Idipsum notat Tostatus *ad 25. Matth. quæst.*161. Quamuis autem non sit eadem omnino parabola cum illa *Matth.* 25. vt rectè probat Tostatus *quæst.*90. eandem tamen doctrinam omninò quoad hoc continent. 157

Hoc itidem exponunt de iudicio finali Glossa Interlinearis, & ordin. Catena antea referens multos Patres: Beda, Eusebius, Emiss. Theophylactus, Euthymius, D.Augustinus *Tom.4. lib.2. QQ. Euangelicarum, quæst.*46. & alij, vt videre est *in Bibliotheca Homil. Tom.4. de communi Confessorum non Pontificum.* 158

Dices Rom. 2. *Reddet vnicuique secundùm opera sua.*

Respondet D.Bonau. *in 2. dist. 17. art. 2. quæst. 3.* particulam illam (secundùm) non excludere superabundantiam præmij, sed iustitiam in æqualitate seruandam; ita, vt non detur minus, quam merebatur; seruari tamen etiam misericordiam: *Quia vniuersa via Domini, misericordia, & veritas.*

QVÆSTIO VI.

An damnati puniantur citra condignum.

D.Bonauent. in 4. dist. 46 quæst. 2.

Scholastici suprà *quæst. 5.* nobiscum sentientes, dicunt, etiam cum damnatis mitius agi, quàm mereantur. Idem sentit D. Chrysostomus *homil. 37.* in Genes. eamque sententiam non excludit D.August. *lib. 21. de ciu. cap. 24.*

159 Assero cum hac sententia, quam Vasquez & Bellarminus absque probatione relinquunt.

Probatvr primò à D.Bonau. è Psalm. 76. *Numquid obliuiscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?* Et Psalm. 24. *Vniuersa via Domini, misericordia, & veritas.*

Secvndo. Offendens summum Bonvm, meretur priuationem omnis boni. Ergo meretur amittere & ipsum esse. Cùm autem Deus nullum annihilet, punit citra condignum. Ideò Ierem. 3. dicitur: *Misericordia Domini, quia non sumus consumpti*, vt ait D.Bonauent. *in corpore.*

160 Tertio. Omnis deordinatio exigit ordinem statim; cùm Ergo peccator deordinetur, meretur reduci statim ad ordinem per pœnam; at Deus non sic facit. Ergo punit citra meritum.

Qvarto. Offensa infinita meretur pœnam infinitam. Sed peccatum est offensa infinita, vt ostendi *tract. 3. disp. 1. quæst 4.* Ergo.

Obiicies primò Apoc. 18. *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit; tantum date ei tormenti, & luctus.*

Respondet Bellarminus è D.Bonauent. *ad 1.* solùm exprimi seruari proportionem quandam inter culpam, & pœnam, vt maiori culpæ maior pœna respondeat, & minori culpæ minor pœna; non tamen hinc licet colligere æqualitatem.

161 Vasqvez quasi parui pendens hanc responsionem, respondet *num. 29.* hîc solùm significari in deliciis peccatorum illius mulieris, fuisse talem dignitatem meriti, vt magna illa tormenta eam non excederent: An verò essent æqualia, ibi non significari.

At vel coincidit cum Seraphici responso, vel nihil dicit, nisi admittens æqualitatem. Posset quidem dici, vt notat D. Bonauent. pœnas in ratione pœnarum fuisse æquè intensas, & magis quàm delectatio, & ità ad æqualitatem, imò vltrà puniri.

162 His responsionibus soluit Seraphicus, & id Isa: 41. *Suscepit de manu Domini duplicia.* Et illud Glossæ ad versiculum, Psalm. 71. *Ex vsuris, & iniquitate redimet, &c.* vbi ait: Vsuræ dicuntur peccata; quia plus mali inuenit in suppliciis, quàm commissum est in culpis. Delectatio enim est momentanea; æternum verò, quod cruciat.

163 Obiicies secundò. *Matth. 6.* dicitur: *Non exibis inde, donec reddas nouissimum quadrantem.*

Respondet Bellarminus è D. Bonauent. & Magistro *dub. 3. in corpore*, loqui de pœna post latam sententiam, quæ non minuetur, & diceretur mitigatio; At verò in sententia ferenda mitiùs agi.

Obiicies tertiò, Lucæ 6. *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

Respondet Bellarminus è D.Bonauent. *ad eum locum*, generatim sumendam esse sententiam; nempè: Qui boni fuerunt, bona recipient; qui mali, mala; qui valdè boni, magnum bonum, &c. Nam si æqualitas præmij ad merita describeretur, repugnaret illi sententiæ adiunctæ: *Mensuram bonam, &c.*

Vbi etiam affert id Deuter. 25. *Pro mensura peccati erit plagarum modus.* Et illud Apoc. suprà relatum, & Ioel. 3. *Cito reddam vobis vicissitudinem super caput vestrum.* Retribuet autem Dominus (ait D.Bonauent.) in æquali, pensato reatu; sed in maiori, pensata duratione delectationis: In minori verò mensura, pensata offensa, ob rationes suprà allatas. Neque verò aliud dicit, pensato reatu pœnam esse æqualem, quàm quod suprà dixit; nempè, peccatorem habere à Deo taxatam pœnam pro singulis culpis, & reum esse illius, quæ tamen inferior est demerito. Magnam sanè pœnam, magnæ culpæ; maiorem maiori esse destinatam; non tamen ad æqualitatem ait destinari. 164

Obiicies quartò id Iacobi 2. *Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.*

Respondet Bellarminus è D. Bonauent. *in Dieta, tit. 8. cap. 3.* hoc intelligi de misericordia substantialiter; nempe non euasurum damnationem; & ideò non habiturum misericordiam, quoad salutem. Idem supponit S. Bonauent. hîc ex Magistro *dist. 46. cap. 2.* 165

QVÆSTIO VII.

De conditionibus requisitis ex parte operantis, vt opus sit meritorium.

D.Bonau. in 4. dist. 15 quæst. 5. & in 3. dist 37. quæst. 2.

Iam credimus conditiones meriti ex parte Dei, vt mercedat promissio operis; nunc conditiones ex parte merentis quæro.

Mvltæ conditiones requiruntur à Theologis in operante ad meritum vitæ æternæ. Prima, ac præcipua conditio est, vt sit in statu gratiæ filius Dei adoptiuus; de qua est prima quæstio. 166

Fertvr Michael Baius, Decanus Louaniensis vniuersitatis, asseruisse, meritum dari absque gratia sanctificante, cuius sententiæ damnatæ sunt à Pio V. & Gregorio XIII. in Bulla suprà citata, sed de hac egi satis *quæst. 4.*

Vniversitas autem Theologorum *in 2. dist. 24. 27. 28. & 29.* cum Magistro, & cæteri cum D.Thom. *prima secunda, quæst. 114. art. 3.* asserunt, ad meritum requiri personam sanctificatam gratia. Vide Bellarminum *lib. 5. de Iustificatione, cap. 12.* Valentiam *disp. 8. quæst. 6. punct. 3.* Suarez *3. part. Tom. 1. disp. 39. sect. 1.* Vasquez *prima secunda, disp. 216.* qui idem de statu naturæ integræ asserunt. Idem sensit S. Bonauent. *in 2. dist. 28. quæst. 3.* & *dist. 29. quæst. 2.* & *in 3. dist. 13. quæst. 1.* & *in Commentariis Euang. D.Ioannis*, & *in Compendio Theol. lib. 5. cap. 14.* sequitur Bouex *exam. 2. cens. 18. err. 10.*

Assero cum hac sententia, meritum exigere, vt persona, à qua procedat, sit gratiâ sanctificante dotata. 167

Probatvr

Probatvr à D.Bonau. primò *ad* 15. *Ioan.* ex illis verbis Christi. *Ego sum vitis, vos palmites. Manete in me: & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis.* Et affert expositionem D.August. *tract.*81. *in Ioan.* Ita etiam Bellarminus, qui cum D. Bonau. *dist.*29. *loc. cit. in corpore*, obseruat id Genes.4. *Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius.* Primò enim respexit ad personam emundatam à peccatis, vt exponit D. Gregor. 22. *Moral. cap.*12. Idem habet S. Bonauent. 5. *parte Breuil. cap.*2.

Probatvr secundò à S.Doct. *in* 2. *dist.*28. *in fundamentis*, ex illo Rom.6. *Gratia Dei vita æterna*, vbi non vult dicere, vitam æternam dari gratis, sed dari pro meritis, quæ contulit gratia, vt exponit D.Aug. *lib. de corrept. & gratia, cap.*13. Quo loco exponit ad id etiam ea verba Ioan.1. *Gratiam pro gratia.* Idem habet *tract.*3. *in Ioan.* vbi idem notat S. Bonau. & post eum Valentia.

168 Probatvr tertiò à S. Doct. ibi *ex* 8. *ad Rom.* vbi ait: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater.) Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Si autem filij & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: Si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Existimo enim, &c.* Hunc locum clariùs ad id apponit S. Doct. *in Dieta, tit.*10. *cap. vlt.* circa finem, vbi obseruat etiam, Christum vocaturum iustos ad mercedem operum in vitam æternam sub nomine, & titulo meriti, ex adoptione, dicendo: *Venite benedicti Patris, &c.* Hoc fundamentum ait Vasquez *num.*4. esse instar omnium, eoque apertè probari nostrum assertum. Eo nituntur etiam Valentia, Bellarm. cæterique.

169 Probatvr quartò à D.Bonau. *ad cap.*8. *Ioan.* ex illis verbis Christi ibi: *Omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem in domo non manet in æternum. Filius autem manet in æternum. Si ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Quo testimonio vtitur etiam Bellarminus.

Probatvr à S.D. etiam è D.August. Et primò *ad cap.*6. *Ioan.* ad ea verba: *Nisi manducaueritis carnem, &c. non habebitis vitam.* Ibi verò D. August. *tract.* 25. dicit non esse salutem, & vitam absque gratia. Ibi ipsum vide, vbi refert alios Patres. Idem habet *lib.*1. *ad Bonifacium, contra duas epistolas Pelagianorum, cap.*2. vbi ait: *Non viuunt rectè homines, nisi effecti filij Dei.* At non fiunt homines filij Dei, nisi per regenerationem, in qua remittuntur peccata, & infunditur gratia gratum faciens: Ex quo patet; non posse id intelligi de auxilio gratiæ, vt putat Vasquez *num.*4.

170 Probatvr à D. Bonau. *in* 2. *dist.*29. *loc. cit.* rationibus. Prima est, quam Bellarm. dicit esse D.Th. D Bonau. & aliorum illustrium Theologorum. Visio Dei, in qua vita æterna consistit, res est non modò supernaturalis, sed vsque adeo naturam omnem creatam excedit; vt nec agnosci, nec appeti valeat, nisi Deo reuelante: *Oculus non vidit* (ait Apostolus, Isaiam citans 1. Cor.2.) *auris non audiuit; in cor hominis non ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se;* atque ad finem supernaturalem, & Diuinum requiritur, vt qui meretur, sit eiusdem ordinis cum meriti præmio: Non potest enim Diuina opera facere, nisi prius ipse Diuinus, & supernaturalis efficiatur; vt S. Dionys. ratiocinatur *lib. de Eccl. Hier. cap.*2. *p.*1. Debet igitur homo per gratiam inhærentem, & Spiritum inhabitantem euehi ad consortium Diuinæ naturæ, vt opera Diuina, hoc est, meritoria vitæ æternæ faciat.

Probatvr à D. Bonau. *in* 4. *loc. cit.* quia meritum supponit, non esse odium; sed peccator est Deo inuisus. Sap.14. *Odio sunt Deo impius, & impietas.* Ergo. Ipsum vide. Addit verò de congruo mereri aliquid. Eum perlege. 171

Neqve sufficit, si peccator sit, & auxilio supernaturali adiutus; Nam ille adhuc indignus est vitâ æternâ; dignitas enim meriti è persona etiam desumitur. Sic de Christo definit Clemens V. *in Extrauag. Vnigenitus.* Et id asserunt Patres multi, relati à Suarez *Tom.*1. *in* 3. *p. disp.*4. *sect.*3. §. *Ex his ergo.* Idem habet Apostolus, Hebr.5. *Et quidem cùm esset Filius Dei, exauditus est pro sua reuerentia.*

Probatvr etiam à S. D. *in* 3. *loc. cit.* Deuter 16. 172
Iustè quod iustum est persequêris. Præterea in præceptis imponitur Charitas. Eadem verò debet esse ratio in capite, & membris.

Secvnda ratio D. Bonau. *dist.* 29. *in corpore, loc. cit.* quam magni facit Vasquez *num.*4. Bellarminus §. *Tertia ratio*, Valentia §. *Quartò probatur*, qui hac vnica ratione satis superque contentus est. Quisquis in hoc statu caret gratia sanctificante, est inimicus Deo, & mortis æternæ reus. Tunc autem sequeretur huiusmodi mereri vitam æternam. Itaque simul erit reus æternæ damnationis, & gloriam æternam emeritus, quæ sunt implicantia. Hæc ratio refricabitur *quæst.*10.

Obiicivnt primò aliqua Scripturæ loca, quibus promittitur vita æterna, non indicando adoptionem. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Rom.2. dicitur, Deus non accipere personas, sed tribuere mercedem operantibus bonum. Et Concilium Arausicanum 2. *can.*18. similia accinit.

Respondet Bellarminus, *cap.* 12. & Vasquez 173
num 6. ex D. Bonau. *in* 2. *dist.*28. *quæst.*3. *ad* 3. & 4. Scripturas non semper omnia vbique seorsum dicere, sed quædam connexa cum aliis. Igitur exigit Matth.19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*; inter hæc autem esse charitatem Ioan.15. *Vos amici mei estis, si feceritis, &c.* ibi verò charitatem hortatur, vt sint vnum cum Christo, sicut ipse cum Patre. Itaque obseruantiam mandatorum iniungit; eam verò, vt sit meritoria vitæ æternæ, requirere gratiam adoptionis; vt habetur Rom.6. *Gratia Dei vita æterna*, eamque ibi concedit Concilium Arauf. vt notat Bellarminus.

Devm verò non esse acceptatorem personarum in danda gratia, rectè sequitur ex dictis *p.*1. *tract.*1. *disp.*21. *quæst.*12.

Obiicivnt secundò D.August. *lib. de natura, &* 174
*gratia, cap.*2. videtur admittere necessitatem auxilij ad meritum; sed absque gratia adoptionis. Imò videtur ibi libero arbitrio adscribere meritum.

Respondetvr è D. Bonau. *dist.* 29. *loc. cit. ad* 1. ibi asserere, non quidem liberum arbitrium sufficere ad meritum, sed quòd natura benè ordinata, concordans cum gratia, & abhorrens à culpa, operatur. Dicit verò *loc. cit.* Si natura posset sufficere ad obseruandam legem, de præmio foret secura: At non id concedi. S.August. Neque (vt putat Baius) S.Augustinus ibi confutat Pelagianos; eò quòd putarent necessariam gratiam adoptionis in paruulis; sed quòd contra gratiam, soli naturæ adhærerent.

Secvnda conditio operantis ad meritum, censetur, vt sit liberè productum. 175

Fvere, qui dicerent, libertatem illam non esse necessariam, quæ dicitur contradictionis, sed eam sufficere, quæ est complacentiæ. Ita Gabr. *in* 3. *distinct.*18. *quæstione* 1. *art.*3. *dub.*1. Maior *eadem dist. quæst.* 1. refertur ab Almaino etiam Rubertus Holcoth.

Communis tamen sententia est, requiri ad meritum libertatem contradictionis, quæ possit etiam renuere. Ita docet Alensis 3. *p. quæst.*17. *membr.*2. *art.*2. *ad* 1. D. Bonau. *in* 3. *dist.*18. *quæst.*1. & *lib.*5. *Comp. Theol. cap.*12. Almainus *quæst.*1. Durandus *quæst.*2. *num.* 5. Palud. *art.* 2. *quæst.*2. Scotus *in* 3. *dist.* 18. *quæst.*3. *ad* 4. §. Est igitur. Argent. *quæst.*1. *art.*3. Alberti *art.*2. *ad* 1. & 2. Richard. *art.*1. *quæst.*1. Ocham *in* 1. *dist.*17. *quæst.* 2. in quodam tertio argumento. Soti *lib.*3. *de natura*, & *gratia*, *cap.*7. Marsil. *in* 3. *quæst.*12. *art.*1. Vasquez *p.*2. *disp.*216. *cap.*3. Bellarm. *lib.*5. *de Iustificatione*, *cap.* 10. Suarez 3. *p. Tom.*1. *disp.*39. *sect.*1. Bouërij, *exam.*2. *Cens.*18. *errore* 10.

176 Assero cum hac sententia, libertatem agendi & non agendi requiri ad meritum.

Probatur primò à D.Bonau. *in* 2. *dist.*23. *dub.*2. *litt.* & Bellarmino ex 31. Ecclesiastici: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit: ideò stabilita sunt bona illius in Domino.*

Probatur secundò à D.Bonau. *loc. cit. Compend.* & Vasquez 3. Eth. cap.5. *Per naturalia non meremur laudem, aut vituperationem.* Eadem authoritate nititur Vasq. *loc. cit.* quam refert D. Bonau. etiam *in* 3. *dist.*18. *quæst.*3. *ad* 1.

Probatur tertiò à D. Bonau. ibi è D. August. *lib.*2. *de lib. arb. cap.*1. vbi dicit: *Deinde illud bonum, quo commendatur ipsa iustitia, in damnandis peccatis, rectéque factis honorandis, quomodo esset, si homo careret libero voluntatis arbitrio? non enim rectè factum, aut peccatum esset, quod non fieret voluntate. Ac per hoc, & pœna iniusta esset, & præmium, si homo voluntatem non haberet liberam.*

177 Alios Patres vide in Bellarmino. Hi sunt Iustinus *Apol.*1. Irenæus *lib.*1. *cap.*71. Clem.Alex. *lib.*1. *Strom.* Basilius *in orat.* Quòd Deus non sit author malorum, Chrysost. *homil.*21. *in Genes.* Cyrillus *lib.*2. *in Ioan. cap.*54. Tertullian. *lib.* 2. *in Marcionem.* Hilar. *in Psal.*2. Hieron. *lib.*2. *in Iouin.* Paulinus *epist.*2. *ad Seuer.* Bernard. *serm.*81. *in Cant.*

An verò Deus potentiâ absolutâ valeat opus necessarium, meritorium reddere. Vasquez asserit, ratione illa ex Aristotele: Ego quidem non video ibi implicantiam.

178 Tertia conditio personæ merentis est, vt sit Viator. Ita docent omnes Theologi. Alens. 3. *p. quæst.*17. *membr.*1. D.Thom. 3. *p. quæst.*19. *art.*3. *ad* 1. Albertus *in* 3. *dist.*18. *art.*2. *ad* 1. & 3. Richard. *art.* 1. *quæst.*1. *in corpore*, & *ad* 1. D.Bonau. *art.*1. *quæst.*2.

Scotus *quæst.* 1. §. *In ista quæstione*, Durand. *quæst.*5. *num.*5. Palud. *quæst.*1. *art.*2. Argent. *quæst.*1. *art.*3. Gabr. *quæst.*5. *art.*1. & *art.*3. *dub.*1. *ad* 3. & *dub.*4. Almainus *quæst.*1. *Notab.*4. & 5. Marsil. *in* 3. *quæst.*12. *art.*1. *Notab.*2. Vasquez *disp.*216. *cap.*4. Bellarm. *loc. cit. cap.*10. Suar. *loc. cit.* §. *Quinta conditio.* D. Bonau. *loc. cit.* & *art.*2. *quæst.*2. *in corpore* cum Alensi, Magistro suo, in eo ponunt esse statum viatoris hominis, vt saltem quoad corpus sit in statu miseriæ pro eo tempore; esto quoad animam

179 videat Deum. Hinc deducunt, Christum fuisse etiam Viatorem. Itaque malè Vasquez *num.*30. refert D.Bonau. separatque S. Doctorem, & Alensem à cæteris allegatis, quasi velit, Christum viatorem fuisse, non ratione carnis mortalis, sed ratione eiusdem animæ, qua erat comprehensor, ita, vt qua Deum videbat, & eo fruebatur, esset in statu comprehensoris; & hac ratione non mereretur; qua verò ferebatur affectu charitatis erga proximos, haberet rationem viatoris, & mereri posset à Deo.

Dicit quidem *loco vltimo adducto*, *arg. vlt.* Christum non meruisse præmium sibi substantiale gloriæ, quia secundùm actum charitatis, in quo potissimè consistit meritum, erat comprehensor; non viator. Ex 180
quo videtur sequi, eum non admittere alium actum charitatis in Deum, quo mereretur; sed solùm actum charitatis in proximum. Quæ est sententia multorum, quam refert Scotus *in* 3. *dist.*18. nec refellit. Eam verò non accipit Suarez 3. *p. Tom.*1. *disp.*39. *sect.*2. eò quòd imperfectum modum meriti in Christo ponit, auferens modum perfectum. Eam verò acceptat Vasq. *num.* 31. addit verò quoad meritum essentiale vitæ æternæ, necessarium esse ad statum viatoris, vt non videat Deum. Itaque Beatus non potest præmium essentiale mereri ratione status, non quia Beati sint impeccabiles, vt putat Abulensis *in cap.*25. *Matth. quæst.*566. sed quia is, qui meretur, non debet esse in termino, vt notat Romæus *lib. de Libertate*, & *necessitate operum*, *veritate* 23. Idem videntur sentire D.Thom. & alij suprà allegati.

De Angelis verò, quomodo habuerint eodem instanti meritum, & præmium, licèt hoc posterius natura fuerit, dixi *p.*1. *tract.*4. *disp.*6. *quæst.*2. 181

Ex his sequitur, Eliam, & Henoch, nihil ampliùs mereri præmij essentialis, cùm sint extra viam. Idem dic de animabus Purgatorij, quamuis ab aliqua labe, quæ sola venialis esse potest, emundari valeant per actus contritionis, & similes, vt docebo cum D. Bonau. *Tract. de Purgatorio*, *disp.*3. *quæst.*2. & *sequentibus.* Vasquez *hîc*, *num.*36. idem habet.

Promissio etiam Dei requiritur ad opus, vt docent cum D.Bonau. 2. *dist.*27. *art.*2. *quæst.*3. alij apud Bouër. *loc. cit.* sic *Matth.*18. Vide *quæst.*4.

QVÆSTIO VIII.

An omnia opera bona cuiusque generis Virtutis Iustorum sint meritoria.

D.Bonau. dist.41. quæst.3.
D.Thom. quæst.114.

Iam de conditionibus ex parte operis meritorij disserendum. Quare suppono ex dictis, opus meritorium debere esse moraliter bonum. Quæ enim mala sunt, non coronat Deus, vt ait D. August. *de gratia*, & *lib. arb. cap.*6. Deinde etiam factum in obsequium Dei, vt habeat rationem mercedis, omnes concedunt, vt notat Bellarm. *lib.*5. *de Iustif. cap.*10. 182

Suppono etiam cum omnibus Theologis, præcipuum meritum, inter opera omnia, esse opus charitatis erga Deum; hæc enim virtus summopere in Scriptura laudatur. Ideò Concilium Trident. *sess.* 6. *cap.*7. Iustificationem præcipuè charitati adscribit. Et Apostolus 1. Cor.13. *Manent Fides, Spes, Charitas, tria hac: maior autem horum est charitas.* Hinc fuit opinio erronea, quæ à Vasquez & Bellarmino attribuitur Altisiodorensi *lib.*3. *tract.*12. *cap.*1. *quæst.*2. & *cap.*2. *quæst.*1. qui præcipuum opus meritorium dicit esse fidei. Vide Seraphicum 3. *dist.* 18. *art.*2. *quæst.*1. *arg. vlt.* & *dist.*27. *art.*2. *quæst.*1. vbi hanc quæstionem agit, & ostendit, præcipuum opus meritorium esse charitatis. 183

Probatur primò à S. D. ex illo Rom.3. *Plenitudo legis est dilectio.* Galat.5. *Fructus autem Spiritus Charitas.* Tertiò ex D. Gregorio *homil.* 27. *in Euang.* 184

Alias authoritates addit Bellarminus, probantes solum, actus charitatis esse meritorios, quod Altisiodorensis non negat.

Probatvr

PROBATVR etiam rationibus. Prima est. Meritum inest omni virtuti ex recta ordinatione in finem, in quo est beatitudo: Sed Charitas est ordinatiua in finem, & per eam aliæ virtutes sic ordinantur. Minor 1. *Cor.*13. *Charitas patiens est, benigna est.* Hac ratione vtitur Bellarminus.

185 SECVNDVM argumentum est. Ratio merendi est, actum esse liberum, & ad Deum: Maximè autem actus aliquis est bonus & liber, & ad Deum spectat, quatenus refertur in Deum ex Charitate: Ergo. Hæc ratio est etiam D. Thom. *quæst.*114. *art.*4. Valentiæ *loco citando*, qui eam laudat.

TERTIVM argumentum. Actus fidei est meritorius credendo in Deum; sed hoc habet à charitate. Nam vt ait D.August. *Credere in Deum, est credendo amare*; At credere Deo, commune est etiam fidei informi.

QVARTVM argumentum *in corpore.* Id magis est meritorium, quod secundùm virtutem est nobilissimam. Talis est Charitas, vt habetur 1. Cor.13. *Maior autem horum est Charitas*: Ergo.

186 RATIO autem quare Charitas sit omnium præstantissima est, quia maximè nos efficit deiformes ratione liberalis exhibitionis, quia sicut Deus liberaliter ex amore tribuit omnia bona: sic charitas liberaliter exequitur omnia obsequia, & mandata. Secundò, quia vnit maximè cum Deo, & facit vnum spiritum, vt dicitur Ioan.17. *Vt sint consummati in vnum, sicut & nos vnum sumus.* Tertiò formalis quietationis, quia cum amor sit pondus, trahit ad Deum, & in eo quietem dat.

His ergo de causis fit homo maximè Deo conformis, secundùm triplex genus causæ, secundùm quod creatura refertur ad Creatorem; nempe secundùm rationem principij mouentis, formæ exemplantis, & finis quietantis. Et ratione huius primatum tenet inter cæteras virtutes, vt ait Apostolus. Hæc D. Bonau. qui addit, opinionem Altisiodorensis posse ad meliorem frugem reuocari. Videtur enim dicere, actum fidei antecedere actibus charitatis, origine, radice, & principio.

187 NEQVE S.Bonau. *in* 3. *d.*25. *dub. vltimo litteræ*, fauet Altisiodorensi, vt patet: ibi enim se remittit ad quæstiones infrà agitandas.

QVÆSTIO est autem: An quouis opere bono, etiam non elicito, vel imperato à Charitate, iustus mereatur.

PRIMA opinio est sola opera elicita, vel imperata à Charitate, esse meritoria vitæ æternæ. Sic D. Thom. *p.*2.*quæst.*114. *art.*4. & 2.2. *quæst.*23. *art.*8. *ad* 3. Tho-

188 mistæque multi. Haquet. *tract. de mer. controu.*5. Serra *quæst.*94. *art.*4. *disp.*2. Zumel. infrà citandus, Alensis 4. *p. quæst.*101. *memb.*3. *art.*3. §.1. *ad* 1. Gabr. 2. *dist.*41. *quæst. vn. art.*3. *dub.*2. Durand. 2. *dist.*40. *quæst.*2. & *in* 3. *dist.*23. *quæst.*8. Palud. *ibi quæst.*4. *art.*3. Almai. 3. *dist.*18. *p.*1. Scotus 2. *dist.*41. *quæst. vnica* cum asseclis, Vulpes *t.*1. *p.*3. *disp.*26. *art.*1. Poncius *disp.*36. *de merit. quæst.*7. & alij apud Mastrium 2. *disp.*7. *quæst.*9. vbi ipse problematicos dicit Scotum, & Seraphicum. Sequuntur tamen Bellarminus *lib.*5. *de Iustif. cap.*15. Sylvius 2.2. *quæst.*114. *art.*4. *quæst.*2. Layman *lib.*2. *tract.*3. *cap.*1. Malder. *p.*2. *quæst.* 114. *art.*2. *disp.*2. Tanner. *p.*2. *disp.*6. *quæst.*6. *dub.*4. *assert.*3. Bassæus *verb. Charitas, num.*4. qui ait esse communiorem cum Bouerio *Exam.*2. *Censura* 18. *error.*10. Videtur fauere D. Bonau. *in* 2. *dist.*41. *quæst.*3. qui tamen, si attentè legatur, oppositæ adhæret opinioni, vt constat ex fine quæstionis, vbi cum habitualem intentionem operis in Deum, dixisset sufficere ad meritum, concludit verò his verbis: Habitualem etiam intentionem, siue relationem voco, quando non præcogitato in actu, vt tunc, sine vltimo, siue Deo, ex sola bona operis consideratione ipsa charitas prompta, vel aliqua alia virtus charitate informata ad ipsum bonum opus inclinat: sicut vir obediens meretur obediendo Prælato sibi præcipienti, etiamsi nihil de Deo cogitet, sed solùm consideret, quòd bonum est obedire. Hinc agnouit Vasq. *disp.*217. *cap.*2. & Mastrius *disp.*7. *quæst.*9. *num.*269. Seraphicum pro secunda sententia stare. Quamuis enim dixisset, intentionem ad meritum non eam esse, quæ consistit in solam habendo charitatem, sed eam, quæ virtute primi actus dirigit alios sequentes; vt cùm quis intendit dare centum marcas auri pro Deo, & in parte quidem recordatur; in sequentibus verò oblitus est, in quibus actibus meretur; dum singulas marcas distribuit virtute primi actus, quæ est potius virtualis intentio remanens, quàm habitualis. Et si hîc 189
sisteret S. D. pro prima sententia staret, vt vidit Bellarminus; attamen subdit verba, quæ retuli, vbi ait, sufficere ad meritum, vt homo sit ita affectus erga Deum, vt opus bonum referret in Deum, si recordaretur; neque solum opus imperatum à charitate, sed etiam ab obedientia, vt talis est, vel ab alia virtute; atque adeò, etiamsi in principio non recordetur, nec cogitet de Deo, sed solùm opus bonum agat cuiuscunque virtutis, satis est ad meritum. Et propterea inferunt allegati cum Valentia, Seraphicum esse pro secunda sententia, quam referam. Id non persensit Bassæus *verb. Charitas, num.*6. & malè *num.*4. ait, tale opus solis naturæ viribus fieri. Fit enim nixum basi gratiæ sanctificantis.

SECVNDA igitur sententia est, quodcunque opus 190
iusti à quauis virtute imperatum, esse meritorium. Ita D.Bonau. *loc.cit.* & alij allegandi. Sequuntur Caietanus 1.2. *quæst.*21. *art.*4. Soto *lib.*3. *de natura, & gratia, cap.*4. Valentia *quæst.*6. *p.*3. Vasq. *disp.* 217. qui refert Capreolum 2. *dist.*40. *quæst.*1. *art.*1. *concl.*2. & Theologos Colloquij Ratisponæ prioris, cui assistit Medina, qui ait, esse grauissimorum authorum, vt planè falsum sit, quod ait Zumel. *quæst.*114. *art.*4. *disput.*1. nullum ferè hac sententiam defendere.

ALLEGANTVR quoque Medina, Ouiedo *lib.*11. *p.*1. & 3. Metac. Morandus *tract.*4. *quæst.*33. Turrianus, Auersa, Amicus, Becanus, Tannerus, & alij Recentiores, à Mastrio *disp.*7. *quæst.*9. Sic & Pasqualigo *disp.*72. *sect.*5. Suarez *lib.*12. *cap.*7. Arriaga *disp.*53. *sect.*3. Fulliensis *lib.*4. *cap.*11.

Ex his tamen aliqui vocant tale opus ordinis naturalis. Alij, esse opus supernaturale, licèt non requiratur, vt referatur in Deum à Charitate.

TERTIA sententia est, nulla opera moralia virtu- 191
tum acquisitarum esse de condigno meritoria, nisi vt imperata à charitate; at verò opera reliquarum virtutum infusarum concedit, esse meritoria de condigno, etiam absque vlla relatione charitatis in Deum; quia actus huiusmodi virtutum sunt verè supernaturales, etiamsi à charitate non imperentur. Citantur à Mastrio, Montesinus, Granado, Caspensis, Lezana, Coninch; & alij, præcipuè Suarez *Opusculo de reuiuiscentia meritorum, disp.* 1. *sect.* 1. *à num.*45. eamque probabilem censet Zumel *concl.*5.

TANNERVS duas alias diramat opiniones. Altera 192
est, ad meritum sufficere virtualem relationem operis in Deum, è quibus aliqui tenent, sufficere, vt semel in vita referat homo sua opera. Ita Adrianus *quodl.*10. *art.*3. *ad* 4. Medina *quæst.*114. *art.*4.

ALII volunt, actus illos in aliquo primo, directo in Deum fundari. Citatur D.Bonau. sed vidimus, eum aliter explicandum. Adducitur etiam Bellarm. *lib.*5. *de*

*de Iustif. cap.*15. & fauet Sotus 2. *dist.*41. *quæst. unica.* Estque D.Thomæ *quæst.*114. *art.*4. Ipse verò Tannerus *disp.*6. *quæst.*6. *dub.*4. cum omnibus ferè, aliquid dicit, nempe probabile esse; sufficere relationem habitualem operum in Deum. Probabilius tamen esse, opera moralia naturalis ordinis non esse meritoria, nisi referantur in Deum per charitatem, vel aliam aliquam virtutem infusam. Probabilissimum verò haberi, ad meritum requiri omnium bonorum operum virtualem relationem in Deum, factam à Charitate. Pro hac rursus refert Seraphicum. Hos tamen actus non solum à Charitate, sed etiam à se, esse meritorios tandem concludit.

Mastrius verò est problematicus.

193 ASSERO, omnia opera moralia bona, esse pro iustis meritoria vitæ æternæ ex seipsis.

PROBATVR primò à D. Bonau. *ad* 10. *Lucæ* ex parobola vulnerati hominis. Ibi quidam interrogat Christum: *Quid faciendo, vitam æternam possidebo?* Christus autem respondit: *In lege quid scriptum est? quomodo legis? Dixit autem Legis peritus. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. & proximum sicut teipsum.* Cui Christus subdit: *Rectè respondisti: Hoc fac, & vives*: idest æternam vitam, quam petis, possidebis: posteà interrogat Christum: *Quis est meus proximus?* Christus autem describit vulneratum in via Hierico, & à Samaritano curatum, vt ostenderet non solùm quis proximus esset; sed etiam quid pro eo faciendum; nempè eum operibus misericordiæ subleuandum. Vbi nullam relationis in Deum illius operis mentionem habet; sed solius misericordiæ erga saucium proximum, quam habuit ille Samaritanus, Gentilisque, qui de hac relatione nihil curauit, & tamen Christus concludit: *Vade, & tu fac similiter*; quasi dicat, & vitam æternam, quam quæris, obtinebis.

194 VBI D.Bonau. obseruat primò, hunc Legis Doctorem habuisse responsum vitæ æternæ, si legem seruaret totam, quæ in Scriptura habetur, vt dicitur Ioan.5. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere.* Et Baruch.4. *Hic liber mandatorum Dei, & Lex, quæ est in æternum: Omnes, qui tenent eam, peruenient ad vitam.* Ille autem, qui diligit proximum iuxta hoc præceptum, legem impleuit, vt dicitur *Rom.*13. Et hoc ob motiuum conformitatis naturæ, vt dicitur Ecclesiastici 13. *Omne animal diligit simile sibi.* Vbi nulla apparet necessitas referendi in Deum hoc opus, vt meritorium sit.

195 DEINDE obseruat S. Doctor, solam misericordiam recitari: *Qui fecit misericordiam cum illo.* Et hunc proximum esse iniungi, etiamsi extraneum. Et adducit D.Ambrosium *lib.*7. in Lucam, vbi ait: *Cognatio non facit proximum; sed misericordia, quæ misericordia secundùm naturam est.* Vnde Christus infert: *Vade, & tu fac similiter*, idest, vt omni homini misericordiam impendas, quia *Beati misericordes, quoniam & ipsi misericordiam consequentur.* Hæc etiam prosequitur *in Diata, tit.*8. *cap.*3.

196 PROBATVR secundò à S.D. ad illud Lucæ 10. *In quamcunque domum intraueritis, &c.* Ex illo Eccl.17. *Eleemosyna viri, quasi signaculum cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit: & posteà resurget, & retribuet illis retributionem, vnicuique in caput ipsorum.* Ad hoc alludit id Matth.25. *Venite benedicti, &c. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Neque verò hæc verba indicant opera misericordiæ, relata in Christum; ipsi enim operarij stupentes respondebunt. *Domine, quando vidimus te esurientem, & pauimus?* Neque stupebunt, quòd non viderint esurientem, vt putat Mastrius; sed ad rem, quia in Christum sua opera non direxerant.

PROBATVR tertiò à S.D. *ad* 12. *cap. Ioan.* Ibi dicit Christus: *Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.* D. August. *tract.*51. *in Ioan.* dicit, ministrari Christo per opera misericordiæ. Et Hugo *in Ecclesiast. homil.*10. dicit: *Ille sequitur factorem suum, qui viuit, vt factus est; qui incedit, vt institutus est; qui seruat bonum, quod accepit; qui, quod natura contulit, impollutam custodit.* 197

PROBATVR quartò à D. Bonau. *in Diata salutis, tit.*5. *cap.*6. ex illo ad Titum 2. *Sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ, &c.* Vbi aduertit, Apostolum commendare sobrietatem ad nos, iustitiam ad proximum, pietatem ad Deum, & ex his omnibus expectari gloriam. 198

PROBATVR quintò à S.D. præclaro sanè loco Lucæ 16. *Et ego dico vobis: facite vobis amicos de mammona iniquitatis; vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Vbi obseruat S.D. primò eleemosynam admittere in gloriam. Secundò constitui relationem huius operis, non in Deum, vt det præmium æternum; sed in pauperes, quos Deus constituit hæredes regni, vt ait D. Iacobus, *cap.*2. & Matth.5. *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cælorum:* ob id obseruat, *lib.*2. *Pharetra, cap.* 49. D. Gregorium, *homil.*40. *circa finem* sic hortari ad hunc locum: *Si cæleste patrimonium eleemosynis emitur, pauperes non sunt audiendi vt egentes, sed vt patroni exorandi.* Vbi refert etiam alios Patres ad hoc. Sed reuertamur ad Commentaria in Lucam, vbi confirmat hoc assertum, primò ex Matth. 25. *Venite benedicti, &c. Quamdiù fecistis, &c.* vbi Græcus habet: *Quatenus id fecistis minimis his.* Secundò ex Matth.10. *Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.* Id autem *in nomine iusti* additur, vt notant Chrysost. *homil.*36. *in Matth.* Theophylact. & Euthym. *ad eum locum*, vt excludantur fines ostentationis, & alij similes; & fiat eo fine, quia ille est homo iustus, vel à iusto commendatur. Aliquibus ex his Scripturis nititur etiam Vasq. *cap.*2. 199 200

RESPONDET Bellarminus, recipi iustum in nomine iusti, est, eum recipere, quia seruus Dei est. Contra; quia hoc potest fieri ex solo affectu obseruantiæ, aut religionis, absque relatione charitatis in Deum, vt notat Vasq. *num.*21. *&* 63.

PROBATVR sextò è Concilio Trid. *sess.*14. *cap.*8. vbi ait: *Accedit ad hæc, quod, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, & conglorificabimur.* Vbi vult, opera bona quæcunque moralia, per quæ iusti satisfaciunt pro pœna à peccatis relicta, obtinere gloriam. 201

DEINDE alia præclara testimonia habemus ex Concilio Trid. *sess.*6. & quidem cap. 10. *Si ergo iustificati, & amici Dei, ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem, renouamur, vt Apostolus inquit, de die in diem: hoc est, mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma iustitiæ in sanctificationem, per obseruationem mandatorum Dei, & Ecclesiæ, in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt, atque magis iustificantur, sicut scriptum est*, Apoc. vlt. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* 202

PRÆCLARISSIMVM verò testimonium habemus, cap.16. *Hac igitur ratione iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam perpetuò conseruauerint, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba* (1. Cor.15.) 203

Cor.15. *Abundate in omni opere bono, scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino.* Loquitur autem ibi Concilium de operibus in ordine ad mercedem gloriæ; & ad hanc omnia opera accipit, vt meritoria. Et eodem cap. *Neque verò illud omittendum est: quòd, licet bonis operibus, in sacris litteris vsque adeò tribuatur, vt etiam, qui vni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus eum non esse suâ mercede fraudandum.*

204 RESPONDET Mastrius, per particulam *in Domino*, exprimi intentionem. At, *in Domino*, quis non videt significare: *in gratia?* dicere enim potiùs deberet: *in Dominum.*

PROBATVR tandem à S.Bonau. rationibus, quia si necessaria esset relatio actualis operum omnium virtutum, vt sint meritoria; sequeretur, arctam nimis esse viam salutis. Primò cæteras virtutes nihil penitus meriti habere, & ità frustrà Deus hortaretur ad ea opera præcisa, sicuti in Scriptura hortatur, præcipuè *locis adductis*. Et 1. Tim.4. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, atque futuræ,* vt notat D.Bonau. *in 4. dist.15. parte 2. quæst.4. arg.*

205 *vlt.* Vide S.Doctorem ibi. Sic innumera opera bona essent absque remuneratione vitæ æternæ, cumque paucis nota sit opinio, quæ asserit, necessariam esse illam relationem charitatis, & cùm plurimi exerceant varios actus virtutis, vt sunt tales, scilicet obedientiæ,Temperantiæ, &c. iam carerent merito. Sic etiam opera fidei, & Spei, essent priuata merito. Ità etiam Vasq. *cap.4.* qui tamen non adhæret quibusdam dicentibus, sufficere primam voluntatem, qua iustificati sunt,ad hanc relationem; & hoc idem docet Seraphicus Doctor suprà.

TANDEM arridet Concilium Florentinum *in litteris vnionis*, vbi Eugenius IV. ait: Sanctos videre Deum, meritorum tamen diuersitate, alium alio perfectiùs; vbi accinit diuersitatem meritorum ex operum diuersitate oriri.

206 OBIICIVNT primò cum Bellarmino *Ioan.15.* dicitur, Iustum facere opera, sicut palmes facit fructum in vite, ex Concilio Trid. *sess.6. cap.16.* Ergo non sunt bona, nisi referantur in Deum per charitatis actum.

RESPONDETVR facilè ex D. Bonau. ad eum locum, illud intelligi ab omnibus, idest necesse esse, vt Christus influat vitam per gratiam. Ita Concilium Trident. *loc. cit.* & Mileuitanum *can.5.* ideò reddit rationem: *Quia sine me nihil potestis facere*, nempè quia à Deo separatus, non reddit homo fructum, sicut nec palmes à vite recisus. Intelligitur à D. August. *tract.81. in Ioan.* de auxilio gratiæ. Ideò vocat Concilium Trident. ea opera *facta in Deo*, non sanè propter Deum, dilectum actualiter ex charitate, sed habitualiter ex gratia, vt notat etiam Vasquez *numero 64.*

207 OBIICIES secundò Matth.5. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Hoc autem ostendit, dari aliqua bona opera, quæ carent mercede, vt diligere amicum.

RESPONDET D.Bonau. *ad 6. Lucæ*, vbi idem asseritur, sensum esse: Si diligamus tantùm amicos, nullam in cælis expectandam mercedem; sed diligendos etiam inimicos, & haberi vtriusque actus mercedem, tametsi vterque sit virtutis moralis simpliciter, non à charitate, vt sic: Ideò Christus subdit: *Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid ampliùs facitis?* Itaque hæc particula *tantùm* intelligenda est etiam suprà; quasi dicat: Si benefeceritis tantùm amicis, eosque tantùm salutaueritis; quam mercedem habebitis? seu, vt ait D.Lucas: *Quæ gratia est vobis? Nam etiam Pagani id præstant.* Hanc expositionem desumpsit è D.Bonau. Titelmanus noster, eamque discipulo Iansenio tradidit, quibus eam adscribit Vasquez *num 61.* vbi eam germanam esse dicit.

OBIICIES tertiò loca Scripturæ, quibus id exprimitur, vt Matth.19. *Omnis, qui reliquerit patrem, vel matrem, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Addidit autem: *Propter nomen meum.* Et alibi: *Propter me.* Et Apostolus 1. *Cor.*10. & *Coloss.*3. iniungit, vt quidquid facimus,in nomine Domini, & in gloriam Dei faciamus. Et 1.*Cor.*13. Omnia opera bona,absque charitate,flocci æstimari. 208

RESPONDETVR ad locum Matth. ex D. Bonauent. *ad 18. Lucæ*, vbi idem asseri aduertit, idem esse propter me, ac propter regnum Dei, idest propter retributionem regni. Hoc verò nihil contra nos. Ad illud verò primum Apostoli, Respondet D. Bonauent. *in 2. dist.41. quæst.3. ad 1.* aliquos respondere, id esse consilium, si exponatur fieri in gloriam, esse fieri ex amore Dei, quia hoc perfectius est, & hanc expositionem sequitur Vasquez *num.65.* Esse verò præceptum, si accipiatur fieri secundum normam virtutis. Sic enim sunt in gloriam Dei, quia ipsi placent. 209

S. D. latiùs distinguit sensum huius loci, & dicit primò, hunc sensum posse esse negatiuum, vel affirmatiuum: Erit sensus negatiuus sic: Nihil contra gloriam Dei faciatis, & hoc modo præceptum est; si autem sit affirmatiuus; potest τὸ *omnia*, sumi collectiuè, & distributiuè, seu diuisim. Si igitur accipiatur distributiuè; est consilium, vt omnia ex charitate referamus in Deum, & de quolibet diuisim possumus id præstare, & vtile est id facere, & melius est referre actu in Deum, quàm non referre. Si autem accipiatur *omnia* collectiuè; tunc nec est præceptum, nec consilium, sed finis præcepti, & consilij. Ad hoc enim tendere debemus, vt tandem ad talem statum perueniamus, vt omnes affectus, cogitationesque in Deum referamus; hoc autem obtinebimus,cùm Deum ex toto corde diligemus.

AD alium locum 1. *Cor.*13. respondet Seraphicus *in 1. dist.17.p.1. dub.7. litt.* & *in 3. dist.25. dub.4.* & *opusc. contra septem vitia capitalia,cap.5.* & *in Dieta, tit.2. cap.6.* loqui Apostolum de operibus, quæ fiunt sine charitate, & gratia Dei. Ideò non dixit: *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam,* non ex charitate; sed: *Charitatem autem non habuero; nihil prodest.* Itaque ad opera meritoria requirit in persona merente, vt sit filius adoptiuus per gratiam; non autem ex effectu charitatis omnia operetur. Sic facilè argumentum eluit etiam Vasquez *num.66.* 210

REFERT verò aliam expositionem S. Chrysostomi, Theodoreti, & Theophylacti in eum locum, ibi, Apostolum per hyperbolem loqui, dicendo: *Charitatem autem non habeam, etiamsi distribuero omnia mea in cibos pauperum, & tradidero corpus meum vt ardeam*: quasi dicat, si possibile esset, quòd opera tam heroïca essent sine charitate, (quod impossibile est.) Nam *maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ponat quis pro amicis suis*; nihil valerent. 211

HANC expositionem refert S. Bonau. *in 1. dist.17. dubio illo 7.* Addit verò, se arbitrari, posse aliquem ex affectu naturali, & aliqua gratia gratis data,sustinere pro Christo mortem, etiam sine charitate, sicut hæreticus sustinet per errorem. Et cùm ait Dominus, hoc esse summæ charitatis, hoc dicto vult, (ait S.Bonau.) esse signum, & ostensionem exteriorem. Signa tamen sunt fallibilia; ideò non necessariò infertur, talem habere charitatem habitualem. Credo tamen (concludit S. D.) quòd si aliquis pro Christo sustineret mortem, qui non magnum haberet obicem, quod 212

quod disponeret se ad gratiæ susceptionem; ita, vt daretur ei charitas.

Obiicies quartò. Illa tantùm opera sunt meritoria, quæ augent charitatem: Sed talia sunt tantùm opera ex charitate: nam non augentur habitus, nisi per actus, qui ab eis procedunt: Ergo.

213 Respondetur concedendo cum communi Theologorum sententia, meritum habere secum incrementum habitus charitatis, & gratiæ; At dicimus, charitatem augeri per opera etiam aliarum virtutum; nam hoc incrementum fit per moralem causam, non per physicam, & sicut per actus charitatis augetur gratiæ habitus, qui est diuersus, vt vos conceditis; cur non etiam de incremento charitatis idem dicamus?

Obiicies quintò. Conuenit inter omnes, vt opus, ad hoc, vt sit meritorium, referatur in Deum, vt finem supernaturalem; At opera virtutum moralium non referuntur in Deum hoc modo: actus verò aliarum virtutum Theologicarum referuntur quidem in Deum, vt obiectum supernaturale, non tamen in finem; sola enim id præstat charitas.

214 Respondetur ex D. Bonau. *loc. cit.* non connenite inter omnes id, quod assumitur, sed sufficere, si habitu referantur opera meritoria, modo dicto, non quidem actu, aut virtute, sed tertio modo posito in *calce quæstionis*, idest habitu, vt ait S. Bonau.

215 Obiicies sextò cum Durando. Nisi gratia, & charitas moueant ad opera virtutis, non tribuunt operibus aliam bonitatem, quàm ipsa haberent facta ab homine, non existente in charitate; nam circumstantia, quæ comitatur aliquod opus, nec informat illud, non tribuit ei bonitatem, aut malitiam; eò quòd ad talem actum per accidens omnino se habeat: huiusmodi autem est circumstantia personæ, nisi illa sit causa efficiens operis; etenim si solùm sufficeret circumstantia status personæ, non influens in operationem, vt ad ipsam operationem pertineret, cùm circumstantia pertinens ad actum multò faciliùs inficiat illum, quàm efficiat ipsum bonum; eò quòd ad bonitatem plura requirantur; sequeretur, omnia opera facta ab homine in statu peccati, esse peccata, quia inficerentur à circumstantia personæ. Ergo gratia, & charitas, nisi influant in opera bona non tribuunt eis aliam bonitatem, quàm eam, quam habe-rent extra charitatem; sed tunc non essent meritoria: Ergo neque nunc.

216 Respondetur, gratiam influere dignitatem filij Dei; deinde influere etiam adiutorium ad illud opus virtutis, quantumuis ordinariè fiat. Ex primo capite eleuatur opus ad altiorem statum, quo dignus fit vitâ æternâ operans, non modò, quia si filius, & hæres; sed etiam quia, ait idem Apostolus, hæredes nos fore Dei; *Si tamen compatimur, vt conglorificemur.* Neque verò (addit Vasquez) necesse est, vt ratio circumstantiæ personæ influat in actionem; sed sufficit, actionem fieri ab ea persona. Sic status personæ sacræ, quæ vouit castitatem, confert ad hoc, vt peccatum libidinis in eo habeat etiam aliam malitiam sacrilegij, & tamen persona, vt habet votum, non influit in illum actum, vt causa efficiens. Sic vnio Hypostatica reddit in humanitate Christi opera infinitè digna, & tamen ex illa non deriuauit efficacitatem suam.

217 At hæc non admitto. Persona enim, vt habet votum, est quæ operatur; nam operatur ex scientia voti, & cognitione transgressionis, ipsiusque suppositi Deo sacrati aduertentia. Similiter & Persona in Christo confert influendo in opus, quod est suppositi, vt dicam 3. *p. tract.* 1. *dip.* 3.

Hæc effugia quæritat Vasquez, quia caret secundo nostro responso, nempe gratiam ex Concilio Mileuit. influere in opus iusti, quod Vasquez vbique negat.

Obiicies vltimò. Sequeretur, nulla esse iusti verba, aut facta otiosa, si ratione subiecti sint directa, atque ordinata, absque eò, quòd referenda essent in Deum, vt finem.

Respondet S. Bonau. negando sequelam. Erunt 218
enim otiosa, quæ non fiunt ex motiuo virtutis, & in nullum finem diriguntur, sed in vanum, ex nullo scopo, nullaque virtutis applicatione factitantur.

Restat hic videre: An, & quomodo ab auxilio Dei procedant opera meritoria. Sotus enim de natura, & gratia *lib.* 3. *cap.* 4. docet, non esse necessarium peculiare auxilium gratiæ mouentis ad singula opera meritoria. Idem sentit Caiet. *p.* 2. *quæst.* 109. *art.* 9. idque planè sequi in opinione D. Bonau. & aliorum, qui tenent, posse aliquod opus bonum morale fieri absque auxilio gratiæ ab homine peccatore, multò verò magis à iusto, & hæc in iusto esse meritoria, deducit Vasquez *num.* 39.

At D. Bonau. 2. *dist.* 28. *quæst. vlt.* asserit *in ea* 219
quæst. opus bonum morale, vt sit meritorium, esse à gratiæ auxilio, siue ea sit gratia habitualis, siue actualis, & idem sentire aliquos ex illa opinione fatetur *num.* 47. Quare non necessariò id consequitur, quod infert Vasquez. Ità colligitur ex C.C. Arausicano 2. *can.* 7. 9. & 18. Et Palæstino, & Cælestino I. *epist.* 1. *cap.* 8. & 12.

Præterea Concilium Trid. *sess.* 6. *cap.* 16. sic definit: *Cumque ipse Iesus Christus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera antecedit, comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent: nihil ampliùs ipsis iustificatis deesse credendum est, quominus illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, Diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur.*

Insistit autem Vasquez *cap.* 6. difficilè à nobis su- 220
stineri, posse viribus naturæ multa opera bona moralia fieri; & tamen necessarium esse auxilium gratiæ vt sint meritoria, refertque aliquos modos dicendi.

Respondetur, Deum influere, sicut caput in membra, & sicut vitem in palmites, vitam, & virtutem gratiæ habitualis, & actualis, ad omnia opera bona, non vt fiant, sed vt meritoriè fiant, & hoc præclarè innuit Concilium, quod, dum ait, sine virtute illa Diuina, non posse opera esse meritoria; eamque Christum influere, vt caput, & vt vitem, accinit continuum influxum in omnia opera, etiam moralia virtutum acquisitarum, non vt fiant (nam aliqua naturalibus viribus fierent) sed vt ad meritum prosint.

Ità colligitur è Seraphico *in* 2. *dist.* 28. *quæst. illa vltima*, nec video quid solidi opponat Vasquez huic modo dicendi.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IX.

An valeat peccator mereri de congruo IVSTIFICATIONEM *auxilio Gratiæ præuenientis.*

D.Bonau. in 4. dist.15. p.1. quæst.5.
D.Thom. quæst.114. art.5.

221 DELICATVS est sermo, dum agitur de merendo in peccatore, qui procul dubio non est dignus pane, quo vescitur, vt notat D.Bonauent. *in 4. loc. cit.* ex D. August. operaque vitæ non potest patrare.

SVPPONO, non posse aliquo modo peccatorem mereri etiam impetratoriè iustificationem propriis viribus, faciendo quod in se est; non enim potest aliquis facere, quod in se est dispositiuè ad iustificationem absque auxilio, vt notat D.Bonau. *in 2. dist.28. art. 2. quæst.1. ad 4.* Et satis ostensum est *disp. 1. quæst.14.* Ideò hîc omittam Scotum, & Gabrielem, qui *eadem quæst.* volebant, posse peccatorem naturalibus viribus facere, quod in se est, & mereri hac ratione de congruo iustificationem (si credimus Vasquez.) Tamen Fauentinus *in 4. d. 10.* ad nostram sententiam Scotum ducit, quem *allato loco*, etiam alij defendunt.

222 NOTANDVM verò ex D. Bonau. *lib.5. Compend. cap.11.* & *in 1. dist.41. quæst.1. in corpore.* Et *in 3. dist.4. art.2. quæst.2. in resol.* & *in 4. loc. cit. in margine*, meritum diuidi in meritum *Condigni*, *Digni*, & *Congrui.* Et quidem omisso merito *Digni*, quod probaui *quæst.3.* & omisso merito *Condigni*, quod ibidem explicaui,& in sequentibus quæstionibus. Meritum *Congrui* est illud, quod oritur ex aliqua congruitate, innixa Diuina promissione, facta alicui bono operi, patrato à peccatore, qui mereri non est dignus.

Hoc meritum *Congrui* vituperat Kemnitius *in Exam. Concilij Trid. sess. 6. in fine disputationis de operibus infidelium.* Imò hoc meritum dicit esse eam Helenam, pro qua Concilium Trid. contra Scripturas, & PP. dimicat *sess.6. can.7.*

223 PERPERAM sanè menitus est in Caput suum. Ibi enim S.Concilium ne verbum quidem habet de merito *Congrui*, neque vsquam illud recenset. Quòd autem admittat dispositiones, quas Theologi de congruo meritum appellant, non est à Scripturis, & Patribus alienum, vt adulteram Helenam protegat, qui illud defendit, vt latiùs ostendam.

E Catholicis aliqui, quibus nomen *meriti* ad gratiam nimis est inuisum, ne transuerso quidem vngue à recto tramite recederent, concesserunt sanè dispositiones aliquas ex orationibus, operibus misericordiæ, & remissionis iniuriarum ad iustificationem; At nomen meriti è medio tollendum clamant, etiam auxilio Dei innixum ad iustificationem consequendam.

224 Ita Capreolus *in 4. dist.14. quæst.2. art.3. ad argumenta Henrici* contra secundam conclusionem. Antonius Pantussa *lib. de Gratia, & Predest. cap.6.* & *lib. de lib. arb. cap.6.* Sotus *lib.2. de natura, & gratia, cap. 4.* quem sequuntur recentiores Thomistæ *ad quæst.114. art.5.* D. Thomæ. Idem sentit Petrus Soto *lib. de Inst. Sacerd. lect.9. de Pœnit.* Hosius in *Confess. Cathol. cap.73.* in hanc magis opinionem inclinans testatur, viros doctos in Concilio Trid. docuisse, hoc meritum omnino reiiciendum. Quo circa maluisse PP. Concilij opera, quæ præcedunt iustificationem, appellare dispositiones, quàm merita etiam congrua.

CELEBRIS est tamen, ac magis Veritati consentanea sententia, homines peccatores per fidem, & bona opera, quæ tempore præcedunt iustificationem, ipsam congruè à Deo promereri. Quam sententiam inoffenso pede sectati proceriores Theologos, ait Vasquez *disp.218. cap.2.* Ità D. Bonau. *in 3. loc. cit.* & *in 1. dist.41. quæst.1.* & *in Opusc. de resurrectione à peccato.* Hoc autem meritum concedit operibus ex auxilio gratiæ Diuinæ. Idem habet *loco* suprà *adducto in tertio supposito.* Sequuntur Marsil. *in 2. quæst.18. art.3. concl.2. & 3.* Ferrar. *3. cont.G.cap.149.* Andreas de Vega *quæst.7.de Iustif.*& super Concilium Trid. *lib.8. à cap.8.* vsque in finem. Roffens. *art.1.contra Lutherum,§. Nec tertia similitudo.* Tiletan. *in Apologia pro Decretis Concilij Trident. super cap.8. sess.6.* Franciscus à Dauantria in Exegesi *cont. Confess. August. fol.46.* quinimmò & Erasmus *in Hyperaspiste 2. in fine* non audet hoc meritum improbare. 225

FVIT etiam sententia D.Thomæ *in 2.dist.27.art.4. ad 4.* hîc verò *quæst.114. art.5.* negat meritum congruum solùm ad primam gratiam, non autem ad iustificationem, vt patet legenti: & sequitur Vasquez *loc. cit.* Bellarm. *lib.1. de Iustif. cap.21.* Suarez *3.p. tom.1. disp.10. sect.4.* At Valentia *disp.8. quæst.6.p.4. §.2.* fatetur sanè, hanc opinionem non repugnare doctrinæ fidei, quæ negat gratiam sub merito cadere. Nam Apostolus, Concilium Trid. & D. August. qui id asserunt, exponi possunt de merito condigno: attamen priorem sententiam sequitur. Tandem post Scotum *4. dist. 14. quæst.1. Y.* & *quæst.2. §. De secundo.* Sequuntur Scotistæ apud Mastrium *in 4.dist.5.quæst.8. num.226.* & Recentes alij apud Auersam *p.2.quæst.114. sect.6.* Lugum *disp.8. de Pœnit. sect.6.* Fulliens. *lib.4. cap.11.* Ferrarius *in cap.3. Apoc. epist.5. quæst.18.* Bedinus Morange in Theol. Catechist. *tom.2. p.1. de gratia.* 226

ASSERO cum hac sententia, posse cum Dei auxilio homines peccatores de congruo mereri peccatorum remissionem, & consequenter iustificationem.

PROBATVR à D. Bonau. *1. loc. cit. in 4.* illis authoritatibus, quæ beneficentiæ, & eleemosynis id adscribunt. Hebr.13. *Beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Sic Glossa interlinearis ad rem nostram intelligit de eleemosynis, quibus peccata extinguuntur. Itaque idem est promereri Deum, ac remissionem peccatorum, & gratiam reconciliationis cum Deo.

D.AVGVSTINVS 10. *de ciu. cap.5.* traducit ex Græco; *placatur*, idest conciliatur Deus, vt exponunt linguæ Græcæ periti, & Ludouicus Viues ad eum locum, vt refert Vasquez *num.8.* Idem repetit S. Bonau. *p.2. dist.15. dub.6.* vbi dicit, *Luca 16.* Christum hortari etiam peccatores: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, & ità multiplicati intercessores ad impetrandam veniam peccatorum. Ad *cap. verò 11. Luce* refert id; *Date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis*, reddit rationem S. Bonau. Quia eleemosyna disponit ad gratiam, perquam mundatur anima tota. Et illud 1. Tim.4. *Pietas ad omnia vtilis.* Et illud Eccl.3. *Eleemosyna Patris non erit in obliuione. Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum: & sicut in sereno glacies, soluentur peccata tua.* Et illud Tob.4. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras.* Dan.4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Vide ibi Seraphicum, plurimas afferentem Scripturas. 227

218 Alias affert *in 4. dist. 15. p. 2. quæst. 4.* vbi notat *in corpore*, nos per eleemosynam Deo reconciliari. Alias refert *in Diæta, tit. 2. cap. 7.* vbi ostendit quanta sit vis eius ad gratiam reconciliationis impetrandam.

De Oratione, & Ieiunio idem asserit, *cap. 5. & 6.*

Probatvr secundò à D. Bonau. *ad 7. Lucæ.* Vbi multa à Christo narrantur beneficia, sibi à Magdalena collata, oscula pedibus, lotionem, vnctionem; & subdit: *Propter hoc dico tibi: Remittuntur ei peccata multa.* Et ait, commendari mulierem ex omnibus præmissis consequenter. Certum est autem ea beneficia non mereri de condigno. Vnde Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem, cap. 18. in fine*, dicit: *Mulierem peccatricem iustificatam esse per pœnitentiam ex fide, & per eam pœnitentiam promeritam fuisse sibi veniam à Deo.* Et D. Bonau. vbi ait: *Purgata à peccato propter dilectionis affectum; perfecta in merito propter dilectionis effectum: Dilectio in merito profecit: Magnitudo enim dilectionis amplificat meritum, & expellit peccatum.*

229 Addit S. Doct. ibi verificatum in ea id Psalm. 31. *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino; & tu remisisti impietatem peccati mei.* Vbi Origenes *homil. 3. in Leuit.* ait: *Ergo, quia pronunciare peccatum, remissionem peccati meretur.*

Probatvr tertiò à D. Bonau. è *cap. 18. Lucæ* ad ea verba: *Quoniam oportet semper orare, & non deficere.* Et affert D. Hieronymum statim post sermonem de B. Virgine, tom. 9. *Frequens oratio, vitiorum impugnationem extinguit: instans verò oratio impetrat veniam de peccatis.*

230 Affert illud Matth. 17. *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi in oratione, & ieiunio.* Vbi D. Hieronymus: *Ieiunio sanantur pestes corporis; oratione pestes mentis.* Idem habet *in 4. p. 2. loc. cit.* Affert quoque id Psal. 31. *Dixi confitebor, &c.* Tandem nostram sententiam deducit ex illa confessione Publicani: *Deus propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic iustificatus.* Et *ad cap. 9. Ioan.* reprehendens, è D. August. cæcum, quia dixit: *Deus peccatores non exaudit.* Refert verba S. August. *ex tract. 44. in Ioan.* vbi ait, loquens de confessione Publicani: *Si enim ita esset, nempe, quòd Deus peccatores non exaudit, frustrà Publicanus orasset*, di-

231 cens: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Et subdit: *Ista confessio* (idest Publicani) *meruit iustificationem, quo modo iste cæcus illuminationem, nempe quia dicebat: Nisi esset à Deo, non posset quidquam facere.*

En, qua veritate nitamur, dum etiam pro nobis D. Augustinum habemus, qui fuit insignis Gratiæ Advocatvs. Idem verò D. August. *epist. 105.* hoc idem astruit, dicens: *Sed neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, quâ fide, ille dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori, & descendit iustificatus.* Hic habes, etiam aduersarios concedentes, impetrationem iustificationis, concedere debere etiam meritum aliquod, vt ait D. Augustinus.

232 Probatvr quartò à D. Bonauent. *ad 5. Lucæ*, vbi habetur: *Quorum fidem, vt vidit Iesus, dixit: Homo remittuntur tibi peccata tua.* Vbi ait D. Bonauentura: Promittitur ergo remissio peccatorum ex merito offerentium, & affert Bedam *tom. 4. lib. 2. in Lucam, cap. 5.* vbi ait: *Multum valet vnicuique fides propria, cum per alienam homo sit interius, exteriusque saluatus.* Idem astruunt plurimi Patres *ad 9. Matth.* relati *in Biblioth. Dom. 19. post Pentecosten.*

Hvc refertur etiam effatum D. August. *epist. 105.* suprà allegatum, quod Sotus *loco cit.* friuolis explicationibus detorquet. Dicit ergo ibi, D. Augustinum docere, nos fide mereri iustificationem, non quia fides eam impetret; sed quia docet nos, quo pacto auxilium petamus ad benè operandum, & adducit, *cap. 13. de spiritu, & litt.* Sed verba clara sunt; neque loco, ab eo adducto, aliquid contrà docet S. August. Vide Vasquez *à num. 13.* & Bellarminum, qui hoc responsum ridet; cùm D. August. claré dicat; nam si mereri iustificationem, esset docere, etiam concionator, & Deus eam nobis mererentur.

Qvod verò addit Sotus, D. Augustinum adscribere ibi meritum *Condigni* Publicano, quia iam erat iustificatus, falsum est, vt notant D. Bonau. & Vasquez *loc. cit.* Nam S. Augustinus *tract. illo 44. Ioan.* refellit id cæci nati dictum: *Deus peccatores non exaudit*, Et infert: Ergo frustra Publicanus orasset. Igitur supponit, eum adhuc peccatorem. Similiter falsum est etiam id, quod addit Sotus, S. Augustinum locutum more vulgi; Absit enim, vt D. August. disputans contra Pelagium, vt gratiam, quæ non datur ex meritis, ab eo extorqueret, locutus sit vulgariter. Neque id retractauit D. August. vt videtur innuere D. Thom. *ad 1.* vt ostendit Vasquez *à num. 20.* & patet. Sanè ea epistola negotium gratiæ elambicat. 233

Probatvr etiam rationibus. Prima ducitur ex dictis *disp. 3. quæst. 11.* Idem est ex Scriptura, & Patribus, iustificari ex meritis, & ex operibus; Sed quilibet adultus iustificatur ex operibus, vt dicit S. Iacobus, *cap. 2.* ibi explicitus, vbi etiam ostendi, eum loqui de prima etiam iustificatione: Nam adducit exemplum Rahab, prauæ quidem meretricis, ex operibus tamen iustificatæ: Ergo.

Probatvr secundò ratione educta ex D. Bonau. in Scripturis citatis. Promissio facta operibus bonis dicit aliquid congruitatis in ipsis operibus bonis, vt propter ea dentur nobis bona promissa: At orationibus promissum est quidquid petierimus, spectans ad salutem, Ioan. 16. *Amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, maximè autem promittit ea bona, quæ ordinantur directè ad gratiam, & gloriam, vt notat D. Bonau. Imò hoc nominatim promittitur, dum dicitur, vt gaudium vestrum sit plenum, vbi D. August. *tract. 102. in Ioan.* adductus à S. Bonau. ait: *Quidquid petitur aliud, quàm quod pertinet ad gaudium plenum consequendum, nihil petitur.* Idem obseruat Seraphicus *ad cap. 11. Lucæ* in similitudine eius, qui in tempestæ noctis silentio ad vicinum vadit, & petit panem, & ille propter improbitatem dat, non quia amicus. Vbi Christus subdit: *Petite, & dabitur vobis: Quærite, & inuenietis: Pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit, &c.* Vbi aduertit S. Bonauent. petitum pro salute infallibiliter concedi, iuxta id Ioan. 15. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* 234

Propriam autem rationem impetrandi salutem esse in oratione, sexcentis in locis ex Scripturis, S. Bonauentura ostendit. 235

Præclara sunt loca illa, allata à S. Doct. *ad cap. 11. Lucæ* ad ea verba: *Petite, & accipietis.* Primus locus est Isaiæ 30. *Ad vocem clamoris tui statim vt audierit, respondebit tibi.* Alter est *Isa. 65.* vbi initio. *Expandi manus meas ad populum incredulum. Numerabo vos in gladio: pro eo quòd vocaui, & non respondistis.* Concludit: *Eritque antequam clament, ego exaudiam.* Vbi Hebræus. *Et erit antequam clament, & ego exaudiam: adhuc, & ipsis loquentibus*

&

& ego audiam. Et subdit: *Lupus, & Agnus pascentur sicut vnus.* Nota tamen, non benè ex promissionibus arguere Pelagium meritum *Condigni*, quia non promisit Deus orantibus iustificationem, vt mercedem, sed vt misericordiam; vt notat etiam Valentia hîc *ad 1. Pelagij.*

236 Vasquez vrget hoc argumentum sic: Iustus orans pro peccatore, & impetrans ei veniam, dicitur, mereri de congruo alteri iustificationem, & primam gratiam ex D.August. *lib. de Prædest. Sanctorum.* Ergo ex eò, quòd aliquis eam sibi impetrat, meretur de congruo eò magis, quò certior est impetratio pro se, quàm pro aliis. Hoc argumentum sumptum est ex D.Bonau. *in 2. dist.27. art.2. quæst.1. arg.2. ad oppositum.*

237 Hoc tamen argumentum est fallax; nam vt docet D.Bonau. *locis adductis* initio quæstionis, iustus orans pro peccatore meretur exaudiri, quantum est ex se, cùm sit gratus Deo pro indigno orans, non de condigno; At peccator indignus orat pro se indigno, & ideò certius est, iustum fore exaudiendum, quàm peccatorem. Alioqui, si hoc est argumentum à minori ad maius, libebit inferre: Iustus orationibus suis impetrat peccatori primam gratiam, vt Stephanus Saulo, & eam de congruo meretur: Ergo etiam pro seipso merebitur primam gratiam, quæ in sancta cogitatione posita est. Hoc autem absit; esset enim Semipelagianismus, vt fatetur Vasquez *num.40.*

Respondet Vasquez *num.34.* licèt sit peccator indignus, tamen auxilio gratiæ adiutus, congruè meretur exaudiri; quia inter opus factum ex auxilio Dei, & iustificationem ipsam, est congruentia remunerationis.

238 At fateor, esse congruentiam huiusmodi, & ideò admitto meritum *Congrui.* At ego impugno argumentum à minori ad maius, quasi maior sit congruentia peccatoris orantis pro se, quàm iusti orantis pro peccatore; hoc autem Vasquez non refellit. Fateor cum Seraphico, *argumento citato.* Hoc argumentum data paritate, vel identitate personæ esse validum, plus mereri pro se, quàm pro alio. Sic adducit S.D. id Matth.9. *Videns Iesus fidem illorum dixit Paralitico: Remittuntur tibi peccata tua.* Vbi Glossa postillar: *Quantum valeat vnicuique fides propria, si tantum profuit aliena*, quasi dicat: *multò plus*: potest enim quis pro se mereri condignè vitam æternam, non verò aliis. Idem refert S. Bonau. ad id Lucæ 5. *Quorum fidem*, ex Beda. At Vasquez non rectè assumit, sed arguit magis esse efficacem fidem, & alia opera peccatoris facta pro se, quàm sint iusti, facta pro alio, quod est falsum.

239 Ex his sequitur. Si Deus non redderet eam remunerationem congruam, nihil indignum facturum dempta promissione Diuina, vt ex simili colligit S.Bonau. *in 1. dist.41. quæst.2.*

Obiiciunt primò Scripturas, quæ negant, nos ex operibus iustificari *Rom.3. & 4.* alioqui gratia, non erit gratia; vt infert idem Apostolus *Rom.11.*

Respondetur ex dictis *disp.3. quæst.11.* negari iustificationem operibus, ex propriis viribus, vt etiam ostendi *disp.1. quæst.14.* Adde etiam negari eam merito strictè sumpto.

Obiiciunt secundò. Concilium Trid. *sess.6. cap.8.* explicans quid sit gratis iustificari, ait: *Gratis autem iustificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur, si enim gratia est, iam non ex operibus: alioquin, vt idem Apostolus ait, gratia iam non est gratia.* Vbi Concilium negat merita, etiam ex auxilio Dei; includit enim fidem, & absolutè omne meritum negat: Ergo & congruum.

Respondetur cum D. Bonauent. excludi solum meritum *Condigni* à S. Concilio. Similiter ab Apostolo, & D.August. vt ingenuè fatetur Valentia, non autem *Congruum.* Ideo Concilium ait, non promereri nos. 240

Non declararunt autem PP. hoc esse *congruum*, quià volebant id Scholæ relinquere, vt sæpe in Concilio PP. testati sunt. Sic respondet Vega *lib.8. in Concil. Trident. cap.4. & 5.* Vasquez *num.4.* impugnat hunc modum dicendi, vrgens, voluisse Concilium excludere etiam merita congrua, quæ Semipelagiani asserebant; & ad id affert locum D. August. *lib.4. contra Iulianum, cap.3.* & alium D. Hieronymi *Dial.2. cont. Pelagianos*, vbi omne meritum excluditur.

Respondet ipse, Concilium negasse omne meritum, etiam congruum, ad primam gratiam, idest ad primum auxilium gratiæ obtinendum; non autem ad remissionem peccatorum. Nec quodcunque meritum, sed meritum ex propriis viribus, quod ex Concilio ait colligi; tum quia Concilium ait, id esse iustificari gratis, ac nihil meriti præcedere iustificationem: tum etiam quia Concilium inducit hanc sequelam: Si homo ex meritis iustificaretur, iam gratia non esset gratia. Paulus autem sola merita è propriis viribus excludit. 241

Igitur Concilium ad iustificationem, provt dicit solam renouationem interiorem, admittit meritum fidei congruum: At verò ad iustificationem, provt includit etiam primam vocationem, nullum, nequidem congruum, finit admitti. Concilium igitur datâ operâ dicit: *Gratis autem iustificari à Deo dicamur, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur.* Nam primam, per ipsam iustificationem, intelligit renouationem; & hoc modo concedit aliqua præcedere, nempe fidem, & opera; nihil verò promereri iustificationis gratiam, idest gratiam primam, qua tendimus ad iustificationem, & ideò subdit, ex Apostolo, alioqui gratiam non fore gratiam. 242

Mihi verò sæpius hic author occurrit implicans subtiliùs, quàm veriùs authoritates. Primò igitur semel Concilium nominat iustificationis gratiam, & semel promereri. Cur ergo duobus sensibus semel pro merito congruo, semel pro condigno, & iustificationem semel pro renouatione, & semel pro tota serie, auxilia includente, accipias? Neque verò hîc de meritis ex propriis viribus quidquam loquitur, sed de his, quæ sunt ex auxilio Dei, & recenset fidem, & opera ex fide, vt patet legenti. Neque adhuc amittitur *esse gratis* per meritum congruum. Nam etiam gratia renouationis, quæ est ex merito congruo, essentialiter adhuc est gratia, vt omnes concedunt. Quòd verò Apostolus *ibi* sola merita ex propriis viribus excludat, falsum est, sed excludit omne meritum propriè, quod solum cum gratia pugnat, vt notat D.Bonau. *in 2. dist.27. art.2. quæst.1. in corpore*; & ideo gratiam iustificationis eam vocat Concilium. Igitur de sola renouatione loquitur, vt notat etiam Faber *numero 22.* 243

Quoad loca verò Sanctorum PP. miror, Vasquez tam paucis verbis inuoluere contradictionem. Nam cum dixisset *num.40.* Pelagium, & asseclas voluisse inducere merita condigna; solos verò Semipelagianos congruum asseruisse; mox infert, Iulianum Pelagianum solum meritum congrui prætendisse. 244

X 2 Similiter

Similiter D. Hieronymus, qui contra Pelagianos disputat, dicit, pro nihilo saluari, idest non proprio merito, sed Dei clementia. Potest enim intelligi de prædestinatione, quæ, licèt ex aliquo motiuo sit, vt ostendi *p.1.* tamen pro nihilo meriti reputatur. Similiter & vocatio; imò etiam meritum iustificationis pro nihilo reputatur, quia, vt grauiter notat D.Bonau. *in corpore* Meritum *congrui*, comparatum Merito *condigni*, est improportionabile, sicut linea latitudini, & superficiei: vnde sicut linea nihil est comparata ad superficiem, aliquid tamen est in se, sic est de peccatore comparato ad iustum merentem.

245 Si igitur D. Hieronymus contra Pelagianos agebat, vt verè quidem agebat, sequitur ex dicto Vasquez, ipsum impugnasse sola merita condigna, quæ Pelagiani inuehebant.

Ex dictis sequitur, meritum *Congrui*, non esse propriè meritum, quare non infertur rectè, esse mercedem. Vnde non benè arguit: Meritum, & merces relatiua sunt: Sed prima gratia non est merces: Ergo nec meritum. Ita communiter Scholastici apud Serlogum *ad* 1. *Cant. sect.*2.

Respondet enim Vasquez, & Faber *loc. cit.* ex D. Bonau. *in* 2. *dist.*27. *art.*2. *quæst.*1. *fund.*1. *addito corpore*, hoc verum esse de merito proprio.

246 Sequitur etiam, iustificationem esse motum ad inductionem formæ iustificantis, qui tamen motus varias dispositiones requirit; aliquas sanè absque merito aliquo, nisi fortè motiuo prædestinationis; vnde sequitur, quòd vocatio efficax aliquam congruitatem vocationi afferat, qua tamen potest quis dici è D.August. *præfat. in Psal.*31. nihil boni fecisse, ob quod ei detur remissio peccatorum, quia, vt dixi cum Seraphico, illud meritum est nihil, comparatum ad verum meritum; imò & ipsum meritum congruum, quod requiritur in adulto, vt disponatur ad iustificationem Diuino auxilio: nam & hoc cùm sit etiam ex gratia, rationem meriti proprij amittit, quod libenter Valentiæ concedo; Non adimit tamen congruitatem, cum actus eo auxilio eleuatus sit ad aliquam congruitatem cum remuneratione; quod si ratio hæc Valentiæ esset solida; neque meritum condignum daretur, quippe ex gratia habet dignitatem.

247 Quod verò ait Vasquez *p.*1. *disp.*91. *cap.*8. cum Molina *lib. de concord. disp* 41. Patres Græcos Semipelagianis adhærere ponendo hoc meritum ex solis viribus arbitrij, falsum est, & confutatum *p.*1 *tract.*1. *disp.*21. Vide Fauentinum *cap.*3.

QVÆSTIO IX.

An vltima dispositio sit meritoria Iustificationis, & gloriæ.

D.Bonau. loc. cit.

Quoad meritum iustificationis, Richard. *in* 4. *dist.*17. *art.*1. *quæst.*7. asserit contritionem perfectam, si præcedit naturâ remissionem peccatorum, vt multi asserunt, mereri ipsam remissionem condignè.

248 Aliqui Recentiores eam sententiam conclamant Pelagianam.

Vasquez *disp.*219. eam sententiam reprobat, non tamen Pelagianam concedit; quia Pelagius in eo solùm errauit, quod iustificationem ex meritis solius arbitrij asserebat.

Assero, contritionem perfectam, Dilectionemque, etiamsi actus sint perfectissimi, non mereri condignè iustificationem.

Probatur à Vasquez, quia isti actus sunt effectus gratiæ sanctificantis, eaque posteriores: Ergo non possunt esse causa. Hæc tamen ratio confutata est *disp.*3. *quæst.*12. 249

Probatur primò à D. Bonau. è D. August. qui sæpè repetit indignitatem peccatoris ad aliquid merendum, maximè autem gratiam, quæ cum merito pugnat. Sic *lib. de gratia*, *& lib. arb. cap.*5. *&* 6. *epist.*105. *serm.*15. *de verbis Apostoli. Lib. de Patientia*, *cap.*20. *lib.*3. Hypognost. *cap.* 15. quibus in locis plurima Scripturarum testimonia coacervat ad hoc confirmandum.

Probatur secundò à S.Doct. *argumentis secundo loco*, quæ nituntur dictis *quæst.*7. Radix enim meriti condigni est gratia sanctificans, vt notat etiam 4. *p.p. Breuil. cap.*2. Ex quibus sequitur, non posse mereri ipsam gratiam: Nam principium meriti non cadit sub merito, vt ostendam *quæst. sequenti.*

Præcipuum autem fundamentum S. Doct. est, quia opus peccatoris, est opus inimici, qui non meretur amorem Dei supernaturalem, & adoptionem ad gloriam. Hæc est ratio etiam D. Thom. *quæst.*114. *art.*5. quâ nititur Valentia *disputat.* 8. *quæstione* 6. *p.*4. §.2. 250

Confirmatur ex dictis *disp.*3. *quæst.*4. *& quæst. præced.* Nam gratia, & meritum repugnant.

Quoad meritum contritionis ad gloriam, Vasquez suis insistens principiis, asserit *disp. cit. num.*15. Ratio est, quia contritio procedit à gratia sanctificante: Sed hoc explosum est *disput.*3. *quæstione* 12.

Sotus *in* 4. *dist.*14. *quæst.*2. *art.*1. docet, contritionem, quatenus procedit à libero arbitrio, esse tantùm dispositionem ad gratiam sanctificantem, eaque priorem: At verò quatenus procedit à gratia iustificante, esse formatam gratia, & procedere ab ea, esseque meritoriam vitæ æternæ.

Canus *Relect. de Pœnit. p.*1. circa finem §. *Secundam verò*, putat, quæstionem esse de nomine: An illa dispositio vltima sit meritoria primi gradus gloriæ: An verò augmenti. Certum autem esse putat abundantiorem gloriam dari ob contritionem, vel dilectionem; si ratione horum actuum abundantius iustificetur homo, quàm iustificaretur in Sacramento cum sola attritione. Et quo feruentior fuerit contritio, maiorem etiam gloriam dari. Addit verò per contritionem non mereri augmentum gloriæ; quia contritio non supponit aliquem gradum gratiæ habitualis, ratione cuius absque intuitu contritionis detur aliquis gradus gloriæ. 251

Ego, nostris sistens fundamentis, Assero, contritionem non mereri gloriam.

Probatur: fundamentum meriti est gratia adoptionis, vt concedit Vasquez *loco citato*, & ostendi *quæst.*7. Sed contritio non est à gratia adoptionis, vt probaui *disp.*3. *quæst.*12. Ergo.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XI.

An possit aliquis iustus mereri GRATIAM, *per eandem* GRATIAM.

D. Bonauent. in 2. dist. 17. art. 1. quæst. 1.

QVÆSTIO nostra est: An per gratiam, quæ est principium merendi, possimus eandem gratiam mereri. Et quidem Abulensis sub hac formalitate negat 3. *p. quæst.*69.*num.*5. *art.*2. §.3. Cùm *p.*1. *quæst.*28. *membr.*3. *art.*3. dixisset in genere, posse principium meriti cadere sub merito; ac proinde videretur, posse aliquem mereri gratiam, quæ est principium, vt sic, merendi. Forsitan voluit dicere, posse mereri alienam gratiam: Sic enim aliquis iustus per suam gratiam meretur aliam alteri, sicut Stephanus Saulo, vt notat D.Bonau. *ad secundum.*

252 ALIQVI, licèt concedant, non mereri aliquem suam gratiam per opus, cuius ipsamet numero gratia sit principium; tamen concedunt id fieri à Deo posse, & hoc inferunt etiam de Christo, potuisse mereri suam Vnionem Hypostaticam, & gratiam habitualem. Dant exemplum: Sicut enim Rex potest dare militi equum, & arma, vt ad bellum procedens eadem in bello mereatur, iisdem armis, & eodem equo; cur etiam Deus non poterit dare Christo gratiam Vnionis, vel habitus, non absolutè, sed sub conditione, vt eosdem mereatur; & ita det sub conditione dependenter à futuris meritis, & in præmiis eorumdem? ita vt, licèt tempore præcederet Vnio, non sit per modum gratiæ gratis datæ, sed per modum anticipatæ solutionis. Ita Suarez 3. *p. Tom.*1. *disp.*10. *sect.*4. vbi ait, Hoc exemplum non posse à sustinentibus aduersam opinionem vitari, quantumuis in oppositum enitantur, ac varios excogitauerint modos effugij.

253 PROBABILIVS est, non modò *de facto*, sed etiam *de possibili*, non posse aliquem mereri eam numero gratiam, quam habet, quaque mereri debet. Ita D.Bonau. *loc. cit.* D.Thom. *p.*2. *quæst.*114. *art.*5. *ad* 3. vbi negat similitudinem allatam à Suarez. Ità etiam tenent Gab. *in* 2. *dist.*5. *p.*1. *art.*1. Scotus *quæst.*1. §. *In ista.* Vasquez *p.*1. *disp.*91. *cap.*6. *&* *p.*2. *disp.*219. *cap.*1. vbi confutat similitudinem allatam à Suarez, dicens: Quamuis enim equus detur militi ob bonum vsum; non tamen gratia ob eundem potest dari. Ratio eius sumitur è D.Bonau. hîc *ad primum.* Nam equum potest miles sanè promereri, qui non dicit formaliter donationem, vel donum, vnde potest induere rationem mercedis præanticipatæ: At gratia in suo intrinseco dicit donum, & ità non potest aliquis eam promereri. Ex quo habeo, neque militem posse donationem equi promereri; esto possit promereri equum datum.

254 Hoc verò tantùm excludit meritum *Condigni*; nam ex hoc capite, consideratâ gratiâ iustificationis, admittet meritum *Congrui.* Enim verò alio ex capite respuit etiam meritum congruum, nempe, quia gratia est principium formaliter ponens in esse meritum, quatenus eleuat opus liberi arbitrij: At verò equus non constituit substantialiter opus meritorium: Nam meritum est bonum opus, ordinatum à persona profectò rationabiliter operante morali ordine ad præmium, laudemque meretur, vt dixi *quæst.*4. cum D.Bonauent. *in* 2. *dist.* 27. *art.* 2. *quæst.* 3. At verò equus, & arma materialiter nimis inseruiunt ad formale operis, quod est dignum laude, & moraliter bonum.

ASSERO, non posse aliquem eadem numero gratiâ, mereri ipsam numero gratiam, quâ meretur.

PROBATVR ex dictis D. Bonau. *&* 4. *p. Breuil. cap.*2. quia principium meriti non cadit sub merito formaliter; vt dixi.

PROBATVR etiam à S. Doctor. *in argumento primo.* Meritum, & præmium relatiuè dicuntur; Sicut Pater dicitur relatiuè ad filium: Ergo sicut idem non potest esse Pater sui ipsius: sic idem numero non potest esse meritum sui ipsius: Ergo per gratiam non potest aliquis mereri ipsius gratiæ donum habitum, à quo gignitur meritum. 255

PROBATVR secundò à S. Doctore. Meritum, & præmium habent ordinem, sicut via, & terminus, & sicut dispositio respectu eius, ad quod disponit: Ergo necesse est, quod meritum præcedat præmium vel tempore, vel naturâ. Sed res se habet opposito ordine: Ergo impossibile est per gratiam eandem mereri. Primum antecedens cum prima consequentia concedit Suarez, tanquam verissimum, *disput. citat. sect.* 3. §. *Vltimò arguitur.* Minor probatur. Quia meritum nostrum est operatio animæ; ac proinde quoddam accidens, necessariò supponens animam ex gratia operantem; est enim effectus illius; non ergo potest eadem numero gratia, quæ est causa, ac proinde prior ipso merito, fieri effectus, & posterior simul.

DICET Suarez, posse id fieri in Diuina prædefinitione, vt gratia detur ad hoc, vt eam mereamur. 256

AT hoc suprà improbatum est *prima ratione*: vnde hæc ratio, illi addita, redditur insolubilis. Gratuitum enim, & debitum opponuntur; & cum gratia intrinsecè dicat quid gratuitum, non poterit fieri debita, nisi desinat esse gratia; sic autem mereretur, & tamet ipsam mereremur. Ità Seraphicus Doctor.

CONFIRMATVR adhuc à S. Doct. *fund. vltim.* Eatenus est meritum, quatenus Deo placet: Sed vsus gratiæ non placet Deo, nisi propter ipsam gratiam: Ergo non plus meretur vsus gratiæ cum gratia, quàm gratia per seipsam: Sed donum gratiæ, eò quòd habetur, non meretur se: Ergo nec vsu contingit eam mereri.

OBIICIES primò. Quod potest in maius, potest in minus; sed per vsum gratiæ meremur vitam æternam, quæ est maior, quàm gratia viæ: Ergo. 257

RESPONDET D.Bonauent. Maiorem veram esse de his, quæ ordinantur consimili ratione. Iam verò gratia ordinatur ad gloriam, non ad merendum gratiam, quam potiùs supponit, vt fundamentum.

OBIICIES secundò. Vnusquisque magis est efficax ad merendum sibi, quàm alteri. Sed viri iusti, in quibus est gratia, orando merentur aliis primam gratiam, è D. August. *lib. de Prædestinat. Sanctorum*: Ergo multò fortiùs homo, benè vtendo dono gratiæ, efficitur dignus habitu gratiæ, quem accepit. Maior probata est *quæstione* 9. *in vltima ratione.*

RESPONDET D.Bonau. posse aliquem quidem mereri alteri primam gratiam, quia non meretur eademmet gratiâ, quæ cadit sub merito; neque ipsa gratia, eò quòd alij mereatur, desinit esse gratia: Nam habet esse gratiæ respectu eius, cui datur, 258

Quod autem dicitur, valere plus alteri fidem propriam, quàm alienam; intelligitur respectu meriti propriæ gratiæ.

Obiicies tertiò. Quantùm placet Deo petitio, & oratio pro habendo; tantùm placet ei gratiarum actio pro iam habito bono: Sed aliquis petens, meretur obtinere: Ergo & qui iam accepit, si gratias agit, meretur, quod accepit.

259 Respondet D. Bonau. gratiarum actionem non esse ordinatam ad merendum bonum, iam habitum; sed ad aliud donum obtinendum.

Obiicies quartò. Sicut se habet Charitas ad amandum: sic gratia ad merendum; sed charitate amatur etiam ipsa charitas: Ergo & gratia meretur ipsam gratiam.

Respondet D. Bonau. negando paritatem: Nam ratio meriti importat ordinem ad præmium, vt ad effectum, nec idem ad se potest referri. At verò amor, qui est actus potentiæ spiritualis, reflecti potest supra se.

QVÆSTIO XII.

An iusti quouis bono opere remisso mereantur GRATIÆ *augmentum.*

D. Bonauent. in 2. dist. 40. art. 2. quæst. 3.

SVPPONO contra hæreticos, posse iustum per opera crescere in sanctitate & iustitia; vt ostendi *quæst.* 1. vbi promisi tractare, quomodo fiat hoc augmentum: *An dignè*, vt ait D.Bonau. *an vero condignè.* Et *quæst.* 3. ostendi, dari meritum *Digni* contra Vasquez, & Bellarminum.

260 PRIMA opinio est, per quemlibet actum iusti, etiam remissum, mereri incrementum gratiæ; illud tamen non statim dari, sed suo tempore, cùm homo se disposuerit ad tale incrementum recipiendum per alium actum intensiorem ipso habitu; alioqui nullum augmentum gratiæ accipiet, etiamsi multiplicet plures actus remissiores. Ita Capreolus *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 2. *art.* 3. Conradus *ad primum* 2. *quæst.* 114. *art.* 7. *D. Thoma*: allegari solet etiam D.Thom. *eodem articulo ad* 3. ibique & Caietanus. At ibi non video aliquid pro hac sententia. Adducitur etiam 2.2. *quæst.* 24. *art.* 6. *in corpore.*

261 SECVNDA sententia est, hominem iustum, quolibet actu, etiam remissiori ipso habitu, mereri augmentum gratiæ; illud tamen non dari statim, sed quando fuerit dispositus. Itá D.Thom. *quæst.* 114. *art.* 7. *ad* 3. & Caietanus similiter in D. Thom. 2. 2. *loc. cit.* Disponitur verò per actum intensiorem præcedenti. Sequuntur ferè omnes Thomistæ. Addit opinio hæc, si in vita non disponatur actu intensiori, faciendum tale accrementum gratiæ simul cum gloria.

TERTIA opinio est Scoti *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 1. *§. De secundo articulo.* Et *dist.* 21. *quæst.* 1. *In ista quæstione*, per opera, remissiora habitu, mereri nos augmentum gratiæ, illud tamen in hac vita non conferri, sed in primo instanti mortis. Ita etiam Fauentrinus *in* 4. *dist.* 22. *d.* 42. *num.* 55. Mastrius *disput.* 7. *quæst.* 11. allegans Scotistas omnes.

QVARTA opinio est Durandi *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 8. *num.* 7. *&* 8. per actus remissiores, mereri nos accretionem gloriæ; non tamen accretionem habitus gratiæ.

QVINTA opinio est D. Bonauent. *loc. cit. in corpore*, & *ad* 2. homines iustos, actibus intensioribus, quàm sit habitus gratiæ, mereri statim augmentum gratiæ; gloriæ verò augmentum esse suo tempore obtinendum: remissioribus autem actibus nec mereri gratiæ accessionem, nec vllo vnquam tempore consequi, sed tantùm accidentale quoddam præmium; hoc est nouum gaudium futurum de bono opere; nihilominus multiplicatis bonis operibus iustos mereri quodammodo æternum præmium; eò quòd his operibus repetitis, ac multiplicatis disponitur homo ad sanctitatis acquisitæ conseruationem, quæ nisi perduret, consequi non potest æternum præmium. Addit verò, alio titulo mereri eundem gradum gratiæ ex operibus his remissis; & ità hæc opera non carere præmio gloriæ essentialis. Idem etiam sentit D. Bonauent. *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 7. *p.* 2. *quæst.* 2. *art.* 3. *ad* 2. allegantur etiam Capreolus, & Conradus *locis adductis.* Bannes 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 6. Durand. 1. *dist.* 17. *quæst.* 8. quo ad actus remissiores. 262

SEXTA sententia est, vnicuique iusto statim, atque actum meritorium exercet, quantumuis remissum, conferri augmentum gratiæ, & ius ad gloriam, iuxta proportionem singulorum actuum. Ita Vasquez 1. 2. *disp.* 220. *cit.* Suarez *lib.* 9. *cap.* 3. Coninchius *lib.* 1. *de Virtutibus*, *disp.* 8. *dub.* 9. Amicus *disp.* 35. *de Merito*, *sect.* 8. Caspensis *disp.* 6. *de Gratia*, *sect.* 11. Turrianus *disp.* 2. *dub.* 13. Arriaga *disp.* 51. *sect.* 2. Onied. *contron* 3. *p.* 4. Aueersa *quæst.* 14. *de merito*, *sect.* 19. Corduba *lib.* 1. *quæst.* 9. Vega super Concilium *lib.* 7. *cap.* 16. Almainus *tract.* 3. *Moral, cap.* 11. *&* 12. Hiribarnes *disp.* 21. *sect. vlt.* Poncius *disp.* 36. *quæst.* 8. Vulpes *tom.* 2. *p.* 3. *disp.* 57. *art.* 6. idem significat Scotus 1. *dist.* 17. *quæst.* 3. vbi Bargius, Mastrius *disp.* 7. *quæst.* 11. Tanner. *disp.* 6. *quæst.* 6. *dub.* 8. *num.* 190. Pasqualigo *disp.* 5. *sect.* 2. Morand. *tract.* 4. *de gratia*, *quæst.* 16. *& quæst.* 54. Caspens. *disp.* 1. *sect.* 11. Fulliensis *lib.* 4. *cap.* 12. 263

ASSERO primò, per actus remissiores ipso habitu non augeri gratiam. 264

PROBATVR à D.Bonauent. primo *in Speculo animæ*, *cap.* 3. ex *Apocal.* 3. vbi Christus reprehendit tepidum quendam, dicens: *Vtinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo.* Sic multi exponunt, vt fatetur Vasquez *num.* 70. ex quibus nominat Celium Pannonium in Collectanea in Apocalypsim.

RESPONDET tamen, eum Antistitem iam mortaliter lapsum: At esto tepidus sit, non ideò est talis, quia actus remissiores eliciat; sed quia, omittit, aut stomachatur in opera bona.

FATEOR cum D.Bonau. *loc. cit.* teporem, qui Acedia est, talem esse; attamen tepor est etiam (vt ait Seraphicus) cum opera negligenter facimus, & tepidè, ac indeuotè. 265

PROBATVR secundò à S.Doctore *de septem Itineribus æternitatis*, *Itinere* 7. *ex* 3. *Apoc.* vbi Deus à nobis exigit opera plena, seu perfecta, & immaculata, vt exponit Haymo. Ideò vocatur anima citò velociter, Cant. 5. *Surge, propera amica mea, columba mea, & veni.* Ideò reprehenditur ibi quidam, quia eius opera non essent plena, sed remissa.

RESPONDET Vasquez *num.* 72. Episcopum illum fuisse mortuum in peccato; nam antea dixerat ei: *Scio opera tua, & quia nomen habes, quòd viuas, & mortuus es.* Hæc Vasquez conclamat figmenta, quibus nonnulli ipsum eludere conantur.

AT verò si expositores consulat, non faciunt hunc 266

hunc mortuum in peccato mortali, sed aliquo defectu tepescentem. Hunc enim multi S. Episcopum astruunt.

Probatvr tertiò à D. Bonauent. *ad* 19. *Lucæ* ex illis verbis: *Omni habenti dabitur.* Vbi exponit S.Doctor. Omni benè vtenti dabitur amplior gratia. Affert enim Glossam interlinearem, ità exponentem eadem verba.

Fateor, locum hunc ordinariè intelligi de eo, qui absolutè non vtitur talentis, sed ea tumulat, ità aduertit S.Bonauent. *loco citato.*

267 Probatvr etiam à S. D. *lib.* 3. *Pharetræ*, *cap.*8. *&* 9. è Sanctis PP. qui acriter inuehuntur in eos, qui remissè operantur, præcipuè è D. Gregorio, & D.Bernardo.

Respondet Vasquez, D. Gregorium reprehendere eos, qui omnino ab actibus virtutis cessant.

Contra: Nam D. Gregorius *lib.* 31. *Moral. cap.*17. ait: *Plerumque de bonis per incuria vitium mala nascuntur*: & *lib.*1. *Moral. cap.*17. aliàs 34. *Nonnunquam ipsis bonis, quæ agimus ad deterius propinquamus: dum mens secura redditur, in torpore laxatur.*

Et D.Bernardus *serm.*21. in Cant. *Non curant carnales quærere, quantum desiderant inuenire.*

268 Probatvr à D. Bonauent. hîc è D. Augustino: *Non multitudo operum, non diuersitas temporum auget meritum, sed sola charitas, & melior voluntas.*

Probatvr à multis, ratione adscripta D. Bonauent. Meritum, vt augeat gratiam, debet esse conueniens dispositio ad illam: sed remissior actus non est idoneus ad id: Ergo. Minor probatur, quia habitus non intenduntur, nisi per actus intensiores. Eadem ferè ratione vtitur Scotus apud Fabrum *in* 4. *d.* 42. *num.*58.

269 Hæc tamen responsio confutatur à Vasquez, & Mastrio: Nam, esto augmentum physicum habituum fiat per intensiorem gradum, tamen augumentum morale fit per additionem meriti. Deus verò physicè addit gradum intensiorem gratiæ. Itaque gratia sicut à nobis non producitur physicè; sed creatur, & consequenter non cooperamur etiam dispositiuè, quia ad creationem nulla datur dispositio; ita neque à nobis augetur, sed à Deo ad exhibitionem operis nostri, quod eo ipso, quod probatur ab aduersariis sufficiens, iam satis disposuit in suo ordine morali ad infusionem gradus perfectioris. Contra: Nam accretio moralis fit per meritum in tali gradu, adæquato gratiæ, qua operatur, non autem remissiori; & ita non potest acquirere intensiorem.

270 Fateor sanè ex dictis *tract.*2. *disp.*1. *quæst.*7. Habitus non aliter augeri, quam per actus intensiores; at non video quomodo huc ea ratio transferatur; vbi solum moraliter concurrimus ad augmentum gratiæ.

Dvas alias rationes multò validiores, ait Vasquez à se adduci pro hac sententia *cap.*9. Prima est. Si quotidie per singula bona opera meritoria iustus consequeretur incrementum gratiæ, & charitatis; sequeretur intensissimos hos fore, & non posse hominem non experiri ex operandi facilitate talem intensionem: sed hoc est contra experimentum: Ergo. Hoc tamen argumentum est D.Bonauent. ideo *in* 4. *dist.*12. *part.* 2. *quæst.* 1. negat, Sacramentum Sanctissimum Eucharistiæ dare gratiæ augmentum indeuotis; nam alioqui Sacerdotes plurimi decrepiti, qui ad octuaginta annos celebrarunt, sentirent intensissimam gratiam, & viderentur perfectissimi, cùm tamen imperfectissimos (proh dolor!) sæpe eos experiamur.

271 Respondet Vasquez, negando sequelam, quia habitus infusi non dantur ad facilitatem operandi, sed ad substantiam operis.

Enim verò non deterioratur habitus infusus ex eo, quod ad substantiam habitus datur, ita vt careat ea perfectione præstandæ habituum acquisitorum facilitatis. Et verè experimur, sanctos aliquos à principio, antequam violentiis acquisierint habitus virtutum, tanta facilitate ad bonum tendere, vt iure dicantur in benedictionibus præuenti.

Secvnda ratio allata à Vasquez Si habitus gratiæ augetur, iuxta multitudinem operum, seu actuum; sequitur, per actus imminutos etiam charitatem minui, vti & per peccata venialia; imminui autem consequenter & gratiam.

Hæc tamen ratio est friuola, quia, vt notat D. Bonauent. *in primo loco citando*, augmentum gratiæ, & charitatis ex pacto Dei venit, & moraliter tantùm nos disponimur; cùm igitur non constet de diminutione per actus venialiter prauos, non est cur simile inferatur in diminutione, &c. 272

Secvndo; quia peccata venialia non minuunt gradum charitatis, vt tenent S. Thom. 2. 2. *quæst.*24. *art.* 2. vbi Thomistæ. Richardus *in primo*, *dist.*17. *art.*2. *quæst.*5. Durandus *quæst.*10. Gabr. *quæst.*4. *art.*3. *dub.* 3. Henricus *quodl.* 5. *quæst.* 13. Vuilelmus Parisiensis *tract. de virtutibus*, *& vitiis, circa finem primæ partis.* Almain. *tract.*2. *moral. cap.*11. *&* 12. Victoria *relect. de augmento charitatis*, 2. *part.* vbi tamen oppositam tenet probabilem, cum Dionysio Chartus. *in primo*, *dist.*.17. *quæst.* 9. Tandem est sententia D.Bonauent. *in primo*, *dist.* 12. *part.* 2. *quæst.*3. & ostendemus 2. 2. hac præcipua ratione S. Doctoris, quam sequitur Vasquez *num.*78. nam, alioqui venialia minuerent etiam habitum gratiæ; vt cùm hi habitus sint finiti, tandem à venialibus peccatis consumerentur, quod est absonum; alioqui solis venialibus fieret inimicus Deo, & in æternum damnatus. Sed de his *loco cit. Tract.*1. *de Charitate*, *disput.* 8. *quæst.*14. *de virtutib. Tom.*5.

Ratio igitur vltima est Seraphici Doctoris hîc *fund* 2. *&* *in* 4. *loco cit.* Si per singula opera augeretur gratia; sequeretur, eum, qui plura opera fecisset, & plurimos annos viuens, vt Noë, aut Mathusala, præcederet sanctitate Apostolos. Sic definitum esset, vt Paulus omnibus Apostolis esset Prælatus in gloria; cùm ipse dicat 1. *Cor.* 15. Plus omnibus se laborasse. Et tamen Glossa *Iudicum* 2. ad ea verba: *Qui longo tempore post eum vixerunt*, notat, hoc nosse, solius Dei esse. 273

Obiicit primò Vasquez, Concilium Trident. *sess.* 6. *cap.* 6. vbi conditiones enumerat bonorum operum, vt sint meritoria. Prima est, vt sit hominis iustificati. Secunda, vt sit ex Deo, gratia adiuuante. Tertia, vt homo decedat in eo statu. Et addit: *Nihil amplius deesse operibus illis, quo minus sint meritoria.* Ergo non exigitur, vt sint intensiora; nam sine hac conditione consideratis operibus nil deest ad meritum. Id vrget etiam Fuliensis. 274

Sessione etiam eadem, *can.*24. 26. *&* 32. damnat eos, qui dixerunt, bona iustorum opera, quæ per gratiam Christi facta sunt, non mereri augmentum gloriæ, nullâ omnino factâ mentione intensionis.

Præclara autem sunt verba *eiusdem sess.* *capite* 16. vbi etiam minimis operibus, etiamsi quis dederit calicem aquæ frigidæ, vt habetur *Matth.* 10. *Marci* 9. recipiendam mercedem promittit. 275

Respondetvr primò, Concilium noluisse definire opinionem Vasquez, sed ex more eam reliquisse

 scholis.

ſ. holis: Opus enim ex materia minutum, poteſt eſſe formâ intenſum.

Respondet ſecundò S.Bonau. non amitti mercedem operum remiſſiorum; tum quia his ſtabilitur homo ad perſeuerantiam, quia etſi primum opus eſſet eius gloriæ eſſentialis meritorius, non tamen merebatur efficaciter, niſi charitate perſeuerante; & charitas non poteſt in homine vigere, quin exeat in bonos actus, cùm poteſt, & debet; Itaque ſequens opus non eſt fruſtra, quia addit ad meriti efficaciam: tum quia aliqua beatitudo accidentalis eis debetur. Non declarat autem Concilium, omnibus, & ſingulis operibus beatitudinem eſſentialem deberi.

276 Obiicit ſecundò Scripturas, quæ ſpondent bonis operibus mercedem æternam, nulla mentione intenſionis, quæ gratis apponitur, 2. Cor.9. *Qui parcè ſeminat, parce & metat*, 1. Cor. 3. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet*, & alia, quæ latè proſequitur Arriaga *loco citato*.

Respondet S. Bonauent. Scripturas promittere aliqua etiam præmia accidentalia, neque exprimere: An opera remiſſiora ſint talis meriti, imò reprehenduntur, eò quòd remiſſi ſint, vt vidimus.

277 Obiicit tertiò & Caſpenſis. Si vera eſſet doctrina Bonauenturæ, eſſent peioris conditionis illi, qui incipiunt poſt iuſtificationem operari intensè, quàm qui remiſsè; nam poſteà non operatur ita intensè, ſicut in primo feruore conuerſionis. Itaque innumera operum multitudo deperderetur, & ſolùm aliqua pauca mercedem vitæ æternæ acquirerent.

Respondetur è Seraphico, & D.Ambroſio in Gloſſa ad ea verba Apoc.2. *Vide, vnde excideris*; peioris conditionis eos fieri ſuâ culpâ; eò quòd non reſpondeant gratiæ, qua primum feruorem inceperunt. Idem habet S.Doctor *de Profectu relig. paſſim*, & D.Auguſtinus. Sanè ex natura ſua ſunt melioris conditionis, quia maiora habent auxilia: Quòd verò fiant peſſimi, hoc eſt ob eorum vitium, vt ait D. Auguſt. *epiſt. ad plebem Hipponenſem*.

Obiicit quartò. Peccatum non eſt magis efficax ad merendam pœnam, quàm opus bonum ad meritum: Sed peccatum ſequens, ſi ſit æquale, meretur duplo maiorem pœnam: Ergo.

278 Respondet D. Bonauent. negando paritatem, nam mali ſumus, quia mala facimus; At non ſic ſumus boni, quia bona facimus, imò facimus bona, quia ſimus iuſti. Itaque bonitas operum naſcitur è bonitate operantis. Hinc diuerſis peccatis diuerſæ pœnæ debentur; quamuis diuerſis bonis operibus mereamur vitam æternam; quia actio merendi, & acceptandi in pluribus bonis vna eſt; ratio verò demerendi in pluribus peccatis eſt diuerſa. Prætereà non eſt ſimile: Nam bonum, reſultans ex integris cauſis, difficiliùs fit, quàm malum, quod ex quocunque defectu enaſcitur.

279 Obiicit quintò. Homo ſeruiens longo tempore, ſemper meretur maiorem mercedem, etiam per opera æqualia, & remiſſiora: Ergo & qui ſeruit, Deo, quia Dominis temporalibus eſt liberalior.

Respondet S.D. negando paritatem: Quia homo non reputat opus dignum retributione propter bonitatem operantis, ſed potiùs operantem propter bonitatem operis. Homo enim indiget alieno ſeruitio. Deus autem, qui bonorum noſtrorum non indiget, non operantem propter opera; ſed opera propter operantem acceptat, & remunerat.

280 Obiicit ſextò Caſpenſis. Ponamus hominem iuſtificatum, primò per Baptiſmum, ſecundò per Confirmationem, nunquam operari opera intenſiora, ſed remiſſiora, & ſic mori: Ergo opera bona non erunt ei in augmentum gloriæ, quod eſt contra Concilium Tridentinum.

Respondetur, Concilium damnare tantùm eos, qui negant, per opera quæcunque bona augeri præmium eſſentiale; non autem definit etiam remiſſiora acquirere augmentum gratiæ, & gloriæ eſſentialis.

Obiicit ſeptimò: ſequeretur, actum intenſum, vt octo, eſſe meritorium in homine habente habitum, vt quatuor; non in habente intenſum, vt octo, quod eſt abſonum. 281

Respondetur, nihil eſſe abſurdi: Nam vt ait Chriſtus: *Cui multum datum eſt, multum requiretur ab eo*. Ex his patet, negatiuam opinionem Seraphici Doctoris non eſſe erroneam, vt aliqui muſſitant.

Obiicit etiam Suarez *relect. de reditu meritorum*, Concilium Florentinum, vbi Eugenius Papa ait: *Sanctos videre Deum, meritorum diuerſitate, alium alio perfectiùs*, & Apoc. 2. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc*.

Confirmatur. In Republica augentur merita per operum multitudinem, & non per ſolam intenſionem.

Probatur etiam, quia poſſet alioqui dici abſque temeritate B. Franciſcum eſſe perfectiorem Paulo; nam potuit ſemel habere actum intenſiorem, licèt Paulus innumera opera fecerit. 282

Respondetur ad oppoſitiones Suarez ſuprà latas, ſolùm oſtendi, augeri merita per diuerſa opera, & non tantùm per aliqua, puta charitatis.

Ad illud de S. P. N. Franciſco, Dico, Ignoranti quidem eximia eius merita, temerarium eſſe, illum D.Paulo præferre. Cæterùm, ſi certò conſtaret ipſum intenſiores charitatis actus, licèt pauciores, quam D.Paulum eliciuiſſe, nullius temeritatis eſſet incuſandus, qui ſubliniorem gloriam intenſiori merito aſſignaret. Verùm, vtrum ità S.Franciſcus meritus ſit non eſt noſtri muneris aſſerere; Illud mihi conſtat è D.Bonauent. *in legendis S. Franciſci, cap.9.* Seraphicum hunc Patriarcham, totum, tanquam Carbonem ignitum, diuini amoris flamma abſorptum; repetitis continuè actibus in Deificum recaluiſſe incendium, totumque à ſe receſſiſſe, & exceſſiſſe, vt ad perenne diuini amoris profluuium, & fontalem bonitatem ſitiendo iugiter potaret, & potando ampliùs ſitiret; vnde præ cæteris viſibiliùs Domini ſtigmata portauit in corpore, vt inde luceret, quantam, & qualem gloriam eſſet reportaturus in anima; cuius intenſum quippè meritum, vrgente Charitate Chriſti, iam redundauerat ſenſibiliùs in membra. Aduerſariorum tamen Argumentum nihil concludit, vt potè de potentia malè inferens actum.

Assero ſecundò, etiam oppoſitam ſententiam eſſe probabilem. Ita D.Bonauent. 283

Probatur argumentis oppoſitis. Ita tamen, vt augmentum fiat ſtatim poſt meritum. Ita colligitur ex Concilio Tridenr. *ſeſſ.6. cap.10.* vbi ait, Iuſtos renouari de die in diem, & creſcere in accepta iuſtitia per bona opera, quibus fides cooperatur.

Probatur quoque ſecundò; quia alioqui nunquam daretur illud augmentum; nam adueniente diſpoſitione illa, quam excogitant, datur proportionata gratia, & non amplior.

Probatur tertiò; quia vel noua diſpoſitio, v. g. vt ſex, facit, vt actus remiſſus, vt duo, hominis iuſti, habentis habitum vt quatuor, recipiat totam mercedem noui actus, & antiqui, vel ſolius noui. Si tantùm noui: Ergo minus merito recipiet, quod eſt intenſum vt ſex. Si vtriuſque: Ergo actus, vt ſex, augebit habitum octo gradus. Hæc ratio elicitur è D.Bonauent. 284

D. Bonauent. *loco cit.* Quòd verò non reseruetur ad mortem augmentum gratiæ, dicam *quæst.* 18. *in fine.*

QVÆSTIO XIII.

An augmentum gratiæ, adueniens ex operibus intensioribus, sit de condigno acquisitum.

D Bonauent. in 2. dist.27. art.2. quæst.1.
D.Thom quæst.114 art.8.

285 OMnes ponere meritum condignum præter D. Bonauent. ait Vasquez *disp* 210. *num.9.* At cum idem censeri dicat de merito ad gloriam à Theologis, & Concil. Trident. *sess.6. can.24. & 32.* vt ostendit *disp.*113. ibi vero D.Thom. *quæst.*113. *art.*1. cum aliis neget proprium meritum ad vtrumque, quod suprà etiam docuerat *quæst.*21. *art.*3. & 4. non video, cur solùm ponat D.Bonauent. esto D.Thom. *hic* condignum astruat. Neque Concilium aliud definit, quam opera nostra in gratia esse meritoria, contra Sectarios, qui ea omnia peccata asserunt: Abstinet verò à nomine *digni*, vel *condigni*, vt fatetur Vasquez *disput.*113. *cap.6.* neque ità definit, vt malè, ait Valentia *disp.*8. *quæst.*6. §.5.

PORRO S.D. meritum verum dignum incrementi gratiæ admittit. Quod sit meritum digni, dixi *quæst.*3. *& p.p. tract.*1. *disp.*21. *quæst.*11. Docet ergo, meritum *digni*, esse medium inter condignum, & congruum. Vide ibi. Porro recordare *tract.* 2. *disput.* 1. *quæst.*6. habitus intendi nouis gradibus, quod hic de gratia docet S.Doctor.

ASSERO, meritum augmenti gratiæ esse dignum, & in hoc solo deficere à commensuratione arithmetica cum gratia emerita, quòd hæc dicat gradus intensiores. Id vult S. August. *epist.* 105. apud D. Bonauent.

286 PROBATVR à D. Bonauent. assertio. Ibi est meritum condigni, vbi est æqualitas meriti cum præmio, vt etiam alij concedunt. Sed meritum non commensuratur in casu nostro cum præmio: Ergo. Minor probatur. Meritum enim habet mensuram à gratia, qua producitur; at gratia, qua meremur augmentum, est minor ipso augmento.

RESPONDET D. Thom. *ad* 2. quòd licèt gratiæ accrementum superet gratiam merentem quoad quantitatem; non tamen superat quoad virtutem.

287 CONTRA arguit Caietanus ex D. Bonauent. *in* 4. *dist.*17. *part.*2. *quæst.*1. *fund.*5. & *in corpore.* Nam in his, quæ magna sunt quantitate virtutis, non molis, idem est maius esse, & melius esse: Igitur si gratia præcedens superat augmentum quoad virtutem, superat etiam quoad quantitatem, & accrementum: Si superat quoad quantitatem; superat etiam quoad virtutem. Antecedens est D.Augustini

RESPONDET Medina ad hunc locum D.Thomæ quòd gratiæ incrementum superat gratiam præexistentem, etiam in virtute, quando crescit vsque ad consummationem gloriæ; non verò in disponendo, & merendo.

288 CONTRA. Nam meritum *condigni*, est æqualis intensionis cum præmio; sed gratia præcedens, v. g. vt quatuor, non est æqualis intensionis cum præmio, vt octo. Affert Medina etiam argumentum secundum S.Bonauenturæ.

RESPONDET Vasquez, posse gradum intensiorem moraliter ex minori prodire.

CONTRA, quia hîc non valet distinctio entitatis physicæ; nam moraliter oportet tantum esse meritum, quanta gratia infunditur à Deo, ad h c meritum sit condignum.

QVONIAM premunt S. Doctorem, quasi hoc, 189
meritum congruum censeat; aduerte, meritum c ndignum ab eo dici, quod habet Mathematicam cum premio æqualitatem moralem: congruum verò, quod vix aliquam sortitur condecentiam. Dignum verò est medium, dicitque dignitatem ex vno capite; & deficit ex alio in aliqua re, vt si iustus oret pro impio, dignus est, quia iustus, exaudiri. At impius est gratiis indignus. Habet verò hoc medium latitudinem: In casu nostro dat S.D. Exemplum: Iustus operibus sanctis meretur dignè augmentum gratiæ: At in hoc solo deficit ab æqualitate, quia gradus, qui acquiruntur sunt intensiores, atque adeò perfectiores iis, quibus meretur. Accedit verò ad condignum magis, quam præcedens. Imò concludit S. D. *quæst.* 3. distinctionem admittens condignitatem ex proportione completa à Diuina promissione, quæ sane in casu nostro reperitur inter opus arbitrii è 4. gradibus gratiæ; & quintum gradum, qui acquiritur, additâ Dei promissione. Hoc sincere intendit S. Concilium, vt patet legenti. Quare immeritò corrugatis naribus legunt aliqui nostri ordinis Lectores Seraphicum, & alto supercilio ipsum aspiciunt alieni. Reducit sane hoc meritum ad congruum ob illam gradus minoritatem; Sed, addito promisso, illud refertur ad alterum extremum condigni, ad quod reliquum etiam reuocatur.

Hinc meritum istud non reducitur secundum se totum ad dignitatem, vi decreti, vt putat Valentia, nos asserere; sed solum reducitur quoad physicum gradum gratiæ, quo operatur & hic addita dignitate, qua fere ipsa gratia tota eleuatur, modo dicto *disp.*2.

INSTAT Vasquez *loco cit.* Quia incrementum il- 290
lud gratiæ meretur de condigno vitam æternam. Ergo non minùs condignè meretur incrementum iustificationis. Nam quo maiorem gradum vitæ æternæ quis meretur, eò etiam magis dignus est gloria, magis iustus est; sicut enim dignitas gloriæ sequitur statum iustitiæ; ita maior dignitas consequi debet maiorem iustitiam, & sanctitatem. Rectè igitur à fortiori colligimus, opera iustorum esse meritoria condignè augmenti iustificationis, ex eo, quod sint meritoria gloriæ.

RESPONDETVR, ex iustificatione sequi gloriam, 291
& ex tali gradu iustificationis talem gradum gloriæ reddi, & ex hac æqualitate fit, vt condignè mereamur gloriam, & gratiam, profectò dignè, vt notat D.Bonauent. *quæstione sequenti, loco citato.*

OBIICIT verò eas Scripturas, quibus signifi- 292
catur, nos acquirere augmentum gratiæ nostro labore. Sic Eccl. 18. *Ne verearis iustificari vsque ad mortem*: & Apoc.22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.*

RESPONDETVR ex dictis *quæst.* 2. his locis non contineri aliud, quàm, nos iustificari dignè; non autem condignè, quia non adest æqualitas; vt dixi in merito ad præmium.

OBIICIT secundò D. Augustinum *epist.* 106. *ad Bonifacium. Non gratiam meriti aliquid præcedit humani; sed ipsa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici.* Idem habet *Tract.*5. *in primam Canonicam Ioannis.*

RESPONDET D.Bonauent. *in corpore*, D. Augustinum

num non assignasse ibi meritum *Condigni*, sed tantùm meritum simpliciter.

293 Obiicit tertiò cum D. Thom. *prima secunda, quæst.*114. *art.*8. Dei consilia perfecta sunt, & ideò eo modo cogitare debemus mouere iustos in vitam æternam motu, qui sit perfectior; sed perfectiori modo id fiet, si iustus mereatur condignè augmentum gratiæ: Ergo.

Respondetvr è S. D. modo illo, nos duci, qui proportionatus est. Iam verò hic modus *Digni*, est proportionatus; quia gratia, qua meremur, cùm sit remissior, non est æqualis præmio.

Argumenta sectariorum, negantium hoc meritum, omninò soluta iacent *quæst.*2.

QVÆSTIO XIV.

An possit. Ivstvs *mereri Perseuerantiam, aut resurrectionem à peccato.*

294 Qvoad primum, Caspensis *tract. de Gratia, sect. vlt.* posse mereri de congruo asserit. Probat, quia potest orare, vt sibi concedatur; orationi autem promittitur: *Petite, & accipietis*, ea scilicet quæ ad salutem sunt necessaria, vt dixi *quæst.*9. Quamuis enim promittitur ex mera misericordia; tamen videtur congruum, vt exaudiatur, qui eam petit. Idem sentit Vega *quæst.*17. *de Iustific.* & videtur D. August. *lib. de bono Perseuerantiæ, cap.*10. Et Valentia *disp.*8. *quæst.*6. *punct.*4. §.4. eam probabilem censet; omnes tamen negant, posse mereri condignè cum D.Thom. *loco cit.* Addit Fulliensis *lib.*4. *cap.*12. neque etiam de congruo mereri.

Hæc profectò est sententia Seraphici, non posse donum Perseuerantiæ mereri condignè, sed vix congruè. Ipsum vide *de profectu ad fororem, cap. vlt.* & *in* 2. *dist.*29. *art.*3. *quæst.*1. *ad vltimum.*

295 Probatvr à D.Thoma. Quod de condigno meremur, nobis exhibetur, nisi ponamus obicem peccati mortalis; Sed hunc non potest apponere, qui petit perseuerantiam, cùm sit iustus, nec tamen semper eam impetrat, vt patet: Ergo.

Qvoad secundum dico, non posse iustum mereri resurrectionem de condigno. Ita D.Bonauent. & Valentia cum D.Thom. *disp.*7. alioqui is, qui semel iustus est, non posset mori impœnitens, sed deberet iustificari. Deinde meritum *condigni*, est amicorum Dei. Potest tamen de congruo (ait Fuliensis) vt si post grandia merita ob tentationem atram ceciderit.

QVÆSTIO XV.

An bona temporalia cadant sub merito.

{ D.Thom. art.10.

296 Assero primò, mereri iustum bona temporalia, quatenus conducunt ad vitam æternam. Vide Valentiam *disp.*8. *quæst.*6. *punct.*4. §.5. Intelligendum verò dicit Vasquez *ad hunc articulum*, de congruo.

Probat, quia bona temporalia, prout conducunt ad beatitudinem, sunt gratiæ auxilia. Hoc verò nos mereri probatur à D.Thoma. Talia bona, vt conducunt ad salutem, sunt bona simpliciter, & ita possunt cadere sub merito. Vide D.Thomam.

QVÆSTIO XVI.

An possit aliquis mereri alteri de condigno.

{ D.Bonauent. in 2. dist.27. art 2 quæst 1. ad 3.
D.Thom. quæst.114 art 6.

Assero primò, posse aliquem pro alio mereri. 297
Probatvr à D.Bonauent. ex D.Augustino, *lib. de Pradest. sanctorum.*

Assero secundò, posse aliquem merito digni intercedere pro aliis. Ita D. Bonauent. *locis adductis quæstione* 3.

Probatvr è S.Bonauent. *ad* 5. *Luca* ad ea verba: *Quorum fidem, vt vidit, dixit: Homo remittuntur tibi peccata tua*, vbi refert Bedam *lib.*2. in *Lucam, cap.*5. dicentem: *Multum valet vnicuique fides propria, cum per alienam homo sit interius saluatus.*

Assero tertiò, nullum purum hominem, posse alteri de condigno mereri. Colligitur è D.Thom. *loco cit.* vbi tanquam certum id ab expositoribus supponitur.

Probatvr è Scripturis 2. Cor.5. *Vnusquisque referet propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Apocalip. 14. *Opera enim illorum sequuntur illos:* Ergo opera ex propria gratia non procedentia nulli proderunt ad salutem. Per hæc tamen non excludimus merita Christi, quæ nobis applicata gratiam vnicuique nostrum reconciliant, qua nobismet ipsis de condigno mereamur.

Probatvr secundò è Concilio Trident. sess. 6. cap. 16. *Atque ideò benè operantibus in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, tanquam gratia, &c. & tanquam merces ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus fideliter reddenda:* vbi *bona ipsorum opera*, denotant, Deum vnumquemque pro suo, non pro alieno merito remuneraturum.

Accedvnt Patres. Chrysostom. *homilia* 13. *ad populum*, circa finem, indicat, vnumquemque sibi salutem mereri, & de suis tantùm factis iudicandum. Item *D. August. tract.*4. *&* 5. *in Ioan.* proprium esse Christi asserit, alios reddere Deo gratos, obtinendo illis gratiam, & peccatorum remissionem, & *tract.*73. *&* 102. docet, neminem pro alio orantem, infallibiliter pro ipso impetrare: Ergo nec mereri.

Probant id nonnulli quibusdam rationibus apud Suarez *lib.*12. *de merito, cap.*16. *num.*4. *& seqq.* primò, quia ratio meriti stat in dignitate laudis, quam nemo potest aliter quàm sibi suis actibus mereri: verùm hæc ratio ibidem à Suarez reiicitur, tanquam falso nitens fundamento: Nam si ratio meriti esset dignitas laudis; nemo mereretur aliud præter laudem; nec meriti præmium vlli inhæreret; cùm tota ratio laudis sit extrinseca, adueniens laudato; quare ipsi Deo non repugnaret sic mereri, cùm maximè mereatur laudari iuxta id Psalm.8. *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem*, vide quæ diximus suprà, *disp.*4. *quæst.*3. *num.*61.

Cæteræ item rationes, quæ pro hac assertione afferri solent, facilè refelluntur, si absolutè spectentur, cùm sint congruentiæ quædam, quæ diuinam potentiam, quò minùs oppositum statuat, non ligant: vnde liquet, efficacissimam huius sententiæ rationem esse Dei Decretum, quo vnicuique proponitur gloria proprio marte acquirenda, sitque promissio Denarij diurni solùm in vinea laborantibus, non autem in plateis otiantibus. Vide Suarez *loco cit.* Valent.

Valent. *disp.*8. *quæst.*6. *puncto* 5. Medinam *quæst.* 114. *art.* 6. & cæteros expositores D. Thomæ ad dictum *art.*6.

QVÆSTIO XVII.

An Sancti suis orationibus è cœlo intercedant pro nobis, & ideò inuocandi.

S.Bonauent. in 4. dist.49. art.3. toto.

298 GRavis est hæc controuersia cum hæreticis, quam libenter hic assumo, vt ratio meriti alieni pleniùs eniteat, & insolentium ora retundam.

Libenter autem disputationes cum hæreticis controuersas latiùs prosequar, quippe vtilissimas ad fidem nostram comprobandam, quod Theologi Catholici est munus. De his latè scripsere Valentia *lib.*2. *de Idolatria*, Bellarminus *Tom.* 1. *controu. lib.*1. *de Sanctorum beatitudine*, *à cap.*15.

Hæreticorvm ingens phalanx inuocationem Sanctorum è medio tollere nititur. Primus omnium Vigilantius, inuocationem sanctorum, ait, post eorum vitam non esse licitam. Ita videre est apud D. Hieronymum, contra Vigilantium. Alij etiam hæretici, tempore D. Bernardi, inuocationem Sanctorum tollebant, vt refert ipse D.Bernard. *serm.*66.*in Cant.*

299 Idem docuere postea Vualdenses, vt refert B. Antoninus 4. *part.tit.*11. *cap.*7. §.2. Posteà quidam nomine *Cathari*, vt refert Turrecremata *lib.*4. *part.*2. *cap.* 35. *sum. de Ecclesia.* Deinde Ioannes Vuicleph. vt scribit Vualdensis *tom.*3. *tit.*12. *cap.* 108. pariter Thaboristæ, qui sunt de familia Ioannis Hus, vt scribit Æneas Sylvius *de origine Bohemorum*, *cap.* 35. quamquam Vuicleph. solùm inutile dicebat inuocare Sanctos, quos Sceptris Regum comparare non erubescit.

300 Deniqve Lutherus *in Libris ad Vualdenses*, Melanchon *in Apolog. art.*1, *confess. August.* Brentius *cap.*24. *confess. Vuitemberg.* Caluinus *lib.* 1. *cap.* 14. §.12. *& lib.*3. *cap.*20. §.20. tria docent: Primum, è Scripturis non haberi inuocationem Sanctorum mortuorum pro viuis. Secundum, si orant, eos orare solùm in genere pro tota Ecclesia. Tertium, hoc esse inutile, quia non habeant tam longas aures, vt ad nos perueniant. Addunt insuper esse perniciosum; quia hinc læditur gloria Christi, qui est vnicus Mediator noster.

301 Mvlta deinde intermiscent mendacia; nempè, ità nos adorare sanctos, vti Deum, & hanc esse nouitatem. Nullam ad Christum inuocationem haberi in nostris precibus, cùm solus Aduocatus sit, & Sancti adhuc non sint in cælo. Vide Bellarminum *cap.*16.

Primo igitur suppono cum D.Bonauent. *hic*, non inuocari à nobis, neque id licitum esse inuocare Sanctos, vt authores donorum, quæ petimus. Est enim certum, omnes sanctos, etiam B.Virginem Sanctissimam, gratiam, & gloriam à Christo accipere. Psalm.83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*, vt notat D.Bonauent. *in speculo B. Virginis*, *lect.*5. & *in* 3. *dist.*19. *&* 20. passim. Ideò Ecclesia in omnibus Litaniis orat: *Christe audi nos*, *&c.* & in singulis orationibus orat: *Per Dominum nostrum Iesum*, quia ipse est Aduocatus, & Mediator hominum.

302 Assero primò, Sanctos orare pro nobis. Ita D. Bonauent. *quæstione* 1.

Probatvr à S.D. primò *quæst.*1. *in corpore*, *argumento Magistri*, *dist.*45. Angeli orant pro nobis, vt habetur *Tob.*12. *Zach.*1. *Apoc.*8. *Dan.*10. *Psal.*90. *Matth.*18. Ergo non minùs id præstant animæ beatorum. Probatur conseq. quia nihil habent minus eo, quod Angelis conceditur quoad hoc; habent enim intellectum, & voluntatem; cognoscunt in Verbo, veluti in speculo, nostras necessitates; diligunt nos, vt membra Ecclesiæ secum vnita sub eodem Capite; Sunt æquales Angelis, vt dicitur *Luca* 10. sunt etiam Beati in gloria, vt ostendi *Tract.*1. *disp.*2. *quæst.*19. Confirmatur, nam eodem modo Angelos, & Sanctos orare asserunt SS.Hilarius *serm.*124. Ambrosius *lib.*8. *in Lucam.*

Respondet tamen Caluinus, temerè negando consequentiam. Nam neque sunt (ait) beati, sed in Atrio absque sollicitudine nostri. At verò *loco cit.* satis error illius explosus est. Et quidem Sanctos curam habere nostri, patet *ex* 2. *Apoc.* vbi Christus promittit: *Qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & regent eas in virga ferrea, sicut & ego accepi à Patre meo.* Ergo si Christus gubernat Ecclesiam, vt colligitur ex similibus verbis, Psalm. 2. *Reges eos in virga ferrea*, idem & Sanctis concedendum. 303

Probatvr secundò à D.Bonauent. *quæst.*1. Christus, *semper viuens ad interpellandum pro nobis*, dicitur Heb. 7. Ergo & Sancti. Probatur consequentia à S.D. quia Sancti sunt imitatores Christi, & membra capitis. Ideò Apostolus, eadem epistola, cap.1. *Habemus testamenti noui Mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem, melius loquentem, quàm Abel.* Alludit ad 4. *Genes.* vbi Deus Cain alloquitur: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me*, vbi Chaldæa lectio habet: *Vox sanguinis generationum, quæ futura erant succedere de fratre tuo, clamant ad me.* Vbi Sancti omnes cum Abel, & melius cum Christo, intercedere dicuntur. 304

Probatvr tertiò à D.Bonauent. *quæst.*1. ex illo Ioan.14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Paracletus autem *Aduocatus* redditur ex Græco, vt exponit S.Bonauent. ad eum locum. Certum est autem, Spiritum sanctum præcisè non posse esse aduocatum ad exorandum, cùm oratio sit inferioris ad superiorem, vt ritè aduertit Seraphicus ad eum locum D. Ioannis. Vult igitur dicere, se Spiritum sanctum missurum, vt aliquem alium moneat qui sit aduocatus ad intercedendum pro indignis apud ipsum Christum; sicuti cùm dicitur Rom.8. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, idest postulare facit; non enim Spiritus Sanctus gemere potest. 305

Probatvr quartò à S. D. *in Bibliis Pauperum*, *cap.*16, *ex* 2. *Machab.cap.vlt.* vbi Iudas orauit Deum, vt, intercedentibus Sanctis, victoriam concederet. Cuius signum est, quod apparuit Onias Pontifex, & Hieremias Propheta, qui iam obierant, orantes pro populo Iudæorum. 306

Respondet Caluinus, Librum Machabæorum non esse Canonicum.

Contra. Nam Concilium Carthaginense tertium, quod affert Caluinus hîc, tanquam Oecumenicum, *cap.*47. sic ait: *Item placuit, vt præter Scripturas Canonicas, nihil legatur in Ecclesia sub nomine Diuinarum Scripturarum: sunt autem Canonicæ Scripturæ, Genesis, Exodi*, & infrà: *Esdræ libri duo, machabæorum Libri duo.* Aduerte autem, Sanctos illos orasse singulariter pro necessitate illa; & pro hominibus illis indiuidualiter.

Probatvr quintò à S. D. *ad* 18. *Lucæ* post initium Psalm.31. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* 307

Probatvr

Probatvr sextò à S.D. *in 4. dist. 50. art. 1. quæst. 3.* ex 16. *Lucæ*, vbi Diues ille orabat: *Habeo enim quinque fratres, mitte eum in domum Patris mei vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum Odrmentorum*; quantò magis iusti, qui in Deo, tanquam in speculo, vident nostras necessitates, & charitate flagrant, orabunt pro nobis? Similiter Apoc. 5. *Vigintiquatuor seniores habebant phialas plenas Odramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum*, vt exponunt Primasius, Richardus, Scholia Græca apud Oecumenium.

Respondet Brentius, istas orationes esse figuratè explicandas, quia preces, quas sancti viuentes fuderunt, adhuc resonant.

Verum quis non videt, Diuitem illum in vita non fuisse sollicitum suorum fratrum, sed tantùm post mortem?

308 Probatvr septimò à S. D. hic *quæst. 1. in corpore*, Scripturis, è asserentibus communionem Ecclesiæ militantis cum Triumphante *Heb. 12. Ephe. 2. & 4. Galat. 4. Coloss. 2.* At communio ista exigit, vt membra pro aliis membris sollicita sint, vt Apostolus docet *Rom. 12. Prima Corinth. 12.* Vide D. Augustinum 20. *de ciu. cap. 9.* vbi idipsum probat.

Probatvr octauò à S. D. *fund. 3.* ex ritu Ecclesiæ, quæ hoc sanè certissimè supponit, dum Litanias contexit: Alterum enim ex altero sequitur, ex quo fit, vt Vigilantius, qui asseuerat, Sanctos non posse orare pro nobis, rectè culpetur à Catholicis, negasse inuocationem eorum. Quare temerè Blatero ille Melanchthon, Papistas Asinos proclamat, quia dicunt, Vigilantium negasse inuocationem Sanctorum.

309 Ideo autem Litaniæ non modo vt sonant *Kirie eleyson*, sed inuocationes Sanctorum indictæ sunt in Conciliis, Gerundensi, *can. 3.* Aurelianensi primo, *can. 29.* Moguntino sub Carolo Magno, *cap. 37.* Toletano V. *cap. 1.* Toletano VI. *cap. 2.* Bracharensi II. *cap. 9.* Sunt autem Concilia, ferè omnia, celebrata ante annos 1000. Similiter hanc assertionem statuunt Concilium Chalcedonense *in epist. Episcoporum Europæ ad Leonem Imperatorem*; Et *act. 11.* Concilium definit: *Flauianus post mortem viuit, Martyr pro nobis oret.* Idem habet Synodus VI. Generalis *act. 6.* Et septima Synodus *act. 6.*

310 Probatvr etiam nonò ex Sanctis PP. Basilio *in orat. Quadraginta Martyrum*, Gregorio Nazianzeno *orat. 14. & orat. in Cyprianum*. Hilario, & Ambrosio suprà *adductis*, Leone I. *serm. 2. & 3. de sua Assumpt. & serm. de SS. Primo, & Feliciano*. Theodoreto *lib. 8. ad Græcos*, Cypriano *lib. 1. epist. 1.* Chrysostomo *serm. de SS. Iuuentio, & maximo*. Hieronymo contra Vigilantium, *& epist. ad Paulam, de obitu Blexillæ*, Augustino *lib. 7. de Baptismo, contra Donatistas, cap. 1.* Vide Bellarminum *cap. 19.*

Assero secundò, Sanctos multa bona impetrare nobis. Ità D. Bonauent. *quæst. 2.*

311 Probatvr à S. D. primò. In vtroque testamento habemus, Sanctos à viuentibus inuocatos, impetrasse gratias; *Primo Reg. 7. Ieb. vlt. Rom. 15. Eph. 6. Prima Thessal. 5. Secunda Thessal. 3. Coloss. 4. Heb. 13.* Ergo etiam nunc licebit inuocare eosdem Sanctos, cum Deo regnantes: Nam si nunc non licet; vel hoc est, quia nolunt; & hoc non, cùm sint maiori charitate præditi, quàm antea (vt loquitur D. Cyprianus *lib. de Mortalitate:*) vel quia non possunt; & hoc neque; quia si poterant, cùm hîc essent peregrini, quantò magis nunc in patria: Vel hoc est, quia non sciant, nos orare, & hoc neque; sicut enim Angeli in cœlo norunt conuersionem peccatorum, & festa agunt, vt dicitur *Lucæ 15.* sic etiam Sancti in Deo necessitates nostras valent intueri; Vel quia sit iniuria Christo; & hoc neque, quia neque liceret viuentes inuocare.

Respondet Caluinus disparem esse rationem, quia viui sunt inuicem membra, subnixi vnâ Christi intercessione, & ideò pro inuicem orare queunt.

At quis non videt etiam in gloria esse membra eiusdem corporis, eodem capite nixos, eiusque meritis omnia postulantes? imò magis Christo coniuncti, & amici; & ideo efficacioris intercessionis, vt infert D. Bonauent. Confirmatur ab eo. Si enim orant pro nobis: Ergo impetrant; alioqui frustrà orarent; vt notat S. D. *fund. 3.* 312

Probatvr *fundamento 4.* ex innumeris miraculis, quibus Sancti sæpissime ostendunt, se exaudire orationes hominum. Vide de his epistolam Nili, recitatam in septima Synodo *act. 4.* Theodoretum *in hist. lib. 5. cap. 24. & lib. 8. ad Græcos*, Ambrosium *serm. 90.* Augustinum 22. *de ciu. Dei cap. 8.* Gregorium Turonensem *lib. de gloria Martyrum*, Gregorium Romanum *lib. 3 Dial. cap. 22. 24. 25. & 37.* Bonauenturam in vita S. P. N. Francisci. 313

Probatvr deinde *in corpore, argumento Magistri ea dist.* Scripturis scilicet, *Tob. 12.* Archangelus Raphael protestatur: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, Ego obtuli orationes tuas Domino*, & Genes. 48. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: & inuocentur super eos nomina Abraham, & Isaac*, Et Iob. 5. *Voca, si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere.* Vbi D. August. *Annot. in Iob*, notat, inuocari Angelos; quo sensu interpretatur etiam illud, cap. 19. *Miseremini mei, amici mei*, iuxta quod dicitur, cap. 33. *Si fuerit pro eo Angelus loquens vnus de millibus: miserebitur eius. & dicet: Libera eum.* Ex quo habetur, à tempore Iob inuocatos fuisse Angelos; Fuit verò Iob ante Moysen. Ex quo idem colligitur de Sanctis, vt suprà ostendi. 314

Probatvr etiam ex aliis inuocationibus. Exod. 32. *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Israel, seruorum tuorum*, Vbi Theodoretus *quæst. 67. in Genes.* dicit, Moysen, cùm se insufficientem videret ad placandum Deum, adhibuisse merita Sanctorum. 315

Neqve verò solum pactum Dei memoratur, vt respondet Caluinus; nam merita allegantur. Sic Psalm. 131. *Propter Dauid seruum tuum, non auertas, &c.* Vide Bellarminum *cap. 19.* Idem probatur ex Conciliis suprà allatis.

Probatvr etiam è priscis PP. Ita Dionysius, *cap. 7. Eccles. Hier.* Irænæus *lib. 5. contra hæreses, cap. 19.* Eusebius Cæsariensis *lib. 13. Prepar. Euang. cap. 7.* Athanas. *serm. in Euang. de sanctissima Deipara*, Basilius *in oratione, quadraginta Martyrum, & orat. in Psalm. 33.* Gregor. Nazianzenus *orat. in Cyprianum, & orat. in Basilium, & orat. in Athanasium ad finem*, Chrysost. *homil. 66. ad popul.* Gregor. Nyss. *orat. in S. Theodorum*, S. Ephrem *in laudibus SS. Martyrum*, Cyrillus *catechesi 5. Mystagogica*, Theodoretus *in hist. SS. Patrum, & lib. 8.* ad Græcos, Damascenus *lib. 4. de fide, cap. 16.* Theophylac. *in cap. 11. ad Hebræos.* 316

Probatvr ex Latinis. Sic Cornelius Papa *epist. 1.* Hilarius *in Psalm. 129.* Ambrosius *lib. de Viduis, & lib. 10. in Lucam* exponens *cap. 21.* Hieronymus *in Epitaphio Paulæ*, Maximus *serm. de S. Agnete*, Ruffinus *lib. 2. Hist. cap. 23.* Paulinus *in fine carminis Panegyrici de S. Celso, & epist. 12.* Prudentius *serm. de S. Laurentio, de S. Cassiano, & de S. Hyppolito*, Augustinus *tract. 84. in Ioan. serm. 17. de verbis Apostoli, lib. de cura pro mortuis, cap. 4.* Victor Vticensis *lib. 3. de persecutione* 317

persecutione Vvandalica, Fulgentius *serm. de laudibus B.Virginis*. Leo *serm.5.de Epiphania*. Gregor.M. *lib.2. Dial. cap. vlt.* Gregorius Turonensis *lib. 1. de gloria Martyrum, cap. 94.* Beda *lib.4. in Cant.* Anselmus *lib. de excellentia B.Virginis,cap.vlt.* Bernardus *serm.2. in Euang. Missus est.*

318 Ex his triginta antiquis PP. soli quinque sunt Gregorio posteriores. Ex quo patet mendacium Philippi Melancthonis, ante S.Gregorium, ignotam fuisse intercessionem Sanctorum.

Magdebvrgenses *centur.4. cap.4.* respondent, vel eos PP. errasse, vel à Spiritu malo insertos hos errores in Patribus, quia Ambrosius *lib.3. de Spiritu Sancto, cap.12.* & Epiphanius *in hæresi Collyridianorum*, dicunt, solum Deum esse adorandum.

At cùm soli Deo adorationem Latriæ adscribant non adimunt cultum Sanctorum.

Brentivs *cap.24. Confess. Vuitemberg.* dicit, hos Patres inuocare mortuos per prosopopæiam, sicut nos alloquimur cœlum, mortuos, &c.

319 At verò, cùm Patres ex inuocatione promittant sibi suffragia, non figuratè loquuntur.

Calvinvs *lib.3. cap.20. Instit.* respondet, Patres voluisse quidem impedire hanc superstitionem, sed non potuisse repellere impetum vulgi, quod probat ex Concilio Carthag. tertio, vbi prohibetur, ne in precibus ad altare, oratio dirigatur ad alium, quam ad Patrem. Quod confirmat è D. August. 22. *de ciu. cap.10.* vbi dicit, Sanctos non inuocari à Sacerdote sacrificante.

320 At luce clarius SS. Patres laudant inuocationem Sanctorum: Neque aliud Concilium Carthag. vult, quàm vt ad Patrem solum dirigatur, & precetur per Iesu Christi merita; non per Spiritum Sanctum, cùm ipse Spiritus Sanctus sit donum dandum, vt notat S.D. *quæst.1.ad vlt.*neque aliud intendit S.August. quàm inuocandum solum Deum, quasi acceptantem Sacrificium. Soli enim Deo Sacrificatur; nam quòd Sancti inuocandi sint, asserit *locis adductis.*

Assero tertiò, vtile esse inuocare Sanctos. Ità D.Bonauent. *quæst.3.*

Probatvr à D.Bonauent. tum quia Ecclesia Catholica eos ab initio inuocauit. Ergo non frustrà,quod patet ex miraculis, & gratiis receptis. Tum etiam quia per familiares, facilior est ad Principes accessus, vbi merita desunt. Vide Seraphicum.

321 Obiicivnt primò. Inuocatio Sanctorum in iniuriam Dei cedit; nam *Rom.10.*habetur: *Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Ergo solus inuocatur in quem credimus; non credimus autem, nisi in Deum. Confirmatur ex D. Ambrosio in primum caput *ad Rom.* & Theodoreto *lib 8. ad Græcos* in fine, qui reprehendunt accedentes ad aulicos, cùm ad Regem sit accessus liber.

Respondet S.Bonauent. *quæst.3. in corpore*, non inferri iniuriam Deo precando Sanctos, vt intercedant, dummodò non inuocentur vt Dij, sicut honor Regi affertur, non aufertur, dum reuerenter aliquem familiarem oramus,ob reuerentiam Regis,vt ad Maiestatem Sacram nos adducat. Sanè inuocare Sanctos vt Deos,est iniuria Deo; & quia hoc soli Deo esse debitam asserit Apostolus *Rom.10.* & hanc inuocationem factam astris, tanquam Diis, reprehendit Ambrosius, *loco cit.* Ad Theodoretum dico; cum asserere cultum Deorum esse translatum ad colendos plures Sanctos, non tamen vt Deos.

322 Obiicivnt secundò 1. *Tim.2.* habetur: *Vnus est mediator Dei, & hominum.* Ergo, qui alios quærit mediatores, iniuriam Christo infert. Confirmatur ex D. August. *lib. 2.* contra Parmenianum, *cap.8.* vbi reprehendit nominantem plures mediatores ad Deum.

Respondet S.Bonauent. *loco cit.* nullam iniuriam Christo inferri inuocando Sanctos, vt nos adiuuent, ac ducant ad Christum, vt faciliùs per eorum merita impetremus dona, quibus nos agnoscimus indignos. Vnus est sanè Mediator Dei, & hominum per modum redemptionis soluens pretium nostri debiti, vt notat S. D. *in 3. dist.19. art.2. quæst. 1. & 2.* & ideò subdit Apostolus: *Qui dedit semetipsum redemptionem pro nobis*: At verò per modum intercessoris, etiam Sancti possunt esse mediatores: Sic de se fatetur Moyses: *Ego medius fui inter Dominum, & vos.* Deuter.5. 323
Quibus verbis alludens Apostolus *Galat.3.* dicit: Legem veterem ordinatam fuisse per Angelos in manu mediatoris, id est Moysis: & *Heb. 9. & 12.* vocat Christum Noui testamenti Mediatorem, sicut erat Moyses Antiqui. Hinc D.August. *loco cit.* contra Donatistas, qui volebant, Sacramentorum valorem pendere è bonitate Ministrorum, quos veluti redemptionis authores, & mediatores faciebant, illos reprehendit; quia siue hic, siue ille baptizet, Christus baptizat, quia ipse est Mediator Dei, & hominum.

Dicitvr etiam alia de causa Mediator, vt notat S.Bonauent. *loco cit. quæst.2.* non solum quia reconciliator; sed etiam quia medius per naturam Diuinam, & humanam in hypostasi, inter Deum, & hominem. Hanc rationem reddunt omnes PP. Ambr. Chrysost. Theophylac. Theodoret. Oecumen. *ad hunc locum Apostoli*. Epiphan. *in Anchorato*, ante medium. Cyrillus *lib.12. Thesauri, cap.10. lib.1. de Trin.* ante medium. Hilarius *lib. 9. de Trin.* non procul ab initio, August. *lib.9. de ciu. Dei, cap.17.* Fulgentius *lib.* de fide ad Petrum, *capite 2.* 324

Deinde etiam dicitur *Mediator*, quia: *Nullus interpellat pro illo, & ipse pro omnibus*, vt ait D. August. *lib.2. contra Parmenianum, cap.8.* Quæ verba non video, quo fundamento à Caluino vrgeantur. Non enim ideò excluditur, quin interpellentur etiam Sancti; sed per ipsum Christum, qui primus, vnusque est supremus Mediator, & Redemptor. Sic enim interpellat etiam pro his,pro quibus interpellant Sancti, non quia interpellat pro ipsis beatis, quia illa propositio (*pro omnibus interpellat*) intelligitur pro omnibus, necessitatem habentibus. Ità etiam Bellarminus. 325

Obiicivnt tertiò *Coloss. 2.* habetur: *Nemo vos seducat volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, &c.*Vbi Theodoretus videtur, cultum Angelorum damnare, eorumque inuocationem, ex Concilio Laodiceæ. 326

Respondetvr, *ibi* damnari hæresim Simonis, qui dicebat, Angelos colendos vt Deos minores, qui mundum fabricarunt, & per prophetas locuti sunt, nec posse Deum placari, nisi per istos. Vide de hac hæresi Iansenium *lib. 1. cap.20.* Tertullianum, *lib. de præscript.* Epiphanium *in hæresi Simonis.* De hac Idolatria, qua colebantur Angeli, intelligunt hunc locum omnes interpretes.Chrysostomi *homil.7 in epistolam ad Colossenses*; Oecumenius, Theophylac. D. Ambrosius verò putat, reprehendi eos, qui adorabant stellas. Hieronymus autem *quæst.10. ad Aglasiam*, & Haymo *in hunc locum* docent, eos reprehendi, qui Sacrificabant Angelis. Clarissimè omnium id habet Theodoretus; & ex Concilio adducto à Theodoreto,quod est Laodicenum, *cap. 35.* habetur: *Non oportere Christianos derelictâ Ecclesiâ abire, & ad Angelos Idolatriæ abominandæ congregationes facere, quæ omnia interdicta sunt. Quicunque autem inuentus fuerit occultè huic idolatriæ vacans; anathema sit, quoniam derelinquens Dominum Iesum Christum,* 327

Christum, accessit ad Idola. Ex quo habes, non cultum Dvliæ sed Latriæ Sanctis, & Angelis à Scriptura, Patribus, & Conciliis denegari, vt notat D.Bonauent. *quæst.3. ad 2.*

328 Obiiciunt quartò. Sancti defuncti non cognoscunt nostras preces. Igitur frustrà inuocantur. Probatur Anteced. *ex 3. Reg. 8.* vbi dicitur: *Tu nosti solus cor omnium.* Iob. 14. *Viuentes sciunt, se morituros; mortui verò nihil nouerunt ampliùs*: Isa 63. *Tu enim Pater noster, & Abraham nesciuit nos.* Et 4. Reg.22. *Colligam te ad Patres tuos, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus sum super locum istum.*

Id videtur sic intelligere D. August. *lib. de cura mortuorum, cap.13.* S.Gregorius Nazianzenus *in fine orationis de Gregoriana sorore*, & dubitant Origenes *lib.2. in epistolam ad Romanos* & D. August. *lib. de vera relig. cap.55.*

329 Respondet D.Bonauent. *quæst.3. ad vltimum*, ex Magistro, Sanctos in Deo, tanquam in speculo, videre sanè à principio, vt tenent D. Gregorius *lib.12. Moral. cap.13.* D.Thom.*3. part. quæst.10. art.2.* Et 2. 2. *quæst. 83. art. 4.* Caietanus *ibidem*, & probabilem dicit Bellarminus, *cap.20.* Idem videtur tenere D.Bonauentura ad *vltimum.*

Dices. Si Angeli viderent in Deo nostras preces, non deferrent eas ad Deum.

Respondet D. Bonauent. *ibi*, eos adhuc deferre nostras preces, vt Deum consulant, quomodo se gerant in nostris necessitatibus: Vel quia pro opportunitate reuelantur, quo pacto multi Sancti in terris secreta plurima penetratunt, & prophetæ occulta viderunt. Hæc est sententia D.Augustini *lib. de cura pro mortuis, cap.15.* Hæc videtur Seraphici sententia hîc *loco cit.* & magis apta ad conuincendos hæreticos, quàm præcedens; quia negant, Sanctos videre Deum; Scripturæ autem solùm innuunt naturaliter, non cognosci à Sanctis, quæ circa nos geruntur.

330 Qvoad Patres dico, D.Augustinum loqui de cognitione naturali; Nazianzenum verò videri dubitare, sed tamen affirmare; Ait enim: *Si tibi aliqua sermonis nostri est ratio, suscipe nostrum sermonem: sicut, cum Apostolus ad Philemonem ait: Si habes me socium, suscipe illum.* Ad Origenem dico, eum loqui de cognitione naturali: Nam *lib. 8. contra celsum*, & *homil. 26. in Numer.* & *homil. 16. in Iosue*, concedit, Sanctos videre quid agamus, & nobis suffragari orationibus suis. Ad D.Augustinum dico, eum loqui de his, qui manent quidem in Deo per charitatem, sed nondum beati sunt.

331 Obiiciunt quintò. Deus paratissimus est nos audire, & magis nos diligit, quàm vllus Sanctorum: Ergo frustrà inuocantur Sancti: Imò signum est diffidentiæ inuocare Sanctos, cùm Christus dicat, Lucæ 11. *Petite, & accipietis*, & Ioan.1. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et Paulus Heb. 4. *Accedamus cum fiducia ad Thronum gratiæ.* Idem videtur sentire Chrysostomus *homil. de profectu Euangelij, Tom.3.*

Respondet D.Bonauent. *quæst.3. in corpore, ad 3.* Deum paratum quidem esse nos audire, sed magis paratum ad exaudiendos Sanctos, pro nobis intercedentes, quippe sibi chariores, quos etiam, vtpote plus diligentes, magis diligit; Deumque delectari, vt ad Sanctos suos accedamus ob reuerentiam Deitatis, & ad ostendenda eorum merita, suumque erga nos amorem. Itâ etiam *Iob vlt.* dixit amicis Iob: *Ite ad seruum meum Iob, & afferi holocaustum pro vobis*, & *Genes.20.* Abimelech non nisi per Abrahæ preces sanari potuit; & *Ezech.20.* Deus quærebat virum, qui intercederet pro populo: Sic etiam prædestinatio iuuatur precibus Sanctorum, vt ait D. Bonau. *quæst.2. ad vlt.* ex D. Augustino *lib. de Prædest. Sanctorum*, & ostendi *p.p. tract.1. disp.21.*

Loca Scripturæ non sunt ad rem. Nam oramus cum fiducia Deum per Sanctos amicos, quod ipse Deus approbat. 332

Ad D. Chrysostomum respondetur, eum loqui de implorantibus preces mortalium, cùm ipsi non orent pro se, sicut quidam diuites largiuntur eleemosynas seruis Dei, vt orent; at verò ipsi nolunt laborare. Id habet Diuus Chrysostomus, *homil. 5. in Matthæum.*

Obiiciunt sextò. Christus docuit, quem debemus inuocare, dicens: *Pater noster*: Matth.6. Lucæ 11. Non igitur Sancti sunt deprecandi: Et tamen obmurmurant plures ante Statuas Barbaræ, & Catharinæ, *Pater noster.* 333

Respondet D Bonauent. *quæst.3.* Deum; qui solus his terminis oratur, docuisse orationem hanc deferre ad seipsum; neque enim inuocant S.Barbaram dicentes: *Pater noster*, vt stultè obiicit Caluinus; sed potius fideles ita orantes, ipsam Orationem offerunt, D.Barbaræ, vel aliis, vt eam gratiùs Deo præsentent. 334

Obiiciunt septimò. Nullum testimonium Scripturæ, vel mandatum Diuinum extat recurrendi ad Sanctos.

Respondetur ex D Bonauent. *quæst.3. in corpore*, haberi in Scripturis, ex precibus, ad Sanctos factis, Deum delectari, & ita non temerè causidicum agunt Sancti, vt latrat Caluinus *lib.3. cap.20. §.23.*

Obiiciunt octauò. Si superstitio non lateret in hac inuocatione, non postularent ab vno Sancto vnum donum; ab alio aliud; cùm Deus sit author omnium bonorum; neque minores Sanctos consulerent, relinquentes maiores. Hoc esse friuolum inculcauerunt Iulianus Apostata, Manichæus, Magdeburgenses, & Caluinus, vt refert Bellarminus. 335

Respondet D.Bonau. *quæst.3. in corpore*, Deum velle dispertiri varia sua dona per varios Sanctos; & hoc illi placere, confirmatur, miraculis in fauorem Sanctorum præstitis. Hoc autem Deus facit, vt sicuti varia fuere opera meritoria Sanctorum; sic etiam præmia accidentalia: Et si vult beneficia facere orationibus S.Petri; vult etiam alia concedere orationibus S.Lini. Sic ferè loquitur etiam D. Aug. *epist.137. ad populum, & Clerum Hipponensem.*

Obiiciunt nonò. Sancti in cælo nihil sibi mereri valent: Ergo neque aliis.

Respondet S.Bonau. *quæst.2. ad 1.* Sanctos non posse mereri sibi essentialiter aliquid, neque etiam aliis; sed ex meritis præcedentibus posse impetrare sibi, aliisque id, quod orando petunt. 336

Dices. Iam præmium acceperunt suorum operum: Ergo nil ampliùs eis debetur.

Respondet D. Bonauent. Beatos accepisse præmium absolutum, sed adhuc accepisse in ipsa introductione ad regnum, vt tanquam amici obtinerent gratias pro nobis.

Dices. Si hoc meruerunt: Ergo absque eo quòd orent, id etiam obtinebunt.

Respondet S. Doctor meruisse hac conditione, si orarent; sic & aliqui Sancti in morte postularunt, vt quicunque eorum auxilia poscerent, ea obtinerent. Hæc habent etiam Valentia, Bellarminus, aliique ex D.Bonauentura. 337

Aliqva alia obiicit sibi, & soluit S. Doctor in illis tribus quæstionibus, quæ vide apud ipsum.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XVIII.

An merita vitæ æternæ, & Gratia habitualis, interrupta per mortale peccatum, redeant per IVSTIFICATIONEM.

D.Bonauent. in 3. dist. 14. part. 2. art. 2. quæst. 3.
D.Thom. quæst. 114. art. 5.

QVAMVIS vt plurimum hæc quæstio agatur 3. *parte* vbi D. Thomas *quæst.* 89. & à sententiariis *in* 4. *dist.* 14. vbi *de Pœnit.* attamen, quia ad iustificationis effectus, & ad meritorum naturam percipiendam facit; hîc de eâ agam; sicuti *quæst.* 16. *disput. secunda*, disputaui: An peccata semel dimissa aliquando resurgant. Iam primò videbo: An reuiuiscant? Deinde, Quomodo? *quæst. sequenti.*

338 QVOAD primum. Omnes quidem Scholastici ad vnum consentiunt, antiqua merita per mortale peccatum solùm impediri, & mortificari: per sequentem verò iustificationem reuiuiscere. Ità docent Gratianus *de Pœnit. dist.* 4. *can. Intermittentes*, & *can. vlt.* Magister *in* 4. *dist.* 14. *cit. his verbis*, & Scholastici *ead. dist.* Albertus *art.* 21. S.Bonauent. 2. *part. art.* 2. *tribus quæstionibus.* D.Thom. *art.* 5. Richardus *art.* 8. *quæst.* 2. Palud. *quæst.* 1. *art.* 2. *dub.* 2. *num.* 28. Gabriel *quæst.* 3. *art.* 3. *dub.* 4. Dionys. Chartus. *quæst.* 6. Ochamus *in* 4. *quæst.* 9. Scotus *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 1. §. *De secundo articulo.* Maior *ead. dist. quæst.* 1. Almain. *quæst.* 1. *art.* 2. Durandus *in* 3. *dist.* 31. *ad* 3. Alens. 4. *part. quæst.* 12. *memb.* 4. *art.* 6. Henricus *quodl.* 5. *quæst.* 24. D. Thom. 3. *part. quæst.* 89. *art.* 5. vbi Caietanus, & Recentiores Thomistæ. Dominicus Sotus *in* 4. *disp.* 16. *quæst.* 2. *art.* 2. & 5. Ledesma *part.* 4. *quæst.* 30. *art.* 2. & 5. Petrus Sotus *lib. de Inst. Sacerdot. lect.* 6. *de Sacram. Pœn.* Abul. *in* 19. *Matth. quæst.* 140. Medina *Cod. de Pœnit. tract.* 1. *quæst.* 8. Suarez *opusc. de reuiuisc. merit.* Valentia *in* 3. *partem, disp.* 7. *quæst.* 6. *puncto* 1. Vasquez *p. secunda, disp.* 221. Tanner. *in* 3. *part. disp.* 5. *de Pœnit.* Adrianum citans *in* 4. *de Satisfactione, quæst.* 2. *ad primum*, Couarruuiam *in cap. Alma Mater, p.p.* §. 4. *num.* 10.

FABER Fauentinus *cap.* 1. notat ex D.Bonauent. *loco cit.* Tria esse genera operum: Aliqua viua, & sunt ea, quæ facta sunt in charitate; aliqua mortua, & sunt duplicis generis; aliqua enim sunt mortua priuatione vitæ; & sunt opera etiam bona, facta in peccato mortali; aliqua sunt mortua effectiuè, & sunt peccata mortalia, imò etiam venialia, quia disponunt ad mortale. Tandem; aliqua sunt opera mortificata; nempe ea, quæ facta in gratia, adueniente culpa mortali impediuntur, ne habeant suos effectus, ac mortificata iacent. Et quidem opera mortua priuatiua non iuuant ad meritum gloriæ, patet 1. Cor. 13. *Si tradidero, &c.* disponunt tamen ad iustificationem, vt notat Fauentinus *num.* 3. post D.Bonauent. *in* 4. *dist.* 14. *quæst. vlt.* Est ergo quæstio de operibus mortificatis: An reuiuiscant.

ASSERO ergo, opera mortificata reuiuiscere.

339 PROBATVR primò à D.Bonau. *quæst.* 3. ex Glossa Interl. & ad id Ioelis 2. *Reddam vobis annos*; vbi ait: *Non patiar perire vbertatem, quam perturbationibus animi perdidistis. Nam si antiqua merita non reuiuiscerent, periret procul dubio vbertas antiqua; hoc est, vberes fructus bonorum operum penitùs interirent.* Hanc authoritatem validam adhibet Vasquez *numero* 8.

PROBATVR secundò ex illo Apostoli, 6. ad Heb. *Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis, & ministratis.*

Hoc aduerte, quòd Apostolus, cum difficultatem in resurgendo exposuisset per ea verba: *Impossibile est, eos, qui prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam*, vt notat S. D. *ead. dist. & parte, quæst.* 1. *ad primum* (loquitur enim Apostolus de imperfectis, qui difficilè resurgunt) iam incipit eos animare, spe reuiuiscentiæ, & recuperationis bonorum operum. Sic enim Hebræos iam prolapsos alloquitur, vt notant Chrysostomus, Theodoretus, Glossæ, Ordin. & Interlin. Anselmus, D. Thom. aliique in eum locum. Imò Glossæ inde reuiuiscentiam deducunt meritorum. Vide Suarez *disp.* 1. *sect.* 1. & Vasquez *num.* 8. afferentes PP. expositores.

Hoc eodem textu vtitur ad id S. Concilium Trident. sess. 6. cap. 16. *Hac igitur ratione iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam perpetuò conseruauerunt, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino: Non enim iniustus est Dominus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Duo autem loca Scripturæ adhibet, quæ remunerationem intimant. Alterum 1. Cor. 15. *Abundate in omni opere bono*: Alterum, ad spem, *Heb.* 6. Erigit homines, siue qui perseuerant, siue qui reuiuiscunt. 340

CAIETANVS opponit, de Hebræis illis dici: *Et ministratis.* Ergo non exciderant. 341

RESPONDETVR, loqui de operibus, post resurrectionem factis in gratia.

VASQVEZ verò *num.* 12. ait, Tunc Hebræos non adhuc recuperasse gratiam.

PROBATVR tertiò à D.Bonauent. *quæst.* 1 *argumentis primo loco, additis responsis.*

PRIMVM ex Glossa, Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, etiam lapsus in mortale.* Ergo ex natura dilectionis, qua iustificamur (si adsint cæteræ conditiones) reparantur merita, per lapsum amissa.

SECVNDVM est, quò vtuntur etiam Ioan. Medina, & Dominicus Sotus, ex illo Ezech. 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam: vitâ viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor: In iustitia sua, quam operatus est, viuet.* Idem, cap. 33. *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab iniquitate sua.* 342

VASQVEZ *num.* 7. conatur hunc locum infirmare dicens, Prophetam solùm voluisse significare populo, vnumquemque victurum iustitiâ suâ, si fecerit pœnitentiam, ita vt nihil noceant ad mortem æternam iniquitates, anteà commissæ.

Hoc effugium præuidit, & præclusit S.Bonauentura; quia cùm iniquitates abstulerint gratiam, & merita, neque solùm damnarint; si merita ex natura pœnitentiæ non reuiuiscunt, certè adhuc peccata nocent, eorumque recordatur Dominus. 343

TERTIVM sumitur è D.August. *tom.* 2. *epist.* 54. *ad Macedonium*, vbi D.Bonauent. citat hæc verba, loquens de recidiuis: *Deus facit oriri super tales lumen suum; nec minus tribuit, quàm antea tribuebat largissima dona vitæ, ac salutis.* Hoc testimonio vtuntur Soto, & Medina allegati.

VASQVEZ *num.* 5. eneruare conatur hanc authoritatem, dicens, D. Augustinum non dicere, Deum tribuere pœnitentibus; sed peccantibus tribuere munera, non quidem spiritualia, sed temporalia; nempe reducendo Solem exorientem, vt ait Christus:

Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos. Hoc autem ideo dixit, vt ostenderet Macedonio condonandum esse delinquentibus, vt in hoc Deum ipsum imitemur.

344 VERVM S. August. luce ipsa clarius nobiscum loquitur. Ait enim: *In tantum autem hominum aliquando iniquitas progreditur, vt etiam post actam pœnitentiam, post altaris reconciliationem, vel similia, vel grauiora committant, & tamen Deus super tales facit etiam oriri solem suum: nec minus tribuit, quàm antea tribuebat largissima munera vitæ, ac salutis.* Relatiuum (*super tales*) eos exprimit, quibus Deus non Solem tantum, sed etiam largissima munera salutis dat; Hi autem non sunt peccatores, alioqui influeret in eos habitum gratiæ, & charitatis, quod est hæreticum; sed pœnitentiam agentes, qui signantur ingrati animi notâ, cum post insignia munera salutis relabuntur.

345 Alium locum authoris Hypognost. *lib.3. cap.9.* ad calcem operum D. Augustini *tom.7.* affert D. Bonau. quæst. 2. *Pœnitentia est res quædam optima, & perfecta, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum.* Qua authoritate vtuntur præallegati Medina, & Sotus, imò D. Thom. *in 4. dist.14. quæst.2. art.2.* hi autem eam D. Ambrosio adscribunt, *lib.2. de Pœnit. cap.1.* Hæc tamen verba in eo non reperiuntur.

VASQVEZ *num.6.* ait, hæc verba esse parui momenti ad assertionem comprobandam; Nam author ille solùm vult, hominem per pœnitentiam reuocari ad perfectum, non quia reuiuiscant merita antiqua, sed quia tolluntur maculæ, & defectus peccati, & constituitur homo in statu perfecto; nempe iustitiæ, & sanctitatis. Adde, non dici: *Pœnitentia omnes defectus reuocat*, sed *omnes defectos*, id est ipsos homines, qui defecere à via veritatis.

346 AT verò nil iuuat, dicere *defectos*; imò pro nobis arguit, homines reduci, vel reuocari ad perfectum, non modò ablata macula, sed reuocato homine ad statum perfectum, in quo erat ante peccatum, & à quo per peccatum ceccidit: Deinde dico, in codicibus correctis haberi *defectus*, vt habet S. Bonau. *in Diæta, tit.3. capite 7.*

PROBATVR deinde rationibus à D. Bonauent. quarum prima habetur *quæst.3. cit.* & *dist.22. quæst.1. ad 2.* D. Thom. *3. part. quæst.89. art.5.* Durand. *loco cit.* Sot. *in 4. dist.16. quæst.1. art.1.* ante medium.

347 EAM autem sic refert Vasquez *num.26.* Quia merita per peccatum non fuerunt extincta, sed mortificata, seu impedita. Sublato igitur per iustificationem impedimento peccati, iam deinceps iustificantur, & expedita manent, sicut antè, vt præmium, quod promeruerunt, consequantur: Contra verò, peccatum semel dimissum iustificatione, non potest amplius redire per relapsum; quia peccatum remissum est, & extinctum; alioqui tectum tantùm maneret; sublata verò causa extinguente aliquid, non propterea ad vitam redit id, quod per eam extinctum erat; sicut è contra, sublato impedimento, id, quod solùm impedimentum erat, in pristinum statum expeditum redit. Assumptum, cui hæc ratio nititur, verissimum est. Ex quo euidenter colligitur communis opinio de reditu meritorum. Sed oportet vt id, quod assumimus, (ait Vasquez) optima ratione monstremus; perinde enim videtur, merita redire, ac merita non fuisse extincta; sed impedita: Vtrunque autem noua indiget confirmatione.

348 CARPIT igitur hanc rationem, quasi petitionem principij.

IPSE tamen *cap.4.* hanc eandem reassumens rationem, prænotat differentiam inter peccata remissa, & merita deperdita: Nam peccata, cùm non tegantur, sed penitus eradantur, profligentur, destruantur, fit, vt redire nequeant: Quia sublata forma denominante, non potest ampliùs effectus illius redire, nisi forma reuocetur: Deus autem non potest formam, seu maculam, à qua dicebatur peccator, iterum reuocare; vt ostendimus *disp.2. quæst.16.* cum D. Bonauent. *in 4. dist.22. quæst.1. ad 2*, ad quæ S. Doctor se remittit.

AT verò merita per peccatum impediuntur, vt sublato peccato, iterum ius ad gloriam recuperent. Nam bona opera meritoria semel facta, fuere digna æterno præmio. Quamuis autem priuentur remuneratione ob indignitatem personæ apud Deum, tamen remuneratione solùm priuati potest in pœnam patrati delicti; ac proinde, si ipse satisfaciat pro delicto, iam iterum redditur dignus omni bono. Itaque sufficit reuocare ius antiquum ad præmium. 349

DICES, Sicut iustificatio tollit omninò denominationem peccatoris; ità & peccatum tollit denominationem iusti. Ergo si non reuocatur peccatum, nec merita reuocabuntur.

RESPONDET Vasquez è D. Bonau. debilius multò esse peccatum ad destruenda antiqua merita; quàm sit iustificatio ad destruenda antiqua peccata.

ADDIT Vasquez, Seraphicum non explicare hanc maiorem vim gratiæ, quàm peccati; & falsò. Nam *dist.22. loco cit. ad 2.* rationem affert, quia merita non euelluntur radicitùs; sed solùm impediuntur remuneratione propter indignitatem peccantis; ex quo euidenter sequitur, ablato impedimento peccati, & restituto homine ad gratiam, iterum reuocari ius ad præmium, quod nunquam exhibitum est. Et hoc patet exemplo inter homines: Nam si aliquis habeat Regem debitorem, & ex iniuria in illum, mereatur priuari illo bono; hic condignè satisfaciens iniuriæ in gratiam redeat, iam iterum Creditor erit illius boni: At iustificatio secura, peccatum tollit, & funditùs euertit fundamentum denominationis peccatoris, vt dixi *disp.2. quæst.16.* En totum fundamentum Vasquez, additum rationi D. Bonauenturæ, & aliorum, ex ipso S. Doctore desumptum. Addit S. Doctor *locis adductis*, cum Alensi 4. *part. quæst.12. memb. 4. art.6.* quos alij sequuntur, bona opera iustorum manere in corpore Ecclesiæ, vt aliquo tempore acceptentur pro aliquo, & non euanescant. Hoc, ait Vasquez esse difficile. 350

DICES Ezech.18. habetur. *Si auerterit se iustus, &c. omnes iustitiæ eius non recordabuntur*: Sicuti si peccator conuerteretur; Deus peccatorum ipsius non recordaretur. 351

RESPONDET D. Bonau. *in 4. dist.22. art.2. quæst.2. in corpore*, solùm denominari eum hominem ita relinqui, dum manet in peccato, ac si nunquam ea bona opera fecisset; Subdit enim: *In præuaricatione enim sua morietur*, neque est simile de resurgente, vt probatum est cum eo.

SECVNDA ratio S. Doctoris *dist.14. fund. vlt.* & *dist.22. loco cit.* est, quam suprà retuli; quia potentior est gratia ad viuificandum priora merita, quàm nouum peccatum ad reuocanda antigua, quam sequitur Dominicus Soto *in 4. dist.16. quæst.1. art.1. ante medium.* 352

VASQVEZ *num.27.* eam reprobat, quia discrimen illud inter merita, vt reuiuiscant; & peccata, vt iterum non redeant, non debet reduci in virtutem ipsius gratiæ, quasi reuocantis merita; & in infirmitatem peccati ad reuocanda præterita peccata, sed in ipsam naturam meritorum, & iustificationis auferentis peccata, quia merita talis naturæ sunt, vt per sequens peccatum non possint extingui. E contra verò iustitia inhærens tantæ virtutis est, vt illa extinguat, & destruat.

DICAT, Obsecro, Vasquez; nùm gratia sit iusti- 353

tia

tia inhærens? Quod si mihi semel concesserit, non video, qua ratione effectum hunc iustitiæ inhærenti, non gratiæ donet. Si autem gratiam non esse iustitiam inhærentem dixerit, ad relectionem operum eius ipsum remittam.

TERTIA ratio D.Bonauent. Maior est connexio in bonis, quàm in malis. Iam verò, vt suprà ex eodem retulimus, bona opera connexa manent in corpore mystico: mala autem non manent. Qua etiam ratione vtuntur Durandus *in* 4. *dist*.22. *quæst*.1. *ad* 2. Palud. *quæst*.1. *num*.7. Sotus *dist*.16. *quæst*.1. *art*.1.

Hanc rationem, absque fundamento Vasquez ait, esse insufficientem.

354 ASSERO secundò, redire etiam virtutes, & dona infusa. Ità innuitur in parabola *Lucæ* 15. vbi ait Pater ad filium redeuntem: *Cito proferte stolam primam, & date annulum, & calceamenta*, quæ sunt varia ornamenta animæ; vt notat S.Bonauent. ad eum locum ex Patribus omnibus, & post eum Valentia *loco adducto*.

QVÆSTIO verò est: An aliqua merita reuiuiscant ex iustitia: An ex misericordia.

PRIMA opinio est, id fieri misericordiâ. Ità Scotus 4. *dist*.22. *quæst*.1. Gabr. *quæst*.1. *art*.3. *dub*.2. Paludan. *quæst*.1. *num*.7. expressiùs Seraphicus *dist*.22. *quæst*.1. *ad* 2. ait Vasquez *num*.16. Citatur & *dist*.14. *quæst*.3. sed malè; nam in priori loco ait esse digna remuneratione, & manere in memoria Dei ad remunerandum; hoc verò probat *disp*.14. *loco cit*. *quæst*.3. ex promissione Dei. *loel*. 2. quæ exponitur à Glossa; & *in corpore*, dicit, merita resurgentia esse digna remuneratione vitæ æternæ.

QVOD verò elicit Vasquez ex eo, quod dixit S.Bonauent. *dist*.22. *loco cit*. merita redire, quamuis peccata non redeant, quia pronior est Deus ad miserendum, quàm ad puniendum, nil facit; tum quia hæc ratio partialis tantùm dicitur, & rationem aliam elicit ex dignitate ipsa meritorum, vt fatetur Vasquez *num*.25. Tum etiam quia ex Dei misericordia sumit rationem, considerando peccatorem non rediuiuum, sed ante resurrectionem, quando erat indignus, cui daret gratiam.

SVAREZ etiam id deducit è D.Bonauent. quia negat, intercedere iustitiam meritorum; vnde infert, ex misericordia tantùm pendere, sed non benè satis id infert, vt dixi *disp*. *hac*, *quæst*.2. & 3.

355 SECVNDA sententia est, redire ex vi meritorum; tum ex pacto Dei antiquo; sicuti de iustificatione diximus nobiscum *disp*.2. *quæst*.3. & *quæst*.4. *huius disputationis*. Et ideò hæc est etiam sententia D. Bonauent. *citatis locis*, adducti, quem sequuntur ibi plurimi, vbi etiam manet confutata opinio Vasquez, quam ibi consequenter tenet, ex mera natura gratiæ hoc oriri. Sic igitur etiam hic censet, merita suapte natura reuiuiscere.

356 ASSERO ergo tertiò, reuiuiscentiam meritorum, ex natura meritorum, addito pacto Dei, prouenire.

PROBATVR ex Psalm. 24. *Vniuersæ viæ Domini, misericordia, & veritas*, Et sanè Misericordia, est suscitare indignum; Veritas est promissio suscitato facta, quæ fundatur Scriptura, & Concilio, ac Patribus allatis à Theologis. Vnde Suarez etiam fatetur, esse debitum veritatis. Quòd verò dignitatem includat in meritis, patet ex illo Apostoli ad Hebræos, vbi ait: *Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur, &c.* Si autem ex misericordiâ oriretur metâ, iam non essent merita; sed solum imputarentur ad meritum; At Concilium Trident. dicit, esse merita, post allegata verba.

QVÆSTIO XIX.

Quâ mensurâ reuiuiscant Merita.

QVAMVIS omnes concedant reuiuiscentiam meritorum; vnum tamen argumentum eos in varias abire coegit sententias. 357

ARGVMENTVM autem est: Si in Iustificatione merita reuiuiscerent; sequeretur, omnes resurgere maiori gratia, quàm fuit illa, à qua ceciderunt: Consequens est absonum: Ergo. Probatur sequela. Nam resurgerent in omnibus bonis, & in omni gratia amissa, & rursus cum noua gratia addita actui contritionis, aut dilectionis. Vt autem huic argumento respondeant, diuersas vias inuenerunt.

PRIMA opinio est Henrici *quodl*.5. *quæst*.23. omnes resurgere æquali gratiâ, omnesque se habere sicut pueros baptizatos, qui cùm nullum habeant actum arbitrij, æquali dotantur gratiâ.

SECVNDA opinio est Ocham *in* 4. *quæst*.8. Gabrielis *dist*.14. *quæst*.3. Almaini, Maioris, & aliorum *in* 4. *dist*.22. Quemcunque resurgere in maiori gratia, & gloria. Et ità negant falsitatem consequentis.

TERTIA opinio est, resurgere in gratia, æquali motui contritionis. Hæc autem sententia dupliciter potest intelligi. Primò vt habeant solam gratiam ex dispositione v.g. si actus contritionis fuit intensus vt duo, sit etiam gratia solùm vt duo, etiamsi merita præcedentia fuerint cum gratia vt octo; & hunc sensum Faber *in* 4. *dist*.22. *disp*.42. *num*.10. adscribit D. Thomæ 3. *part*. *quæst*.89. *art*.2. Soto *in* 4. *dist*.16. *q*.2. *art*.2. Alensi 4. *part*. *quæst*.12. *memb*.4. *art*.5. & 6. Alberto *disp*.14. D. Bonauent. *dist*.14. *art*.2. *quæst*.1. & aliis; sed perperam, vt probabo. 358

SECVNDVS sensus est, resurgere non solum secundum dispositionem illius actus contritionis solitarii, per quem resurgit, sed etiam habendo respectum ad op a præterita. Ita Dominic. Sotus *disp*.16. *q*.2. *art*.5. *ad* 3. & fusius *art*.2. qui vult redire nouum gradum gratiæ pro meritis mortificatis, insuper & gradus gratiæ respondentes contritioni. Ad cognoscendum autem quantus sit nouus gradus gratiæ, ponit duas assertiones. Altera est: Ille, qui summo conatu resurgit, præter gradum gratiæ, respondentem contritioni, recuperat omnem gratiam, à qua ceciderat, siue magna fuit, siue parua. Altera est: Si contritio deficit ab ea summa, in ea proportione, qua ab illa distat, restituitur antiqua gratia, vt si est medietas summæ, restituatur medietas gratiæ, à qua cecidit; & si fuerit quarta pars, restituatur quarta pars gratiæ pristinæ. Idem ferè habet Ledesma *in primo*, *part*.4. *quæst*.30. *art*.2. & 5. 359

SVAREZ *loco cit*. dicit, Seraphicum hanc tertiam opinionem asseruisse in vtroque sensu relato. Refert autem ex illo hæc verba: *Ideò credo, quòd probabilior est alia opinio, quòd resurgat in æquali, & maiori, & minori, secundum quod se melius preparat, & Diuinâ largitas dispensat*. Vult ergo D.Bonau. ex parte meritorum mortificatorum resurgere aliquam gratiam: nam *quæst*.3. *in corpore*, ait, opera, quæ non manebant digna remuneratione, absolutè digna fieri, dum homo resurgit. Ideò à primo sensu omninò alienus est S. Bonau. & secundum tenet; non tamen quoad particularia cum Soto; sed cum D.Thoma, vt ritè aduertit; & sequitur Valentia *disp*.7. *quæst*.6 *puncto primo*. 360

QVARTA sententia absolutè asserit; omnia merita reuiuiscere in omni iustificatione. Ità Magister *in* 4. *dist*.14. *cap*. *His verbis*. Albertus *ea dist*. *art*.20. & 22. Richardus *art*.8. *quæst*.2. Henricus *quodl*. 5. *quæst*.24. 361

quæst.24. Gabriel in 4. dist.14. quæst. 3. art. 3. dub. 3. Almainus quæst. 1. art. 4. Maior quæst. 1. Ocham 4. quæst. 9. ad sextum dubium, Marsil. in qq. quæst. 11. art.1. Durandus in 3. dist.31. quæst.2. ad 3. Ioan. Medina Cod. de Pœnit. quæst.8. Scotus 4. dist. 23. quæst. vnic. art.2. & Scotistæ omnes, Hicqueus ibi, Hitibarnes dist. 21. sect. 6. Aretinus art.6. Poncius disp. 45. quæst.7. Faber disp.41. cap.2. Vulpes disp. 27. art.3. Vasquez disp. 221. cap 6. Suarez opusc. de reuiuiscentia meritorum, sect.2. Lugo disp. 11. de Pœnit. Ouiedo tract.9. controu. 6. part. 1. Morandus tract. 4. de Gratia, quæst. vlt. His adde Turrianum, Caspensem, Amicum, Auersam, & alios apud Mastrium disp.7. quæst.10. Card. de Lugo disp.11. de Pœnit. sect.1. Fuliensis lib. 3. de Pœnit. cap.7. resol.10.

Assero primò, non resurgere omnes æquali gratiâ.

362 Probatvr à D. Bonauent. quæst.1. quia Scriptura, & Patres conclamant, dari gratiam secundùm dispositionem cuiusque, idemque habet Concilium Trident. Ergo non æqualiter omnes resurgunt, cùm sint variæ dispositiones; Et quidem quoad Scripturas, Zach. 1. Conuertimini ad me: & ego conuertar ad vos, vt notat D. Bonauent. in 4. dist. 17. part. 1. art. 2. quæst. 3. in corpore. Matth. 25. Dedit vnicuique talenta secundum propriam virtutem, vt notat D. Bonauent. in 2. dist.9. quæst.3. ad primum. Lucæ 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, vt aduertit S.Doctor ad eum locum; vbi culpas omnes simul remitti docet, non autem semper, & damna omnia.

Concilivm Trident. sess.6. cap.7. definit, gratiam, qua homo resurgit, dari secundùm cuiusque dispositionem.

363 Similiter Sancti PP. Cyprianus epist.2. libri primi, ait: Quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus. Chrysost. homil. 13. in Ioannem. Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum, dicunt: Tantum gratiæ infunditur, quantum valemus haurire: & in cap.4. epistola ad Ephesios. Idem habet D.August. epist. 57. Aurea est Sententia D.Hieronymi, relata à Gratiano, can. Quicunque, dist.56. Quicunque dignitatem Diuini gradus non custodierunt, contenti fiant animam saluare; reuerti enim in pristinum gradum, difficile est.

Qvibvs authoritatibus ostenditur etiam contra Henricum, dispositionem nostram esse positiuam, non autem simplicem non resistentiam.

364 Assero secundò contra secundam sententiam, non resurgere omnes semper in maiori gratia.

Probatvr, quia sequeretur, quemcunque maximum peccatorem, etiamsi tepidissimè conuerteretur, obtinere gratiam maiorem, illâ, à qua cecidisset, licèt illa esset intentissima, quod est absonum. Hoc enim est obliterare Legem Christi, & exhortationes ad intensè pœnitendum, quia tantum prodesset remissa pœnitentia, quantum intensa; & tamen Apostolus, 1. Cor. 15. gloriatur, se plus aliis laborasse. Gratia Dei in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui: & 2. Cor. 9. Qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Et Lucæ 7. Remittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum, vt notat D.Bonauent. eo loco. Hæc ratio sumitur à Fabro num.9. Valentia loco cit. è D. Bonauent. quæst.1. fund.3. Et qui sanctè vixit, posteà sceleratissimè, per minimam contritionem resurgeret, ac si nunquam sceleratè vixisset, quod est dare ansam peccandi; & est penultimum argumentum S.Doctoris quæst.1. qui ait: Quantò gradus est altior, tantò casus grauior. Hic enim casus prodesset ad augmentum gratiæ, vt ait S. Bonauent. in corpore, & tamen videmus oppositum iuxta id Apostoli ad Heb. Impossibile est, &c. Est etiam argumentum D.Hieronymi loco citato.

Assero tertiò contra primum modum tertiæ sententiæ. Non resurgit homo eâ solâ gratiâ, quæ respondet dispositioni. Hæc assertio adeò est certa, vt Ledesma asserat, oppositam sententiam esse vituperabilem, erroneam, eiusque prædicatores grauiter ab Ecclesiasticis Præsulibus puniendos. Aufert enim reuiuiscentiam meritorum. Nam gradus illi gratiæ, respondentes contritioni, darentur, etiamsi nulla merita præcessissent. 365

Probatvr, quia sequeretur, eum, qui octuaginta annos Deo seruidè seruîsset, & posteà lapsus in leuius mortale, rediret ad pœnitentiam, omnia merita præcedentia deperderet, quod est contra Apostolum ad Galat. 3. vbi ait: Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa. Addit verò conditionalem; si tamen sine causa; si non resurgant opera eorum per pœnitentiam, vt exponunt Sancti, Hieronymus, Ambrosius, Anselmus, & alij apud Suarez loco citato. Esset etiam contra Concilium Trident. sess. 6. cap. 16. vbi ait, Nihil iustificatis deesse, quo minus illis operibus, quæ in Deo sunt facta, vitam æternam suo tempore consequantur (si tamen in gratia decesserint) consequendam verè promeruisse censeantur: Ergo opera omnia facta in gratia, si decedamus in gratia, erunt ad vitam æternam. Hæc ratio eo nititur, quod merita ex communi sensu Sapientum redire debeant. Eam habet S. D. quæst.1. qua nititur Faber num.11. cum Soto loco cit. & aliis. 366

Probatvr secundò à D.Bonauent. quæst.1. arg.2. ex illo Ezech.18. vbi de peccatore pœnitente dicitur: Iniquitatem eius non recordabor ampliùs, & cap. 33. Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua; At proculdubio noceret, & in recordatione Diuinæ iustitiæ existeret, si non possemus ampliùs illa merita, & eum gradum gratiæ pristinum recuperare. 367

Probatvr tertiò à D.Bonauent. quæst.1. aliis argumentis allatis quæst. præcedenti, Confirmatur à D. Bonauent. ex Patribus, ex quibus alios refert etiam Valentia, qui dicunt, pœnitentem, si vult, posse redire ad primum gradum gratiæ. Vbi aduertit S.Doctor, Sanctos Patres non promittere cuicunque remissæ pœnitentiæ, recuperationem totius gratiæ amissæ, sed proportionaliter dispositioni: Et per hoc satisfiet omnibus Scripturis, & Patribus, quos authores quartæ sententiæ contra nos afferrent. 368

Assero quartò, non semper iustificatum resurgere ad æqualem gratiam; & meritum, sed secundùm dispositionem pœnitentiæ.

Probatvr à D.Bonauent. primò, in corpore, & fund. 3. & ad argumenta quæstionis primæ. Ea, quæ pendent ex libera Dei voluntate, non sunt affirmanda, nisi ex reuelatione habeantur; sed nullibi habetur, merita semper reuiuiscere. Imò constat, requiri dispositionem, & secundùm eam redire merita: Ergo. Minor quo ad priorem partem patet, quia illud Ezech.33. & Glossa in Ioelis 2. & id Lucæ 15. Proferte stolam primam, solùm indicant, rem se habere ex parte Dei, nempe redditurum annos pingues, stolam primam, & peccatum non obfuturum iustificato ex parte Dei, vt notant Soto, & Valentia; neque Faber aliquid solidi opponit, vt patet num.36. Neque Concilium Trident. obstat, relatum à Vasquez, vt dicam ad eius oppositiones. Ex alia verò parte habemus Scripturas pro nostra sententia, dari gratiam pro dispositione, vt suprà retuli pro secunda assertione. 369

Qvod

370 Qvod enim respondet Faber, has authoritates concludere, gratiam dari secundum dispositionem, non autem de meritis priùs acquisitis, quæ iam acceptata sunt à Deo, infirmum est; imò nullius momenti.

Probatvr primò, quia Deus non acceptat opera ad meritum, nisi respiciendo ad gratiam, per quam homo est gratus. Sic Genes. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*; vt notat Valentia *loc. cit.* post D. Bonau., *in 2. dist. 29. quæst. 2. in corpore*, & Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum.* Ratio ergo prima, ob quam ingrediuntur regnum, est, quia chari Patri æterno; deinde propter opera. Et in Concilio Trid. *sess. 6. cap. 16.* dicitur: *Benè operantibus esse proponendam vitam æternam, & tanquam gratiam filiis Dei per Christum misericorditer promissam; & tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione fideliter reddendam.* Cùm igitur merita habeant à gratia acceptationem, redibit simul gratia cum meritis.

Respondet Faber, negando consequentiam; quia hæc posterior gratia infusa non dat valorem meritis; sed aufert impedimentum, & suspensionem effectus illius.

371 Contra tamen est, quia merita, cùm sint accepta ad gloriam, per ipsam gratiam, debemus concedere, hominem resurgentem cum meritis, puta vt octo, ad gloriam, resurgere etiam cum gratia vt octo; alioqui resurgeret ad gloriam absque fundamento meriti.

Neqve satisfacit Faber illo suo responso, fundamentum meritorium fuisse gratiam amissam, atque sufficere si resurgat meritum innixum gratiæ, in qua resurgit, quæ tollit impedimentum.

Contra sic arguo. Vt resurgat meritum sufficienter, debet resurgere ad gloriam cum causa proportionata illius gloriæ, per te; ex hoc enim negas sequelam nostram; Sed causa proportionata huiusmodi fuit prior gratiâ, per te, *num. 53.* Ergo debet resurgere prior gratiâ. Argumentum est ad hominem, & consequenter contra eum *num. 17.*

372 Confirmatvr è D. Bonau. *quæst. 1. in corpore.* Remuneratur opus meritorium, quantum mereatur radix ipsius quantitatis meriti, quod est charitas; quæ per Scotum est ipsa gratia: Ergo debet merito computari, & adæquari, etiam charitas intensiuè.

Neque satisfacit Faber dicendo, redire opus meritorium, quod est effectus charitatis.

Contra enim: Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis: Sed simpliciter mensura gloriæ est charitas, non virtute, sed formaliter: Ergo & amplioris gloriæ mensura debet esse ipsa charitas amplior. Hinc refutatus iacet modus Scoti, redire omnia merita; imò cum amplioribus meritis, non autem cum gratiâ maiori. Gratiam verò non reseruari ad mortem, ostendam in fine.

373 Probatvr secundò à D. Bonau. *in fundamentis.* Primò experientiâ. Videmus enim aliquos perfectos, meritis cumulatissimos, cadere, & resurgere infirmos, & hoc ordinariè, quia nemo de repente fit summus: Ergo non resurrexêre in æquali gratia.

Secvndo, quia è Scripturis, & Ecclesiæ doctrina; Qui perfectior est, & gratiâ ditior, si cadat, atrociori notâ ingrati animi cadit, ac ferè semper grauiùs. Ergo difficile resurget ad eandem, vel maiorem gratiam ex parte sua. Addit tamen Scotus, & cum eo Fauentinus *num. 34.* Talem ex misericordia Dei, respiciente ad præterita seruitia, citiùs subleuari: Quare non esse desistendum ab operibus bonis, quæ etiam lapsum iuuant ad subleuandum. Hoc sanè pietatis Scoti est documentum.

Tertio, Quia: Qui cecidit, nihil meretur ob charitatem, a qua cecidit; neque aliud, quod habebat: 374
Ergo ex mera natura meritorum non oritur, vt resurgant: Potuit ergo decernere, vt ea reuiuiscant, quæ dispositioni congruunt, non autem omnia. Hoc autem ex Scripturis ità esse, probatum est.

Respondet Vasquez *cap. 4. & 6.* in fine, merita, post datam satisfactionem, digna esse remuneratione, nec iure eis posse denegari, atque adeò totum meritum reuocandum; alioqui peccatum noceret remissum, contra Ezechielis effatum, *cap. 18.* & punietur pœnâ æternâ; nempè priuatione æterna alicuius gradus gloriæ.

At verò cùm ius illud acquisitum sit Diuinâ pro- 375
missione, vt habetur testimoniis Ezechielis, & Concilij Trident. vt ait Vasquez, non video quo iure velit ea redire ex iustitia, cùm redeant solùm ex fidelitate, quæ id exhibet, quod promitit. Cùm autem promiserit, reditum meritorum secundùm dispositionem, vt suprà ostendimus, non video quo iure velit Vasquez ad ius strictum id sublimare.

Hinc etiam habeo, non benè Sotum strictam illam, & exactam mensuram meritorum decreuisse; cùm talis mensura ex Diuina reuelatione non habeatur; eamque confutat Vasquez *cap. 6.* vbi alios etiam modos refellit.

Optima est responsio D. Bonau. *quæst. 1.* mensu- 376
ram eam assignari remunerationis, in qua resurgens, ex sua dispositione, & liberalitate Dei iustificatur, eamque mensuram statui ad remunerationem, quæ charitati in fine debetur. Eum sequuntur alij Theologi cum D. Thom. *3. p. quæst. 89. art. 5. ad 3.* vt notat Vasquez *à num. 39.* etiamsi Capreolus *in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 3. ad 1. Scoti*, contra secundam conclusionem dicat, non esse D. Thomæ sententiam. Et sanè rationabilis est, quia, vt ritè aduertit S. Bonau. *loc. cit.* nihil habemus determinatum ex Diuina reuelatione, quoad indiuiduos gradus gratiæ, & meritorum redeuntium; & ideò nimis sapienter volumus nos determinare, quæ Deus noluit nobis innotescere.

Obicies primò cum Henrico. Gratia non pendet 377
ex nostris meritis, vt patet ex Apostolo; à nobis autem solùm requiritur, vt non resistamus; Non resistere autem, est negatio, quæ non suscipit magis, & minus. Ergo ex parte nostri est æqualis, sicut in infantibus baptizatis.

At verò suprà ostendi cum D. Bonau. requiri nostram dispositionem positiuam; quamuis enim gratia præueniens, de qua loquitur D. Paulus, non pendeat ex nostro concursu; tamen gratia iustificationis datur congruè secundùm nostras dispositiones, vt ostensum est *quæst. 9.*

Obicies secundò cum secunda sententia. Si præ- 378
ter gratiam non resurgerent omnia merita mortificata, & gratia deperdita, & ideò non esset semper amplior; sequeretur, peccatum remissum nocere, contra Ezechielem.

Respondet Valentia è Seraphico *quæst. 1. ad 2.* non memorari peccatum remissum, sed ex condicto dari rediuiua pauciora merita ob defectum dispositionis requisitæ, & exactæ in Scripturis, ex Diuino decreto.

Obiicivnt tertiò testimonium D. August. ad Macedonium, suprà allatum.

Respondet S. Doctor, id intendi à D. August. 379
Deum paratum esse omnia bona restituere, si homo se disponat; non quidem determinans, summum conatum esse necessarium, vt putat Soto, quem refellit

Vasquez *num.*4. sed enixu morali, cum alibi in Scripturis dispositionem prætendat. Itaque illa promissio non habet effectum in omnibus, sicuti etiam illa, Rom. 5. *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.*

Obiiciunt quartò. Ex authoritate Scripturæ nobis innotescit quòd merita resurgunt: Ergo omnia. Ergo resurgunt cum gratia noua, idest maiori gradu. Nam resurgent ad remunerationem in eo gradu, in quo facta sunt.

Respondet D.Bonau. merita resurgere secundum resipiscentis dispositionem; remunerari verò ad mensuram charitatis finalis.

380 Obiiciunt quintò. Maioris virtutis, & gratiæ robur requiritur ad resurgendum, quàm ad resistendum: Sed per gratiam, quam habuit, non resistit: Ergo ad resurgendum requiritur maior gratia.

Respondet S. Doctor, fortiorem actum requiri, sed non intensiorem habitum ad resurgendum.

Obiiciunt sextò. Deus nulla mala permitteret, nisi maius bonum indè eliceret: Sed permittit, hunc peccare; vnde perdat tantam gratiam: Ergo inde deducit maiorem gratiam.

Respondet D. Bonau. Deum elicere maius bonum, nisi lapsus ponat obicem. Interim declarat suam iustitiam, & misericordiam; illam sanè, si perseueret in peccato; hanc verò, eliciendo maiorem feruorem, & humilitatem in elapso.

381 Obiiciunt septimò. Per quamcunque dispositionem tollitur peccatum, quod erat impedimentum: Ergo redit tota gratia, & ex dispositione alia noua. Probatur consequentia, quia merita reacquirunt ius, quod non potest negari.

Respondet Valentia, Deum in recipiendo hominem in pristinum gradum non agere ad modum causæ naturalis toto conatu, remoto impedimento, sed prout expedit suæ iustitiæ, & misericordiæ; ideò respicit dispositionem.

Hæc ferè habet S. Bonau. *in corpore.* Vnde fallitur Suarez, dicens, nos philosophari de maiori gratia, modo physico; sanè arguimus eam ex decreto Dei, modo morali.

382 Obiiciunt octauò cum Vasquez ex Concilio Tridentino *sess.6. cap.16.* vbi tres solas conditiones requirit, vt aliquod opus bonum consequatur vitam æternam emeritam. Prima est, vt sit opus bonum hominis iusti. Secunda vt procedat à gratiæ auxilio. Tertia, vt qui promeritus est, decedat in gratia. Non dixit Concilium, vt decedat in maiori gratia; sed in gratia.

Miror, Virum eruditum non aduertere, ibi Concilium agere de his, quæ necessaria sunt ad vitam æternam promerendam simpliciter; non de his, quæ ad augmentum gloriæ faciunt.

383 Vrget, Concilium *num.26.* damnare eos, qui dicunt, iustos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo facta fuerunt, expectare vitam æternam, si benè agendo perseuerauerint.

Verum hic author trahit loris S. Concilium ad suam definiendam opinionem. Nihil enim ampliùs definit, quàm anathema, negantibus vitam æternam operibus meritoriis perseuerantis in finem. Idem verò definit, quod *cap.16.* statuerat, vt notatur in margine.

Vrget *can.22.* vbi definit, opera iusti mereri vitam æternam, augmentum gloriæ, & ipsius consecutionem. Hic exultat, se id Compluti, & Romæ, eximio applausu docuisse.

384 At eodem responso ruit, ibi enim solùm definitur contra negantes vitam æternam meritis, & asserentes cuique æqualem gloriam. At de meritis mortificatis: An omnia reuiuiscant, ne verbum quidem habet Concilium, quod quidem & Sotus, qui Concilio interfuit, non ignorasset.

Obiicit Vasquez etiam duas rationes satis exiles. Altera est: Si aliqua ratio habenda esset dispositionis, quâ homo iustificatur, & gratiæ, ad quam resurgit, ad hoc vt merita antiqua reuiuiscerent; hoc esset, quia gratiæ habitualis augmentum requiritur ad meritum augmenti gloriæ, & illius consecutionem; sed hoc est falsum: Ergo. Minor probatur multis modis.

Respondetur, eam non esse præcipuam rationem; sed quia cum restitutio meritorum habeatur ex Diuina reuelatione, quæ dispositiones requirit, vt suprà vidimus, non semper omnia omnibus æquè redeunt. Aliæ quoque rationes suprà allatæ sunt ex D.Bonauentura. 385

Altera est suprà eiecta, quia remoto impedimento, redit ius ad gloriam; quod si negetur, iam iniustus Deus constituitur, vt habet Apostolus *Heb.6.* suprà allegatus.

Respondetur ex dictis *ad* 7. Addo tamen, licèt merita viua habeant ius, modo *quæst.*2.& 3. dicto; Attamen factus homo inimicus, iam indignus redditus est, & magna ex misericordia reuocantur merita ex Diuina promissione, quæ fidelitatis obligationem, non iustitiæ propriæ efficit. Exemplum verò hominis, qui creditor est Regis, & iniuriam infert, si reconcilietur, habet idem ius ad creditum, non admodum cogit. Negari enim potest, id verum esse. Deinde negari potest simile. Etenim Deus, qui est supremus Dominus, apud quem nos sumus rerum omnium debitores, non tenetur merita reuocare ex vi meritorum; sicuti tenetur homo. Tum quia nobis dat gratiam, qua merita fiant; tum quia ipsa merita absque Diuina promissione non sunt adæquata, vt supra *quæst.*4. ostendi. 386

Faber *à num.*17. vrget hoc argumentum. Sequeretur enim non redire omnia merita, sed aliqua tantùm: Sed hoc est contra supra dicta *quæst.*1. Ergo. Confirmatur, quia merita reuiuiscant ex ablatione impedimenti, quod est peccatum mortale; At peccatum mortale tollitur per remissiorem pœnitentiam. Ergo. 387

Respondetur cum D. Bonau. quem sequuntur Valentia, & Soto, tolli quidem semper peccatum; at gratiam non semper resurgere æqualem; sed cum dependentia à dispositione, vt supra ostendi. Neque nos dicimus, resurgere merita nihil aliud esse, quàm tolli impedimentum, vt supponit Faber, sed dicimus ablationem impedimenti ponere in eo statu hominem, vt possit omnia merita recuperare, & semper recuperare pro dispositione, modo suprà allato. Tollitur ergo totum impedimentum, vt possint redire, sed requiritur dispositio nostra. 388

Miror autem, istos viros prætendere, ex reuiuiscentia meritorum ab omnibus concessâ, cogere nos ad confitendum omnia resurgere, veluti de fide; cum ipsi plurimos Doctores probabiliter resistentes fateantur; præcipuè Vasquez *cap.6.* vbi suam opinionem tantum probabiliorem iudicat, sicuti & Faber *numero* 20. 389

Ex his facile est soluere etiam difficultatem, quantum antiquæ gratiæ restituatur iustificato: Et sanè conueniunt plurimi in hoc, resurgere hominem aliquando ad maiorem, aliquando ad minorem; aliquando ad æqualem gratiam. Ita Alensis 4.*p.quæst.*12. *memb.*1. *art.*5. S.Bonau. *in* 4. *dist.*14.*p.*2.*art.*2.*quæst.*1. & 2. Capreol. *quæst.*2. *art.*1. *concl.*2. Scotus *dist.*12. *quæst.*1. §. *De secundo articulo.* Caiet. 3. *p. quæst.* 89. *art.*5.

art.5. Sotus *disp.16. quæst.2. art.2.* Ledesma *p. p.4. quæst.30. art.2.* Durandus *in 3. dist.31. quæst.2.* Paludanus eadem *dist. quæst.1. art.1. concl.3.* Petrus Soto *lib. de Instit. Sacerd. quæst.6. de Pœnit.* Variant tamen in explicanda hac quæstione.

390 Dominicus Sotus, & Ledesma docent, ex meritis præteritis semper restitui aliquid gratiæ in eadem proportione, qua docuerunt, redire antiqua merita; vt ità homo iustificetur partim gratiâ, collatâ intuitu præsentis dispositionis; partim verò intuitu meritorum præcedentium. Ratio verò est eadem, quia hoc ipso, quòd redeunt merita in eadem proportione, fit homo magis iustus, ac proinde consequitur aliquid gratiæ habitualis, illis respondens.

Alii volunt, nihil gratiæ conferri ob antiqua merita, nisi quis resurgat feruentiori conatu, quàm erat gratia, à qua cecidit, iuxta modum eorum philosophandi de reditu meritorum. Vasquez *cap.7.* citat Alensem, & Seraphicum, sed malè, vt ostendam.

391 Scotus verò, sicut docuit, gratiam, quam meretur homo iustus per opera remissa, reseruari ad mortem, vt vidimus *quæst.12.* ità etiam hîc accrementum gratiæ habitualis, quod respondebat meritis præcedentibus, quæ viuificantur, reseruari ad articulum mortis: in hac autem vita dari solum gradum illum gratiæ, qui respondet præsenti iustificationi, & sequentibus meritis intensioribus. Idem sentire videtur Marsil. *in 4. quæst.11. art.1.* Idem sentiunt Scotistæ, Aretinus *loc. cit. Scoti, art.6.* Hiqueus ibi, Faber *disp.42. cap.3.* At Vulpes *disp.27. art. vlt.* cum Tartareto ait, nunquam restitui.

392 Alii volunt totam gratiam habitualem, respondentem meritis, quæ viuificantur, restitui. Ità Henricus *quodl.5. quæst.24.* præcipuè *ad vlt.* Ocham *in 4. quæst. 9. ad sextum dubium*, Gabriel *in 4. dist. 14. quæst. 3. art.3. dub.3.* Almainus *disp.22. quæst.1. art.2.* Maior *ead. dist. quæst.1.* Ioan. Medina *C. de Pœnit. quæst.8.* Suarez, Coninch. Ouiedo, Becanus, Amicus, Caspensis, Lugo, & alij apud Mastrium *disput.7. quæst.10. art.3.* qui subscribit *num.340.*

Quoad D. Bonau. *quæst.1.* concludit his verbis quæstionem: *An homo resurgat semper in maiori, vel æquali saltem charitate, & gratia.* Probabilior est, inquit, alia opinio, quòd resurgat in æquali, vel maiori, & minori, secundùm quod se meliùs præparat, & Diuina largitas dispensat.

393 Quæstione autem secunda, quæ agit: *An perfectè resurgens restituatur in pristinam gratiam.* Si autem sit feruida, congruens ei, qui de tali gradu cecidit, sic ait, redire ad pristinam sanctitatem, nempe quoad substantiam habitus gratiæ, nam quoad accidentalem decorem non iustificantur, vt patet in Virgine corrupta, pœnitente, quæ virginitatem non resarcit.

Vult igitur S. Doctor, aliquam intensam pœnitentiam, vt ad æqualem gradum gratiæ resurgat; hanc tamen non ponit intensiorem gratiâ, à qua cecidit, vt putat Vasquez, sed suâ contentus modestiâ, iudicio Dei id remittit.

394 Assero igitur, idem dicendum de reditu gratiæ, quod dixi de reditu meritorum.

Probatur ex dictis *quæst.12. in Calcè ex Concilio Trid.* Nam sicuti per bona opera renouamur de die in diem, vt docet Concilium Tridentinum; renouatio autem est per gratiam; & sicuti iustior, & sanctior fit per opera meritoria, sanctitas autem est à iustitia inhærente, vt ostendi *disp.2. quæst.1. & 2.* ita etiam resurgit homo sanctior, & renouatus per gratiam: Et si renouatus magis, magisque sanctus: Ergo per maiorem gratiam inhærentem; & non differtur, vt ostendi etiam in quarta assertione contra Fabrum. Profectò ad maiorem etiam gloriam, quàm respiciunt merita, requiritur gratia, quod malè negat Vulpes contra communem Theologorum sensum, vt notat Mastrius.

Faber *cap.2.* post Scotum, vt hoc effugiat argumentum, notat, aliud præmium respondere gratiæ habituali; aliud respondere meritis; infantes enim ex mensura gratiæ absque meritis recipiunt gloriam essentialem; Is autem, qui operatur, meretur alium gradum gratiæ. Quare non repugnat resurgere in pluribus meritis ex minori gratia.

Hoc sanè oppositum potiùs inferre videtur; nam si datur gloria respondens gratiæ, vt sic; ergo & gloria respondens meritis. Hæc autem gratiam cumulant, quia merita sine gratia non habent aliquem valorem, nec illis respondet gradus aliquis gloriæ, non respondens gratiæ, vt fatetur *num. 28.* Ergo hoc solo nixus fundamento potiùs inferre cogitur, resurgere hominem cum maiori gratia proportionata meritis; aut tenetur probare aliunde, istam separationem gratiæ, & meritorum in resurrectione peccatoris, & ostendere, surgentibus meritis, non surgere gratiam. 395

Melius Vasquez *num.58.* deducit, minorem aliquando surgere gratiam, si data fuit in prima iustificatione gratia è Sacramento; non enim hæc cum gratia ex meritis adducta computatur. Ideò cùm gratia, quæ in resurrectione ex vi dispositionis datur, possit esse remissior, quàm ea, quæ data est virtute Sacramenti, potest homo in minori habitu resurgere, cùm non resurgat ea, quæ data est virtute Sacramenti.

Hoc tamen magnam patitur difficultatem in doctrina Vasquez, qui cum acriter insistat *ex 18. & 33. Ezechielis*, non nocere iustificato peccatum antiquum, iam non video, quo pacto id verificet, si gratia prior non resurgit. Hoc enim medio etiam ipse vtitur *cap.6. in fine* ad comprobandum omnia merita redire, è quibus aliqua supponuntur virtute Sacramentorum præhabita. 396.

Respondet sanè *num.62.* diuersam esse rationem, Nam gratia, collata virtute Sacramenti, non extinguitur per peccatum, quia est effectus formalis peccati, non autem pœna; at meritorum priuatio non est effectus formalis peccati. Nam peccatum non extinguit illa, sed mortificat.

Enim verò nihil solidi respondet. Primò quidem effectus formalis peccati est extinguere totam gratiam inhærentem, cui formaliter repugnat in via Vasquez *disp.204.* & alibi. Cur ergo vult, redire gratiam, respondentem meritis? Deinde nulla ratione probat, priuationem meritorum non esse formalem effectum peccati. Sanè meritum sine gratia non est; huius autem carentia est formalis effectus peccati apud Vasquez. 397

Scotus apud Fabrum *num.28.* alio modo respondere conatur. Nam gratia prior fuit donum Dei: merita autem erant opera hominis, & ideò hæc sunt salua in Dei acceptatione; alioqui Deus iniuriam inferret non reddendo merita; non sic, non reddendo gratiam, quæ est donum Dei.

Miror, viros eruditos non aduertere, merita à gratia habere valorem, ex quo fit, vt neque merita ex iustitia restituenda sint, eo minus in opinione Scoti, qui soli ferè pacto Dei adscribit condignitatem meritorum, vt vidimus *quæst.4.* Eodem verò pacto etiam gratia respondens illis meritis danda est. Deinde si fatetur Scotus, reddi eam gratiam in fine vitæ, debet reddere aliam rationem, cur non statim cum meritis restituatur? 398

Affert verò *num.29.* Scripturas, quæ testantur, Deum 399

Deum reddirurum vnicuique iuxta opera sua. *Psal.61. Rom.2.* Nusquam autem habetur reddirurum iuxta gratiam. Hæc friuola sunt, dum enim operibus promittit mercedem, includit gratiam, quæ dat operibus pretium meriti, quod de fide est. Deinde vbinam reuelatum est, hunc reditum ad vltimos halitus protrahi?

Respondetur deinde, non redire semper totam gratiam, & charitatem ex D. Bonau. Nam experimur hoc gratiæ, & charitatis incrementum. Hoc autem est falsum, quia non sumus ita faciles ad bonum, sicut ante eramus.

Respondet Vasquez, facilitatem ad malum prouenire ex habitibus acquisitis, non ex defectu infusorum, & quia sæpe homo habet habitus prauos, qui remanent post iustificationem; ideò experitur facilitatem ad malum, & nullam ad bonum, quia habitus infusi non dant facilitatem operandi.

400 Responsio, incuria typographi, continet errorem, vt patet, & debet dicere, facilitatem ad malum oriri è malis habitibus acquisitis; similiter & ad bonum, è bonis acquisitis, non ex infusis, vt vidimus etiam *quæst.12.* in prima ratione, vbi hanc doctrinam Vasquez repulimus. Quamuis autem maneant habitus mali, tamen post conuersionem, auctis habitibus gratiæ, charitatis, aliarumque virtutum infusis, quibus non est neganda facultas, concessa acquisitis, vt vidimus *loco adducto*, experiemur magnam ad bonum promptitudinem.

401 Ex dictis habetur, non semper hominem iustificatum redire ad pristinam dignitatem personæ, vt patet in Virgine lapsa, quæ non potest redintegrari, vt ait D. Hieronymus ad Eustochium, & Anselmus *lib. de concord. Prædest. & liberi arb. cap.4.* Ita Valentia, & Faber *num.39.* post D. Bonau. *quæst. 2. ad secundum.*

Non potest ergo decorem aliquem accidentalem recuperare, sed aliquem excellentiorem perfectionis statum, vt patet in Magdalena, Petro, Paulo, aliisque.

QVÆSTIO XX.

Quomodo imputentur, & applicentur nobis merita Christi.

402 Cvm de Gratia, & aliis Donis egerimus, quæ nobis è meritis Christi emanant, videre libet, quo pacto id fiat; eò magis quòd impudentia hæreticorum insanit. Imputari sanè merita Christi nobis, non negant; imò illis nos iustos esse volunt; ita, vt nulla iustitia inhærente sancti simus, quod refutaui *disp.2. quæst.1. & 2.*

De vocabulo *Imputare* Kemnitius relatus à Tiletano *in Apologia Concilij Trid. in sess.6. can.7. cap. de Vocabulo Gratia*, à Bellarmino *lib. de Iustif. cap.7.* à Vasquez *1.2.disp.222. cap.1.* dicit, *Imputare* esse verbum relatiuum, quia in imputatione sunt quatuor. *Qui imputat: Cui imputatur: Quod imputat: Et ad quod imputat*: Vult autem, fundamentum imputationis aliquando esse quid inhærens ei, cui imputatur; vt cùm dico, peccatum alicui imputari, vel non imputari; aliquando non inhærens, vt iustitia in iustificatione: Nam hoc est iustitia Christi. Addit verò, relationem esse Dei misericordiam, quia imputat credenti iustitiam Christi. Quæ sanè in philosophia ridicula sunt. Si enim misericordia Dei est relatio, quia iustitiam Christi credentibus imputat; Philemon quoque relatio erit, quoniam illi scribit Apostolus, vt sibi imputet debitum Onesimi, vt notat Bellarminus.

Advertit autem Vega *lib.2. in Concilium, cap.2.* 403
Diuino factum esse consilio, Patres antiquos non esse vsos nomine *Imputationis*; ne hæretici indè ansam erroris acciperent. Enim verò cùm *Psal.31. & Rom.4. & 5.* sæpe verbum *imputare* reperiatur, coacti sunt Patres aliquando etiam id vsurpare. Porrò è Sanctis PP. vt obseruat Vega *loc. cit.* non pauci vsi sunt verbis communicandi, participandi, diffundendi, deriuandi, amplectendi, copulandi, coniungendi nobis Christi merita, vt ostenderent, gratias è Christo, veluti Fonte, manare. Ita aduertit S. Bonau. *ad cap.4.7. & 19. Ioan.* & *in Collationibus*, & *in Opusculis*, & *in 3. dist.19.*

Apostolvs è Genesi assumpsit hoc verbum, 404
Rom.4. ex Genesi 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*; vbi Hebræus habet. יַחְשְׁבֶהָ quod significat *imputauit*. Apostolus autem traducit *reputatum*, vsus enim est verbo Græco λογίζομαι quod significat *supputare, imputare, reputare*. Sic & Latinus vertit locum Genesis *reputatum est*. Similiter & Psal.105. *Reputatum est.*, traducit in Hebræo תֵּחָשֵׁב quod verè sonat *reputatum est*. In Psal.31. *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum*, habetur Hebraïcè יַחְשֹׁב *imputauit*.

Adverte, verbum *reputare* idem etiam significa- 405
re, quòd censere, iudicare, existimare. Quare dicimus, reputari aliquem sapientem. Hoc autem sensu malignè vtuntur hæretici, cùm dicunt, homines, apprehendentes Dei misericordiam, reputari iustos à Deo, cùm tamen nullam veram iustitiam in se habeant, sed adhuc peccata in eis perseuerent.

Imputantur quidem nobis merita Christi extrinseca, ita tamen, vt non simus formaliter per ea iusti, sed per gratiam inhærentem, vt dixi cum D. Bonau. *disp.3. quæst.1.* & rursus ipse S. D. habet *in 3. dist.19.* passim.

Svnt merita Christi veluti è capite in corpus deriuata per gratias, communicanturque membris eius, vt docet etiam Concilium Trident. *sess.6. cap.7.* ita tamen, vt verè communicentur per dona creata.

Dissentimus ab hæreticis in eo, ad quod 406
imputantur Christi merita. Idem autem dicimus, imputari, & communicari nobis Christi merita; sunt enim merita Capitis, quæ in membra deriuantur, non modò viua, sed etiam in mortua; nam etiam infideles, & peccatores meritis Christi accipiunt vocationes; in quo deceptus est Somnius *lib.2. Demonst. relig. Christianæ, tract.3. cap.19.* aliique dicentes, merita Christi applicari solùm iustis.

Primo igitur applicantur merita Christi nostræ 407
iustificationi, & consequenter vocationi, & omnibus dispositionibus ad eam: Ità tamen, vt non sola applicatio meriti Christi viuificet, sed per veram formam institiæ inhærentem iusti simus formaliter, vt dixi *disp.2. quæst.1.* Tunc autem fit applicatio meritorum Christi, cùm charitas, & iustitia inhærens infunditur nobis ex meritis Christi. Sic definitur in Concilio Trident. *sess.6. cap.7.* vbi tamen nihil habet Concilium, vndè Vasquez *num. 16.* colligat, non posse defendi sententiam nostram; necessariam esse acceptationem Diuinam, vt gratia habeat effectum reddendi sanctum. Similiter applicantur merita Christi ad emundationem à venialibus; sic enim dicitur Apoc.1. *Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, nempè per veram renouationem, quæ significatur nomine absolutionis, non per meram condonationem, vt notat Vasquez *num.18.* cum D. Bonau. *in 3. dist.19. quæst.1. ad 15. Ioannis.*

Probatvr

408 Probatvr à D. Bonau. argumento, quo vtitur Concilium Trident. infrà citandum, ex illis verbis Christi: *Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Ità etiam Vasquez *capite* 2.

Est expositio aliquorum, fieri applicationem nouam meritorum Christi ad vitam æternam, vt completam habeant rationem meriti, accedente Diuina promissione.

Vasqvez *num.* 23. ad hunc solum effectum putat necessariam nouam applicationem meritorum Christi, vt vltra condignitatem remunerentur, quia ad hanc superabundantiam non habemus merita; ad alios verò effectus multum derogare iustitiæ, & operibus iustorum, & gratiæ Dei, maximè ad remunerationem gloriæ.

409 Probat è Concilio Trid. *sess.* 6. *cap.* 16. vbi ait: *Cùm enim ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent; nihil ipsis iustificatis ampliùs deesse credendum est, quo minus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, Diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam verè promeruisse censeantur.*

Cvm igitur Concilium assignet influxum meritorum Christi ad opera bona, & ea contenti Patres Concilij dicant, nihil deesse ad vitam æternam, frustrà alia excogitatur applicatio.

410 Probat Vasquez *loc. cit.* eam applicationem esse superfluam ad vitam æternam, quia applicatis Christi meritis per charitatem iustificationis, iam satis redditus est homo dignus operandi ad vitam æternam; quia iam habet radicem charitatis, quæ est sufficiens. Hæc est ratio D. Bonau. *in* 3. *dist.* 18. *quæst. vlt. ad vltimum.* Idem de satisfactoriis operibus multò magis dicendum, ad merendum substantiam, & augmentum vitæ æternæ.

Si dicas illam applicationem, requiri ad opera, vt possit quis perseuerare.

Respondeo, disparem esse rationem; quià per opera bona de congruo, ad Perseuerantiam solùm disponimur, ideò egemus meritis Christi ad dignè merendum; At opera ad vitam æternam condigna sunt; vnde non egent noua meritorum Christi applicatione.

Hac sanè doctrina melius contra hæreticos sustinemus, non esse superflua nostra opera; tametsi à meritis Christi habeant virtutem, à quibus etiam prædestinationem, idest prædestinationis effectus, habemus. Vide Vasquez *loco citato.*

411 Qvoad opera satisfactoria Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. dicit, ea vim satisfaciendi habere per Christum; hoc autem esse quatenus Christus meruit nobis auxilia gratiæ, quibus satisfaciamus, & charitatem, qua operemur opera satisfactoria, vt docet D. Bonau. *loc. cit.* & Vasquez.

Vere quidem fit noua applicatio meritorum Christi ad remissionem, quæ habetur per Sacramenta, & Indulgentias, eò quòd remissio tunc excedit operum dignitatem.

Idem dicerem de augmento gratiæ, ratione defectus, qui est in minori gratia ad intensiorem obtinenendam, ob rationem allatam *quæst.* 13.

QVÆSTIO XXI.

An nulla propria Iustitia interueniat in retributione Dei.

Cvm *p.* 1. *tract.* 1. *disp.* 19. *quæst.* 1. & 2. ostenderim, nullam propriam iustitiam esse Dei ad nos; videre iam libet aliqua, quæ supersunt elucidanda. 412

Svppono autem duplicem illam Iustitiam Commutatiuam, & Distributiuam cum Vasquez *disp.* 213. Commutatiua versatur in æqualitate Arithmetica seruanda: Distributiua verò in Geometrica, seu proportionis.

Definitvr autem Iustitia Commutatiua nouiter ab aduersariis: *Est constans, & perpetua voluntas, vnicuique tribuens ius suum proprium, idest tale, vt vel sit proprium dominium rei, vel illi moraliter æquiualens.* Et quidem vsque ad eà verba (*ius suum*) est acceptata communiter ab Vlpiano. Addunt verò reliqua, vt omnem næuum ab ea tollant, sicque Deo eam adscribant.

Enim verò, si nouas libet definitiones rebus imponere, nihil habebimus firmum, nihilque validum ad rerum naturas enucleandas, quæ cùm sint secundùm cuiusque rei essentiam inuariabiles, & ad modum numeri, vt ait philosophus, indiuisibiles; non video qua ratione eas pro libito liceat nouis definitionibus additiis explicare, nisi forsan res suas nunc mutauerint essentias, vel veteres sapientes eas ignorauerint; priorem porrò Definitionis partem vsque ad particulas *ius suum* inclusiuè, omnes ferè à multis sæculis approbarunt Iuristæ; & est antiquorum calculis indubitanter recepta; vt nec aduersarij ipsi negant, vti videre est apud Arriagam *disp.* 30. *sect.* 1. 413

Alias huic definitioni consonas retuli, vbi suprà, è Seraphico Bonauentura.

Hic grauiter animaduertendum è S. Doctore *dist.* 27. *art.* 2. *quæst.* 3. *in corpore* vt internoscatur differentia Meriti congrui à condigno, & vtrique reddatur præmium siue ex misericordia, siue ex iustitia illa, quæ Dei nititur benignitate, non rigorosa illa commutatione dati, & accepti, vbi interuenit debitum, & ius strictum; quod cum Dei libertate & liberalitate incompossibile probauimus *loco suprà citato.* Opus meritorium importat triplicem habitudinem, ad principium scilicet, vnde oritur; ad finem propter quem intenditur; & ad statum, in quo concipitur. 414

Et quidem primò, si consideretur quoad principium; exit à voluntate simul & gratia: Propter primam, admittitur in opere meritorio congruitas quædam; eò quòd de nostro fit quod impendimus, & alterius rationis à præmio quod rependitur; & hoc quidem intelligitur, etiamsi gratia actualis voluntati succurrat, non enim hac, sed gratia habituali in filios adoptamur. Propter secundam verò, opus euadit condignè meritorium, eò quòd per inhabitantem gratiam homo obtineat statum quemdam Diuinum, fitque Deo acceptus, & ex promissione gloriæ, cum gratia operans; & hîc quidem interuenit actus Diuinæ iustitiæ reddens non in rigore debitum, sed sui muneris complementum.

Secvndo potest actus meritorius considerari quoad finem, & sic respicit vel largitatem dispensantis, vel veritatem promittentis: quoad primam meretur de congruo. Congruum enim est diuinæ largitatis immensitati, vt vel quidem modicè pro se laborantes, largo præmio remuneretur; hæc namque regalis munificentiæ 415

nificentiæ Nota est; quoad secundam autem, & quatenus Deus voluntariâ pollicitatione se homini obligauit, vt taliter, & tantopere ipsi laboranti, talem, & tantam largiretur mercedem, meretur quidem homo de condigno, & potest dicere fiducialiter cum D. August. *Redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti.*

416 Tertio Denique opus bonum consideratum, quoad statum, in quo fit, agnoscit temporis opportunitatem; tempus nempe seminandi, & bonum operandi, & sic congruum videtur, vt qui misit panem suum super transeuntes aquas, post longum tempus inueniat illum, & qui proiecit semen in terram bonam, ex ea fructum copiosum suscipiat; sicut & qui modicum dimisit, centuplum accipiat: & hæc quidem congruitas includitur in condignitate, si hæc opera fiant in gratia sanctificante; secus, si fiant cum sola gratia actuali; cùm, vt sic, sint solùm dispositiones ad iustificationem. Agnoscit quoque meritum, operis arduitatem, quatenus homo supra se leuatur, & proprio bono, quod per se potest elicere, præferat bonum æternum, quod nequit absque gratia: & tale quidem opus æterna remuneratione condignum est, diuinamque inuocat iustitiam, vt quod liberaliter promisit, fideliter reddat: Hinc concludit Seraphicus breui Epiphonemate, opus meritorium considerari posse in ordine ad voluntatis Libertatem, ad dispensatoris Liberalitatem, & ad temporis opportunitatem; & sic de conguo meretur. Comparatum verò ad gratiæ dignitatem, ad pollicentis veritatem, & ad sui ipsius arduitatem, meretur de condigno.

Ex his clarè colligitur, Meritum de Condigno non 417
esse talis naturæ, vt ponat strictè in præmiante obligationem retribuendi: Plus enim accedit ad hoc debitum constituendum, qui mercenariè, & intuitu tantùm mercedis operatur; minùs tamen meretur de condigno; quàm qui amore filiali absque vlla consideratione præmij Deo seruit; & licèt Deus faciat commensurationem gloriæ secundùm gradus gratiæ, & meriti; hæc tamen commensuratio non est per omnimodam æqualitatem; quæ est stricti Iuris, sed per quandam conuenientem proportionabilitatem; quæ ad fidelem spectat promissionis retributionem, vt toties hîc, & alibi inculcaui. Atque hic finis esto Tractatus de Gratia, quam nobis finalem Deus tribuat in via, vt eam consummatam retribuat sine fine in patria.

Hæc in laudem Gratiæ & Gloriæ Dei Opt. M. in Deiparæ Virginis, & Seraphici Bonauenturæ, Sanctorumque omnium honorem exarata sunto.

Cæterùm; has, cæterasque omnes qualescumque meas lucubrationes, meoque nomine proditura, in ipsa veritatis Trutina pensitandas, & in pondere Sanctuarij à Sancta Romana Ecclesia perpendendas, quâque libuerit, censurâ notandas, in omne pronus obsequium relinquo, & volo.

INDEX

INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, Quæ in hoc Tractatu de Actibus Humanis continentur, & aliqualiter explicantur.

Littera P. Paginam: Littera N. Numerum indicat Marginalem.

E TESTAMENTO VETERI.

IX. *Qui*

Index locorum.

Marcus.

Lucas.

Ioannes.

XX.

Actus Apostolorum.

Ad Romanos.

Prima ad Corinthios.

Ad Corinthios secunda.

Ad Galatas.

INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,
Quæ in hoc Tractatu de Legibus appositè continentur.

Littera P. Paginam: Littera N. Numerum indicat Marginalem.

E Veteri Testamento.

Pretiõ

INDEX

INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, Quæ in hoc Tractatu de Gratia appositè continentur.

Littera P. Paginam: Littera N. Numerum indicat Marginalem.

E Veteri Testamento.

Genesis.

Exodus.

Leuiticus.

Deuteronomium.

Regum primus.

Regum secundus.

Regum tertius.

Regum quartus.

Paralypomenon primus.

Paralypomenon secundus.

CXXV.

Vt

Actus Apostolorum.

Ad Romanos.

IV. S;

Prima ad Corinthios.

Ad Corinthios secunda.

Ad Galatas.

Ad Ephesios.

Ad Philippenses.

Ad Colossenses.

Ad Thessalonicenses prima.

Ad Timotheum prima.

Ad Titum.

Sobrie,

Finis Indicis Sacræ Scripturæ in Tractatu de Gratia.

INDEX

INDEX RERVM, ET VERBORVM magis Notabilium, quæ in hac Tomi quarti Parte secunda de Legibus, & Gratia, continentur.

Prior Numerus Paginam, posterior Numerum denotat Marginalem.

Index Rerum,

Contra

H

Hæres.

Hæretici.

I

Ieiunium.

Imputatio.

Potest;as

& Verborum.

Index Rerum, & Verborum.

V

Vectigal.

Veritas.

Voluntas.

FINIS.

274